BEATI

PETRI CANISII

SOCIETATIS IESU

EPISTULAE ET ACTA

VOL. VIII

BEATI

PETRI CANISII

SOCIETATIS IESU

EPISTULAE ET ACTA

COLLEGIT ET ADNOTATIONIBUS ILLUSTRAVIT

OTTO BRAUNSBERGER

EIUSDEM SOCIETATIS SACERDOS

VOLUMEN OCTAVUM

1581—1597

CUM APPROBATIONE REVMI ARCHIEP. FRIBURG. ET SUPER. ORDINIS

FRIBURGI BRISGOVIAE MCMXXIII

HERDER & Co., TYPOGRAPHI EDITORES PONTIFICII

BEROLINI, CAROLSRUHAE, COLONIAE, MONACHII, VINDOBONAE, LONDINI, S. LUDOVICI MO.

Imprimi potest

Coloniae, 17. Maii 1922

Bern. Bley S. J.
Praep. Prov. Germ. Inf.

Imprimatur

Friburgi Brisgoviae, die 16 Iulii 1923

Dr. **Mutz,** Vic. Gen.

Protestatio editoris.

Ut legibus ab Urbano VIII. Summo Pontifice 13. Martii 1625, 5. Iunii 1631 etc. latis ac decretis Sacrae Rituum Congregationis satisfiat, editor profitetur, quaecumque in hoc volumine narrantur de hominum illustrium virtutibus, miraculis, revelationibus, et si quae alia referuntur, quae naturae vim et condicionem excedere videantur, ita se velle intellegi, ut a privata tantum auctoritate profecta et humana tantum fide digna esse censeantur, nisi a Sancta Ecclesia approbata sint.

Typis Herderianis, Friburgi Brisgoviae

PRAEFATIO.

Ut hoc volumen in mediis rei pecuniariae difficultatibus, quibus Germania premitur, typis exscribi posset, effectum est humanitate ac pietate amicorum, qui ex Hollandia, Helvetia, Hispania, Brasilia, Statibus foederatis Americae septentrionalis stipem mihi providerunt. His gratias ago maximas; sed etiam iis ex animo ago gratias, qui adiuverunt me sive codices et libros subministrando sive consilia dando. In his honoris causa nomino Eminentissimum Dominum Cardinalem Franciscum Ehrle S. J. et clar. D. Doctorem Albertum Büchi, universitatis quae Friburgi Helvetiorum est professorem, item R. P. Arthurum Codina S. J. Singulari prorsus caritate et industria me iuvit Friburgi Helvetiorum Rev. et clar. Dominus Fr. Ducrest, bibliothecae cantonalis et academicae director; cui me plurimum debere gratissimo animo profiteor. Deinde hoc moneo: Quia volumen hoc usque ad Beati Petri Canisii mortem et sepulturam pervenit, iam totum opus aliqua ratione dici potest absolutum. Verum, quod in plerisque huius generis editionibus fit, hic quoque accidit: necesse est adiungi volumen, quo, quae in superioribus voluminibus desunt, suppleantur. Neque id potest esse mirum. Incohata enim est haec editio anno 1896. Longo autem hoc tempore inter volumina primum et octavum interposito fieri non poterat, quin comparerent et epistulae et monumenta, quae antea aut ignota aut aditu difficiliora fuerant. Praeterea errata quaedam corrigi oportet. Addetur denique catalogus bibliographicus librorum omnium, qui de Canisio scripti sunt, sive his vita eius enarratur, sive laudes celebrantur, sive cultus propagatur.

Exaten, die 3. Aprilis 1923.

Editor.

I.

CONSPECTUS

totius voluminis et index chronologicus epistularum eius.

II.

PROOEMIUM VOLUMINIS OCTAVI.

I. Epistularum et monumentorum numerus. II. Editionis ratio. III. Epistulae et monumenta notatu digniora. IV. Epistulas qui a Canisio acceperint et ad eum dederint. V. Praecipua capita rerum in hoc volumine positarum: 1. Res a Canisio pro Friburgensibus gestae. 2. Reliqua Helvetia ab eo adiuta. 3. Germaniae salus curata. 4. Utilitates toti ecclesiae allatae. VI. Errata biographorum, bibliographorum etc. VII. Peculiaria quaedam: 1. S. Carolus Borromaeus et Bonhomius. 2. Commentarius de Germania. 3. Contiones. 4. Exhortationes. 5. Libri quidam. 6. Adversarii. 7. Laudatores. 8. Societas Iesu. VIII. Canisii sanctitas.

Numeri arabici uncis inclusi, qui a capite V. singulis fere sententiis addentur, ostendent, quibus libri paginis singula facta potissimum narrentur.

I. In hoc volumine continentur epistulae epistularumque summae 338 (n. 2083—2420): ex quibus sunt epistulae 201, epistularum quae perierunt summae sive regesta 137. His accedunt acta sive monumenta canisiana 353 (n. 1271—1623).

Epistularum (additis epistularum summis) 207 a Canisio vel eius nomine, reliquae 131 ad Canisium datae sunt.

Ex 201 hisce epistulis (de summis nihil dico) erant, quod equidem norim, nondum typis vulgatae fere 113, integre vulgatae 55, ex parte vulgatae 33. Epistularum earundem sunt 183 latinae, 17 germanicae, 1 neerlandica.

Ex actis vel monumentis erant, quod sciam, minimum 130 nondum edita; reliquorum pleraque ex libris antiquis rarisque exscripta sunt. Praeterea ad epistulas et monumenta explicanda atque illustranda adhibitae sunt fere 360 adnotationes et additiones ex fontibus, quod norim, nondum editis depromptae.

II. Epistulas et monumenta edendi rationem secutus sum eam, quam in prooemio voluminis superioris (*Canisii* Epistulae VII xvii—xviii) descripsi. Epistulas a Canisio et ad eum datas posui omnes, quotquot eo tempore, quo volumen hoc parabam, reperire potui, easque integras, ne verbo quidem, quod sciam, omisso. Volumine iam plene absoluto litteras aliquas aliaque monumenta quaedam nactus sum; quae in volumen proximum, quod totius operis complementum quoddam atque supplementum erit, reieci, tum ut spatio parcerem, tum ne rerum huius octavi voluminis dispositionem ordinemque iam stabilitum magno deberem labore immutare.

III. Inter epistulas antea nondum editas plurimum valent litterae, quas inter se dederunt Sanctus Carolus Borromaeus cardinalis archiepiscopusque mediolanensis et Canisius, item Ioannes Franciscus Bonhomius episcopus vercellensis nuntiusque apostolicus et Canisius. Quarum alias Romae, alias Mediolani, alias apud Societatem nostram repperi. Novum quoque magna ex parte est litterarum commercium, quod Canisio erat cum Ioanne Iacobo a Staal patricio solodorano, viro et docto et pio et civitatis regendae peritissimo. E monumentis notatu dignissima sunt plurimarum orationum sacrarum a Canisio Friburgi Helvetiorum annis 1581—1589 habitarum commentaria, quorum alia Canisius sua manu scripsit, alia dictavit, recognovit, amplificavit. Neque tamen has contiones hic posui omnes; hae enim integra implerent volumina, neque a Canisio prelo paratae sunt. Singulas tamen noto orationes, addendo, quando quibus de rebus Canisius dixerit. Praeterea ad verbum pono locos illos sive breves sive longos, qui ad mores, disciplinam, ius, liturgiam illius temporis vel ad rationem, qua Canisius dicere solebat, illustranda valere videntur. Idem feci de brevibus orationibus ad solos collegii friburgensis Socios a Canisio mandatu superiorum pietatis excitandae gratia habitis. Multas quidem earum iam ediderat *Georgius Schlosser* S. J. in libello „Beati Petri Canisii Exhortationes domesticae" (Ruraemundae 1876); sed multas alias ille non posuit, et earum, quas posuit, aliquas, salvis rebus ipsis, immutavit verba omittendo, addendo, seiungendo.

IV. Eorum qui epistulas vel a Canisio acceperunt vel ad eum dederunt, praecipui sunt hi: Sanctus Carolus Borromaeus cardinalis archiepiscopusque mediolanensis, Sanctus Franciscus Salesius praepositus (postea episcopus) gebennensis, Serva Dei Magdalena archiducissa Austriae, Ptolemaeus Gallius cardinalis Comensis et Gregorii XIII. secretarius maior, Guilielmus Sirletus cardinalis et Romanae Ecclesiae bibliothecarius, Ioannes Franciscus Bonhomius episcopus vercellensis et apostolicus in Helvetia, Germania, Belgio nuntius, Octavius Paravicinus episcopus alexandrinus et nuntius apostolicus in Helvetia, Philippus Bavariae princeps et episcopus princeps ratisbonensis, Iulius Echter a Mespelbrunn episcopus princeps herbipolensis, Ioannes Christophorus Blarer a Wartensee episcopus princeps basileensis, Hieronymus Rosdracevius episcopus vladislaviensis, Claudius Aquaviva praepositus generalis Societatis Iesu, Petrus Schnewly vicarius generalis episcopi lausannensis et praepositus friburgensis, Sebastianus Werro parochus canonicusque (postea praepositus) friburgensis, Melchior Zanger praepositus ehinganus, Maria Iacobaea a Sulzbach abbatissa seckingana, Ferdinandus archidux Stiriaeque princeps (postea Ferdinandus II. imperator), Maximilianus I. dux Bavariae (postea imperii princeps elector), Guilielmus V. dux Bavariae, Ludovicus ab Affry et Ioannes a Lanten-Heid et Ioannes Meier praetores reipublicae friburgensis, Franciscus Pfyffer praetor lucernensis, Stephanus Schwaller et Laurentius Arecker

et Wolfgangus Dägescher praetores solodorani, Octavianus Fugger civitatis augustanae duumvir, Marcus Welser iun. consul augustanus, Ioannes Iacobus a Staal patricius senatorque solodoranus, Guilielmus Techtermann cancellarius friburgensis, Ioannes Pistorius consiliarius marchionis badensis (postea vicarius generalis constantiensis et praepositus vratislaviensis).

V. 1. Volumen hoc ultimos 17 annos vitae Canisii complectitur. Hoc tempus ille Friburgi Helvetiorum transegit, nisi quod a. 1584 ad breve tempus Augustam Vindelicorum et Ingolstadium venit et ex eo itinere Lucernam et Badam Helvetiorum devertit; praeterea a. 1581 Lucernae et Solodori, a. 1584 Einsidlae, a. 1587 Lucernae et Badae Helvetiorum per tempus brevissimum fuit, atque, ut videtur, inter annos fere 1581 et 1590 compluriens Friburgo ad oppida et pagos Friburgensium imperio subiecta excurrit. Canisius Friburgum exeunte a. 1580 advenit corpore plurimis laboribus fesso atque ibi viribus magis magisque destituebatur, praesertim cum circa a. 1591 morbo gravi correptus esset. Nec tamen umquam quieti se dabat. Missus erat Friburgum eo maxime consilio, ut iaceret fundamenta collegii, quod Bonhomio nuntio apostolico et ipsis Friburgensibus instantibus Gregorius XIII. a Sociis provinciae Germaniae superioris Friburgi constitui iusserat. Consilium hoc Canisius exsecutus est in mediis angustiis rei familiaris; superatis impedimentis, quae et a protestantibus vicinis, ut Bernensibus et Genevensibus, et a malevolis quibusdam Friburgensibus obiecta erant, sua imprimis auctoritate et industria effecit, ut impensis publicis magnificum exstrueretur aedificium scholis et Sociorum habitationi destinatum. Etsi propter aetatem provectam nec rector collegii nec scholae praeceptor erat, adulescentum litteris studentium curam, id quod ex eius epistulis cognoscitur, diligentem gerebat (45 111 247 257 280 303 315 356), collegium et libris et reliquiis sacris instruere studebat (35 42 81 470 484/7 833), eiusdem disciplinam religiosam et exemplo et exhortationibus, quas iam dixi, fovebat.

Friburgenses paene undique protestantibus cingebantur: unde eorum fides catholica multum periclitabatur. Quam corruptis autem moribus haud pauci eorum fuerint, ex huius voluminis locis multis elucet. Grassabantur ebriositas, impudicitia, feneratio, desidia, vestium cultus immodicus, superstitiones. Canisius queritur, dimidiam civium partem orationes sacras nolle audire; esse qui dimidiae horae contionem nimis longam esse existiment, mensae vero 4—6 horas assideant (627/31 702 741). Complures diebus sacris opera servilia faciebant (631 707), ne semel quidem singulis annis sacramenta sumebant (631), solo nomine catholici erant, errores pestiferos disseminabant (631 666). Parochi quidam rusticani pro sua rerum sacrarum inscitia extra tempus paschale neque ipsi peccata confitebantur neque fidelium confessiones excipiebant; ne moribundis quidem absolutionem vel sacrum viaticum dabant (35). Monachi nonnulli pessime vivebant (17 110). Feliciter tamen contigit, ut clero urbis praeessent duo viri pietate et doctrina insignes: Petrus Schnewly, episcopi lausannensis, ad cuius dioecesim Friburgum pertinebat, vicarius generalis idemque friburgensis capituli collegialis praepositus, et Sebastianus Werro sive Verronius, urbis friburgensis parochus, capituli S. Nicolai primum canonicus, dein decanus et praepositus. Schnewly nil fere, quod gravis momenti esset, faciebat nisi Canisio consulto (729). Canisius autem Bonhomii et ipsius Gregorii XIII. ope implorata assecutus est, ut Schnewly officium vicarii generalis deponere vetaretur et reipublicae visitator apostolicus constitueretur (55 114). Verronio Canisius se praebebat amicum et magistrum; eundem exercitiis spiritualibus S. Ignatii excoluit (270 779 879). Amicitia quoque iungebatur Ioanni Michel, qui Friburgi ordinis Minorum Conventualium insigne erat ornamentum (838). Cum „Notas" in lectiones evangelicas dierum sacrorum ederet, id, ut ipse ait, praecipue spectabat, ut clerum rusticanum reipublicae tum ad pie de rebus sacris meditandum, tum ad recte contionandum institueret (835). Procerum etiam, qui rempublicam administrabant, ut Ludovici ab

Affry, Ioannis Lanten-Heid, Ioannis Meier, Guilielmi Techtermann gratiam sibi conciliabat et sic efficiebat, ut senatus multa decerneret, quae ad fidem conservandam et mores emendandos conferrent. Pulsae sunt meretrices (727 764 775); cautum ne in republica considerent, qui catholice vivere nollent (617); revocati iuvenes puellaeque extra rempublicam heris acatholicis famulantes (727); poenae propositae Deum blasphemantibus et temere iurantibus (866); interdictum, ne diebus sacris tempore missarum sollemnium et contionum tabernae paterent vel homines per forum vagarentur (776); cautum, ne plus quam 5% sumerentur (727); formulae ad recte paciscendum a Canisio eiusque sociis compositae et civibus praescriptae (755). Imprimis autem Canisio urgente restitutum est id, quod olim quidem semel atque iterum factum, postea vero per multos annos intermissum erat: Omnes tum in urbe tum extra eam habitantes ad fidei catholicae professionem sollemniter coram magistratibus civilibus emittendam adacti sunt (635). Simile vel etiam maius beneficium Canisius Friburgensibus praestitit, cum primo iam, quo Friburgi degebat, anno congregationes marianas instituit tres: virorum, adulscentum litteris studentium, feminarum (541/5). Sodales mariani toti urbi praeclara pietatis, poenitentiae, misericordiae exempla praebebant. Canisium imprimis sodales litterarum studiosi velut patrem colebant et filialibus obsequiis prosequebantur (618 653 728 767 824 831 840/1 863/5).

Contionatoris officio Canisius per octo annos Friburgi functus est, habitis ibi plus quam 300 orationibus sacris. Ex his uberes pietatis fructus collectos esse vel ex eo patet, quod hisce annis frequentia sacramentorum poenitentiae et eucharistiae valde aucta est. Ita Socii Romam rettulerunt a. 1583: „In Nativitate Domini 600 communicarunt, cum aliis annis vix 5 aut 6" (618). Et tempore iubilaei, cum orationibus aliquot indulgentiarum ratio populo explicata esset — id quod antea numquam factum erat —, alterum Pascha celebrari videbatur; tantus erat numerus eorum, qui sacramentis refici volebant (618). Iidem Socii a. 1586 scripserunt: Die sacro Pentecostes antea vix 100 homines sacramenta sumebant; modo ad ea accesserunt plus 1000; numquam antea tam multi gravesque homines ad ecclesiam redierunt (726). Haud mirum est igitur, Bonhomium nuntium apostolicum Canisio scripsisse: Friburgensibus dicere potes, quod Paulus olim Corinthiis scripsit (1 Cor 4, 15): „Per Evangelium ego vos genui" (94).

Dolebat Canisius, Friburgum typographia carere. Ideo cum Ambrosius Frobenius ex clarissima typographorum basileensium familia ortus catholicae fidei amplectendae spem ei fecisset, multum laboravit, ut is Friburgum arcesseretur; quem etiam curiae romanae commendavit (86). Atque hic quidem et Canisio et pontifici imposuit, nihil de reditu ad ecclesiam sollicitus (70 92 101). Aliquibus tamen annis post Canisii aliorumque opera factum est, ut senatus urbis typographiam emeret typographumque ei praeficeret; quem Canisius omni studio adiuvabat (211/5).

2. Reliquae quoque Helvetiae salutem Canisius curabat. S. Carolo Borromaeo Helvetiae visitatori apostolico atque Bonhomio, Paravicino, Turriano apostolicis apud Helvetios nuntiis consilia subministrabat (54 59 172 283 892). Ut episcopo lausannensi bona, quibus spoliatus erat, restituerentur, multum, frustra tamen, contendebat. Cum iis, qui Helvetiae catholicae res ecclesiasticas et civiles administrabant, ut Ioanne Iacobo Blarer episcopo basileensi, Francisco Pfyffer praetore lucernensi, Ioanne Iacobo a Staal cancellario solodorano, Udalrico Haeni praeposito solodorano, amice agebat. Celeberrimum monasterium einsidlense et scriptis commendavit, et ipse invisit (201 593). Sanctorum, qui Helvetiae apostoli et patroni habebantur, ut Beati, Mauritii, Ursi, Fridolini, Meinradi, Idae Toggenburgensis, vitas libris germanice scriptis et ad rudiorum captum accommodatis populo narravit. Meditationes, quae cum nomine Beati Nicolai a Rupe circumferebantur, primus typis evulgavit (698). Quinque loci catholici Helvetiae a. 1585 de negotio quodam arduo Canisii sententiam exquisierunt (687). Eius doctrinam etiam protestantes suspiciebant; quare in religione catholica impugnanda sibi iam magis quam

antea moderabantur; immo singulis annis aliquot eorum ad ecclesiam revertebantur (618 654 728 764 787 800 814 823 831 851 865 881).

3. Neque Canisius oblitus est Germaniae, in qua plurimos annos desudaverat. Claudio Aquavivae praeposito generali Societatis Iesu commentario copiosissimo, qui nunc primum typis exscribitur, ostendit, quomodo Socii hominibus, Germanis maxime, utilitatem afferre deberent (116 154). Collegii germanici, cuius „alter parens" a Mansonio collegii rectore vocatur, alumnos per litteras, quantopere Germania eorum auxilio indigeret, et quomodo eandem adiuvare deberent, docuit (367). Ordinum religiosorum clericos in contubernio dilingano versantes et adulescentes in collegio monacensi litteris operam dantes ad doctrinae et pietatis studia excitavit (6 467). Philippum Bavariae ducem, „Manuale Catholicorum" ei dedicans, hortatus est, ut litteris studendo et Deum precando ad officium episcopale administrandum se pararet (256). In usum Ferdinandi Stiriae principis (qui futurus erat Ferdinandus II. imperator) iustum conscripsit librum precationum (827). Ipso mortis anno — res usque adhuc ignota — Friburgi edidit librum „Catholisches Denckbüchlin", quo Germaniae sodales mariani iuvarentur in pio more colendi „Sanctos menstruos" (889). Virgines collegii a Serva Dei Magdalena Halae conditi per litteras copiosas ad pietatem instituit (221). Doctissimus vir Ioannes Pistorius consiliarius marchionis badensis Friburgum venit et ultimas, quibus a protestantismo abiciendo et catholica religione amplectenda retinebatur, difficultates Canisio exposuit. Quibus remotis, id quod usque adhuc ignorabatur, Friburgi clam fidei professionem fecit, quam aliquot mensibus post Spirae palam emisit. Pistorii ad fidem catholicam conversio certe una ex gravissimis huius aetatis conversionibus fuit; nam ille postmodum non solum officium vicarii in vastissimo episcopatu constantiensi et alia officia ecclesiastica gessit, sed etiam scriptis permultis ecclesiam acerrime defendit (765). Zangerum quoque praepositum ehinganum Canisius ad scriptionem huius generis incitavit (248). Sociis dilinganis, quod libellos pios ederent atque disseminarent, gratulatus est (356). Marcum Velserum augustanum valde laudavit, quod opera quaedam Beati Davidis Augustani O. F. Min. edidisset et antiquam S. Udalrici episcopi vitam e tenebris eruisset, etsi impolita eius latinitas fortasse aures delicatas offensura esset. Eundem admonuit, ut „monumenta veterum" diligenter investigaret et Aventini historiam bavaricam mendaciis fraudibusque purgaret (379 397 436). Aquavivam Societatis praepositum generalem obsecravit, ut doctos aliquot theologos libris adversus haereticos componendis destinaret; non dubitare se, quin eiusmodi scriptio tantum valeret, quantum conversio Indorum (176 179). Pulcherrimae sunt epistulae, quibus Canisius senex, morti proximus, collegiis ingolstadiensi, friburgensi, monacensi, oenipontano, pragensi valedicit et sodales, ut Deo et fundatoribus eorumque heredibus se gratos praestent et vineam Domini studiose excolant, exhortatur. „Patientiam et charitatem vestram", pragensibus sodalibus dicit, „non catholici modo, sed etiam catholicorum hostes falsique fratres re ipsa comperiant. Etenim non solum ad docendum et contionandum, sed etiam ad crucem ferendam et ad bene merendum de omnibus vos isthuc vocatos ac missos esse nunquam non meminisse debetis" (389). Gerardo fratri Noviomagi ad dignitatem consulis rempublicam administrantis evecto instat, ne in scholas urbis magistros admittat nisi probe catholicos (145). Cum vero in Neerlandia Calvinistae rerum potiti essent, Canisius fratres aliosque propinquos magnopere laudavit, quod patriae fortunarumque quam fidei iacturam facere maluissent, et eos ad fiduciam in Deo collocandam, liberos catholice educandos, asperrima quaeque laete perferenda adhortatus est, martyrii promittens coronam (97—101 158 163 266 268).

4. Ex his rebus patet, ne Germaniae quidem finibus Canisii sollicitudinem et industriam contineri potuisse. Toti ecclesiae is prodesse cupiebat. Sicut monachis helvetiis suadet, ut Sanctorum Helvetiae monumenta perquirant et in unum locum congerant (263), ita optat, commendat, urget, ut Belgae Acta Sanctorum suorum edant (397), et ut in lucem emittantur cardinalis Sirleti scholia in Sacram Scripturam

(187), Salmeronis commentarii in N. T. (215), opera Baronii et Bellarmini (215 397), libri castigati Francisci Turriani (251). Libri Canisii ubique legebantur. Grandis ille Commentarius de corruptelis Verbi Dei a. 1583 Ingolstadii editus, anno iam 1584 et Lugduni et Parisiis typis descriptus est (632). Item, ut multos alios libros omittam, tempore, quod volumen hoc complectitur, Epistulae S. Hieronymi a Canisio olim selectae prelum subierunt Parisiis quater, Lovanii semel, Coloniae item semel. „Manuale Catholicorum", a Canisio primum a. 1587 editum, ante eius mortem (a. 1597) iam 12 editiones habebat. Catechismus autem 17 hisce annis minimum 86 habuit editiones, easque in linguis anglica, bohemica, gallica, germanica, graeca, groningana, hungarica, illyrica, italica, latina, lettica, polonica, scotica, vlamica factas 32 Angliae, Austriae, Belgii, Bohemiae, Galliae, Germaniae, Helvetiae, Hispaniae, Hollandiae, Hungariae, Italiae, Lithuaniae, Poloniae locis. Per Alsatiam a. 1589 ecclesiasticorum quorundam virorum impensis 17000 catechismorum canisianorum distributa sunt (794). Eodem anno Christophorus Plantinus typographorum illius temporis princeps Antverpiae curavit, ut ad illustrandum catechismum Canisii 102 imagines maximam partem biblicae per Petrum van der Borcht delineatae cupro inciderentur. Simile quid a. 1596 Dilingae factum est (794 894). Sex illi Societatis viri, qui ex variis nationibus Romam ad rationem studiorum Societatis concinnandam congregati erant, a. 1585 pronuntiarunt: Canisii catechismo nil esse „magis perspicuum, distinctum, bene latinum, tutum ac solidum" (696).

VI. Intellegetur ex hoc volumine, in posterum iam affirmari non posse aliqua, quae a biographis, bibliographis, adversariis affirmata sunt; velut: Canisium Friburgi Helvetiorum per multos annos singulis diebus dominicis et festis e sacro suggestu dixisse (31[6] 784), eum ibidem multas catecheses ad populum vel ad pueros habuisse (798) et singulis hebdomadis diebus proprium suum opus assignasse, ut rudes instituere, infirmos visitare, custodiam publicam adire etc. (799); eum nomine senatus friburgensis professionem fidei civium et rusticorum excepisse (637), synodo dioecesanae Delsbergae habitae interfuisse et pro dioecesi basileensi catechismum conscripsisse (492), regulas collegii virginum halensis composuisse (721), anno 1584 opera cardinalis Hosii vel saltem eorum primum tomum Coloniae edidisse (619), vitam S. Meinradi cum Chronico Einsidlensi a. 1587 Friburgi Helvetiorum vulgasse (737), epistulas quasdam Beatae Mariae Virginis confinxisse (606). Supplentur praeterea in hoc volumine variis rationibus ea, quae de Canisii libris P. Carolus Sommervogel S. J., vir in Societatis Iesu scriptis ut nemo umquam alius versatus et de eius bibliographia quam optime meritus, posuit in „Bibliothèque de la Compagnie de Jésus"; quo pretioso opere in hoc volumine componendo saepe multumque adiutus sum.

VII. Ad peculiaria aliqua descendamus!

1. Ex Caroli Borromaei epistulis cognoscitur, quanti is aestimaverit sententiam Canisii; quem etiam ad se venire cupiebat (170 177). Timebat Canisius, ne Carolus Helvetiis, qui in rebus disciplinae ecclesiasticae debiles et delicati essent, „satis exactum medicum" se praeberet; ideo ab eo de variis negotiis interrogatus mitiora suggerebat consilia (172). Commendabat praeterea, ut seminarium clericorum conderetur, et episcopus lausannensis sedem figeret ecclesiamque cathedralem haberet Friburgi (175). Magis etiam memoratu digna sunt multa, quae in epistulis a Bonhomio nuntio apostolico ad Canisium datis leguntur; ut cum is ex legatione germanica et belgica scribit de 100000 in Hungaria ex protestantismo eductis (82), de

monachis paulanis a se reformatis (82), de Rudolphi II. imperatoris in comitiis imperii augustanis constantia, nihil omnino in ecclesiae detrimentum concedentis (106). Dubitabam, inquit Bonhomius, num Ernestus Bavariae princeps in archiepiscopalem sedem coloniensem elevandus esset, quippe qui iam tres episcopatus habet neque adeo „pastoralibus curis atque exercitationibus deditus" esse videtur; at quotiescumque Patres vestros colonienses consulebam, in eam conveniebamus sententiam, nullum alium eligi posse, per quem Coloniae causa religionis melius in tuto collocari posset (199). Videbatur quidem Canisio Bonhomius nonnumquam severior et imperiosior esse neque semper prudenter se gerere (13 23); id quod multi quoque Helvetii catholici iique ceteroquin probi et sapientes sentiebant (10 13 61). Simul tamen virum magni faciebat et Sociis instabat, ne umquam beneficiorum obliviscerentur a Bonhomio in Helvetiam et inprimis in urbem friburgensem et in collegium suum collatorum (443). S. Carolo Borromaeo scripsit: Bonhomius, „quum Friburgi coram ageret, novam veluti lucem ad caecorum aperiendos oculos praebuit ecclesiasticis et egregia fidei catholicae vindicandae fundamenta posuit, quibus nos Dei gratia superaedificamus" (174). Summis denique laudibus eius eruditionem, pietatem, industriam, labores cum valetudinis et rei familiaris dispendio, „ingenti" tamen „cum fructu" animarum in Germania et Belgio exantlatos extulit in laudatione eius funebri (751—755). Ex altera parte Bonhomius Canisii epistulas valde desiderabat, eius monita libenter excipiebat, ad Helvetios iuvandos, etiam cum ea legatione solutus esset, semper paratissimus erat, Sociis (quibus Vercellis collegium condidit) amicissimum se praestabat. „Fiduciam omnem", scripsit Canisio, „in me tanquam ex Societate vestra uno, collocare iure potes ac certe debes" (42).

2. In commentario de Germania iuvanda, quem supra dixi, Canisius Socios monet, ut imitentur modestiam et caritatem Ignatii patris sui, qui Germaniam adeo amaverit, ut ex decem primis sociis suis quattuor ei mitteret, item prudentiam Francisci Xaverii, nihil praecipitanter agentis, initio multa „dissimulantis". Plerosque Germanos ex ignorantia, non ex malitia errare. Theologos legere debere libros protestantium, ut eorum argumenta refellere possint. Rationem habendam esse vitiorum, quibus Germani maxime laborent: Frigent in Deo precando · Nimii sunt in natione sua magni facienda. In clero ignorantia, neglectus officiorum divinorum et breviarii, ebriositas, concubinatus. Multi laici satis esse opinantur, si fidei summa capita credant, ac pontificis auctoritatem parvi pendunt. Quare optandum est, ut pontifex complures nuntios mittat, controversias inter principes et episcopos componat, universitates reformandas curet, atque ut episcopi probos theologos et canonistas sibi adiungant et seminaria provehant. Alumni collegii germanici, antequam Romam mittantur, accurate probandi, et, cum redierint, magnis facultatibus sacris et sat amplis reditibus instruendi sunt (118—154).

3. Iam ad Canisii orationes sacras accedamus! Pontificis infallibilitatem planis ille verbis declarat, ita tamen, ut pontificem peccare atque etiam damnari posse non infitietur (522 625). Calumniantur manifeste, ait, catholicos adversarii, qui B. Mariam Virginem ita ab illis coli dicunt, ac si dea quaedam esset (540 744). Friburgenses Canisius reprehendit non solum propter vitia, quae iam dixi, sed etiam, quod multi eorum nec mercaturam facere, nec manibus operari, sed tantum principum pensionibus ali vel ruri „praefectos" agere, agricolas vexare, ex eorum bonis luxuriose vivere velint (652 675), item quod pretia rerum vitae necessariarum iniuste augeant (510 616 675), quod facilius ad exteros militatum abeant, corpora animosque periculo obicientes (666 703). Semel atque iterum e sacro suggestu petiit, ut in urbe domus conderetur, in qua puellae per virgines vel viduas pias ad legendum, scribendum, suendum, nendum instituerentur et catechismum docerentur (686 768). Magistratus civiles saepe vehementerque hortabatur, ut legum observationi consulerent, crimina punirent, pauperum necessitatibus providerent. Fidelibus communionem hebdomadis singulis faciendam (509 569), missae (de qua multas orationes habuit) frequentationem, rosarium, peregrinationes sacras, reverentiam erga

clerum, auxilia animis mortuorum ferenda commendabat. Principum ecclesiasticorum principatus civiles defendebat (553 836). Cur, ait, tam multi inveniuntur sacerdotes pravi? Prima quidem causa est episcoporum negligentia. Sed parentes quoque in culpa sunt, quia liberos male educant et eos solos, qui curvi, semicaeci, ad nullam artem idonei sunt, sacerdotio destinant. Magistratus civiles clero sustentationem sufficientem non provident, immo eum bonis ecclesiasticis privant et episcopos probos, ne pro potestate sua sacerdotum vitia castigent, prohibent. Queritur porro Canisius, artifices esse, qui Sanctorum imagines ita pingant vel sculpant, ut illi homines dissoluti, fastuosi, a rebus divinis alieni esse videantur (717). De strigis quoque sive sagis (Hexen) Canisius Friburgi orationem habuit; id quod usque adhuc erat ignotum. Similiter atque a. 1564 Augustae fecerat (*Can.* Epistulae IV 868—883), asseruit, multos fideles daemoni se devovisse; nonnulli iusta pactione sanguine suo scripta ei se dedunt, Deo et baptismo renuntiantes; daemonem adorant, cum eo luxuriantur, invisibiles se reddunt; strigae tempestates excitant, morbos afferunt, domos evertunt, partus impediunt, bestias hominesque occidunt. Deus id permittit, quia nunc homines adeo sunt nequam (678). Singularis mentio facienda est contionis, quam Canisius a. 1586 de remediis caritati annonae, qua urbs premebatur, adhibendis habuit. Primum remedium precationem esse dixit. Deinde, ait, expediet, ut singulis septimanis domus omnes inspiciantur et, num quid cui desit, exploretur. Diebus dominicis stipes colligantur. Videndum, annon complures ex mendicis ad laborandum idonei sint. Immodicis sumptibus, quae in nuptiis et conviviis fieri solent, abstinendum. Magistratus civiles curare debent, ut frumentum, aedes, pecuniae praesto sint. Qui inebriati erunt vel contionem audire detrectaverint vel in maledicta proruperint, mulctentur pecunia in pauperes distribuenda (732). Alia eiusdem anni oratione Canisius vini penuriam commemorat et parentes vituperat, qui liberos vino bibendo assuefaciant. Quicumque vinum bibere volet, certam vini mensuram sibi statuat neve umquam excedat. Divites vini sui partem cum egenis communicent. Ceterum, ait, etiam sine vino vita agi potest (709). Haec a Canisio non sunt frustra proposita. Ita v. g. a. 1587 tribuni plebis ex pecunia collecta frumentum emerunt et pauperibus dederunt. Ex divitibus erant qui pauperes in domos suas reciperent; alii liberos parentibus orbatos adoptabant vel singulis hebdomadis certam frumenti vel panum vel nummorum copiam pauperibus subministrabant (763). Die 24. Martii 1597 senatus reipublicae, a clero monitus, mandatum promulgavit adversus eos, qui morbos remediis superstitiosis curare conarentur, vaticinarentur, artes magicas colerent (908).

4. Ad Societatis Iesu disciplinam domesticam cognoscendam utiles sunt Canisii exhortationes domesticae. Commendabat ille cotidianam recitationem litaniarum Omnium Sanctorum (615 750) et cultum „patronorum menstruorum" (615 716 725 786). Summi momenti est, ait, nos hora meditationi sacrae destinata cotidie maxima cum religione uti (647). Cum Gallia bellis intestinis dilaniaretur, Socios monuit, ut partium studium, curiositatem, censuras agendi pruritum vitarent (749 840). Gravem omnino exhortationem habuit de examine, quod vocant, particulari. Hoc, ait, qui non facit diligenter, „non est bonus filius Patris Ignatii" (777). Anno 1587 die anniversario mortis Ignatii virum hunc vocat „speculum et exemplar omnis perfectionis"; eum multa patrasse miracula; multa, quae in eius constitutionibus et exercitiis legantur, ei a Deo revelata esse; imitandum eum Sociis esse maxime in amore erga Christum et in familiaritate cum Deo (761).

5. Complura in hoc volumen transcripsi ex eo Canisii opere, quod omnium eruditissimum nec tamen ita, ut meretur, notum est, Commentarios dico de corruptelis Verbi Dei. Hoc loco tantum commemoro capita, in quibus sacrae aedes lauretana, einsidlensis, Montis Serrati praedicantur (593); doctores scholastici, omnium maxime S. Thomas, celebrantur (598); sacer ordo dominicanus „plurimorum doctissimorumque theologorum" pater vocatur (599); multi theologi Canisii aequales nominatim et admodum honorifice recensentur (586). Notanda est praeterea

P. Suaresii aliorumque offensio, in quam Canisius incurrit ob prolatam in hoc opere sententiam B. Alberti Magni dicentis, B. Mariam Virginem omnia Novi Testamenti sacramenta, praeter ordinem, suscepisse (206). Ceterum de Maria censet Canisius pie asseri ac teneri, quicquid maiorem ei gloriam afferat, dummodo ne Sacrae Scripturae adversetur (589). Haereses non dissimulandas, sed aperte reiciendas esse scribit. In fidei rebus non recedendum ab usitatis loquendi rationibus. Testimonia antiquitatis haud ita facile spernenda (589–591). In „Notis" quoque evangelicis Canisii multa occurrunt notatu digna; ut cum ille scribit, nullum studium nobis carius esse vel maioris a nobis aestimari debere quam „nocte ac die meditari" in verbo Dei, quo nihil est „illustrius, augustius, solidius, fructuosius". Ecclesiasticorum defectus misericordiam, non iram nostram concitare debent; neque enim umquam officium pastorum animarum difficilius erat quam hoc tempore. Quare qui probe catholici sunt, magis inclinant ad „cleri abusus" „extenuandos et excusandos", quam ad eos „perstringendos et exaggerandos". Reformatio quam vocant perinde, atque tempestates omnes, ecclesiae utilitates varias attulit. Iam enim debent episcopi sollertius vigilare, theologi sacris litteris diligentius studere, fideles fidei verae cognoscendae maiorem operam dare (818–820).

6. Catholicae ecclesiae a d v e r s a r i i his annis, sicut antea fecerant, Canisium variis modis impugnaverunt et insectati sunt. Ita scriptis eum carpserunt I. C. Ulmer (658), Georgius Nigrinus (502), Conradus Wolfgangus Platzius (502), Samuel Huber (802). Hugonotti annis 1584–1586 Rupellis complures libellos ediderunt, quibus Canisius impetebatur (658). In Eliae Hasenmülleri „Iesuitico Ieiunio" a. 1595 a Polycarpo Leysero aulae dresdensis contionatore edito Canisius „impurus Iesuita" et „Cerberus infernalis" vocatur, qui in catechismo de Maria Virgine „idololatricis verbis" loquatur (860). Paulus Scheidlich ex eodem catechismo demonstravit, Iesuitas esse ranas tartareas, a dracone illo infernali eructatas (790). Friburgensibus persuadere conati sunt protestantes quidam: Iesuitas pecuniis inhiare, novitatibus studere, pacem ubique turbare, patriam prodere, in poenitentiae tribunali usum matrimonii prohibere, in collegio suo magnam pulveris pyrii copiam abscondere (693 748 824). Quid Canisius? In Commentario quidem de Verbi Dei corruptelis aliquando, sui quasi oblitus, Lutherum „porcum subantem" appellavit, Brentium quoque et alios quosdam acrius vituperavit (596). Ceterum vero modestiam et clementiam, quibus semper in protestantes usus erat, ad mortem usque servavit. In precatorio libello in usum Ferdinandi archiducis scripto orationem pro haereticis posuit, in qua dicitur: Multi eorum „nesciunt quid faciant, et ex ignorantia potius quam ex destinata malitia ab ecclesiae sanctae unitate seipsos segregant (829). Ad protestantes, qui fidem catholicam cognoscere cupiebant, docendos paratissimus erat (799). Anno 1593 minister quidam Bernensium zwinglianorum, qui ad Iesuitas friburgenses collegii videndi gratia accesserat, tam comiter ab iis habitus est, ut deinde Bernae eorum laudatorem ageret (839). Vadiani, cum de bonis aliquibus collegii friburgensis cum Sociis consilia contulissent, dixerunt: Si papistae omnes ita se gererent, ut illi se gesserunt, cum nullo libentius quam cum catholicis ageremus. Canisium adversus Scheidlichium defenderunt Christophorus Ehrhardus sacerdos saecularis et Georgius Scherer praeclarus ille Societatis contionator austriacus (791).

7. Magnis laudibus C a n i s i u m hisce annis extulerunt Cornelius Loos in „Illustrium Germaniae Scriptorum Catalogo" (498), Ioannes Engerd in Annalibus academiae ingolstadiensis (500), Ioannes Molanus in libro de Canonicis (738), Cornelius Schulting in Confessione Hieronymiana (661). Stanislaus Rescius in Vita cardinalis Hosii (739). Maxime autem Friburgensium in Canisium veneratio et dilectio eluxit. Cum a. 1584 rumor pervulgatus esset, eum Friburgo avocatum iri, Sebastianus Verronius urbis parochus Bonhomio nuntio apostolico scripsit: Id si fiat, „de nobis actum est" (642). Georgium Baderum praepositum provincialem Socii friburgenses, ut ipse Aquavivae praeposito generali scripsit, „pene precibus armatis" obtestati sunt, ut Canisium Friburgi relinqueret; eum enim a clero, senatu, populo „propter

sanctitatis existimationem et nominis celebritatem" haberi post Deum „tutissimum reipublicae praesidium et ornamentum" (677).

8. Supersunt aliqua dicenda de ratione, quae inter Canisium et Societatem Iesu intercessit. In ipsis collegii friburgensis initiis cognitum est, Canisium ad rem familiarem administrandam parum idoneum esse; quare is brevi ea cura levatus est (51 79). Aliae etiam querimoniae a Sociis Romam ad Claudium Aquavivam praepositum generalem perlatae sunt: Canisium in negotia, quae ad ipsum non pertinerent, se ingerere, cum externis familiarius et secretius conversari, rectori incommodare (612 641 652). Aquaviva, etiamsi disciplinae religiosae in Societate conservandae studiosissimus erat, huiusmodi querimoniis haud multum movebatur. Provincialem iussit Canisio omnem, quam posset, „consolationem et satisfactionem" exhibere (641). Se ipse offerebat ad concedendum, quidquid ei solacio esse posset (40). Ei gratulatus est pietatis fructus Friburgi collectos. Simul eum hortabatur, ut valetudinem curaret, laboribus parceret, provincialem consiliis et opera adiuvaret, secum, quicquid in mentem venisset ad Societatis profectum spectans, communicaret (40 49 109 253 262 281 300 337). Celebritatem quandam merito consecuta est epistula grati animi, reverentiae, oboedientiae significationibus plena, quam Canisius morti proximus ad Aquavivam dedit. „Consolationum", ait, quae sibi seni suppetant, „eam vel maximam sibi videri, quod pacem integram sentiat cum superioribus." Erratorum veniam et poenitentiam magna animi demissione petit (431). Aquaviva respondit, se „summa cum animi voluptate ac laetitia" eas litteras legisse. „Benedictus Deus, qui haec inspirat Reverentiae Vestrae, ut ita sui similis perseveret" (435). Ipse etiam Petrus Michael collegii friburgensis rector Aquavivae a. 1587 testatus est, Canisium esse „virum magni ingenii et iudicii, de ecclesia et Societate bene meritum, usu rerumque experientia insignem, dignum profecto, quem in studio virtutum et laboribus imitemur" (762). Aliis litteris eidem affirmavit, Canisium friburgensem „vineam egregie excoluisse" et uberes inde fructus collegisse (642). Canisius ipse Societatem Iesu permagni faciebat. In exhortatione aliqua domestica ait: Ex primis Patribus nostris multi nunc sunt Sancti in coelo. Horum numerus quotannis augetur. Semper Sancti aliqui nobis annuntiantur, quoties „schedula de multis mortuis Societatis filiis" nobis affertur (615). Optabat Canisius, ut Ignatio et Francisco Xaverio honores Sanctorum ab ecclesia decernerentur (445). Aliis litteris Aquavivam praepositum generalem valde laudavit et gaudere se significavit, quod in Societatis generali congregatione quinta tanta Sociorum concordia apparuisset, mirantibus Romanis (371). Volumen hoc sibi id habet proprium, quod in eo multae epistulae familiares ad varios Socios a Canisio datae poni poterant. Ex his sincerus eius in Socios amor cognoscitur. P. Salbio scripsit: „Fratres semper erimus in hac praeclara sanctaque sodalitate" (355). Aliquando petiit, ut omnium, qui novissimis annis Societatem ingressi essent, nomina sibi mitterentur; se enim pro singulis nominatim Deum precari velle. Godefridum Hannartz fratrem laicum Augustae aegrotantem semel atque iterum per litteras consolatus est. Ne timueris, ait, cum Deus te vocabit. „Bonum habemus dominum." Quanta gratia, vivere et mori posse „in sancta vocatione" ista! (247). Audivit Canisius, Halae gravi morbo correptum esse P. Paulum Hetzcovaeum, Magdalenae reginae confessarium. Vir ille, quia multis in rebus ab aliorum more discedebat, multis Sociis ingratus erat et ipsi Canisio provincialis officio fungenti molestias paraverat. Iam autem Canisius litteris suavissimis eius animum ad patientiam et in Deo fiduciam erexit. In coelesti patria, ait, „nos mutuo complectemur" (193). P. Gregorium Rosephium cathedralis ecclesiae augustanae contionatorem monet, ut valetudini consulat neve „tristi pusillanimitati" locum det (475). P. Iodocum Itaeum novum collegii lucernensis rectorem rogat, ne animo cadat; expedire etiam, ut initio „naevos dissimulet"; ita futurum esse, ut rectorem ament „magis quam vereantur". Deus, inquit, gratiam tibi tribuat „sanctae discretionis"! (465). Pulchrae sunt epistulae, quibus Canisius senex novicios Societatis landsbergenses ad virtutis studium inflammat, modo Christum infantem, modo Christum a cruce pendentem iis ad imitandum proponens (316 411 439). Nec quic-

quam saepius in eius epistulis occurrit, quam desiderium vehemens accipiendi a sodalibus stipem precum sacrarum. Visites meo nomine sacras reliquias Udalrici et Afrae! Facias pro me tria sacra in templo S. Gereonis! Adeas pro me septem basilicas urbis romanae! Et similiter.

VIII. Anno 1582 Iacobus Christophorus Blarer episcopus basileensis huiusque episcopatus instaurator Canisio scripsit: „Insignis et pietatis et eruditionis laude caeteris anteire te tum librorum tuorum lectione, tum multorum doctorum virorum relatione compertum habemus" (73). Caesar Baronius circa a. 1589 non dubitavit, in clarissimis illis „Annalibus Ecclesiasticis" Canisium „eruditissimum ac maxime pium virum" appellare, „cuius laus est in Evangelio per omnes ecclesias" (792). Sanctus autem Franciscus Salesius a. 1595 Canisio scripsit: Rebus „pro Christo factis, dictis, scriptis universis Christi fidelibus innotuisti" (402). Neque tamen huiusmodi laudationes Canisium fecerunt superbum. Petrus Matthieu, iurisconsultus et historicus gallus, in magna illa Historia Galliae narrat (id quod Canisii biographos fugit), se a. 1594 Canisium Friburgi invisisse et valde admiratum esse magnam reverentiam, qua vir ille grandaevus et celeber rectorem Collegii, hominem natu longe minorem, prosequebatur (849). Nunquam magis in Canisio, quam postremis annis vitae eius, omnis generis virtutes splenduerunt. Hae cognoscuntur tum ex Sebastiani Verronii praepositi friburgensis, qui 17 hisce annis cum eo familiariter egerat, commentario „De Vita Venerabilis Patris nostri Petri Canisii extrema parte" (933), tum ex testimoniis multorum et sodalium et externorum, qui Canisium bene noverant et annis 1625—1627 in processibus beatificationis eius a iudicibus interrogati erant. Vnum hic nomino P. Iacobum Keller virum et doctrina et prudentia et probitate insignem. Is iureiurando hoc, praeter alia, affirmavit: Tres annos et septem menses in collegio friburgensi cum Canisio vixi. Omnes eum censebant esse sanctum. Certe, si hic non fuit sanctus, ego tota vita hominem sanctum non vidi (843). Hanc sanctitatis famam ipse Deus coelestibus signis tum ante Canisii mortem tum proxime post eam patratis confirmavit (852/6 882 893 896 899—943).

III.

TABULAE CHRONOLOGICAE VITAE CANISII
ab initio a. 1581 ad exitum a. 1597.

Quae ad libros Canisii et ad similes res litterarias spectant, cursivis sive italicis litteris descripta sunt.

Numeri uncis inclusi, qui singulis sententiis adduntur, ostendunt, quibus imprimis libri paginis singula facta copiosius narrentur.

C. = Canisius, Canisii etc.

1581		*Ioannes Engerd, universitatis ingolstadiensis professor, in eius Annalibus C. magnopere laudat (500).*
1581		*Cornelius Loos in „Illustrium Germaniae Scriptorum Catalogo" C. laudibus extollit (499).*
1581		*Platzius minister lutheranus in libello contra Franckium edito C. facit cum Lutheranis stantem et librum Nasi increpantem (502).*
1581		*Georgius Nigrinus protestantium „superintendens" catechismum C. impugnat (502).*
1581		*C. catechismus minor editur latine Antverpiae (bis?) et Cracoviae, gallice Antverpiae, germanice Herbipoli (496/7).*
1581		*C. „Catechismus abbreviatus" Venetiis latine editur (496).*
1581		*C. „Evangelia et Epistolae" germanice Dilingae eduntur (498).*
1581		*„Hortulus Animae" cum C. catechismo minore Dilingae editur (497).*
1581		C. Guilielmo V. Bavariae duci auctor est, ut templum Monachii pro Societate aedificandum S. Michaeli Archangelo dedicet (491).
1581	Initio m. Ian.	C. **Friburgi Helvetiorum** collegio Societatis incohando operam dat et orationes sacras habet (21).
1581	Sub d. 7. Ian.	**Lucernam** ad comitia pagorum catholicorum cum oratoribus friburgensibus proficiscitur (1).
1581	Ian. 12.	Litteris ad Bonhomium nuntium apostolicum datis id agit, ut Ambrosius Frobenius basileensis ad fidem catholicam amplectendam et typographiam Friburgi instituendam invitetur. Item Bonhomium monet, ut seminarium clericorum in Helvetia instituendum curet (1).
1581	Circa med. Ian.	**Friburgum** revertitur (2).
1581	Ian. 22.	Dom. Septuag. orationem sacram de sacri temporis ratione et de timore Dei habet (503).

1581	Ian. 29.	Dom. Sexag. evangelium diei interpretatur (503).
1581	Febr. 2.	Die sacro „Purificationis B. Mariae V." de benedictione candelarum et de cantico „Nunc dimittis" dicit. Monachos Dilingae litteris studentes per epistulam ad diligentiam et pietatem exhortatur (6 503).
1581	Febr. 5.	Dom. Quinquag. de „paucis electis" dicit et, quomodo bacchanalia recte agenda sint, docet (504).
1581	Febr. 8.	Die Cinerum ex sacro suggestu ieiunium ecclesiasticum defendit (504).
1581	Febr. 10.	Feria VI. de proximo diligendo et stipe largienda dicit (504).
1581	Febr. 12.	Dom. I. Quadr. ex evang. diei de ieiunio dicit (504).
1581	Febr. 16. (ut videtur)	F. V. in ecclesia B. Mariae V. de poenitentia agenda contionatur (504).
1581	Febr. 17. (ut videtur)	F. VI. ibidem iterum de poenitentia dicit (504).
1581	Febr. 19. (ut videtur)	Dom. II. Quadr. ibidem falsas de poenitentia opiniones refellit (504).
1581	Febr. 23. (ut videtur)	F. V. ibidem iterum de poenitentia recte aestimanda dicit (504).
1581	Febr. 24.	Die S. Matthiae Ap. in templo S. Nicolai auditores ad „apostolica festa" dignius celebranda et ad poenitentiam agendam exhortatur (505).
1581	Febr. 26.	Dom. III. Quadr. daemonis imperium et, quomodo ei repugnandum sit, pro contione ostendit (505).
1581	Mart. 2. (ut videtur)	F. V. de contritione orationem sacram habet (505).
1581	Mart. 3. (ut videtur)	F. VI. iterum de contritione dicit (505).
1581	Mart. 5. (ut videtur)	Dom. IV. Quadr. de poenitentia contionatur (505).
1581	Mart. 9. (ut videtur)	F. V. de peccatorum confessione dicit (505).
1581	Mart. 10.	F. VI. denuo de peccatorum confessione dicit (506).
1581	Mart. 11. vel Apr. 5.	Bonhomium nuntium apostolicum rogat, ut Schneulinum praepositum friburgensem de contionibus extra urbem habendis et de nimia laicorum consuetudine vitanda moneat. Eidem necessitates collegii dilingani commendat (8 12).
1581	Mart. 12.	Dom. Passionis de passione Christi et de confessione peccatorum contionatur (506 516).
1581	Mart. 16. (ut videtur)	F. V. de peccatorum confessione dicit (506).
1581	Mart. 17. (ut videtur)	F. VI. ultimam de confessione orationem habet (506).
1581	Mart. 18.	Die Annuntiationis B. Mariae V. anticipato de communione eucharistica pro contione dicit (507).
1581	Mart. 19.	Dom. Palmarum de sacri temporis ratione et de poenitentia contionatur (507).
1581	Mart. 24.	Die Parasceves de passione Christi dicit (507).
1581	Mart. 26.	Dom. Paschatis ex evang. diei de Paschate recte celebrando dicit (507).
1581	Apr. 6.	Verronium Friburgensium parochum iter facturum rectoribus Societatis italis per litteras commendat (9).

1581	Apr. 9.	Dom. II. post Pascha ex evang. diei adversus eos, qui fidem catholicam corrumpant, orationem sacram habet (507).
1581	Apr. 25.	Die S. Marci de „processionibus" contionem habet (507).
1581	Apr. 30.	Dom. V. p. Pascha de oratione dicit (507).
1581	Maii 1.	F. II. Rogationum iterum de oratione dicit (508).
1581	Maii 2.	F. III. Rogat. denuo de oratione contionatur (508).
1581	Maii 4.	Die Ascensionis Domini de „incredulitate et duritie cordis" dicit (508).
1581	Maii 7.	Dom. VI. p. Pascha de confessione et communione circa diem sanctum Pentecostes peragendis contionatur (508).
1581	Maii 9.	Die translationis reliquiarum S. Nicolai Friburgenses monet, ut patronum hunc morum emendatione honorent (508 517).
1581	Sub med. Maium	Bonhomio nuntio apostolico iterum necessitates collegii dilingani commendat (14).
1581	Circa medium m. Maium	Diebus Pentecostes **Solodori** nomine nuntii apostolici de causa quadam religionis agit (519).
1581	Maii 21.	Dom. SS. Trinitatis **Friburgi** in templo S. Nicolai de baptismo et de „processione" proxima dicit (508).
1581	Maii 24. et 28.	Bonhomius nuntius et vercellensis episcopus ei mittit, quae de S. Eusebio Vercellensi edidit.
1581	Maii 25.	Die SS. Corporis Christi C. in templo S. Nicolai „de festi utilitate" contionatur (16 18).
1581	Maii 26.	F. VI. de fide et reuerentia ss. eucharistiae debitis contionatur (508).
1581	Maii 27.—30.	Communionem hebdomadariam e suggestu commendat (508).
1581	Maii 28.	Dom. II. p. Pent. in templo B. Mariae V. „ad novi sacerdotis primam missam" contionatur (508).
1581	Maii 28.—31.	De missa magni facienda et pie audienda dicit (509).
1581	Maii 29.—Iun. 1.	De missa recte et utiliter audienda orationem habet (509).
1581	Iun. 7.	Bonhomium nuntium per litteras rogat, ut senatum friburgensem hortetur, ne quemquam in suum ordinem neve ad praefecturam admittat nisi catholicam fidem professum; item, ut varias Sociorum friburgensium necessitates senatui commendet (18 26).
1581	Iun. 11.	Dom. IV. p. Pent. ex evang. diei de poenitentia et de peccato „murmurationis" dicit (509 521).
1581	Iuni 23.—Iul. 20.	P. Oliverius Manareus Societatis visitator Canisium et Ardrenum Friburgi visitat (29 40 48 79).
1581	Iun. 29.	Die SS. Petri et Pauli App. C. in templo S. Nicolai ex evang. diei de primatu romani pontificis contionatur (509 521).
1581	Circa initium m. Iulii.	Cum Manareo, viris a senatu designatis, aliis locum „Belsex" collegio condendo eligit et de templo, scholis etc. varia constituit (524 529).
1581	Iul. 3.	*Cardinalem Sirletum rogat, ut sibi ad Opus Marianum iterum edendum selectas Patrum sententias mittat (28).*
1581	Iul. 9.	Manareus cum C. amplissimas facultates sacras communicat (526).

1581	Iul. 15.	C. apud Manareum confessionem generalem facit (531).
1581	Circa med. Iul.	A Manareo in officio superioris confirmatur (34).
1581	Iul. 17.	Pro collegio constituendo domum emit (531).
1581	Iul. 22.	Die S. Mariae Magdalenae in templo S. Nicolai ex evang. diei de vera fide veraque poenitentia dicit (509).
1581	Iul. 23.	Dom. X. p. Pent. ibidem contionatur (509).
1581	Iul. 24.	Per Bonhomium nuntium apostolicum a pontifice petit, ut quater in anno communicaturis indulgentiam plenariam concedat, et ut pecuniam subministret ad bibliothecam Sociis comparandam. Eidem nuntio alias necessitates commendat (39—43).
1581	Iul. 25.	Die S. Iacobi Ap. de operibus misericordiae dicit (509).
1581	Iul. 26.	Pro collegio condendo arcem in loco Bisée sitam, hortum, prata emit (537).
1581	Iul. 30.	Dom. XI. p. Pent. in **Monticulo (Bourgillon, Bürglen)** die anniversario dedicationis ecclesiae de templis amandis et honorandis contionatur (510).
1581	Circa m. Aug.	Gregorium XIII. rogat, ut duo nepotes sui in collegium germanicum vel in seminarium romanum admittantur (41).
1581	Aug. 1.	**Friburgi** pro Societatis collegio condendo pratum emit (538).
1581	Aug. 6.	Dom. XII. p. Pent. orationem sacram adversus fenerationem habet (510).
1581	Aug. 10.	Die S. Laurentii de feneratione vitanda dicit (511).
1581	Aug. 13.	Dom. XIII. p. Pent. de caerimoniis ecclesiae (ex evang. diei) et de proximo B. Mariae V. festo pie agendo dicit (511).
1581	Aug. 15.	Die Assumptionis B. Mariae V. in templo B. Mariae de ea colenda contionatur (512).
1581	Aug. 24.	Die S. Bartholomaei Ap. in „processione ob acceptam aëris serenitatem" instituta in aede S. Bartholomaei, quomodo recte gratiae agendae sint, pro contione docet (512).
1581	Aug. 27.	Die anniversario dedicationis templi S. Nicolai ibidem de templorum sanctitate et (ex evang. diei) de avaritia vitanda dicit (512).
1581	Sept. 3.	Dom. XVI. p. Pent. ex evang. diei de providentia divina contionatur (512).
1581	Sept. 8.	Die Nativitatis B. M. V. de Maria honoranda orationem habet (512 540).
1581	Sept. 8.	Congregationes marianas civium et mulierum instituit (541—544).
1581	Sept. 10.	Dom. XVII. p. Pent. ex evang. diei de cura mortuorum agenda dicit (512).
1581	Sept. 21.	Die S. Matthaei Ap. de variis „vocationibus" divinis dicit (513).
1581	Sept. 22.	Georgio de Diesbach patricio Caroli filii Friburgi litteris studentis et praeceptoris eius res commendat (45).
1581	Sept. 22.	Die S. Mauritii de variis vitae generibus et de „quattuor temporibus" contionatur (513).
1581	Sept. 26.	Bonhomius nuntius apostolicus ad imperatorem destinatus C. invitat, ut se Lucernae conveniat (47).

1581	Sept. 29.	Die festo S. Michaëlis Archangeli C. de diei sacri ratione et de angelis dicit (513).
1581	Oct.—Dec.	*C. Parvus Catechismus Catholicorum sumptibus episcopi basileensis Friburgi Helvetiorum germanice et gallice imprimitur* (73).
1581	Oct. 15.	Dom. XXII. p. Pent. C. ex evang. diei. „quomodo Christianus se habere debeat tempore infirmitatis", dicit (513).
1581	Oct. 28.	Die SS. Simonis et Iudae App. de „Sanctorum feriis observandis" contionatur (513).
1581	Oct. 29.	Dom. XXIV. p. Pent. et die anniversario dedicationis templi B. Mariae V. ibidem potissimum de evang. Dominicae contionatur. Bonhomium nuntium de episcopatus lausannensis terris episcopo restituendis per litteras monet (53 513).
1581	Nov. 1.	Die Omnium Sanctorum congregationem marianam iuvenum litteris studentium instituit (542).
1581	Nov. 2.	Die Commemorationis fidelium defunctorum (in templo S. Nicolai, ut videtur) de purgatorio et de cura mortuorum gerenda contionatur (513).
1581	Initio m. Novembris	P. Antonius Balduinus a Manareo visitatore missus Friburgum advenit, ut C. loco bona Sociorum administret (50).
1581	Nov. 24.	*C. a P. Franc. Turriano aliqua petit Operi suo Mariano addenda* (52).
1581	Nov. 25.	Die S. Catharinae martyris de eius laudibus et de pietate colenda dicit (514).
1581	Nov. 30.	Die S. Andreae Ap. de ieiuniis vigiliarum dicit et evang. diei explicat (514).
1581	Dec. 6.	F. IV. p. Dom. I. Adv. et die S. Nicolai Ep. evang. diei festi interpretatur et Nicolaum in exemplum proponit (514).
1581	Dec. 13.	Ad Bonhomium apostolicum apud Caesarem nuntium de ratione Germanicae iuvandae scribit, significans, clerum non esse severius tractandum. Eundem rogat, ut Friburgenses de episcopatu lausannensi restituendo moneat, et ut impediat, ne Schneulinus praepositus officio vicarii generalis episcopi lausannensis se abdicet (55 59—64).
1581	Dec. 13. vel 15.	F. IV. vel VI. p. Dom. II. Adv. de signis hominis vere catholici contionatur (514).
1581	Dec. 17.	Dom. III. Adv. ex evang. diei de hominibus in fide infirmis dicit (515).
1581	Dec. 20.	F. IV. e sacro suggestu obiectiones varias hominum in fide claudicantium refutat (515).
1581	Dec. 22.	F. VI. de fide et de Nativitate Domini pie celebranda dicit (516).
1581	Dec. 28.	Die SS. Innocentium de iuventute recte instituenda orationem habet (516).
1581 ad 1586		Senatui friburgensi auctor est, ut collegium templumque Societati aedificanda S. Michaeli Archangelo dedicet (491).
1581		*S. Hieronymi Epistolae a C. selectae Parisiis eduntur* (547).

1582		C. *„Beicht- und Communionbüchlein“ Dilingae iterum editur* (546).
1582		C. *„Parvus Catechismus Catholicorum“ Antverpiae et Duaci gallice, Dilingae latine et germanice, Leopoli polonice editur* (546).
1582	Circa m. Febr.	Pro sodalitatibus marianis Friburgi institutis C. per Bonhomium nuntium a pontifice indulgentias petit. Bonhomium monet, in Helvetiam mitti debere nuntium apostolicum (74 552).
1582	Mart. 5.	Per litteras Iacobo Christophoro Blarer episcopo principi basileensi Christophorum Kest bibliopolam friburgensem et Laurentium Kröll iuvenem ad sacerdotium aspirantem commendat (71).
1582	Mart. 7.	Idem episcopus C. rogat, ut ad se divertat (73).
1582	Mart. 19.	C. episcopo basileensi Laur. Kröll iterum commendat (77).
1582	Maii 5.	Apud P. Georgium Bader provincialem confessionem peccatorum generalem facit (79).
1582	Inter Mart. et Iun.	*Impensis Iacobi Christophori Blarer episcopi basileensis Friburgi Helvetiorum catechismi canisiani minoris 1500 exemplaria germanica (et totidem gallica?) typis describuntur* (491/6).
1582	M. Iunio ut videtur	C. a P. Manareo visitatore munere consultoris praepositi provincialis levatur (79).
1582	Iun.	*Gregorius XIII. „Librum Concordiae“ Lutheranorum per Canisium refutari cupit* (552).
1582	Iun. 6.	Cardinali Comensi, Gregorii XIII. secretario maiori, C. Ambrosium Frobenium typographum basileensem et Societatis collegium friburgense commendat (86).
1582	Aug. 4.	Bonhomius apostolicus apud imperatorem nuntius C. multos „Agnus Dei“ mittit (95).
1582	Aug. 5.	Dom. IX. p. Pent. C. in templo S. Nicolai de pseudoprophetis vitandis orationem sacram habet (547).
1582	Aug. 10.	Die S. Laurentii, cur Deus pseudoprophetis tantam potestatem permittat, et quomodo S. Laurentius imitandus sit, dicit (547).
1582	Aug. 12.	Dom. X. p. Pent. ex evang. diei de cura pauperum gerenda contionatur (548).
1582	Aug. 15.	Die Assumptionis B. Mariae V. de sacro hoc die diligenter servando (contra novatores) et de eius recto usu fructuque dicit (548).
1582	Aug. 24.	Die S. Bartholomaei Ap. de gratiis pro messe uberi agendis et (ex evang. diei) de ambitione contionatur (548 553).
1582	Circa Aug. 25.	Cardinalis Comensis nomine Gregorii XIII. C. cum senatu friburgensi agere iubet, ut Frobenius typographus basileensis, Romae fidem catholicam fraudulenter professus, ab urbe friburgensi, in qua considere vult, arceatur (101).
1582	Int. med. Aug. et med. Sept.	C. petit (et postea impetrat), ut Petrus Schnewly praepositus friburgensis constituatur visitator apostolicus huius reipublicae (110 1).

1582	Sept. 8.	Die Nativitatis B. Mariae V. de septem verbis eius in evangelio scriptis orationem habet [548].
1582	Sept. 11.	Friburgum advenit P. Petrus Michael, primus collegii friburgensis rector (vicerector): cuius adventu C. officio superioris levatur (102).
1582	Sept. 21.	Die S. Matthaei Ap. C. de recta gaudendi et tristandi ratione et de ieiunio 4 temporum dicit [548].
1582	Sept. 29.	Die S. Michaelis Archangeli ex evang. diei de angelis, puerorum institutione, „scandalo" dicit et Societatis scholas brevi incohandas commendat [549].
1582	Oct. 18.	Sociorum ludus litterarius sollenniter aperitur.
1582		Socii cum urbis proceribus a Petro Schnewly capituli praeposito epulis excipiuntur [557].
1582	Oct. 28.	Dom. XXI. p. Pent. et die SS. Simonis et Thaddaei App. C. evang. Dominicae interpretatur [549].
1582	Nov. 1.	Die Omnium Sanctorum de Sanctis recte colendis contionatur [549].
1582	Nov. 4.	Dom. XXII. p. Pent. de evang. diei et de Sanctorum intercessione dicit [549].
1582	Nov. 25.	Die S. Catharinae Virg. et Mart. ex evang. diei de virginitate et de catholicis in fide confirmandis dicit [549].
1582	Dec. 2.	Dom. I. Adv. in templo B. Mariae V. pro catecheta impedito catechesim de sacro Adventu recte celebrando habet [549].
1582	Dec. 14.	Blarero episcopo basileensi Laur. Kröll iuvenem iterum commendat [111].
1582	Dec. 19.	F. IV. p. Dom. III. Adv. de salutatione angelica (ex evang. diei) et de ieiunio quattuor temporum contionatur [550].
1582	Dec. 25.	Die Nativitatis Christi orationem sacram habet [550].
1583	—	*S. Hieronymi Epistolae a C. selectae Parisiis denuo eduntur* [562].
1583	—	*Martyrologii germanici C. opera a Walassero vulgati editio tertia, eaque emendata, Dilingae in lucem prodit* [563].
1583	—	*C. Catechismus minor editur latine Coloniae (cum imaginibus), Cracoviae (sumptibus archiepiscopi gnesnensis), Dilingae, Ingolstadii; germanice Dilingae; hungarice Tyrnariae. Commendatur a Posserino* [559 61].
1583	—	*C. „Exercitamenta christianae pietatis" (cum eius Catechismo minore) Augustae Taurinorum eduntur* [561].
1583	—	*C. liber „Predig von den vier Sontagen im Aduent" etc. iterum editur Ingolstadii* [564].
1583	—	C. ad collegii Socios tempore „renovationis votorum" de hac recte instituenda „exhortationem" habet [571].
1583	Initio Ianuarii.	Ab Aquaviva praeposito generali de Germaniae in rebus sacris iuvandae ratione interrogatus, longissimum ea de re commentarium ei mittit: in quo etiam de fructu maiore ex collegio germanico colligendo agit (116).

1583	Ian. 1.	In templo S. Nicolai pro contione et magistratus et populum serio reprehendit atque nomen Societatis Iesu defendit (565).
1583	Ian. 25.	Die Conversionis S. Pauli in ecclesia, ad quam „processio" facta est, contionatur (565).
1583	Ian. 27.	Dom. Septuag. orationem sacram habet (565).
1583	Febr. 2.	Die Purificationis B. Mariae V. in templo S. Nicolai ecclesiasticum candelarum usum defendit et fideles, quomodo officiis divinis interesse debeant, docet (565).
1583	Febr. 13.	Die Cinerum in templo S. Nicolai de ieiunio contionatur (566).
1583	Febr. 15.	F. VI., primam ibidem contionem de missa habens, de huius institutione dicit (566).
1583	Febr. 17.	Dom. I. Quadr. ex evang. diei de Quadragesima recte transigenda dicit; dein, cur missa contemnatur et profanetur, explicat (566).
1583	Febr. 20.	F. IV. Quattuor Temp. de evang. diei et de „Quattuor Temporibus" recte celebrandis contionatur (566).
1583	Febr. 22.	F. VI. de caeremoniis missae dicit (566).
1583	Febr. 24.	Dom. II. Quadr. et die S. Matthiae Ap. de Matthia ac de consecratione, quae in missa fit, dicit; seminarii institutionem commendat (566).
1583	Febr. 27.	F. IV. de Christo in eucharistia praesenti contionatur (566).
1583	Mart. 1.	F. VI. de Christo in eucharistia adorando dicit et, ut eadem maiore cum honore ad aegrotos deferatur, postulat (566 576).
1583	Mart. 3.	Dom. III. Quadr. ex evang. diei de diaboli potentia dicit; deinde de Christo in eucharistia adorando verba facit (566).
1583	Mart. 6.	F. IV. de evang. diei et de adoratione sacrae eucharistiae contionatur (567 577).
1583	Mart. 8.	F. VI. de evang. diei, deinde de sacerdotio dicit (567).
1583	Mart. 10.	Dom. IV. Quadr. de confessionibus paschalibus et de sacerdotibus ac (ex evang. diei) de missa recte audienda dicit (567).
1583	Mart. 12.	Gregorius XIII. C. rogatu sodalitati marianae Friburgi institutae multas indulgentias concedit (578).
1583	Mart. 13.	F. IV. C. de evang. diei et de „ministris missae" dicit (567).
1583	Mart. 15.	F. VI. evang. diei interpretatur et auditionem missae commendat (567).
1583	Mart. 18.	F. II. p. Dom. Pass. de missa saepe libenterque audienda dicit (567).
1583	Mart. 20.	F. IV. de peccatorum confessione contionatur (567).
1583	Mart. 22.	F. VI. obiectiones adversus confessionem refellit et de ea recte facienda dicit (567).
1583	Mart. 24. vel 25. vel 27.	Dom. Palm. vel F. II. vel IV. orationem de confessione habet (568).
1583	Mart. 24. vel 25. vel 27.	Dom. Palm. vel F. II. vel IV. de praeparatione ad communionem et de communione sub una specie dicit (568).
1583	Mart. 31.	Dom. Paschatis de recto dierum paschalium usu contionatur (568).

1583	Apr. 7.	Dom. I. p. Pascha, quomodo evang. diei fides catholica confirmetur et fidelibus solatium afferatur, exponit (568).
1583	Apr. 14.	Dom. II. p. Pascha contionem, ut videtur, habet (568).
1583	Apr. 21.	Dom. III. p. Pascha contionem, ut videtur, habet (568).
1583	Apr. 22.	*Gregorius XIII. Sartorio typographo ingolstadiensi privilegium pro C. „Commentariis de Verbi Dei corruptelis" excudendis concedit* (581).
1583	Post m. Apr.	*C. „Commentariorum de Verbi Dei corruptelis Tomi duo" Ingolstadii in lucem prodeunt* (581).
1583	Maii 1.	Die SS. Philippi et Iacobi App. C. de gloria coelesti dicit (568).
1583	Maio inter 3. et 31.	Ad Socios collegii exhortationem sacram de usu novi horti habet (603).
1583	Maii 6.	Die anticipato Translationis S. Nicolai patroni Friburgensium pro contione eorum vitia (desidiam, ebrietatem, luxuriam, iniustitiam) reprehendit (568 579).
1583	Maii 9.	Die Ascensionis Christi evang. diei interpretatur (569).
1583	Maii 19.	Dom. Pentecostes contra „novatores" de fide vitaque catholica dicit (569).
1583	Maii 30.	Die Corporis Christi de eucharistia dicens frequentiam communionis commendat (569).
1583	Iun. 22.	*Urbi Willisau remittit miraculi de sacrosancto sanguine ibi facti historias sibi commodatas* (607).
1583	Iun. 29.	Die SS. Petri et Pauli App. primatum summi pontificis et indulgentiarum institutum defendit (569 608).
1583	Iun. 30.	Dom. VI. p. Pent. bullam indulgentiae a Gregorio XIII. propositae promulgat et commendat (570 610).
1583	Iul. 2.	Die Visitationis B. Mariae V. evang. diei explicat et, cur indulgentiae a multis contemnantur, ostendit (570 610).
1583	Iul. 7.	Dom. VII. p. Pent. evang. diei interpretatur (570).
1583	Iul. 22.	Die S. Mariae Magdalenae negligentiam in liberis educandis et luxum in nuptiis reprehendit (570).
1583	Iul. 25.	Die S. Iacobi Ap. ex evang. diei de superbia et ambitione dicit (570).
1583	Aug. 15.	Die Assumptionis B. Mariae V. et ante et post prandium contionatur. Cultum B. Mariae defendit et commendat (570).
1583	Aug. 24.	Die S. Bartholomaei Ap. ecclesiasticorum „regimen saeculare" defendit (571).
1583	Sept. 21.	Die S. Matthaei Ap. de fide confirmanda moribusque emendandis dicit (571).
1583	Sept. vel initio Oct.	S. Carolus Borromaeus cardinalis et archiepiscopus mediolanensis, Helvetiorum visitator constitutus, C. per litteras de variis rebus consulit (170).
1583	Sept. 29.	Dom. XIX. p. Pent. et die festo S. Michaelis de timore Dei et de angelis dicit (571).
1583	Circa m. Oct.	*Iussu Gregorii XIII. C. „Summa" illyrice (slavice) reddita Romae in lucem prodit* (612).

1583	Oct. 18.	C. S. Carolo Borromaeo Helvetiorum visitatori per litteras varia proponit ad ecclesiam helveticam iuvandam spectantia (172).
1583	Oct. 18.	Die S. Lucae Ev. C. de veris ecclesiae ministris contionatur (571).
1583	Oct. 22.	*Aquavivam praepositum generalem obtestatur, ut theologos selectos contra haereticos scribere iubeat* (176).
1583	Oct. 28.	Die SS. Simonis et Iudae App. de caritate et patientia et de animis ad festum Omnium Sanctorum parandis dicit (571).
1583	Nov. 1.	Die Omnium Sanctorum de eorum cultu et de „abusibus", qui in eum irrepserint, dicit (571).
1583	Nov. 3.	Dom. XXIV. p. Pent. catholicum mortuos iuvandi morem defendit et, quomodo recte illi iuventur, ostendit (572).
1583	Nov. 7.	S. Carolus Borromaeus a C. petit, nec tamen impetrat, ut se visitationem apud Helvetios exorsurum conveniat (177).
1583	Nov. 8.	Ad Socios collegii exhortationem sacram de cultu Sanctorum habet (614).
1583	Nov. 25.	Die S. Catharinae Virg. Mart. ex evang. diei timorem Dei commendat (572).
1583	Nov. 30.	Die S. Andreae Ap. de veris praedicatoribus et de sacro Adventu dicit (572).
1583	Dec. 1.	Contionatur (?) (565).
1583	Dec. 6.	Die S. Nicolai patroni reipublicae Friburgenses, imprimis magistratus, de ipsorum vitiis vituperat (616).
1583	Dec. 8.	Dom. II. Adv. et die Conceptionis B. Mariae V. immaculatam eius conceptionem explicat et „novos doctores" reprehendit (573).
1583	Dec. 13.	F. VI. contionatur (?) (565).
1583	Dec. 15.	Dom. III. Adv. contionatur (?) (565).
1583	Dec. 21.	Die S. Thomae Ap. de iis, quorum fides nutet, dicit (573).
1583	Dec. 22.	Dom. IV. Adv. fideles monet, ut sacro Nativitatis Domini die sacramenta sumant et a superstitionibus atque intemperantia caveant (573).
1583	Dec. 25.	Die Nativitatis Christi de Christo parvulo recte colendo et imitando contionatur (573).
1583	Dec. 27.	Die S. Ioannis Ap. de Verbo, quod caro factum est, et de Ioanne Ap. orationem habet (573).
1583 1584	Anno exeunte vel initio	*Pro Cholino typographo coloniensi litteras dedicatorias editionis omnium Operum cardinalis Hosii ad Iulium Echter episcopum herbipolensem conscribit (?)* (619).
1584		*C. Epistolae et Evangelia dierum sacrorum cum summariis, a Schwaygero germanice redditae, Coloniae iterum eduntur* (621).
1584	—	*C. catechismus minor editur Lemovici (?) et, cum additamentis, Fuldae* (620).
1584		*Dilingae eduntur preces ex C. „Betbuch" excerptae* (621).
1584		*Catechismus C. et Opus eius catechisticum ab Iulio Echter episcopo herbipolensi contionatoribus commendantur* (621).

1584	—	*Rupellae denuo editur operis „Doctrinae Jesuitarum praecipua capita" primum volumen, in quo C. variis modis impetitur* (658).
1584	—	*C. a Croeselio bibliothecario ingolstadiensi laudatur* (501).
1584	Ian. 1.	Die Circumcisionis Domini C. in templo S. Nicolai de sacri diei ratione dicit et Friburgenses serio ad mores emendandos hortatur (622 630).
1584	Ian. 22.	Friburgi kalendar. gregorianum sequi incipiunt (181[2]).
1584	Febr. 1.	*Gregorius XIII. Carolo Pesnot bibliopolae lugdunensi permittit, ut C. „Commentarios de Verbi Dei corruptelis" typis exscribat* (633).
1584	Febr. 2. (kalendarii gregoriani)	Die Purificationis B. Mariae V. C. evang. diei explicat et de candelarum sacratarum recto usu dicit (622).
1584	Febr. 15.	Die Cinerum ex evang. diei de sacrae Quadragesimae ratione dicit (622).
1584	Febr. 17.	F. VI. p. Cineres de missa et maxime de consecratione dicit (622).
1584	Febr. 19.	Dom. I. Quadr. ieiunii praeceptum commendat (623).
1584	Febr. 22.	F. IV. de ieiunio Quattuor Temporum et de fidelium oblationibus sacris dicit (623).
1584	Febr. 24.	F. VI. de sacrificiis veteribus et de oblationibus ad altare dicit (623).
1584	Febr. 25.	Die S. Matthiae Ap. contionatur (623).
1584	Febr. 26.	Dom. II. Quadr. evang. diei interpretatur (623).
1584	Febr. 26.	C. praecipuo auctore Friburgenses omnes senatus iussu professionem fidei catholicae sollemniter emittunt et coram magistratibus iureiurando confirmant (636).
1584	Febr. 29.	F. IV. C. de „iteratione" missae dicit (623).
1584	Circa m. Mart.	*C. „Commentarii de Verbi Dei corruptelis" Lugduni eduntur* (632).
1584	Mart. 2.	F. VI. C. tria, quae protestantes contra missam proferunt, refellit (623).
1584	Mart. 7.	F. IV. p. Dom. III. Quadr. „de vestibus sacerdotis" et missae recte audiendae ratione dicit (623).
1584	Mart. 9.	F. VI. auditores ad missam recte audiendam instituit (623).
1584	Mart. 11.	Dom. IV. Quadr. ex evang. diei de sacramento altaris dicit (623).
1584	Mart. (11., ut videtur)	C. auctore praecipuo parochiarum circum Friburgum sitarum homines professionem fidei catholicae emittunt et coram viris a senatu reipublicae designatis iureiurando confirmant (636).
1584	Mart. 14.	F. IV. C. de digne et indigne communicantibus dicit (623).
1584	Mart. 16.	F. VI. de communione digna eiusque fructibus dicit (624).
1584	Mart. 25.	Dom. Palmarum ex evang. diei de communione sacra contionatur (624).
1584	Apr. 1.	Dom. Paschatis de resurrectione Christi et fidelium eius dicit (624).
1584	Maii 1.	Die SS. Philippi et Iacobi App. de Iacobo et de evang. diei contionatur (624).

1584	Maii 10.	Die Ascensionis Domini de recto diei sacri usu et de Christi in eucharistia praesentia dicit (624).
1584	Maii 20.	Dom. Pentecostes de Spiritu Sancto quaerendo et inveniendo dicit (624).
1584	Maii 20. ?	Ad Socios collegii „exhortationem" de calamitatibus temporis et de Spiritu Sancto habet (640).
1584 ?	Maii 18. vel 25. ?	Ad Socios „exhortationem" de missione Spiritus Sancti habet (657).
1584	Maii 31.	Die festo Corporis Christi doctrinam de Eucharistia defendit contra novatores (624).
1584	Iun. 29.	Die SS. Petri et Pauli App. fideles monet, ut sibi honori ducant, quod Papistae vocentur, ac pontificis infallibilitatem docet (624).
1584	Iul. et Aug.	C. et P. Petrus Michael rector friburgensis Augustam Vindelicorum ad Sociorum congregationem provincialem proficiscuntur indeque redeunt Friburgum (644).
1584	Initio m. Iulii	**Lucerna** secum abducunt rectorem collegii. C. Lucernae contionatur (?) (648).
1584	Initio m. Iulii	**Badam Helvetiorum** veniunt. Vir quidam praenobilis eos inde **Dilingam** usque perducit (644).
1584	Iul. 13.	C. **Augustae Vindelicorum** versatur (645).
1584	Iul. 14.—23.	Congregationi provinciali Sociorum Germaniae superioris interest (645).
1584	Iul. 14.	Eligitur „deputatus" ad „postulata" secernenda etc. (645).
1584	Iul. 16.	In electione procuratoris Romam mittendi praepositum provincialem cum congregationis secretario in legendis suffragiis adiuvat. Eligitur Theodoricus Canisius, Petri frater ex patre (645).
1584	Iul.	In collegio augustano C. ad Socios „exhortationem" de hora cotidie meditationi religiosissime tribuenda habet (647).
1584	Aug. 1.	**Ingolstadii** versatur (649).
1584	Circa m. Aug.	C. *Catechismus minor, ab auctore denuo recognitus, editur Ingolstadii* (649).
1584	Circa m. Aug.	C. *„Commentarii de Verbi Dei corruptelis" Parisiis in lucem emittuntur* (634).
1584	Inter init. Iul. et med. Sept.	C. **Lucernae** magno populi concursu contionatur (648).
1584	Aug. 15.	Die Assumptionis B. Mariae V. PP. Canisius et Michael **Badae Helvetiorum** 50 fidelium confessiones sacras excipiunt. C. contionatur (?) (644).
1584	M. Aug. post 15. ?	C. cum magistratibus aliquot friburgensibus **Staviaeum ad Lacum** venit (?) (637).
1584	Aug. 26.	Die festo dedicationis templi S. Nicolai **Friburgi** de templorum sanctitate contionatur (625).
1584	Aug. 27.	Iodocum Alex patricium friburgensem ad errores protestantium relinquendos adducere frustra conatur (650).
1584	Sept. 8.	Die Nativitatis B. Mariae V. de Mariae iuventute orationem sacram habet (625).

1584	Sept. 14.	**Eremi B. Mariae** (**Einsiedeln**) sollemnitati dedicationis templi „Engelweihe" interest (201).
1584	Sept. 16.	**Lucernae** in collegio Societatis versatur (202).
1584	Sept. 29.	Die S. Michaelis Archang. **Friburgi** ex evang. diei de „scandalis" dicit (625).
1584	Oct. 18.	Die S. Lucae Evang. orationem sacram habet in templo S. Nicolai (626).
1584	Oct. 28.	Die festo dedicationis ecclesiae B. Mariae V. ibidem de „oratione et oblatione pro defunctis" contionatur (626).
1584	Circa init. Nov.	Exercitia spiritualia S. Ignatii peragit (652).
1584	Nov. 1.	Die Omnium Sanctorum in templo S. Nicolai de octo beatitudinibus ex evang. diei et de cultu Sanctorum dicit (626).
1584	Nov. 2.	Die Commemorationis fidelium defunctorum ibidem de iis iuvandis dicit (627).
1584	Nov. 30.	Die S. Andreae Ap. de oboedientia et de recentibus erroribus reiciendis contionatur (627).
1584	Dec. 6.	Die S. Nicolai patroni urbis, quae hic Friburgensibus praestet et quae in iis desideret, explicat et maxime, ut contiones frequentius audiant, urget (627).
1584	Dec. 8.	Die Conceptionis B. Mariae V. de cultu eius et de officiis parentum dicit (628).
1584	Anno exeunte	*C. Catechismus minor bohemice redditus urgente Bonhomio nuntio apostolico a Sociis pragensibus editur* (655).
1584	Dec. 9.	C. auctore praecipuo praefecturarum friburgensium homines (paucis praefecturis exceptis) iussu senatus fidei catholicae professionem emittunt et coram viris a senatu delectis iureiurando confirmant (636).
1584	Dec. 21.	Die S. Thomae Ap. C. contionatur (629).
1584	Dec. 25.	Die Nativitatis Christi de triplici eius nativitate dicit (629).
1584	Dec. 27.	Die S. Ioannis Evang. de exemplo vitae eius et imprimis de virginitate dicit (630).
1584	Dec. 28.	Die SS. Innocentium de pueris recte instituendis contionatur (630).
1584	Dec. exeunte (28.—31.)	Ad Socios collegii „exhortationem" de votis religiosis renovandis habet (656).
1584 1585	Circa 20. Maii vel circa 9. Iunii	Circa diem sacrum Pentecostes ad collegii Socios „exhortationem" de Spiritu Sancto habet (657).
1585		*C. „Parvus Catechismus Catholicorum" latine Cracoviae, germanice Ingolstadii, lettice Vilnae editur* (659).
1585		*C. „Opus catechisticum" Parisiis editur* (660).
1585		*Ingolstadii libellus precum ex C. libris excerptarum vulgatur* (660).
1585		*Rupellae ab Hugonottis in tertio volumine operis „Doctrinae iesuiticae praecipua capita" duo libelli eduntur, in quibus C. impugnatur* (658).
1585		*C. suasu Antonii Cordubensis O. Min. liber de Indulgentiis Ingolstadii editur* (661).
1585		Schultingus in „Confessione Hieronymiana" C. laudat (660).

1585	Ian. 1.	Die Circumcisionis Domini C. in aede primaria S. Nicolai orationem sacram habens et pro more „xenia" novi anni Friburgensibus distribuens, apes ad imitandum proponit (662 673).
1585	Febr. 2.	Die Purificationis B. Mariae V. de Simeone sene (ex evang.) et de usu candelarum sacratarum (contra protestantes) dicit (662).
1585	Mart. 6.	Die Cinerum praefatur contionibus quadragesimalibus a se de libro Iob et de communione eucharistica habendis (662).
1585	Mart. 8.	F. VI. de libro Iob et de ipso Iob contionatur (663).
1585	Mart. 10.	Dom. I. Quadr. de sacri temporis ratione et de sacra communione contionatur (663 664).
1585	Mart. 13.	F. IV. sanctum Iob patribus familias ad imitandum proponit (664).
1585	Mart. 15.	F. VI. de Iob contionatur (664).
1585	Mart. 17.	Dom. II. Quadr. de communione sub una specie sumenda dicit (663).
1585	Mart. 20.	F. IV. de Iob dicit (664).
1585	Mart. 22.	F. VI. ex libro Iob de daemonibus per strigas (Hexen) magosque hominibus damna inferentibus dicit (664).
1585	Mart. 24.	Dom. III. Quadr. de calice laicorum dicit (663).
1585	Mart. 27.	F. IV. de Iob dicit. In contione eadem vel proxima de strigis et remediis adversus eas adhibendis dicit et varias superstitiones recenset improbatque (664).
1585	Mart. 29.	F. VI. de Iob contionatur (664).
1585	Mart. 31.	Dom. IV. Quadr. evang. diei explicans Friburgensium negligentiam reprehendit (663).
1585	Apr. 3.	F. IV. de Iob contionatur (664).
1585	Apr. 5.	F. VI. de Iob ad populum dicit. Ad collegii Socios exhortationem de passione Christi habet (664 680).
1585	Apr. 7.	Dom. Passionis de communione dicit (663).
1585	Apr. 10.	F. IV. de Iob contionatur (664).
1585	Apr. 12.	F. VI. contionatur de Iob (de uxore Iob peccante et a Iob correpta, ut videtur) (664).
1585	Apr. 14.	Dom. Palmarum de sacri temporis ratione et de sacra eucharistia contionatur (665).
1585	Apr. 15. (16.? 17.?)	F. II. (III.? IV.?) de Iob (tribus amicis Iob et eiusdem patientia, ut videtur) dicit (664).
1585	Apr. 21.	Dom. Paschatis contionatur (665).
1585	Apr. 25.	Die S. Marci ex libro Iob de resurrectione Christi et electorum dicit (665).
1585	**Maio**	**Friburgenses, ne C. Friburgo avocetur, vehementer obsistunt (677).**
1585	Maii 1.	Die SS. Philippi et Iacobi App. C. ostendit, quam multiplicem consolationem Christus in evang. diei fidelibus afferat (666).
1585	Maii 9.	Die Translationis S. Nicolai Ep. Nicolaum cum Iob patriarcha comparat, et, qui Nicolao displiceant, explicat (666).
1585	Maii 12.	Dom. III. p. Pascha contionatur (666).
1585	Maii 30.	Die Ascensionis Domini de apostolis ascensionem hanc recte colentibus dicit (666).

1585	Iun. 9.	Dom. Pentecostes adversus „Neochristianos" et negligentes Catholicos orationem habet (666).
1585	Iun. 20.	Die Corporis Christi de cultu sacrae eucharistiae dicit (666).
1585	Iun. 26.	Ad Socios collegii „exhortationem" de votis religiosis renovandis habet (683).
1585	Iun. 29.	Die SS. Petri et Pauli App. pontificis romani primatum et „potestatem temporalem" defendit (667).
1585	Iul. 2.	Die Visitationis B. Mariae V. de Mariae cultu et de parentum filiorumque officiis dicit (667).
1585	Iul. 14.	Dom. V. p. Pent. ex evang. diei de haereticis puniendis dicit et de protestantibus catholicos conviciis afficientibus queritur (667).
1585	Iul. 22.	Die S. Mariae Magdalenae errores protestantium refutat et Magdalenam conversam ad imitandum proponit (668).
1585	Iul. 25.	Die S. Iacobi maioris Ap. evang. diei interpretatur (668).
1585	Initio m. Aug.	Ad collegii Socios exhortationem habet de indulgentia iubilaei consequenda (683).
1585	M. Augusto	*Senatus friburgensis hortatu C. officinam typographicam comparat et typographum suo aere conducit* (214).
1585	Aug. 7.	In prima supplicatione iubilaei a Sixto V. novo pontifice propositi C. pro contione idem iubilaeum commendat (668).
1585	Aug. 10.	Die S. Laurentii in tertia iubilaei supplicatione in templo Augustinianorum (S. Mauritii) de indulgentiarum antiquitate etc. dicit (669).
1585	Aug. 11.	Dom. IX. p. Pent. de indulgentiarum „fundamentis" contionatur (669).
1585	Aug. 15.	Die Assumptionis B. Mariae V. de recto huius diei usu et de indulgentiis dicit (670).
1585	Aug. 24.	Die S. Bartholomaei Ap. de tentationibus orationem habet (670).
1585	Sept. 21.	Die S. Matthaei Ap. adversus ebrios et rempublicam defraudantes contionatur (670).
1585	Sept. 29.	Die S. Michaëlis Archang. de angelis et de calamitatibus publicis dicit (670).
1585	Oct. 28.	Die SS. Simonis et Iudae App. de fundamento cultus Sanctis praestandi dicit (671).
1585	Nov. 1.	Die Omnium Sanctorum de cultu Sanctorum orationem habet (671).
1585	Nov. 11.	Die S. Martini Ep. contionatur (671).
1585	Nov. 17.	Dom. XXIII. p. Pent. ex evang. diei „de ignoscendo" dicit (671).
1585	Nov. 25.	Die S. Catharinae Virg. et Mart. „de fructu et utilitate" huius festi dicit (671).
1585	Nov. 25.	E sacro suggestu commendat, ut Friburgi domus virginibus bene instituendis condatur (671 686).
1585	Nov. 30.	Die S. Andreae Ap. propter adventum rectoris collegii lucernensis contionando supersedet (671).

1585	Dec. 6.	Die S. Nicolai Ep. de hoc reipublicae patrono recte colendo dicit (672).
1585	Dec. 10.	Quinque pagi catholici Helvetiae C. de negotio quodam gravissimo, religionem catholicam spectante, consulere statuunt (687).
1585	Dec. 21., 25., 27.	Diebus S. Thomae Ap., Nativitatis Christi, S. Ioannis Ap., C. infirmitate a contionando impeditur (672 688).
1585	Dec. exeunte	Ad Socios collegii „exhortationem" de renovatione votorum habet (692).
1586		*C. „Evangelia et Epistolae" totius anni denuo eduntur Dilingae (cum „Parvo Catechismo Catholicorum") et Antverpiae.*
1586	Circa initium	*Meditationes, precationes etc. B. Nicolao a Rupe attributae etc. a C. adornantur et, additis Nicolai et SS. Beati et Meinradi vitis, Friburgi vulgantur* (698).
1586	—	*C. „Summa" latine Venetiis, „Parvus Catechismus Catholicorum" latine et germanice (?) Dilingae eduntur* (695).
1586	—	*Dilingae „Hortulus Animae. Der Seelen Garten" iterum editur* (701).
1586	—	*„Opus catechisticum" Coloniae denuo editur* (695).
1586	—	*Coloniae denuo eduntur S. Hieronymi epistolae a C. selectae et distributae* (698).
1586	—	*Rupellae a Calvinianis in IV. volumine operis „Doctrinae Jesuiticae praecipua capita" libellus evulgatur, in quo C. impugnatur* (658).
1586	—	*I. C. Ulmerus, protestantium minister scaphusanus, in opere „New Jesuwitspiegel" duos libros denuo vulgat, in quibus C. impugnatur* (658).
1586	Ian. 1.	Die Circumcisionis Domini C. in aede primaria S. Nicolai e suggestu sacro dicens, Friburgensibus pro more „xenia" distribuit (701 710).
1586	Ian. 17.	Ad Socios collegii „exhortationem" de rebus a Deo sperandis et de S. Antonio abbate habet (716).
1586	Ian. 26.	Dom. III. p. Epiph. pro contione dicens, misericordiam in famulos et pauperes commendat (701).
1586	Ian. 31.	Ad Socios collegii „exhortationem" de recta ratione sperandi in Deo habet (716).
1586	Febr. 2.	Die Purificationis B. Mariae V. contionatur (701).
1586	Febr. 9.	Dom. Sexag. de abusibus ad auditionem contionum spectantibus dicit (702).
1586	Febr. 19.	Die Cinerum sacram Quadragesimam laudat et, cur per eam de Iona propheta dicere velit, explicat (702).
1586	Febr. 21.	F. VI. misericordiam erga pauperes, qui magna annonae caritate premantur, vehementer commendat et de Ionae persona dicit. Eodem die, ut videtur, ad Socios collegii exhortationem de Quadragesima et de virtute spei habet (702 716).
1586	Febr. 24.	Die S. Matthiae Ap. de satana ieiunii hoste contionatur (703).

1586	Febr. 28. (26.?)	F. VI. (IV.?) p. Dom. I. Quadr. de Iona e suggestu dicit (703).
1586	Mart. 2.	Dom. II. Quadr. de ieiunio, oratione, peccatis enormibus dicit (703).
1586	Mart. 5.	F. IV. „de fuga Ionae" contionatur (703).
1586	Mart. 7.	F. VI. iterum de fuga Ionae dicit (703).
1586	Mart. 9.	Dom. III. Quadr. evang. diei interpretatur (703).
1586	Mart. 12.	F. IV. de Iona in fuga a Deo punito dicit (703).
1586	Mart. 14.	F. VI. de iis, qui cum Iona navigabant, a Deo „flagellatis" dicit (704).
1586	A 16. ad 28. Mart.	Infirma valetudine a contionibus habendis impeditur (704).
1586	Mart. 30.	Dom. Palmarum de eucharistiae excellentia et de eius sumptione indigna dicit (704).
1586	Mart. 31.	F. II. de eucharistiae sumptione digna dicit (704).
1586	Apr. 2.	F. IV. de communione sub utraque specie contionatur (704).
1586	Apr. 6.	Dom. Paschatis de festo hoc recte celebrando dicit (705).
1586	**Circa 7. Apr. (ut videtur)**	**Sodalibus collegii virginum halensis copiosam ad pietatem institutionem mittit (222—242).**
1586	Apr. 13.	Dom. I. p. Pascha ex evang. diei contra protestantes et peccatores contionatur (705).
1586	Apr. 20.	Dom. II. p. Pascha ex evang. diei catholicos animarum pastores defendit (705).
1586	Apr. 25.	Die S. Marci catholicas processiones et litanias e sacro suggestu defendit (705).
1586	Maii 9.	Die Translationis S. Nicolai variorum ordinum vitia reprehendit (706).
1586	Maii 15.	Die Ascensionis Domini in templo S. Nicolai contionatur et domi vota scholasticorum a Fr. Egolpho Altheer emissa excipit (706 788).
1586	Maii 25.	Dom. Pentecostes ostendit, „quomodo hoc festum nos consolari debeat in praesenti caristia et tribulatione" (707).
1586	Int. Mart. et Aug., ut videtur	Ad Socios collegii 2 vel 3 „exhortationes" de charitate Dei habet (719).
1586	Iun. 5.	Die Corporis Christi de recto usu sacramenti eucharistiae dicit (707).
1586	Iun. 6.	Ad collegii Socios „exhortationem" de sacramento altaris habet (720).
1586	Iun. 29.	Die SS. Petri et Pauli de evang. diei catholicos in veteri fide confirmante dicit (707).
1586	Iul. 6.	Dom. VI. p. Pent. de annonae caritate populum premente dicit (707).
1586	**Vere vel aestate**	**Novo Societatis collegio exstruendo primus lapis sollemniter ponitur. C. collegii „fundamenta benedicit" (443 721).**
1586	Aug. 10.	Die S. Laurentii de fide confirmanda et vita emendanda dicit (708).
1586	Aug. 15.	Die Assumptionis B. Mariae V. festum hoc contra protestantes defendit et evang. diei interpretatur (708).
1586	Sept. 12.	Ad Socios collegii „exhortationem" de cultu B. Mariae V. habet (725).

1586	Sept. 14.	Dom. XVI. p. Pent. et festo Exaltationis S. Crucis rationem diei festi et evangelium Dominicae explicat (708).
1586	Sept. 21.	Die S. Matthaei Ap. contra fenerationem contionatur (708).
1586	Sept. 28.	Dom. XVIII. p. Pent. praeceptum de „sabbato sanctificando" explicat (708).
1586	Sept. 29.	Die Dedicationis S. Michaelis de angelis contionatur (709).
1586	Sept. vel Oct. (ut videtur)	Ad Socios collegii 3 „exhortationes" de charitate habet (719).
1586	Oct. 5.	Dom. XIX. p. Pent. praeceptum caritatis explicat (709).
1586	Oct. 28.	Die SS. Simonis et Iudae App. de morum doctrinis ex vini penuria, qua Friburgenses laborent, capiendis dicit (709).
1586	Nov. 1.	Die Omnium Sanctorum de ratione diei festi dicit et, quomodo et protestantes et catholici in Sanctos peccent, ostendit (709).
1586	Nov. 7.	Ad Socios collegii „exhortationem" de cultu Sanctorum habet (725).
1586	Nov. 23.	Ultima Dom. p. Pent. ostendit, quomodo fames Helvetiam premens pellenda vel mitiganda sit (730).
1586	Nov. 25.	Die S. Catharinae Mart. de impedimentis salutis aeternae, castitate, virginitate dicit (710).
1586	Initio m. Dec.	Ad Socios collegii „exhortationem" de sacro Adventu habet (733).
1586	Dec. 6.	Die S. Nicolai de huius cultu contionatur (710).
1586	Dec. 8.	Die Conceptionis B. Mariae V. de eius immaculato conceptu dicit (710).
1586	Dec. exeunte	Ad Socios collegii „exhortationem" de renovatione votorum religiosorum habet (734).
1587	—	*Io. Molanus professor lovaniensis C. laudat eiusque Catechismum in paedagogiis lovaniensibus explicari testatur* (738).
1587	—	*C. „Summa" latine Antverpiae, „Parvus Catechismus Catholicorum" latine Antverpiae et Parisiis, germanice Dilingae eduntur* (734—735).
1587	—	*C. „Evangelia et Epistolae" cum eius „Parvo Catechismo Catholicorum" latine Posnaniae eduntur* (735).
1587	—	*B. Nicolai a Rupe (Flue) meditationes etc. a C. iterum adornatae et recognitae cum vitis SS. Beati et Meinradi Ingolstadii eduntur* (737).
1587	—	*C. Friburgi Helvetiorum edit „Manuale Catholicorum". Idem editur Ingolstadii cum C. litteris dedicatoriis ad Philippum Bavariae principem et episcopum ratisbonensem* (255 736).
1587	—	Vir doctissimus Ioannes Pistorius Nidanus a C. ad fidem catholicam instituitur et cum ecclesia reconciliatur (298 765).
1587	Ian. 1.	Die Circumcisionis C. e sacro suggestu „xenia" distribuit (739).
1587	Febr. 11.	Die Cinerum de ieiunio Quadragesimae et de Ionae prophetia contionatur (739).

1587	Febr. 14.	Sabbato de Iona dicit (740).
1587	Febr. 15.	Dom. I. Quadr. de sacro hoc tempore recte peragendo et de Iona dicit (740).
1587	Febr. 18.	F. IV. de Iona contionatur (740).
1587	Febr. 20.	F. VI. de Iona contionatur (740).
1587	Febr. 24.	Die S. Matthiae Ap. de evang. diei et de Iona dicit (740).
1587	Febr. 27.	*P. Hieronymum Torrensem vehementer hortatur, ut P. Francisci Turriani libros castiget et denuo in lucem emittat* (251).
1587	Mart. 1.	Dom. III. Quadr. de evang. diei et de Iona dicit (741).
1587	Mart. 4.	F. IV. de Iona contionatur (741).
1587	Mart. 6.	F. VI. de Iona contionatur (741).
1587	Mart. 8.	Dom. IV. Quadr. de misericordia in pauperes et de Iona dicit (741).
1587	Mart. 11.	F. IV. de Iona contionatur (741).
1587	Mart. 13.	F. VI. de Iona contionatur (741).
1587	Mart. 22.	Dom. Palmarum de „historia diei" et de externis poenitentiae operibus dicit (742).
1587	Mart. 29.	Dom. Paschatis de Christi resurrectione dicit (742).
1587	Mart. 31.	F. III. de resurrectione mortuorum contionatur (742).
1587	Circa 3. Apr.	Ad Socios collegii exhortationem de futura resurrectione habet (749).
1587	Apr. 25.	Die S. Marci ad Socios collegii de Litaniis Omnium Sanctorum dicit (749).
1587	Inter ver et aestatem	*Philippo Bavariae principi et episcopo ratisbonensi „Manuale Catholicorum" suum dedicat* (255).
1587	Maii 7.	Die Ascensionis Domini evang. diei explicat (742).
1587	Maii 9.	Die Translationis S. Nicolai „de ficu infructuosa" contionatur (742).
1587	Maii 17.	Dom. Pentecostes de gratiis Spiritus Sancti comparandis dicit (742).
1587	Iun. 29.	Die SS. Petri et Pauli contionatur (742).
1587	Vere vel aestate	Laudes Bonhomii nuntii apostolici celebrat in contione funebri, qua Friburgenses illi parentant (751).
1587	Iul. 2.	Die Visitationis B. Mariae V. de cantico „Magnificat" dicit (742).
1587	Aestate (ante m. Aug.)	C. (aliique Socii?) in usum reipublicae friburgensis „scriptum de legitimis contrahendi modis", imprimis de 5%, conficiunt (755).
1587	Inter 3. et 21. Iul.	Socios collegii, quomodo belli tempore se gerere debeant, „exhortatione" domestica instituit (759).
1587	Iul. 22.	Die S. Mariae Magdalenae „processionem" propter temporis calamitates institutam commendat et Magdalenae poenitentiam ad imitandum proponit (743).
1587	Iul. 25.	Die S. Iacobi Ap. de apostolis et de filiorum educatione contionatur (743).
1587	Iul. 26.	Dom. X. p. Pent. **Monticuli (Bourgillon)** de infirmis stipe iuvandis et de dedicatione templi dicit (760).
1587	Iul. 31.	Die anniversario mortis S. Ignatii Loiolae **Friburgi** ad Socios collegii de Ignatii gratiis et virtutibus dicit (760).
1587	Aestate	Ad Socios collegii exhortationem de renovatione votorum habet (759).

1587	Paulo ante med. Aug.	Cum Petro Michael collegii friburgensis rectore Augustam Vindelicorum versus, ut congregationi „provinciae Germaniae superioris Societatis Iesu" intersit, proficiscitur. Ex itinere virum nobilem eiusque coniugem consiliis adiuvat (258 259).
1587	Circa med. Aug.	**Badae Helvetiorum** confessiones excipit. Infirmitate cogitur, ut inde domum redeat (259).
1578	Aug. 20.	**Friburgum** advenit (259).
1587	Sept. 8.	Die Nativitatis B. Mariae V. in eiusdem templo, in „processione" propter aerumnas publicas instituta, quomodo fideles in iis se gerere debeant, dicit et cultum B. Virginis adversus protestantes defendit (744).
1587	Sept. 21.	Die S. Matthaei Ap. evang. diei interpretatur (745).
1587	Sept. 29.	Die S. Michaelis de angelis et „de scandalis" dicit (745).
1587	Oct. 4.	Dom. XX. p. Pent. ex evang. diei, quomodo homo tempore infirmitatis se gerere debeat, ostendit (745).
1587	Oct. 11.	Dom. XXI. p. Pent. evang. diei explicat (745).
1587	Oct. 25.	Dom. XXIII. p. Pent. evang. diei explicato de animis ad proximas sollennitates praeparandis dicit (745).
1587	Oct. 28.	Die SS. Simonis et Iudae in templo B. Mariae V. ecclesiam festum Omnium Sanctorum et Commemorationem fidelium defunctorum agentem adversus protestantes defendit (745).
1587	Nov. 1.	Die Omnium Sanctorum de recta Sanctos colendi ratione dicit (745).
1587	Nov. 2.	Die Commemorationis fidelium defunctorum de iis iuvandis dicit (746).
1587	Nov. 11.	Die S. Martini Ep. evang. diei explicat (746).
1587	Nov. 22.	Dom. ultima p. Pent. „de fine mundi" dicit (746).
1587	Nov. 29.	Dom. I. Adv. de sacro hoc tempore rite celebrando dicit (746).
1587	Dec. 8.	Die Conceptionis B. Mariae V. pro contione commendat, ut domus puellis per viduas probas pie instituendis condatur (746 768).
1587	Dec. 21.	Die S. Thomae Ap. de vera et falsa fide et de animorum ad festa natalitia Christi praeparatione dicit (746).
1587	Dec. 25.	Die Nativitatis Domini de pastoribus ad Christum accedentibus dicit (746).
1587	Dec. 27.	Die S. Ioannis Ev. evang. diei explicat et virginitatem laudat (746).
1587	Dec. exeunte	Ad Socios collegii exhortationem de renovatione votorum religiosorum habet (770).
1587 vel 1588	Inter Iun. 1587 et Nov. 1588	Ad Socios collegii duas „exhortationes domesticas" de voto paupertatis et unam de voto castitatis habet (770).
1588	—	*C. „Summa" Leodii gallice editur. Eadem ab Adamo King scotice reddita Parisiis editur* (771).
1588	—	*Oeniponte cum Catechismo minore C. editur admonitio de doctrinae christianae tradendae utilitate, necessitate, modo* (772).
1588	—	*C. Catechismus minor „abbreviatus" cum Thomae a Chaves O. P. Summa Sacramentorum Venetiis iterum editur* (771).

1588	—	*C. „Manuale Catholicorum" latine Antverpiae, germanice Ingolstadii editur* (773).
1588	—	*S. Hieronymi Epistolae a C. selectae rursus eduntur Parisiis* (773).
1588	Ian. 1.	Die Circumcisionis Domini C. in templo S. Nicolai orationem habens „xenia" sacra distribuit (773).
1588	Febr. 25.	Die S. Matthiae Ap. de eodem apostolo contionatur (774).
1588	Circa 2. Mart.	Ad Socios collegii exhortationem de ieiunio quadragesimali habet (776).
1588	Mart. 25.	Die Annuntiationis B. Mariae V. de animis ad communionem paschalem parandis contionatur (774).
1588	Circa init. Apr.	Ad Socios collegii „exhortationem" de „examine particulari" conscientiae habet (776).
1588	Apr. 10.	Dominica Palmarum de hebdomade „sancta", confessione, communione contionatur (774).
1588	Apr. 17.	Dominica Paschatis de fide resurrectionis Christi et de tempore paschali recte peragendo contionatur (775).
1588	Initio Maii	Ad Socios collegii exhortationem habens, „comprecationem maiorem" a magistratibus praeceptam commendat (777).
1588	Post m. Apr.	*Paulus Scheidlich sacrorum minister lutheranus Smalcaldae edit refutationem minoris Catechismi canisiani* (789).
1588	Iun. 16.	*C. Aquavivae praeposito generali instat, ut opera quaedam PP. Sa et Bellarmini in lucem emittenda curet* (265).
1588	Iul. 2.	Die Visitationis B. Mariae V. ad Socios collegii de Maria colenda atque imitanda dicit (779).
1588	Iul. 21.	Aquaviva praepositus generalis monet, ut C. contionandi labore levetur (783).
1588	Aug. 30. ad Sept. 3.	C. Sebastiano Verronio urbis friburgensis parocho exercitia S. Ignatii tradit (779).
1588	Aestate vel autumno	Ad C. consulendum venit ex Geldria Theodorus Canisius eius nepos (785).
1588	Sept. 11.	Dom. XIV. p. Pent. C. ex evang. diei de erroribus quibusdam protestantium et de caritate exercenda dicit (775).
1588	Oct. 21.	Ad Socios collegii exhortationem de precatione habet (786).
1588	Nov. 1.	Die Omnium Sanctorum de protestantibus honorem Sanctis detrahentibus et de iisdem Sanctis honorandis imitandisque contionatur (775).
1588	Nov. 8.	Ad Socios collegii exhortationem de „octo beatitudinibus" habet (786).
1588	Dec. 25.	Die Nativitatis Christi de hoc die cum fructu agendo contionatur (775).
1588	Dec. exeunte	Ad Socios collegii exhortationem de renovatione votorum religiosorum habet (788).
1589		*„Summa" C. iterum latine editur Antverpiae* (792).
1589		*C. „Parvus Catechismus Catholicorum" latine Antverpiae, Braunsbergae, Lugduni, germanice Friburgi Helvetiorum, italice Bergomi editur* (793).
1589		*C. „Manuale Catholicorum" et latinum, et vlamice et gallice redditum Antverpiae editur* (795).

1589		*17 000 Catechismorum minorum C. typis describuntur, per Alsatiam distribuenda* (794).
1589		*Samuel Huber lutheranus in libro Tubingae edito C. calumniatur* (802).
1589 et 1588?		*Caesar Baronius C. in „Annalibus Ecclesiasticis" laudibus extollit* (792).
1589	Circa m. Ian.	*Friburgi primum editur Vita S. Fridolini abbatis a C. conscripta* (795).
1589	Post m. Ian.	*Christophorus Ehrhard libro Monachii edito C. Catechismum adversus Scheidlichium lutheranum defendit* (791).
1589	Circa med. Febr.	C. ad Socios collegii exhortationem de ieiunio habet (796).
1589	Apr. 2.	Dominica Paschatis de gaudio paschali et de tempore paschali recte peragendo contionatur (796).
1589	Circa aestatem	*Doctrina christiana ad C. „Parvum Catechismum Catholicorum" Antverpiae figuris aeneis exprimitur* (793).
1589	—	Paravicinus apostolicus apud Helvetios nuntius C. de gravibus reformationis negotiis per litteras consulit (283).
1589	—	C. ministri calviniani heidelbergensis filium in ecclesiam recipit (800).
1589	Iul. 22.	C. die S. Mariae Magdalenae domi vota simplicia coadiutorum temporalium S. J. a Stephano Stauder emissa excipit (788).
1589	Initio m. Nov.	*In lucem prodit C. liber „Zwo Historien. Die erste von S. Beato. Die ander von S. Fridolino" (Friburgi Helvetiorum 1590)* (284 809).
1589	Exeunte Dec.	C. ad Socios collegii friburgensis exhortationem de votis renovandis habet (803).
1590		*C. „Manuale Catholicorum" Friburgi Helvetiorum germanice editur. Ibidem eius cura Formula confitendi peccata et Cantiones catecheticae eduntur* (811).
1590		*C. liber precationum germanicus („Betbůch") cum eius Catechismo minimo iterum editur Dilingae* (806).
1590		*Catechismus C. „abbreviatus" iterum cum Thomae a Chaves O. P. „Summa Sacramentorum" editur Venetiis* (805).
1590		*C. „Epistolae et Evangelia" dierum sacrorum cum eius parvo Catechismo latine eduntur Posnaniae* (806).
1590		*C. „Parvus Catechismus Catholicorum" latine editur Herbipoli* (805).
1590		*P. Henricus Garnetus S. J. „Summam" C. anglice reddit, compluribus tractatibus auget, Londini edit* (803).
Ca. ann. 1590		*C. Catechismus minor, in genus linguae groningense translatus, Steenwicae iterum editur* (805).
1590	—	*C. rogatu abbatis fischingensis O. S. B. vitam S. Idae Toggenburgensis Friburgi edit* (806).
1590	—	Augusta Vindelicorum vir quidam illustris ad C. venit et per eum ad fidem catholicam convertitur (814).

1590	Dec. exeunte	C. ad Socios collegii exhortationem de renovatione votorum habet (815).
1591	—	*C. Catechismus minor latine editur Coloniae, Leodii, Turnone* (815).
1591	—	*C. „Evangelia et Epistolae" cum eius Catechismo minore Dilingae latine eduntur* (817).
1591	—	*Explicatio Catechismi canisiani in dioecesibus augustana et olomucensi praescribitur* (816).
1591	—	*„Hortulus animae" germanicus, primum C. opera a. 1563 editus, Dilingae iterum editur* (817).
1591	—	*„Hortuli animae" dilingani (ut videtur) nova editio latina Vesontione in lucem emittitur* (817).
1591	Ian.	*C. „Notae in evangelicas lectiones" dierum dominicorum Friburgi Helvetiorum primum in lucem prodeunt* (817).
1591	—	C. effigies, ipso non animadvertente, a pictore exprimitur (822).
1591	Aestate (inter Iun. et Aug.)	C. per aliquot hebdomadas graviter aegrotat (821).
1591	Aug. 15.	Die Assumptionis B. Mariae V. dialogo adest a sodalibus marianis de B. Maria habito (823).
1591	Sept. 29.	Michael Eberlin coram C. vota scholasticorum Societatis primum emittit (789).
1591	Dec. exeunte	C. ad Socios collegii exhortationem de votis renovandis habet (824).
1592	—	*C. Summa a Niniano Winzet scotice redditur* (825).
1592	—	*C. Catechismus minor latine editur Leodii* (825).
1592		*C. Catechismus „abbreviatus" cum Thomae a Chares O. P. „Summa Sacramentorum" latine editur Barcinone* (825).
1592		*C. „Institutiones et Exercitamenta Christianae Pietatis" iterum eduntur Antverpiae* (826).
1592		*C. „Manuale Catholicorum" Antverpiae editur gallice versum* (826).
1592		*C. „Christliche Predigen" iterum eduntur Ingolstadii* (827).
1592		*Ioachim Landolt partem Operis Marialis C. germanice versam Dilingae edit* (829).
1592		*Wolfg. Betulanus C. Catechismum minorem in versus latinos transfusum (Constantiae?) edit* (826).
1592		Antonius Welser S. J. a C. ad templum B. Mariae V. in Monticulum ductus convalescit (830).
1592	Circa m. Oct.	*C. Enchiridii pietatis in usum principum a se compositi exemplum manu scriptum Ferdinando iuniori, filio Caroli archiducis Stiriaeque principis, dedicat et mittit* (337 827).
1592	Dec. 30.	Ad Socios collegii exhortationem de votis renovandis habet (832).
1593		*Summa C. slovenice vel illyrice versa iterum editur (?)* (833).
1593		*C. Catechismus minor latine Antverpiae, germanice Salisburgi editur* (834).

1593	—	*C. Catechismus „abbreviatus" cum Thomae a Chares O. P. „Summa Sacramentorum" iterum editur Venetiis* (834).
1593		*P. Antonius Posserinus S. J. in „Bibliotheca selecta" Catechismum C. commendat* (834).
1593	Circa m. Febr.	*C. „Notae in evangelicas lectiones dierum festorum" Friburgi primum in lucem emittuntur* (834).
1593	Circa m. Apr.	Senatus friburgensis C. opera S. Augustini donat (352).
1593	Circa init. Nov.	C. ad Socios collegii exhortationem de Sanctorum cultu habet (838).
1593	Exeunte m. Dec.	Ad Socios exhortationem de votis proxime renovandis habet (839).
1591 ad 1598	—	*C. Catechismus per dioecesim bamb rgensem a Neithardo de Thüngen episcopo distribuitur* (839).
1594	—	*C. Catechismus minor latine Antverpiae, latine gallice-que Lemorici editur* (845).
1594		*Catechismus minor C. aliquantum immutatus et auctus editur in monasterio Thierhaupten* (845).
1594	—	*Psalmus „Miserere" a C. per modum precationis explicatus primum editur Ingolstadii et Monachii* (846).
1594	—	*C. „Christenliche Predig" iterum vulgantur Ingolstadii* (847).
1594	—	*C. „Catholisch Handbüchlein" Friburgi Helvetiorum typis exscribitur* (847).
1594	—	*Ingolstadii editur germanica doctrina de confessione et communione ex C. libris excerpta* (846).
1594	M. Maio	*Friburgi primum in lucem prodit C. „Warhafte Christliche Histori von Sanct Moritzen vnd seiner Thebaischen Legion, auch in sonderheit von Sanct Urso"* (847).
1590 ad 1597	—	*C. libellum ad consolandos catholicos a protestantibus vexatos („Trostbuchle") scribere et „Paradisum animae" germanice reddere incipit* (869).
1595	Circa init. anni	C. a Guilielmo V. Bavariae duce calix argenteus et alia ad supellectilem sacram pertinentia donantur (856).
1595	—	*C. Notae in evangelicas lectiones dierum dominicorum, Friburgi Brisgoriae typis exscriptae, Friburgi Helvetiorum iterum vulgantur* (860).
1595	—	*C. „Bettbuch" cum Catechismo minimo Dilingae iterum editur* (859).
1595	—	*C. „Summa" Venetiis iterum latine editur* (857).
1595	—	*C. Catechismus minor editur vlamice (cum opusculo B. Io. de Avila) Antverpiae, latine Duaci, graeco-latine (per P. G. Mayr) Ingolstadii, germanice (cum additionibus) in monasterio Thierhaupten, „abbreviatus" Venetiis, in versus germanicos transfusus (per Betulanum) Constantiae* (857—858).

1595	—	*C. „Manuale Catholicorum" latine iterum editur Antverpiae* (860).
1595	—	*Meditationes Catechismo minori C. additae eduntur germanice (cum precationibus) in monasterio Thierhaupten* (859).
1595	—	*C. in Hasenmülleri „Iesuitico Ieiunio" conviciis afficitur* (860).
1595	—	Thermipolitani C. per legatos de femina obsessa consulunt (866).
1595	Iul. 21.	Sanctus Franciscus Salesius Chaballicensibus ad fidem reducendis operam navans C. per litteras gratias agit eumque de quaestione quadam biblica consulit (401).
1595 (1594?)	Circa 21. Dec.	Guilielmus Krummenstoll senator friburgensis ex magno vitae discrimine, invocata C. intercessione, emergit (852).
1596	—	*Editio canisiana epistularum S. Hieronymi Parisiis et Lovanii iterum in lucem emittitur* (875).
1596	—	*C. Evangelia et Epistolae dierum sacrorum cum eiusdem Catechismo minore eduntur Posnaniae* (875).
1596	—	*C. Catechismus Parvus Catholicorum editur Nissae* (874).
1596	—	*Friburgi Helvetiorum C., ut videtur, curante cantiones ecclesiasticae eaeque germanicae cum C. Catechismo minimo eduntur* (877).
1596	—	*Dilingae in rudiorum commodum Catechismus C. figuris cupro incisis exprimitur* (874).
1596	—	*Vita S. Idae Toggenburgensis a C. edita Friburgi iterum typis exscribitur* (877).
1596	—	*C. „Speculum militum" („Kriegsleüt Spiegel") sive vitam SS. Mauritii et sociorum a se conscriptam Friburgi Helvetiorum edit* (876).
1596	Aestate (ante m. Aug.)	C., infirmitate obrutus, relicta vita communi, in cubiculo cibum capere et in sacello privato missae sacrificium offerre incipit (431).
1596	Aug. 5.	Socii in novum collegium sollemniter immigrant. C. in eius sacello ultimam vitae contionem habet (880).
1596	Oct. 9.	*C. Marcum Welserum iuniorem hortatur, ut historiam Bavariae ab Aventino scriptam fraudibus sordibusque expurget* (436).
1596	Oct. 7.—14.	Sebastianus Verronius, decanus capituli S. Nicolai, C. duce in Societatis collegio exercitiis S. Ignatii vacat (879).
1595	Exeunte Dec. vel aestate 1597	C. ad Socios collegii exhortationem de renovatione votorum habet (882).
1595 ad 1597	—	*C., quod minimo Catechismo suo variae quaestiones ab aliis admisceantur, editionem, quae sola habenda sit verus catechismus suus, vulgandam (1596—1598) curat* (872).

1597	—	*C. „Catechismus Parvus Catholicorum" editur latine Antverpiae, Duaci, Paderbornae, graeco-latine Ingolstadii, germanice (immutatus) Coloniae* (887).
1597	—	*C. Catechismus minimus Moguntiae iussu archiepiscopi editur, eiusque usus praescribitur* (888).
1597		*C. „Manuale Catholicorum" iterum flandrice editur Antverpiae* (889).
1597		*Epistolae et Evangelia dierum sacrorum cum C. summariis italice eduntur* (890).
1597	—	*Friburgi Helvetiorum a C. editur „Catholisches Denckbüchlin" ad patronorum menstruorum cultum apud sodales marianos fovendum* (889).
1597	—	*Constantiae editur liber precum ex C. aliorumque libris excerptarum* (889).
1597	—	*C. Catechismus in dioecesibus basileensi et coloniensi praescribitur.*
1597	Initio Ian.	Respublica solodurana C. pro vitis SS. Mauritii et Ursi in sui gratiam scriptis opera SS. Hieronymi et Ambrosii donat (450).
1597	Circa initium	C. efficit, ut digitus S. Polycarpi sibi olim donatus Friburgum transferatur (471).
1597	Mart. 5.	C. nomen Soloduri gratitudinis ergo in album fraternitatis S. Ursi refertur (470).
1597	Ineunte vel medio Aug.	Ioannes Turrianus nuntius apostolicus C. convenit (892).
1597	Sub initium m. Sept.	C. aquae intercutis morbo corripitur, ita ut nec sacrum facere, nec cubiculo egredi possit (484).
1597	M. Nov.	A capitulo et senatu reipublicae soloduranae reliquias SS. Ursi et Sociorum eius martyrum pro collegii friburgensis aede impetrat (487).
1597	Nov. vel Dec.	*Ante mortem „Manuale Catholicorum" suum germanicum recognoscit et amplificat. Quod a. 1598 editur* (891).
1597	Circa med. Dec.	Avicula mire pascitur (893).
1597	Circa 17. Dec.	Duo Capucini C. consilii capiendi causa adeunt (904).
1597	Dec. 21.	C. summo mane sacrum Viaticum accipit, circa horam 3. postmeridianam extrema unctione munitur (909—910).
1597	Dec. 21.	Hora $3^3/_4$ post meridiem sancte moritur (912).
1597	Dec. 21.	Supra cubiculum C. modo vita functi mira lux splendet (916).
1597	Dec. 22.	C. in templo S. Nicolai magno populi concursu sepelitur (910—916).
1597	Exeunte m. Dec.	Christophorus Reiff senator friburgensis gravi morbo per C. intercessionem mire levatur (854 943).

IV.

CATALOGUS LIBRORUM,

ex quibus saepius in hoc volumine testimonia proferuntur.

Propter spatii angustias fieri non poterat, ut omnium, quotquot huic volumini componendo adhibiti sunt, librorum tituli hic ponerentur; adhibiti enim sunt plus quam 700 libri; quare ii fere soli hic memorabuntur, qui saepius adhibebuntur; reliqui in ipso volumine suis locis nominabuntur.

Numeris maioribus titulo libri vel nomini auctoris adiciendis non capita nec paragraphi significabuntur, sed paginae vel columnae. Cum autem primum numeri latini, deinde arabici ponentur, primis volumina sive partes operis, alteris paginae vel columnae, minoribus numeris et litteris adnotationes indicabuntur.

Libri, qui operum manu scriptorum instar sunt neque apud bibliopolas venales sunt vel erant, praeposito signo † notantur.

[Abschiede, eidgen.] Die Eidgenössischen Abschiede aus dem Zeitraum von 1556 bis 1586, bearb. von Joseph Karl Krütli [Abschiede Bd. IV, Abt. 2], Bern 1861.

Agricola, Ignatius, S. J., Historia Provinciae Societatis Iesu Germaniae superioris quinque primas annorum complexa decades. Augustae Vindelicorum 1727.

Agricola, Ignatius, S. J., Historia Provinciae Societatis Iesu Germaniae superioris. Pars secunda. Ab Anno 1591. ad 1600. Augustae Vindelicorum 1729.

Alegambe, Philippus, S. J., Bibliotheca Scriptorum Societatis Iesu. Antverpiae 1643.

Alet, P. V., S. J., Le Bienheureux Canisius ou l'Apôtre de l'Allemagne au XVI[e] siècle. Paris 1865.

[Allard] Leven van den gelukzaligen Petrus Canisius S. J. door Pater E. Séguin S. J. In 't Hollandsch overgezet, vermeerderd en verbeterd door P. Bongaerts S. J. Opnieuw bijgewerkt en met een Voorrede voorzien door H. J. Allard S. J. Nijmegen [1897].

Analecta Bollandiana. Tome I—XXXIII. Paris-Bruxelles 1882—1914.

[Antonius, Nicolaus] Bibliotheca Hispana nova sive Hispanorum Scriptorum, qui ab anno MD. ad MDCLXXXIV. floruere, Notitia. Auctore D. Nicolao Antonio hispalensi I. C. Ordinis S. Iacobi equite, patriae Ecclesiae canonico, Regiorum negotiorum in Urbe et Romana curia procuratore generali, consiliario Regio. Nunc primum prodit recognita emendata aucta ab ipso Auctore. Tomi 2. Matriti 1783 1788.

Aretin, C. M. Freiherr von, Geschichte des bayerischen Herzogs und Kurfürsten Maximilian des Ersten. Erster Band. Passau 1842.

Astrain, Antonio, S. J., Historia de la Compañía de Jesús en la Asistencia de España. Tomo I. San Ignacio de Loyola 1540—1556. Madrid 1902. Tomo II. Laínez—Borjia 1556—1572. Madrid 1905. Tomo III. Mercurián—Aquaviva [primera parte] 1573—1615. Madrid 1909.

Backer v. „De Backer".

Berthier, Fr. J.-J. [O. Praed.], Lettres de Jean-François Bonomio Nonce apostolique en Suisse à Pierre Schnewly Prévôt de Saint-Nicolas de Fribourg, aux Magni-

tiques Seigneurs de Fribourg et à d'autres personnages (1579–1586). Fribourg 1894.
[Bertigny] Le Bienheureux Pierre Canisius. Prêtre de la Compagnie de Jésus, Fondateur du Collège de Fribourg. Par Héliodore Raemy de Bertigny. Fribourg en Suisse 1865.
Biographie, Allgemeine deutsche. Band 1–56. Leipzig 1875–1912.
Boero, Giuseppe, S. J., Vita del Beato Pietro Canisio della Compagnia di Gesù detto l'Apostolo della Germania. Roma 1864.
[Bovet, Pierre, O. Min. Conv.] Le Bienheureux Père Pierre Canisius et le Canton de Fribourg. Par P. P. C. C. Propriété de la maison-mère des sœurs de Sainte-Croix à Ingenbohl. 1865.
Braunsberger, Otto, S. J., Entstehung und erste Entwicklung der Katechismen des seligen Petrus Canisius aus der Gesellschaft Jesu (57. Ergänzungsheft zu den „Stimmen aus Maria-Laach"). Freiburg i. Br. 1893.
Braunsberger, Otto, S. J., Petrus Canisius. Ein Lebensbild. Freiburg i. Br. 1917.

[Ciaconius-Oldoinus] Vitae, et res gestae Pontificum Romanorum et S. R. E. Cardinalium. Alphonsi Ciaconii O. Pr. et aliorum opera descriptae, ab Augustino Oldoino S. J. recognitae. Tomus tertius. Romae 1677.
† Constitutiones Soietatis Iesu cum Declarationibus. Auctore S. Ignatio de Loyola Societatis eiusdem Fundatore. Roma 1908.

Daurignac, J. M. S., Histoire du Bienheureux Pierre Canisius de la Compagnie de Jésus, Apôtre de l'Allemagne. Paris 1866.
De Backer, Augustin, S. J., Bibliothèque des écrivains de la Compagnie de Jésus. Nouvelle édition. Tome I. Liège-Paris 1869. Tome II. Liège-Lyon 1872. Tome III. Louvain-Lyon 1876.
Degli Oddi v. „Oddi".
Dellion, P. Apollinaire, Ord. Cap., Dictionnaire historique, statistique des paroisses catholiques du Canton de Fribourg. Sixième Volume. Fribourg 1888.
[Dorigny, Jean, S. J.] La vie du Reverend Pere Pierre Canisius, de la Compagnie de Jesus. A Paris 1707.
Duhr, Bernhard, S. J., Die Jesuiten an den deutschen Fürstenhöfen des 16. Jahrhunderts. Auf Grund ungedruckter Quellen. Freiburg i. Br. 1901 (Erläuterungen und Ergänzungen zu Janssens Geschichte des deutschen Volkes. Herausgegeben von Ludwig Pastor. II. Band, 4. Heft).
Duhr, Bernhard, S. J., Geschichte der Jesuiten in den Ländern deutscher Zunge. I. Band: Geschichte der Jesuiten in den Ländern deutscher Zunge im XVI. Jahrhundert. Freiburg i. Br. 1907. II. Band: Geschichte der Jesuiten in den Ländern deutscher Zunge in der ersten Hälfte des XVII. Jahrhunderts. 1. Teil. Freiburg i. Br. 1913. 2. Teil ebenso.

[Faber, Petrus] Fabri Monumenta. Beati Petri Fabri primi Sacerdotis e Societate Iesu Epistolae, Memoriale et Processus ex autographis aut archetypis potissimum deprompta. Matriti 1914. (In opere: „Monumenta historica Societatis Jesu a Patribus ejusdem Societatis edita".)
Feller, Richard, Ritter Melchior Lussy von Unterwalden, seine Beziehungen zu Italien und sein Anteil an der Gegenreformation. 2 Bde. Stans 1906–1909.
Flotto, Adamus, S. J., Historiae Provinciae Societatis Iesu Germaniae superioris a P. Ignatio Agricola S. J. p. m. olim coeptae, nunc continuatae Pars tertia. Ab Anno 1601. ad 1610. Augustae Vindelicorum 1734.
[Fontaine, Carolus Aloisius] Notice historique sur la chambre des Scolarques de la ville de Fribourg, depuis son origine jusqu'au XIX[me] siècle, par M. le Chanoine Fontaine. Editée par le Dr Berchtold, Scolarque. Fribourg 1850.
Fouqueray, Henri, S. J., Histoire de la Compagnie de Jésus en France des origines à la suppression (1528–1762). Tome I. Les origines et les premières luttes

(1528—1575). Paris 1910. Tome II. La Ligue et le Bannissement (1575 ad 1604). Paris 1913.
Fuligatti, Giacomo, S. J., Vita del P. Pietro Canisio della Compagnia di Giesù. Roma 1649.

Garcia, Ramon, S. J., Vida del Beato Pedro Canisio, sacerdote profeso de la Compañía de Jesus. Madrid 1865.
Genoud, J., Le Bienheureux Pierre Canisius. Fribourg 1915.

Haller, Gottlieb Emanuel von, Bibliothek der Schweizer-Geschichte und aller Theile, so dahin Bezug haben. Dritter Theil. Bern 1786.
Hansen, Joseph, Nuntiaturberichte aus Deutschland 1572—1585 nebst ergänzenden Actenstücken. II. Bd: Der Reichstag zu Regensburg 1576. Der Pacificationstag zu Köln 1579. Der Reichstag zu Augsburg 1582. Im Auftrage des k. preußischen historischen Instituts in Rom bearbeitet. Berlin 1894 (Nuntiaturberichte aus Deutschland nebst ergänzenden Actenstücken. 3. Abteilung. 1572 ad 1585).
Heinemann, Franz, Geschichte des Schul- und Bildungswesens im alten Freiburg bis zum 17. Jahrhundert. Freiburg 1895.
Hirn, Joseph, Erzherzog Ferdinand II. von Tirol. Geschichte seiner Regierung und seiner Länder. 2 Bände. Innsbruck 1885 1888.
Hurter, Friedrich von, Geschichte Kaiser Ferdinands II. und seiner Eltern. 11 Bände. Schaffhausen 1850 1850 1851 1851 1852 1853 1854 1857 1858 1861 1864.
Hurter, H., S. J., Nomenclator Literarius Theologiae Catholicae. Theologos exhibens aetate, natione, disciplinis distinctos. Tomi 5. Editio tertia. Oeniponte. Tom. I. 1903; II 1906; III 1907; IV 1910; V Pars I 1911; Pars II 1913.

Janssen, Johannes, Geschichte des deutschen Volkes seit dem Ausgang des Mittelalters. Freiburg i. Br. I. Bd. 19. u. 20. Aufl., besorgt von Ludw. v. Pastor 1913; II. Bd., 19. u. 20. Aufl., besorgt von L. v. Pastor 1915; III. Bd., 19. u. 20. Aufl., besorgt von L. Freih. v. Pastor 1917.
Ignatius de Loyola, S., v. „Constitutiones" et „Institutum".
† Institutum Societatis Iesu. 3 voll. Florentiae 1892 1893 1893.
Iuvencius, Iosephus, S. J., Historiae Societatis Iesu Pars Quinta. Tomus posterior. Ab anno Christi MDXCI. ad MDCXVI. Romae 1710.

Kälin, J., Franz Guillimann, in „Freiburger Geschichtsblätter" XI, Freiburg i. Ue. 1905, 1—223.
Kapp, Friedrich, Geschichte des Deutschen Buchhandels bis in das siebzehnte Jahrhundert. Leipzig 1886.
[Kirchenlexikon] Wetzer und Welte's Kirchenlexikon. 2. Aufl., begonnen von Joseph Cardinal Hergenröther, fortgesetzt von Dr. Franz Kaulen. 12 Bde. Freiburg i. Br. 1882—1901.
[Kohler, Xavier] Le Bienheureux Canisius et ses récents biographes. Porrentruy 1866.
Kratz, Wilhelm, S. J., Aus alten Zeiten. Die Marianischen Kongregationen in den Ländern deutscher Zunge. Ihr Werden und Wirken von 1575 bis 1650. Innsbruck-Wien-München [1917] (Sodalenbücher. Herausgegeben von der Zentralstelle für Mar. Kongregationen. Bd. 3).
Kröss, Alois, S. J., Der selige Petrus Canisius in Österreich. Wien 1898.
Kroess, Alois, S. J., Geschichte der böhmischen Provinz der Gesellschaft Jesu. I. Geschichte der ersten Kollegien in Böhmen, Mähren und Glatz von ihrer Gründung bis zu ihrer Auflösung durch die böhmischen Stände 1556—1619. Wien 1910 (Quellen und Forschungen zur Geschichte, Literatur und Sprache Österreichs und seiner Kronländer. Durch die Leogesellschaft herausgegeben von Dr. J. Hirn und Dr. J. E. Wackernell. XI).
Kropf, Franciscus Xaverius, S. J., Historia Provinciae Societatis Iesu Germaniae superioris. Pars quarta. Ab Anno M. DC. XI. ad Annum M. DC. XXX. Mona-

chii 1746. Pars quinta. Ab Anno 1631. ad Annum 1640. Augustae Vindelicorum 1754.

Krütli v. „Abschiede".

† Litterae Apostolicae, quibus institutio, confirmatio, et varia Privilegia continentur Societatis Iesu. Antverpiae 1635.

Lütolf, Alois, Die Glaubensboten der Schweiz vor St. Gallus. Luzern 1871.

[Manareus, Oliv., S. J.] De rebus Societatis Iesu Commentarius Oliverii Manarei. Florentiae 1886.

Mayer, Joh. Georg, Das Konzil von Trient und die Gegenreformation in der Schweiz. 2 Bde. Stans 1901 1903.

Mederer, Io. Nep., Annales Ingolstadiensis Academiae. Partes 4. Ingolstadii 1782.

Meister, Karl Severin, Das katholische deutsche Kirchenlied in seinen Singweisen. 2 Bde. Freiburg i. Br. 1862 1883.

Michel, L., S. J., Vie du Bienheureux Pierre Canisius, Apôtre de l'Allemagne et de Fribourg, d'après le P. J. Boero et des documents inédits, illustrée de nombreuses gravures. Société de Saint-Augustin 1897.

Migne, J.-P., Patrologiae Cursus completus. Series Latina. Tomi 221. Parisiis 1844—1864. Series Graeca. Tomi 161, Parisiis 1857—1866.

Missale ad vsum Lausannensem de nouo impressum . . . reuisum per . . . Sebastianum de monte falcone episcopum Lausannensem et principem. Lugduni 1522.

Mülinen, Egbert Friedrich von, Helvetia Sacra, oder Reihenfolge der kirchlichen Obern und Oberinnen in den ehemaligen und noch bestehenden, innerhalb dem gegenwärtigen Umfange der schweizerischen Eidgenossenschaft gelegenen Bisthümern, Collegiatstiftern und Klöstern. 1. Th. Bern 1858. 2. Th. Bern 1861.

[Oddi] Vita del Venerabil Servo di Dio il Padre Pietro Canisio della Compagnia di Gesú 'scritta, e dedicata all' Altezza Serenissima di Clemente Augusto Arcivescovo di Colonia, del S. R. I. Principe Elettore . . . da Longaro degli Oddi della medesima Compagnia. In Napoli 1755.

Pachtler, G. M., S. J., Ratio Studiorum et Institutiones Scholasticae Societatis Iesu per Germaniam olim vigentes. Tomi 4. Berlin 1887 1887 1890 1894 (Monumenta Germaniae Paedagogica, herausgeg. von Karl Kehrbach. Bd. 2 5 9 16).

Pastor, Ludw. Freih. v., Geschichte der Päpste. Bd. IX. Freiburg i. Br. 1922.

† [Positio a. 1734] Sacra Rituum Congregatione Eño, et Rño Dño Card. de Gentilibus Lausannen. Beatificationis, et Canonizationis Ven. Servi Dei Petri Canisij Sacerdotis Professi Societatis Iesu Positio super dubio An, et quomodo sit signanda Commissio in casu etc. Romae, M. DCC. XXXIV. Ex Typographia Reu. Cam. Apost. Superiorum facultate.

† [Positio a. 1833] Sacra Rituum Congregatione Eño, et Rño Domino Cardinali Pedicini Episcopo Praenestino Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto Relatore Lausannen. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Petri Canisii Sacerdotis Professi e Societate Iesu. Positio super virtutibus. Romae MDCCCXXXIII. Ex Typographia Reverendae Camerae Apostolicae.

Possevinus, Antonius, S. J., Apparatus sacer. Tomi 2. Coloniae Agrippinae 1608.

Python, Petrus, S. J., Vita R. P. Petri Canisii S. J. Gallico idiomate scripta a R. P. Ioanne Dorigny, nunc latinitate donata et multarum rerum accessione aucta. Monachii 1710.

[Quetif-Echard] Scriptores Ordinis Praedicatorum recensiti, notisque historicis et criticis illustrati. Inchoavit R. P. F. Iacobus Quetif, absoluit R. P. Iacobus Echard O. Praed. Tomus I. Lutetiae Parisiorum 1719. Tomus II. Lutetiae Parisiorum 1721.

Raderus, Matthaeus, S. J., De Vita Petri Canisii de Societate Iesu, Sociorum e Germania primi, religiosissimi et doctissimi viri, bono rei Catholicae nati, Libri tres. Monachii 1614.

Rapp, Ludwig, Königin Magdalena von Oesterreich, Stifterin des königlichen Stiftes zu Hall in Tirol. Ein Lebensbild aus dem sechzehnten Jahrhundert. 2. Aufl. Brixen 1899.

Reiffenbergius, Fridericus, S. J., Historia Societatis Iesu ad Rhenum inferiorem. Tomus I. Coloniae Agrippinae 1764.

Reusch, Fr. Heinrich, Der Index der verbotenen Bücher. Ein Beitrag zur Kirchen- und Literaturgeschichte. I. Bd. Bonn 1883. II. Bd., 1. und 2. Abteilung. Bonn 1885.

Riess, Florian, S. J., Der selige Petrus Canisius aus der Gesellschaft Iesu. Aus den Quellen dargestellt. Freiburg i. Br. 1865.

Sacchinus, Franciscus, S. J., De Vita et Rebus gestis P. Petri Canisii de Societate Jesu, Commentarii. Ingolstadii 1616.

Sacchinus, Franciscus, S. J., Historiae Societatis Iesu Pars Quinta sive Claudius. Tomus prior. Res extra Europam gestas, et alia quaedam suppleuit Petrus Possinus S. J. Romae 1661.

Schaller, H., Institutions politiques de la ville et république de Fribourg sous l'ancien régime, in „Revue de la Suisse catholique" Vol. 18., Fribourg en Suisse 1887, 561—574.

Schlosser, Georgius, S. J., Beati Petri Canisii S. J. Exhortationes domesticae collectae et dispositae. Ruraemundae 1876.

Schmidl, Ioannes, S. J., Historiae Societatis Jesu Provinciae Bohemiae Pars prima ab anno Christi MDLV. ad annum MDXCII. Pragae 1747. Pars II. ab anno Christi MDXCIII. ad annum MDCXV. Pragae 1749.

Séguin, Eugène, S. J., Vie du Bienheureux Pierre Canisius de la Compagnie de Jésus. Paris 1864.

Séguin-Allard v. „Allard".

Sommervogel, Carlos, S. J., Bibliothèque de la Compagnie de Jésus. Nouvelle édition Bibliographie. T. I—IX. Bruxelles-Paris 1890 1891 1892 1893 1894 1895 1896 1898 1900. T. X. par Pierre Bliard. Paris 1909.

Sotvellus, Nathanael, S. J., Bibliotheca Scriptorum Societatis Iesu. Romae 1676.

Specht, Thomas, Die Matrikel der Universität Dillingen, in „Archiv für die Geschichte des Hochstifts Augsburg", II. Bd. Dillingen a. D. 1909—1910.

[Steffens-Reinhardt] Nuntiaturberichte aus der Schweiz seit dem Concil von Trient. I. Abteilung. Die Nuntiatur von Giovanni Francesco Bonhomini 1579—1581. Documente, I. Bd.: Aktenstücke zur Vorgeschichte der Nuntiatur 1570—1579. Die Nuntiaturberichte Bonhomini's und seine Correspondenz mit Carlo Borromeo aus dem Jahre 1579. Bearbeitet von Franz Steffens und Heinrich Reinhardt. Solothurn 1906. Dokumente, II. Bd.: Die Nuntiaturberichte Bonhomini's und seine Correspondenz mit Persönlichkeiten der Schweiz aus dem Jahre 1580. Bearbeitet von Franz Steffens und † Heinrich Reinhardt. Solothurn 1917.

Steinhuber, Andreas, Cardinal, S. J., Geschichte des Kollegium Germanikum Hungarikum in Rom. 2. Aufl. 2 Bde. Freiburg i. Br. 1906.

Stückelberg, E. A., Geschichte der Reliquien in der Schweiz. I. Bd., Zürich 1902; II. Bd., Basel 1908.

[Theiner] Annales Ecclesiastici, quos post Caesarem S. R. E. Card. Baronium Odoricum Raynaldum ac Iacobum Laderchium Presbyteros Congregationis Oratorii de Urbe ab an. MDLXXII. ad nostra usque tempora continuat Augustinus Theiner eiusdem Congregationis presbyter. Tomus tertius. Romae 1856.

Zeitschrift für katholische Theologie. 1.—44. Jahrgang. Innsbruck 1877—1919.

V.

DESCRIPTIO CODICUM MANU SCRIPTORUM
in hoc volumine adhibitorum.

Ad huius voluminis epistulas actaque colligenda et illustranda adhibiti sunt 220 fere codices, fasciculi etc. manu scripti, qui in variarum terrarum archivis, bibliothecis etc. asservantur:

Augustae Vindelicorum (Augsburg) in archivo familiae fuggericae (1);
Basileae (Basel) in archivo reipublicae (2);
Bernae (Bern) in archivo reipublicae (3);
Bruntruti (Porrentruy, Pruntrut) in bibliotheca urbis (1);
Bruxellis (Bruxelles) in bibliotheca regia (1);
Carolsruhae (Karlsruhe) in archivo generali reipublicae (1);
Coloniae Agrippinae (Köln a. Rh.) in archivo studiorum fundatorum, quod in archivo historico urbis asservatur (2);
Dilingae (Dillingen a. D.) in bibliotheca studiorum (2);
Einsidlae (Einsiedeln) in bibliotheca monasterii benedictini (2);
Eystadii (Eichstätt) in archivo curiae episcopalis (1);
Friburgi Helvetiorum (Fribourg en Suisse) in archivo episcopali (2), in archivo reipublicae (35), in archivo congregationis marianae civium (1), in archivo congregationis marianae feminarum (1), in archivo familiae Techtermann de Bionnens (1), in bibliotheca reipublicae et universitatis (12), in bibliotheca Patrum Minorum Conventualium (1), in bibliotheca familiae Techtermann (Brouch) (1), in bibliotheca familiae Reynold (1);
Guelpherbyti (Wolfenbüttel) in bibliotheca publica (1);
Halae Tirolis (Hall in Tirol) in archivo urbis (1);
Hunfeldiae (Hünfeld prope Fuldam) in bibliotheca PP. Oblatorum Mariae Immaculatae (1);
Leopoli (Lwów, in Polonia) in bibliotheca ossolinsciana (Ossoliński) (1);
Londini (London) in museo britannico (2);
Lucernae (Luzern) in archivo reipublicae (2);
Mediolani (Milano) in bibliotheca ambrosiana (3);
Monachii (München) in archivo curiae archiepiscopalis (1); in archivo ecclesiae S. Michaelis (1); in archivo maiore status („Reichs-

archiv") (4); in provinciali (Kreisarchiv) (1); in bibliotheca reipublicae bavaricae (Staatsbibliothek) (6); in bibliotheca universitatis (2);

Oeniponte (Innsbruck) in archivo praefecturae (Statthalterei-Archiv) (2); in museo ferdinandeo (1);

Romae in archivo vaticano (11); in archivo brevium (1); in archivo collegii germanici (3); in bibliotheca vaticana (4); in bibliotheca nationali (1); in bibliotheca casanatensi (1); in

Societatis Iesu variis archivis, bibliothecis etc. (93);

Solodori (Solothurn) in archivo reipublicae (4); in bibliotheca urbis (1);

Treveris (Trier) in bibliotheca urbis (2);

Vercellis (Vercelli) in archivo capituli metropolitani (2);

Vesontione (Besançon) in bibliotheca publica (1);

Vindobonae (Wien) in bibliotheca palatina (2).

Variis locis epistulae aliave scripta mihi occurrerunt, quae nec certo codici vel fasciculo coniuncta nec numeris signata erant: quare separatis his foliis codicem ascribere non poteram.

Codices omnes describere longum est. Ideo hoc loco aliquos tantum nominatim recensebo, quibus saepius in hoc volumine utar. Reliquos vero, ubi iis utar, nominabo et, quantum res feret, describam. Ceterum vide „Indicem alphabeticum nominum et rerum" in postrema huius voluminis parte ponendum; ibi enim nominibus urbium, in quibus codices illi (exceptis codicibus Societatis Iesu) asservantur, ultimo loco addetur v. g. „archivum reipublicae", „bibliotheca universitatis", et adscribentur paginae eiusdem voluminis, quibus archivi vel bibliothecae illius codices (vel libri antiqui) erunt commemorati.

Codices omnes chartacei sunt, et, exceptis codicibus Societatis Iesu, ab urbibus denominabuntur, in quibus nunc asservantur. In descriptione singulorum codicum verba prima, signis „ " inclusa, nomen sive notam significabunt illam, quae in hoc ipso volumine, post nomen urbanum, codici designando adhibebitur.

Ubi autem cuiuscumque codicis nomini vel notae nullum praepositum erit nomen urbanum (ut „friburg.", „monac."), eo ipso significabitur, Societatem Iesu in codicis possessione esse.

1. Codex dilinganus.

Dilingae (Dillingen a. D., in Bavaria) in bibliotheca studiorum:

„**Schmalzgr.**" Inscriptio antiqua in dorso: „Schmalz | grueber". Codex in 2°, conglutinatus charta densa; nec folia, nec paginae numeris signatae sunt; totum tamen opus per 786 paragraphos distinctum est. Incipit in pagina priore folii secundi: „Societatis IESU, seu Civitatis Friburgi Helvetiorum Beatificationis Ven. DEI Servi Petri Canisij, ejusdem Societatis Presbyteri." Terminatur: „ab eo, qui glorificantes se glorificat, concedi quam proxime". Paginae interiori involucri anterioris affixa est schedula, in qua manu antiqua scriptum est: „Processus hic Beatificationis ven: Dei Servi Petri Canisii est a P. Francisco Schmalzgrueber conscriptus". Haec verba confirmantur epistulis, quas commemorat *Sommervogel*, Biblioth. VII, 797—798. Codex igitur continet opus typis non exscriptum P. *Francisci Schmalzgrueber* (1663—1735) S. J., qui diu in universitatibus dilingana et ingolstadiensi docuit et scientiam iuris canonici insignibus libris illustravit. Liber incipit a compendio quodam vitae Canisii (n. 1—63).

Sequuntur quaestiones de processibus beatificationis vel canonizationis ab episcopis instituendis: quarum responsiones ad processus de Canisio institutos applicantur (n. 64—123). Deinde ostenditur, quae sint signa virtutum heroicarum, et quomodo probandum sit, eas in servis Dei exstitisse (n. 124—238), atque demonstratur in Canisio vere eas effulsisse (n. 239—367). Porro huius mors describitur et doctrina laudatur. Postea quid de eo senserint tum clari eius aetatis viri, tum vulgus hominum, ac qui ei cultus sit exhibitus, enarratur; dicitur etiam, sub quibus condicionibus sperari possit processum apostolicum incohatum iri (n. 368—461). Ostenditur tandem, quid sit miraculum, et qui eius usus in processibus canonizationum; Canisii autem miracula permulta proferuntur.

2. Codices friburgenses.

a) Friburgi Helvetiorum (Fribourg en Suisse) in archivo reipublicae:

„Epp. ad Schn.“ Codex in 2°, vestitus membrana. Inscriptio recens in pagina priore involucri anterioris: „Lettres Du R.me Evêque de Verceil Jean François Bonhomij, Nonce apostolique, adressées au Prévôt de St: Nicolas du 2. 8.bre 1579 · au mois d'Août 1586 · Pierre Schneuwly.“ Signatura recens: Nr. 449.“ Folia numeris signata 83. Accedunt complura folia non signata eaque fere vacua. Codex continet 70 fere epistulas archetypas a Ioanne Francisco Bonhomio episcopo vercellensi et apostolico apud Helvetios, Germanos, Belgas nuntio, datas ad Petrum Schnewly, capituli atque ecclesiae collegialis S. Nicolai apud Friburgenses Helvetios praepositum et Antonii de Gorrevod episcopi lausannensis vicarium generalem. Accedunt epistulae duae ab eodem Bonhomio ad senatum friburgensem datae. In plerisque epistulis subscriptio tantum manu ipsius Bonhomii facta est. Praepositus iis est index rerum, a Schneulino ipso scriptus, et instructio quaedam ad visitandas parochias.

Codicis epistulas primus edidit et adnotationibus illustravit P. *J.-J. Berthier* O. Pr. in „Revue de la Suisse catholique“ Vol. XXIV. XXV. (Fribourg 1893 1894), et in „Lettres de Jean-François Bonomio nonce apostolique en Suisse“ (Fribourg 1894). Codice usi sunt etiam *Fr. Steffens* et *H. Reinhardt,* Nuntiaturberichte aus der Schweiz seit dem Concil von Trient. I. Abteilung. Dokumente. I. Band, Solothurn 1906, II. Bd., Solothurn 1917.

b) Friburgi Helvetiorum in bibliotheca reipublicae et universitatis:

„Cod. iur. coll.“ Descriptus in vol. VII, p. LXX.

„Hist. coll. Frib.“ Descriptus in vol. VII, p. LXXI.

3. Codex monacensis.

Monachii in bibliotheca reipublicae (Staatsbibliothek):

„Lat. 1606“. Descriptus in vol. I, p. LVII.

4. Codex romanus.

Romae in archivo collegii germanici:

„All. coll. Germ.“ Descriptus in vol. I, p. LVII—LVIII.

5. Codices Societatis Iesu.

Non repetam, quae *Can.* V LXX dixi de veteribus Societatis historicis (ut *Francisco Sacchino* S. J.), qui his codicibus, etiamsi fortasse eos planis non commemorabant verbis, saepe usi sunt ad enarrandas res a Sociis temporibus illis gestas. Ego, si quem ex recentibus huiusmodi codice usum esse noverim, eius nomen hoc loco ponam, facile confitens, ne hos quidem omnes mihi in notitiam venisse. Ceterum eorundem in singulis quoque epistulis monumentisque, quantum res feret, mentionem faciam.

1. „I 36.“ Inscriptio recens in dorso: „ACTA | COLLEGII FRIBURG | I. | 1580—1773. | Prov. Ger. | Arch. | I. | 36“. Codex in 2°, conglutinatus charta densa, ff. numeris signatorum 197, non sign. 2 in initio et 1 in fine. Incipit in f. 2ª non sign.: „Exemplar literarum apostolicarum de vnione.“ Terminatur f. 197ª: „tutatur utramque. A. S.“ Continet multa variaque monumenta ad collegii Societatis Friburgi Helvetiorum instituti historiam pertinentia, eaque alia archetypa, alia apographa: Epistulas praepositorum generalium et provincialium, rectorum collegii, senatorum friburgensium; litteras annuas collegii; commentarios; alia scripta; quae annos fere 1580—1773 complectuntur et ad collegii ministeria sacra, disciplinam domesticam, aedificia, bona pertinent.

Litteris huius codicis usi sunt *Flor. Riess*, S. J., Der selige Petrus Canisius, Freiburg im Breisgau 1865, et *Bern. Duhr* S. J., Geschichte der Jesuiten in den Ländern deutscher Zunge I, Freiburg im Breisgau 1907.

2. „II. 42.“ Codex descriptus in *Can.* V, LXXV.

3. „VI. 35.“ Codex descriptus in *Can.* VII, LXXIII.

4. „Bonh. I.“ Codex in 2°, charta densa vestitus. Inscriptio recens in dorso „Mons. | Bonomi | Minute | Epistolari | 1582 et 8. . .“ Incipit f. 1° signato: „Capitulo et Canonicis Ecclesiae Vercellensis.“ Terminatur f. 208ᵇ: „300. Episcopo Wratislaviae.“ Codex habet ff. sign. 208 et praeterea in initio et in fine 1 non sign. Continet commentaria (brouillons, minute, Concepte) epistularum, quas Ioannes Franciscus Bonhomius (Bonhomini) apostolicus apud Rudolphum II. imperatorem nuntius et episcopus vercellensis a d. 14. Decembris 1581 ad d. 24. Iulii 1582 ex Austria, Bohemia, Hungaria, Suebia dedit ad multos viros ecclesiasticos et saeculares, velut ad S. Carolum Borromaeum cardinalem et archiepiscopum mediolanensem, B. Petrum Canisium, cardinalem Claudium de la Baume archiepiscopum vesontinum (Besançon), archiepiscopos Gebhardum a Waldburg coloniensem, Georgium Drascovitium coloczensem (Kalocsa), Martinum Medek pragensem, episcopos Stephanum Radetium agriensem (Erlau), Marquardum a Berg augustanum, Martinum ab Eyb bambergensem, Iacobum Christophorum Blarer a Wartensee basileensem, Antonium a Gorrevod lausannensem, Lambertum Gruter neostadiensem (Wiener-Neustadt), Stanislaum Pawlowsky olomucensem, Urbanum a Trennbach passaviensem, Nicolaum Telegdium quinqueecclesiensem (Fünfkirchen, Pecs), Casparem Neubeck vindobonensem, Martinum Gerstmann vratislaviensem (Breslau), Balthasarem a Dernbach O. S. B. abbatem principemque fuldensem, abbates monasteriorum benedictinorum S. Galli et melicensis (Melk), praepositum canonicorum regularium O. S. Aug. neoburgensium (Klosterneuburg), Petrum Schnewly praepositum friburgensem, Henricum Blyssemium praepositum provinciae austriacae Societatis Iesu, rectores collegiorum S. J. augustani, lucernensis, oenipontani, pragensis, vindobonensis, Ioannem Michel O. Min. Conv., Martinum Dumium consiliarium ecclesiasticum ducis Bavariae, item ad Carolum, Ernestum, Ferdinandum II., Maximilianum archiduces Austriae, Guilielmum V. ducem Bavariae, Marcum Fuggerum, Georgium Ederum, alios episcopos, abbates, canonicos, consiliarios etc. Haec epistularum commentaria omnia vel paene omnia ab Ioanne Antonio Caresana Bonhomii secretario et canonico vercellensi [1] scripta, ab ipso autem Bonhomio plurimis locis emendata et amplificata sunt.

Codice usus est *Ios. Hansen*, Nuntiaturberichte aus Deutschland 1572—1585, 2. Bd. Berlin 1894.

5. „Can. 36.“ Codex in 4° minore, vestitus membrana alba. Signatura novissima in pagina priore folii secundi non signati: „Canisiana 36.“ Signaturae paulo antiquiores: In dorso: „Scripta | B. P. Canisii | X. M. a“; in pagina priore folii primi non signati: „Scripta V. P. Canisii 35. Gorheim 22. Sept. 1860“; numerus tamen 35 et quae sequuntur, lineis transmissis oblitterata sunt. Incipit in pagina

[1] *Fr. Steffens* u. *H. Reinhardt*, Nuntiaturberichte aus der Schweiz, Dok., 2. Bd., Solothurn 1917, x.

aversa involucri anterioris: „De merito Christi ut thesauro maximo“; terminatur in pagina adversa involucri posterioris: „celum ascendere nisi Christus potest.“ Habet ff. signata 200 et praeterea in initio 2 non sign.

Continet commentaria contionum a Canisio Friburgi Helvetiorum in templis S. Nicolai et Beatae Mariae Virginis ab 18. Decembris 1580 ad 30. Aprilis 1581 habitarum et duas „exhortationes“ sacras ab eodem aliquanto post ad collegii friburgensis Socios habitas. Contionum maior pars a P. Roberto Ardreno S. J., qui Canisii socius et adiutor erat, scripta est; Canisius reliquas contiones scripsit et Ardreni scripta emendavit atque auxit. In primis illis foliis duobus duo contionum indices scripti sunt, alter manu ipsius Canisii, alter manu recenti.

Codice usus est *G. Schlosser* S. J., Beati Petri Canisii S. J. Exhortationes domesticae, Ruraemundae 1876.

6. **„Can. 37.“** Codex in 4°, vestitus membrana alba. Signatura novissima in pagina priore folii primi, non signati: „Canisiana 37.“ Signaturae paullo antiquiores: In dorso: „Scripta | B. P. Canisii | X. N, a.“ In pagina priore folii secundi, non signati: „Scripta V. P. Canisii 13. | Gorhemi 22. Sept. 1860“; numerus tamen 13 et quae sequuntur, lineis transmissis oblitterata sunt. Incipit in pagina aversa involucri anterioris: „Conciones Dominicales. Dominica 1 Aduentus 18.“; terminatur in pagina priore involucri posterioris: „mehr des gallen bittern, denn deß honig süßen.“ Habet folia numeris signata 252 et praeterea in initio 3 non signata.

Continet commentaria orationum sacrarum a Canisio Friburgi Helvetiorum in ecclesiis S. Nicolai et Mariae Virginis a d. 28. Octobris 1582 usque ad 7. Iunii 1584 habitarum; ex commentariis tamen ad a. 1584 pertinentibus aliqua priores tantum illarum orationum partes continent; posteriores autem partes in codice „Can. 38“ exstant. His orationibus contio a. 1589 habita et duae exhortationes sacrae ad collegii friburgensis Socios habitae accedunt. In quattuor postremis codicis paginis Canisius varia ad fidem et mores spectantia notavit. Longe maximam commentariorum partem Canisius sua manu scripsit. Reliqua tribus manibus ignotis scripta et a Canisio recognita sunt.

Codice usus est *Schlosser*, Beati Petri Canisii Exhortationes domesticae.

7. **„Can. 38.“** Codex in 4°, vestitus membrana. Signatura novissima in pagina priore folii primi non signati: „Canisiana 38.“ Signaturae paullo antiquiores: In dorso: „Scripta | B. P. Canisii | X. O. a.“ In pagina priore folii secundi, non signati: „Scripta V. P. P. Canisii 45. Gorheim 22 Sept. 1860“; numerus tamen 45, et quae sequuntur, litteris transmissis deleta sunt. Incipit in pagina aversa involucri anterioris: „Jn festo S. Andreae.“ Terminatur f. 269a: „Sophon. 3 Nugas qui a lege recesserant, congregabo.“ Habet folia numeris signata 269, et praeterea in initio ff. 4 non signata.

Continet commentaria longe maximam partem latina orationum sacrarum a Canisio Friburgi Helvetiorum in variis ecclesiis, maxime autem in aede primaria S. Nicolai, germanice habitarum a d. 17. Februarii 1584 ad 21. Decembris 1585. Orationes tamen complures primis mensibus a. 1584 habitae ex parte tantum in hoc codice sunt positae; reliquae autem earum partes, sicut etiam complures orationes integrae ad idem tempus pertinentes exstant in cod. „Can. 37“: vide supra n. 6. Accedunt exhortationes aliquot a Canisio ad Socios friburgenses inter a. 1584 et 1589 habitae, „collectanea“ et excerpta ex Sacra Scriptura, „Maldonato“, „Ruardo Tappero“, „Granata“ (Ludovico de Granata O. Pr.), notata alia. Maximam codicis partem Canisius sua manu scripsit. Reliqua tribus fere manibus ignotis scripta et a Canisio recognita sunt. In primis duabus codicis paginis 3 indices dierum sacrorum et rerum tractatarum exstant, quorum duos primos Canisius, tertium P. Hermannus Hafner S. J. († 1914) scripserunt.

Codice usus est *Schlosser* l. c.

8. **„Can. 39.“** Codex in 4° minore, vestitus membrana alba. Signatura novissima in pagina priore folii primi, non signati: „Canisiana 39.“ Signaturae paulo

1. „I 36." Inscriptio recens in dorso: „ACTA | COLLEGII FRIBURG | I. | 1580—1773. | Prov. Ger. | Arch. | I. | 36". Codex in 2°, conglutinatus charta densa, ff. numeris signatorum 197, non sign. 2 in initio et 1 in fine. Incipit in f. 2a non sign.: „Exemplar literarum apostolicarum de vnione." Terminatur f. 197a: „tutatur utramque. A. S." Continet multa variaque monumenta ad collegii Societatis Friburgi Helvetiorum instituti historiam pertinentia, eaque alia archetypa, alia apographa: Epistulas praepositorum generalium et provincialium, rectorum collegii, senatorum friburgensium; litteras annuas collegii; commentarios; alia scripta: quae annos fere 1580—1773 complectuntur et ad collegii ministeria sacra, disciplinam domesticam, aedificia, bona pertinent.

Litteris huius codicis usi sunt *Flor. Riess*, S. J., Der selige Petrus Canisius, Freiburg im Breisgau 1865, et *Bern. Duhr* S. J., Geschichte der Jesuiten in den Ländern deutscher Zunge I, Freiburg im Breisgau 1907.

2. „II. 42." Codex descriptus in *Can.* V, LXXV.

3. „VI. 35." Codex descriptus in *Can.* VII, LXXIII.

4. „Bonh. I." Codex in 2°, charta densa vestitus. Inscriptio recens in dorso: „Mons. | Bonomi | Minute | Epistolari | 1582 et 8. . ." Incipit f. 1a signato: „Capitulo et Canonicis Ecclesiae Vercellensis." Terminatur f. 208b: „300. Episcopo Wratislaviae." Codex habet ff. sign. 208 et praeterea in initio et in fine 1 non sign. Continet commentaria (brouillons, minute, Concepte) epistularum, quas Ioannes Franciscus Bonhomius (Bonhomini) apostolicus apud Rudolphum II. imperatorem nuntius et episcopus vercellensis a d. 14. Decembris 1581 ad d. 24. Iulii 1582 ex Austria, Bohemia, Hungaria, Suebia dedit ad multos viros ecclesiasticos et saeculares, velut ad S. Carolum Borromaeum cardinalem et archiepiscopum mediolanensem, B. Petrum Canisium, cardinalem Claudium de la Baume archiepiscopum vesontinum (Besançon), archiepiscopos Gebhardum a Waldburg coloniensem, Georgium Drascovitium coloczensem (Kalocsa), Martinum Medek pragensem, episcopos Stephanum Radetium agriensem (Erlau), Marquardum a Berg augustanum, Martinum ab Eyb bambergensem, Iacobum Christophorum Blarer a Wartensee basileensem, Antonium a Gorrevod lausannensem, Lambertum Gruter neostadiensem (Wiener-Neustadt), Stanislaum Pawlowsky olomucensem, Urbanum a Trennbach passaviensem, Nicolaum Telegdium quinqueecclesiensem (Fünfkirchen, Pecs), Casparem Neubeck vindobonensem, Martinum Gerstmann vratislaviensem (Breslau), Balthasarem a Dernbach O. S. B. abbatem principemque fuldensem, abbates monasteriorum benedictinorum S. Galli et melicensis (Melk), praepositum canonicorum regularium O. S. Aug. neoburgensium (Klosterneuburg), Petrum Schnewly praepositum friburgensem, Henricum Blyssemium praepositum provinciae austriacae Societatis Iesu, rectores collegiorum S. J. augustani, lucernensis, oenipontani, pragensis, vindobonensis, Ioannem Michel O. Min. Conv., Martinum Dumium consiliarium ecclesiasticum ducis Bavariae, item ad Carolum, Ernestum, Ferdinandum II., Maximilianum archiduces Austriae, Guilielmum V. ducem Bavariae, Marcum Fuggerum, Georgium Ederum, alios episcopos, abbates, canonicos, consiliarios etc. Haec epistularum commentaria omnia vel paene omnia ab Ioanne Antonio Caresana Bonhomii secretario et canonico vercellensi [1] scripta, ab ipso autem Bonhomio plurimis locis emendata et amplificata sunt.

Codice usus est *Ios. Hansen*, Nuntiaturberichte aus Deutschland 1572—1585. 2. Bd. Berlin 1894.

5. „Can. 36." Codex in 4° minore, vestitus membrana alba. Signatura novissima in pagina priore folii secundi non signati: „Canisiana 36." Signaturae paulo antiquiores: In dorso: „Scripta | B. P. Canisii | X. M. a"; in pagina priore folii primi non signati: „Scripta V. P. Canisii 35. Gorheim 22. Sept. 1860"; numerus tamen 35 et quae sequuntur, lineis transmissis oblitterata sunt. Incipit in pagina

[1] *Fr. Steffens* u. *H. Reinhardt*, Nuntiaturberichte aus der Schweiz, Dok., 2. Bd., Solothurn 1917, x.

aversa involucri anterioris: „De merito Christi ut thesauro maximo"; terminatur in pagina adversa involucri posterioris: „celum ascendere nisi Christus potest." Habet ff. signata 200 et praeterea in initio 2 non sign.

Continet commentaria contionum a Canisio Friburgi Helvetiorum in templis S. Nicolai et Beatae Mariae Virginis ab 18. Decembris 1580 ad 30. Aprilis 1581 habitarum et duas „exhortationes" sacras ab eodem aliquanto post ad collegii friburgensis Socios habitas. Contionum maior pars a P. Roberto Ardreno S. J., qui Canisii socius et adiutor erat, scripta est; Canisius reliquas contiones scripsit et Ardreni scripta emendavit atque auxit. In primis illis foliis duobus duo contionum indices scripti sunt, alter manu ipsius Canisii, alter manu recenti.

Codice usus est *G. Schlosser* S. J., Beati Petri Canisii S. J. Exhortationes domesticae. Ruraemundae 1876.

6. **„Can. 37."** Codex in 4°, vestitus membrana alba. Signatura novissima in pagina priore folii primi, non signati: „Canisiana 37." Signaturae paullo antiquiores: In dorso: „Scripta | B. P. Canisii | X. N. a." In pagina priore folii secundi, non signati: „Scripta V. P. Canisii 13. | Gorhemi 22. Sept. 1860"; numerus tamen 13 et quae sequuntur, lineis transmissis oblitterata sunt. Incipit in pagina aversa involucri anterioris: „Conciones Dominicales. Dominica 1 Aduentus 18.": terminatur in pagina priore involucri posterioris: „mehr des gallen bittern, denn deß honig süßen." Habet folia numeris signata 252 et praeterea in initio 3 non signata.

Continet commentaria orationum sacrarum a Canisio Friburgi Helvetiorum in ecclesiis S. Nicolai et Mariae Virginis a d. 28. Octobris 1582 usque ad 7. Iunii 1584 habitarum; ex commentariis tamen ad a. 1584 pertinentibus aliqua priores tantum illarum orationum partes continent; posteriores autem partes in codice „Can. 38" exstant. His orationibus contio a. 1589 habita et duae exhortationes sacrae ad collegii friburgensis Socios habitae accedunt. In quattuor postremis codicis paginis Canisius varia ad fidem et mores spectantia notavit. Longe maximam commentariorum partem Canisius sua manu scripsit. Reliqua tribus manibus ignotis scripta et a Canisio recognita sunt.

Codice usus est *Schlosser*, Beati Petri Canisii Exhortationes domesticae.

7. **„Can. 38."** Codex in 4°, vestitus membrana. Signatura novissima in pagina priore folii primi non signati: „Canisiana 38." Signaturae paullo antiquiores: In dorso: „Scripta | B. P. Canisii | X. O. a." In pagina priore folii secundi, non signati: „Scripta V. P. P. Canisii 45. Gorheim 22 Sept. 1860"; numerus tamen 45. et quae sequuntur, litteris transmissis deleta sunt. Incipit in pagina aversa involucri anterioris: „Jn festo S. Andreae." Terminatur f. 269ᵃ: „Sophon. 3 Nugas qui a lege recesserant, congregabo." Habet folia numeris signata 269, et praeterea in initio ff. 4 non signata.

Continet commentaria longe maximam partem latina orationum sacrarum a Canisio Friburgi Helvetiorum in variis ecclesiis, maxime autem in aede primaria S. Nicolai, germanice habitarum a d. 17. Februarii 1584 ad 21. Decembris 1585. Orationes tamen complures primis mensibus a. 1584 habitae ex parte tantum in hoc codice sunt positae; reliquae autem earum partes, sicut etiam complures orationes integrae ad idem tempus pertinentes exstant in cod. „Can. 37"; vide supra n. 6. Accedunt exhortationes aliquot a Canisio ad Socios friburgenses inter a. 1584 et 1589 habitae, „collectanea" et excerpta ex Sacra Scriptura, „Maldonato", „Ruardo Tappero", „Granata" (Ludovico de Granata O. Pr.), notata alia. Maximam codicis partem Canisius sua manu scripsit. Reliqua tribus fere manibus ignotis scripta et a Canisio recognita sunt. In primis duabus codicis paginis 3 indices dierum sacrorum et rerum tractatarum exstant, quorum duos primos Canisius, tertium P. Hermannus Hafner S. J. († 1914) scripserunt.

Codice usus est *Schlosser* l. c.

8. **„Can. 39."** Codex in 4° minore, vestitus membrana alba. Signatura novissima in pagina priore folii primi, non signati: „Canisiana 39." Signaturae paulo

antiquiores: In dorso: „Scripta | B. P. Canisii | X. P. a.": in pagina priore involucri adversi: „Ser. X. Fasc. Pa.": in f. 1[a] signato: „Scripta V. P. Canisii 12. Gorheim 12. Sept. 1860": numerus tamen 12 et quae sequuntur lineis transmissis oblitterata sunt. Incipit f. 1[a] sign.: „In Euangelium Dominicae 16"; terminatur in pagina priore involucri aversi: „De uocationibus 104." Habet ff. sign. 190 et praeterea in initio 1 f. non sign.

Continet commentaria contionum a Canisio Friburgi Helvetiorum in ecclesiis S. Nicolai et B. Mariae Virginis et in Monticulo prope Friburgum sito) a Kalendis Maiis 1581 usque ad 28. Decembris 1581 et a d. 10. Augusti 1582 usque ad 29. Septembris 1582 habitarum. Horum pars longe maxima ipsius Canisii manu scripta est. Reliqua manu P. Roberti Ardreni S. J., de quo supra p. LXI dictum est (f. 3[a]—33[a]), et tribus manibus ignotis (f. 85[a]—87[a] 118[a]—120[b] 183[a]—184[a]) scripta atque a Canisio ipso recognita sunt. „Index" contionum recens exstat in f. 1 non sign.; ipse autem Canisius contionum indiculos posuit f. 186[b]—187[a] et in pagina priore involucri aversi. F. 184[b]—185[a] Canisius commentarium posuit, quem sic inscripsit: „A neutralibus et mediatoribus maxime cauendum". Praeterea in postremis codicis paginis varia vel latine vel germanice notavit.

9. „**Can. 40.**" Codex in 4°, vestitus membrana. Signatura novissima in pagina priore folii primi (recentis, non signati): „Canisiana 40." Signaturae paullo antiquiores: In dorso: „Scripta | B. P. Canisii | X. Q. a." In pagina priore involucri anterioris: „Ser. X. Fasc. Q a." In pagina priore folii secundi, non signati: „Scripta V. P. Canisii 44. Gorheim 22. Sept. 1860"; numerus tamen 45 et quae sequuntur lineis transmissis deleta sunt. Incipit in pagina aversa involucri anterioris: „De regula ad uictum temperandum." Terminatur in pagina adversa involucri posterioris: „placent Deo et pro sacrificio acceptantur." Habet folia numeris signata 271 et in initio 2 non signata. Continet commentaria maximam partem latina (reliqua germanica sunt) contionum germanicarum, quas Canisius Friburgi Helvetiorum a d. 21. Decembris 1585 ad 17. Maii 1587 habuit vel saltem habere voluit: aliquas enim vel propter infirmitatem vel propter alias causas habere non potuit. Orationibus hisce intermixtae sunt complures „exhortationes" sacrae, a. 1586 a Canisio ad Socios collegii friburgensis habitae. Accedunt alia quaedam ab eo notata. Multa commentaria vel integra vel ex parte ipsius Canisii manu scripta sunt; reliqua duabus fere manibus ignotis scripta, a Canisio autem emendata et amplificata sunt. Ordo temporis in inscribendis commentariis saepe non est servatus. In folio primo non signato exstat index contionum et exhortationum recens.

Codice usus est *Schlosser* l. c.

10. „**Can. 41.**" Codex in 4°, vestitus membrana. Signatura novissima in pagina priore folii primi (recentis, non signati): „Canisiana 41." Signaturae paullo antiquiores: In dorso: „Scripta | B. P. Canisii | X. R. a | 41." In pagina priore involucri anterioris: „Ser. X. Fasc. R. a." In pagina priore f. 1 signati: „Scripta V. P. Canisii 49 [?] Gorheim Sept. 1860": numerus tamen 49 [?] et quae sequuntur lineis transmissis oblitterata sunt. Incipit in pagina aversa involucri anterioris: „Dominica vltima de abominatione." Terminatur in pagina adversa involucri posterioris: „decorare nouum Satanismum." Habet folia numeris signata 188 et in initio 1 f. non signatum. Continet commentaria partim latina partim germanica contionum germanicarum, quas Canisius Friburgi Helvetiorum a d. 29. Iunii 1587 ad 25. Decembris 1588 habuit. His intermixtae sunt complures „exhortationes" sacrae, quas ille ibidem annis 1587, 1588, 1589 ad Socios collegii habuit. Accedunt pauca alia, velut f. 187[b] „Das Bedencken der Astronomen vnd Mathematicern von dem 88 Jahr." Maximam codicis partem scripsit P. Sigismundus Ilsung S. J. Reliqua vel a Canisio ipso, vel a tertio aliquo, eoque ignoto, scripta sunt. Canisius commentaria omnia recognovit, emendavit, amplificavit. In initio codicis exstant duo indices contionum et exhortationum manu Canisii scripti atque eiusdem generis index recens.

Codice usus est *Schlosser* l. c.

11. **„Can. 63."** Titulus recens in dorso: „B. P. CANISIUS S. J. | ACTA | BEATIFICATIONIS. | I—III. 1625—1690. | Prov. Germ. | Arch. | Canisiana. | 63." Codex in 2°, conglutinatus charta densa, foliorum numeris signatorum 326, non sign. in initio 1 et in fine 4. Incipit f. 1ª: „Processus iuridicus super uita, moribus, et miraculis" etc.; terminatur f. paenult. non sign.: „Dubia solvenda a P. Zingnis." Continet monumentum archetypum processus Canisii beatificandi causa Friburgi Helvetiorum anno 1625 instituti, processuum eiusdem rei causa Frisingae et Dilingae a. 1626 institutorum apographa eodem fere tempore scripta, testimoniorum a. 1627 in processu beatificationis Friburgi Helvetiorum instituto prolatorum apographa a P. Petro Hugone S. J. († 1657) scripta, processuum a. 1630, 1634—1655—1690 ibidem institutorum monumenta plurima, quorum alia archetypa, alia ex archetypis exscripta sunt; in quibus sunt decreta et „instructiones" romanae, epistulae PP. Mutii Vitellesci et Vincentii Caraffae praepositorum generalium, PP. S. J. Virgilii Ceparii, Theodori Busaei, Laurentii Forer, Georgii Gobat etc. In extremo codice exstat index recens monumentorum codicis.

Monumentis huius codicis usus est *Petrus Python* S.J., Vita R. P. Petri Canisii S.J., Monachii 1710.

12. **„G. Sup. 1."** Codex descriptus in *Can.* VII, LXXVII.

13. **„G. Sup. 2."** Inscriptio recens in dorso: „G. Sup. | 2 | GERM. SUP. | EPIST. | GENER. | 1587—1600."

Codex hic antea constituebat partem maximam codicis, qui in tergo inscriptus erat: „Ger. Sup. Epist. Gen. 1573—1600." Est in 2° min., quam „formam romanam" vocant, conglutinatus charta densa, ff. numeris in infimis marginibus signatorum 216, non sign. 1 in initio et 1 in fine. Continet registrum epistularum a Claudio Aquaviva praeposito generali Societatis Iesu a 13. Novembris 1587 ad 7. Octobris 1600 in Societatis provinciam „Germaniae superioris", quae Helvetiam, Suebiam, Bavariam, Tirolim complectebatur, missarum. Epistularum pars maxima data est ad Societatis homines, imprimis ad Paulum Hoffaeum visitatorem, ad Ferdinandum Alberum et Ottonem Eisenreich praepositos provinciales, ad collegiorum rectores, ad consultores superiorum. Accedunt epistulae ad Guilielmum V. et Maximilianum I. Bavariae duces, Ferdinandum II. archiducem Austriaeque superioris principem, cardinalem Philippum Bavariae principem episcopumque ratisbonensem, Octavianum Paravicinum apostolicum apud Helvetios nuntium, Ioannem Thomam a Spaur episcopum brixinensem, Iacobum Christophorum Blarer episcopum basileensem, Ioannem Ottonem a Gemmingen et Henricum a Knöringen episcopos augustanos, Octavianum et Christophorum Fuggeros etc.

Litteris codicis usus est *Duhr*, Jes. I (v. supra p. LIII) et „Die Jesuiten an den deutschen Fürstenhöfen des 16. Jahrhunderts", Freiburg i. Br. 1901.

14. **„G. Sup. 19."** Inscriptio recens in dorso: „G. Sup. | 19". Inscriptio vetus in dorso: „German. | Catalog: | 1584—90."

Codex in 8° min., conglutinatus charta densa, habens ff. numeris signata 1—43 et 1—36 et pp. numeris signatas 1—83 ac ff. non sign. 8, quae per varias codicis partes disposita sunt. Incipit f. 1ª sign. „Matt. Catal. Jngolstadien." Terminatur p. 84: „praecipuis coadiutorum officijs." Continet provinciae S. J. Germaniae superioris catalogos triennales, sive primos et secundos, qui vocantur (cf. *Institutum* Societatis Iesu III, Florentiae 1893, 45) annorum 1584, 1587, 1590, Romam ad Claudium Aquavivam praepositum generalem missos.

15. **„G. Sup. 44."** Inscriptio recens in dorso: „G. Sup. | 44." Inscriptio paulo anterior: „Cat. | brev. | 1563. | 1599 | I." Inscriptio vetus in dorso: „Germ | Sup | Catal | 1566 | 1599."

Codex in 2°, conglutinatus charta densa, ff. numeris in marginibus infimis signatorum 150, non sign. 1 in initio et 1 in fine. Incipit f. 1ª sign.: „Cathalogus patrum et fratrum Collegij Societatis IESV Monachij." Terminatur f. 150ᵇ: „Prouinciae Superioris Germaniae. An. 1599. 7." Continet varii generis catalogos domorum

Societatis Iesu augustanae, dilinganae, halensis, ingolstadiensis, monacensis, oenipontanae, vindobonensis, qui ad a. 1561, 1563—1571 pertinent, item catalogos totius provinciae Germaniae superioris ad a. 1570, 1589, 1592—1599 pertinentes. Accedunt epistulae aliquot PP. Theodorici Canisii, Ioannis Dyrsii, Dominici Mengini ad S. Franciscum Borgiam praepositum generalem. In initio codicis est index chronologicus catalogorum.

Codice usus est *Duhr*, Jes. I.

16. **„Germ. 159.“** Inscriptio recens in dorso: „Germ. 159 | GERMANIA | EPISTOLAE | 1581—82 Febr.“ Codex antea constituebat codicem „G. Ep. XXII“ et partem codicis „G. Ep. XXIII“. Est in 2°, conglutinatus charta densa, foliorum numeris in inferioribus marginibus signatorum 307, non signatorum in initio 2 et in fine 4. Incipit f. 1ª sign.: „† Excerpta ex literis P. Saxonis 1 Januarij Viennam datis“. Terminatur f. 307ᵇ: „P. Blissemius Prouincialis 28. Febr.“ Continet epistulas maximam partem autographas vel archetypas easque ordine temporum dispositas, quas a d. 7. Ianuarii 1581 ad 28. Februarii 1582 ex Austria, Belgio, Bohemia, Germania, Helvetia, Lithuania, Polonia, Transsylvania, locis aliis Romam ad Claudium Aquavivam Societatis praepositum generalem miserunt Societatis sodales, imprimis Oliverius Manareus visitator, praepositi provinciarum, rectores collegiorum. Ex horum numero sunt PP. Balduinus ab Angelo, Stephanus Arator, Henricus Blyssemius, Franciscus Costerus, Arnoldus Havensius, Claudius Matthieu, Petrus Scarga, Hermannus Thyraeus, Hieronymus Torrensis. Accedunt varia eiusdem fere temporis monumenta, veluti apographa epistulae ab Aquaviva ad Ioannem Franciscum Bonhomium nuntium apostolicum datae et epistulae a Francisco Gonzaga ministro generali ordinis Minorum ad Danielem Brendel archiepiscopum moguntinum datae, item relationes et commentarii de rebus Societatis etc. In initio et in fine codicis exstant indices recentes.

Epistulis codicis usi sunt, praeter historicos veteres: *Duhr*, Jes. I et Jesuiten an den Fürstenhöfen (v. supra p. LIII); *Al. Kroess* S. J., Geschichte der böhmischen Provinz der Gesellschaft Jesu I (Wien 1910); *Andr. Veress*, Epistolae et Acta Jesuitarum Transylvaniae temporibus Principum Báthory“ I (Kolozsvár-Budapest 1911); *Jan Sygański* S. J., Listy Ks. Piotra Skargi T. J. (Kraków 1912).

17. **„Germ. 161.“** Inscriptio recens in dorso: „Germ. 161 GERMANIA EPISTOLAE 1583.“ Codex antea signatus „G. Ep. XXIV“ est in 2°, conglutinatus charta densa; ff. numeris signata in chartarum marginibus inferioribus 383; accedunt folia recentia nec signata in initio 2 et in fine 3. Fol. 1ª sign. incipit: „† Admodum Reuerende in Christo pater. Pax Christi. Jmprimis opto Paternitati Vestrae totique Societati“. Terminatur f. 383ᵇ: „de alienandis quibusdam censibus · P.“ Codex continet plurimas epistulas autographas vel archetypas, quas a Kalendis Ianuariis anni 1583 ad d. 30. Decembris 1583 ex Austria, Belgio, Bohemia, Germania, Helvetia, Lithuania, Polonia, locis aliis ad Claudium Aquavivam praepositum generalem Societatis homines, et maxime Oliverius Manareus visitator, praepositi provinciales, rectores collegiorum dederunt. Epistulae ordine temporum dispositae sunt. Sequuntur eas varia eiusdem anni monumenta, ad Sociorum bona, litterarum studia, ministeria sacra spectantia. In initio et in fine codicis sunt duo indices recentes.

Epistulis codicis usi sunt: *Duhr*, Gesch. d. Jes. I, Jes. an Fürstenh., Die deutschen Jesuiten im 5% -Streit des 16. Jahrhunderts in „Zeitschrift für katholische Theologie“ XXIV (Innsbruck 1900), et *Kroess* l. c.

18. **„Germ. 162.“** Inscriptio recens in dorso: „Germ. 162 GERMANIA EPISTOLAE. 1584 Mai“. Codex antea erat pars prior codicis signati „G. Ep. XXV“. Est in 2°, conglutinatus charta densa, ff. numeris in inferioribus chartarum marginibus signatorum 298, non signatorum in initio 2 et in fine 3. Incipit f. 1ª sign.: „† Admodum Reuerende pater etc. Pax Christi etc. Temporis atque officij ratione exigente“. Terminatur f. 298ᵇ: „quia eum amat nimis“. Codex continet plurimas

epistulas easque autographas vel archetypas et ordine temporum dispositas, quas a Kalendis Ianuariis 1584 ad 30. Maii 1584 Societatis sodales, imprimis Oliverius Manareus visitator, praepositi provinciales, rectores collegiorum ex Austria, Belgio, Bohemia, Germania, Helvetia, Hungaria, Lithuania, Polonia, locis aliis ad Claudium Aquavivam Societatis praepositum generalem dederunt. Accedunt epistulae aliquot externorum, velut Balthasaris a Dernbach O. S. B. abbatis fuldensis, et alia quaedam monumenta eiusdem anni. In initio et in fine codicis sunt duo indices recentes.

Epistulis codicis usi sunt: *Duhr*, „Gesch. d. Jes." I. „Jes. an Fürstenh."; *Kroess* l. c.; *Veress*, Epistolae et Acta Jesuitarum (etc.; v. supra p. LXIV) II (Kolozsvár-Budapest 1913).

19. „**Germ. 163.**" Inscriptio recens in dorso: „Germ. | 163 | GERMANIA | EPISTOLAE. | 1584 Iuni–Dec." Codex antea constituebat partem alteram codicis signati „G. Ep. XXV". Est in 2°, conglutinatus charta densa, ff. numeris in marginibus inferioribus signatorum 360, non signatorum in initio 3 et in fine 1. Incipit f. 1ª sign.: „† Pax Christi. Admodum Reuerende in Christo pater. In Septembri ultimas ad P. T. scripsi". Terminatur f. 360ᵇ: „Magistris emeret . . . praefectus studiorum". Continet epistulas plurimas, easque autographas vel archetypas et ordine temporum dispositas, quas a Kalendis Iunii 1584 ad 27. Decembris 1584 ex Austria, Belgio, Bohemia, Germania, Helvetia, Hungaria, Lithuania, Polonia, Transsylvania, locis aliis Societatis Iesu sodales, imprimis Oliverius Manareus visitator, praepositi provinciarum, rectores collegiorum, ad Claudium Aquavivam praepositum generalem dederunt. Ex illorum numero sunt Robertus Aberkromby, Franciscus Costerus, Ioannes Gibbonus, Robertus Personius, Leonardus Rubenus, Hermannus Thyraeus, Hieronymus Torrensis, Gregorius de Valentia, Stanislaus Varsevicius. Accedunt alia eiusdem fere temporis scripta, ut apographa litterarum binarum Ioannis Francisci Bonhomii nuntii apostolici, commentarii ad Societatis bona, ministeria, disciplinam spectantes. In initio codicis est epistularum index chronologicus, isque recens.

Epistulis codicis usi sunt *Duhr*, „Gesch. d. Jes." I, „Jes. an Fürstenh.", et *Syganski* l. c.

20. „**Germ. 164.**" Inscriptio recens in dorso: „Germ. | 164 | GERMANIA | EPISTOLAE". Codex antea constituebat partem priorem codicis signati „G. Ep. XXVI." Est in 2°, conglutinatus charta densa, ff. numeris in marginibus inferioribus signatorum 336, non signatorum 2 in initio et 3 in fine. Incipit f. 1ª (sign.): „Molto Reuerendo in Christo Padre colendissimo. Potrebbe essere". Terminatur f. 336ᵇ: „Praeposito Generali Societatis Jesu Romae". Continet epistulas a d. 5. Ianuarii ad 31. Augusti 1585 ex Austria, Belgio, Bohemia, Gallia, Germania, Helvetia, Hungaria, Lithuania, Livonia, Polonia, Transsylvania etc. Romam ad Claudium Aquavivam Societatis Iesu praepositum generalem a Sociis, maxime a provinciarum praepositis et collegiorum rectoribus, missas, easque ordine temporum dispositas et maximam partem autographas vel archetypas. Accedunt aliquot alia eiusdem temporis scripta, velut epistulae principum et magistratuum. In f. 2 non sign. initii codicis exstat index epistularum chronologicus. In duobus postremis foliis est index ad codicem „G. Sup. XXVI", qui iam non exstat, pertinens.

Epistulis codicis usi sunt *Duhr*, Jes. I, *Kroess* l. c., *Veress* l. c., *Syganski* l. c.

21. „**Germ. 165.**" Inscriptio recens in dorso: „Germ. | 165 | EPIST. | GERMAN. | 1585–1586."

Codex antea constituebat partem alteram codicis „G. Ep. XXVI" et partem priorem codicis „G. Ep. XXVII." Est in 2°, conglutinatus charta densa, ff. numeris in marginibus inferioribus signatorum 380, non signatorum 2 in initio et 4 in fine. Incipit f. 1ª (signat.): „† Reuerende Domine et frater charissime. Salutem in Domino". Terminatur f. 380ᵇ: „generalj Romae". Continet epistulas ab 1. Septembris 1585 ad 29. Aprilis 1586 datas, quae, sive quod ad personas sive quod ad loca et scriptionem attinet, eiusdem fere generis sunt, atque epistulae codicis „Germ. 164. Accedunt alia quaedam scripta ad scholas, seminaria, missiones, bona etc. Sociorum spectantia.

cum epistulis aliquot externorum, velut Georgii cardinalis Radzivillii. In f. 2 non sign. initii codicis est index epistularum chronologicus. In 3 foliis, quae f. 380 sequuntur, est index ad codicem „G. Ep. XXVII", qui iam non exstat, pertinens.

Epistulis codicis usi sunt *Duhr*, Jes. I et Jes. an Fürstenh., *Kroess* l. c., *Veress* l. c., *Sygański* l. c.

22. „**Germ. 166.**" Inscriptio recens in dorso: „Germ. | 166 | EPIST. | GERMAN. | 1586."

Epistolae codicis antea constituebant partem alteram codicis „G. Ep. XXVII". Codex est in 2°, conglutinatus charta densa, ff. numeris in marginibus inferioribus signatorum 376, non signatorum 2 in initio et 1 in fine. Incipit f. 1ª (sign.): „Admodum Reuerende in Christo Pater. Pax Christi etc. Accepi datas a P V 19 Martij." Terminatur f. 376ᵇ: „della morte de' nostri in Transiluania". Continet epistulas a 3. Maii ad 29. Decembris 1586 datas, quae eiusdem fere rationis sunt, atque epistulae codicis „Germ. 165". Accedunt scripta complura similis rationis. In f. 2 non sign. initii codicis est index chronologicus epistularum.

Litteris codicis usi sunt *Duhr*, Jes. I, *Veress* l. c., *Sygański* l. c.

23. „**Germ. 167.**" Inscriptio recens in dorso: „Germ. | 167 | EPIST. | GERMAN. | 1587."

Epistolae huius codicis antea constituebant partem maiorem codicis „G. Ep. XXVIII." Codex est in 2°, conglutinatus charta densa, ff. numeris in marginibus inferioribus signatorum 372, non signatorum 2 in initio et 1 in fine. Incipit f. 1ª (sign.): „Admodum Reuerende in Christo Pater. Pax Christi. Jn literis 14 Decembris ad P. V. datis". Terminatur f. 372ᵇ: „sed aulam nobis fauere. P. C." Continet epistulas a 30. Decembris 1586 ad 30. Septembris 1587 datas, quae eiusdem fere rationis sunt atque epistulae codicis „Germ. 165". Accedunt scripta nonnulla ad nuntios apostolicos, universitates, rem familiarem spectantia. In folio 2. non sign. initii est index chronologicus epistularum.

Litteris codicis usi sunt *Duhr*, Jes. I et Jes. an Fürstenh., *Veress* l. c., *Sygański* l. c.

24. „**Germ. 169.**" Inscriptio recens in dorso: „Germ. | 169 | EPIST. GERMAN. | 1591."

Codex antea signatus erat „G. Ep. XXX." Est in 2°, conglutinatus charta densa, ff. numeris in marginibus infimis signatorum 408, non signatorum 4 in initio et 3 in fine. Incipit f. 1ª (sign.): † Admodum Reuerende pater in christo. Pax christi. Precor V. P. huius anni foelicissimum auspicium." Terminatur f. 408ᵇ: „De admittenda Domo Professa Oetingae in Bauaria. G." Continet epistulas a Kalendis Ianuariis ad 31. Decembris 1591 datas, quae eiusdem fere rationis sunt atque epistulae codicis „Germ. 167." Accedunt alia quaedam monumenta eiusdem fere temporis. In foliis 2—4 non sign. initii est index alphabeticus eorum, qui epistulas dederunt, isque recens.

Epistulis codicis usi sunt *Duhr*, Jes. I et Jes. an Fürstenh., et *Kroess* l. c.

25. „**Proc. Ap. I.**" Inscriptio antiqua in dorso (verba uncis quadratis inclusa paene aut omnino evanuerunt): „[Sacra] Rituum Congreg[atione.] | Lausannen. V. Ser. Dei Petri Canisij | Sacerd.ⁱˢ prof.ⁱ Soc.ᵗⁱˢ Jesu | Copia Prociis Apostolici Romani Reñlis &. Comp.ⁱˢ | Super Sanctit.ᵉ Vitae, uirtutib. | & miraculis in specie Friburgen. (hoc verbum manu posteriore scriptum est) | [Cosmus Ant. de B]ernardinis [not.]"

Codex in 2°, vestitus membrana, ff. 771. Incipit f. 1ª: „Eminentissimi, et Reverendissimi Domini mei Obligatissimi." Continet processus Romae a. 1740—1743 auctoritate apostolica de Canisii sanctitate, virtute, miraculis „in specie" instituti apographum eodem fere tempore Romae scriptum. Processui huic inserta sunt apographa processuum de Canisii sanctitate, virtutibus, miraculis Frisingae a. 1626 et Friburgi Helvetiorum a. 1627 auctoritate episcoporum frisingensis et lausannensis

institutorum. In extremo codice Cosmus Antonius de Bernardinis, Sacrae Rituum Congregationis notarius, cancellarius, archivista, 13. Martii 1744 sua manu testatur, apographum hoc cum romano processu archetypo, ex quo descriptum sit, a se collatum esse.

6. Codex solodoranus.

Solodori (Solothurn, in Helvetia) in bibliotheca urbis.

„Stal". Titulus recentior in dorso: „EPISTOLAE | I. I. A STAL | AB A° 1561 | VSQVE AD 1597."

Incipit p. 1: „Vrsus Jo. Jacobo suo S. D. P. Literas tuas quarto Maij datas." Terminatur p. 367: „Salod. ipso die Theophaniae 1579. R. P. T. etc. Jo. Jac. de Staal." Codex in 2°, conglutinatus charta densa, pp. sign. 367. Continet apographa, eaque magnam partem ab ipso auctore scripta, epistularum, quas Johannes Jacobus vom Staal patritius solodoranus a. 1562–1597 dedit ad Petrum Canisium, cardinalem Octavium Paravicinum, episcopos Iacobum Christophorum Blarer a Wartensee basileensem et Hildebrandum a Riedmatten sedunensem, Petrum Schneulinum praepositum friburgensem, Patrem Angelum Capucinorum per Helvetiam provincialem, P. Ioannem Kircherum Fratrum Minorum Conventualium per provinciam argentinensem provincialem, Udalricum Wittweiler O. S. B. abbatem Eremi B. M. V., Udalricum Amstein O. Cist. abbatem S. Urbani, Iodocum Pfifferum et Renwardum Cysatum lucernenses, Ioannem Meierum praetorem friburgensem, Ioannem Conradum Meyerum consulem schaffhusianum, Franciscum Guillimannum, alios. Aliquas ex illis epistolis Staalius nomine senatus solodorensis, ceteras suo nomine scripsit. Accedunt aliquot epistulae autographae ad Staalium scriptae.

7. Codex vercellensis.

Vercellis (Vercelli in Italia superiore) in archivo capituli metropolitani.

„Mons". Codex in 2°, vestitus charta densa. Inscriptio recens in dorso: „Mons. Bonomi | Minute | Epistolarie | 1582 et 1584." Incipit f. 2ª non sign.: „Episcopo Basileensi. Reuerendissime in Christo Pater atque Illustrissime Domine. D. Amice." Terminatur in folio paenultimo, non sign.: „1799. Ad Decanum Ultraiectensem." Neque paginae, neque folia codicis numeris signata sunt. Posita sunt in hoc codice, ordine temporis non semper servato, commentaria (brouillons, minute) epistularum, quas Ioannes Franciscus Bonhomius (Bonhomini) episcopus vercellensis atque apostolicus primum apud Helvetios catholicos, deinde apud Rudolphum II. imperatorem, postea apud Colonienses et in Belgio nuntius annis 1581, 1582, 1584 dedit ad Beatum Petrum Canisium, Rudolphum II., Ferdinandum et Ernestum Austriae archiduces, Bavariae ducem, archiepiscopos et episcopos agriensem, basileensem, bremensem, coloniensem, curiensem, herbipolensem, olomucensem, pragensem, quinqueecclesiensem, vindobonensem, vratislaviensem, abbates benedictinos fuldensem, mellicensem (Melk), sangallensem, capitula coloniense, olomucense, osnaburgense, decanos budissinum, einsidlensem, uraniensem, praepositum provinciae austriacae S. J., rectores collegiorum S. J. augustani, coloniensis, dilingani, ingolstadiensis, lucernensis, monacensis, olomucensis, pragensis, Ioannem Michel O. Min. Conv., praepositum ac parochum et senatum urbis friburgensis, Victorem Augustum Fuggerum, Georgium Ederum, alios. Bonhomius aliqua ex his commentariis ipse scripsit; reliqua diligenter recognovit. Maxima eorum pars ab Ioanne Antonio Caresana Bonhomii secretario, pauca ab aliis scripta sunt. Accedunt epistulae aliquot Rudolphi II. caesaris et alia quaedam scripta.

Codice usi sunt *J.-J. Berthier* O. Pr., „Revue de la Suisse catholique" Vol. XXIV. XXV., Fribourg 1893, 1894, et „Lettres de Jean-François Bonomio", Fribourg 1894, item *Fr. Steffens* et *H. Reinhardt,* Nuntiaturberichte aus der Schweiz seit dem Concil von Trient, 1. Abth., 1. Band, Solothurn 1906 (cf. supra p. LVI), et *Rom. Pasté,* in „Archivio della Società Vercellese di Storia e d'Arte, A. IV, Vercelli 1912.

VI.

EXPLICATIO SIGNORUM ET NOTARUM („ABBREVIATIONUM")

saepius occurrentium.

Sicubi signum* in adnotationibus et explicationibus comparebit, indicabit, editorem fonte uti nondum (quod ipse quidem norit) edito. Si quae autem ex ipsis litteris monumentisque canisianis nunc primum in lucem erunt emissa, id ex hoc ipso intellegi poterit, quod post exempla manu scripta, ex quibus sunt typis exscripta, liber non erit indicatus, quo iam vel integra vel ex parte vulgata sint.

Notabitur:

Signo — —, aliquid in ipso fonte deesse;

punctis appositis (. . .), aliquid ab editore omitti;

uncis quadratis [ ], aliquid ab editore suppletum vel additum esse;

typis latius dispositis, Canisium aliosve non suis, sed ipsius Sacrae Scripturae verbis loqui.

„Autographum" = quod auctor sua manu scripsit.
„Archetypum" = quod auctore dictante vel mandante scriptum est.
„Commentarium" = scriptum, quo epistula vel contio etc. primum est praeparata vel adumbrata (Konzept, brouillon, minuta).
„Librarius" = qui epistulam etc. vel auctoris mandatu eodemve dictante scripsit, vel ex autographo, archetypo etc. transcripsit (secretarius, scriptor, scriba, copista).
2^{0} = in folio; & = etc.; &c = et, vel etc. $^{0}/_{0}$ = pro centum.

Notae quaedam a Canisio aliisque ad complura et satis diversa vocabula significanda adhibentur; attamen, quid singulis locis significent, ex ipsa oratione atque ex iis maxime, quae notas illas proxime tum antecedent, tum sequentur, dignosci poterit. Similiter intelligetur, utrum v. g. „P." significet „Pater" an „Patris" etc. Hic verba fere solo casu recto quem vocamus ponentur.

a. = an, annus.
A. = Annus, Altezza, Augustinus.
Act = Actus Apostolorum.
adn., adnot. = adnotatio.
Agg = Prophetia Aggaei.
Am = Prophetia Amos.
Ant. = Antonius.
ap. = apographum.
Ap. = Apostolus.
Apc = Apocalypsis B. Ioannis Apostoli.
apogr. = apographum.
App. = Apostoli.
arch., archet. = archetypum.
art. = articulus.
Aufl. = Auflage.
aug. = augustanus.
autogr. = autographum.

b. = beatus.
B. = Beatus, Benedictus.
B. M. V. = Beata Maria Virgo.
B. P. N. = Beatus Pater Noster.
Bar = Prophetia Baruch.
Bd = Band.
Br. = Breisgau.

c. = caput, citatus.
C. = Canisius, Caput, Celsitudo.
C. V. = Celsitudo Vestra.
Cal. = Calendae.
can. = canon.
Can. = Canisius, Canon.
Can. I, II etc. = Beati Petri Canisii S. J. Epistulae et Acta. Volumen primum, secundum etc.

Can. 30 = Codex manu scriptus, qui signatus est „Can. 30"; et sic de similibus indicationibus.
Cant, Ct = Canticum Canticorum Salomonis.
cap. = caput.
Card. = Cardinale, Cardinalis.
Cart. = Cartusianus.
Catal. = Catalogus.
CC. VV. = Celsitudines Vestrae.
Cels. = Celsitudo.
cf. = confer.
chariss. = charissimus.
Chr. = Christus.
clar. = clarissimus.
Cod. = Codex.
Col = Epistula B. Pauli Ap. ad Colossenses.
col. = columna.
colon. = coloniensis.
Cong., Congr. = Congregatio.
Congr. Or. = Congregatio Oratorii.
1 Cor, 2 Cor = Epistula B. Pauli Ap. ad Corinthios prima, secunda.
corr. = correctum.
Coss. = Consules.

D. = Divus, Doctor, Domina, Dominatio, Dominus, Dottore.
d. = das, decretum, der, die, dies, distinctio, divus, dominus.
D. D. = Dat Dedicat, Doctores, Domini, Dominus Doctor, Dono Dedit.
D. N. = Dominus Noster.
D. V. = Dominatio Vestra.
DD. = Doctores, Domini.
DD. VV. = Dominationes Vestrae.
Dec. = Decas, December.
decr. = decretum.
dil., diling. = dilinganus.
dist. = distinctio.
Dn = Prophetia Daniel.
Doc., Doct. = Doctor.
Dom. = Dominatio, Dominica, Dominus.
Dr. = Doctor, Dottore.
Dt = Liber Deuteronomii.
Dt. = Durchlaucht, Dürchleücht.

E. = Ecclesia, Ewer.
E. Ew. = Ewer Erwurden.
E. F. D. = Ewer Furstliche Dürchleücht.
E. F. G. = Ewer Furstliche Gnaden.
E. G. = Ewere Gnaden.
e. g. = exempli gratia.
E. L. = Ewer Liebden.
E. V. = Excellentia Vestra.
Eccle = Ecclesiastes.
Eccli = Ecclesiasticus.
ed. = edidit, editio, editus.
ed. nov. = editio nova, novissima.
edd. = ediderunt.
eiusd. = eiusd.
el. = electio.
eod. = eodem.
Ep. = Episcopus, Epistula.
ep. = epistula.
Eph = Epistula B. Pauli Ap. ad Ephesios.
Epp. = Epistulae.
1 Esr, 2 Esr = Liber primus Esdrae, Liber secundus Esdrae.
Est = Liber Esther.
etc. = et ceteri.
Ex = Liber Exodus.
Ex. = Examen.
Ew. = Ewer, Erwurden.
excl. = exclusive.
Ez = Prophetia Ezechielis.

F. = Frater, Furstlich.
f. = folium.
Fasc. = Fasciculus.
fer. = feria.
FF. = Fratres.
ff. = folia.
fl. = florinus.
frib., friburg. = friburgensis.
Frt., Frtl. = Fürstlich.

Gal = Epistula B. Pauli Ap. ad Galatas.
Gio. = Giovanni.
Gn = Liber Genesis.
Gn. = Gnaden.

H. = Heilig, Herr, Heylig.
Hebr = Epistula B. Pauli Ap. ad Hebraeos.
Heil. = Heiligkeit, Heilig.
Hist. = Historia.

I., J. = Iesus, Jesus.
i. = im, in.
i. e. = id est.
Iac = Epistula catholica B. Iacobi Ap.
Id. = Idus.
Idc = Liber Iudicum.
Idt = Liber Iudith.
Ier = Prophetia Ieremiae.
Ill. = Illustris, Illustrissimus.
incl. = inclusive.
ingolstad. = ingolstadiensis.
inscr. = inscriptio.
Io = Evangelium secundum Ioannem.

Io. = Ioannes.
1 Io, 2 Io etc. = Epistula B. Ioannis Ap. prima, secunda etc.
Io. B. = Ioannes Bapstista.
Ion = Prophetia Ionae.
Ios = Liber Iosue.
Ir = Prophetia Ieremiae.
Is = Prophetia Isaiae.
Iud = Epistula catholica B. Iudae Ap.

L., l. = liber, Licentiat, Lieb, Liebden.
l. c. = loco citato.
Lc = Evangelium secundum Lucam.
Lev = Liber Leviticus.
lib. = liber.
libr. = librarius.
Lv = Liber Leviticus.

M. = Maestro, Magister, Maximus, Medicina.
m. = mensis.
M. S. = Manu Scriptus.
1 Mach, 2 Mach = Liber primus Machabaeorum, Liber secundus etc.
Mai. = Maiestas.
mai. = maior.
Mal = Prophetia Malachiae.
Mant. = Mantissa.
marg. = margine.
Max. = Maximus.
May. = Mayestet.
Mc = Evangelium secundum Marcum.
me. = memoria.
med. = medius.
Mich = Prophetia Michaeae.
Min. = Minores.
min. = minor.
mon. = monacensis, monumentum.
monac. = monacensis.
monum. = monumentum.
ms. = manu scriptus.
Mt = Evangelium secundum Matthaeum.

N. = Noster, Nostro.
n. = numerus.
N. P. G. = Nostro Padre Generale.
N. S. = Nostro Signore.
Nm = Liber Numeri.
nn. = numeri.
No. = Numero.
nr. = numerus.
Num. = Liber Numeri.

O. = Omnis, Ordo.
O. Carm. = Ordo Carmelitanus.
O. Cart. = Ordo Cartusianus.
O. Cist. = Ordo Cisterciensis.
O. Er. S. Aug. = Ordo Eremitarum Sancti Augustini.
O. F. M., O. Fr. Min. = Ordo Fratrum Minorum.
O. Min. reg. obs. = Ordo Minorum regularis observantiae.
O. P., O. Pr., O. Praed. = Ordo Praedicatorum.
O. Praem. = Ordo Praemonstratensis.
O. S. A. = Ordo Sancti Augustini.
O. S. B. = Ordo Sancti Benedicti.
oblitt. = oblitteratus.
om. = omissus, omittit.
Os = Prophetia Osee.

P. = Padre, Pars, Pater, Paternitas, Petrus, Pontifex.
p. = padre, pagina, pars, pater, post.
P. D. = Padre Dottore, Pater Doctor.
P. gr. = Patrologia graeca.
P. lat. = Patrologia latina.
P. M. = Pontifex Maximus.
p. m. = piae memoriae.
P. N. = Padre Nostro, Pater Noster.
P.P. = Patres.
P. R. = Padre Reverendo, Pater Reverendus, Paternità Reverenda, Paternitas Reverenda.
P. T. = Paternitas Tua.
P. V. = Paternità Vostra, Paternitas Vestra.
P. V. R. = Paternitas Vestra Reverenda.
pag. = pagina.
1 Par, 2 Par = Liber primus Paralipomenon, Liber secundus etc.
Pent. = Pentecoste.
1 Petr, 2 Petr = Epistula B. Petri Ap. prima, secunda.
pg. = pagina.
Phil = Epistula B. Pauli Ap. ad Philippenses.
Pont. Max. = Pontifex Maximus.
PP. = Padri, Papa, Patres.
pp. = paginae.
Prv = Liber Proverbiorum.
Ps = Liber Psalmorum.

q., qu. = quaestio.

R, r. = responsum, Reverendo, Reverendus, Reverentia, Reverenza, Ritus, Romanus.
R. D. = Reverenda Dominatio, Reverendus Dominus.

R. P. = Reverenda Paternità, Reverenda Paternitas, Reverendo Padre, Reverendus Pater.
R. P. D. = Reverendus Pater Doctor.
R. P. N. = Reverendo Padre Nostro, Reverendus Pater Noster.
R. P. T. = Reverenda Paternitas Tua.
R. P. V. = Reverenda Paternità Vostra (Vestra), Reverenda Paternitas Vestra.
R.R. = Reverendi.
R. T. = Reverentia Tua.
R. V. = Reverentia Vestra (Vostra), Reverenza Vostra (Vestra).
R. V. P. = Reverenda Vestra Paternitas.
ref. = reformatio.
Reg., reg. = Reges, regula.
Resp. = Responsum, Respublica.
1 Rg, 2 Rg etc. = Liber primus Regum, Liber secundus Regum etc.
Rom = Epistula B. Pauli Ap. ad Romanos.
Rom., rom. = Romanus, romanus.
Röm. = Römisch.
RR. = Reverendi.
RR. PP. = Reverendi Padri, Reverendi Patres.
RR. VV. = Reverentiae Vestrae, Reverentie Vestre, Reverenze Vostre.

S., s. = Sacer, Sanct, Sanctissimus, Sanctitas, Sanctus, Sant', Santità, Santo, Sectio, Sessio, Signore, Signoria, Societas, Suo, Suus.
s. a. = sine anno.
S. C. R. = Sacra Congregatio Rituum.
S. D. = Salutem Dico, Servus Dei.
S. D. N. = Sanctissimus Dominus Noster.
S. D. P. = Salutem Dico Plurimam.
S. J. = Societas Iesu.
s. l. = sine loco.
s. l. et a. = sine loco et anno.
S. P. = Salutem Plurimam, Sanctissimus Pater, Sanctus Pater, Summus Pontifex.
S. P. D. = Salutem Plurimam Dico.
S. R. = Sua Reverentia, Sua Reverenza.
S. R. C. = Sacra Rituum Congregatio.
S. R. E. = Sancta Romana Ecclesia.
S. R. M. = Sacra Regia Maiestas.
S. S. = Sanctitas Sua, Santità Sua, Sua Santità, Sua Signoria.
saec. = saeculum.
Sal. = Salus.
Sap = Liber Sapientiae.
Schw. = Schweiz.
Ser. = Series.
Sereniss. = Serenissimus.
Sess. = Sessio.
sig. = sigillum.
sign. = signatus.
Soc. = Societas.
sq. = sequens.
sqq. = sequentes.
SS. = Sancti.
Summar. = Summarium.

T., t. = Tomus, tuus.
T. P. = Tua Paternitas.
T. R. = Tua Reverentia.
T. R. P. = Tua Reverenda Paternitas.
temp. = tempus.
Th. = Theologia.
1 Thess, 2 Thess = Epistula B. Pauli Ap. ad Thessalonicenses prima, secunda.
Thr = Threni, i. e. Lamentationes Ieremiae Prophetae.
1 Tim, 2 Tim = Epistula B. Pauli Ap. ad Timotheum prima, secunda.
Tit = Epistula B. Pauli Ap. ad Titum.
tit. = titulus.
Tob = Liber Tobiae.
Tom. = Tomus.
tract. = tractatus.

u. = und.

V., v. = Venerabilis, verbum, vester, vide, Virgo, von, vostro.
V. C. = Vestra Celsitudo.
v. g. = verbi gratia.
V. P. = Vestra Paternitas, Vostra Paternità.
V. R., v. r. = Vestra Reverentia, Vostra Reverenza.
V. R. P. = Vestra Reverenda Paternitas, Vostra Reverenda Paternità.
V. S. = Vostra Signoria.
Ven., vener. = venerabilis.
vers. = versus.
Vol. = Volumen.
VV = Vestri, Vostri.
vv. = verba.
vv. sqq. = verba sequentia.

Zach = Prophetia Zachariae.

VII.

EPISTULAE A CANISIO ET AD CANISIUM DATAE 1581—1597.

2083. CANISIUS **IOANNI FRANCISCO BONHOMIO**, apostolico apud Helvetios nuntio et episcopo vercellensi.

Lucerna 12. Ianuarii 1581 [1].

Ex huius litterarum partis apographo, a Bonhomii secretario scripto et sic inscripto: „Ex literis patris Petri Canisij ad Episcopum Vercellensem etc. Datis Luceriae 12 Januarij 1581.“ Cod. rom. „Germ. Vol. 103“ p. 430.

Efficiendum, ut Frobenius Basilea Friburgum transmigret ibique catholicam religionem amplectatur et typographiam instituat.

— — Addam et de d. Frobenio [2], cui uehementer optarim, ut Romae sui uoti compos fiat, Celsitudine T. intercedente. Fortasse is conditionem acciperet, si Pontificis max: nomine moneretur amanter mutare locum, et migrare Friburgum, ubi et catholicam religionem profiteretur, et typographiam instrueret magna cum sui nominis apud catholicos omnes commendatione. Nec dubium, quin Friburgenses illum fauentibus animis complecterentur, ac de illius typographia, et officina sibi multum gratularentur. Verum haec sapientia tua rectius diiudicabit: certe Friburgenses de typographo aduocando cogitant [3]. — —

Reliqua epistulae huius pars perisse videtur. Quid autem Canisius scripserit, colligi potest ex Bonhomii litteris 26. Ianuarii datis; per has enim Bonhomius ad Canisii epistulam respondit.

Ambrosius et Aurelius Frobenii (Froben, Fröben) Basileae typographiam habebant a Ioanne Frobenio avo († 1527) conditam. Hic complures patres ecclesiasticos (ut Ambrosium, Augustinum, Hieronymum etc.) et veteres scriptores latinos (velut Tacitum et Senecam) pulcherrimis typis admodum castigate ediderat; quibus ac-

---

[1] Canisius 10. Decembris 1580 ex Germania Friburgum Helvetiorum ad collegium Societatis incohandum venerat. Cum autem oratores septem pagorum catholicorum Helvetiae circa d. 10. Ianuarii 1581 Lucernae, quomodo iniuriae a Bernensibus Bonhomio illatae (v. *Can.* VII 853) occurrendum esset, deliberaturi essent, Canisius — id quod Bonhomius ab eo petierat — cum oratoribus friburgensibus Lucernam petierat; v. *Can.* VII 594. In eodem conventu pagi illi auctore Bonhomio de concubinatu sacerdotum abolendo egerunt (*J. G. Mayer*, Das Konzil von Trient und die Gegenreformation in der Schweiz II, Stans 1903, 26).

[2] Ambrosium Frobenium, typographum basileensem, significat. Vide, quae post ipsas has litteras dicentur.

[3] Urbs friburgensis eo tempore typographo carebat.

cesserant Novum Testamentum graecum, grammatica hebraica, lexica hebraicum et chaldaicum, alii libri. Ita Ioannes per totam Europam magnam gloriam consecutus et „typographorum rex“ appellatus erat (*Io. Janssen*, Geschichte des deutschen Volkes I[19–20], Freiburg i. Br. 1913, 14 21 23; VII[1–12] 619—620 625; *Friedr. Kapp*, Geschichte des deutschen Buchhandels I, Leipzig 1886, 121 839). De Ambrosio Frobenio (qui in rebus religionis cum protestantibus stabat) *Ioannes Franciscus Bonhomius* (Bonhomini) episcopus vercellensis, qui ab a. 1579 apostolicum apud Helvetios visitatorem et nuntium agebat, Vercellis 27. Ianuarii 1581 Guilielmo Techtermann Friburgensium archigrammateo scripsit: „Se libros quosuis ad exactissimae Romanae correctionis praescriptum, in loco etiam catholico impressurum recepit, atque spopondit“ (ex archetypo, Bonhomii manu subscripto. Cod. „I 37“ f. 149[a]). Frobenium et Bonhomius et Canisius cognovisse videntur Friburgi m. Decembri a. 1581; nam *Bonhomius* Vindobona 7. Martii 1582 ad Ptolemaeum Galli cardinalem Comensem, qui Gregorii XIII. secretarius maior erat, scripsit: „Bonissima nuoua è stata quella che V. S. Illustrissima mi da che il Frobenio habbia fatta la profession della fede, ma che egli sia stato sempre cattolico, non lo direbbe à me, credo, che quando fù à Friburgo à trouarmi mostrò il contrario al Padre Canisio, et à me, et a altri anchora, se ben pigliammo speranza, come fin d' all' hora scrissi à V. S. Illustrissima che si potesse guadagnar facilmente per esserci parso di buona natura“ (ex archetypo, quod est in archivo vaticano, Nunz. di Germ. 104, p. 110—115).

Caput illud litterarum Canisii, quod supra positum est, *Bonhomius* Vercellis (quo, ut episcopatus sui res curaret, ad tempus se receperat) ad cardinalem Comensem misit una cum epistula 29. Ianuarii 1581 ad eundem cardinalem a se data: in qua haec de Frobenio et de Canisio petebat: „Io supplico S. Beatitudine che si degni fargli scriuere nella maniera da detto padre ricordata; che se si potesse ritirar quell huomo à Friburgo, et farlo diuentar catolico, stimarei, che di ciò si fusse fatto maggior acquisto per la sede apostolica et per la religione catolica, che di quante altre opere si siano fatte in questi duoi anni in quelle parti“ (ex archetypo: Cod. rom. „Germ. Vol. 103“ p. 429—430).

Ad haec cardinalis *Comensis* Roma 11. Februarii 1581 Bonhomio respondit: „Con tutto che paresse poco conueniente di scriuer al [Frobenio][a] stampatore, nondimeno hauendo uisto quel che V. S. più uolte hà scritto, et il capitolo de la lettera del Padre Canisio, se li é scritto una lettera qual sarà con questa insieme con la copia, accioche uedutala, seli parerà bene, la mand[i et la ac]compagni con una sua“ (ex apographo eiusdem temporis: Cod. rom. „Nunziat. di Germ. 12.“ f. 63—64).

Bonhomius Canisio respondit 26. Ianuarii 1581.

a) *Hoc vocabulum in apographo deest.*

2084. IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS, apostolicus apud Helvetios visitator et nuntius, episcopus vercellensis, CANISIO.

Vercellis 24. Ianuarii 1581.

Ex imagine photographica apographi eodem fere tempore scripti et sic inscripti: „Patri Canisio“. Cod. rom. „693“ (antea „D II 36“) p. 590.

Profectio lucernensis. Nummi. „Agnus Dei“. P. Ardreni epistulae.

Reuerende admodum Pater, atque vti frater in Domino charissime. Ex Lucerino Secretario[1] intellexi Paternitatem tuam Comitiorum tempore Luceriam, vna cum DD. Friburgensibus Legatis[2] venisse, ipsique

[1] Dubitari vix potest, quin a Bonhomio significetur clarissimus ille Renwardus Cysat (1545—1614), Lucernensium archigrammateus („Stattschryber“).

[2] Legati erant Ioannes a Lanten-Heid reipublicae praetor et Pancratius Wild quaestor ac senator (Die Eidgenössischen Abschiede aus dem Zeitraum von 1556 bis 1586, bearb. von *Joseph Karl Krütli* [Abschiede Bd. IV, Abt. 2], Bern 1861, 730).

binos literarum fasciculos ad me perferendos dedisse, quos ego tamen hactenus non vidi; quamobrem doleo vehementer, quamquam illos perijsse nequaquam suspicor. Hisce inclusi erunt, aut agglutinati octo coronati aurei nummi, quos Secretarius pro accepto vino Collegio vestro[1] debere nos affirmauit; citius misissem, si nuncij oportunitas oblata esset: Adieci praeterea quatuor Agnos Dei[2] Patri Ruperto[3] reddendos, vt nulla excusatione vti possit, si pollicitationi mihi factae defuerit, atque in singulos saltem menses literas de Friburgicis rebus ad me non dederit. Valete in Domino, ac pro me omnium peccatorum miserrimo, praepotentem Deum assidue vt deprecemini, humiliter peto; Datum Vercellis IX. Cal. Februarij. MDLXXXI.

2085. IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS, apostolicus apud Helvetios visitator et nuntius, episcopus vercellensis, CANISIO.

Vercellis 26. Ianuarii 1581.

Ex apographo eodem fere tempore scripto et sic inscripto: „Eidem P. Canisio." Cod. rom. „693" p. 591—593.

Iniuria bernensis. Clerici petulantiores. Seminarium. Difficultates ex monasterio Marsens. Frobenius. Diploma. P. Hairodi appellatio ad pontificem.

Reuerende admodum Pater, atque vti frater in Domino charissime. Scripseram iam nudiustertius superiores literas, hesterno autem die perlatae sunt ad me vestrae, XIJ° huius mensis Luceria datae; quae quidem me ab omni molestia et moerore jam concoepto eripuerunt, atque exhilararunt mirum in modum; Ita enim vidi me illius memoria non excidisse; quamuis autem vt ipsa optime[a] existimat, Catholici Heluetij Religionis causa non admodum sint laboraturi, attamen spero non leuem fructum Deo aspirante ex barbaro illo facto ad Diaboli confusionem percipiendum, sed vere opus est, et frequentibus, et feruentibus piorum hominum precibus[4]; Quod clericos attinet petulantiores, qui perpetuo inspectore ac monitore indigerent, Deus ipse omnium largitor in tempore suo, nondum enim matura est Heluetiae reformatio, viam aperiet (non diffido equidem) qua Ecclesiastici ordinis viri in officio continebuntur; De Seminario erigendo non postrema fuit mihi cura qui ab ipso meae legationis initio, nil fere magis cogitaui, sed

a) optima *apogr.*

---

[1] Societatis collegio lucernensi.

[2] De cereis figuris sacratis, quos „Agnos Dei" vocant, v. *Can.* I 771[8].

[3] P. Roberto Ardreno S. J., qui cum Canisio Friburgum venerat; v. *Can.* VII 592.

[4] Septem cantones sive pagi catholici (Lucerna, Urania, Suitium, Subsilvania, Tugium, Friburgum, Solodorum) Lucernam congregati ad Bernenses litteras dederunt, quibus apud illos de iniuriis et ignominiis 10. Decembris 1580 Bonhomio per Bernam transeunti illatis (v. *Can.* VII 853) vehementer conquerebantur et, ut in posterum Bonhomio per Bernensium fines liber esset transitus, postulabant. Ipsa eorum verba posuit *Mayer* l. c. I 283—284. Iidem pagi Bonhomio ipsi 10. Ianuarii 1581 scripserunt, se in generalibus Helvetiorum comitiis proxime Badae Ergoviae habendis de Bernensibus questuros et serio contra eos acturos esse (*Aug. Theiner,* Annales Ecclesiastici III, Romae 1856, 277).

obstiterunt multa, animique ipsi Dominorum, antehac non satis erga me clericorum suasu atque impulsu affecti[1]; Sed pone erectum iam Seminarium, quis erit Adolescentum instructor, ac Rector? nisi hanc prouinciam vestra Societas suscipiat? quid vero mihi hac de ope polliceri possim, Paternitas vestra longe melius meipso nouit[2]; Verum iuuante Christo sequenti anno, si in Heluetiam rediero, hoc mihi propositum est praecipue ad exitum perducendum negotium; Quod autem ad Friburgicum Collegium spectat, scribo fusius ad M. Rupertum[3]; Sed Paternitati etiam Vestrae hoc vnum subticere non debeo, existimare me, quo peius, et insolentius se gerunt Marsenses Monachi[4], eo melius et rectius Collegij res ipsas (Deo ita ob illorum crimina permittente) paulatim dirigi atque disponi, neque adeo longa est [mora] [?][a] hinc ad reditum vsque meum (si tamen per Bernates me Friburgum reuerti amplius licuerit) et Prouincialis[5] aduentum, quin differri possit in illud tempus, rerum prope omnium deliberatio; Tunc vero Paternitas tua omnino confidat, facultatem mihi a Sanctissimo Domino[6] concessam, Collegij ipsius commodis, ac vtilitati me omnem collaturum, aut profusurum[b] [?] potius; Sed consilio meo acquiescat rogo; minime expedit nunc eleemosinas tollere[7], aut alio monachos ablegare; De Burgundico Sale agam diligenter, et quoad eius fieri poterit, recte perficiam negocium[8]; Scripsi iam Romam accurate de Frobenij votis, et iudicio

a) *Hoc vel simile v. in apographo supplendum esse videtur.* b) *Obscurius scriptum.*

[1] De pravis multorum clericorum helvetiorum moribus v. *Can.* VII 538.

[2] Societati non suppetebat is sodalium numerus, qui plurimis illis, quae ab ipsa petebantur, officiis praestandis sufficeret; cf. *Can.* VII 837 840.

[3] P. Robertum Ardrenum.

[4] Bonhomius in monasterio Marsens, quod Gregorius XIII. senatu friburgensi consentiente ab ordine praemonstratensi ad Societatis collegium friburgense transtulerat, tres Praemonstratenses reliquerat, certo victu iis assignato et certa vivendi ratione praescripta. De horum vivendi licentia v. *Can.* VII 866–869 et ***Franz Steffens*** u. ***Heinr. Reinhardt,*** Nuntiaturberichte aus der Schweiz seit dem Concil von Trient, 1. Abt., Dokum. 2. Bd., Solothurn 1917, 319 636[1].

[5] P. Paulus Hoffaeus, Germaniae superioris praepositus provincialis, Romae congregationi generali Societatis intererat. Constitutum autem erat, ut in reditu per Friburgum transiret; cf. *Can.* VII 597.

[6] Gregorio XIII.

[7] Ex *relatione, quam P. *Oliverius Manareus* S. J. de „visitatione" m. Iunio et Iulio 1581 Friburgi a se habita Romam ad praepositum generalem misit, haec intelleguntur: Monasterium Marsens „siue ex fundatione siue ex pia consuetudine quotidie, potissimum uero duobus statis diebus in anno solennes eleemosynas in egenos conferebat": atque „illis duobus diebus erogabant panes et carnes vnde ingens eo concurrebat multitudo ex varijs locis". Hoc ergo onere Canisius, qui rei familiaris angustia premebatur, vel se liberare volebat, vel potius — id quod ex eadem illa relatione colligi potest — se liberatum esse putabat per sedem apostolicam, „cum dicti Monasterij onera conuertit ac transtulit in ministeria et officia Friburgi per Societatem obeunda" ex archetypo; „G. Sup. 98" f. 410[a].

[8] In bibliotheca monasterii marsensis a Sociis repertae erant litterae a. 1259 in membrana scriptae, quibus „Ioannes comes Burgundiae" promittebat, se ex burgundicis salinis suis quotannis 60 mensuras „souldées" salis religiosis marsensibus pro stipe daturum esse (*Rich. Feller,* Ritter Melchior Lussy von Unterwalden II,

meo obuijs vlnis accipiendis conditionibus, nunc iterum scribam in eam, quam Paternitas tua monet, sententiam, vt humanis illum Sanctissimus D. literis ad Typographiam Friburgi erigendam inuitet, atque hortetur[1]; quod si impetrauerimus, vel hoc vno crediderim, etiamsi nihil aliud commodi aut vtilitatis, Catholicae Religionis rebus attulero, nequaquam futuram infructuosam legationem apud Haereticos meam; Jnstrumentum quod Paternitas tua petit, in hoedina carta descriptum mitto[2], neque enim in incertum illud mittere decuerat; tabellarioque Lucerino tradidi, illius Ciuitatis Archiscribae tradendum, cuius praeterea fidei fasciculum ad Paternitatem tuam directum, credidi; Rerum mobilium Coenobij Marsensis inuentarium ex D. Petro Antonio[3] repetere non potui; Cum is nondum Constantia, quo illum Friburgo, non leuis negocij causa, vt meminisse potest Paternitas tua, adlegaui, ad nos reuersus sit; Vbi is primum redierit, curabo vt illud diligenter perquiratur, atque ad Paternitatem tuam mittatur primo quoque tempore; Committere non possum, quin Paternitati tuae significem, Patrem Gasparem Eiuodum[4] a Prouinciali vestro Luceriam abire iussum ad Sanctissimum Dominum appellasse, ac Mediolanum ante duos fere menses ad Jllustrissimum Sanctae Praxedis Cardinalem[5] cum Serenissimi Bauariae Ducis[6] literis, ijsque non vulgarem commendationem continentibus, peruenisse, indeque Romam profectum; Tragediam vero hanc omnem ipsa optime nouit, nullam aliam ob causam, quam ob benedictum illum Germanicum contractum esse excitatam[7]; Deus opt. max. pro sua immensa bonitate, omnium mentes ad sui honorem, et gloriam, atque ad animarum salutem, nihil praeterea cogitandum dirigat, atque inducat; Atque hic quidem quamplurimis occupationibus, quibus sane distringor, ac prope obruor, impeditus, finem scribendi facio, non tamen Paternitatem tuam deprecandi, vt mei in quotidianis suis precibus ac sacrificijs sit memor[8]; Dat. Vercellis vij. Cal. Februarij · MDLXXXI.

Canisius Bonhomio respondisse videtur 11. Februarii 1581.

Stans 1909, 141; *J.-J. Berthier* O. Pr., Lettres de Jean-François Bonomio, Fribourg 1894, 67). [1] Vide supra p. 1.

[2] Significanturne litterae illae publicae, quae Canisium in possessionem monasterii Marsens missum esse testabantur? Has vide *Can.* VII 867—868.

[3] Bonhomii „auditorem" in legatione illa helvetica agebat „Petrus Antonius de Advocatis", iuris utriusque doctor et cathedralis ecclesiae vercellensis canonicus (*Steffens-Reinhardt* l. c. II 312 631. Cod. rom. „693" p. 513 518).

[4] Haivodum.

[5] S. Carolum Borromaeum, archiepiscopum mediolanensem.

[6] Guilielmi V.

[7] Haivodus, homo bonae quidem voluntatis, sed mentis perturbatae, a Societatis praepositis, quod in 5% permittendis nimium indulgentes essent, ad Gregorium XIII. appellaverat; quae appellatio Canisio valde displicebat. Plura v. *Can.* VII 578—590.

[8] Vercellis 24. Martii 1581 *Bonhomius* Schnewlino praeposito scripsit: „Venerabili Patri Canisio, et Magistro Ruperto plurimam salutem dices meo nomine, eorumque assiduis precibus me etiam atque etiam commendabis" (*Berthier*, Bonh. 74).

2086. CANISIUS **IUVENIBUS RELIGIOSIS** variorum ordinum et monasteriorum in universitate dilingana litterarum causa versantibus.

Friburgo Helvetiorum 2. Februarii 1581 [?].

Ex apographo saeculo XVII. vel XVIII. scripto et sic inscripto: „Ad Religiosos, qui Dilingae student." Cod. monac. „Lat. 1606" f. 123. Maiorem aliquam harum litterarum partem posuerunt germanice (ex eodem apographo) *Flor. Riess* S. J., Der selige Petrus Canisius, Freiburg i. Br. 1865, 504—505, et gallice (ex Riess, puto) *V. Alet* S. J., Le Bienheureux Canisius, Paris 1865, 290—291.

Pro „xeniis" gratias agit. Monet eos, ut Deo pro vocatione religiosa et institutione dilingana gratias agentes in litteris ac pietate proficiant.

Pax Christi nobis[a] [?] aeterna, Patres et Fratres in Domino Religiosi.

Et debeo et habeo gratiam charitati vestrae, quae me nuper suis Xenijs locupletauit ac singulari Sanctaque liberalitate expectationem meam facile superauit[1]. Amo sane et laudo haec pietatis vestrae vota, nec dubito ea Diuinae Maiestati grata, mihique salutaria fore, vt propter multorum coniunctas preces ego in hac aetate Christum mihi magis propitium sentiam. Non possum interim praetermittere, quin vos omnes ego iam senex moneam, de quibusdam, quae ad vestrum institutum prouehendum, ni plane fallar, momenti aliquid possunt adferre. Et sane si me fertis monitorem, gratos Deo Optimo Maximo animos exhibetis, qui vos a mundi vanitate conuersos, ad hoc religiosum vitae genus praeter omne meritum vestrum traducit, atque in eodem hucusque conseruat, ut obedientiae Sanctae Filij[2] vero dici, ac haberi possitis. Deinde non sine singulari Diuini Numinis prouidentia factum putabitis, quod ex maiorum authoritate Dilingam perueneritis, ubi vestros animos honestis, ac liberalibus artibus excoleretis, et ea, quae vocationi vestrae non parum congruunt, commodius ac diligentius cognosceretis. Proinde maiorem in modum curabitis, ut [non][b] sine magno fructu tempus hoc, quod ad doctrinam ac pietatem vobis augendam tribuitur, prouide ac fructuose transigatis, quemadmodum ab optimis vestris maioribus, qui de vobis exspectant non vulgaria, merito desideratur. Pergite igitur sicut in Christo coepistis, quod antea neglectum est, id studio quodam compensare Dilingae, eamque vobis et sapientiam et industriam comparate, vt aliquando de vestri ordinis hominibus atque monasterijs, imo et de alijs christi ouibus bene pascendis, ac iuuandis, bene mereri possitis. Habetis istic non paucos qui vos ad meliora tum docendo, tum viuendo provocent ac exhortentur: nec ignoratis tam corruptos huius mundi vere immundi esse mores, multis ut praesidijs et armis aduersus communem illum piorum hostem indigeatis. Quare Diuinam opem imploro vestra vt Studia ad sui Nominis gloriam,

a) *Sic apogr.; corrigendumne* uobis? b) *Hoc vel simile v. supplendum esse res ipsa ostendit.*

[1] „Xeniorum" sacrorum nomine significabantur pia quaedam opera: Missarum sacrificia, oblationes missarum et sacrarum communionum, recitationes „rosarii" et „litaniarum", precationes aliae: quibus nonnumquam accedebant opera poenitentiae et caritatis, velut ieiunia, flagellationes, stipis largitiones etc. [2] 1 Petr 1, 14.

et Ecclesiae Catholicae vtilitatem magis, magisque prosperet, neque vos tantum doctiores, sed et meliores, Sanctaeque Religionis obseruantiores faciat in hoc religionis afflictissimo statu. Diuino timore, et amore nihil antiquius habeatis, et quae potissimum vocationi vestrae quadrant, quemadmodum Apostolicam Paupertatem, Angelicam castitatem, et Christo dignam obedientiam, omnibus mundi opibus atque copijs anteponatis. Hoc unum superest, ut me vestris omnium precibus Christo commendari, meamque senectutem vestra pietate fulciri, ac iuuari cupiam vehementer. Dominus IESVS nos[a] [?] in utroque homine incolumes tueatur. Valete in Christo Charissimi Fratres. Datum Friburgi Heluetiorum II Februarij.

Vester in Christo.

Petrus Canisius.

Annus non est ascriptus his litteris. *Riess* et *Alet* annum „159?" iis ascripserunt. Quae certe inter annos 1581 et 1597 datae sunt; neque enim aliis annis Canisius diem 2. Februarii Friburgi Helvetiorum transegit. Dilingae autem Canisius cum alias saepe, tum a. 1580 ab ineunte fere mense Octobri usque ad d. 21. Novembris versatus est; quo die in Helvetiam versus discessit. Sub initium igitur a. 1581 Dilingae recens eius erat memoria apud iuvenes in universitate illa litteris studentes. Facile ergo fieri poterat, ut illi Friburgum „xenia" illa mitterent, pro quibus Canisius in his litteris gratias egit. Quo diutius vero ille Dilinga aberat, eo magis eius memoria ibi evanescebat. Ideo maxime verisimile est, eum has litteras a. 1581 scripsisse. Neque obstat, quod Canisius (natus m. Maio a. 1521) se „iam senem" esse scribit; constat enim, eum cito senuisse.

Riess et *Alet* litteras datas esse affirmant ad Societatis Iesu iuvenes Dilingae degentes, qui litteris studebant ideoque „scholastici" vocabantur. At Canisius, si Societatis scholasticis scribere voluisset, eos non „Patres et Fratres religiosos", sed „Patres et Fratres carissimos" in ipso litterarum exordio appellasset, neque — id quod maximum momentum habet — eos monuisset: Sic vos comparate, ut „aliquando de vestri ordinis hominibus atque monasteriis bene mereri positis"; neque enim unquam ille Societatis domos „monasteria" vocabat.

Monasteriorum praepositi iuvenes suos litterarum studiis addicere solebant, cum anno tirocinii peracto vota religiosa sollenniter nuncupassent. Cardinalis autem Otto Truchsess in synodo dioecesana a. 1567 Dilingae habita praepositos eosdem monuit, ut iuvenes suos „professos" universitati dilinganae traderent ad litteras et pietatem instituendos. Id quod illi sedulo praestabant. Ita in universitate et in convictu S. Hieronymi a. 1574 religiosi 30, a. 1586 religiosi 52 morabantur (*B. Duhr* S. J., Geschichte der Jesuiten in den Ländern deutscher Zunge I, Freiburg i. Br. 1907, 500). Hi ad varios pertinebant ordines, maxime autem ad Benedictinos, Praemonstratenses, Canonicos regulares S. Augustini. Eorum alii litteris et humanitati, alii philosophiae, alii theologiae studebant (*Thom. Specht,* Die Matrikel der Universität Dillingen, Dillingen a. D. 1913, 1177 1178; *Alfr. Schröder,* Die Matrikel der Universität Dillingen. Registerband, Dillingen a. D. 1914—1915, 416—417).

Sin autem quaesieris, quibusnam religiosis Canisius scripserit, respondeo: Matriculae universitatis dilinganae a. 1576—1580 hi (praeter alios, quorum ordo religiosus cognosci nequit) inscripti sunt: Ex canonicis regularibus S. Augustini: FF. Ioannes Fauserus (1576) et Ioannes Endris (1578), canoniae S. Crucis, quae erat Augustae Vindelicorum; ex Benedictinis: FF. Ioannes Guilielmus Kant (1576) et Petrus Walter (1579), monasterii ottenburani (Ottobeuren); FF. Bernardus Miller (1577), Othmarus Frisch (1579), Adamus Zeyeller (1579), Ioannes Fock (1579), monasterii ochsenhusani

a) *Sic; legendumne* uos?

(Ochsenhausen); FF. Caspar Straus (1576) et Georgius Zechetmaier (1576), monasterii schyrensis (Scheyern); FF. Christophorus Bachius (1577) et Ieremias Nehems (1577), monasterii nerisheimensis (Neresheim); FF. Georgius Frey (1577) et Benedictus Fusel (1580), monasterii wiblingensis (Wiblingen); F. Christophorus Weisenfelder (1577), monasterii S. Udalrici, quod erat Augustae Vindelicorum; ex Praemonstratensibus: F. Franciscus Wittweyller (1579), canoniae Augiae minoris (Weissenau); ex ordine S. Spiritus: F. Michael Koler (1576), coenobii memmingani (Memmingen); v. *Specht* l. c. 106 108 112 113 115 121 124 126 127 129. His ergo vel compluribus eorum Canisius scripsit. Multi ex monachis Dilingae institutis postea monasteriorum suorum abbates, praepositi, priores, magistri facti sunt et ad disciplinam religiosam instaurandam atque augendam plurimum adiuverunt (*Duhr* l. c. 500—501; *Thom. Specht,* Geschichte der ehemal. Universität Dillingen, Freiburg i. Br. 1902, 424—425).

2087. CANISIUS **IOANNI FRANCISCO BONHOMIO,** apostolico apud Helvetios visitatori et nuntio, episcopo vercellensi.

Friburgo Helvetiorum 11. Martii 1581.

Epistula perisse videtur; de qua vide infra, ep. 2091.

Bonhomius m. Februario a. 1581 in episcopatum suum vercellensem rediit; neque vero legatione helvetica tunc cessit; in Helvetiam redire volebat, et reapse m. Maio et Iunio Curiae fuit (*Mayer* I 286 287).

2088. CANISIUS **P. PAULO HOFFAEO S. J.,** uni ex Claudii Aquavivae praepositi generalis S. J. „assistentibus".

Friburgo Helvetiorum inter d. 11. Martii et 5. Aprilis 1581.

Ex litterarum a Bonhomio ad Hoffaeum et ad Canisium datarum apographis eodem fere tempore scriptis. Cod. rom. „693" p. 645 653.

Bonhomius Hoffaeo, qui Romae congregationi generali Societatis intererat, Mediolano 16. Aprilis 1581 scripsit: „Proxime elapsis diebus cum Vercellis essem, literas a Reuerendo P. Canisio accepi, quibus de foelicibus ad salutem animarum ac diuinum cultum promouendum progressionibus, deque Marsensis monasterij rebus me certiorem facit; Ijs vero adiunxit alias, quas ad Paternitatem tuam perscriptas, mihique diligenter ab eo commendatas, nunc mitto." Idem Bonhomius Vercellis 26. Aprilis 1581 Canisio Friburgi moranti scripsit: „Binae mihi quibus respondere debeo, literae tuae, et V.° Jd. Martij, et Nonis Aprilis datae, vtraeque autem mihi vno fere tempore redditae."

Hae Canisii ad Bonhomium et ad Hoffaeum epistulae perisse videntur omnes. Quid autem Canisius scripserit, ex Bonhomii litteris, quas modo dixi, cognosci potest. Ex iisdem colligi hoc potest: Canisius, cum Hoffaeo scriberet, nondum noverat, eum iam non esse praepositum provinciae Germaniae superioris. Die enim 5. Martii 1581 a Societatis congregatione generali Hoffaeus electus est Claudii Aquavivae novi praepositi generalis „assistens pro partibus septemtrionalibus": Decreta Congregationis generalis IV, decr. 16 (*Institutum* Societatis Iesu II, Florentiae 1893, 250).

2089. CANISIUS **I. FR. BONHOMIO,** nuntio apostolico.

Friburgo Helvetiorum 5. Aprilis 1581.

Epistula haec iam non exstare videtur. De qua vide infra, ep. 2091.

2090. CANISIUS **RECTORIBUS COLLEGIORUM** et **PRAEPOSITIS DOMORUM** Societatis Iesu in Italia sitarum.

Friburgo Helvetiorum 6. Aprilis 1581.

Ex apographo saeculo XVIII., ut videtur, scripto. Cod. monac. „Lat. 1606" f. 104[a].

Verronium parochum friburgensem commendat.

Rectoribus Collegiorum, et praepositis domorum
Societatis IESV in Italia versantibus,
salutem in Christo perpetuam.

Qui has literas reddet, Reverendus et eruditus est vir, D. Sebastianus Werro, Friburgensis Ecclesiae in Helvetia Parochus vere Catholicus, amicus noster in Domino singularis, Religionis ergo in Italiam, fortassis ad venerandum quoque CHRISTI Redemptoris sepulchrum, se conferens [1].

Quapropter etiam atque etiam vos omnes et singulos Patres oro, ut quum idem venerit ad vos, huius testimonij nostri fructum sentiat, ac de meliore nota vestrae charitati commendatus sit in Christo IESV Domino nostro. Ita rem Deo gratam, vobisque dignam, nec minus illi iucundam quam nobis acceptam praestiteritis. Vestris autem sacrificijs ac precibus, quod [a] [?] maxime possum, Summo Deo me cupio commendatum esse. Datum in nova Domo Friburgi Neutoniae apud Helvetios Catholicos, anno post Virgineum partum sesquimillesimo, octuagesimo primo, die Aprilis sexto.

Petrus Canisius Societatis
IESV, manu propria scripsi.

2091. IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS, episcopus vercellensis, apostolicus apud Helvetios visitator et nuntius, CANISIO.

Vercellis 26. Aprilis 1581.

Ex apographo, eodem fere tempore scripto et sic inscripto „Patri Canisio". Cod. rom. „693" p. 653—657. Particulam epistulae posuit *Feller* l. c. II 145[2].

Catholicorum in comitiis segnities. Aliqui, ne Bonhomius in Helvetiam remittatur, petentes. Huius profectio curiensis et desiderium iurandi Friburgenses. Messis friburgensis. Seminarium. Hoffaeus. Difficultates marsenses; res pecuniaria non ita urgenda. Frobenius. Verronii iter. Praepositus monendus et iurandus. Dilinga. Pontificis sententia de $5\,^0/_0$.

Reuerende admodum Pater, atque vti frater in Domino charissime. Binae mihi quibus respondere debeo, literae tuae, et V.° Jd. Martij,

a) *Sic; corrigendumne* quam?

---

[1] Sebastianus Werro sive Verronius (1555—1614) friburgensis helvetius, a. 1574 Friburgi Brisgoviae magister artium creatus, a. 1577 Vesontione (Besançon) sacerdotio initiatus et Friburgi Helvetiorum canonicus ecclesiae S. Nicolai constitutus. 7. Februarii 1580 urbis friburgensis parochus nominatus erat (*R. Werro,* Notice sur la vie et les écrits de Sébastien Werro, Fribourg en Suisse 1841, 1—4. *Berthier,* Bonh. LXIV—LXVI). „Neben Propst Schneuwlin", inquit *Eduardus Wymann,* „darf Sebastian Werro als der bedeutendste und verdienteste Repräsentant der katholischen Gegenreform in Freiburg bezeichnet werden": Zehn Briefe des Stadtpfarrers Sebastian Verro, in „Zeitschrift für schweizerische Kirchengeschichte" 1916, 119—120. Verronius Friburgo in Italiam profectus est 6. Aprilis 1581.

et Nonis Aprilis datae, vtraeque autem mihi vno fere tempore redditae; De Comitiorum Thermipolitanorum exitu non est, quod multa scribam, quando res ipsa apertissime ostendit, parum illum fuisse Catholicis Dominis honorificum[1]; Sed quod peius est, Catholicorum et Dominorum nomine, quamquam non credo authoritate (non enim literarum exemplum vidi) petitum est a Sanctissimo Domino quam maxime enixe, vt ne me amplius in Heluetiam redire sinat, cum id non absque manifesto vitae meae, et totius regionis tumultus periculo [fieri possit][a][2]; scilicet tanti est mea mula, vt belli terrorem secum afferat; Quamuis autem omnia, quaecunque ex eo Bernensis contumeliae fonte prodeunt, mihi maxime honorifica esse existimem, vt tamen vere fatear, ea re nonnihil affectus sum, non mea quidem causa, qui potius ex eo non leuem animi consolationem capere debeo, sed Catholicorum ipsorum causa, qui (si tamen id eorum nomine scriptum est) hac ratione magis, quam in Comitijs ipsis Bernatum furori assentiri, ac fauere, praeterquam quod nullam reformationis curam sibi esse hoc vnico officio testari viderentur; Quicquid sit, omnia Dei ipsius nutui et voluntati tanta animi quiete, ac tranquillitate commisi, vt quicquid mihi a Sanctissimo Domino[3] mandabitur, illud sim alacri animo executurus; Quod si illius Sanctitas omnem de reditu in Heluetiam meo deliberationem arbitrio meo reliquerit, ego tamen Friburgum redeundi nunquam a Bernatibus securitatem petam, id enim indignum nimis mihi futurum putarem; Hoc vero tuam Paternitatem scire volui, vt si forte Friburgenses Domini aduentum meum cupiuerint, quid facto opus sit, ipsi intelligant; Curiam repetam Deo bene iuuante, ad Sanctissimi Corporis Domini Comitia[4]; Ibi si quid ex literis tuis accepero, quod per Summi

a) *Haec vel similia supplenda esse res ipsa ostendit.*

[1] Comitiorum illorum tabulae haec habent: Septem locis catholicis cum Bernatibus convenit, ut arbitri constituerentur loci Tigurum, Glarus, Basilea, Scaphusum, Abbatiscella. Qui statuerunt: Quod ad Bonhomii per Bernatium fines transitum attineret, eum tranquillitatis et concordiae causa loci septem catholici hortarentur, ne reliquos locos lacesseret. Sin autem eum ad clerum reformandum vel alia negotia gravia loco aliquo catholico peragenda iterum per Bernatium fines transire oporteret, locus ille transeundi licentiam a Bernatibus peteret et comitem loci coloribus vestitum ei adiungeret: Bernates id non denegaturos, immo populum admonituros esse, ut eum securum incolumemque transire pateretur. Pontificis, cardinalium, aliorum principum legatis transitum, sicut antea fuisset, ita in posterum quoque fore liberum et securum; ipsos autem commode („gleitlich") se gerere debere. Haec utrique parti placuerunt (*Krütli,* Eidgen. Abschiede IV² 733—734; cf. etiam *Mayer* I 285; *Feller* II 145).

[2] Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur. [3] Gregorio XIII.

[4] Circa hanc sollennitatem (25. Maii) Grisones („Gotteshausbund") Curiae Raetiorum (Chur) conventum habituri erant. Liti, quae iis cum Beato a Porta episcopo curiensi erat, componendae Bonhomius iam multum operae impenderat. Cum autem Beatus iam semel atque iterum episcopatum abdicasset, novus episcopus eligendus erat. Cui electioni Bonhomius interesse volebat (*Luc. Burgius,* Io. Francisci Bonhomii Borromeis, Mediolani 1589, 102—104; *Mayer* I 248—249 265—280 285—286; *Theiner* III 49 50 165—167).

Pontificis iussa praestare mihi liceat vestro, et Friburgensis Reipub. vsui, commodoue, nihil equidem laboris, curae, aut etiam periculi (testis Deus non me mentiri) subterfugiam; Laetatus sum vehementer fructum iam concionum ac laborum vestrorum extare maximum, eoque magis laetatus sum, quod Friburgensem messem existimaui semper non admodum difficilem, atque vberrimam futuram; Faxit Deus optimus, vt illa augeatur magis, ac magis in dies; Seminarium in Heluetia erigendum cogitaui semper, idque prope vnum mihi proposueram negocium tertio legationis meae anno conficiendum; sed non leues obijciuntur difficultates, quas tamen iactis iam superiori anno haud leuibus fundamentis superare omnes, Dei auxilio fretus, sperabam; Nunc quid futurum sit, ignoro; precibus autem apud Diuinam Maiestatem pro Heluetiis rebus agendum est feruentissimis. De nouo Antistite deligendo [1], quod ego profecto maxime expedire censueram, si Catholici viri cordati esse vellent, rerumque suarum ad Religionem pertinentium, quam deberent, curam gerere, certe iam deliberatum esset, ac sine belli seditionisue periculo; Coeterum transeat cum reliquis; satis mihi erit, nihil me praetermisisse, quod illorum commodo, dignitati ac gloriae conducere cognouerim. Patrem Hoffaeum non est quod expectes amplius cum iam vnus ex assistentibus Reuerendissimi vestri Generalis declaratus sit [2]; De Generalis vero ipsius electione, qui est Claudius Aquauiua, vos iam esse certiores factos reor; Quod de eleemosynis Marsensibus scribit Paternitas tua, id mihi fuit quam gratissimum. Ecce igitur onere illo, quod graue adeo existimabamus, collegium leuatum nullo negocio aspicitis, quod si ego tollere voluissem, id certe non sine maxima omnium offensione fieri tunc potuisset [3]; Quod autem ad bonorum conductores attinet, doleo non mediocriter de vafris illorum in Collegij detrimentum consilijs; Sed Paternitas tua meminerit velim, vix acquiescere me voluisse, tam repentinae illi, ac fere praecipiti locationi, at ipsam ac praesertim D. Guilhelmum vrsisse adeo negocium, vt si re infecta tunc abijssemus prope omnia ruitura essent [4], sed quando omnia bona voluntate peracta sunt, nihil erratum reor, succurret Deus; verum Paternitatem tuam, et Magistrum Rupertum [5] admonebo, quod quidem multum interesse puto ad optimam et Dominorum, et populi Fribur-

---

[1] Episcopum curiensem significare videtur; v. supra p. 10[4].

[2] Vide supra p. 4[5].

[3] Ex * litteris a *Bonhomio* 26. Aprilis 1581 Friburgum ad P. Robertum Ardrenum S. J. missis colligitur, apud Friburgenses effectum esse, ut in monasterio marsensi iam non cotidie (cf. supra p. 4[7]), sed bis tantum in anno stipem pauperibus distribui oporteret (apogr. eiusd. temp.; Cod. rom. „693" p. 658—659).

[4] Bonhomius exeunte a. 1580 bona marsensia ad sex annos elocaverat, urgentibus Francisco Gurnel, Guilielmo Krummenstoll, Bartholomaeo Renaut, quos senatus friburgensis Bonhomio in monasterio illo ad Societatem transferendo adesse iusserat. Canisius autem elocationi illi aegre tandem, ne reliquis „omnibus repugnaret", consenserat. Ita quidem ipse rem narravit; v. *Can.* VII 599.

[5] P. Robertum Ardrenum.

gensium erga vos voluntatem tuendam, ac conseruandam, vt non nimis temporalibus bonis inhiare vos ostendatis; itaque singula nimis exacte persequi, vnde multi offendi possunt, hoc praesertim initio, non probo; Melius autem per laicos viros qui ex animo Collegio fauent, eiusmodi officia praestari poterunt: Literas, quas ad Frobenium a Sanctissimo D. petieras vtcunque impetraui[1]; verum licet mihi visae eiusmodi non sint, vt illius animum commouere valeant, cum eum Religionis Catholicae studio incensum asserant (quod ego equidem nequaquam scripsi) eas tamen cum exemplo adiuncto ad Paternitatem tuam mittere volui, vt si expedire iudicauerit, ad eum dirigere illas possit suo arbitratu, cui totum hoc negocium committo. Quod ad Parochum spectat, multum diuque laboraui, vt illum a coepto consilio sacrum Domini sepulchrum inuisendi auocarem: Tandem victus cessit[2]: Romamque tantum proficiscetur, cui ego officijs omnibus nulla ex parte deero; Ad R. autem Praepositum[3] mihi nihil scribendum esse nunc duxi, vel de concionibus extra Ciuitatem habendis, vel de consuetudine laicorum fugienda; cum ipse nunc aliud suspicari non posset, quam quod tuo, vel Parochi impulsu haec scriberem; alias vti spero commodius ac fortasse vtilius id officij praestiturus; De opulentiori beneficio libenter illi prouidissem; Sed quando quaecunque ab ipso, alijsque Canonicis a me petita sunt, ex ipsorum voto impetrata atque expedita sunt omnia, quid amplius a me iure desideretur non video; si tamen aliqua mihi proponeretur ratio, qua illius officium, et authoritas iuuari possit, omnia, quae in mea potestate erunt, concedam, et praestabo quam promptissime. Collegij vestri Delingani necessitatem accepi, idque officij quod a me petit tua Paternitas non denegabo[4], vtinam non inane illud sit: De contractu illo Germanico, deque Patre Gasparo[5] nihil aliud accepi, quam quod Patres vestri multum hactenus laborarunt, vt is licitus declaretur[6]; Sed Sanctissimum Dominum scribitur eorum deliberationi nondum acquieuisse, remque esse magni momenti censuisse Suam Beatitudinem atque ideo maturius consilium antequam contractum probet, adhibituram. De reliquis ita statuat, volo, Collegij Friburgi commoda

---

[1] Vide supra p. 1—2.

[2] Sebastianus Verronius urbis friburgensis parochus (v. supra p. 9) Vercellis 26. Aprilis 1581 Petro Schnewly capituli S. Nicolai friburgensis praeposito scripsit: „Cautum est, ne quis presbyter ad SS. Sepulchrum sine Summi Pontificis aut illius Legati licentia iter suscipiat, sub excommunicationis poena.“ Bonhomium autem, quem ipse primum Mediolani repperisset, dein Vercellos euntem comitatus esset, sibi, accedente auctoritate S. Caroli Borromaei et duorum presbyterorum vercellensium integritate et doctrina pollentium persuasisse, ut peregrinationis hierosolymitanae consilium deponeret (*Wymann*, Zehn Briefe etc. 120 124).

[3] Petrum Schnewly, qui Antonii de Gorrevod episcopi lausannensis (ad huius episcopatum Friburgenses pertinebant) vicarium generalem agebat.

[4] Vide infra, ep. 2093. [5] Haivodo; cf. supra p. 5.

[6] PP. Paulum Hoffaeum et Gregorium de Valentia potissimum significare videtur. Quid tandem a delectis Societatis viris constitutum et a Gregorio XIII. approbatum sit, vide *Can.* VII 590.

atque incrementum mihi esse cordi quammaxime, verum ille Comitiorum exitus, literaeque illae de meo reditu Romam perscriptae, vereor vehementer, ne meis votis ac cogitationibus obicem ponant haud leuem, praesertim autem Summi ipsius Pontificis animum nonnihil auertant, aut saltem aliquanto tepidiorem reddant; Deus pro sua immensa erga nos pietate bene vertat omnia, cui vos omnes, et Collegium, Ciuitatemque istam, ac Rempublicam vniuersam feruentioribus precibus meis diuinae Maiestati semper commendo. Datum Vercellis VI. Cal. Maij. MDLXXXI.

Eodem illo d. 26. Aprilis 1581 *Bonhomius* etiam ad P. Robertum Ardrenum Canisii socium * litteras dedit; in quibus: „Laetatus sum“, inquit, „vehementer in ijs, quae a Reuerendo Parocho[1] dicta mihi sunt, tibique et Reuerendo P. Canisio ex animo gratulor, de laboribus a vobis susceptis, ex quibus vberrimus iam in ista Friburgensi vinea colligitur fructus“ (ex apogr. eiusd. temporis: Cod. rom. „693“ p. 658—659).

Ceterum haec iuverit notari: Bonhomius, vir sanctissimus et doctissimus, imperiosius nonnumquam et severius agendo („un saint parfois terrible“, inquit *Berthier*, Bonh. 167) et propriae sententiae nimis inhaerendo etiam complurium Helvetiorum vere catholicorum animos a se alienaverat (*Can.* VII 538 599; *Mayer* I 262 288—289). „Das Unternehmen Bonhominis in der Schweiz“, ait *L. R. Schmidlin* antistes romanus, „war, weil neu, schwierig und, weil er zu rasch vorging, kein ganz glückliches“: Solothurns Glaubenskampf und Reformation im 16. Jahrhundert, Solothurn 1904, 371. Similiter *Alb. Büchi:* „Uebereifer und allzu große Strenge machten seiner Wirksamkeit bald ein Ende“: Zeitschrift für schweizerische Kirchengeschichte, 1. Jahrg., Stans 1907, 16—17. *Caesar Spetianus* Roma 3. Iunii 1581 S. Carolo Borromeo scripsit, sibi a cardinali Marco Sittico haec de PP. Martino Leubenstain rectore lucernensi, Canisio, Hoffaeo narrata esse: „Un Padre Giesuita rettore di Lucera che fu qua alla creatione del loro generale, disse che il vescovo di Vercelli haveva fatto tanto danno in quei paesi che vi bisogneranno molti anni a riacquistare quanto vi è perso et che del medisimo parere era anche il padre Canisio et quel provinciale che hora è assistente“ (*Feller* II 147[1]). Attamen haec, saltem quod ad Canisium attinet, veritatem nonnihil egrediuntur. Nam P. *Oliverius Manareus* S. J., cum m. Iunio a. 1581 visitator venisset Friburgum, inde 2. Iulii 1581 Aquavivae generali de rebus a Bonhomio apud Friburgenses gestis * scripsit: „Li ha molto confirmati, et revera ha fatto grande frutto, et ha molto edificato, con la sua pietà, zelo, et modestia“ (v. infra, monum. 1289). Haec autem Manareum, magna saltem ex parte, ex Canisio audivisse satis certum est. Atque ipse Canisius Bonhomium et in oratione funebri a. 1587 habita, et in litteris, quas circa a. 1597 testamenti loco ad Socios friburgenses dedit, magnis extulit laudibus; v. infra, ep. 2374 et monum. 1435.

Canisius Bonhomio respondisse videtur sub medium m. Maium 1581; v. infra, ep. 2093.

2092. CANISIUS **CLAUDIO AQUAVIVAE** praeposito generali Societatis Iesu. Friburgo Helvetiorum inter m. Martium et Iunium 1581.

Gratulatur ei, quod praepositus generalis electus sit. De missione sua friburgensi ei scribit. Preces sacras promittit. Plura, quoniam epistula haec periit, vide in litteris 3. Augusti 1581 datis, quibus Aquaviva ad hanc epistulam respondit.

Fortasse Canisius hanc epistulam adiunxit relationi, quam 8. Iunii 1581 ad Aquavivam misit; v. infra, ep. 2098.

---

[1] Verronio.

Claudius Aquaviva ex Hatriae (Atri) ducibus ortus, a. 1567 Societatem ingressus, cum provinciis eius neapolitanae et romanae praefuisset, a congregatione generali quarta 19. Februarii 1581, annos tantum 37 natus, praepositus generalis electus est. Qui longissimo illo, quo Societatem rexit, tempore († 1615) eam mediis in tempestatibus, quarum aliae in ipsa ortae, aliae ab externis excitatae erant, summa prudentia constantiaque conservavit et amplificavit. Disciplinam religiosam multis epistulis, ordinationibus, decretis stabilivit. Ipsius quoque cura et „Directorium Exercitiorum" conscriptum est, et „Ratio Studiorum" composita est, et sacrae ad infideles expeditiones magnum incrementum ceperunt.

2093. CANISIUS **IOANNI FRANCISCO BONHOMIO**, apostolico apud Helvetios visitatori et nuntio, episcopo vercellensi.

Friburgo Helvetiorum sub medium m. Maium 1581.

Ex litterarum ad Canisium datarum apographo, quod est in cod. rom. „693" p. 674, et ex epistula ad cardinalem Comensem archetypa, quae est in cod. rom. „Nunz. di Germ. 103" f. 466—467.

Inopiae collegii dilingani succurrendum esse.

Bonhomius Canisio scripsit „Belinzona" 24. Maii 1581: „Nouissimis tuae Paternitatis literis breuiter respondeo." Hae iam non exstare videntur. Ad eas autem haec spectare videntur, quae in epistula eodem die a Bonhomio Romam ad cardinalem Comensem, Gregorii XIII. secretarium maiorem, data leguntur: „Il padre Canisio mi hà scritto più di una uolta, che il collegio di Dilinga patisce assai per la morte del Cardinal Morone di buona mem: che gli daua 200 scudi l'anno, et mi ricorda, che sarebbe opera ueramente molto pia, se si continuasse di souuenire à quel collegio di questa somma; Et non hauendo io uoluto scriuerne per le prime, hora che esso padre me lo replica con instanza, ne faccio questo motto a V. S. Illustrissima, la quale saprà molto bene di quanta importanza sia, che si conserui quel collegio, et conforme al bisogno ne farà ufficio appresso à S. Santità."

Cardinalis Ioannes Moronus, qui ab a. 1576 collegio dilingano ad magnam eius inopiam sublevandam quotannis 200 scutata sive 300 florenos dederat (cf. *Can.* VII 353 371), Romae Kalendis Decembribus a. 1580 mortuus erat. Gregorius XIII. Canisii precibus indulgens hanc pecuniam usque ad mortem († 1585) solvit (Germ. 118 f. 51a—52a).

2094. **SEBASTIANUS VERRONIUS**, collegialis ecclesiae S. Nicolai friburgensis canonicus et urbis friburgensis parochus, CANISIO.

Roma 16. Maii 1581.

Ex epistulae apographo vel commentario, quod Verronius sua manu scripsit in codice „Itinerarium Hierosolymitanum Sebastiani Verronis Friburgensis Heluetij, Anno Dominj, CIↃ IↃ LXXXI", in d. 16. Maii. Qui codex exstat Friburgi Helvetiorum in bibliotheca reipublicae. Epistulam ex eodem codice edidit etiam *Wymann* l. c. 126.

De libro quodam, sacris reliquiis, visitatore, aliis Sociis.

Ven: Patrj · Petro Canisio Sal:

Venetias sj recta petijssem, venerabilis Pater, misissem illum quem petebas libellum: sed aberravj multum remosque per aridum egj. Plures

Romae Hierosolymitanas sacras reliquias jam vidj [1]: optarem ad tempus tantum sufficeret [?] [a], et nihilominus Hierosolymitana loca cernere liceret. Reuerendum patrem Paulum Hoffaeum ex Assistentibus Romanis allocutus sum de promovendo Friburgensj collegio [2], intellexique D. Martinum [3] cum socio apud vos Friburgj Visitatorem [4] expectare: ipsum vero visitatorem jam jam Friburgum petiturum: quapropter non potuj non dare literas ad tuam paternitatem. Friburgum vellem tibj arrideret; et collegium pro amore Dej et plebis Christianae juvares: incommoditates quies sequetur. D. Robertum [5] plurimum salutes rogo. Vale in Iesu Domino. Romae [tertia Pentecostes solennitate 1581] [b].

Haec epistula aliquantum illustratur ex altero illo *Verronii* *„Itinerario", quod ipsius manu scriptum vidi Friburgi in bibliotheca societatis oeconomicae („Société économique"); ibi enim *Verronius* haec narrat: „16 Maij [1581] · Habend wir . . . angetroffen den H. Paulum Hoffeum einen Assistentem der Jesuitern, so zuvor zu Dillingen Provincial gewesen war, imme angetzeigt, wie das Collegium der Jesuitern in unserm Vatterland keinen Fürgang hette, biß zur ankonfft des Provincialen, Vnnd als er vormals zu Dillingen sich gewiderigett, also hatt er sich jetz zumal willig ertzeigett" („Itinerarium. Von der säligen Reyß gen Rom vnd Hierusalem . . . beschriben durch Sebastiann Werro . . . Jm Jar 1581" p. 114).

2095. IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS, apostolicus apud Helvetios visitator et nuntius, episcopus vercellensis, CANISIO.

Belinzona 24. Maii 1581.

Ex apographo eodem fere tempore scripto et sic inscripto: „Patri Petro Canisio". Cod. rom. „693" p. 674—676.

De Frobenio. Purgat se de monitione quadam. De reditu in Helvetiam. Aliqua a se edita mittit. De translatione S. Eusebii et praepositi profectione vercellensi.

Reuerende admodum in Christo Pater, atque vti frater dilectissime. Nouissimis tuae Paternitatis literis breuiter respondeo, cum in itinere sim Curiam profecturus [6]; De Frobenio nihil est quod amplius scribam, quem equidem de contumacia sua nihil cessurum prorsus existimo; neque ego sane ad illum mittere eas Cardinalis Comensis literas ausus vnquam essem [7]; Cum de vitanda auaritiae, aut tenacitatis suspicione scripseram, nihil minus profecto innuere volui, quam de petitis a M.

a) *Legendumne* sufficerent? *Ita certe Wym.* b) *Haec suppleri ex litterarum ad Petrum Schnewly datarum apographo, quod in codice antecedit apographum huius epistolae; huic enim ascriptum est:* Romae, ut supra.

---

[1] Ex harum numero erant columna, cui Salvatorem, antequam flagellaretur, alligatum esse ferunt, et sudarium, quod ei crucem baiulanti Veronicam obtulisse tradunt; Verronius enim in ipso, quod supra dixi, „Itinerario" ad diem 10. Maii non solum verbis haec duo monumenta sacra descripsit, sed etiam eorum imagines penna delineavit. [2] Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[3] Significatur P. Martinus Leubenstain collegii lucernensis rector; is cum P. Hoffaeo provinciali et P. Gregorio Rosephio rectore collegii augustani Romae congregationi generali Societatis interfuerat, quae 22. Aprilis 1581 absoluta est. Romam cum iis negotiorum causa venerat P. Gregorius de Valentia S. J., professor universitatis ingolstadiensis.

[4] P. Oliverium Manareum; de quo multa infra dicentur. [5] Ardrenum.

[6] Vide supra p. 10. [7] Vide supra p. 12.

Ruperto[1] pecunijs · quid enim hanc ob causám ego conquerer? an non potius ei maximas haberem gratias, qui meis omnibus Friburgo discedens mandaueram districtissime, vt nihil prorsus de vino Collegij non esset persolutum; sed illud tantum cauendum esse censueram, ne temporalibus lucris inhiare nimis apud laicos homines videremini: Si quid vero liberius, quam fortasse par erat, scriptum iudicabitis, at certe amanter prolata omnia ego affirmabo, atque eo quidem animo, quo summopere cuperem Collegium istud ita omni virtutum genere, ac splendore nitescere, ut nihil esset quod vel inuidia ipsa carpere vnquam posset. Quicquid vero sit, non leuiter dolerem, si quid vnquam Pater Canisius a me dictum, factumue praesertim in Collegij Friburgensis negocio non boni consuleret. Quod ad reditum in Heluetiam meum attinet, videbit Paternitas tua ex inclusa schaedula quid Jllustrissimus Cardinalis Comensis ad me rescribat Summi ipsius Pontificis nomine[2], quam tamen tibi ita seruari volo, vt nulli alij pateat: quamquam eius sententia Praeposito[3], atque etiam Sculteto Eydio[4], si videbitur, vt communices, non abnuo; Ego enim hunc Sanctitatis[a] suae animum coelare, quantum licuerit, enixe studebo; et promptissime quibuscunque licuerit rationibus Helueticas Religionis res, vel absens, iuuabo; Mitto ad Paternitatem tuam quaecunque hactenus, ob solemnem Sancti Eusebij reliquiarum translationem[5], typis euulgari iussi. Gratissimumque mihi erit, si Paternitas tua et Epistolam meam Jtalico sermone exaratam Praeposito, aliquibusque alijs pijs amicis interpretabitur[6], et quid de tabella Dyptica

a) Sanctitati *apogr.*

[1] P. Roberto Ardreno.

[2] Haec schedula perisse videtur. Nomine Gregorii XIII., cui catholicorum in conventu illo badensi segnities atque ignavia valde displicebat, cardinalis Comensis Roma 29. Aprilis 1581 Bonhomio scripserat, in Helvetiam modo ne reverteretur: negotia tamen cum Grisonibus tractari coepta absolveret et imprimis electioni episcopi curiensis adesset (*Feller* II 147).

[3] Petro Schnewly. [4] Ioanni Heid sive de Lanthen-Heid.

[5] Die 18. Februarii 1581 Vercellis ossa S. Eusebii primi episcopi vercellensis et martyris († circa 370) reperta erant (*Gius. Colombo,* Notizie e documenti inediti sulla vita di M. Giovanni Francesco Bonomi, Torino 1879, 37). Plura de hac re infra, post ipsas has litteras, dicentur.

[6] Bonhomius edidit opus: „Antiquorum Patrum Sermones, et Epistolae de S. Eusebio Epis. Vercellensi et Martyre, ex Codice MS. veteri Tabulari Ecclesiae Vercellensis: Priscorum item P.P. et aliorum Auctorum Testimonia de eodem." His testimoniis accedit Eusebii vita „ex antiquissimis recteque exaratis Ecclesiae Vercellensis Tabulis (et praecipue Maximi Taurinensis Ep. qui floruit anno 400)" et omni monumentorum „genere luculenter contexta. Quae omnia ob solemnem illius Martyris translationem accurate conquisita: Jo: Francisci Bonhomii Episcopi jussu edita sunt, Greg. XIII. P. M. An. Chr. Nat. 1581. Mediolani apud Paulum Gotardum Pontium. 1581." Hoc opus continet etiam Bonhomii „Literas pastorales ad Clerum populumque Vercell. scriptas, de S. Eusebii Episcopi et Martyris translatione": Ita *Franciscus Arisius,* Cremona literata II, Parmae 1705, 363. *Bonhomius* ipse 9. Martii 1581 Schnewlino scripsit: „Ad sacrum eius sepulcrum in marmore, sed uetustissimo Charactere sculpta reperimus haec carmina, quae statim praelis imprimi mandaui.

Vercellensium Antistitum, multis quidem vigilijs ac laboribus composita sentiat[1], ad me ingenue perscripserit; Praeposito autem[a] non dissuadere velim, quin Vercellas eo translationis tempore[2] veniat, siquidem illum spero aliqua auctum pietate, ac reformationis zelo accensum, Friburgum facile reuersurum; optime valeat in Domino Paternitas tua cum M. Ruperto, simulque iunctis precibus me huius opis maxime indigum, pro sua ipsorum charitate, magis, quam pro meritis vllis meis adiuuare non desinant rogo, quoad saltem Curiense hoc negocium longe, quam vnquam antea, difficilius, ac periculosius perficiatur; Datum Belinzonae IX. Cal. Junij 1581.

Eodem die *Bonhomius* ad Schnewlinum praepositum epistulam dedit, in qua: „Mitto ad te", inquit, „Episcoporum omnium vercellensium Dypticam tabellam, non sine multis quidem laboribus a me nuper confectam, tum vero literas quasdam pastorales, quas ego ad clerum, populumque meum vercellensem dedi, quas Italico idiomate conscriptas declarare tibi, et amicis poterit Reuerendus P. Canisius. De Augustinianorum Capitulo[3], non est quod multum miremur, eorum enim mores iam nouimus, sed volente senatu pulcherrime institueruntur, si eiectis illius ordinis fratribus, postquam terram occupant, nullumque fructum reddunt[4], eorum Ecclesia et monasterium in Collegij vsum, et commodum verteretur; Diaboli, eiusque sectatorum minas, Deo aspirante, non timeo; Sed De reditu Friburgum meo nunc cogitare non licet, ob translationis diem, cui me non interesse nefas est, aliquid autem praeterea aperire tibi poterit Pater Canisius, cuius fidei hanc ad rem spectantia commisi omnia. . . . Te vero, cum pio aliquo ex nobilibus istis Curiae, aut Vercellis expecto" (ex imagine photographica apographi eodem fere tempore scripti; Cod. rom. „693" p. 674. Epistulam integram posuit *Berthier*, Bonh. 74—76). De translatione autem illa *Bonhomius* iam 7. Martii 1581 Vercellis ad Gregorium XIII. scripserat: „Proxime elapsis diebus Sancti Eusebii . . . corpus, ob novam Ecclesiae nostrae Cathedralis fabricam seu instaurationem, detectum patefactumque" est, „non enim inventum dicam, quantum eodem ipso loco, quo nunc conditum apparet, hoc est sub ipso majore altari supra omnem hominum memoriam totus Vercellensis populus, Clerusque universus ac praesertim Cathedralis ecclesiae, quin sacrum illud [ibi][b] corpus jaceret, nihil unquam dubitavit, ibique perpetuo tum piis precationibus, tum accensis luminibus religiose veneratus est". Iam igitur se cum cardinali Carolo Borromaeo metropolita suo constituisse, ut translationi S. Eusebii omnes ecclesiasticae provinciae mediolanensis episcopi adessent. A pontifice autem se petere, ut ampla indulgentiarum concessione sollemnitatem illam ornaret (*Theiner* l. c. 303).

Canisius Bonhomio respondit 7. Iunii 1581.

a) *Vel hic vel post v.* dissuadere *fortasse supplendum est* te. *Vide, quae ex Bonhomii epistula ad Schnewlinum data post has litteras ponentur.* b) *Hoc vel simile v. supplendum esse ostendunt ea, quae hunc locum antecedunt et sequuntur.*

---

eruntque his literis adiuncta; ex ijs si priores carminum literas auferes, Eusebij Episcopi, et Martyris nomen confici uidebis" (ex epistula archetypa, Bonhomii manu subscripta; Cod. friburg. „Epp. ad Schn." f. 44a. Etiam apud *Berthier*, Bonh. 71—72).

[1] Bonhomius omnium episcoporum vercellensium catalogum significare videtur: cuius partem aliquam, puto, ex sacris illis ecclesiae vercellensis tabulis hauserit, quae proprio nomine „Diptychae" vocabantur.

[2] Bonhomius eam 23. Aprilis 1581 sive Dominica IV. post Pascha celebrare statuerat (*Berthier* l. c. 72).

[3] Eremitas ordinis S. Augustini dicit, qui Friburgi monasterium habebant.

[4] Cf. Lc 13, 7.

2096. IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS, apostolicus per Helvetiam visitator et nuntius, episcopus vercellensis. CANISIO.

Curia Raetiorum 28. Maii 1581.

Ex imagine photographica apographi eodem fere tempore scripti et sic inscripti: „Patri Canisio". Cod. rom. „693" p. 679 780.

De electione episcopi curiensis. Librum mittit.

Reuerende admodum Pater, atque vti frater in Domino charissime. Etsi paucos ante dies ad Paternitatem tuam, simulque ad Reuerendum Praepositum[1] literas dedi, easque per famulum meum Lucerino Archigrammateo[2] reddi curaui, oblata mihi tamen hac tabellarij in Galliam proficiscentis occasione, intermittere non possum quin eidem, et M. Ruberto[3], necnon Reuerendo Praeposito, simulque omnibus Canonicis salutem dicam, vestrisque omnium precibus me, negociumque hoc Curiense difficillimum enixe commendem[4]: Agimus iam Curiae duos ferme dies: quanquam autem necdum coeptum est de rebus, quarum causa huc veni, pertractari, perturbationes tamen haud leues sentio[5]: Deus ipse, qui nouit omnia[6], quod bonum est in oculis suis faciat[7], mihi vero, quamuis indignissimo, notam faciet[a] [?] viam, in qua ambulem[8]: Sanctissimam enim illius voluntatem exequi maxime cupio[b]; sed quid expediat, non satis ob peccata mea (vereor) interdum diiudicare possum.

Hisce adicio, quae solemnis translationis nostrae causa edi Vercellis curaui, quanquam vna cum literis superioribus eadem misi[9], vt si fortasse eae literae serius Friburgum perferantur, his Paternitas tua diutius non careat, quae sane illi, etiamsi duplicia acceperit, non ingrata futura existimo: Optime valeat in Domino, deque rebus Collegij me faciat saepius certiorem: Datum Curiae V. Cal. Junij. MDLXXXI.

Canisius Bonhomio respondit 7. Iunii 1581.

2097. CANISIUS **IOANNI FRANCISCO BONHOMIO**, apostolico apud Helvetios visitatori et nuntio, episcopo vercellensi.

Friburgo Helvetiorum 7. Iunii 1581.

Epistula haec perisse videtur. De qua vide infra, litteras a Bonhomio 29. Iunii 1581 datas; per has enim Bonhomius Canisio respondit.

Hoc loco hoc solum noto: Quod Canisius 7. Iunii 1581 Bonhomium rogavit, ut senatoribus friburgensibus scriberet, „ne quenquam in suum ordinem cooptarent, aut ad praefecturas, nisi facta Catholicae fidei professione, admitterent", notanda sunt, quae P. *Oliverius Manareus* Societatis visitator Friburgo 2. Iulii 1581 ad Aquavivam

a) *Sic apogr.; sed corrigendum esse videtur* faciat. b) cupiat *apogr.*

---

[1] Petrum Schnewly. [2] Renwardo Cysat. [3] Ardreno.

[4] De rebus a Bonhomio in episcopi curiensis electione gestis v. *Joh. Georg Mayer*, Geschichte des Bistums Chur II. Stans 1914. 174 177.

[5] Bonhomius protestantibus, et maxime eorum contionatoribus, qui terrae Grisonum veri erant domini, exosus erat: praeterea de novo episcopo eligendo catholici ipsi inter se dissidebant; cf. *Mayer*, Das Konzil etc. I 265 281 285 287.

[6] 1 Io 3, 20; Esth 13, 12; Dn 13, 42 etc. [7] 1 Rg 3, 18.

[8] Ps 142, 8. [9] Vide supra p. 16.

praepositum generalem rettulit (v. infra, monum. 1289): Se 23. Iunii 1581 Friburgum advenisse: „trouai tutta la republica in moto, perche si rinouauano li gouerni et ufficiali, et tutto il popolo doueua rinouare il giuramento d' ubbedienza et fedeltà". Die Nativitatis S. Ioannis Baptistae sive 24. Iunii eligi solebant, qui de senatu minore hi rem publicam administrabant) et qui de consilio „60 virorum" futuri essent (*H. Schaller*, Institutions politiques de la ville et république de Fribourg sous l' ancien Régime, in „Revue de la Suisse catholique" vol. XVIII, Fribourg en Suisse 1887, 561—574).

2098. CANISIUS **CLAUDIO AQUAVIVAE**, praeposito generali Societatis Iesu. Friburgo Helvetiorum 8. Iunii 1581.

Ex relatione Canisii autographa (2°; 4 pp.), quae est in „Germ. 184" f. 72a—73b, et ex commentario litterarum Aquavivae, quod est in „G. Sup. 1" f. 60a.

Bonhomius nuntius et Schnewlinus praepositus constituunt, ut Friburgi collegium condatur et bonis canoniae marsensis sustentetur. Consensus senatus et pontificis. Ecclesia S. Mariae. Amici. Socii ad collegium suscipiendum coguntur. Canisius humanissime excipitur. Fructus laborum. Administratio bonorum, pacta, onera, difficultates; aes alienum. Canisii gratulatio.

De initio collegij Friburgensis in Heluetia.

Anno post Christum natum 1578 et sequenti Nuntium Apostolicum apud Heluetios egit Reuerendiss. Dominus Joannes Franciscus[1], Vercellensis Episcopus, magnamque familiaritatem cum Clero et populo Friburgensi contraxit, et praesertim cum R. D. Petro Schnewlin tunc Ecclesiae apud D. Nicolaum Friburgi praeposito. Jnter hos duos primum habita sunt consilia de Societate JESV in hoc oppidum introducenda, potissimum ut Catholicae religionis negotio[a] aduersus potentes haereticos undique imminentes, in hac ipsa Rep. nonnihil in ueteri fide concussa idoneisque operarijs destituta, rectius succurreretur. Ad quam rem probe conficiendam ne subsidium temporale deesset, venit illis in mentem Abbatia[b] oppido uicina Praemonstratensis ordinis, vulgo Marcens[2] dicta, et male hactenus gubernata, nec non a paucis monachis non optime uiuentibus habitata, quam putabant ex Pont. Max. authoritate, et[c] per consensum Senatus Friburgensis tanquam Protectorum loci, prorsus extingui, extinctamque nouo societatis Jesu collegio Friburgi statim erigendo applicari atque incorporari posse. Actum est deinde cum Senatu Friburgensi, hoc consilium approbante, sicut et Romae Pont. Max.[3] libenter illud confirmauit. Neque sine diuina prouidentia contigit, vt non multo ante incendium oriretur fortuitum, igne totam fere monasterij et templi fabricam absumente. Sed et postremus Abbas[4] ex hac uita migrauit, relictis quinque dumtaxat illic fratribus. Etsi uero idem Senatus in priore sententia nutare coepit

a) *Sequitur* in, *oblitteratum*. b) *Sequitur* uicina, *oblitt.* c) *Sequitur* a S, *oblitt.*

[1] Bonhomius (Bonhomini).

[2] Ex loco seu vico, prope quem situm erat, „Marsens" vocabatur. Proprium tamen eius nomen erat „Monasterium Beatae Mariae de Humili monte" (Humilimont).

[3] Gregorius XIII.: v. *Can.* VII 866.

[4] Ioannes Chollet, mortuus Kalendis Iuliis 1580 (*E. Fr. von Mülinen*, Helvetia sacra I, Bern 1858, 221).

postea, et impedimenta quaedam, quae collegij institutum impedirent, inciderunt, dictique monachi nouum Abbatem eligere contenderunt, tamen Reuerendissimi Domini Nuntij authoritas, simulque D. Praepositi sedulitas, et quorundam amicorum fauor ac studium apud Senatum tantum ualuerunt, vt prior deliberatio de Abbatia illa in collegium conuertenda penitus obtineret. Vnde Senatus[a] totum collegij institutum dicto Reuerendissimo Nuntio conficiendum[b] tradidit, hac tantum adiecta conditione, vt in collegium nouum conferre sumptus minime obligaretur, sicut idem D. Nuntius uicissim fore promisit[1]. Postea literis Romam datis ab eodem D. Nuntio effectum fuit, vt Pont. Max. accederet authoritas, quantum ad supradictam Abbatiae extinctionem et bonorum eius omnium in Friburgense collegium[c] translationem ac vnionem perpetuo duraturam attinet. Quibus de rebus Apostolicae literae solemniter confectae, gratis expeditae[2], ac nobis demum a Reuerendissimo Domino Nuntio traditae adhuc asseruantur. Jn his uero fit mentio de Ecclesia S. Mariae Friburgi eidem collegio applicanda et vnienda, sicut dictus Reuerendissimus[d] ante nostrorum aduentum constituerat[3]. Sed obtulerunt se deinceps impedimenta quaedam, ob quae mutauit ille sententiam, sicut nostris exposuit coram, ne sibi ius in talem Ecclesiam vendicarent. Amici uero praecipui, quibus cura fuit collegij causam apud Senatum promouere, post praepositum extitere Dominus Guilhelmus Krommerstol[e] Senator[4], D. Petrus Kuntzis ciuis et Doctor medicus[5], ac Christophorus Reiff nobilis.

Caeterum quod ad societatis nostrae Patres attinet, multum ac diu laboratum est tum a Reuerendo Patre Euerardo Mercuriano Praeposito generale, tum a R. P. Paulo Hoffaeo superioris[f] Germaniae Prouintiale,

a) *Hoc v. supra versum scriptum est.* b) *Sequitur* Senatus, *oblitt.* c) Friburgensis collegij, *autogr.* d) *V. supra versum scriptum.* e) *Sic C. ipse, ut videtur, correxit ex* Krommenstol f) *Sequitur* proui, *oblitt.*

[1] Cf. *Can.* VII 837 866 et *Steffens-Reinhardt* II 300. [2] Cf. *Can.* VII 866.

[3] „Ab Ecclesia B. Virginis quoscunque illius Capellanos seu Altaristas et beneficiatos, uel alias quomodolibet nuncupatos, nec non omnes dictae Ecclesiae fructus, redditus, prouentus ac exceptis domibus et aedificijs illi adiacentibus et contiguis ad eam spectantibus et pertinentibus, alia iura, offensiones, emolumenta, oblationes, honores, onera et officia, sacristiam, suppellectilem, ornamenta, paramenta, calices, patenas et alia sacra uasa ad collegiatam uel aliam . . . oppidi [friburgensis] Ecclesiam per . . . Ioannem Franciscum [Episcopum Vercellensem modernum] et pro tempore existentem Nuncium . . . eligendam et designandam . . . transferimus . . . Ecclesiamque B. Mariae huiusmodi cum dictis domibus et aedificijs. . . . Praeposito et Societati [Iesu] ad effectum inibi . . . collegium iuxta priuilegia Apostolica eis concessa construendi et aedificandi . . . concedimus et assignamus" ex bullae *Gregorii XIII.* Roma 25. Februarii 1580 datae apographo a Canisio Friburgo Romam ad Claudium Aquavivam praepositum generalem misso, G. Sup. 98 f. 402^a–405_a. Etiam apud *Berthier*, Bonh. 226–227.

[4] De Guilielmo Krummenstoll v. supra p. 11[4].

[5] Petrus Küntzli (Küntzle, Kuentzes, Quentzi) ab a. 1575 unus ex scholarchis urbis, ab a. 1579 unus de reipublicae consilio maiore erat (*Chan. Fontaine*, Notice historique sur la chambre des Scolarques de la ville de Fribourg, Fribourg 1850, 55 56).

vt Societas[a] istius collegij tam procul dissiti onere liberaretur, praesertim quum et idonei operarij Friburgum mittendi non suppeterent et varia loci incommoda, nouaeque conditiones a Senatu forsitan[b] exigendae, Patrum animos deterrerent. At uero mire feruens Reuerendissimus Nuntius quum suis literis apud P. Prouintialem parum proficeret, Pont. quidem Maximo persuasit, vt is non semel nostris Romae mandarit collegij huius curam suscipere, et aliquos Friburgum ad fundamenta eius iacienda mittere. Quocirca P. Petrus Canisius e prouintia superioris Germaniae, et P. Robertus Ardrenus Anglus huc missi fuere[c], ac oppidum ingressi sunt decimo Decembris anno Christi 1580, quum ambo in comitatu essent Reverendiss. Nuntij, eo ipso die a Bernensibus male et ignominiose accepti, fortasse vt non sine cruce initium Collegij huius maiorem Domini benedictionem perciperet, atque ita solidius fundaretur. Ac illi quidem Friburgi humaniter accepti fuerunt[1], quibus et Canonici domum Cantoris[2], uti uocant, primum assignauerunt. Ab eisdem deinde conciones apud D. Nicolaum, quae primaria est Urbis aedes, et apud D. Virginem habitae sunt, sicut et in templis quibusdam ruralibus. Mensam illis vicinus D. Parochus[3], et post huius in Jtaliam discessum, D. Praepositus[4] praebuit, quanquam non gratis. Sacra sua tum in B. Nicolai, tum in Deiparae Virginis aede obtulerunt. Populi fauor ac beneuolentia illis non defuit: unde complures quaedam ad usum altaris et supellectilem domus pertinentia donauerunt. Creuit paulatim et numerus bonorum ad Missas eorum, et confessionis communionisque sacrae gratia venientium, vt faterentur et alij, frequentiorem confitentium et communicantium numerum Friburgi non extitisse. Auctus praeterea numerus est auditorum, quum publicae conciones tum ordinarie tum extraordinarie ab illis instituerentur[5]. Sed et Catechismum simplicioribus tradendum susceperunt[6]. Noua interim sedilia ditiores parari iusserunt, ut rectius perciperent eos pro concione docentes.

Jamuero quod ad collegij locum designandum spectabat, quoniam quidam e nostris ad hoc delecti coram adesse non poterant, res omnis in P. Prouintialis post Pascha ex urbe, ut sperabatur, aduentum[7] reiecta

a) *Sequitur* ab, *oblitt.* b) *Hoc v. supra versum scriptum est.* c) *A C. correctum ex* fuerunt.

[1] In *Pancratii Wild* quaestoris friburgensis *Codice dati et accepti ab initio a. 1581 ad d. 24. Iunii 1581 pertingente notatum est, eum dedisse, „vmb wijn so man den Jesuitern vereert III libras x β" („Herren Pankratzen wild achte Rechnung" f. 33b. Friburgi Helvetiorum in archivo reipublicae).

[2] Francisci Garin, „canonici cantoris" ecclesiae S. Nicolai; v. *Can.* VII 858.

[3] Sebastianus Verronius, canonicus ecclesiae S. Nicolai et parochus urbis.

[4] Petrus Schnewly, praepositus ecclesiae S. Nicolai.

[5] De Canisii contionibus v. infra, monum. 1282.

[6] Hoc officium Ardrenus in templo B. Mariae administrabat; v. infra, monum. 1294.

[7] Hoffaeus Romam ad Societatis congregationem generalem venerat: a qua 5. Martii 1581 electus est praepositi generalis „assistens pro septemtrionalibus partibus"; v. supra p. 8.

est: interea domus dicta Cantoris nostris habitanda relinquebatur. Sumptus autem nullos in Societatem fecit Senatus, sed hi capiebantur ex bonis siue prouentibus Marcensis monasterij, quorum procurator et administrator aliquandiu fuerat D. Guilhelmus Krommerstol, ab ipso Reuerendissimo constitutus. Js multa vini dolia in aduentum nostrorum ex eiusdem monasterij bonis[a], et alia quaedam conseruarat. Ac licet Reuerendissimus idem Nuntius ante nostrorum aduentum nouam administrandi monasterij rationem instituisset, et veterem illam paucis residuis monachis ademisset[b] [1], tamen caueri uaria incommoda non potuerunt, quod residui fratres inquieti, et veteris libertatis amantes difficulter in ordinem redigerentur. Vnde illi rem suam domesticam adeo infeliciter instituerunt, vt paucis mensibus florenos octingentos consumpserint, ac plura etiam breui ex bonis dilapidaturi uiderentur. Huic malo vt obuiam iret Reuerendissimus Nuntius, re tota cum Senatu prius collata, et acceptis ab illo tribus Commissarijs[2], ad monasterium illud Marcense contulit sese, ubi nostris praesentibus duo potissimum fecit. Alterum quod P. Petrum Canisium tanquam Societatis nomine[c] procuratorem in possessionem bonorum et iurium omnium monasterij miserit, et tanquam legitimum possessorem, adhibitis solemnibus ceremonijs, publice promulgarit, sicut et suis literis notarij manu subscriptis confirmauit[3]. Haec solemnis possessio in monasterio praedicto[d] tradita et accepta fuit die uigesima prima Decembris anno 1580, monachis ipsis qui aderant, Missam de Spiritu sancto decantantibus.

Alterum a Reuerendissimo Nuntio patratum illud erat, quod ante huiusmodi possessionem nostris traditam contractum inijt cum ciue uno Friburgensi eiusdem loci Castellano, Erardo Garnisuil, et Francisco Gapan eiusdem loci Commissario, contractum inquam elocationis bonorum eiusdem monasterij ad sexennium duraturae, sicut etiam visum fuit tribus dictis Senatus Commissarijs. Ac in isto quidem contractu dicti duo conductores sub graui poena[e] se obligant, quod quotannis collegio Societatis Friburgi libere et integre pendent nongentos coronatos, mediam partem ad paschatis festum, et alteram ad D. Andreae ferias[4] persoluturi. Promittunt insuper, ea quae monasterio iam ante a varijs debebantur, recuperare, ac eidem collegio restituere. Caeterum monasterij domus iam a paucis fratribus habitata, et tota uallis, in qua monasterium ipsum est situm, ad commodam ipsorum inhabitantium sustentationem reseruantur. Suntque tres illi fratres, ut decreuit Reuerendissimus, quamdiu uixerint, et illic manserint, ducentis fere collegij coronatis alendi quotannis, ac interea Praeposito Friburgensi in spiritualibus esse[f] subiecti, ac Missas aliquas celebrare debebunt. Reliqui

a) *Vt sic corrigatur ex* eisdem monasterij bona *(quae sunt in autogr.), exigere res ipsa videtur.*
b) *Sequitur* tam *vel* eam *vel simile v., oblitt.* c) *Sequitur* hoc loco, *oblitt.* d) praedicta *autogr.*
e) pona *autogr.* f) *V. supra versum scriptum.*

[1] Vide *Can.* VII 599. [2] Vide *Can.* VII 599.
[3] Has vide *Can.* VII 867—868. [4] Ad d. 30. Novembris.

uero fratres Walterus ac Antonius[1], uelut magis inquieti, ab eodem Reuerendissimo ablegati fuerunt, data illis potestate, vt ad ordinem secularium sacerdotum descenderent. Collegio autem reseruatur proprietas dicti monasterij, et vinearum, ex quibus uasa uini quindecim anno proximo fuere collecta. Visum est praeterea Reuerendissimo Nuntio, gratiam facere famulis monasterij et alijs uelut de illo bene meritis, ac munus aliquod honorarium petentibus. Vnde quid quantumque singulis numerandum ac donandum esset constituit, licet plures accesserint postea, quibus aliquid ex gratia pendendum a nostris fuerit, vt honeste dimitterentur. Summa pecuniae in istos collatae, et a nobis numerandae ad trecentos triginta tres coronatos fere peruenit.

His rebus ita constitutis, Reuerendissimus Nuntius ad suum Vercellensem redijt Episcopatum, ad quem ualde properans, minus mature ac sedulo[a] confecisse uidetur, quae ad supradictum contractum sexennalis elocationis pertinebant. Etenim ut postea deprehensum est, omnia monasterij bona non satis rite supputata ac aestimata fuerant, priusquam conductoribus traderentur. Hi uero ut antea nobis fuerunt ignoti, sic etiam post eiusmodi contractum, ad rem suam gerendam plus aequo uidentur intenti, ut maiorem in illis fidem desiderare cogamur. Monitus est ergo Senatus, vt hos conductores ad reddendam rationem accerseret, simulque cogeret eos tum pacta et conuenta seruare, tum collegij consulere indemnitati. Praeterea rogarunt nostri, vt liceret ipsis rescindere contractum, si sic expedire putarent, praemonitione sex ante mensibus facta, quemadmodum ipsis quidem licet conductoribus. Verum Commissarij Senatus hoc solum responderunt, nihil modo innouandum uideri, meliora de conductoribus quos ipsi admonuissent, nobis esse speranda, nec tempestiuum esse, ut iuxta rigorem iuris nunc[b] procederetur. Hoc aegre impetrauimus, vt literas de bonis et iuribus monasterij, quas persaepe reddi nobis postulauimus, ab ipsis conductoribus acciperemus. Demum bonorum omnium quae ex monasterio percepimus, summa se porrigit ad sexcentos coronatos. Expensarum uero et debitorum, quae persoluimus, summa superat quingentos coronatos. Soluenda uero debita supersunt ad septingentos coronatos et amplius. Friburgi 8. Junij 1581.

*Haec relatio a Canisio Romam ad Claudium Aquavivam, novum Societatis praepositum generalem, missa est. Atque una cum ea, puto, Canisius litteras misit, de quibus ei Aquaviva Roma 3. Augusti 1581 *scripsit: „Valde me delectauit Reuerentiae V. caritas, quam eius litteris atque ea gratulatione, quam ad me misit, satis expressam uidi." Hae tamen litterae iam non videntur exstare.*

Prima huius relationis (cuius exemplum Friburgi asservatum esse satis certum est) parte usus est, atque etiam fere ad verbum eam expressit *P. Petrus Michael*, primus collegii friburgensis rector, in „Historia Collegii Friburgensis" manu scripta (Cod. frib. „Hist. coll. Frib." p. 1—2).

a) *Sequuntur vv.* confecta uidentur ea, *oblitt.* b) *V. supra versum scriptum.*

[1] Walterus Dudinus et Antonius a Pascuis: v. *Can.* VII 868.

2099. SEBASTIANUS VERRONIUS, ecclesiae S. Nicolai friburgensis canonicus et urbis friburgensis parochus, CANISIO.

Venetiis 12. Iunii 1581.

Ex epistulae commentario, quod ipse Verronius scripsit in pagina adversa involucri posterioris codicis „Itinerarium Hierosolymitanum" etc., de quo supra p. 14. Epistulam ex eodem codice ediderunt etiam *R. Werro* l. c. (v. supra p. 9[1]) 28 et *Wymann* l. c. 129—130.

Collegium commendat. Se kalendarii emendationem a pontifice petisse; hanc in lucem prodituram esse. Se Hierosolymam petere.

Ven: Patrj P. Canisio .S.

Non dubito, Pater venerande, quin Collegium Friburgense tandem fundamentis jactis initium coeperit, faxit Deus ut bonis artibus instituenda juventute felices progressus faciat. Tuam Paternitatem quam possum maxime obsecro; ut taedia illa quae primo anno ob subitam mutationem accidunt non ita gravjter suscipiat, verum laetiorj paululum animo rusticitatj ignoscat.

Ego cum Romae essem; Summum Pontificem rurj inter eundum allocutus praeter alia quae illius Sanctitudinj proposuj, rogavj quoque ut apud Imperatorem et Christianos principes reliquos de emendanda Annj ratione ageret[1]: neque enim unquam illi malo subvenirj posse, nisi ipse rem aggrederetur, quandoquidem totum ab ejus autoritate dependeret; Ipse, interrogato prius me, num Mathematicus essem, respondit se jam ea de re ad primates scripsisse, negotiumque totum Cardinalj Syrleto[2] qui inter doctiores hujus saeculj habetur, commissum esse: a quodam deinde Prothonotario, D. Spetiaño audivj decimum jam annum esse, ex quo illj emendationj incumbat, proximoque anno in publicum egressuram: quae cum doctis viris gratissima futura sit, T. Reverentiam de ea prius certiorem reddere voluj: Opportunitatem meae devotionj Deus credo tandem obtulit: Hierosolymam igitur sanctam peregrinj statu visitabo, ipso benigne favente. Ipse quoque T. Paternitatem meae patriae diu cum multo fructu incolumem servet. Vale. Venetijs pridie id: Iunij. 1581.

Verronius hanc epistulam in ipso „Itinerario", quod dixi, commemorat. Postquam enim se kalendarii emendationem a pontifice petisse notavit, haec addit: „De hac autem re fusius scripsi postea, cum Venetiis essem, ad Petrum Canisium, Theologum[3], singularem meum fautorem ac amicum" (*Wymann* l. c. 127).

In eodem „Itinerario" Verronius narrat, se peregrinationis hierosolymitanae licentiam Venetiis ab apostolico apud Venetos nuntio impetrasse; et se, cum navem,

[1] Verronius Gregorium XIII. Monte Draconis (Mondragone) prope Tusculum (Frascati) rusticantem allocutus est 17. Maii „vesperi, cum ad preces e domo egrederetur", et 18. Maii mane, cum missae audiendae causa ad templum Capuccinorum adiret. Petiit autem ab eo aliqua, quae ad breviarium lausannense, facultates praeposito friburgensi concedendas, Augustinianos friburgenses, episcopum lausannensem pertinebant; item (cum sententia denuo mutata) rogavit, ut sibi peregrinationem hierosolymitanam permitteret, eique commendavit, ut kalendarium iulianum tandem emendandum curaret. Ita ipse Schnewlino praeposito scripsit (*Wymann* l. c. 126—127).

[2] Guilielmo Sirleto; de quo *Can.* III 134[1]; VII 2[2].

[3] I. e. theologiae doctorem.

qua ad terram sanctam vehendus erat, conscenderet, secum detulisse „Epistolas Paulj cum Euangelijs . . . et libellum Meditationum B. Augustinj [1] quem ex consilio Reverendj patris D. Petrj Canisij emeram, quo praesentj semper animo essem, siquando procellae aut tempestates diutius perseverarent" (ex autogr., ad 8. Iun. et ad v. „Venetiae").

Peregrinationem Verronii, cum Blasio Ziegler famulo 6. Aprilis 1581 Friburgo profecti et 4. Decembris 1581 eam urbem iterum ingressi, *M. de Diesbach* ex eius itinerariis descripsit in „*Archives* de la Société d'Histoire du Canton de Fribourg" V, Fribourg 1893, 230—245.

2100. IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS, apostolicus apud Helvetios visitator et nuntius, CANISIO. Vercellis 29. Iunii 1581.

Ex apographo eodem fere tempore scripto et sic inscripto: „Patri Canisio." Cod. rom. „693" p. 807—809.

Translatio S. Eusebii. Tabulae episcoporum vercellensium. Electionis curiensis exitus. Reditus in Helvetiam. Comitia infausta. Canisii desideria et consilia. Professio fidei. Vita S. Eusebii.

Reuerende admodum vti frater in Domino charissime. Literas Paternitatis tuae die VII. Junij scriptas a Reuerendo Friburgi Cantore [2] accepi, quibus respondere quidem statim volui, sed nulla id mihi ratione licuit, testes appello Reverendos Decanum [3] et Cantorem, qui meas plurimas occupationes, quanquam non omnes cognoscere vtcunque potuerunt; Ex eisdem intellexisse iam debuit Paternitas tua solemnem hanc Sancti Eusebij corporis translationem hoc tempore peractam non fuisse [4]; sed in Septembrem mensem, vel in Octobris initium reiectam; Causas dilationis scribere longum esset, neque certe id necesse arbitror; Summopere sum gauisus, laborem illum meum in Dyptica [a] Episcoporum Vercellensium tabella conficienda, a tua Paternitate probari; spero breui posse me historiam integram componere, cum magna ex parte iam conquisita sint [b]: Curiense negocium satis feliciter, vt presens rei patiebatur status, confectum est [5]; incredibili certe cum animorum consensione, necnon haud leui Sanctissimi ipsius Domini [6] laetitia, quandoquidem iure et merito tumultus ne exoriretur, subuerebamur; qua sane in re preces vestras non modico fuisse adiumento existimo; Quid opis Heluetiae afferre posset reditus meus, iudicare non ausim; Verum haud dubitem quin Sanctitas Sua peculiari Spiritus Sancti numine ducta sit; quamobrem in vtranque aurem dormio, Sanctitatis suae mandatis omni

a) Dytica *apogr.; cf. supra p. 17*[1]. b) *Supplenda esse videntur vv.:* vetera monumenta *vel* documenta necessaria *vel similia.*

---

[1] Pium hunc librum non esse Augustini iam inter omnes convenit: qui medio aevo compositus esse videtur.

[2] Francisco Garin; v. supra p. 21[2].

[3] Decanus capituli S. Nicolai friburgensis erat Erhardus Thorin (*Apoll. Dellion* O. Cap., Dictionnaire historique, statistique des paroisses catholiques du Canton de Fribourg VI, Fribourg 1888, 330—331).

[4] Primum ad d. 18. Iulii dilata erat (*Berthier,* Bonh. 75).

[5] D. 3. Iunii episcopus electus est Petrus Rascher, cathedralis ecclesiae canonicus. Plura vide apud *J. G. Mayer,* Geschichte des Bistums Chur II, Stans 1914, 174—178. [6] Gregorii XIII.

cum animi tranquillitate obtemperaturus: Paratissimum autem me semper profiteor, ad vniuersae Heluetiae spiritalibus commodis, quoad eius fieri poterit, inseruiendum; Noui enim omnes quas pie, ac prudenter commemorat Paternitas tua, istius regionis, ac gentis necessitates: sed qui absens prouideam, non satis video. Infelix ille Badensium Comitiorum euentus[1], animum Summi Pontificis non dicam immutauit, sed vere remissiorem reddidit, qui certe prius erat erga Helueticam gentem, ac Rempublicam ardentissimus; quod tamen vni tibi dictum cupio; Sed optimus Deus, qui nouit omnia[2], ex his etiam seminibus, bonum fructum eliciet, spero, in tempore suo: si Praepositus[3] ad nos venisset, acturus cum illo eram, quaecunque Paternitas monuit tua: At fortasse commodius cum aestiui calores praeterierint: non enim diffido, quin celebritati huic nostrae[4] interfuturus sit; Patrem Oliuerum[5] accepi Prouincialis loco ad vos profectum esse; Vtinam Collegij fundamenta egregia iacta iam sint, ac breui fabrica vniuersa perficiatur, quibus de rebus omnibus cupio vehementer, ac peto, Paternitatis tuae literis instrui: Magno siquidem me beneficio affectum puto, quoties ipsa aliquam mihi proponit Religionis iuuandae, ac pietatis promouendae rationem; tantum abest, vt illa[a] mihi, vel insipiens, vel garrula videatur; quo vero certius hoc mihi est illius humilitatis argumentum, eo pluris facio illius monita, ac consilia; eique gratias ago quam maximas: Quod aliqua ex ijs, quae ipsa scribit, in literis ad Senatum datis non attigerim, quas quidem Praepositus antequam Senatui reddat Paternitati tuae ostendet, ea ratus sum melius cum Praeposito ipso coram tractari posse, deinceps meo nomine Senatui exponenda[6], si enim praescribere Senatoribus nunc velim, ne quenquam in suum ordinem cooptent, aut ad praefecturas, nisi facta Catholicae fidei professione, admittant, vereor ne magis praesentiam abhorreant meam; quod vel absens illos ita vexare audeam: Reliqua vero fere omnia attingam, vt in ipsis literis meis facile animaduertet[7]: Optime valeat in Domino Paternitas tua, bonis omnibus a diuina clementia, vt ego maxime cupio, magis in dies cumulata: meique nunquam, rogo, sit in suis quotidianis precibus ac sacrificijs immemor; Huius enim spiritalis opis sum maxime indigus, magnamque mihi spem ac fiduciam in mirifica tua erga me charitate positam existimo: Gratissimum mihi erit[b], quale de Sancti Eusebij vita latino sermone a D. Petro Galesinio[8] exarata[c], sit Paternitatis tuae

a) *Sic vel similiter* (ista?) *corrigendum esse censeo ex* vlla, *quod est in apogr.* b) *Supplendum esse videtur* intelligere *vel* cognoscere *vel simile v.* c) exerata *apogr.*

[1] Vide supra p. 10. [2] 1 Io 3, 20 etc.; v. supra p. 18[6].
[3] Petrus Schnewly. [4] Translationi corporis S. Eusebii.
[5] P. Oliverius Manareus (Manare; de quo v. *Can.* I 95[2]) a Claudio Aquaviva praeposito generali in Germaniam missus est Societatis visitator.
[6] Vide supra p. 18. [7] Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.
[8] Petrus Galesinus, anconitanus, protonotarius apostolicus, hanc vitam posuisse videtur aut in suis „Tabulis diptycis" episcoporum vercellensium, aut, id quod mihi magis probatur, in suis Vitis Sanctorum, de quibus in ecclesia mediolanensi mentio

iudicium; Deque alijs scriptis, quae Reuerendis Decano et Cantori hinc abeuntibus tradidi Paternitati tuae peculiariter communicanda. Datum Vercellis IIJ. Cal. Quintiles. MDLXXXI.

Bonhomii litterae ad senatum friburgensem, quas, antequam senatui tradantur, a Schnewlino praeposito ostendendas Canisio esse Bonhomius scribit, Vercellis 30. Iunii 1581 datae sunt. *Bonhomius* senatum monet: Ut de sale burgundico Societatis collegio friburgensi et ordinis cisterciensis monasterio altaripensi (Alta Ripa, Hauterive, Altenryff) restituendo ad Pompeium a Cruce Philippi II. Hispaniae regis in Helvetia legatum scribat; ut collegii fundamenta bene iaciat; ut Societatis privilegia, immunitates, laudabiles consuetudines observet et tueatur; ut Sociis in bonis marsensibus administrandis per virum aliquem idoneum opem ferat (ex apogr. eiusd. temp.; Cod. rom. „693" p. 812—814; integras litteras posuit *Berthier*, Bonh. 172—175).

Quod ad salem illum burgundicum attinet, iam 2. Ianuarii 1581 senatus friburgensis ipsi Philippo II. regi *scripserat: Patres Societatis Iesu, „cum monasterii Humilismontis, vulgo Marsens, in ditione nostra, nostro adminiculo possessionem arriperent, inter alia ejusdem monasterii documenta et tabulas repererunt literas jam olim a Joanne Burgundiae comite super donatione salariae pensionis concessas, quarum tenorem hisce adjectum Majestati V. Celsissimae humiliter offerimus, una cum literis monasterio Altaeripae, in eodem agro nostro, pro alia salis pensione concessis, non jam primum ab ipso Abbate et conventu Altaeripae nobis commonstratis. Quae nobis causa fuit, ut salis, quod urbs nostra quotannis percipere solet, curatores aliquoties cum salinae administratoribus pro monasterio Altaripensi egerint, sed frustra. Quanquam Marsenses Religiosos hac in parte mera incuria et negligentia (quae nostro quidem arbitratu uniendi monasterii causa non levis fuit) sibi ipsis defuisse fatendum sit, in confesso tamen est, utriusque monasterii religiosos annuam eam pensionem, licet multis abhinc annis percepisse. Quare Celsissimam Majestatem vestram suppliciter rogatam atque adeo obsecratam volumus, quatenus ea praedicto Collegio ejusque Reverendis Patribus, quorum pietas, sanctimonia et eruditio Christiano gregi passim magno est adjumento, hac in parte consultum et apud salinae administratores sive Senatum dicti Comitatus Burgundiae pro adeptione dicti salis, ut etiam Abbatis et conventus Altaeripensis necessitati provisum velit, decernereque dignetur, ne ipsi hoc dudum concesso beneficio careant" (ex apographo, quod est Londini in museo britannico, Egerton MS 1090 p. 597—598).

Die 27. Iunii 1581 Bonhomius litterulis Thorino decano vel Garino cantori traditis se excusaverat, quod ad Canisii, Ardreni, aliorum epistulas nihil in praesens responderet; se superioribus quindecim diebus occupatissimum fuisse, sed primo quoque tempore responsurum esse. Litterulas posuit *Berthier*, Bonh. 209—210.

Una cum epistulis Canisio et Schnewlino destinatis *Bonhomius* Friburgum misit *litteras 30. Iunii 1581 ad P. Robertum Ardrenum, Canisii socium, a se datas: in quibus: „De reditu", inquit, „in Heluetiam meo, quem tantopere cupere te ostendis, satis scripsi ad Reuerendum P. Canisium; id unum adijciam, non aeque ab alijs, quantum mihi licet conijcere, meam praesentiam expeti. . . . Gratulor et tibi, quod tam utiliter, et alacriter operam tuam naues iuuentuti excolendae; sed doleo, quod duriter adeo ab ijs Marsensibus monachis exercearis; Miror autem Reuerendum Praepositum eos dignis poenis non afficere; Quid ni iubeat omnino, quando corrigi nolunt, prouincia uniuersa exulare? quemadmodum ad illum perscribo; cum iam non modo contumaces, sed fures, sed seductores, ac contumeliosi appareant; Ego sane, qui alioquin mitissimus cum illis fui, si adessem, tantam illorum contumaciam diutius ferre non possem; Si in aliud eiusdem religionis coenobium relegarentur, probarem ego quoque summopere; sed ubi coenobitas inueniemus, qui illos recipiant, non co-

---

fit; quae vitae a. 1582 in breviario mediolanensi editae sunt (*Ant. Posserinus* S. J., Apparatus sacer II, Coloniae Agrippinae 1608, 254—255; *H. Hurter* S. J., Nomenclator literarius III[3], Oeniponte 1907, 322—323).

acti? adeo sunt uirtutibus, scientia bonisue moribus praediti, ut quocunque perrexerint, omnium animos, quibuscum uixerint, sibi concilient; De Missae sacro in Marsennio non amplius faciendo [1], si Domini senatores, si uicini populi non contradicent, aut conquerentur, ego etiam non abnuam: immo uero si oportuerit authoritatem Sanctissimi Domini accedere, curabo" (ex archetypo; „Cod. I. 37" f. 151).

De marsensibus illis monachis *Bonhomius* Schnewlino praeposito Vercellis 30. Iunii scripsit: „Marsenses monachos, qui quotidie tibi et patribus facessunt negocium, neque ullum poenitentiae argumentum unquam praeseferunt, . . . in exilium ab omni ditione Friburgensi eijciendos iudico" (ex epistula archetypa, a Bonhomio subscripta, Cod. friburg. „Epp. ad Schn." f. 48b; etiam apud *Berthier*, Bonh. 80).

Canisius Bonhomio respondit 24. Iulii 1581.

2101. CANISIUS cardinali **GUILIELMO SIRLETO**, Sanctae Romanae Ecclesiae bibliothecario. Friburgo Helvetiorum 3. Iulii 1581.

Ex apographo, quod a. 1896 D. Vincentius Nardoni exscripsit ex apographo, quod exstat Romae in bibliotheca vaticana, Cod. Vatic. 6194 f. 98.

Eum rogat, ut sibi ad opus Marianum iterum edendum selectas Patrum sententias mittat.

†

Pax Christi Iesu nobis aeterna,

Reuerendissime et Illustriss. Domine patrone.

Venit ad nos Reuerendus Pater Oliuerius [2], cuius aduentus huic prouintiae nostrae [3] non potest non esse pergratus, magnamque mihi voluptatem in eo attulit, quod narraret de constanti Illustriss. amplitudinis tuae in me quamuis indignum amore et beneuolentia singulari. Deinde testatus est, non paucas easque selectas patrum sententias isthic a dignitate tua seruari, quae ad causam [a] [?] Deiparae Virginis [b] matris gloriam [a] [?] illustrandam pertinerent, et quae Mariali operi nostro, quum recudetur, commode inseri possent [4]. Quocirca etiam atque etiam oro, vt hisce diu exoptatis opibus talis tantique Patroni frui liceat tandem, quarum sane conspectu nihil mihi gratius, et ad sanctiss. Virginem [c] commendandam utilius adferri posse putarim. Dominus IESVS Celsitudinem tuam diu nobis et Ecclesiae incolumem seruet, quae Canisij sui studium in Dei ac domini nostri matre [d] [?] confirmet ac prouehat quaeso. Quo citius uero sarcinulam librariam nostris Romae Patribus tradiderit, eo rem nobis et typographo gratiorem effecerit pro sua summa in nos benignitate. Friburgi 3 Iulij 1581.

Seruus in Christo indignus
Petrus Canisius.

Reuerendiss. in Christo patri et Illustriss. Domino Cardinali Sirleto, Patrono amplissimo humanissimoque
Romae ad manus proprias.

a) *Sic autogr.; rerum aut v.* causam *aut v.* gloriam *Canisio oblitterandum fuisse videtur.* b) Verginis *autogr.* c) Verginem *autogr.* d) *Supplendumne* glorificanda *vel simile v.?*

[1] De hoc sacro v. infra, ep. 2102. [2] Oliverius Manareus visitator; v. supra p. 15.
[3] Societatis „provinciae Germaniae superioris".
[4] De doctissimo viro Sirleto (cf. *Can.* III 134[1]) et de opera, quam ille ad Canisii librum „De Maria Virgine incomparabili, et Dei genitrice sacrosancta" primum Ingolstadii a. 1577 editum contulerat, v. *Can.* VII 487—488.

Canisius hanc epistulam festinantius scripsit fortasse ea de causa, quod tabellarii, qui eam Romam secum allaturus erat, profectio proxime instabat. Missa autem eo est una cum *litteris Friburgo 2. Iulii 1581 a *Manareo* ad Aquavivam datis, in quibus ille haec, praeter alia, de Canisio referebat: „Egli anche à mia instanza scriue all' Illustrissimo Cardinale Sirleto sopra di certe belle authorita della Madonna ch'egli ha raccolte da diuersi authori antichi, lequali S. S. Illustrissima piu uolte mi disse di uolermi dare pro locupletatione operis Mariani di detto padre, ilquale hora si manda à ristampar' in Dilinga come sa il p. offeo[1], et mai si sonno possuto hauere, per le infirmità c' ha hauute detto Signore, et le molte sue occupationi, sia supplicata V. P. R. di fargli dare detta lettera con una calda raccommandatione" (ex autogr.: Germ. 159 f. 72). *Aquaviva* Roma 3. Augusti 1581 Manareo *rescripsit: „Litteras P. Canisij ad Illustrissimum Sirletum iussimus ei reddi, nec desistemus eum et urgere, quando licebit, ut suarum illarum additionum tandem copiam faciat, cumprimum eas dederit, mittentur" (ex commentario: G. Sup. 1 f. 60[b]).

2102. P. OLIVERIUS MANAREUS S. J. visitator PP. PETRO CANISIO et ROBERTO ARDRENO S. J.

Friburgo Helvetiorum circa medium m. Iulium 1581.

Ex apographo (4°; 5½ pp.) Friburgi a P. Georgio Bader S. J. scripto, quod Manareus a se recognitum et variis adnotationibus amplificatum Romam ad Claudium Aquavivam Societatis praepositum generalem misit. G. Sup. 98 p. 410[a]—412[b].

Praefatiuncula editoris: P. Oliverius Manareus S. J. (de quo v. *Can.* I 95[2]) a Claudio Aquaviva praeposito generali visitator in Germaniam missus a d. 23. Iunii ad 20. Iulii 1581 Friburgi Helvetiorum PP. Canisium et Ardrenum visitavit. Qui de iis Lucerna 25. Iulii 1581 Aquavivae scripsit: „Jo ho lassato loro alcuni ordini, liquali V. R. P. si degnarà essaminar' et rimandarli corretti come N. S. l' ispirarà acciò sene possino ualere" (v. infra, monum. 1294). Has „ordinationes" iis Manareus ita dedit: Respondit scripto ad varias eorum quaestiones; quas quaestiones, si non omnes, certe maximam partem a Canisio propositas esse satis certum est. Superest autem horum responsorum exemplum Friburgi a P. Georgio Bader (de quo v. *Can.* V 359), quem Aquaviva visitatoris socium sive adiutorem constituerat (v. infra, monum. 1289), scriptum et a Manareo cum adnotationibus a se scriptis Lucerna Romam missum.

Ad varias quaestiones respondet, quae spectant ad publicas supplicationes, stipem dandam et petendam, sacra facienda, sacellum parandum, sodalitatem instituendam, catechesim, contiones, lectiones, convivia externorum, disciplinam domesticam, bonorum administrationem, aedificationes, excursiones, famulum.

Conueniatne Sacerdotes nostros hoc loco in processione solenni, ut in die corporis Christi, cum Clericis alijs progredj · quoniam Canonicj ad proximi aedificationem id postulant?

Videbatur petenda facultas a P. N. Generali iuxta Can. 69. 3 Congregationis[2] quoniam Friburgum ab haereticis undique circundatum talem fidej actum et testimonium quodammodo requirat: et pauci sunt Canonicj: quorum numerum in habitu clericali conuenienter augent

[1] Paulus Hoffaeus.

[2] „Processiones a nostris deinceps ne fiant, liberam tamen habeat Praepositus Generalis facultatem dispensandi circa eas retinendas, et instituendas, vbi ad Dei gloriam, et proximorum aedificationem, praesertim vbi vsu receptae sunt, et maxime inter haereticos, et vbi conuersioni infidelium opera datur, expedire viderit. Diligenter autem priuilegium a summo Pontifice impetrandum curetur, quo a publicis Ordinariorum processionibus eximantur": Canon „69. Ex 3. cong. d. 57": *Canones trium Congregationum generalium Societatis Iesu. Auctoritate tertiae Congregationis confecti*, Romae 1573, 23—24.

nostrj non sine totius oppidi aedificatione, et ad quorundam offensionem euitandam. Ex altera parte non uidebatur introducendus usus eundi ad eiusmodi processiones, qui constituto semel collegio fortassis abrogandus esset[1].

2. An obligemur in Monasterio Marsensi iam fere desolato, et in collegium Friburgense translato, sacerdotem unum alere qui saltem festis diebus in residuo illic templo, aut potius Sacello sacrificet?

Non uidebatur nos ad tale onus obligari quoniam liberauit Collegium S. Sedes apostolica, cum dictj Monasterij onera conuertit ac transtulit in ministeria et officia Friburgi per Societatem obeunda[2].

3. An obligemur ad eleemosynas pauperibus erogandas, quia sumus haeredes bonorum dictj Monasterij: quod siue ex fundatione siue ex pia consuetudine, quotidie, potissimum uero duobus statis diebus in anno solennes eleemosynas in egenos conferebat?[3]

Videbatur hic quoque ob rationem dictam nostros non obligari, etiamsi consultum esset, ut quod ad statos dies illos duos attinet, quaedam pecuniae summa in studiosos pauperes erogaretur Friburgi, quando placebit superiori seruata interim aliqua proportione eorum quae duobus illis diebus dispensari solebant.

4. Quando nostrj his primis annis premuntur debitis Monasterij et fabricae ratione contractis, possintne aliquid subsidij ab amicis petere et accipere?[4]

---

[1] *Manareus* sua manu in margine haec adnotavit: „Vsus iam a nostris est introductus, ego sum in ea sententia, quod nostris magis conueniat non procedere cum alijs, sed p. Canisio debui in responsione me accommodare." *Gregorius XIII.* litteris apostolicis Roma 16. Iulii 1576 datis Societatis homines, ne „a studiis, lectionibus, praedicationibus, confessionibus audiendis, et aliis verbi Dei ministeriis, ac pietatis operibus" distraherentur, „ab interessentia" publicarum supplicationum sive processionum exemerat: *Litterae apostolicae,* quibus institutio, confirmatio et varia Privilegia continentur Societatis Iesu, Antverpiae 1635, 154—155.

[2] *Manareus* in margine sua manu: „Monasterium quasi totum fuit exustum negligentia monachorum."

[3] *Manareus* in margine: „illis duobus diebus erogabant panes et carnes vnde ingens eo conueniebat multitudo ex varijs locis". Cf. supra p. 11[3].

[4] „In iis Collegiis, quae duodecim Scholasticos praeter praeceptores ex propriis reditibus alere possunt, ob maiorem populi aedificationem nec petantur eleemosynae, nec illae aut dona ulla oblata admittantur. Si reditus minores fuerint, quam huic numero alendo sufficiant, admitti quidem, non autem peti aliquae eleemosynae possent; nisi tanta paupertate Collegium premeretur, ut etiam petere, saltem a quibusdam, esset necessarium": *Constitutiones* Societatis Iesu P. 4, c. 2, n. 6. In tertia autem Societatis congregatione a. 1573 habita „quaesitum fuit: de intelligentia et usu Constitutionis 2 cap. IV part. § 6, in qua dicitur: nec eleemosynas nec dona ulla admittenda in iis Collegiis, quae duodecim Scholasticos, praeter Praeceptores, ex propriis reditibus alere possunt. Et, quoniam finis illius Constitutionis est populi aedificatio, declaravit Congregatio: ad huius finis normam, tam intelligentiam quam praxim Constitutionis exigendam esse; iudicio autem et arbitrio R. P. Generalis relinquendum, ut, habita ratione finis et Constitutionis, usum praescribere, et interpretari eamdem, et, si opus esset, dispensare etiam posset": Decr. 25 (*Institutum* Societatis Iesu II 224).

Videbatur dextre et cum debita prudentia, ac semoto scandalo aliquid peti et accipi posse, quandiu necessitas ita postularet.

5. An gratificari possimus Sacerdotibus qui ut se liberent obligatione certis diebus sacrificandi, cupiunt nos suo loco sacrificare?[1]

Videbatur sacra ex obligatione dicenda, non facile concedenda esse; de alijs, Superior pro tempore iudicabit, habita semper praecipua ratione nostrj sacelli ut in eo dicantur Missae ordinariae.

6. Conueniatne posthac ut nostrj in uno et proprio sacello alter post alterum statu tempore sacrificent?[2]

Sacellum habeatur separatum in quo nostrj iusto interuallo interposito pro ratione auditorum, Missas offerent, ac reliqua etiam munia obibunt ad populi aedificationem.

7. An expediat hic paulatim instituj fraternitatem?[3]

Videbatur utile fore, ut populus ad deuotionem et frequentiorem Confessionis et communionis usum, hac et qualicunque ratione excitaretur.

8. Sitne procurandum ut catechismus commodiore hora diebus festis in templo ac saepius per hebdomadam in schola per nostros tradatur pro captu paruulorum?

Videbatur id operepretium[a] fore, et[b] ut catechista omnino ad captum et exercitationem rudium et puerorum utriusque sexus sese accommodet[4].

9. Quoties nobis concionandum et in Theologica lectione, ut de Sacramentis uel Casibus, publice uersandum sit?

Videbatur ex consilio Praepositi[5] nos pendere debere, quamdiu proprium templum non habemus[c] et missio durabit[6].

10. Quid si contribuentes ad noui templi structuram a nobis requirant aliquas conditiones, ut ius sepulturae, sacella, altaria etc.?

Videbantur huiusmodj conditiones minime nobis admittendae, ut sua constet libertas instituto, et huiusmodi prohibita onera non suscipiamus[7].

a) *Sic; corrigendum esse videtur* operaepretium. b) *Hoc v. a Man. supra versum scriptum est.* c) *Tria vv. sqq. ab ipso Man. addita sunt.*

---

[1] *Manareus* in margine: „Fere alter nostrorum Patrum occupabatur in hac charitate praestanda."

[2] *Manareus* in margine: „Vnus sacrum faciebat in vno templo quotidie, alter in altero."

[3] Fraternitatem sive sodalitatem congregationemve B. Mariae V. significari intellegetur ex monumentis infra ponendis; v. infra, monum. 1302.

[4] *Manareus* 25. Iulii 1581 Aquavivae praeposito generali de P. Ardreno *scripsit: „Catechisa le feste in Chiesa et li Venerdi nella Schola della terra, ma il tutto con tanta confusione che non è inteso, et non so se s' intende lui · fa però assai ma uuole essere troppo vniuersale et dotto" ex autographo, de quo infra, monum. 1294.

[5] Petri Schnewly, praepositi ecclesiae collegialis S. Nicolai.

[6] *Manareus* in margine: „Jam conuenit inter eos vt vnus id est p. Canisius diebus festis · Alter id est Praepositus dominicis diebus concionetur. Casus uero puto esse *[hoc v. obscurius scriptum est]* bis in hebdomada."

[7] „In Collegiis Societatis nec curae animarum, nec obligationes ad Missas celebrandas, neque aliae huiusmodi admittantur, quae a studiis distrahere admodum et

11. Quid de conuiuijs cum inuitamur? et possitne alter solus illuc accedere?

Videbatur, ut adductis commodis rationibus, quare id minime conueniat, nos difficiles praebeamus ad conuiuia adeunda. Quod si iudicio superioris aliquando honeste recusari non possit, duo saltem et non unus solus amicorum praecipuorum mensas petant.

12. An debeantur Missae tres benefactoribus siue fundatoribus monasterij, in cuius possessionem uenimus, ut illae per totam Societatem recitentur?

Videbatur id referendum ad[a] R. P. N. Generalem, qui ut ita fieret constituere posset. Interim singulis septimanis pro ijsdem benefactoribus Missam unam Friburgi nobis offerendam esse[1].

13. Quid de Candela quotannis offerenda pro ijsdem benefactoribus?

Videbatur satis esse candelam in altari nostro ardentem sine insignibus ponere in memoriam benefactorum praesertim quo tempore accepta nobis fuit possessio[2].

a) et *archet.*

ea, quae in illis ad divinum obsequium quaeruntur, impedire solent": *Constitutiones* Societatis Iesu P. 4, c. 2, n. 4. Atque prima Societatis congregatio generalis statuit (decr. 134): „Non expedire, ut in Societatis ecclesiis erigerentur cappellaniae, quibus inservirent clerici saeculares, quos Socii possent eligere." Item (decr. 121): Posse quidem aliquibus externis sepulturam in ecclesiis Societatis concedi; sed curandum esse, „ne ius sepulturae posteri eorum acquirerent" (*Institutum* Soc. Iesu II 184 186).

[1] „Cum primum Societas in collegii alicuius possessionem venerit, Praepositus Generalis curet indici per universam Societatem, ut quilibet Sacerdos ter Sacrum faciat pro superstite fundatore ipsius Collegii ac benefactoribus. . . . Rursus, cum ex hac vita illi excesserint, curabit idem Praepositus Generalis, ubi primum resciverit, ut per totam Societatem singuli Sacerdotes ter Sacrum pro animabus illorum faciant." . . . „In quovis nostrae Societatis Collegio, perpetuo, singulis hebdomadibus, Missa semel pro eius fundatore et benefactoribus vivis et mortuis celebretur." . . . „Quod attinet ad Missas, praeter eas, quae pro fundatoribus dicuntur, una vel duae aut plures pro numero Sacerdotum, et prout convenerit, singulis hebdomadis pro benefactoribus vivis aut defunctis offerentur": *Constitutiones* P. 4, c. 1, n. 1 4; P. 7, c. 4, n. 4. *Manareus* in margine huius responsi notavit: „putamus praestare ut fundatores Abbatiae retineantur et Collegii fundatores habeantur si ita V. R. P. sentiet nobiscum et cum Praeposito et aliis". *Franciscus Reichlen* monasterii illius origines scrutatus: „La fondation", inquit, „du monastère de Humilimont est encore entourée d'obscurité." Exstat quidem monumentum quoddam, in quo asseritur, tres fratres eosque loci Marsens dominos („Anserme, Guy, Borcard") a. 1139 id praestitisse. Ex alio tamen monumento colligendum esse videtur, saltem una cum illis etiam Guilielmum comitem Grueriae (Gruyère) et Radbodum fratrem eius in fundatorum numero haberi debere: Notice sur l'abbaye de Humilimont, in „Revue de la Suisse Catholique" XXIX, Fribourg 1898, 159 164.

[2] „Singulis annis, eo die, quo Collegii cuiusque possessio Societati tradita est, . . . candela cerea fundatori offeratur, aut uni ex suis, qui ipsi sit cognatione proxime coniunctus, aut illi demum, quem ipse fundator designaverit: in qua candela armorum fundatoris, aut devotionis insignia exstent. . . . Si in loco, ubi huiusmodi Collegium institutum est, temporis successu non esset aliquis de posteritate fundatoris, mitti candela poterit alio, ubi ex eius progenie aliquis inveniretur, vel in altari constitui poterit, ubi divinum Sacrificium celebratur, nomine et loco fundatoris huiusmodi": *Constitutiones* P. 4, c. 1, n. 2 3 B.

14. Quando paucj uno atque altero anno hic uelut in missione degunt, quam disciplinam illi domi obseruaturj sint?

Primum separatam domum habeant et quoad eius fierj potest ad collegialem disciplinam proxime accedant[1]; ideoque Societatis more saltem ad orationem pulsent campanulam donec in hac Cantoris domo fuerint. Cum uero commodiorem domum inhabitauerint, iuxta regulam quantum fieri potest, pulsabunt[2]. Cibus coctus aliunde adferatur[3]. Sit locus Archiuio et libris prohibitis includendis, ac litteris maioris [momenti][a] custodiendis proprius designatus. Interea sit usus arcae quae duabus clavibus aperiatur.

15. Sitne opus in mensa lectione continua?

Videbatur satis esse caput unum scripturae aut Gersonis donec auctior sit nostrorum numerus, ut sit qui legere continenter possit[4].

16. Quomodo nos cum bonorum Monasterij conductoribus et administratoribus[5] geremus?

Agendum de his uidebatur cum dominis[6] ut praesentibus difficultatibus subuenirj possit. Sed et constituendus Procurator, qui caussam Collegij ageret fideliter, nobisque ad manum esset in multis Gallica lingua transigendis. Tres fratres Monachi residuj quamdiu in Monasterio degent, nobis alendi[7]. Fabrica sicut perscripsit[b] [?] architectus[8] con-

a) *Hoc v. supplendum esse res ipsa ostendit.* b) *Sic; corrigendumne* praescripsit?

[1] *Manareus* in margine: „Nunc degunt in vna domo et edunt in alia à dozena." Hoc tempore Schnewlini praepositi victu utebantur; v. infra, monum. 1299. *Martinus Gottrouw* reipublicae friburgensis quaestor in *codice dati et accepti a d. 24. Iunii 1581 ad finem anni pertingenti notavit: Se dedisse (m. Iulio vel Augusto, puto) „Dem würt zum Krämern vmb Zeerung der Herren Jesuitern LI libras . . . Ieronymus Landijsen vmb arbeit in H: Canisij huß IX libras" (Erste Rechnung des Herren Marti Gottrouw f. 28[a] 35[b], Friburgi in archivo reipublicae).

[2] „Signo campanae, constitutis horis audito, omnes statim vel imperfecta litera relicta ad id, ad quod vocantur, se conferant: Regulae communes, n. 15 (*Regulae* Societatis Iesu, Romae 1580, 19).

[3] *Manareus* in margine: „Quia dicunt sumptus futuros multo maiores si domi coquant et cibos male paratum iri dum tam pauci sunt, agere vero vt nunc non expedit."

[4] „Initio lectionis in prima, et secunda mensa prandij, et coenae legatur unum caput de scriptura sacra noui, vel ueteris testamenti, cui succedat semper aliquis liber pius, et facilis." . . . „In celebrioribus festis legatur aliquid . . . ex Patrum homilijs, et tractatibus" etc. „Cum afferuntur literae annuae, et indicae, quamprimum legantur." „Initio cuiuscunque mensis Summarium constitutionum, regulae communes, et epistola P. N. Ignatij de obedientia legantur." „Vesperi absoluta lectione, seu praedicatione legatur martyrologium vulgare sequentis diei: quo uero die fit abstinentia, caput unum ex libro de imitatione Christi, cum martyrologio" etc.: Regulae praefecti lectorum ad mensam, regg. 5 6 7 8 9 (*Regulae* [ut supra, adnot. 2] 193—194). Nomine „Gersonis" a Manareo significatur Thomae a Kempis libellus De Imitatione Christi: v. *Can.* IV 251[6].

[5] Erhardo Garmisvil et Francisco Gapanio; v. supra p. 22.

[6] Senatores friburgenses dicit; cf. supra p. 22—23.

[7] *Manareus* sua manu in margine: „Speratur quod breui duobus exonerabuntur."

[8] Pancratius Wild; v. infra, monum. 1294.

trahenda, ut multa in monasterio et templo deijciantur et uetera ligna distrahenda.

17. Quid de futuris aedificijs Collegij, templi, scholae, Friburgi?

Curemus architectum a Senatu designatum, aduehere ligna, saxa, calcem, lapides, arenam .etc. sicut ipsi uisum fuerit hoc anno facere. Nec impediamus si uelit illorum sequi sententiam qui putant a domo dej initium aedificij faciendum esse. Mittatur autem Romam delineatio loci, in quo Collegium et templum exstruentur sicut et scholae uelut in pede montis uel horti exstruendae idea mittenda est. Mitti quoque poterit Romam quomodo Friburgenses putauerint futuram fabricam erigendam esse. Seruetur autem aedificandi modus quemcunque P. N. Generalis probauerit aut praescripserit. Nostrum autem erit, sicut iam fieri coeptum est, ut collegij potius quam templi aut scholae fabricam vrgeamus · licet dominis obsistere non debeamus qui suis sumptibus scholam et ex eleemosynis collectis templum aedificare; et pro collegio quidem non nisi partem aliquam sumptuum nobis suppeditare constituerunt. Quique consenserunt ut duobus aut tribus ab hinc annis schola non aperiatur, et interea collegij debita dissoluantur, simulque prouentus monasterij ad collegij fabricam applicentur.

18. Quae officia inter nostros distribuenda?

R. P. Canisius pergat in officio superioris et ex Regulis Rectoris eas obseruet, quae in hoc collegio, hoc quidem tempore obseruarj possunt peculiariter autem quae de ratione scribendi ad N. P. Generalem et alios, in formula praescribuntur [1]. P. autem Robertus Procuratoris officium et libros huic praescriptos habeat, praesertim rationum datj et acceptj, quas iuxta easdem reg. superiori dabit [2]. Pecuniae in cista reponantur, cuius vnam clauem Superior, alteram distinctam Procurator habeat.

19. Quae circa altare potissimum obseruanda?

Primum nitidiores et perfectiores hostiae adhibeantur. Deinde vinum pro sacrificio iuxta reg. Sacristani [a], recens sit [3] et non aliunde quam e nostro penario depromptum, tum ornamenta sint munda quae ad altare pertinent, praesertim ut hebdomadatim mutetur amictus.

20. Possitne parari sigillum grandius ad confirmandas litteras in caussis alicuius momentj ratione bonorum uel subditorum monasterij Marsensis, nostro collegio vniti?

a) *Sequitur* recens *vel simile v., oblitt*

[1] Significatur „Formula scribendi auctoritate tertiae congregationis confecta", quae typis exscripta est in *Regulis* etc. 138—142.

[2] Procurator „singulis mensibus dati, et accepti rationem Rectori reddet, debitaque, et credita Collegij indicabit, quo ipse domus statum prorsus intelligat": Regulae Procuratoris Collegij, et Domus Probationis, reg. 4 (*Regulae* etc. 185).

[3] *Manareus* in margine: „Hoc adiectum est quia non semel accidit vt et aquam et vinum plus iusto dilutum pro mero consecrandum vsurpauerint." In „Regulis Aeditui" autem praescriptum est: „Curet, ut vinum, quod in sacrificium paratur, sit bonum, et merum, ac mundum, eoque ipso die haustum": Regula 8 (*Regulae* etc. 201).

Videbatur posse fieri ad instar caeterorum religiosorum cum vsus regionis id requirat[a] [?].

21. Sitne corrigendum aliquid circa contractus et census Monasterij veteris ob suspectas in litteris clausulas?

Etsi uideantur posse excusarj propter consuetudinem quod fiat expressa mentio emptionis et uenditionis census perpetuj, quia tamen fundamentum census ex litteris uidetur tantum habere rationem pignoris, videbatur in posterum mutanda formula in meliorem et legittimam: Sed in antiquis nihil mouendum modo nisi maior lux possit adferri aliunde: et consulendus amicus peritus quomodo possint quaedam sine nostro damno et incommodo aut etiam periculo litium corrigi si qua corrigenda essent in antiquis.

22. An liceat ad parochos excurrere?

Videbatur plane necessarium propter ignorantiam pastorum et plebis. Sed quando aderunt plures Sacerdotes praesertim uero qui calleant linguam Gallicam[1].

23. An ferijs Quartis uescendum sit piscibus?

Videbatur cum hic non sit communis vsus abstinentium a carnibus ne ecclesiasticorum quidem, etsi multi sint qui abstineant[2], non esse inducendum quod alioquin in Societate consuetum non est.

24. Possitne peti et accipi pecunia censum pendendo?

Videbatur tantum posse accipi mutuo ab vno uel duobus quantum sufficiat dissoluendis ijs quae debentur · quod si mutuum haberi non potest aut dilatio a creditoribus obtinerj, petendam esse a P. N. facultatem pro constituendo censu 50 ducatorum uel circiter, ad ea debita vrgentia dissoluenda[3].

25. An quis solus exire possit sine socio?[4]

Videbatur posse permitti, quamdiu tam paucj hic degunt, ut usque ad domum Dominj Praepositi, uel ad scholam ut catechismum doceant, soli eant.

26. An possit P. Canisius excurrere Lugdunum si commoditas offerat sese ut libri magis necessarij coemantur?

Videbatur id permittendum · Et quidem facta est potestas ibidem commorandi ad 20. diem.

27. Quid agendum de Monasterio si Monachi non adessent?

a) *Vel:* requiret.

[1] *Manareus* in margine: „Ea est ignorantia vt putent pastores nefas esse, si alio tempore [*supplendum esse videtur:* quam Paschatis] cum ipsi tum alij confiteantur vt nolint etiam morituros audire, multo minus viaticum dare."

[2] Eam abstinentiam servabant, ut exemplum S. Nicolai patroni civitatis suae imitarentur: v. infra, monum. 1285.

[3] „Est penes Praepositum Generalem omnis facultas . . . imponendi ac redimendi quoslibet census super bonis stabilibus ipsorum Collegiorum in eorundem utilitatem ac bonum": *Constitutiones* P. 9. c. 3. n. 5.

[4] „Nullus domo egrediatur, nisi quando, et cum quo socio Superiori visum fuerit": Regulae communes, n. 42 *Regulae* etc. 23.

Videbatur relinquenda habitatio famulo seu molitori a Superiore huius missionis uel futuri Collegij designando cum praeter monasterium nullae sint aliae ibi familiae et nulla cura animarum. Teneantur tamen clausae habitationes nostris vsibus designatae, et supellex a monachis relicta, colligatur in vnum locum.

28. An famulus retinendus cum egeamus perito Gallicae linguae? Et quoties is confiteri debeat et qualibus subesse Regulis?

Videbatur posse retineri adolescens donec suffecerint Coadiutores[1]. Habeatur uero institutionis eius in spiritualibus magna ratio, ut proficiat. Et saltem semel quolibet mense confiteri et communicare assuescat. Oret pariter mane et vesperi quantum Superior sufficere iudicabit. Cum dimittetur, nihilominus iuuetur etiam in temporalibus et in prosequendis suis studijs, applicando eum ad hypocausta scholae calefacienda et uerrendis scholis uel alio quouis meliori modo ut euadat idoneus Christi minister[2] si Dominus gratiam dare dignabitur.

Aquaviva Manareo *respondit Roma 31. Augusti 1581: „Quae Reuerentia V. Friburgi statuit, et ad me misit, ea celeriter uidebuntur." Et Canisio 13. Octobris (ut videtur) 1581: „De ijs quae P. Visitator istic seruanda statuit, quoniam adhuc quidem ea considerare non licuit, fiet quam primum, et remittentur istuc" (ex commentariis harum epistularum: G. Sup. 1 f. 61ª 62ª). Exstat huius *recognitionis sive „Ordinationis" apographum saeculo XVI., ut videtur, Romae scriptum: ex quo intellegitur, Manarei responsa magnam partem ab Aquaviva confirmata esse; haec tamen ab eo sive immutata, sive suppleta et amplificata sunt: „1. Conueniatne Sacerdotes nostros hoc loco in processione corporis Christi cum Clericis alijs progredi: Respondit noster Pater: uideat P. Visitator et si iuxta Canones dispensandum censuerit, nostra authoritate dispenset. 2. An teneamur externum alere in Marcensi Monasterio qui in eo saltem festis diebus celebret. Respondit noster Pater: uideatur unio, et consulantur periti. 3. [De stipe in monasterio marsensi distribuenda] Respondit noster Pater. Si constaret eleemosinam solitam fieri ex debito fundationis aut donationis alicuius, moneat nos ut petatur commutatio a S. Pontifice: alioquin placet ut commutetur in pauperes studiosos. . . . 5. Respondit P. Visitator sacra ex obligatione dicenda [Sacerdotibus ea obligatione se liberare volentibus] non facile concedenda esse. Addit noster Pater. Petentibus modesta excusatione satisfiet. . . . 7. Potest institui fraternitas. Adiecit noster Pater: Curetur tamen ne quid fiat contra Constitutiones. . . .[3] 9 Durante missione sequantur consilium praepositi circa numerum Concionum et lectionis de Sacramentis. 10. [De iis, qui ius sepulturae, sacella, altaria in Societatis templo requirant] Respondit Visitator huiusmodi onera non esse admittenda. Adiecit noster Pater. Omnino necesse est seruari et reddere eis suauiter rationem nostri instituti ne offendantur. 11. Adiunctis rationibus difficiles nos praebeamus ad conuiuia adeunda. Quod si iudicio superioris honeste recusari non possit, duo saltem et non unus solus eat. 12. An debeantur Missae tres benefactoribus siue fundatoribus Monasterij in cuius possessionem uenimus, ut illae per totam societatem dicantur. Respondit noster Pater negatiue: illi enim fundatores non sunt fundatores

[1] Is erat Iacobus Stutz: qui postea de senatu maiore reipublicae et tribunus eius fuit, et aliquam ex eius praefecturis administravit, et a. 1627 in actione Canisii in album Beatorum referendi gratia instituta auditus est testis: v. infra, monum. 1615.

[2] 2 Cor. 3, 6.

[3] „Non convenit Societatem vel eius Domos aut Collegia cum aliqua Congregatione misceri: nec in ea ulli conventus agantur, nisi qui ad earumdem Domorum vel Collegiorum finem in divino obsequio fient": *Constitutiones* P. 7, c. 4 G.

Collegij · significent tamen nostri an aliqua constet memoria fundatorum Monasterij, et uidebitur an aliquid debeat fieri pro eis. . . . 13. . . . Nusquam habetur in constitutionibus ut pro benefactoribus ponatur candela: quare non est cur huiusmodi candela ponatur in altari. . . . 14. . . . Optandum uidetur ut domi nostrae per aliquem fratrem e nostris cibi parentur si fieri possit, alioquin probatur illa ratio ut domum deferantur . . . 18. . . . uult esse duas claues ad cistam pecuniae. Addit pater noster. Pro hoc tempore non est ualde urgendum quod dicitur de duabus clauibus. . . . 20. . . . Poterunt uti sigillo grandiori [in causis alicuius momenti] quo etiam utantur in literis patentibus. 21. Agit de litteris contractuum et censuum ueteribus ob suspectas in litteris clausulas. Respondit noster Pater. Consulantur Jurisperiti et prouideatur securitati Collegij et conscientiae, ac moneant nos paulo clarius, quaenam sit ratio dubitandi in casu proposito. . . . Juuentur Parochi ea tamen prudentia et circumspectione ne auertantur a nobis, et nostra ministeria minus grata fiant. 23 [De piscibus feriis quartis edendis] Respondit P. Visitator negatiue. . . . Adiecit noster Pater · uideat P. Visitator in re praesenti quomodo aedificationi consulatur. 24 [De petenda a praeposito generali facultate constituendi censum] Si facultas petenda est, seruetur in ea petitione formula ex urbe transmissa" [1] (Cod. „Instit. 58" f. 22ª—24ª).

2103. CANISIUS **P. OLIVERIO MANAREO S. J.** visitatori Lucernae moranti. Friburgo Helvetiorum inter 21. et 25. Iulii 1581.

Ex Manarei autographo: Germ. 159 f. 94ª. Epistula usus est *Franc. Sacchinus* S. J., Historiae Societatis Iesu Pars quinta, Tomus prior, Romae 1661, l. 1, n. 167—169.

Friburgensibus Manareum Lucernam versus comitatis aliquantulum altercationis cum Bernatibus ortam esse.

P. Oliverius Manareus Societatis visitator Lucerna 26. Julii 1581 ad Claudium Aquavivam praepositum generalem de rebus Friburgi Helvetiorum a se gestis haec, praeter alia, rettulit: „Hieri non dissi per la fretta che ci diede la partenza del portatore, come quei di Friburgo ci hanno trattato con tanta cortesia et amoreuolezza c' habbiamo hauuta buona materia di confunderci. Tre di auanti partire, il Capitolo ci uolse fare un banchetto, doue furono inuitati li principali del Senato. Jl di seguente il Senato ne uolse far' un' altro, doue con noi, fu inuitato tutto il Capitolo, et alcuni altri religiosi, et il tutto con tanta modestia, ordine et beneuolenza, che restassimo molto edificati. Nel partire ci mandarono un suo Caualiero per accōpagnarci à loro spese fin à Lucerna, o, almeno se non uoleuamo tanto, fin alla prima terra del stato Lucernense, acciò fossimo piu siguri et liberi nel stato delli Bernesi per liquali doueuamo passar', et insieme con tal ufficio honorati, sendo che portaua l' insegne et liurea della terra loro. Et non contenti di questo, sotto mano fecerò che tredici altri, parte gentilhuomini principali, parte del Capitolo, cioè il Preposito, Decano, et Cantore [2] ci aspettassero, sul partire nostro in decliuo Vrbis, con li Cauali, per accompagnarci fin à un miglio incirca al di la di Berna, ilche uolsi per ogni modo ri-

[1] Ordinatio „de celebrandis contractibus iuxta morem et privilegia Societatis" a. 1581 ab Aquaviva in Societatis provincias missa, cuius altera pars inscribitur: „Modus informandi R. P. Generalem circa alienationes faciendas", exstat in libro „*Ordinationes* Praepositorum Generalium, Communes toti Societati", Antverpiae 1635, 138—143, et in *Instituto* Societatis Iesu III 311—314.

[2] Petrus Schnewly, Erhardus Thorin, Franciscus Garin.

fiutare et ne feci molta instanza, ma non ci fu ordine, et cusi uscessimo di Friburgo 15 Caualli et un' altro che s' aggionse fuori con seruitori et laquei à piedi, et cusi passassimo il di seguente Berna, ma Jddio ci fece gratia, che all' hora stauano li bernesi alla predicha loro, et che la pompa nostra fu mancho uista. Jl padre Canisio m' acenna ch' occorse nel ritornare loro qualche poco di rumore con li bernesi, ma non mi scriue particolarità ueruna · penso che li Bernesi liquali sonno stati molto mortificati et capitulati da tutti li Cantoni, per l' eccesso fatto contra di Monsignor Vercelli[1] habbino hauuto opinione, che li Friburgensi non si fidassero di loro, et che dolendosene con alcuni particolari, si sarà detta qualche parolla. Ma mi pare che li Friburgensi hanno hauuto piu presto l'occhio à dargli da pensare, et à monstrare loro quanto lontani siano da lassarsi tirare da loro in errore, facendo tanta dimonstratione d' amore et honore uerso li Gesuiti, liquali essi non possono uedere."

Manareus in „punctis" circa a. 1600 Romam missis: „Ego", inquit, „cum egressus ex civitate" friburgensi „cernerem . . . turmam . . . virorum gravissimorum" nos comitari volentium, „totus confusus, deprecatus sum ne id facerent et ne comitarentur: sed nihil profuit deprecatio. Volumus, inquit Praetor supremus[2], vos liberos esse ab iniuriis quae nuper illatae fuerunt Domino Legato Apostolico et bono P. Canisio, volumusque ut intelligant haeretici nostri Bernates quanti nos faciamus nostros Patres et sacerdotes. Fuit obsequendum: cum autem venissemus prope Bernam (distat illa Friburgo tribus leucis), ita disposuerunt suos equites, ut longa serie ingrederentur. Ego in medio Decani et unius nobilis collocatus, socius similiter in medio duorum, interiecto aliquo spatio notabili inter nos et ipsos equites comitantes. Cum hunc honorem multis precibus deprecarer, non fui auditus, una vox omnium fuit: sic oportet fieri. Ingredimur civitatem: cives fere omnes intererant concioni, quod grave fuit Friburgensibus, et pertransivimus totam civitatem paucis nos spectantibus, licet dies esset operarius. . . .[3] Cum revertissent post horam unam atque alteram Friburgenses, et se Bernae reficerent, valde questi sunt Senatores Bernates, quod non fuissent a Friburgensibus praemoniti: exhibuissemus etenim, aiebant, vobis debitum honorem; hoc silentium aestimamus summam iniuriam et diffidentiam. Responderunt Friburgenses se libenter caruisse illo honore, voluisse autem suos sacerdotes a se honorari et vindicari a contumeliis nuper illatis suo P. Canisio, qui praestat, aiunt, omnibus vestris ministris. Indoluerunt Bernates, sed nihilominus exhibuerunt illis, quam potuere ad illam horam, caritatem": De rebus Societatis Iesu Commentarius *Oliverii Manarei*, Florentiae 1886, 169.

2104. CANISIUS **IOANNI FRANCISCO BONHOMIO**, apostolico apud Helvetios nuntio et visitatori, episcopo vercellensi.

Friburgo Helvetiorum 24. Iulii 1581.

Ex imagine photographica apographi litterarum a Bonhomio ad Canisium datarum, de qua infra, ep. 2109, et ex Bonhomii ad cardinalem Comensem litteris archetypis, quae sunt Romae in archivo vaticano, „Nunz. di Germ. 103" f. 481.

Negotium collegii condendi prospere succedere. Indulgentiam petit etc.

Bonhomius Vercellis 15. Septembris 1581 Canisio scripsit: „*Tam sero ad me peruenerunt literae tuae in Sancti Jacobi Apostoli vigilia*

[1] Contra Ioannem Franciscum Bonhomium nuntium apostolicum (*Can.* VII 853).
[2] Ludovicus ab Affry. [3] Erat dies Iovis.

datae, et nihil mirum Paternitati tuae videri debeat, si responsum serius multo quam sperabat, accipiet.“ Easdem Canisii litteras Bonhomius significavit, cum Vercellis 29. Augusti 1581 ad Ptolemaeum cardinalem Comensem, Gregorii XIII. secretarium maiorem, scripsit: „Hauendo riceuuto bona noua del Collegio di Friborgo mi e parso debito mio di darne raguaglio à N. Signore per mezo di V. S. Illustrissima sapendo che S. Santità ne riceuerà, e meritamente, gran consolatione, et perche possa meglio V. S. Illustrissima intenderne il successo, ho rissoluto di mandare à V. S. Illustrissima copia di quanto mi scriue sopra di cio il Preuosto di Friborgo, et il Padre Canisio, il quale supplico à S. Beatitudine con ogni humiltà, et efficacia possibile, che sia essaudito per quelle indulgenze, ch' egli dimanda[1]*; et parmi bene, che si concedano per un Breue à parte, e se nostro Signore facesse difficultà à concederlo in perpetuo, puotria almeno concederlo à diece anni, che son sicuro sarà di grandissimo profitto in quel popolo, da cui ho sempre detto, che si puo aspettare ogni bon progresso nelle cose della religione, e della riforma, purche non siano abandonati.“ Ipsae Canisii litterae atque etiam earum apographum cardinali Comensi missum perisse videntur; de quibus vide plura in Bonhomii epistula ad Canisium, quam supra dixi.*

Petro Schnewly praeposito friburgensi *Bonhomius* scripsit „Clavaxio“ (Caravaccio?) 6. Augusti 1581: „Rogo ut Patri Canisio, atque illius quotquot istic sunt Fratribus salutem plurimam meis uerbis dicas, eorumque precibus me quam maxime enixe commendatum facias.“ Et Vercellis 19. Augusti 1581: „Reuerendum Patrem Canisium mihi officiosissime salutabis in Domino, quanquam ad ipsum etiam fortasse dabo litteras“ (ex archetypis a Bonhomio subscriptis; Cod. friburg. „Epp. ad Schn.“ f. 49 50a; etiam apud *Berthier*, Bonh. 82 83).

2105. CANISIUS **CLAUDIO AQUAVIVAE** praeposito generali Societatis Iesu. Friburgo Helvetiorum 29. Iulii 1581.

Epistula haec perisse videtur. De qua vide Aquavivae litteras 26. Octobris 1581 ad Canisium datas; per has enim Aquaviva Canisio respondit.

2106. **CLAUDIUS AQUAVIVA** praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 3. Augusti 1581.

Ex commentario sic inscripto: „Friburgi P. Petro Canisio.“ G. Sup. 1 f. 60a.

Gratias agit. In Sociorum virtute confidit. Preces sacras petit, semper Canisio gratificari paratus. Laborum prosperitatem ei gratulatur.

Valde me delectauit Reuerentiae V. caritas quam eius litteris atque ea gratulatione, quam ad me misit, satis expressam uidi. Jtaque etsi sane ita mihi antea persuaseram, quod et in dies magis experior nihil esse posse difficilius aut grauius quam talem gubernationem tantae Societatis tamen hoc quoque sentio, et fateor quicquid id est oneris

[1] Ex litteris 9. Februarii 1582 a Bonhomio ad Canisium datis colligi potest, Canisium petisse indulgentiam plenariam pro iis, qui quater in anno apud Socios sacram eucharistiam sumpturi essent: v. infra, ep. 2128.

alleuari magna ex parte, cum talem nostrorum uirtutem, tamque promptam obedientiam perspicio; quod ita existimo, non[a] posse Deum[b] eiusmodi pietati, ac desiderijs deesse, ac proinde ipsius bonitatem quicquid mihi defuerit, quod est certe multum abunde[c] per se suppleturam. Atque hoc et ab Reuerentia V. maiorem in modum postulo pro eo zelo quem habet Societatis nostrae de qua tam multos annos[d] et scribendo, et agendo tam [?][e] bene merita est, ut mei assidue meminerit in suis precibus, quo mihi gratiam ac Dei subsidium[f] impetret pro illius diuino obsequio fratrumque nostrorum utilitate[g] ac profectu · Praeterea si quid unquam erit quod Reuerentia V. pro sua consolatione in Domino sibi expedire iudicet, gratum mihi faciet si omni fiducia[h] ac libertate ad nos deferet[i]; semper enim gratum nobis erit ei in Domino gratificari, atque hoc ipsum debitum existimabimus illius laboribus ab ea pro Christi honore, et ipsa Societate nostra toleratis · Nunc quod ad Friburgensem istam missionem attinet, de qua Reuerentia V. scribebat, nihil est quod in praesenti respondeam, cum istuc iam uenerit P. Visitator, quem Reuerentia V. expetebat[1], et a quo ampliorem, quam ille nobis promisit, rerum omnium informationem expectamus. Jllud mihi uehementer gratum fuit quod ex eiusdem P. Visitatoris litteris intellexi quam Reuerentiae V. labores istic frugiferi atque utiles fuerint, cum ad alia, tum ad popularium animos Societati nostrae conciliandos, quos antea falsi[k] haereticorum sermones a nobis alienarant[2] · itaque danda erit etiam deinceps opera ut qui mittantur tales sint, qui opinionem istam tueri, ac conseruare possint ad Dei gloriam et honorem. Jn quo ut spero Reuerentiae V. nos et consilia, et in primis preces quas pollicita est adiuuabunt; egoque illi uicissim et multam in utroque homine sanitatem, et amplum in altera uita praemium exopto. Romae 3° Aug. 1581.

Canisius Aquavivae respondit 14. Novembris 1581.

2107. CANISIUS **CLAUDIO AQUAVIVAE** praeposito generali Societatis Iesu. Friburgo Helvetiorum 27. Augusti 1581.

Epistula perisse videtur. De qua vide litterarum 26. Octobris 1581 ab Aquaviva datarum „postscriptum", quo is Canisio respondit.

2108. CANISIUS **GREGORIO XIII.**, summo pontifici, aut **PTOLEMAEO GALLIO**, cardinali Comensi, pontificis secretario maiori.
Friburgo Helvetiorum circa m. Augustum a. 1581.

Ex commentariis epistularum Aquavivae. G. Sup. 1 f. 58[b] 62[a].

Petit, ut propinqui quidam sui in collegium germanicum vel in seminarium romanum admittantur.

a) *Sic in comm. correctum est ex* neque. b) *Sequitur* tali, *oblitt.* c) *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.* d) *Sequuntur vv.* tam bene merita est, *oblitt.* e) *Hoc v. obscurius scriptum est.* f) *Ita in comm. correctum est ex* ac lumen diuinum. g) *Correctum ex* consolatione. h) *Correctum ex* confidentia. i) *Correctum ex* libertate scripto patefaciat, quia nos semper promptos ac paratos in. k) *Correctum ex* inimicorum.

[1] Cf. *Can.* VII 540 542 593. [2] Cf. *Can.* VII 601.

Claudius Aquaviva Societatis praepositus generalis Roma 19. Iunii 1581 P. Theodorico Canisio S. J., rectori collegii dilingani, scripsit: „De eo[a] *quod R. V. scribebat, ut locus suis quibusdam propinquis in Collegio Germanico daretur, quoniam sane et P. Petro*[1], *et Reuerentiae V. hoc beneficij ab Societate nostra deberi intelligimus, atque etiam ob iuuenum ipsorum seu indolem, seu conditionem, quippe qui pro catholica religione exules sint*[2], *fiet a nobis quicquid poterit: et quia*[b] *in Collegio quidem Germanico nulla ratione Pontifex nationi isti aditum uult aperiri, idque alias saepe rogatus constanter semper negauit, facilius credimus nos aliquid impetraturos de Seminario*[3]; *nam in eo et in alios liberalis solet esse summus Pontifex. Sed in ea re magnum momentum habebunt P. Petri litterae, si*[c] *ad Jllustrissimum Comensem, aut ad ipsam S. Sanctitatem scriberet · quod ut faciat R. V. eum hortabitur · nos enim eas litteras exspectabimus, et simul cum eis negotium agamus."*

*Dubitari non potest, quin Canisius pro maxima sua in praepositos oboedientia et in propinquos caritate litteras hasce scripserit; id quod etiam colligi potest ex litteris Roma 26. Octobris 1581 ab Aquaviva ad eum datis; in his enim Aquaviva, ad Canisii epistulas 27. Augusti et 20. Septembris datas respondens: „De nepotibus", inquit, „Reuerentiae V. agemus diligentissime cum Jllustrissimo Comensi, et statim quid sit impetratum Reuerentiae V. significabimus." Hala 12. Ianuarii 1582 P. Oliverius Manareus visitator Aquavivae *scripsit: Se iam rogatu cancellarii comitatus tirolensis, „optimi Collegij patroni", per litteras cardinali Comensi commendare illius nepotem, qui „contendat cooptari inter Alumnos Collegij Germanici . . .; ijsdem commendo Nepotem P. Canisij . . ." (autogr.; Germ. 159 f. 271*[a]*).*

Quomodo hi conatus successerint, non constat. Recepti sunt in collegium germanicum a. 1588 Theodorus Canisius, a. 1594 Wolfgangus Henricus a Langenmantel, filius sororis Henrici Canisii, quem P. Petri Canisii patruelem fuisse *Posserinus* (Apparatus I 724) asserit, et Ioannes Canisius, cui B. Petrum Canisium patruum magnum fuisse tradunt (*Andr. Steinhuber* S. J., Geschichte des Kollegium Germanikum Hungarikum in Rom I[2], Freiburg i. Br. 1906, 263 285 369). Neque tamen hos a. 1581 a Canisio commendatos esse puto; Ioannes enim Canisius tunc 10 fere annorum erat; Langenmantel 5—7 annos natus erat (Cod. rom. „All. coll. Germ." p. 177 178). Quod autem ad seminarium romanum, quod Aquaviva commemorat, attinet, constat quidem, in seminarium illud, a Pio IV. urbis romanae clero instituendo conditum et Societatis curae commissum (v. *Can.* IV 316 554), a. 1581 et 1582 receptos esse adulescentes aliquot ex Germania et Helvetia ortos; neque tamen equidem in eorum numero propinquos Canisii (saltem eos, qui et ipsi „Canisii" vocarentur) repperi (Cod. „Annali del Seminario II" a P. *Hieronymo Nappi* S. J. conscripti, p. 272 292).

a) *In comm. correctum ex* altero. b) *In comm. correctum ex* quum. c) *Sequuntur vv.* ea de hac re, *oblitt.*

[1] Petrus Canisius Theodorici frater ex patre erat.

[2] Urbe Noviomago per Calvinianos in Philippum II. regem rebelles occupata complures ex civibus catholicis vel in exsilium eiecti sunt vel sua sponte ex urbe exierunt; cf. *Can.* VII 506[2] 568.

[3] Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

2109. IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS, apostolicus apud Helvetios visitator et nuntius, episcopus vercellensis, CANISIO.

Vercellis 15. Septembris 1581.

Ex imagine photographica apographi eodem fere tempore scripti et sic inscripti „Patri Canisio." Cod. rom. „693" p. 863—865.

Gaudet collegium incohari. De bibliotheca et ipse et Carolus Borromaeus pontifici scribunt. Vercellense collegium. Praepositi „pia audacia". Sal burgundicum.

Reuerende admodum in Christo pater atque vti frater charissime. Tam sero ad me peruenerunt literae tuae in Sancti Jacobi Apostoli vigilia [1] datae, vt nihil mirum Paternitati tuae videri debeat, si responsum serius multo quam sperabat, accipiet: Loetatus autem sum vehementer de felici adeo Collegij istius exordio, quod certe iamiam exaedificatum iri spero, vt hoc ipso anno, vel ad summum proxime sequenti, illius fructus aliquos, neque etiam praecoces extare videamus: Deo optimo omnium bonorum largitori sit laus, et honor in seculorum secula; Gratias egi Senatui, vt Paternitas monuit tua; ipsi autem agere debeo non vulgares, quod tam diligenter me de Collegij rebus certum reddiderit: Vna tantum spes me fefellit, quod Scultetum Eydium hortum illum cum aedibus suis donaturum, si ibi Collegium exaedificandum fuisset, speraueram [2]: Sed Deus ipse, in quo vno gratulor P. T. cogitatus suos omnes iactasse, omnibus necessitatibus vestris prouidebit [3]: Ego sane, quod Praepositus [4] a me petijt (quanquam miror P. T. id idem suis literis mihi non significasse, cum fiduciam omnem in me, tanquam ex Societate vestra vno, collocare iure possit, ac certe debeat) praestabo diligentissime, statimque Romam scripsi, atque Jllustrissimum Cardinalem Sanctae Praxedis eandem ob causam enixe scribere curaui [5]: nempe, vt Sanctissimus Dominus pecuniam subministret, ad libros pro Biblioteca comparanda necessariam; vtinam quemadmodum ego maxime cupio, illius Sanctitas benignitatis suae manus largiter aperiat [6]; Speraueram ego equidem aliquot meae Bibliothecae libros, quos praesertim duplices habeo Collegio isti vestro dono dare: Sed cum nuper Dei gratia Collegium aliud vestrae societatis [a] [?] erigendum sit, huic debere

a) *Supplendum esse videtur* Vercellis *vel* in hac urbe *vel aliquid simile; cf. infra p.* 43[1].

[1] Die 24. Iulii.

[2] Joannes a Lanten-Heid arcem cum horto pratoque 2100 florenis Canisio vendidit; v. infra, monum. 1297.

[3] Cf. Ps 54, 23; 1 Petr 5, 7. [4] Petrus Schnewly.

[5] Sanctum Carolum Borromaeum significat. Is, ut Bonhomius 15. Septembris 1581 Schnewlino scripsit, ea in re apud Gregorium XIII. „enixe admodum se intercessurum recepit" (ex archetypo; Cod. frib. „Epp. ad Schn." f. 51; etiam apud *Berthier*, Bonh. 51). „Il ne paraît pas", inquit *Berthier* (l. c. 87[1]), „que les démarches du Nonce, ni même celles de Saint Charles à Rome, aient abouti à un résultat."

[6] Martino Leubenstain S. J. collegii lucernensis rectori *Everardus Mercurianus* praepositus generalis Roma m. Maio a. 1578 de Gregorio XIII. *scripsit: „D. Capitaneus Heluetiorum hic a Summo Pontifice impetrauit summam quadringentorum aureorum ad amplificandam bibliothecam" collegii vestri (ex epistulae commentario: Rh. Inf. 1, II f. 21[b]).

me magis, quam isti existimaui; Census illius annuus erit mille nummum aureorum, octingentis videlicet ex fundis ab Jllustrissimo Cardinali Vercellensi assignatis percipiendis[1]; centum autem a Serenissimo Duce[2], centumque alijs ab Episcopo perpetuo persoluendis, quod T. P. significare volui, vt pro summo hoc a Deo accepto beneficio gratias diuinae illius Maiestati pro me agat perpetuas, quando ego frigide nimis Diuinae bonitatis munera agnoscere me sentio. Quod autem Praepositus virum cordatum, et Religionis zelo accensum se esse ostenderit[3], id mihi nouum minime visum est, qui probe noui illius pietatem, et sincerum quoddam, constansque in Religione tuenda, ac reformatione promouenda, atque aduersariorum consilijs ac viribus retundendis, studium, atque, vt ita dicam, piam quandam, cum oportet, audaciam, vtinam ita esset in laicorum consuetudine fugienda sedulus, et accuratus.

De Burgundico sale Marsensi, et Altaripae monasterijs restituendo[4], respondit Jllustrissimus Cardinalis Comensis, scriptum iam esse semel atque iterum, et Sanctissimi Domini nomine mandatum Apostolico apud Catholicum Regem Nuncio[5], vt negocium illud diligenter suscipiat, tractet, ac perfici omnino studeat, ad vota nostra; verum vti negocia fere omnia Hispanica sero nimis confici solent, ac frigide admodum, nisi praeter intercessorem adsit etiam, qui eorum expeditionem curet, ideo cogitaui e re esse, vt aliquibus ex societate fratribus in Regis curia negocium committatur, qui iuxta Reuerendissimi Nuncij sententiam, et monita, opportuna praestare possint officia; Maxime etiam conducet, si Jllustres Domini Consul, et Senatus, ad Jllustrem D. Pompeium de Cruce, Catholicae Maiestatis in Heluetijs Legatum, qui vraniae[6] commoratur, hac de re literas dederint; Noui enim hominem officiosum admodum, et Reipublicae Friburgensis studiosissimum; Scire causam cupio, cur M. Rupertus[7] ad me literas non dederit, vt olim promisit, eiusque precibus commendatus esse vehementer cupio; Tua vero Paternitas bene valeat in Domino omnium coelestium gratiarum cumulo

---

[1] Guido Ferrerius cardinalis fundum praepositurae S. Stephani, quam ipse commendatam habuerat, a pontifice pro hoc Societatis collegio impetraverat (*Sacchinus*, Hist. S. J. V[1], l. 1, n. 85). Ferrerius († 1585), civis vercellensis, a. 1562 huius urbis episcopus factus, postea hunc episcopatum cum abbatia S. Silvestri de Nonantula commutaverat (*Alph. Ciaconius* O. Pr. et *Aug. Oldoinus* S. J., Vitae et res gestae Pontificum Romanorum et S. R. E. Cardinalium III, Romae 1677, 965—967).

[2] Carolo Emmanuele I. duce Sabaudiae.

[3] Ex Bonhomii ad Schnewlinum litteris, quas supra dixi, colligitur, hunc adversariis collegium impedire conantibus fortiter restitisse; atque ex iisdem litteris cum epistula 30. Iunii 1581 a Bonhomio ad Schnewlinum data collatis conici potest, Schnewlinum senatui friburgensi serio institisse, ne in posterum (id quod sacris canonibus graviter prohibebatur) „Causas matrimoniorum coram se per viam appellationis agi“ pateretur (*Berthier*, Bonh. 79 84 86). [4] Vide supra p. 4.

[5] Apud Philippum II. Hispaniae regem nuntium tunc agebat, nisi fallor, Ludovicus Taberna, episcopus laudensis (Lodi). Cf. *Berthier*, Bonh. 183, et *A. Astrain* S. J., Historia de la Compañía de Jesús en la Asistencia de España III, Madrid 1909, 273.

[6] Uri. [7] P. Robertus Ardrenus S. J.

munita, quam rogatam volo, vt ad me frequentius, et de Collegij progressionibus diligentius perscribat: Datum Vercellis xvij. Cal. Octobris.

Canisius Bonhomio respondit 29. Octobris 1581.

2110. IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS, apostolicus apud Helvetios visitator et nuntius, episcopus vercellensis, CANISIO.

Vercellis 20. Septembris 1581.

Ex apographo eiusdem fere temporis, quod sic inscriptum est: „Patri Canisio." Cod. rom. „693" p. 873—874.

De oblatione a Frobenio facta et eodem ad ecclesiam reducendo.

Reuerende admodum vti frater in Domino charissime. Meminisse debet Paternitas tua negocij illius, quod tua Paternitate adhortante cum D. Ambrosio Frobenio Friburgi, de impressoria in Catholico loco per ipsum erigenda, tractari coeptum est[1]: Atque is quidem qui nunquam amplius ad me rescripsit, proxime elapsis diebus dedit literas, quarum exemplum, vna cum responsione mea, hisce adiunctum eam ob causam mitto, vt Paternitas tua de omnibus instructa possit commodius, prout res tulerit, negocium totum cum ipso Frobenio transigere: Summa haec sit, vt si ipse Catholicam Religionem suscipere vellet, omnia, et quam facillime perfectum iri; alioquin vix spero illum aliquid Romae impetraturum; Nunquam enim illius oblationis[2] certum vllum potui ex Romana Curia responsum obtinere; praeter literas illas Cardinalis Comensis ad ipsum Frobenium datas, quas ad Paternitatem tuam direxi; Quamobrem satis liquido perspexi, Romae non tanti fieri hoc negocium, quanti nos ipsi aestimaueramus. Quod si omnino Paternitas tua vrgendum esse ad Dei honorem, et Catholicae Religionis incrementum iudicauerit, id expedire existimo, vt ipsa ad Jllustrissimum Cardinalem Comensem hac de re literas scribat, postquam meis non admodum commoti sunt, fortasse arbitrantes, me pro Basiliensi homine intercedere, vt eos mendacij arguam, qui me illorum aliorumque protestantium exitio studere criminati fuerant, quanquam si possem equidem eorum perditissimam sectam euertere, id certe sanguine etiam fuso, quam promptissime exequerer: Tuae vero Paternitati me plurimum commendo, quam itidem optime valere semper in Domino cupio, spiritualium omnium gratiarum cumulo magis, ac magis auctam in dies: Datum Vercellis xij.° Cal. Octobris. MDLXXXI.

Canisius Bonhomio respondit 29. Octobris 1581.

Ioannes Christophorus Blarer a Wartensee episcopus basileensis „Brisaccij" (Breisach) 19. Iulii 1581 Bonhomio *scripsit: Ambrosius Frobenius mihi affirmavit, se paratum esse „libros Hebraicos a Sanctae sedis apostolicae censoribus approbatos et eiusdem priuilegio donatos excudere"; neque vero se Basileae id posse praestare. Harum litterarum apographum Bonhomius Romam ad cardinalem Comensem misit (ex eodem apographo, quod est Romae in archivo vaticano, Nunz. di Germ. 103 f. 489). *Idem* Pruntruto 27. Octobris Mediolanum ad S. Carolum Borromaeum *litteras misit,

[1] Vide supra p. 1—2.
[2] Vide supra p. 2—12 et ea, quae sub ipsas has litteras dicentur.

in quibus aiebat: „Ambrosius Frobenius ciuis, et typographus Basiliensis non ignobilis proximis dieb. mihi supplicauit. Quoniam ab aliquot iam annis libros Thalmudicos a Marco Marino Brixiensi Canonico Regulari S. Saluatoris, iuxta mentem S. Concilij Tridentinj dudum expurgatos, correctos, et approbatos magnis impensis excuderit, ac citra contumeliam S. Christianae religionis typis euulgarit suis: quatenus hanc suam operam S. D. N. alijsque Ecclesiae Catholicae proceribus per literas commendarem, quo sua Sanctitas diplomate quodam Apostolico editioni factae et prouidere, et ut in Italia distrahi exemplaria impune liceret, concedere dignaretur. Facturum se, ut et alia quaedam a praedicto Marco Marino repurgata Hebraica, in communem utilitatem e sua officina in dies in lucem prodeant." Rogat cardinalem, ut pontifici id commendet, „futurum sperans dictum Ambrosium hoc Catholicorum procerum beneficio eo magis ad Catholicam Ecclesiam incensum iri" (ex archetypo, Blareri manu subscripto, quod est Mediolani in bibliotheca ambrosiana, Cod. „F. 88 A inf." f. 546).

2111. CANISIUS **CLAUDIO AQUAVIVAE** praeposito generali Societatis Iesu. Friburgo Helvetiorum 20. Septembris 1581.

Hae litterae iam non videntur exstare. De quibus vide epistulae 26. Octobris 1581 ab Aquaviva datae „postscriptum", quo is Canisio respondit.

2112. CANISIUS **GEORGIO DE DIESBACH,** patricio friburgensi. Friburgo Helvetiorum 22. Septembris 1581.

Ex litterarum autographarum „facsimili", quod vocamus, eoque posito in „*Précis* historiques" T. XXVII, Bruxelles 1888, 369—371. Ibidem litterarum versio gallica exstat. Exstat idem „facsimile" et textus germanicus communi modo positus in opere „*Le Chartrier* de la Maison de Diesbach", Gand 1889, 184. Item „facsimile" posuit *Otto Pfülf* S. J., Der selige Petrus Canisius, Einsiedeln-Waldshut-Köln a. Rh. 1897, 41; cf. ibid. 124—125.

Praefatiuncula editoris: Circa a. 1532, cum respublica bernensis iam zwinglianismum amplexa esset, Sebastianus et Ioannes Rochus de Diesbach, nobiles et senatores bernenses, catholicam fidem deserere nolentes, civitate bernensi dimissa, Friburgum transmigrarunt ibique in civitatem recepti sunt. Ioannis Rochi unicus erat filius Georgius ille, cui Canisius scripsit. Is complurium locorum (Grancour, Prangins, Heitenried, Tremblières, Grenollier) dominus erat et auctoritate ducis de Longueville comitatum neoburgensem (Neuenburg, Neuchâtel) regebat. Cui Margareta Werly coniux 6 filios et 6 filias genuit.

Rogat eum, ut praeceptori Caroli filii certas condiciones proponat et ambobus res hieme necessarias suppeditet.

Jesu Christi vnsers liebsteñ herren gnad vnd frid, auch mein gebett gegen Gott dem almechtigen sampt meinem geflissnen willigen dienst allzeit zu uor. Edler, Gestrenger, fursichtiger weiser, sonders gunstiger vnd gnädiger herr. Was den angenommnen newen Caroli Praeceptorem betrifft, kan ich E. G. auß großem vertrawen nit verhalten, das der selbig, meines erachtens, seinem obliggenden officio vnd ampt bis hieher trewlich[a] nachkommet, vnd einem solchen iungen edelman wol anstaht in der lehr vnd gubernation. So ist aber sein ernstlich begheren auß wichtichen vrsachen, das E. G. sich resoluieren vnd schrifftlich antwort geben wolte, ob sie ihn lenger, dann biß auff Osteren in diser gegentwertigen Condition zubehalten gedencke, auch was[b] salarium[c] er zugewarten habe fur seiner arbeit · dweil jhm sonst andere guite con-

a) *In autogr. sequitur* nach *vel simile v., oblitt.* b) *Sequuntur vv.* fur ein, *oblitt.* c) *Sic C. correxit ex* salaria.

diciones angetragen werden, also das er neben dem Tisch XXX gulden järlich haben mögte. Furs ander hielte ichs fast fur rhatsam das E. G. ein außtrucklichen befelch bald schickken wolte, der haußhaltung belangend. Es mangelt ihnen am holtz, decken, dienerin vnd anderer notturfft, vnd wie mich beduncket, müß da bessere ord[n]ung gehalten werden, soll es in folgendem winter wol zugahn. Der Doctor [1] hat biß hieher mit Carolo nichts angefangen, villeich[t] dweil man nichts von ihm darumb ernstlich begheret hat. Jch bitte aber gantz freundlich, E G wolle vnbeschwert sein, ihre intention vnd meynung uber die obgemelten puncten vnd stuckken schrifftlich zu erkleren, domit so wol E. G lieben son, als seinem Praeceptori genüg geschehen, vnd alle sachen besseren fortgang gewinnen mögen. Gott den herren bitte ich von hertzen, er wölle E G in langwirigen wolstandt, vnd in der Catholischen religion bestendig vnd gluckselig erhalten. Datum Friburg den 22 Septembris Anno 1581.

E G.

Dienst vnd guttwilliger
Petrus Canisius Societatis JESV.

Eodem hoc anno, cum Canisius sodalitatem marianam instituisset, Carolus a Diesbach electus est unus ex duobus praefecti „assistentibus" (*Ign. Agricola* S. J., Historia Provinciae Societatis Jesu Germaniae Superioris I, Augustae Vindelicorum 1727, Dec. 5, n. 7). Optimus ille adolescens praematura morte abreptus est.

2113. IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS, apostolicus apud Rudolphum II. imperatorem nuntius, episcopus vercellensis, CANISIO.

Vercellis 26. Septembris 1581.

Ex epistulae a Bonhomio ad Canisium datae apographo eodem fere tempore scripto et „Patri Canisio" inscripto, quod est in Cod. rom. „693" p. 878—879, et ex Bonhomii ad Schnewlinum epistula archetypa, quae est in Cod. friburg. „Epp. ad Schn." f. 54—56. Hanc epistulam ex eodem archetypo edidit etiam *Berthier* [2], Bonh. 88—94.

Bonhomius ad imperatorem mittitur. Indulgentia. Bibliotheca. Canisium Lucernae videre cupit. Nimia tenacitas vitanda.

Reuerende admodum in Christo Pater, atque vti frater charissime. Cum essem iamiam Nouariae, nobis quidem finitimae Ciuitatis, eiusque Dioecesis visitationem obiturus, repentino quodam casu, aut potius turbine in longinquam regionem impellor, quousque in Pannoniam [3] vbi

[1] Petrus Küntzli; v. supra p. 20 [5].

[2] *Berthier* ipse Canisium his verbis depinxit: „Cet homme admirable . . . C'était une âme d'élite, caractérisée par une intelligence perspicace et droite, une volonté énergique et constante, et par une piété profonde et éclairée" (Bonh. p. LXII).

[3] Bonhomius lapsu quodam calami vel memoriae „Pannoniam" pro „Bohemiam" scripsisse videtur. Qui eodem hoc die Schnewlino praeposito scripsit: „Me Summus Pontifex iubet Pragam nunc petere, ibique apud Caesarem residere, et Nuncii Apostolici personam gerere, quod quidem quam molestum mihi hoc tempore acciderit, discere utcumque poteris ex Patre Canisio, cui hac de re scribo fusius aliquanto. Angustia siquidem temporis premor, nec possum plura in hanc sententiam contexere" (*Berthier* l. c. 87).

Apostolici Legati munere Summi Pontificis mandato fungi me oportet; Quid hoc sit, quantumque onus meis humeris imponatur, et quam magno meo, Ecclesiaeque meae incommodo núnc sim discessurus, tamque diu abfuturus, Deus nouit, quem enixe rogo, vt pro sua pietate mei misereatur, diuinaque sua gratia et imbecillitatem meam confirmet, et Ecclesiae meae necessitatibus succurrat; Heluetica sane legatio perdifficilis interdum mihi visa est, sed cum possem quotannis, breuique itinere Vercellas repetere, absentiae meae incommoda vix sentiebam: Nunc autem auelli a Rachelis amplexibus[1] non ad menses, sed ad annos, eosque fortasse multos, qui possim absque summo (si sapiam) animi dolore? Veh mihi, si, vt maxime timeo, ob peccata mea oborta est haec tempestas[2]; Prolixior esse non possum, sed rogo Paternitatem tuam quam maxime possum enixe, vt me praesentem quotidie in suis sacrificijs habeat, pijsque suis precibus assidue iuuet; Jndulgentiam, quam tuo nomine ab illius Sanctitate petieram, impetraui[3]; speroque etiam ad bibliothecam comparandam non defuturam nobis eiusdem largissimam charitatem, vel potius effusam erga omnes, praecipue autem erga Societatem vestram, liberalitatem; Si quid reliquum esse cognoscet Paternitas tua, quod ego deinceps praestare possim, vel longa locorum intercapedine disiunctus, nunquam deero, quoad eius fieri poterit. Collegio isti, ac toti Reipublicae Friburgensi, cuius quidem pietati, ac beneuolentiae plurimum debere me semper profitebor, o si Paternitatem tuam Luceriae qua pertransire omnino constitui, vt valedicam Heluetiae, et Ill. Catholicorum Cantonum Dominos etiam suae Sanctitatis nomine salutem, videre possem, atque amplecti, me prope beatum existimarem; crederemque faustam et foelicem deinde futuram, et profectionem, et legationem hanc meam; neque vero dubito fore, quin tua Paternitas modo hasce in tempore accipiat, id breuis itineris incommodum libenter mei gratia suscipiat; Quantum autem coniectura assequi possum, Luceria non excedam, ante Cal. Nouembris; Vale mi Pater humanissime ac delitiae meae in Domino; Datum Vercellis VI. Cal. Octobris MDLXXXI.

Nescio num Bonhomius huic epistulae addiderit „Postscriptum", quod in codicem rom. „693" relatum non sit. Ita certe ille Mediolano 10. Octobris 1581 Schnewlino praeposito friburgensi scripsit: „De Marsensibus rebus, deque nimia Patrum tenacitate (ut scribis) nonnihil attigi in litteris ad P. Canisium datis, nescio qua oblata in scribendo occasione, ut nulla suspicari is possit ratione, querelarum eiusmodi aliquid me nuper a te, uel ab alio accepisse, speroque id non sine fructu fu-

[1] Cf. Gn 29, 28. [2] Cf. Ion 1, 12.

[3] Vide supra p. 39[1]. Cardinalis *Comensis* 16. Septembris 1581 Bonhomio scripsit: „Con questa occasione farò risposta a le due lettere di V. S. di 29. del passato, et 6. di questo dicendole che S. Santità si è contentata di conceder l' Indulgentia che 'l Padre Canisio ricerca per quelli di Friburgo, et si darà ordine che se ne spedisca il Breue" (ex huius epistulae commentario vel apographo, quod est in archivo vaticano, Nunz. di Germ. 12 f. 81[a]–83[a]).

turum. Verum tua interest, non solum illos re ipsa iuuare, sed etiam illorum culpas, si quae essent interdum, apud omnes enixe excusare; quando optime nosti, eos non sibi marsupia plena, ut pecunias Friburgo asportent, paraturos, sed omnia uestris, totiusque Reipublicae commodis cessura."

In eadem epistula *Bonhomius* Schnewlinum paterne et vehementer admonuit (sicut eum iam antea coram monuerat), „ut a secularium hominum consuetudine, ac praesertim conuiuijs, nisi, ubi id charitas postularet, abstineres; imprimis autem compotationes uitares, quibus sane haud parum te tuamque existimationem loedi, atque imminui perspectum est. . . . Quod si Patris Canisij operam atque auxilium adhibere ad hanc tui morbi spiritalem curationem tibi esset in animo, hasce ei litteras, ut ostendas, permitto, illiusque arbitrio te, meque ipsum hac in consultatione subijcio". Plura vide apud *Berthier* l. c.

Canisius Bonhomio respondit 29. Octobris 1581.

2114. CLAUDIUS AQUAVIVA praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 26. Octobris 1581.

Ex commentario, sic inscripto: „Friburgi P. Petro Canisio." G. Sup. 1 f. 62[a].

Manarei visitatoris opera salutaris. Scholarum praeparatio. Aedificiorum „ideae". Sodalitas. Difficultates marsenses. Nepotes.

Ex litteris Reuerentiae V. datis 29 Jul. quod mihi iucundum intellectu[a] fuit cognoui quam grata istic, et utilis fuerit P. Oliuerij[1] opera, quamque multa, et quam commoda effecerit pro Collegio instituendo, et Dominj honore propagando. Atque illud etiam libenter intellexi, quod pluribus Reuerentia V. commemorabat, qui fructus ex nostrorum laboribus ex isto Dominj agro sperari debeant, et quantum contra detrimentum[b] factum[c] [?] esset catholicae[c] [?] religioni[c] [?] si non ad eam cum Dominj gratia fulciendam eiusdem Dominj benignitas famulos suos aduocasset. Jtaque quoniam illius opus fuit, confidere[d] debemus illius etiam[e] [?] uobis affuturum auxilium, et quamquam onus est, tamen quia ab ipso imponitur leuius fore ad ferendum, ipso[f] uobis et operarios, et cetera necessaria suppeditante[g]. Et tamen prudenter[h], atque omnino ex sententia nostra factum est a P. Oliuerio ut nonnisi post biennium scholas permitteret, quo spatium haberemus ad nos commodius praeparandos. Jnterea Reuerentia V. quasi praecursor uiam alijs qui postea aduenient, muniet et cum diuino auxilio[i] talem[k] Societatis nostrae praegustationem omnibus[l] dabit ut alios[m] et[n] auide expectent, et libenter accipiant. Quod autem attinet ad scholarum et templi aedificationem, expectabimus idaeam quam Reuerentia V. pollicetur, nam domus [idaeam][o] iam ad nos miserat P. Oliuerius[2], et

a) *Sic in comm. correctum est ex* mihi gratissimum. b) *Sequitur* passa, *oblitt.* c) *Aut sic, aut* passa esset catholica religio *corrigendum est ex* factum esset catholica religio, *quod est in comm.* d) *Correctum ex* sperare. e) *Aut* esse; *v. hoc supra versum scriptum est.* f) *Corr. ex* ipsumque. g) *Corr. ex* suppeditaturum. h) *Sequitur* factum, *oblitt.* i) *Corr. ex* praecursor ea semina seret quorum postea fructus non sine suo labore capturi sint Dei [?] gratia [?] qui postea aduenient. k) *Corr. ex* talemque. l) *Verbum supra versum scriptum.* m) *Corr. ex* aliquos. n) *Sequitur* libente, *oblitt.* o) *Hoc v. supplendum esse res ipsa ostendit.*

[1] Manarei visitatoris. [2] Cf. infra, monum. 1294 1295.

paulo ante ad eum remissa est[a], etsi enim ut Reuerentia V. scribit non multa in ea immutanda fuerunt[b], iuuit[c] tamen eam ipsam quaecunque esset[d] uidere. De ijs uero quae P. Visitator istic seruanda statuit, quoniam adhuc quidem ea considerare non licuit, fiet quam primum, et remittentur istuc[1]. Et quoniam aliud nihil occurrit quod scribam, restat ut me Reuerentiae V. precibus et sanctis sacrificijs commendem, eique[e] ego uicissim et socijs eius omnem gratiae plenitudinem exoptem. 26 octob. 1581.

Cum haec a nobis essent scripta redditae sunt aliae Reuerentiae V. litterae 27 Aug. et 20 Sept. datae simulque cum ijs instrumentum fundationis Friburgensis · Gauisus autem sum de templo proprio quod iam habent[2], deque congregatione inchoata[3], et reliquo fructu quem narrabat. Placuit etiam quod incumbi scribebat ad[f] uetera monasterij[4] debita dissoluenda, molestias autem illorum fratrum superstitum scio Reuerentiam V. partim[g] patientia, partim[g] etiam industria sua[h] facile superaturam. De P. Oliuerio cuius[i] Reuerentia V.[k] mansionem prorogari postulat uidebimus suo tempore · adhuc enim[l] ratio ipsa uisitationis non[m] parum eum istic detentura est. De nepotibus Reuerentiae V. agemus diligentissime cum Jllustrissimo Comensi, et statim quid sit impetratum Reuerentiae V. significabimus[5].

Canisius Bonhomio respondisse videtur circa initium a. 1582.

2115. CANISIUS **IOANNI FRANCISCO BONHOMIO** nuntio apostolico. Friburgo Helvetiorum 29. Octobris 1581.

Hae litterae iam non exstant. De quibus vide Bonhomii epistulam 8. Decembris 1581 datam, per quam is Canisio respondit.

2116. **IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS**, apostolicus apud Rudolphum II. imperatorem nuntius, episcopus vercellensis, CANISIO.

Constantia 1. Novembris 1581.

Ex commentario, quod ab Io. Ant. Caresana Bonhomii secretario scriptum et „Patri Canisio" inscriptum exstat in Codice vercellensi „Mons." f. non sign. Litteras ex eiusdem commentarii apographo recenti[n] edidit etiam *J.-J. Berthier* O. Pr. in „Revue de la Suisse catholique" XXV, Fribourg 1894, 304—305, et in „Lettres de Jean-

a) *Corr. ex* pollicetur cum qua nihil nocebit si etiam mittatur ipsius domus descriptio. Nam. b) *Corr. ex* nihil in ea immutandum sit: c) *Corr. ex* iuuabit. d) *Sequitur* in, *oblitt.* e) *Corr. ex* eiusque. f) *Sequitur* debita, *oblitt.* g) *Corr. ex* qua. h) *Verbum supra versum scriptum.* i) *Corr. ex* quem. k) *Sequitur:* petit ad du, *oblitt.* l) *Sequuntur vv.* nulla res cogit ut tam cito discedat, *oblitt.* m) *Sequitur* breuiter *vel simile v., oblitt.* n) *Apographa vercellensia, quibus Berthier in edendis compluribus epistulis Bonhomii usus est, cum ipsis epistularum commentariis, ex quibus exscripta sunt, haud semper plene congruunt; neque id mirum est; commentaria enim illa festinantius et obscurius scripta sunt, et multa in iis deleta, correcta, addita sunt. Hoc semel dixisse sat fuerit.*

[1] Vide supra. p. 29—36.

[2] Fortasse Socii hoc tempore iam habebant sacellum quoddam domesticum: templum proprium certe non habebant. Aquavivae animo fortasse obversabatur ecclesia illa B. Mariae Virginis, quam Gregorius XIII. in litteris fundationis 25. Februarii 1580 datis Societati attribuerat: neque tamen haec fundationis pars ad effectum deducta est (v. supra p. 20).

[3] Congregationem marianam dicit; de qua v. infra, monum. 1302 1303.

[4] Marsens. [5] Vide supra p. 41.

François Bonomio". Fribourg 1894, 194—195; cf. „Lettres" etc. p. XI—XIII. Commentarium inscriptum est: „Patri Canisio."

Sociis per Balduinum oeconomum operam suam offert precesque petit.

Reuerende admodum uti frater in Domino Charissime. Pater Antonius[1] istius Collegij Oeconomus destinatus, quem hic in Petrusiano Coenobio[2] reperi, me ad scribendum adigit quanquam equidem sim tot itineris occupationibus distentus, ut uix mihi ad has litteras exarandas ocium supersit: Quam etiam ob causam breuior erit haec praeter solitum Epistola: Nam etsi aliqua mihi essent ad tuam Paternitatem fortasse perscribenda, tamen idem ipse Pater Antonius, quocum multa coram pertractaui, poterit quaecunque P. T. libuerit, commode referre. Deus optimus uobis prospera omnia ad illius gloriam, et salutem animarum euenire concedat, mihi uero facultatem, atque occasionem, qua res uestras iuuare, ac promouere queam, uobisque solitae meae erga uos beneuolentiae, magnaque [?] [a] uoluntatis argumenta exhibere. Rogo interea Paternitatem tuam, sociosque omnes, ut mutua me charitate perpetuo prosequantur, gerentemque in humeris adeo infirmis prope totius Germaniae pondus assiduis precibus iuuent. Vale in Domino. Constantiae Cal. Nouembris. MDLXXXI.

Una cum his litteris *Bonhomius* Friburgum misit epistulam eodem die ad Petrum Schnewly praepositum datam, qua ei „amicissimum" sibi „patrem Antonium ex Jesu societate, qui istuc a patre Oliuerio [Manareo visitatore] mittitur, ut Oeconomum Collegij Friburgici agat", quam maxime commendabat: „hominem agnoscere mihi uisus sum, non minori prudentia, ac rerum gerendarum usu, quam pietate, et consilio praestantem" (ex archetypo a Bonhomio ipso subscripto: Cod. friburg. „Epp. ad Schn." f. 57ª; etiam apud *Berthier*, Bonh. 95). Ex litteris autem Aquavivae praepositi generalis 18. Ianuarii 1582 ad Canisium datis cognoscitur, ei missum esse P. Antonium Balduinum (de quo v. *Can.* VI 82⁵; VII 587). Is cum a. 1576 in universitate ingolstadiensi philosophiam tradidisset, inde in dilinganam ad casus conscientiae explicandos missus erat; ubi etiam a. 1577 praefectus studiorum fuit (*Io. Nep. Mederer*, Annales Ingolstadiensis Academiae II, Ingolstadii 1782, 29; *Specht*, Univ. Dill. 281). Ceterum cf. infra, monum. 1294.

2117. CANISIUS **CLAUDIO AQUAVIVAE** praeposito generali Societatis Iesu. Friburgo Helvetiorum 14. Novembris 1581.

Ex commentariis epistularum Aquavivae, Aquit. 1 f. 100ª et G. Sup. 1 f. 65ᵇ.

Aquaviva Roma 4. Februarii 1582 Lugdunum ad P. Edmundum Augerium S. J. epistulam misit, in qua ait: „Pluseulas per hos dies accepimus Reuerentiae V. literas, ad quas responsum distulimus, quod nullam rem grauioris momenti continerent · accepimus etiam eas P. Canisij literas quas istinc Reuerentia V. ad nos misit, idque ipsi P. Canisio significatum est ut Reuerentia V. postularat." Canisio autem Aquaviva Roma 18. Ianuarii 1582 scripserat: „P. Edmundus Augerius misit ad

a) *Sic; corrigendumne:* magnae?

[1] Balduinus S. J. De hoc plura sub ipsas has litteras dicentur.

[2] Petershausen, abbatia ordinis benedictini, in ipsa urbe constantiensi sita, initio saeculi XIX. suppressa.

nos ex Aquitania Reuerentiae V. litteras quas scripserat 11 Nouemb." Quae cum iam non exstent, vide Aquavivae epistulam, quam modo dixi; hac enim Aquaviva Canisio respondit.

2118. CANISIUS **P. FRANCISCO A ROCCA S. J.**, Romae degenti.
Friburgo Helvetiorum 24. Novembris 1581.

Ex apographo saeculo, ut videtur, XVII. vel XVIII. scripto et sic inscripto: „Exemplar Literarum manu ipsius R. P. Petri Canisij ad R. P. Franciscum de Rocca exaratarum Friburgi Heluet. 24 Nou. 1581." Cod. monac. „Lat. 1606" f. 153.

Labores sacri. Collegium Helvetiis utilissimum. Socii mortui. Tempestas romana. Collegia germanicum et romanum. Manareus visitator. Aedes lauretana.

†

Pax Christi nobis aeterna Chariss. frater.

Non possum committere, quin ad P. Franciscum mihi semper dilectissimum scribam, eumque ueteris nostrae necessitudinis admoneam [1]. Confido prorsus, eum Canisij sui non obliuisci, praesertim in Sacrificio, et quum sacra in vrbe [2] loca religionis ergo inuisere solet. Gratum feceris, si aliquando scribes Friburgum, ubi nunc amplae messis cogor esse operarius, et quasi praecursor ad Collegium instituendum. Nec procul a Gallia distat hic locus, uicinior autem Geneuensibus, qui suum virus in hanc viciniam longe lateque profuderunt, ita ut imminentes lupos hoc nostrum ouile habeat circumquaque. Nec dubium, quin ex hac uelut arce Catholici Heluetiam uehementer armare, atque contra immanes hostes defendere commodissime possint, rebus quidem Collegij probe constitutis. Bonum P. Lanoium et P. Joannem Cuuillonium a Domino uocatos, Romaeque sepultos esse audio [3]. Vtinam et nos ut illi, uocationem nostram feliciter absoluamus, ac uere matureque in Domino moriamur [4]. Oramus Dominum, ut excitata Romae tempestas in maius Collegij commodum exeat, ac sancta Pont. Max. desideria compleantur, neque Satan bonos conatus impedire permittatur [5].

[1] P. Franciscus a Rocca italus ab a. 1562 usque ad a. 1569 vel 1570 in Germania superiore versatus erat. De quo vide plura *Can.* VI 357 360 724 730.

[2] Urbem Romam dicit.

[3] P. Nicolaus Lanoius (Delanoy, Lanoy), de quo plurima in huius operis voluminibus superioribus dicta sunt, Romae, ubi unus ex poenitentiariis basilicae S. Petri fuerat, in domo professa Societatis 6. Septembris 1581 mortuus erat. P. Ioannes autem Cuvillonius (Covillonius, Couvillon), qui et ipse in voluminibus I—V saepissime commemoratus est, in collegio romano 17. Augusti 1581 diem supremum obiit (*Sacchinus*, Hist. S. J. V¹, l. 1, n. 56).

[4] Apc 14, 13.

[5] Cum Gregorius XIII. Sociis magnam pecuniam dedisset, qua vicinas aliquot domos emerent et aedificando collegium romanum amplificarent, aliquantum querelarum fuit et ab iis, qui se avitis sedibus pelli dolebant, et ab iis, qui viis duabus inaedificatis urbem deformari iactabant. Quare ex consilii publici sententia ad pontificem delata est expostulatio. Is vero respondit, urbem ornatum iri tum magnifico aedificio, quod moliretur, tum nobili academia, quae omnibus nationibus communis esset futura. Pecunia quoque delinitus est migrantium dolor (*Sacchinus* l. c. l. 1, n. 52).

Germanici Collegij statum florere cupio, ex quo utinam in Germanicam messem complures boni et idonei operarij extrudantur[1].

Augebitur spero et numerus nostrorum in Romano Collegio, quod Pontificia liberalitas ita prouexit, ut merito gratias agamus et Christo et eius Vicario[2]. Commendes me quaeso RR. PP. Assistentibus et Rectori Germanici Collegii[3], alijsque notis mihi Patribus Romae, ut pro me Dominum orare dignentur. Vtinam R. P. Oliuerium[4] in hac prouincia diu retineamus, qui Collegia nostra in optimum statum redigat, ut iuxta germanum Societatis nostrae spiritum domi forisque uersemur. Marianum opus breui fortasse recudetur · P. Turrianus[5] mihi promiserat quaedam ad aedem Lauretanam pertinentia mittere · Vide ut procuratorem apud illum agas meo nomine, quem reuerenter ex me cupio salutari. Friburgi 24. Nouemb. 1581. Dominus Jesus in utroque nos homine tueatur, ut et ipsi et proximo rite seruiamus, nostramque vocationem in hoc exilio rite perficiamus.

2119. IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS, apostolicus apud Rudolphum II. imperatorem nuntius, episcopus vercellensis, CANISIO.

Vindobona 8. Decembris 1581.

Ex commentario, quod Io. Ant. Caresana Bonhomii secretarius scripsit et Bonhomius ipse correxit: qui idem sic inscripsit: „Viennae VI° Id. Decembris 1582 · 39 Patri Canisio." Exstat in Cod. vercell. „Mons." f. non sign. Litteras ex huius commentarii recenti apographo edidit *Berthier* in „Revue de la Suisse catholique" l. c. 305 307 et in „Lettres de J.-Fr. Bonhomio" 195 197.

Rumores de Carolo Borromaeo in Helvetiam legando. Iniuria bernensis. Bibliotheca. Litteras caesareas de episcopatu lausannensi restituendo a Bonhomio in Helvetiam missas cantones catholici silentio transeundas esse censuerunt.

Reuerende admodum uti frater in Domino Charissime. Heri uesperj[a] ad me peruenerunt Paternitatis Tuae litterae iiij° Cal. Nouembris proxime praeteriti Friburgo datae: eaeque ipsae Pragam (ubi adhuc moratur sacra Caesarea Maiestas, breui tamen Viennam uentura), prius perlatae fuerunt, quod sane subticendum non[b] putaui, ut intelligat P. tua posse XX dierum spacio Friburgo Viennam litteras peruenire, quamobrem longo locorum interuallo minime deterreri debet, quin ad me, ut iam postulaui, singulis mensibus de Collegij istius, totiusque spiritalis aedificij rebus diligenter perscribat: Quod Luceriam, ut ego ualde cupieram, non ueneritis, optima sane uos uti excusatione satis perspectum habeo.

a) *Sic Bonh. correxit ex* uespere. b) *Sequitur* esse, *oblitt.*

[1] Cf. Mt 9, 38; Lc 10, 2.

[2] Gregorius collegio romano, quod fundatione, quam dicimus, carebat, praeter pecuniam aedibus exstruendis destinatam reditum annuum 6000 aureorum nummum attribuit (*Sacchinus* l. c. n. 51).

[3] Claudii Aquavivae praepositi generalis „assistentes" erant praeter Hoffaeum (v. supra p. 8) P. Laurentius Magius pro Italia, Garzia Alarconius pro Hispania, Emmanuel Rodericius pro Lusitania. Collegii autem germanici rectorem iam inde ab a. 1573 agebat P. Michael Lauretanus. [4] Manareum.

[5] De P. Francisco Turriano (Torres) v. *Can.* II 297[2]; VII 592[2].

neque ideo opus fuerat plura in hanc sententiam contexere[1]. Tantum uereor, dignum me non fuisse, qui uestris colloquijs paulum recrearer.

Rumorem quem istic sparsum scribit P. T. omnino esse inanem existimo, de Illustrissimi Cardinalis Sanctae Praxedis[2] in Heluetiam aduentu. Quid enim[a] Sanctissimus Dominus[3] Legatum, amplissimum ac sanctissimum uirum, praecipuum Cardinalium[b] decus, et ornamentum, illuc mittat? unde paulo ante Nuncium reuocauit suum[4]? tum quod modica subesse uideretur spes spiritualis fructus, tum quod indigne adeo, atque inhumaniter is ab Hereticis tractatus esset[5]? Catholicis etiam ipsis ferme in publico conuentu barbaras contumelias confirmantibus?[6] quas sane ob causas subuereor etiam, ne fortasse Sua Sanctitas manum suam benignissimam, in Collegij uestri subsidio[7] contrahat, quanquam hac de re nullum adhuc posteriorum litterarum mearum habeo responsum; cupioque ex intimo pectore suspicionem hanc meam in auras abire, quasi omnino uacuam, atque inanem.

Quod ad Ecclesiae Lausanensis restitutionem attinet (nam de Geneuensi recuperanda, et Sedunensi in fide retinenda[c] aliae essent profecto, ac longe diuersae rationes ineundae)[8] piget fere scribere, quando tot labores et incommoda (ut de sumptibus taceam) frustra uideo me sustinuisse; Dicam tamen, me in proxime praeteritis Thermipolitanis Com-

a) *Bonh. correxit* enim *ex* sic *vel simili v.* b) *Sic Bonh. correxit ex* Cardinalem. c) *Sic Bonh. correxit ex* restituenda.

[1] Bonhomius optaverat, ut Petrus Schnewly praepositus et Canisius se Lucernae, per quam urbem in itinere germanico transiturus erat, convenirent. At id quod ex eius epistula 8. Decembris 1581 ad Schnewlinum data intellegitur litterae, quibus eos de itineris ratione et transitus illius tempore certiores faciebat, sero iis allatae sunt; v. supra p. 47 et *Berthier,* Bonh. 96.

[2] S. Caroli Borromaei archiepiscopi mediolanensis.

[3] Gregorius XIII. [4] Ipsum Bonhomium.

[5] De contumeliis, quibus Bonhomius m. Decembri 1580 Bernae affectus est, v. *Can.* VII 853—858 et *Steffens-Reinhardt* II 555—558.

[6] Severius haec dicta sunt de ratione, quam cantones catholici in badensi illo confoederatorum helvetiorum conventu ineundam esse censuerunt; v. supra p. 10[1].

[7] Subsidium ad bibliothecam parandam Canisius petierat; v. supra p. 42 47.

[8] Episcopi genevenses (Genève, Genf) principes imperii romani erant; quae tamen potestas in gratiam principum Sabaudiae valde circumcisa erat. Anno vero 1532 cives genevenses in protestantismum delapsi episcopum Bernensium ope sede pulerunt; in urbem deinde dominatus est Calvinus. Vicinae quoque regiones ad religionem catholicam deserendam coactae sunt; hae tamen ex pactione Lausannae a. 1564 facta ducibus Sabaudiae, qui probe catholici erant, traditae sunt. Eodem tempore protestantes in Valesiam (Valais, Wallis), ubi episcopi sedunenses (Sion, Sitten) etiam civilem aliquam potestatem habebant, invadere studebant. Lausannenses (Lausanne) quoque episcopi erant principes imperii; quorum imperio et urbs lausannensis cum locis propinquis et alia oppida pagique subiecta erant. At a. 1536, cum episcopus ducem Sabaudiae cum Bernensibus bellum gerentem adiuvaret, Bernenses eo nomine terras illius occuparunt, ecclesiae cathedralis thesaurum Bernam asportaverunt, eius capitulum dissolverunt, eidem ecclesiae aliisque templis sacra zwingliana obtruserunt, episcopum exsulare coegerunt. Cf. *A. Büchi,* Die katholische Kirche in der Schweiz, München 1902, 57—58.

itijs misisse Auditorem meum[1] cum litteris Sacrae Caesareae Maiestatis[2] ad uniuersos Heluetiorum Cantones (quas certe qua sollicitudine, aut importunitate potius extorserim, Deus nouit) facultateque etiam[a] mea fruentem[a] [?] pontificia, qui[b] consilio prius[c] cum Catholicis legatis[d] communicato, Summi Pontificis et Jmperatoris nomine, peteret Ecclesiam Lausanensem Episcopo restitui, et iustitiam super ea re ministrari; quando Ecclesia illa, Ciuitasque et illius bona in Heluetico foedere nequaquam sunt comprehensa; Omnes uero Catholici in eam concordibus uotis uenerunt sententiam, ut ne uerbum quidem ea de causa fieret, itaque ille[e] re infecta cum Jmperatorijs litteris, quas adhuc apud me retineo, Vercellas redijt: An illius Sanctitas, quae officia omnia hactenus se frustra in hac re praestitisse animaduertit, rursus ad idem negocium manum admotura sit, iudicare non ausim; Quod si certius quidpiam ad me scripserit P. T.[f] iterum negocium promouebo, pro mea illa, qua semper fui[g] in Heluetia iuuanda, propensione; Sed, ut uere fatear, uehementer timeo, ne peccata istius prouinciae nimium excreuerint, ut iam facile non sit eius rebus cadentibus opem ferre; Deus omnipotens pro sua immensa pietate, oportune succurrat isti regioni atque adeo uniuersae Germaniae, tam foede corruptae, et contaminatae; Mihi uero lumen, ac uires necessarias[h] subministret[i], quibus possim in tam periculosa, ac tenebricosa tempestate, tam uaria, tamque difficilia negocia recte discernere, atque ad optatum finem contra uentorum aduersantium rabiem perducere, quam sane opem si ab ullius[k] pii, ac religiosi uiri precibus mihi impetrari posse sperandum est, P. T. ferme una illa praecipua est, a qua coeleste hoc auxilium[l] mihi afferri posse confidam; Valeat in Domino, meique uiuat perpetuo memor; ut ego equidem uicissim omnibus officijs, quaecunque a me proficisci poterunt, res uestras adiuturum me perpetuo recipio, ac polliceor: Viennae Austriae VI. Idus Decembris MDLXXXI.

Canisius Bonhomio respondisse videtur m. Ianuario vel Februario 1582; vide infra, ep. 2126.

2120. CANISIUS **FRANCISCO BONHOMIO**, apostolico apud imperatorem nuntio, episcopo vercellensi.

Friburgo Helvetiorum 13. Decembris 1581.

Ex commentario litterarum a Bonhomio ad Canisium datarum, de quo infra, ep. 2128, et ex Bonhomii ad cardinalem Comensem epistula archetypa, quae est in archivo vaticano, Nunz. di Germ. 104, p. 65—71.

Schneclinum praepositum impediendum esse, ne officio vicarii generalis se abdicet. Friburgenses de episcopatu lausannensi restituendo.

a) *Hoc v. a Bonh. supra versum scriptum est.* b) *Sic Bonh. correxit ex* ut *vel simili v.* c) *Hoc v. a Bonh. additum est.* d) *Hoc v. Bonh. addidit.* e) *Hoc v. supra versum scriptum est.* f) *Haec 2 vv. a Bonh. addita sunt.* g) *Sic Bonh. corr. ex* qua sum. h) *A Bonh. correctum ex* oportunas. i) *Hoc v. a Bonh. in margine additum est.* k) *Tria vv. sqq. a Bonh. addita sunt.* l) *A Bonh. correctum ex* coelestem hanc opem.

[1] Nescio, num is fuerit Marcus Antonius Bellino, canonicus mediolanensis. Hic certe in legatione, qua Bonhomius a. 1579 fungebatur, id officium administravit *Steffens-Reinhardt* l. c. II x 585[2]. [2] Rudolphi II.

Bonhomius Posonio (Pozsony, Pressburg, Hungariae urbs) 9. Februarii 1582 Canisio scripsit: „P. tuae litteras XIII Decembris die ad me perscriptas accepi.“ De iisdem litteris Bonhomius Posonio 13. Februarii 1582 cardinali Comensi scripsit: „Il Padre Canisio m' auisa di Friburgo di due particolari, et desidera che se li proueda quanto prima, l' uno è, che il Preuosto di quella Collegiata[1]*, che è in somma il piu idoneo sacerdote che sia in quelle parti per far questo ufficio, non uuol piu essere Vicario Generale, come è stato sin hora, et però mi chiedeua, che se gli comandasse con authorità Apostolica, che seguisse di fare questo ufficio, com' hà fatto sin al presente; ond' io subito gli hò scritto, comandandogli espressamente, che proseguisse di farlo.“ Addit Bonhomius, fortasse potestate sua sacra regionem illam iam non comprehendi (munere apostolici apud Helvetios nuntii iam fere levatus erat); ideo expedire, ut pontifex ipse per litteras idem Schnewlino mandet et facultates apostolicas, si opus sit, denuo ei tribuat. „L' altro particolare è che quei signori di Friburgo d' alcuni giorni in qua tengono prattiche piu strette del solito con i Bernesi; et si dubita, che non siano per fare un qualche accordio, o, per dir meglio impiastro diabolico sopra il Vescovato di Losana*[2]*, però ricorda, che saria bene, S. Beatitudine scriuesse à quei signori con dolersi della prattica sudetta, et si potria aggiungere, che haueria piu tosto sperato il contrario, dopo la riforma introdutta, et fondato il Collegio de Padri Gesuiti, et con essortargli, che uogliano hormai pensare alla recuperatione di quella Chiesa di Losana, tanto ingiustamente occupata da quei di Berna, quanto essi molto ben sanno.“ Plura de his Canisii litteris, quae perisse videntur, vide in epistula 9. Februarii 1582 ad Canisium data; per hanc enim Bonhomius ei respondit.*

2121. CANISIUS **SOCIETATIS HOMINI** alicui, Romae degenti (P. Francisco a Rocca?). Friburgo Helvetiorum a. 1581.

Ex cod. „Vitae 123“, Canisiana, f. non sign. Eadem fere sunt apud *Franc. Sacchinum* S. J., De Vita et Rebus gestis P. Petri Canisii, Ingolstadii 1616, 339.

P. Franciscus Sacchinus S. J., cum Canisii vitam pararet, haec sua manu exscripsit ex litteris quibusdam Canisii; significans eas „ex anno 1581“ esse: Ceterum de Germanicis rebus nihil scribam, quia tota fere prouincia semotus[a] et in hunc extremum quasi angulum retrusus uideor, sed non sine praesenti consolatione, quam sancta nobis obedientia merito praebet. —

Litteras hasce „Friburgo“ datas esse *Sacchinus* in Canisii Vita (l. c.) affirmat. Datae sunt fortasse ad P. Franciscum a Rocca, de quo supra p. 51.

a) quia de tota Prouincia semotus: *Sacchinus, De Vita etc.*

[1] Petrus Schnewly, ecclesiae collegialis S. Nicolai praepositus et episcopi lausannensis vicarius generalis. [2] Vide supra p. 53.

2122. CANISIUS **EVERARDO MERCURIANO** vel **CLAUDIO AQUAVIVAE** praepositis generalibus Societatis Iesu.

Inter a. 1573 et 1597.

Ex autographo, sic inscripto: „Notata quaedam ex Constitution." Can. 27 f. 158[b].

Petit, ut novus aliquis „Magister Sententiarum" in lucem emittatur.

— — Parte 4. c. 14 in declarat. dicitur. Praelegetur etiam Magister sententiarum. Sed si uideretur temporis discursu alius author studentibus utilior futurus, ut si aliqua summa Theologiae uel liber conficeretur, qui his nostris temporibus accommodatior uideretur, graui cum consilio et rebus diligenter expensis per viros, qui in uniuersa societate aptissimi existimentur, cumque Praepositi Generalis approbatione praelegi poterit[1], etc. Constat autem, dictum Magistrum sententiarum, qui hactenus in scholis Theologicis obtinet, nec Petro Soto[2], nec alijs qui nostri temporis controuersias cum laude tractant[a], ac uigentes haereses refutant, satisfacere, longeque alium[b] de sacramentis et sacramentalibus ordinem ac methodum nunc[c] in docendo requiri, sed et post synodum Tridentinam editam plaeraque Catholicae doctrinae de iustificatione et sacramentis capita non parum illustrata esse, ac demum in eodem Magistro sententiarum plurima non attingi[d] quae[e] aduersus anabaptistas[f], sacramentarios et alios sectarios in fide potissimum confirmanda atque defendenda sunt. Quare maiorem in modum oro, ut ex nostrae societatis Theologis, quos multos diuina bonitas nobis excitauit, pauci saltem a P. T. deputentur, qui[g] id quod sanctae mem. P. N. Jgnacius non obscure significauit fore, suas operas ad nouum Magistrum sententiarum ob[h] [?] utilitatem tum societatis, tum Ecclesiae publicam[i] conscribendum[k] et publicandum[l] serio[m] conferant. Sic enim habent[n] P. N. uerba. — —

Haec post concilium tridentinum alicui ex Societatis praepositis generalibus scripta esse ostendunt ipsa Canisii verba. Scripta igitur sunt inter a. 1564 et a. 1597, quo Canisius mortuus est. Puto autem eum scripsisse aut Everardo Mercuriano (1573—1580) aut Claudio Aquavivae (1581—1615). Sub his enim maxime inter Societatis sodales, quam rationem in docendo sequi deberent, actum est: cf. *G. M. Pachtler* S. J., Ratio Studiorum Societatis Iesu II, Berlin 1887, 6—9. Accedit, quod reliqua, quae in codice illo scripta sunt, fere annis 1566—1589 scripta sunt.

a) *Sequitur* satisfacere, *oblitt.* b) *Sequuntur vv.* in docendo et concionando, *oblitt.* c) *Sic Can. correxit ex* atq *vel alio v.* d) *Sic Can. correxit ex* plura praetermitti quae. e) *Sic Can. correxit ex* nunc *vel alio v.* f) *Hoc v. a C. in margine additum est.* g) *Sic C. correxit ex* pauci suas operas huc conferre iubeantur. h) *Hoc v. obscurius scriptum est; primum C. scripserat* ad. i) *Sequitur* eden, *oblitt.* k) *Sequitur* suscipere, *oblitt.* l) *Can. primum sic scripserat:* fore de nouo Magistro sententiarum ad utilitatem Ecclesiae publicam conscribendo et publicando. m) *Sequitur* se; *quod et ipsum a C. oblitterandum fuisse patet.* n) *Sequitur* uerba, *oblitt.*

[1] *S. Ignatius* haec constituit in declaratione B, quam capiti XIV. Partis IV. Constitutionum Societatis addidit. Ubi tamen dicitur: „temporis decursu" et „aliqua summa vel liber Theologiae scholasticae". In ipso autem capite illo Ignatius praeceperat: „In Theologia legetur vetus et novum Testamentum, et doctrina scholastica divi Thomae; et in ea, quam positivam vocant, eligentur ii auctores, qui ad scopum nostrum magis convenire videbuntur." De Petro Lombardo († circa a. 1160), auctore operis „Sententiarum libri quattuor", cf. *Can.* IV 322.

[2] De Petro de Soto († 1563), ordinis dominicani ornamento, qui in universitate dilingana docuerat, v. *Can.* I 39[6]; III 282; IV 218[3].

2123. CANISIUS **P. OLIVERIO MANAREO S. J.** visitatori.

Friburgo Helvetiorum circa initium m. Ianuarii 1582.

Ex Manarei autographo. Germ. 159 f. 300[b].

Aedium exstructio. P. Balduini catecheses et lectiones.

Manareus Augusta Vindelicorum 17. Februarii 1582 Claudio Aquavivae praeposito generali scripsit: „*P. Canisius mihi scribit P. V. jussisse ne quicquam fabricetur antequam ipsa de aedificijs excitandis statuerit*[1], *quod non satis assequor intellectu, quoniam a V R P. designationem et typum aedificiorum omnium accepimus, atque ad eam rationem nobis illic fabricandum ut par est statuimus, proinde cupimus voluntatem v r p melius intelligere. Quod si de Scholis quaestio esset putarem id et patronis*[2] *et nostris esse concedendum, ut sequantur typum et formam ad quam habent in hac prouintia suas scholas pulcherrime iuxta ac commodissime aedificatas, cum praesertim neque locus adhuc omnino sit paratus a Dominis, et ipsi omnes impensas sint facturi, ne dicam quod cum vrbs tota sit in vallibus et montibus praecipitibus collocata, et perparum habeat planiciei, noster autem mons in quo habitabimus*[3] *exteris*[a] *[?] dominetur, et pueris ad superiorem partem hyeme sit futurus accessus ualde periculosus propter glaciem, uidebatur etiam id concedendum ut in qua parte vrbis malint et ad montis radicem illas extruant, cum ab eis ad nostras aedes debeant gradus cum corritorio tecto ducere ad praeceptorum commoditatem, ut alibi facient qua parte ad Collegium et templum venietur. Ex eo colliget V R P praecipitia oppidi quod plateae etsi sint latae et pulcherrimae, non potuerint tamen ita accommodari, ut non habeant in singulis domibus exterius hastas longas parietibus affixas ut*[b] *ijs innitentes facilius ascendant et descendant per easdem plateas Ciues, ut habemus in domesticis gradibus uel funes uel ferrum aut hastas similes. Vt autem nostri nihil mutent de delineatione a v r p transmissa serio per litteras mandaui, et per instructionem p. Antonio*[4] *datam et alteram p. Rectori Lucernensi*[5], *quem eo non ita pridem misi ad res illius Collegij de nouo recognoscendas et melius constituendas ut ex ipsis instructionibus v r p intelliget. Fuit enim bonus P. Canisius liberandus ab oeconomia, quam sic administrabat ut omnes perturbaret, et sua perderet, nam ut totus abstractus est, ita etiamsi maxime velit, non potest ad res externas incumbere, et ut faciat, non potest eas intelligere, multo minus certe ordinare. Mirum tamen est plurimum, bonum patrem hac aetate, etiam earum tractatione recreari, arbitrarique reliquos prae se eas non intelligere, ut mihi quos habet patres*[6] *scribunt. . . P. Martinus Lembenstein*[c] *primo Januarij Fri-*

a) *Hoc v. obscurius scriptum est.* b) *Tria vv. sqq. in margine addita sunt.* c) *Sic; scribendum fuit:* Leubenstain.

[1] Cf. supra p. 48. [2] Senatui reipublicae friburgensis.
[3] Belsex sive Bisée; v. infra, monum. 1289.
[4] Balduino, missionis friburgensis oeconomo: v. supra p. 50.
[5] Martino Leubenstain.
[6] Robertus Ardrenus et Antonius Balduinus.

burgum mihi a p. Ministro[1] *scribitur profectus · spero eius operam et prudentiam fore ei Missioni ualde frugiferam, ut autem v r p quid agant melius perspiciat mitto literas p. Antonij his alligatas, p. Canisius confirmat magnum esse concursum ad Catechismum et lectiones*[2] *p. Antonij.*"

2124. P. OLIVERIUS MANAREUS S. J. visitator CANISIO.

Augusta Vindelicorum ? inter exeuntem a. 1581 et medium m. Februarium a. 1582.

Ex apographo, de quo supra p. 57.

Manareus Augusta Vindelicorum 17. Februarii 1582 Claudio Aquavivae praeposito generali de missionis friburgensis Sociis, quibus Canisius praeerat, scripsit: „Vt nostri nihil mutent de delineatione [aedificiorum] a v r p transmissa serio per litteras mandaui.“ Plura vide supra, ep. 2123.

2125. CLAUDIUS AQUAVIVA praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO.

Roma 18. Ianuarii 1582.

Ex commentario sic inscripto: „Friburgi P. Canisio.“ G. Sup. 1 f. 65[b]—66[a].

PP. Manarei et Balduini virtus. Librorum de S. Ioanne et de B. Maria V. recognitio. Canisii nepotes collegium germanicum petentes. Primus lapis collegii romani.

P. Edmundus Augerius[3] misit ad nos ex Aquitania Reuerentiae V. litteras quas scripserat 14 Nouemb. in quibus primum gauisus sum[a] de fructu quem P. Visitatoris[4] prudentia et uirtus prouinciae isti[5] afferebat, quem precor ut quotidie maior[b], ac deinde perpetuus illi sit. Probaui etiam quod ad Reuerentiam V.[c] in laboribus istis iuuandam missus esset P. Antonius Balduinus[6], cuius[d] hominis opera, ut intelligo, boni, et religiosi, non dubito quin Reuerentiae uestrae[e] utilis, et opportuna futura sit. De Mariano autem opere, et altero d. Joannis Baptistae recognoscendo[7] laudo Reuerentiae V. consilium[f], neque[g] uereor quin gratius, hominibus praesertim doctis, proditurum sit, cum Reuerentia V. istum delectum rerum adhibuerit: ac nos quoque quam habet facultatem confirmamus ut in prouincia censeantur a duobus quos P. Visitator designarit. A[h] Syrleto si quid haberj poterit, curabit P. Hoffeus[8]: sed uix speramus, praesertim cum his diebus aegrotarit, sed si is[i] in tempore non[k] miserit, non essem Reuerentiae V. autor ut editionem amplius prolataret[l]. Quod attinet ad nepotes Reuerentia V. iam credo[m]

a) *Sequuntur vv.* eo testimonio, *oblitterata.* b) *Sequitur* sit, *oblitt.* c) *Sequitur* iuuandam, *oblitt.* d) *Sequuntur vv.* operam ea *vel similia, oblitt.* e) *Sic in comm. correctum est ex* quin ei. f) *Sequuntur vv.* atque eam quam habet facultatem confirmo ut in prouincia censeatur a duobus quos P. Visitator designarit, *oblitt.* g) *Sequitur* dubi, *oblitt.* h) *Corr. ex* Cum. i) *Corr. ex* ille. k) *Sequitur* mittet, *oblitt.* l) *Corr. ex* sustineret retardaret. m) *Corr. ex* De nepotibus suis iam credo Reuerentia V.

[1] Michaele Mario ministro collegii lucernensis.

[2] „Lectiones“ significari videntur, quibus clero friburgensi „casus conscientiae“ et aliae res theologicae explicabantur. [3] Vide supra p. 50. [4] Oliverii Manarei.

[5] Societatis provinciae „Germaniae superioris“. [6] Vide supra p. 50 57.

[7] Cf. *Can.* VI 712—714; VII 776—777. [8] Vide supra p. 28.

acceperit Rectoris nostri litteras de informatione mittenda[1]: ea cum uenerit non deerimus, ac si aliqua etiam dispensatio necessaria fuerit, eam tamen omnibus uijs obtinere conabimur. Ceterum quod scriberem nihil occurrebat nisi quod hebdomada praeterita, die 11 huius mensis primus denique lapis Collegio[a] Romano aedificando positus est ab Jllustrissimo Cardinali Boncompagno[2] ita mandante Summo Pont. magna omnium nostrum gratulatione, quare et illud opus et nos ipsos commendo sacris[b] Reuerentiae V. et sociorum eius precibus quibus ego uicissim magnam coelestis gratiae copiam ac benedictionem ex animo precor. 18 Jan. 1582.

Canisius Aquavivae respondisse videtur m. Februario a. 1582.

2126. CANISIUS **IOANNI FRANCISCO BONHOMIO** apostolico apud imperatorem nuntio.

Friburgo Helvetiorum m. Ianuario vel Februario 1582.

Epistula perisse videtur. De qua vide litteras Bonhomii 13. Martii 1582 datas; per has enim Bonhomius Canisio respondit.

2127. CANISIUS **CLAUDIO AQUAVIVAE** praeposito generali Societatis Iesu. Friburgo Helvetiorum circa m. Februarium 1582.

Harum litterarum, quae iam non exstant, mentionem fecit Aquaviva in epistula 16. Martii 1582 ad Canisium data; v. infra, ep. 2134.

2128. **IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS,** apostolicus apud imperatorem nuntius, episcopus vercellensis, CANISIO.

Posonio 9. Februarii 1582.

Ex commentario ab Io. Ant. Caresana Bonhomii secretario scripto et sic inscripto: „Patri Canisio."; quod commentarium Bonhomius sua manu correxit et amplificavit. Cod. „Bonh. 1" f. 44ª—46ª.

Canisii litterae „monitionibus" plenae. Epistula ad Frobenium. Contumelia Bernensis Thermipoli confirmata. Friburgensium ignaria. Pontifex rogatus, ne Bonhomium remitteret. Episcopatus lausannensis. Indulgentia. Bibliotheca. Praepositus in vicarii generalis officio perstare iussus; eius errata. Definitio de contractu germanico. Severitas in clero curando. Collegia.

Reuerende admodum uti frater in Domino charissime. P. tuae litteras xiij. Decembris die ad me perscriptas accepi, serius multo quidem, quam priores alteras, quae XX[c] dierum spacio Friburgo Pragam[d] perlatae fuerant, sed tamen, ut semper alias ita gratae fuerunt[e], ut certe superflua omnino fuerit[f] excusatio, quam in fine litterarum subijcit, quasi de prolixitate, deque audacia sua ueniam petens; Ego uero magni beneficij loco ponam semper, quoties P. tuae litteras, uel monitionibus fraternis plenas, legere mihi licebit; Jtaque ommissis uarijs

a) *Corr. ex* primum lapidem Collegij. b) *Corr. ex* de qua quoniam plura scribo P. Oliuerio quae cum Reuerentia V. communicabit, finem hic faciam commendans me. c) *Sequitur* ferme, *a Bonh. oblitteratum.* d) *Sic Bonh. correxit ex* spacio ad me. e) *Sic B. correxit ex* fuerunt admodum gratae; *sequuntur vv.* immo uero quo prolixiores eo etiam gratiores, *a B. oblitterata.* f) *A B. correctum ex* fuit.

[1] P. Michael Lauretanus, rector collegii germanici, significari videtur; v. supra p. 41.
[2] Philippo Boncompagno, cardinali S. Sixti, ex Gregorii XIII. fratre orto.

huiusmodi excusationibus, fac, quaeso mi Pater Reuerende ut frequenter ad me de hisce ijsdem, de quibus ad me nunc, scribis rebus[a], quo fusius[b] per occupationes licuerit, perscribas: De litteris ad Frobenium non mittendis Praepositi consilium non improbo[1], quanquam id mihi tunc propositum fuit, ut non Catholicis, qui sane aliqua ex parte[c] contradixerunt, sed haereticis ipsis praesertimque Basiliensibus contumeliam illam exprobrarem[2], non tam (uere fateor) ut ego amaritudinis aliquid ostenderem, quam ut ipsi Frobenio os (ut aiunt) obstruerem, ne me amplius de eiusmodi postulationibus[d], quibus Roma iam acceperam nihil concessum iri molestaret[3]. Vt ut sit, uestro consilio acquiesco; Verum, si ex rei ueritate perpendere uelimus omnia, an non ego dicere iure possum, contumelias illas in ijs Comitijs[e] generalibus[4], quasi confirmatas esse, ipsis etiam Catholicis consentientibus? Vellem omnino[f] R. P. [T.] et Reuerendo[g] Praeposito[5] iudicibus certare, si hac de re esset disputandum; Vtinam nobis uerba ipsa in Comitijs illis descripta proponere liceret; Cerneretis profecto, eadem omnia, quae antea Bernates mihi iniquissime imponebant, de machinationibus, de iniurijs, de belli seminibus, et si quid peius excogitari[h] potuit, repetita; Jn mei uero honoris excusationem, aut tuitionem, ne uerbum quidem a Catholicis, quod scriptum apparuerit[i], dictum, sed tantum pro Legato Apostolico in genere actum, ut admitti debeat a Bernatibus per eorum fines transiens; sed qua conditione? ut petatur ante securitas ab illius Cantonis Helueticj [?][k] Dominis, qui illum ad se redire uoluerint, quasi manifesto innuerent ipsi etiam Catholici, nolle se illum amplius ad ipsos, nisi uocatum, reuerti; Quid[l], si unum adhuc subijcerem? quod tamen tibi

a) *Sic B. correxit ex vv.* hisce ipsis rebus, *quae posuerat pro* his rebus, *quae Cares. scripserat.* b) *Sic Car. correxit ex* fusiores. c) *Sic B. correxit ex* aliqua in re. d) *A B. correctum ex* huiusmodi flagitationibus. e) *A B. correctum ex* in Comitijs illis. f) *Hoc v. B. inseruit.* g) *A B. corr. ex D.* h) *A B. corr. ex* belli rumoribus, et quid peius amplius desiderari. i) *Sic B. correxit ex* quod appareat. k) *Sic vel similiter B. correxit ex* Cantonis Heluetij. l) *Sequitur* uero, *a B. oblitt.*

[1] *Bonhomius* Posonio 9. Februarii 1582 Petro Schnewlin praeposito scripsit: „Tuo, et Reuerendi Patris Canisij consilio de non mittendis ad Frobenium litteris meis acquieui, quanquam ego rationibus, atque argumentis multis sententiam meam tueri facile mihi posse uidebar" (ex archetypo, Cod. frib. „Epp. ad Schn." f. 59[a]; etiam apud *Berthier*, Bonh. 98).

[2] Contumeliam dicit sibi comitibusque m. Decembri 1581 Bernae illatam: vide *Can.* VII 853—858.

[3] De Ambrosio Frobenio (v. supra p. 1) scribit *Aug. Theiner:* „Cum Basileae libros Thalmudicos summa cura, magnisque sumptibus typis excudisset, Iudaeis vero, qui hoc ei negotium mandaverant, pecunias expensas, ut receperant, solvere negantibus, a Pontifice petiit, ut res suas et Caesari et Ferdinando Archiduci commendaret." Reapse Gregorius XIII. per litteras Kalendis Februariis a. 1582 datas Ferdinandum II. Austriae superioris principem rogavit, curaret, ut per unum ex Iudaeis illis, qui in terram Ferdinandi imperio subiectam cum uxore et bonis emigraverat, „Frobenio satisfieret": Annales III 333 334. Neque tamen hoc unum Frobenius a pontifice petierat; v. supra p. 44.

[4] Comitia Thermipoli (Baden) 19. Februarii 1581 habita significat; v. supra p. 10[1].

[5] Petro Schnewly.

uni pater ad aures dictum uolo: Miraberis fortasse, at ego ex fide dignis, quos me fallere uoluisse credere nulla ratione debeo, certo accepi: Friburgenses legatos[1] primos fuisse, qui de concordia cum Bernatibus ineunda tunc fecerunt uerbum[a]: cum iam ardenter ab utraque parte contenderetur et periculum aliquod subesse uideretur de belli deliberatione, quemadmodum plerique ex quinque[b] Cantonibus Catholicis legati in mandatis expresse habebant, nisi exacte honori meo fuisset a Bernatibus satis factum. Sed quae ratio contumeliae mihi irrogatae habita sit, iudicent, qui adfuerunt, quique uerba illius (ut uocant) recessus[c] diligenter scrutati sunt[d]: Summa haec tandem fuit, ut omnium fere legatorum nomine ad Summum Pontificem scriberetur (uti scriptum est, sed non publicis quidem[e] litteris, neque illorum sigillis obsignatis) ne me amplius in Heluetiam redire permitteret, si pacatam prouinciam illam[f] uellet, quod ipsum aperte[g] fuit, me tanquam seditiosum, et pacis, ac quietis publicae perturbatorem declarare, ac quasi in exilium abigere[2]: Haec sane omnia paulo fusius, quam putaram, sed tamen in P. tuae[h] sinum effudi omnia, ea certe animi fiducia, ut nihil inde capiat ipsa offensionis[i], sed imo boni consulat omnia: An haec[k] autem ego cum ulla animi amaritudine, aut uindictae propriae desiderio commemorem, testis sit[l] Deus, coram quo saepe sum ex animo testatus[m], me nullo unquam tempore maiorem honorem aut gloriam consecutum fuisse: At uero querelam illam ipsam, quam in Frobenianis litteris tetigi, experimento iam didiceram, aliquibus ex quodam praecipuo Cantone Dominis insinuatam magnum fructum peperisse in Senatu illo, ad res Religionis diligentius tuendas, decretaque mea exactius obseruanda, et custodienda. Quare[n] omnia ex diuina uoluntate, aut permissione (si crimen meum aliquod admixtum est) euenisse arbitror[o]: Deus enim (qui praecordia, et renes scrutatur)[3] optime nouit, quo animo, qua uoluntate sim erga Heluetios omnes ac praesertim Friburgenses affectus; Scribam propediem ad Illustrissimum Comensem Cardinalem de omnibus, quae cupit P. V. nempe, ut Sanctissimus D. hortatorias litteras det[p] ad Senatum Friburgensem, deque Episcopatus Lausanensis restitutione cogitet[4]. Jndulgentiaque illa plenaria[q], quam iam tum[r] [?] ab[s] ineunte Octob. mense petierat[5] P. T. pro quater in

a) *A B. corr. ex* ineunda uerbum fecerunt. *Quae sequuntur, usque ad* Sed quae ratio *excl. a B. in fine commentarii addita sunt eo consilio, ut hic insererentur.* b) *Hoc v. supra versum scriptum est.* c) *A B. corr. ex v., quod iam non potest legi.* d) *A B. corr. ex* fuerunt. e) *Hoc v. a B. insertum est.* f) *A B. corr. ex* Heluetiam. g) *A B. corr. ex* expresse. h) *A B. corr. ex* V. i) *Quinque vv. sqq. a B. in margine addita sunt.* k) *B. sic (vel* hec*) correxit ex* hoc. l) *Sic B. correxit ex* propriae cupiditate proferam, testis est. m) *A B. corr. ex* professus. n) *A B. corr. ex* Sed. o) *Hoc v. a B. insertum est.* p) *Sic B. correxit ex* litteras ad Senatum Friburgensem scribat. q) *A C. corr. ex* Jndulgentiam illam plenariam. r) *B.* tum *ex* tunc *correxisse videtur.* s) *Tria vv. sqq. a B. inserta sunt.*

[1] Hi erant Ioannes a Lanten-Heid et Pancratius Wild (*Eidg. Abschiede* IV[2] 733; v. supra p. 2[2]). [2] Vide tamen, quae dicta sunt supra p. 53[6].

[3] „Scrutans corda et renes, Deus": Ps 7, 10. Cf. Ier 17, 10; Apc 2, 23.

[4] Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[5] Eam iam petierat m. Iulio; sed eius litterae Bonhomio sero traditae erant; v. supra p. 39.

anno apud uos communicantibus[a], Friburgum mittetur literis pontificijs exarata, fateor tamen[b] subuereri me uehementer, ne, dum nullus est Episcopus Vercellensis, qui sollicitet, atque etiam, cum opus est, pecunias eroget[1], optima interdum illius Sanctitatis uoluntas in uentos abeat: De eleemosina ad bibliothecam comparandam necessaria non adhuc despero; et nisi citius illam consequamur, spero Sanctae Praxedis Cardinalem, qui Romam hoc ipso anno, Deo bene iuuante, Concilio prouinciali VI° absoluto, profecturus est, omnino impetraturum[2]; Gratulor D. Parocho de foelici reditu, de quo tamen iam eram Mediolanensibus litteris certior factus[3]: Quod Praepositus[4] Vicariatus officio se abdicauerit[c], illum arguo peculiaribus litteris[5], eique mando auctoritate apostolica, ut munus, quod hactenus cum laude gessit, ne relinquat, quod certe cum non ab Ordinario solum, sed etiam a Nuncio Apostolico[6] suscepisset, non debuit illud quidem sine utriusque consensu abijcere; Nihil uero cum[d] is ad me scripserit, existimo sane id eam ob causam euenisse[e], quod nunquam ad monitiones illas meas, de nimia cum laicis consuetudine, deque frequentibus compotationibus[7] responderit, pudeatque illum hanc materiam attingere[8]: quamobrem etiam fortasse[f] taedio quodam affectus potuit ad Ep. Lausanae in eam sententiam, quam P. T. scribit, litteras dedisse: Quoniam[g] autem P. T. se nunquam ostendit, quae de Contractu Germanico Romae diffinita iam dudum ad illam misi, accepisse, ideo iterum capita illa hisce adijcere uolui[9], ex quibus non leuem, scio, capiet animi consolationem, cum

a) *Quinque vv. sqq. a B. in margine addita sunt.* b) *A B. corr. ex* Sed fateor. c) *A B. corr. ex* officio renunciauerit. d) *Hoc v. a Car. supra versum scriptum est.* e) *A B. corr. ex* euenire. f) *Hoc v. a B. insertum est.* g) *A B. corr. ex* Quod.

[1] Pecuniae illae non pro indulgentia ipsa dandae erant, sed pro labore eorum, quorum officium erat plurimas eiusmodi litteras „exarare“ et expedire; ex quo officio illi vivebant.

[2] Concilium provinciale mediolanense VI. a S. Carolo Borromaeo archiepiscopo in concilio provinciali V. anno 1579 habito indictum erat in d. 10. Maii 1582; atque eodem tempore Mediolani habitum est (*Acta* Ecclesiae Mediolanensis, ed. nova, T. I, Lugduni 1683, 239—240). S. Carolus 24. Octobris 1582 Romam advenit (*Ch. Sylvain*, Histoire de Saint Charles Borromée III, Société Saint-Augustin 1884, 135—142).

[3] Sebastianus Verronius parochus urbis friburgensis ex peregrinatione hierosolymitana 4. Decembris 1581 Friburgum redierat (*Wymann* l. c. 124).

[4] Petrus Schnewly, Antonii de Gorrevod episcopi lausannensis vicarius generalis; v. supra p. 55. [5] Has posuit *Berthier*, Bonh. 97—98.

[6] Ab ipso Bonhomio. [7] Vide supra p. 48.

[8] At *Bonhomius* paullo post (10. Martii 1582), acceptis Schnewlini litteris, eidem scripsit: „Monitiones meas te boni, aequique consuluisse uehementer laetor. . . . Si paulo acriores, quam par erat, tibi sunt uisae, imprudentiae meae, et nimio fortasse zelo, . . . potius tribue, quam quod ab ullo alio mihi eas putes nuper insinuatas.“ Putabat autem Schnewly, nisi fallor, a Canisio eas „insinuatas“ esse. De quo Bonhomius in eadem epistula Schnewlino scripsit: „Quod de matrimonialibus causis attingis, intellexi aliquando fusius ex Parochi, non ex Patris Canisij litteris“ (ex archetypo, manu Bonhomii subscripto; Cod. friburg. „Epp. ad Schn.“ f. 60; etiam apud *Berthier* l. c. 100—101).

[9] Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

animaduertet. Deum optimum iustas causas[a] suas non dereliquisse, sed sublatis tandem maximis quibusque[b] difficultatibus atque impedimentis tueri, ac ueritatem in lucem emittere[c]: Quae porro[d] de ratione iuuandae Germaniae, cuius mores optime nouit P. T. monet[e], quasi subuerita, ne ego seuerius acturus essem in curandis clericorum morbis, ac uulneribus, nulla quidem ex parte fuerunt necessaria; quando nullum aliud fere[f] munus meum hic est, quam[g] aulam Jmperatoris inuisere, cum illius Maiestate de incidentibus rebus, ac negocijs, quae praesertim Romanis litteris mihi[h] iniunguntur, agere, ac praeterea noua quotidie expiscari quae Romam scribantur; Neque uero is ego sum tam imprudens, tamque praefracti ingenij, qualem me in Heluetia censent, ut uelim contra Caesaris uoluntatem uisitationem aggredi, et omnia statim innouare; sed illud ne, rogo, uidetur esse officium Episcopi, concionibus, uisitationibus, curisque[i] pastoralibus, et animarum lucro iam pridem[k] assueti?[l] dicam uero etiam, Episcopi apostolicam personam sustinentis? Vereor certe, ne ob peccata mea[m] hac corrupta tempestate huc missus sim, ubi nihil praestare possim, et uel ocio consumar, uel aliorum more ego quoque[n] seculi curis inuoluar, quasi Episcopalis uitae oblitus; Quod autem Germanus clerus absque aliqua seueritate ad meliorem frugem reduci non[o] facile queat[p], conijci aperte potest, ex Bauariae, aliarumque prouinciarum[q] Carinthiae, et Styriae exemplo, ibi enim, cum uisitatio per Reuerendissimum D. Scalensem[r] et Reuerendissimum D. Malaspinam apostolicos Nuncios rigidiuscule instituta sit[s], aliqua certe ratione mutata illius Cleri facies uidetur[1]; Vbi uero tantum monitionibus actum est, nihil prorsus de ebrietate, nihil dé concubinarum consuetudine remissum; Collegiorum[t] equidem usum tam

a) *Quattuor vv. sqq. a B. supra versum scripta sunt.* b) *Hoc v. a B. supra versum scriptum est.* c) *A B. corr. ex* ueritatem defendere. d) *Hoc v. a B. insertum est.* e) *Hoc v. B. inseruit.* f) *Haec 3 vv. a B. supra versum scripta sunt.* g) *Hoc v. B. inseruit.* h) *Hoc v. B. inseruit.* i) *A B. corr. ex* sacrisque. k) *B. primum ex* perpetuo *correxit* diutius; *deinde pro* diutius *posuit* iam pridem. l) *B. 7 vv. sqq. in fine commentarii posuit, hoc loco inserenda.* m) *Tria vv. sqq. a B. supra versum scripta sunt.* n) *Sic B. correxit ex* etiam; *dein vv.* mei oblitus *addidit, sed postea oblitteravit.* o) *Sic B. correxit ex v., quod iam non potest legi.* p) *B. haec 2 vv. posuit pro* possit. q) *Tria vv. sqq. a B. in margine addita sunt.* r) *Sex vv. sqq. a B. in margine addita sunt.* s) *A B. corr. ex* est. t) *A B. corr. ex* Collegij.

[1] De visitationibus a Feliciano Ninguarda O. Pr., qui a. 1577 episcopus scalensis (Scala) factus est, in Bavaria, Stiria, Carinthia, archiducatu Austriae, Tiroli potissimum a. 1572—1580 magno cum fructu habitis scripserunt: *Theiner*, Annales III 28—40 138—147 254; *J. Schlecht*, Felician Ninguarda und seine Visitationsthätigkeit im Eichstättischen, in „Römische Quartalschrift für christliche Altertumskunde und für Kirchengeschichte" V, Rom 1891, 62—81 124—150; *Car. Schellhass*, Akten zur Reformthätigkeit Felician Ninguarda's, in „Quellen und Forschungen aus italienischen Archiven und Bibliotheken, herausgeg. vom k. preuss. historischen Institut in Rom" I, Rom 1898, 39—108 204—260; II, Rom 1899, 41—115 223—284; III, Rom 1900, 21—68 161—194; IV, Rom 1902, 95—137 208—235; V, Rom 1903, 35—59 175—206. Germanicus Malaspina, a. 1580 nuntius apostolicus apud Carolum archiducem, Stiriae, Carinthiae etc. principem, qui Graecii (Graz) sedem habebat, constitutus, multa monasteria reformavit et cleri vitia severe correxit (*Rob. Reichenberger*, Nuntiaturberichte aus Deutschland 1585 [1584]—1590, II, 1, Paderborn 1905, XIII—XIV; *Leop. Schuster*, Fürstbischof Martin Brenner, Graz u. Leipzig 1898, 644—645).

pie, ac sancte a Sanctissimo Domino introductum, in quibus noui operarij paulatim succrescunt, non improbo, immo omnino salutarem, ac plane necessarium existimo[1]; sed mihi credat P. T. haud sufficit ad sanandos tam inueteratos Cleri Germani morbos, de his tamen[a] et huiusmodi alijs ut ad me[b] quid sentiat, libere, ac frequenter scribat, a P. V. etiam, atque etiam peto, meque in suis precibus, ac quotidianis sacrificijs semper praesentem habeat · Possonij V° Idus Februarij MDLXXXII.

1. Bonhomius Canisio misit una cum his litteris, id quod ex ipsis intellegitur, ea quae de „contractu germanico", qui de 5 pro 100 quotannis dandis fiebat, Romae paullo ante definita erant. Huic definitioni causam praebuerat controversia anno potissimum 1580 agitata. In pecunia mutua danda 5% licite sumi posse affirmaverat P. Gregorius a Valentia S. J., theologiae professor in universitate ingolstadiensi, atque eo auctore omnes eiusdem universitatis professores theologiae et iuris atque etiam ipse P. Paulus Hoffaeus praepositus provincialis; cum quibus Marquardus a Berg episcopus augustanus et plerique ex consiliariis Guilielmi V. ducis Bavariae sentiebant. Contrariam vero sententiam tenebant PP. Petrus Canisius, Theodoricus Canisius collegii dilingani rector, Hieronymus Torrensis theologiae in universitate dilingana professor, alii Socii. Singulari autem quodam studio pro ea pugnabat P. Gasparus Haivodus, perturbatae mentis homo, qui et ipse Dilingae docuerat. Is una cum Martino Dhumio Guilielmi V. ducis consiliario ecclesiastico ipsum ducem in hanc partem traxit. Res tandem eo devenit, ut Haivodus, Canisio ceterisque Sociis omnibus rem improbantibus, Gregorium XIII. appellaret, et Guilielmus V. eundem rogaret, ut ad quaestiones, quas ea de re ei proponebat, responderet. Haivodus autem ipse Romam profectus est; eodem Hoffaeus, cui ad novum Societatis praepositum generalem eligendum Romam eundum erat, Valentiam secum duxit (*Can.* VII 571—587; *B. Duhr*, Die deutschen Jesuiten im 5%-Streit des 16. Jahrhunderts, in „Zeitschrift für katholische Theologie" XXIV, Innsbruck 1900, 228—239; *Sigm. Riezler*, Geschichte Bayerns VI, Gotha 1903, 176). Roma igitur 28. Ianuarii 1581 cardinalis *Comensis* Bonhomio *scripsit: „Con l' occasione di tanti Padri ualent' huomini de la Compagnia del Giesu uenuti quà per far il generale Nostro Signore hà pensato di far trattar seriamente il negozio de li cinque per cento che dà tanta molestia ad li bueni di Germania. Però di quel che seguirà si darà poi auuiso à V. S." (ex commentario vel eiusdem temporis apographo, quod est in archivo vaticano, Nunz. di Germ. 12 f. 57ª—59ª). Videtur igitur a cardinale Comensi ad Bonhomium et a Bonhomio ad Canisium missus esse ille *„Tractatus circa contractum quinque pro centum ex communi consensu Patrum ad id in 4ª Congregat. generali Societatis IESV deputatorum[2], confectus mense Aprili 1581 Romae", quem Canisius sua manu transcripsit in codicem „Can. 4" f. 9ᵇ—17ᵇ. Eum integrum hic ponere non vacat, neque etiam necessarium est; quid enim theologi illi (e quorum numero Valentia erat) ad „casum" a Bavariae duce missum et ad 27 „conclusiones" ei adiunctas, quas ab Haivodo scriptas esse sat certum est, responderint, copiose enarrat *Franc. Zech* S. J. in libro „Rigor moderatus doctrinae pontificiae circa usuras" a. 1752 Ingolstadii et saepius edito, dissert. 2, c. 2, sect. 8, art. 3 (*J.-P. Migne*, Theologiae Cursus completus XVI, Lutetiae Parisiorum

a) *Tria vv. sqq. a B. supra versum scripta sunt.* b) *Quattuor vv. sqq. a B. in margine addita sunt.*

[1] Significari videntur potissimum collegium germanicum a Gregorio XIII. Romae liberalissime dotatum, et seminaria pontificia, quae idem pontifex Vindobonae, Graecii, Olomutii (Olmütz), Braunsbergae iam instituerat, et quae Dilingae et Fuldae erat conditurus; v. *Duhr*, Jes. I 300—315.

[2] „12 aut 14. Doctores Societatis" deputatos esse P. *Paulus Hoffaeus*, qui congregationi quartae interfuerat, circa a. 1587 sua manu *notavit (Cod. „Opp. NN. 158 159" p. 101).

1841, 975—978); cf. etiam *Duhr* l. c. 240—242. Hoc tantum noto: In responso „conclusiones" illae magnam partem approbantur; attamen identidem affirmatur, eorum auctorem falli, cum „putat omnem contractum quinque pro centum cum assecuratione summae capitalis et lucri esse illicitum. Non enim est illicitus, nisi habet rationem mutui, nec illam necessario habet, nisi qui fit sine delectu personarum"; si enim fit „cum mercatore, aut notabilis industriae homine, aut saltem cum habente bona fructifera", potest „habere rationem societatis licitae uel census alicuius tolerabilis". Sequuntur in theologorum romanorum opusculo „12 aliae quaestiones de quinque pro centum": in quibus haec, praeter alia, dicuntur: „Factum commune omnibus. Circumstantiae particulares, quibus hic aut ille contrahit, sciri priusquam singuli examinentur, non possunt. Quod uero sine differentia commune est omnibus, ita se habet: Titius centenaria summa Sempronio tradita cum eo paciscitur de quinario lucro quotannis, securo Capitali et lucro, potestate utrique parti relicta rescindendi contractum, modo ad semestre spacium praemoneat ea de re socium." Quaeritur, „quid sit extra controuersiam". Respondetur: „Quantum commode fieri possit, aliam lucrandi rationem hominibus illis persuadendam esse. 2° licitum esse id lucrum, si ad illud suppetat aliquis titulus ex certioribus, ut damni emergentis, lucri cessantis etc. 3 Manifeste iniquum esse id lucrum, si acquiratur 1° aut ex ui mutui, 2° aut in mutuo sine praetextu ullius probabilis tituli. 3° aut ob id solum, quod etiam sine mutui specificatione centenaria summa traditur similiter sine praetextu alicuius probabilis tituli. 4° aut et multo magis, si etiam omnis alius titulus obstinata quadam intentione excludatur. 5° aut si titulus aliquis praetexatur falso, repugnantibus videlicet[a] ipsius facti circumstantijs." Deinde haec, praeter alia, quaeruntur: „Vtrum generalis notitia, quae de facto communi omnibus citra examen particularium circumstantiarum, cum quibus hic aut ille contrahit, habetur, sufficiens sit ad omnes absolute sine ulla conditione damnandos uel probandos?" Respondetur: „Generalis notitia huius facti in genere sumpti non satis est ad ullum damnandum uel probandum, quia nullus facit rem in genere, sed generalis notitia facti in particulari, quando contractus iste fit sine persònarum delectu, etiamsi nulla specialis ratio mutui uel alterius contractus exprimatur, sufficiens est ad omnes damnandos, qui ita contrahunt. Quia tunc nisi contractus mutui esse non potest, et est intrinsece malus." „Vtrum lucrum illud quinarium sit tolerabile, quod scilicet probabiliter defendi possit, si fiat per contractum societatis cum pacto assecurationis Capitalis, et lucri minoris certi." Respondetur a theologis: „Tolerabile est illud lucrum, quando tres illi contractus concurrunt, societatis, assecurationis lucri et Capitalis, ita vt nec obligandi sint ad restitutionem, qui iam ex contractu lucrum reportarunt, neque neganda sit absolutio his, qui tali modo contrahere voluerint." [1] Tres autem illas pactiones et „expresse" et „implicite" ac „virtualiter" fieri posse theologi illi iam ante dixerant. Quaeritur item: „Vtrum lucrum illud sit ex natura rei tolerabile, si fiat per emptionem census legitimi, nempe ex re, vel etiam (ut multorum opinio est) ex persona fructifera cum pacto assecurationis et redimendi utrinque." Respondetur: „Tolerabilis est ex natura rei census super bona frugifera utrinque redimibilis, etiam cum pacto assecurationis, censu tamen propter tale pactum diminuto, sed non consulendus. Census autem personalis super persona non fructifera, non est tolerabilis. Et licet super persona fructifera propter notabilem aliquam industriam ex natura rei

a) *Ita huius opusculi exemplum, quod est in „Opp. NN. 158 159" p. 67. In exemplo, quod Canisius exscripsit, hoc v. siglo quodam sive abbreviatione scriptum fuisse videtur; de cuius significatione dubitans C. in margine scripsit:* uniuersaliter aut videlicet.

[1] *Canisius* in margine haec notavit (quae in exemplo Roma misso fortasse posita non erant; desunt certe in altero illo exemplo, quod supra dixi): „Sic tenet Joannes Maior in 4. dist. 48 et 49. Tenet et Gabriel Biel quaest. 11, dubio 10. Tum Corradus quaest. 97. Et Sylvester v. Societas § 92. Nauarrus etiam c. 17 Num. 255. Demum Corrun. Resol. lib. 3, c. 2, concl. 3."

sit tolerabilis, tamen quia periculosissimum est, ne debitae circumstantiae seruentur, communiter non est tolerandus."

Gregorius XIII. igitur, cum haec et reliqua capita a Societatis theologis composita considerasset, Guilielmo V. respondit, nec dubium est, quin Bonhomius hoc responsum Canisio miserit; cuius apographum Canisius in Cod. „Can. 4" f. 18ª sua manu apographo „Tractatus", quem modo dixi, adiunxit, sic inscriptum: „Definitio Sanctiss. D. N. Gregorij 13. de Contractu Germanico supra centum pro quinque ad Guilhelmum Bauariae ducem anno 1581." Sequitur definitio: „Titius in Germania pecuniam habens, eandem Sempronio cuiusuis conditionis homini ad nullum certum usum, sed pro arbitrio debitoris distrahendam ea lege tradit, vt Titius ex pacto et ciuili obligatione, quae aliquando in eisdem literis, interdum in alijs adijcitur, ius habeat, quamdiu eadem pecunia apud Sempronium relinquitur, accipiendi quotannis ab eodem Sempronio quinque florenos pro singulis centenarijs, et postea totam quoque summam capitalem. De tempore autem quo restitutio capitalis fieri debeat, licet interdum certi aliquid determinetur, ut plurimum tamen nihil statuitur: sed tam Titio quam Sempronio plena potestas relinquitur, vt quandocunque voluerit (utilitate interim percepta in partem sortis non computata) contractum rescindere possit, dummodo is qui contractum rescindit, alterum ante sex menses praemoneat. Ex ui autem contractus aut pacti adiecti, Titius annui lucri, aut summae capitalis perdendae nullum periculum subit, sed siue Sempronius fructificet, siue non, ius habet ab eo exigendi lucrum quinarium annuum pro omni centenario, et siue uiuat Sempronius, siue moriatur, Titius ab illo uiuente, uel illo mortuo ab eius haerede summam capitalem recuperat, nihil quod interim recepit restituens. RESPONSIO[a]. Contractus modo et forma praedictis celebratus usurarius est. Neque enim ad aliam speciem quam mutui cum conuentione lucri ex eodem mutuo accepti reduci potest. Ex quo consequitur, quod[b] per nullam consuetudinem patriae[c] aut legem humanam[d], neque vlla contrahentium etiam bona intentione excusari possit aut defendi[e], quum sit de[f] iure diuino et naturali prohibitus. Qua quidem[g] ex causa nemini siue diuiti, siue pauperi, et quantumuis miserabili personae huiusmodi contractum celebrare, lucrumue ex eo acquirere aut retinere licet. Si tamen in Germania aliquis est contractus, in quo quinque pro centum accipiantur, aliis modo et forma a praedictis celebratus[h], non per haec [talem][i] damnare aut probare intendimus, donec specialis fiat de eo expressio aut[k] [?] consideratio, ut quid de eo sit sentiendum decernatur, sicut de proposito decretum est." „Responsionem" hanc posuit etiam *Zech* l. c. 979.

Canisius Bonhomio respondit 10. Aprilis 1582.

2129. CANISIUS SACERDOTI CUIDAM HELVETIO.

Friburgo Helvetiorum inter a. 1581 et 1597.

Ex apographo saeculo fere XVII. manu ignota scripto et sic inscripto: „Precandi[1] modus Heluetico Sacerdoti traditus" (4°; $3^1/_3$ pp.); quod apographum P. *Petrus Hugo* S. J. prelo paravit, verborum compendia resolvendo ac pauca vel addendo vel immutando. Can. 43, ff. non sign. Typis exscriptum est in libello „*R. P. Petrus Canisius* Societatis Iesu Theologus, elogiis Magnorum virorum mirifice illustratus. Friburgi Helvetiorum 1656, f. D 5ᵇ—D 8ᵇ. Eodem apographo usus est *Riess* 495.

„Adminicula" bonae precationis: Carendum a festinatione et levitate in horis canonicis. Piis libris utendum. Oratio vespere praeparanda. Curae immodicae abiciendae. Christi Sanctorumque memoria frequentanda. SS. Trinitas colenda.

Constat inprimis precandi munus nulli non Christiano praeceptum, utile, ac necessarium esse, quod nulli ordini Catholicorum magis quam

a) *Huius responsionis praeter exemplum canisianum (A) 3 alia exstant exempla (B C D) Romae eodem fere tempore, sed diversis manibus scripta* (*C et D eadem manu scripta sunt) in „Opp. NN. 158 159" p. 87 110 112.* b) vt *B C D.* c) *Hoc v. non est in B C D.* d) *In B C D sequitur* excusari. e) intentione defendi possit *B C D.* f) *Hoc v. non est in B C D.* g) etiam *B C D.* h) *Ita recte B C D;* celebratis *A.* i) *Suppleri ex B C D.* k) et *B C D, idque rectius, ut videtur.* l) *Antecedunt hoc verbum haec vv. a P. Petro Hugone scripta:* R. P. Petri Canisij.

Ecclesiasticorum congruat, ac die nocteque diligentius, hoc praesertim calamitosissimo saeculo sit exercitandum. Propria illorum est functio, qui maxime a DEO Ecclesiaque destinantur, ut pro se et alijs tum uiuis, tum in fide defunctis preces et sacrificia offerant[1], et coelestem gratiam impetrent. Accingite uos et plangite sacerdotes, inquit per Joelem Dominus[a], Vlulate ministri altaris[b][2].

Nunc[c] de adminiculis et excitamentis quibusdam agendum est, ut sacerdotale hoc precandi munus, quod suum pretium apud complures amisit, rectius instituatur atque procedat. Hic enim si terrae sal euanuerit, ut loquitur Christus, ad nihil ualet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus[d][3]. Maledictus enim qui facit opus DEI negligenter[e][4].

Adminiculum[f] esse potest, scire ac remouere communes Clericorum circa orationem sacram abusus. Hi sunt horarium illud pensum, cui exoluendo sacerdotes omnes tenentur adstricti, obiter percurrere, leuiter, ac celeriter expedire, nullam fere praeparationem ac attentionem adferre, ex consuetudine magis, quam ex deuotione Canonicas preces absoluere, magnas animi euagationes nullo studio excludere, ideoque[g] crebro quid legant, nec attendunt[h], nec intelligunt, sed et sine ordine, et intempestiue contra institutum Ecclesiae suas recitant[i] preces, nec sine torpore quidem et taedio. Breuiter habet hic quoque locum Christi querela: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est a me[k][5].

Adminiculum[l] erit subinde illos adhibere libros, qui ad uitam pie formandam et spiritus deuotionem excitandam conferunt. Huius autem sunt generis Basilij magni Ascetica et regulae[6], Augustini confessiones et meditationes[7]: Gregorij magni moralia[8]: Bernardi opuscula[9]: Ludouici Blosij[10] et Granatae[11] scripta: Vitae Patrum siue Sanctorum, alia-

a) *H. hoc r. oblitterauit.* b) *H. addidit:* Joel: 13. c) *H. hoc r. immutauit in r.* Ergo. d) *H. addidit:* Mat: 5. e) *H. ascripsit:* Hier: 48. f) *Huic v. H. praeposuit:* I. g) *H. r.* ideoque *immutauit in* ita, ut. h) *Ab H. immutatum in* attendant. i) *Ab H. immutatum in* recitent. k) *H. scripsit:* Mat: 15. l) *H. huic verbo praeposuit:* II.

[1] Hebr 5, 1. [2] Ioel 1, 13. [3] Mt 5, 13. Cf. Lc 14, 34 35.

[4] Ier 48, 10. Vulgata pro „negligenter", quod ex versione LXX depromptum est, habet „fraudulenter"; verum hoc quoque verbo hoc loco negligentiam significari notant interpretes: cf. *I. Knabenbauer* S. J., Commentarius in Ieremiam prophetam, Parisiis 1889, 527. [5] Mt 15, 8. Mc 7, 6. Cf. Is 29, 13.

[6] „Ἀσκητικά" et Monachorum „Regulae fusius tractatae" et „brevius tractatae".

[7] De his „Meditationibus", quas Augustini non esse iam constat, v. supra p. 25.

[8] „Expositio in Iob seu Moralia".

[9] Velut „De gradibus humilitatis et superbiae", „De diligendo Deo", „De conversione ad clericos", „De consideratione".

[10] Opera Ludovici Blosii O. S. B. abbatis laetiensis (de quo *Can.* I 399 404 405), velut „Paradisus animae fidelis", „Psychagogia seu Animae recreatio", „Sacellum animae fidelis", „Institutio spiritualis", „Margaritum spirituale" etc., iam a. 1568 Lovanii in unum corpus collecta erant.

[11] P. Ludovici de Granada O. Pr. (1504—1588) ascetae clarissimi „Libro de la Oracion y Meditacion" (Salmanticae a. 1567, Medinae Campi a. 1578 editus, italice

que similia de Vita spirituali, et Virtutum officijs tractantia. His addi possunt Psalmorum interpretes, ex quibus notentur singulorum psalmorum argumenta, fines, atque fructus, sicut Athanasius etiam indicauit[1]. Neque parum iuuerit eos adhibere scriptores qui sacra uitae historiaeque Christi mysteria explicant, etiamsi recentiores Autores legant.

Adminiculum[a] erit uesperi ante ingressum lecti secum animo reputare, quem scopum in orando et sacrificando sequenti die sim habiturus, quae sacra mysteria mihi meditanda propositurus, maxime in precatione matutina: quibus insuper de rebus uel ferijs tunc agendum mouear[b] [?] ex Ecclesiae instituto. Permagni enim refert, germanos filios probae ac sapientis matris uoluntati, ac ingenio se se accomodare, et in sponsa sponsum ipsum Christum nos instruentem audire atque sectari. Neque abs re fuerit in ipsis ferijs, aut sicut uocant, Vigilijs consulere Patres, ut eorum homilijs instructi, maiorem capiamus gustum ex festorum celebratione, et precatione publica simul[c] [?] et priuata.

Adminiculum[d] erit in animum saepe reuocare impedimenta, quae nos tum a fructu orationis, tum [a][e] proposito melioris uitae, auocant et remorantur. Jmpedit enim quosdam immodica cura temporalium rerum, alios distractus in studijs animus, ut aegre ad se cultumque DEI redire, et quiete curare spiritualia possint: quoniam ut sciant ac doceant, intellectum prorsus intendunt, de affectu ipso sacris rebus applicando parum solliciti. Nihil ergo mirum quod orationem ac meditationem suam quibusdam tenebris inuolutam ac mentem in ea ualde peregrinantem torpentemque sentiant. Sunt enim ueluti Marthae circa multa tumultuantes, multisque negotijs et curis intenti, ad spirituale sanctumque Magdalenae otium peruenire[2], et, quam sit suauis Dominus gustare[3], non possunt.

Adminiculum[f] erit inter orandum saepe sibi proponere personas, quibus magis afficiaris, utpote Christi, Deiparae, et certorum Patrono-

a) *H. huic verbo praeposuit:* III. b) *Sic; corrigendumne:* monear? *An:* ad agendum mouear? c) *Ita legendum esse puto; H. vero legit* scilicet. d) *H. huic v. praeposuit:* IV. e) *Hoc supplendum esse ipsa lege grammatica suadetur.* f) *H. huic v. praeposuit:* V.

quoque redditus, et ex sermone italico in latinum translatus a Michaele ab Isselt, Coloniae Agrippinae 1586 et 1592. „Memorial de la vida Christiana" liber Salmanticae et Compluti a. 1566, Antverpiae a. 1572 editus; gallice Parisiis a. 1575, germanice Dilingae 1572 a Philippo Dobereiner redditus. „Guia de Peccadores" liber Salmanticae a. 1570 editus, deinde saepe denuo vulgatus, ex italico sermone in latinum translatus a Michaele ab Isselt, Coloniae 1587 et 1590: *Nicol. Antonius,* Bibliotheca hispanica nova II, Matriti 1788, 39—40; *Posserinus,* Apparatus II 278.

[1] Canisius non tam *S. Athanasii* opus „Expositiones in Psalmos", cuius partes aliquas Daniel Barbaro in „Catena Patrum Graecorum in Psalmos" a. 1569 Venetiis ediderat (plura huius operis fragmenta postea monachi Maurini edituri erant), sed admirabilem illam „Epistolam ad Marcellinum in interpretationem Psalmorum" significasse videtur (*Migne,* P. gr. XXVII 11—46), in qua Athanasius psalmorum praestantiam magnifice luculenterque exponit.

[2] Cf. Lc 10, 38—42. [3] Ps 33, 9; 1 Petr 2, 3.

rum, Angelique Sancti: Addenda et singularis quaedam reuerentia his uere sublimibus personis coelique principibus debita, ut cum Propheta dicere queas: Jn conspectu Angelorum psallam tibi[1]. Jnprimis autem assuefaciendus animus, ut quotidie cogitet ac meditetur illud: Respice in faciem Christi tui[2], Christi, inquam, Nati, Circumcisi, Magis ostensi, miracula operantis, Euangelium praedicantis, Crucifixi, mortui, resuscitati, et in coelum assumpti, quemadmodum Ecclesiae ordo nos pulcherrime admonet, ac Euangeliorum sibi succedentium decursus ostendit.

Adminiculum[a] erit Dominico die singularem tribuere cultum sacrosanctae Trinitati, et singulas in ea honorare personas non suo tantum, sed et fidelium omnium nomine, iuxta illud: Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu · laudemus et superexaltemus eum in saecula[3]. Tunc Sacerdotis est Angelicum obire munus, et ex animo suas preces eo referre, ut Sanctus, Sanctus, Sanctus[4] dicere uel cantare uideatur. Ac pie faciunt, qui toties uel caput inclinant, uel genua inflectunt, quoties in fine cuiusque psalmi repetitur illud: Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, diebus maxime Dominicis, qui peculiarem exigunt laudem et gratiarum actionem pro ineffabili beneficio creationis mundi et redemptionis hominum, et iustificatione[b] [?] fidelium. Maiorque tunc animi laetitia cum Diuino cultu conjungenda est, ut cum Discipulis ob nouam Christi resurrectionem exhilaratis gaudere[5], atque promissam regni coelestis gloriam cum fiducia et alacritate cupere et expectare uideamur. Vnde duos illos fidei articulos: Carnis resurrectionem et uitam aeternam, saepe multumque considerare expediet ac decebit.

Omnia ad maiorem DEI gloriam.

Inscriptioni huius commentarii, quam supra posui, P. *Petrus Hugo* S. J. haec superscripsit: „R. P. Petri Canisij.“ Hugo autem, patria lucernensis († 1657), historiam diligenter colebat et rerum Canisii peritissimus erat (*Bernh. Fleischlin*, Aus den Annalen des Gymnasiums zu Luzern, in „Monat-Rosen“ XXVI, Luzern 1882, 448, et XXX, Luzern 1886, 561). In libello quoque Friburgi Helvetiorum a. 1656 edito, quem dixi, commentarius ille nomini Canisii addicitur. Atque et res, quae in eo dicuntur, et dicendi genus canisiana sunt. Facile quoque credi potest, sacerdotem, cui Canisius scripsit, Helvetium fuisse. Quem neque curam animarum gessisse neque in numero canonicorum divinum officium in choro recitantium fuisse conicio eo, quod Canisius neque curae animarum neque chori mentionem fecit. Unde mihi quidem probabile non est, commentarium a Canisio destinatum esse Sebastiano Verronio, parocho canonicoque friburgensi, quem ille simili commentario ad studia theologica recte colenda instituit; cf. infra, ep. 2249.

a) *H. huic r. praeposuit:* VI. b) *Sic; sed vv. antecedentia exigere videntur, ut corrigatur:* iustificationis.

[1] Ps 137, 1.

[2] Ps 83, 10. Haec verba hoc loco sensu, ut dici solet, accommodato, non literali ponuntur.

[3] Haec verba *Breviarium romanum* in Laudibus Dominicae cantico Trium puerorum (Dn 3, 57—88) adiungit et in „Precibus“ Completorii ponit. Eadem in aliis quoque officiis divinis, ut in „processione pro gratiarum actione“ et in exsequiis parvulorum dicuntur. [4] Is 6, 3. Apc 4, 8. [5] Cf. Io 20, 20.

2130. IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS, apostolicus apud imperatorem nuntius, episcopus vercellensis, CANISIO.

Tyrnavia 26. Februarii 1582.

Ex commentario ab Io. Ant. Caresana Bonhomii secretario scripto et sic inscripto: „Ad Patrem Canisium": quod commentarium Bonhomius sua manu correxit et amplificavit. Cod. „Bonh. 1" f. 59ª.

Frobenius catholicam fidem professus est et libros romanos excudet. Libri thalmudici.

Reuerende admodum uti frater in Domino charissime. Ex Illustrissimi Cardinalis Comensis, et nostri[a] Frobenij litteris nouissime Roma datis accepi[1], Ambrosium ipsum[b] Frobenium[c] fidei Catholicae professionem ad formulam a Pio IIIJ. praescriptam[2] in manibus Reuerendi Sacri Palatij Magistri[3] edidisse, et Summo ipsi Pontifici[d] Sanctique[e] Officij Cardinalibus[4] spopondisse, libros se omnes, quos a Romana curia imprimendos acceperit, bona fide, omnique studio in Catholico loco praelis excussurum[f]: Cuius sane rei uolui statim Paternitatem Tuam facere certiorem, quod illam scirem, maximam inde[g] animi uoluptatem percepturam; Recte igitur Reuerendus Praepositus[5] iudicauerat, non mittendas ad illum esse litteras meas[h]; non tam ob eam, quam scripsistis, causam[6], quam ut ne ex[i] meis illis literis aliquam[k] conquerendi occasionem acciperet, quando Catholica etiam[l] religione iam suscepta facultatem impetrare necdum potuit, Thalmudicos libros, quod praecipue petebat, in Italia diuendendi[7]. Atque hic quidem, cum nullas uestras habeam, quibus respondeam, litteras, finem scribendi facio: Sed nunquam Deum Optimum exorandi, ut toti Heluetiae, istique praesertim Ciuitati uerae sapientiae lumen infundat, uobisque fidelibus, ac sedulis[m] in ista uinea excolenda operarijs uires oportunas, omniaque Spiritus Sancti Charismata largiatur.

Ternauiae[8], quae est Strigoniensis Ecclesiae Metropolitanae in Hungaria sedes[n], IIIJ. Cal. Martij MDLXXXIJ.

Cardinalis Comensis *litterae, quas Bonhomius commemorat, Roma 27. Ianuarii 1582 datae sunt; in quibus ille Bonhomio haec narrat: Frobenius Romam venit et a summo pontifice benigne exceptus est. „Hà poi trattato de le cose sue con questi

a) *Sic Bonh. ipse correxit ex* ipsius. b) *Hoc v. a B. additum est.* c) *Sequitur* ipsum, *quod B. primum ex* nostrum *correxit, deinde oblitteravit.* d) *Sequitur* et, *oblitt.* e) *A B. correctum ex* Sancti. f) *A B. correctum ex* loco impressurum. g) *Sic B. correxit ex* ex eo maximam. h) *Quae sequuntur, usque ad* Italia diuendendi *incl., a B. in margine inferiore addita sunt.* i) *Sic B. correxit ex* Catholicam Religionem iam suscepturus, aliqua ratione. k) *A B. corr. ex* sibi. l) *Hoc v. a B. supra versum scriptum est.* m) *Sequitur* Christi, *oblitt.* n) *Sic Cares. correxit ex* Ex Castro nouo Strigoniensis Ecclesiae in Hungaria, dum iter agimus.

[1] De cardinalis Comensis et Frobenii litteris vide, quae sub ipsam hanc epistulam dicentur. [2] De hac v. *Can.* IV 653 654.

[3] Magistri illi, praeter alia officia, pontificum theologos aulicos agebant et librorum, qui Romae edebantur, censores erant. A. 1580 1583 Sixtus Fabri O. Pr. hoc munere functus est (*Gaet. Moroni*, Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica XLI, Venezia 1846, 214). [4] Cardinalibus Inquisitoribus.

[5] Petrus Schnewly. [6] Vide supra p. 44 60. [7] Vide supra p. 45.

[8] Tyrnau sive Nagyszombath, urbs hungarica. Archiepiscopi strigonienses ibi sedem habebant, quia Strigonium (Esztergom, Gran) a Turcis occupatum erat.

Signori del Santo officio, et mostra non solo di uoler esser' catholico, ma di esser' stato sempre, et in segno di ciò hà fatto la professione de la fede in mano del Sacrista[1] in ottima forma, et l' hà sottoscritta di sua mano." Nunc Romae de rebus typographicis diligenter agit (ex commentario vel apographo eiusdem temporis, quod est in archivo vaticano, Nunz. di Germ. 12 f. 99ᵃ 100ᵇ). De litteris autem illis a Frobenio ad Bonhomium datis *Bonhomius* ipse Frobenio *scripsit: „Magnam animi consolationem mihi attulerunt litterae Dom. V. quas ad me Calendis Februarij dedit, eam praesertim ob causam, quod me de uestra cum Ecclesia Romana reconciliatione, fideique Catholicae professione coram Sacri palatij Magistro edita certum reddiderunt. . . . Cum primum Viennae fuero cum Sacra Caes: Maiest. de uestro hoc negocio agam diligenter et omni studio curabo, ut litterae statim ad Francfordiensem Senatum Imperatoris nomine dentur, quibus id expresse iubeatur, ut ex contractu, inter D. V., et Judeos Francfordianos inito, illos compellat ad libros iam impressos redimendos" (ex commentario; Cod. „Bonh. 1" f. 58ᵃ).

Canisius Bonhomio respondit 10. Aprilis 1582.

2131. CANISIUS **IACOBO CHRISTOPHORO BLARER A WARTENSEE** episcopo principi basileensi.

Friburgo Helvetiorum 5. Martii 1582.

Ex autographo (2°; 1 p.; in p. 4 inscriptio et particulae sigilli), quod exstat Bernae in archivo reipulicae, in foliis separatis. Epistulae partem gallice reddidit *Fr. X. Kohler* in libello sine suo nomine (in fine posuit „X. K.") edito: „Le Bienheureux Canisius et ses récents biographes", Porrentruy 1866, 14.

Christoph. Kest bibliopolam et Laur. Gröll litterarum studiosum commendat.

†

Pax Christi JESV nobis aeterna,
Reuererendiss. in Christo Pater,
et Jllustriss. Princeps[2].

Etsi difficile mihi ac uerecundum est, ad talem tantumque antistitem literas dare, cui neque notus sim, neque commendatus: tamen laudatiss. Praesulis humanitate confisus, et amicorum uotis precibusque commotus efficere non potui, quin ad amplitudinem tuam aliquid scriberem. Venit isthuc Christophorus noster, quem spectatae fidei, et Catholicae religionis bonaeque frugis esse ciuem nouimus, quique ad-

[1] In cardinalis Comensis *litteris 1. Februarii 1582 ad Bonhomium datis hic vocatur „Sacrista del palazzo". Erat autem is praelatus ille, qui in aedibus pontificiis sacra ministrabat iis, qui ad pontificis familiam sive domum pertinebant. Ab a. 1574 usque ad Clementis VIII. tempora id officium tenebat Augustinus Molari de Fiviziani O. Er. S. Aug. (*Moroni* l. c. LIX 187).

[2] Iacobus Christophorus Blarer, a. 1542 in arce Wartensee ex nobili familia Suebiae ortus, cum Friburgi Brisgoviae in universitate litteris studuisset, a. 1575 episcopus princeps basileensis electus est. Qui episcopatus per protestantes misere divexatus erat. Iacobus Christophorus igitur, ut vires augeret, a. 1579 cum septem pagis catholicis Helvetiae foedus pepigit. Item, cum decreta concilii tridentini promulgasset, a. 1581 in synodo Delsbergae habita leges saluberrimas tulit. Postea libros liturgicos emendate edendos curavit, multos tum suis, tum Capuccinorum et Iesuitarum contionibus ex haeresi ad fidem catholicam reduxit, a. 1591 Bruntruti (Porrentruy), ubi sedem habebat, collegium Societatis fundavit, a. 1592 typographiam condidit. Ita dignus habitus est, qui dioecesis basileensis instaurator appellaretur († 1608).

modum cupit, in libellis tum excudendis, tum procurandis et aduehendis dignitati uestrae ac eius Ecclesijs suam operam dare, fidumque omne ministerium exhibere[1]. Quare et Rectori Lucernensi[2], et mihi uisus est ille cumprimis idoneus, qui praestantiae tuae commendaretur, et in Basilaeensi ecclesia restaurando Catholicismo cui sane plurimum in Domino gratulamur, vtiliter inseruiret. Quibus autem rationibus id perfici queat, ex eo ipso facile cognoscet sapientia tua, cui me et Societatem hanc Jesu exiguam etiam atque etiam in Christo commendo. Paulo post veniet studiosus quidam et pius adolescens Laurentius[3], qui sibi proposuit breui sacris ordinibus initiari, ac propterea nescio qua fide ductus, meas ad Celsitudinem tuam literas sibi prodesse posse putauit. Sed ut uerum fatear, ego inuitus saepe in hoc commendandi officio uersor, et tam leuiter nolim occupatissimum Praesulem interpellare, neque satis tutum arbitror de alijs iudicium ferre. Sed huic in scribendo audaciae, praesertim quum ignotus ad ignotum haec mittam, etiam atque etiam precor ignosci. Friburgi Neutoniae 5 Martij 1582.

Seruus in Christo

Petrus Canisius Societatis Jesu.

† Reuerendiss. in Christo Patri et Jllustriss. Principi, Domino Christophoro Basilaeensi Episcopo et Patrono obseruandissimo. Ad proprias manus.

In pagina 4. epistulae manu eiusdem temporis notatum est: „D. Petrus Canisius commendat Christophorum Bibliopolam Friburgensem etc. Responsum est 6. Martij 1582." Vide tamen infra. ep. 2132.

Bruntruto 7. Februarii 1582 *Christophorus* episcopus P. Martino Leubenstain collegii lucernensis rectori *scripserat: „Wir haben auss Euerm schreiben vom ersten Decembris verschinen 81. Jars verstanden, Welcher massen Christoff Käst buchfierer zu Freyburg den Druckh Theuscher vnd Welscher Catechissmen abgeschlagen." Postea se cum alio quodam typographo egisse, sed in hoc quoque varias difficultates expertum esse. „Jst demnach an Euch vnser gnedigs begern, Jr wellen von dem buchdruckher zu Tillingen erkhündigen, Wass Er von Teüschen exemplaren vff die fünffzehundert, doch ohne die figuren zu druckhen, vnd dieselbige gehn Basel, dohin Jme dass Gelt alss dan, ohne fehlen gelüffert werden solte, nemmen wolte, daruber vnss entlichen haben zu resoluieren: Was dann die Französsischen Catechissmis betriff, wellen wir auch vernere fürsehung thun, wie dieselben jn Druckh mögen fürderlich gebracht werden" (ex apographo eiusdem temporis, quod est Bernae in archivo reipublicae bernensis; Cod. [basil.] „Missiuae de Annis 1582 et 1583" p. 63—64).

Christophorus Blarer Canisio respondit 7. Martii 1582.

2132. IACOBUS CHRISTOPHORUS BLARER A WARTENSEE episcopus princeps basileensis CANISIO.

Bruntruto 7. Martii 1582.

Ex apographo eiusdem temporis, quod est Bernae in archivo reipublicae, in codice, qui olim erat in archivo episcoporum basileensium et sic est inscriptus:

---

[1] Significatur Christophorus Kest sive Käst, bibliopola friburgensis; vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[2] P. Martino Leubenstain, qui haud multo ante Friburgum ad Canisium iuvandum venerat; v. supra p. 15 57.

[3] Is erat Laurentius Gröll a Lauffenberg (*Kohler* l. c. 15—16).

„Missiuae de Annis 1582 et 1583", p. 94—95. Apographo manu eadem in margine ascriptum est: „Domino Petro Canisio." Epistulam ex parte gallice reddidit *X. Kohler* l. c. (v. supra p. 71) 15.

Cum bibliopola de catechismis egit. Canisium laudat et invitat.

Jacobus Christophorus *etc.*[1]

Reuerende doctissimeque nobis in Christo plurimum dilecte, tuis perlectis literis, quibus Christophorum[2] Friburgensem ciuem Bibliopolam[a] nobis, commendas, ne uel uulgare apud nos, eaedem tuae literae ponderis habuisse, uel ipsi ut nobis certe videtur hominj probo atque sincero denegatum quid videretur · statim cum ipso ratione excudendorum Catechismorum plane transegimus[3], fore sperantes, ut fidelem et utilem ea in re, quam religionis nostrae catholicae iuuandae et propagandae studio, instituimus, operam nobis ecclesiaeque nostrae sit praestaturus. Ad te porro quod attinet, cum insignis et pietatis et eruditionis laude, caeteris anteire te, iam ante tum librorum tuorum lectione, tum multorum doctorum virorum relatione, compertum habeamus, gratum sane nobis erit, si quando in has partes proficiscendi[b] data occasione nos inuisere apudque nos diuertere[c] uolueris omnem tibi beneuolentiam et amorem exhibituri[d] [?]. Imo uero, si per occasionem licuerit et de eo certiores facti fuerimus, equos et alia ad profectionem necessaria, libentissime subministrabimus ut commode ad nos uenire queas deque ad Ecclesiae statum pertinentibus, alijsque rebus amice conferre possimus. Vale · ex arce nostra Bruntrutensi 7. Martij Anno 1582.

Blareri cum Kestio „transactionem" illam de catechismis prospere successisse intellegitur ex *litteris Delsbergio 9. Iunii 1582 a *Blarero* ad Kestium datis. „Wir haben", inquit ille, „Ewer schreiben der Cathechissmus halber gestrigen abent emfangen vnd seines Jnhalts vernommen, Darauff vnser gnedigs begern, dass Jr die angeregte Cathechissmus, zum fürderlichisten wöllen gehn Basel in vnsern Hoff lüefern, Dann wir vnserm Schaffner daselbsten beuelch gethan, zu welcher zeit Jr dieselbe daselbsthin bringen werden, Dass Er Euch die ordenliche bezallung . . . erstatten solle" (ex apographo eiusdem temp.; Cod. bern. „Missiuae" etc. [ut supra] p. 225—226). Dubitari autem vix potest, quin typis descriptus sit Canisii catechismus minor sive „Parvus Catechismus Catholicorum".

Haud recte igitur, puto, *C. Holder* negavit, Friburgi typographiam iam exstitisse ante eam, quam a. 1585 Gemperlinus ibi instituit (Mélanges d'Histoire Fribourgeoise I. Fribourg 1896, 3—9). Nec tamen Käst diu Friburgi fuisse videtur.

Canisius Blarero respondit 19. Martii 1582.

2133. IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS, apostolicus apud imperatorem nuntius, episcopus vercellensis, CANISIO.

Vindobona 13. Martii 1582.

Ex commentario a Caresana Bonhomii secretario scripto et sic inscripto: „Patri Canisio"; quod commentarium Bonhomius ipse emendavit et amplificavit. Cod. „Bonh. 1" f. 93.

a) Bibliopolem *apogr.* b) proficiscenti *apogr.* c) *Vel* diuerti; *apogr.:* diuerte. d) *Sic; corrigendumne* exhibituris?

[1] I. e.: Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Basiliensis etc.; cf. infra, ep. 2164. [2] Kest; v. supra p. 72. [3] Cf. supra p. 72 et infra, monum. 1272.

Canisii epistulae gratissimae. Bona marsensia. Scholae breui incohandae. Indulgentiae pro sodalitatibus marianis. Nuntius apostolicus. Collegium in Hungaria. Comitia imperii.

Reuerende admodum uti frater in Domino charissime. Si alia de hac Germanica legatione, quam, quae per litteras[a] XIIJ Decembris die datas[b] scripsit P. T., quibus iam ante[c] mensem acceptis, statim nempe[d] V° · Id. Februarij dum Possonij essem respondi[e] litterae sane illae nondum ad me perlatae sunt; ea tamen omnia et quaecunque alia uisum fuerit mihi intimare[f], semper[g] erunt quam gratissima. Quid enim[h] pijssimi, doctissimique patris, ac mei amantissimi consilia, et monitiones non magni faciam? De Friburgensibus rebus magna cum animi mei uoluptate accepi, quae P. T. mihi breuiter[i] significare uoluit, nam quamuis[k] eadem etiam ex aliorum litteris intellexerim[l], repetita tamen placent[1], sed praesertim tali, tantoque testimonio comprobata; Laetatus sum igitur ex animo de foelici rerum uestrarum, tam quae ad spiritualia quam quae ad temporalia pertinent, progressu[m], postquam ex Harpyorum[n] [?][2], ut ita dicam[o], manibus bona illa Marsensia eripuistis, sine ulla Senatus offensione[p]. Si quid uero nunc uidetur, quod ego cuperem, peculiariter insinuandum[q], illud profecto unum est, quod[r] primo quoque tempore etiam non perfecta[s] scholarum, Collegijque fabrica consulerem[t] aliquas lectiones grammaticae saltem haberi, puerosque[u] ad scholas admitti; siquidem dubitandum non est[v], quin et puerorum parentes, et reliqui omnes ciues, ubi uiderint tantam ex Collegio redundare filijs suis utilitatem, et commodum, magis erga uos afficiantur, largioresque ad Collegij, et Ecclesiae constructionem eleemosinas conferant[3]. Pro Societate[w] utraque Sanctissimae Virginis[4] curabo, ut

a) *Tria vv. sqq. a Bonh. ipso inserta sunt.* b) *Tria vv. sqq. a B. in margine addita sunt.* c) *Verbum sq. a B. additum est.* d) *Sex vv. sqq. a B. inserta sunt.* e) *Tria vv. sqq. a B. scripta sunt.* f) *Sic B. correxit ex* significare. g) *Sequitur* mihi, *oblitt.* h) *Hoc v. a B. supra versum scriptum est.* i) *Sequuntur vv.* sed luculenter admodum, *a B. oblitt.* k) *Sic B. correxit ex* quanquam et. l) *A B. corr. ex* intellexeram. m) *A B. corr. ex* successu. n) *Sic; corrigendumne* Harpyarum? o) *Sequuntur vv.* Deusque mihi parcat, *a B. oblitt.* p) *Quae sequuntur, usque ad* Pro Societate utraque *excl., in fine commentarii addita sunt, ita tamen, ut significaretur, ea hoc loco inserenda esse; atque prior pars, usque ad* consulerem *incl., a B., reliqua a Car. scripta sunt.* q) *Sic B. immutavit, quae primum scripserat:* Si quid uero mihi, quod nunc cuperem, peculiariter significandum est. r) *A B. corr. ex* esset, ut. s) *A B. corr. ex* omnino absoluta. t) *Sequitur* inciperentur, *oblitt.* u) *A B. corr. ex* puerique. v) *A B. corr. ex* nihil enim dubitandum. w) *Tria vv. sqq. a B. inserta sunt.*

[1] „Haec placuit semel, haec deciens repetita placebit“: *Horatius,* De arte poëtica v. 365.

[2] Significari videntur Erhardus Garmisvil et Franciscus Gapanius, quibus bona illa exeunte a. 1580 ad sex annos elocata erant; v. supra p. 22 33. Vide, quae ex Bonhomii litteris ad P. Ardrenum datis sub ipsam hanc epistulam dicentur.

[3] Vide, quae sub ipsas has litteras in n. 1 dicentur.

[4] Significantur congregationes marianae virorum (mulierumque) et iuvenum litteris studentium; v. supra p. 49. *Cardinalis Comensis* Bonhomio ad litteras eodem hoc die 13. Martii sibi missas Roma 31. Martii 1582 respondit: „Quanto a le indulgentie per le Compagnie de la Madonna instituite in Friburg, de le quali fà instanza il P. Canisio, si è detto a l' agente di V. S. che pigli cura d' hauer ne la copia da li Padri Giesuiti, che si darà ordine per la speditione del breue, giache N. Signore se

omnia eadem priuilegia, et indulgentiae concedantur, quae hic Viennae, et alibi in Germania eiusmodi Sodalitati concessae iam sunt[1]: De Apostolico Nuncio in Helvetiam rursus mittendo nihil esse sperandum existimo hoc tempore · causas uero cur[a] [?] attexam, necessarium non existimo[b]. Jn Vngaria habebimus Deo bene iuuante Societatis Collegium, et satis spero opulentum, quod nescio qua ratione ego in magna negociorum perturbatione impetrauerim[2]: pro cuius Collegij ac pro meae legationis optimo[c] successu, P. T. oro, ut apud Diuinam Maiestatem perpetuo intercedat: Vereor enim maximopere, ne peccata mea multa bona impediant: egoque tandem pastoralis prope officij oblitus, seculares mores induam; Jn Augustanis Comitijs proxime futuris iure timendum est, ne Catholica Religio non leuem iacturam faciat[3], nisi Diuina pietas dexteram suam potentissimam inimicorum audaciae obiecerit: Quare iterum, atque iterum assiduis, ijsque feruentibus precibus opus esse repeto, atque inculco; Viennae Austriae III[a] Idus Martij MDLXXXII.

1. *Bonhomius*, quae de scholis Canisio scripsit, auctore Schnewlino praeposito scripsisse videtur. Huic enim 10. Martii 1582 scripsit: „De diuersis construendi Collegij rationibus proferre non audeo sententiam meam . . .: scholas porro, quam primum, etiam non expectata totius operis absolutione, institui probo, patrique ipsi Canisio meum significabo hac de re iudicium ac desiderium“ (ex commentario a Bonhomio ipso recognito, Bonh. 1 f. 69[b]; etiam apud *Berthier*, Bonh. 101).

2. Eodem die *Bonhomius* P. Roberto Ardreno S. J., qui eum de collegii friburgensis prosperis initiis certum reddiderat, *scripsit: „Jd mihi ualde placuit, quod e conductorum istorum manibus, uel potius famelicis faucibus bona illa Marsensia

a) *Sic; corrigendumne* ut? b) *A Car. corr. ex* duco. c) *Sic B. correxit ex* pro eius *[?]* meaeque legationis foelici.

n' è benignamente contentato“ (ex apographo eiusdem temp., quod est in archivo vaticano, „Nunz. di Germ. 12“ f. 116).

[1] In cod. „Instit. 196“ f. 481[b]—482[a] exstat apographum eodem fere tempore scriptum *litterarum Romae 29. Martii 1580 datarum, quibus *Gregorius XIII.* congregationi marianae Pragae in contubernio iuvenum litteris studentium a Sociis institutae varias indulgentias tribuit. Cui apographo manu eadem adnotatum est, easdem litteras sodalibus „Viennensibus“ concessas esse. Breve simile 10. Decembris 1578 a *Gregorio XIII.* sodalitatibus marianis Dilingae, Monachii, Halae, Lucernae, Ingolstadii, Augustae, Landsbergae constitutis concessum est (*Synopsis* Actorum S. Sedis in causa Societatis Iesu, Florentiae 1887 et Lovanii 1895, 519). Breve sodalitati friburgensi tributum ponetur infra, monum. 1325.

[2] P. *Henricus Blyssemius* provinciae austriacae S. J. praepositus Praga 5. Iunii 1582 Aquavivae praeposito generali de Bonhomio *scripsit: „Diu multumque tractauit cum ipso Caesare et cum quibusdam Episcopis Hungariae, vt Collegium Societatis erigatur Tyrnauiae, vbi antea fuerat . . . et sicut ipse narrat, uidetur aliqualem consensum licet necdum efficacem nec confirmatum obtinuisse. Mitto R. P. V. exemplum de loco et redditibus quibus Collegium ille a Caesare fundandum desiderat“ (ex autogr.; Germ. 160 f. 73[a]. „Exemplum“ illud exstat ibidem f. 315—316). Collegium tyrnaviense circa a. 1560 incohatum, a. 1567 dissolutum erat; neque hoc tempore instauratum est.

[3] Haec imperii comitia in diem 22. Aprilis indicta, exeunte Iunio incohata sunt. Guilielmus Cliviae dux Gregorio XIII. scripsit, protestantes Augustae „libertatem religionis“ petituros esse (*Theiner* III 311—317).

eripueritis, ex totius Senatus decreto, necnon ipsorum etiam assensu accedente; Magnam quoque ex eo consolationem coepi, quod et Pater Canisius solitas conciones, et P. Antonius lectiones prosequuntur, tanto cum spiritali fructu, et Friburgensium applausu et frequentia" (ex commentario per Bonhomium recognito; Cod. „Bonh. 1" f. 67a).

In * *Tabulis* senatus friburgensis haec notata sunt de sessione 16. Februarii 1582 habita: „Vss nachlass myner Herren ist Loys grimaud von Marsens, zu einem weibel vnd vffseher des gottshuss marsens, vnnd sijner gütern . . . geordnet, der hatt ein eid gethan, wie die statthalter vff den vogtyen thund" („Manual" consilii cotidiani ab 1. Ianuarii ad 24. Iunii perductum; Friburgi in archivo reipublicae).

Canisius Bonhomio respondit 26. Aprilis 1582.

2134. **CLAUDIUS AQUAVIVA** praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 16. Martii 1582.

Ex commentario sic inscripto: „Friburgi P. Canisio." G. Sup. 1 f. 69b.

Manareum visitatorem rebus friburgensibus prospecturum. De Canisii nepotibus.

De negotijs istis etsi quantum[a] [?] Reuerentia V. ad me postremo scripsit[b] libenter cognoui, tamen quid respondeam non habeo, cum P. Visitator[1] qui ea certius explorata habet, facilius statuere de omnibus possit. Atque idem etiam non deerit pro sua caritate et prudentia quin locum istum omni ope subleuet, et si ita expediens iudicetur, etiam denuo uos reuisat. Jtaque ego unum illud admonere uolebam Reuerentiam V., si forte neque a P. Rectore Collegii Germanici[2] neque ab alio ut putabamus admonita fuisset, ut cum libebit, nepotes suos Romam mitteret, quia non deerit eis locus uel ut confidimus in Collegio uel certe in Seminario nostro[3]. Ac utrouis in loco fuerint, Reuerentia V. dubitare non debet quin nobis tantae curae futuri sint quantum postulat caritas quam Reuerentiae V. meritis et laboribus Societas debet. Nunc Reuerentia V. salutet nostro nomine P. Antonium Balduinum comitem istius missionis suae, cuius epistolae respondebimus cum primum uacabit · sed interea intelligere illum uolui eam nobis et redditam fuisse, et gratam extitisse. Dominus autem sit cum Reuerentia V. et socijs eius eosque omnes impleat gratia, et benedictione sua · Amen. Romae 16 Martij 1582.

Canisius Aquavivae respondisse videtur 26. Augusti 1582.

2135. CANISIUS **IACOBO CHRISTOPHORO BLARER**, episcopo principi basileensi. Friburgo Helvetiorum 19. Martii 1582.

Ex autographo (2°; $^1/_2$ p.; in p. 4 inscr. et particulae sigilli), quod est Bernae in archivo reipublicae, in folio separato. Epistulae partes gallice reddidit *Kohler* l. c. (v. supra p. 71) 15.

Episcopi humanitas in bibliopolam friburgensem. Canisius ab episcopo invitatus. Iuvenis ad sacerdotium aspirans.

a) *Vel* quae. b) *Sequitur* gratum *vel* grata, *oblitt.*

[1] Oliverius Manareus. [2] Michaele Lauretano.
[3] Vide supra p. 41 49.

†

Pax IESV CHRISTi nobis aeterna.

Reuerendissime Domine et Jllustriss. Princeps.

Quas ad me Celsitudo tua literas dedit, Christophorus noster [1] his diebus reddidit, meamque commendationem non parum isthic sibi profuisse testatus est. Ego uero, uti par est, ingentes ago gratias tantae humanitati, quae in illum ample collata est, atque ut fidem datam in Basilaeensis Ecclesiae commodum praestet, libenter urgebo. Abijt autem modo Lugdunum, vnde huc redire statuit ante Paschales ferias [2] Christo auxiliante. Quod uero eadem benignitas tua me, ut ad se ueniam, clementer inuitat, singularem optimi Praesulis beneuolentiam et officiosam charitatem agnosco, etsi doleam me tantis promissis et oblatae munificentiae Patroni gratiam referre non posse. Christum Opt. Max. ex animo precor, vt pietatis tuae conatus insignes, qui ad statum Catholicae religionis promouendum spectant, ad sui nominis gloriam magis magisque prosperet.

Venit autem isthuc Laurentius adolescens, cuius et antea memineram [3], et sacris cupit ordinibus initiari, bonus et Catholicus ille quidem, sed meliore fortuna dignus tum ad curandam ualetudinem tum ad studia prouehenda, in quibus nescio quantum hactenus profecerit. Caetera ex illo ipso coram intelliget, quisquis amplitudinis tuae nomine illum examinauerit. Vehementer sane optarim idoneos et fidos operarios in hoc Episcopatu suppetere, quorum ministerijs ad Ecclesias plaerasque tum conseruandas tum restituendas passim egemus. Dominus IESVS Celsitudinem tuam nobis et Ecclesiae diu sospitem seruet. Friburgi 19 Martij 1582.

Seruus in Christo

Petrus Canisius.

† Reuerendiss. in Christo Patri ac Jllustriss. Principi, Domino Iacobo Christophoro Episcopo Basilaeensi, Patrono benigniss. Ad manus proprias.

2136. CANISIUS **IOANNI FRANCISCO BONHOMIO**, apostolico apud imperatorem nuntio, episcopo vercellensi.

Friburgo Helvetiorum 10. Aprilis 1582.

Ex epistularum a Bonhomio ad Canisium et ad Schnewlinum datarum commentariis ab ipso Bonhomio recognitis. Cod. „Bonh. 1" f. 158a—161b. Bonhomii litterae ad Schnewlinum exstant etiam apud *Berthier*, Bonh. 104—106.

Controversiae inter praepositum senatumque atque inter Socios canonicosque ortae.

Bonhomius „Polnij in Bohemia" (Polna) 30. Maii 1582 Canisio scripsit: „Quas ad me dedit P. Tua X° Aprilis proxime elapsi die, paulo ante quam Vienna discederem, accepi." Neque dubitari potest, quin Bonhomius easdem Canisii litteras significaverit, cum eodem d. 30. Maii

[1] Christophorus Kest, bibliopola et civis friburgensis; v. supra p. 72.

[2] Pascha futurum erat 15. Aprilis. [3] Laurentius Gröll; v. supra p. 72.

1582 „Thaischenprotij in Bohemia“ (Deutsch Brod) Petro Schnewlino praeposito friburgensi scriberet: „Non sine magna animi molestia, ex Patris Canisij litteris accepi, nescio quas tibi motas a Senatu de iurisdictione Ecclesiastica controuersias; Quamobrem ego, qui de rebus uestris, maxime uero de fundamentis istis per me iactis, ne pereant, et absens sollicitus esse debeo, ad Senatum ipsum scribere constitui, quemadmodum ex adiectis litteris cognoscere poteris; quas ideo ad te mitto, apertas, ut una cum Patre Canisio deliberetis, expediat ne illas reddere, necne.“ Ad easdem Canisii litteras spectare videntur etiam haec, quae Bonhomius Schnewlino scripsit: „Audiui laeto animo Marsensium bonorum conductores cessisse locationis contractui, liberumque monasterium patribus esse iam dimissum, praeter duos illos fratres qui impensis monasterij ali, et sustentari debent, de quibus libenter scirem, an regulam seruent, an in monasterio celebrent, an pro libito uagentur tabernasue frequentent, et huiusmodi alia, ad quae pronos se esse iampridem ostenderunt. Illud quoque mihi esset gratum intelligere, quid de parochiali illa ecclesia Capitulo unita, de qua initio animaduerteram nescio quam difficultatem incidisse, inter Capitulum, et Patres deleta iam locatione conuenerit; Siquidem cupio uehementer, ut nihil unquam inter uos dissidij, simultatis, aut etiam suspicionis intercedat.“ Plura de his Canisii litteris vide in epistula a Bonhomio ad eum data, quam supra dixi; per hanc enim Bonhomius ei respondit.

His verbis haec iuverit adnotare: 1. Litterae illae a Bonhomio ad senatum friburgensem datae exstant adhuc Friburgi in archivo reipublicae. Cod. „Epp. ad Schn.“ f. 63: quibus Schnewly ascripsit: „Has Senatui non reddidi, quod his aduenientibus res iam erant compositae.“ Litteras posuit *Berthier*, Bonh. 178—180. 2. Bonhomius Friburgi 20. Augusti 1580 capitulo S. Nicolai ad inopiam eius levandam quinque parochiales ecclesias extra urbem sitas cum earum bonis „perpetua unione“ adiunxerat ea condicione, ut vicariis ibidem curam animarum gerentibus certae pecuniae solverentur. Ex harum numero erat ecclesia „Sancti Vincentii in Farvagny“ *Berthier* l. c. 233: in qua parochia monasterium Marsens sacellum, aedificia alia, agros habebat; v. infra, monum. 1309.

2137. CANISIUS **IOANNI FRANCISCO BONHOMIO**, apostolico apud Caesarem nuntio. Friburgo Helvetiorum 26. Aprilis 1582.

De his litteris, quae iam non exstare videntur, vide epistulam 28. Iunii 1582 a Bonhomio ad Canisium datam (ep. 2145); hac enim ille Canisio respondit.

2138. CANISIUS **P. GEORGIO BADER** praeposito provinciae Germaniae superioris Societatis Iesu.

Friburgo Helvetiorum inter medium fere m. Maium et ineuntem m. Iunium 1582.

Ex Baderi litteris autographis: Germ. 160 f. 87.

De P. Balduino procuratore queritur. Difficultates proponit.

P. Georgius Bader Germaniae superioris praepositus provincialis Monachio 20. Iunii 1582 Claudio Aquavivae praeposito generali scripsit: „Ante paucos dies ex Heluetia reuersus“ sum. „Postquam a V. R. P. Pro-

uincialis sum renuntiatus[1], *statim in Heluetiam proficisci necesse habui, ob quasdam Friburgensis collegij difficultates. . . . Postrema et non minima est de Superiore istius loci, qui est P. Petrus Canisius, omnium etiam suo iudicio huic munerj impar. quam ob caussam post multas admonitiones, instructiones et reprehensiones frustra adhibitas, coactus fuit R. P. Visitator*[2] *ej alium adiungere, qui omnium externarum seu temporalium rerum curam et potestatem haberet absolutam, sola consultatiua uoce in ijs relicta P. Canisio, in spiritualibus uero definitiua et absoluta · is est P. Antonius Balduinus · Verum nec sic res successum habuit: cum et duorum in eadem domo capitum constitutio, non solum ipsis inter se capitibus, sed etiam reliquis membris cum suis capitibus confusionis materiam subministrare uideretur, et P. Antonius ut est in omnibus rebus praeceps, proprij iudicij amans et tenax, imperiosus denique, et in rebus parum uersatus, omnium spretis consilijs multa faceret inconsiderate ac parum modeste, et cum Superiore parum ageret reuerenter. Itaque coactus sum, denuo ej manus ligare, relicta ej lectione catechistica et casuum: procuratione etiam bonorum temporalium monasterij tantum, et cura fabricae: hac conditione, ut nihil uel domi uel foris mutet uel etiam tractet, nisi res prius in consultatione domi tractetur, in qua ut a P. Visitatore fuit constitutum, ipse definitiuam habeat uocem; executionem tamen possit suspendere Superior, si res alicuius momenti tantam patiatur moram. Verum nec sic satis rebus consultum uidetur · neuter enim eorum quiescet, ut expertus sum uix digressus Friburgo, cum uterque ad me literas querelarum et difficultatum plenas dedit. Quare si paci et tranquillitati domesticae; si aedificationi externorum; si denique bonis temporalibus (quorum procurationi parum se applicat P. Antonius) consultum uelimus, necesse erit primo quoque tempore cogitare de uno aliquo idoneo Superiore quem expediret linguae Gallicae non imperitum esse, cum maior pars ciuitatis, pagani uero uicini omnes, praesertim bonorum nostrorum possessores, ea lingua utantur. Consultores ad tempus assignaui P. Antonium Kaut, qui et minister est, et P. Antonium Balduinum, qui et Admonitor.*"

Aquavira Badero Roma 19. Iulii 1582 *respondit: „Quod attinet ad Superiorem sine dubio aliquis constituendus est, quando bonus P. Canisius illi curae nequaquam sufficere potest. . . . P. Canisius etsi aliorum cura uacuus ibidem tamen ad tempus subsistere posset ad conciones, et cetera proximorum exercitia" ex commentario: G. Sup. 1 f. 74b.

In eadem epistula Bader Aquavivam certiorem fecit, a Manareo visitatore Canisium, „quod is longius abesset", munere consultoris praepositi provincialis levatum et in eius locum P. Ferdinandum Alber substitutum esse.

In *libello, quem supra p. 64 dixi, *Canisius* notavit, se „1582 5 Maij coram P. Badero Prouint." Friburgi confessionem generalem de peccatis a confessione generali anni superioris commissis: v. *Can.* VII 511[2] instituisse „cúm proposito humilit[atis]".

[1] Renuntiatus esse videtur circa initium m. Aprilis 1582 Germ. 160 f. 30a.
[2] Oliverius Manareus.

2139. IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS, apostolicus apud imperatorem nuntius, episcopus vercellensis, CANISIO.

Polna 30. Maii 1582.

Ex commentario ab Caresana secretario scripto et sic inscripto: „Patri Canisio": quod commentarium Bonhomius sua manu correxit et amplificavit. Cod. „Bonh. 1" f. 158a-160a.

Controversia inter praepositum et senatum. Nuntius in Helvetiam mittendus. Ecclesia lausannensis. Bibliotheca. Comitiorum augustanorum pericula. Guilielmus V. Bavariae dux. Pietas Friburgensium. Palaeologus captus. Visitatio Paulanorum. Collegium in Hungaria. Plurimi ex haeresi educti. Reditus in episcopatum.

Reuerende admodum uti frater in Domino Charissime. Quas ad me dedit P. Tua X° Aprilis proxime elapsi die, paulo ante quam Vienna discederem[a], accepi; Jtaque plurimis ut eram occupationibus impeditus, non statim respondi; Nunc uero in Augustano itinere aliquid ocij nactus, dicam primo dolore me non mediocri ex eo affectum fuisse, quod inter Senatum, et Praepositum de iurisdictione Ecclesiastica magnam ortam controuersiam intellexerim[1], quam ego sane, si praesens adessem, sedare me posse nullo negocio confiderem: Sed haec, et multa alia incommoda uereor, ne in[b] istam miseram prouinciam inducantur maiora in dies. Quamobrem facile cognoscent, qui oculos habent, et aliquid sapiunt, quanti intersit presentem habere Nuncium Apostolicum; Scribo[c] equidem ad Senatum hac de re litteras, quas ad Praepositum ipsum apertas mitto, ut, si ita[d] expedire iudicaueritis, eas obsignet, ac reddat ipse, uel ab alio reddi curet[2]; Quid tamen sim assecuturus, non satis scio: Egi diligenter Romae, ut iterum Sedis Apostolicae nomine Praelatus aliquis Nuncius[e] istuc mittatur, ne pars adeo nobilis Germaniae, ex qua, si colatur, ut coeptum est, non contemnendos[f] fructus collectum iri sperare possumus, omnino uideatur negligi[g]; Sed quid futurum sit, iudicare non audeo, quando parum honorifice tractatum constat[h], qui missus ante fuerat, ab haereticis, et a Catholicis ipsis[i] quasi expulsus[3]; De Ecclesia item Lausanensi scripsi Romam iamdudum[k], et spero aliquem in Comitijs Thermipolitanis adfuturum, qui et Sanctissimi D. et Jmperatoris[4] nomine restitutionem illius Ecclesiae petat[5]; Bene omnino sperare debet Paternitas Tua de Collegio isto, cuius tam praeclara iacta sunt, si recte meminit[l], fundamenta, nempe[m], Bernensi illa mirifica, et mihi semper admodum recolenda accepta[n] contumelia[6], et litteris illis Apostolicis tam cito,

a) *Sic Bonh. correxit ex* iter inirem. b) *Hoc v. supra versum scriptum est.* c) *A B. correctum ex* Scribam. d) *Hoc v. a B. supra versum scriptum est.* e) *Car. scripserat* iterum aliquis Nuncius. *B. vero, deleto v.* aliquis, *in fine commentarii significavit, ita scribendum esse, ut supra positum est.* f) *A B. corr. ex* egregios. g) *Sic B. correxit ex* possumus, negligatur. h) *Sic B. correxit ex* tractatus uidetur. i) *A B. corr. ex* et Catholicis. k) *A B. corr. ex* diligenter. l) *A B. corr. ex* meministi. m) *Sequitur* cum, *oblitt.* n) *Hoc v. a B. additum est.*

[1] Vide supra p. 43. [2] Cf. supra p. 42-43.
[3] Significatur ipse Bonhomius; v. supra p. 53. [4] Rudolphi II.
[5] Id factum neque vero quicquam effectum est.
[6] Vide supra p. 53.

tamque improuiso ad nos in Marsensi monasterio postea[a] [?] perlatis[1]. Quod nihil hactenus uobis ad comparandam bibliothecam a Sanctissimo Domino[2] collatum sit, illud potius meis peccatis, quam illius Sanctitatis tenacitati tribuendum puto, quando sancta illius liberalitas non adeo exiguis terminis concluditur, ut mille aureos nummos Collegio isti, unde fructum maximum, ad Catholicae Religionis incrementum expectare[b] iure debet, largiri non uelit, ac[c] non incommode[d] [?] possit: Cardinalem autem Sanctae Praxedis, qui hac aestate Romam profecturus est[3], rogabo, et quantum potero, urgebo, ut hoc honestum subsidium uestro isti Collegio omnino a Sanctissimo Domino nostro impetret[e]; Neque diffido fore, ut honestissima uota nostra non omnino inania euadant. De Comitijs Augustanis, quid boni exitus sperandum sit, aliorum esto iudicium; Ego autem, quanquam potiores partes Illustrissimi Legati erunt[4], nulla ex parte officio meo, Deo auxiliante, deero: Sed uere Catholici pauci sunt, ex ijsque tepidi, aut claudicantes potius, multi; Aduersarij autem nostri, et feruentiores, et audaciores, atque adeo sunt potentiores: Jtaque agenda est Religionis nostrae causa magis precibus, quam humano consilio; Augustae erimus, Christo annuente, paulo post Sanctissimum Corporis Dominici diem[5], quem quidem Monachij agere cogitaui, ut Serenissimum illum, ac pijssimum Principem[6], mihi, quae nimia est illius charitas, atque humanitas, in Domino coniunctissimum inuisam. Jbi spero frequentiores me a uobis accepturum litteras; De rebus uestris peculiaribus scribo ad P. Rupertum[f] [7], atque ad Reuerendum[g] Praepositum[8] fusius, ut e re esse cogitaui[9], patremque ipsum Rupertum certiorem feci, de ijs omnibus, quae ad Collegium uestrum pertinentia ad Praep.[h] scripsi, quamobrem nihil hisce attexam; Tantum gratulor de Marianae Congregationis spiritali progressu, deque Friburgensis populi ad sacram Synaxin frequentia; Haec enim est fere una, ac praecipua ad pietatem, et castissimos mores inducendos semita; Quid porro ego in his partibus hactenus[i] praestiterim, Deus nouit, qui, si quid mea opera, aut ministerio, ad Ecclesiae suae commodum, aut exaltationem confert, id etiam omne[k] mihi aperte satis ostendit, ex sua potius benignitate, quam ex ulla mea industria,

a) *Hoc v. a B. in margine, obscurius tamen, ascriptum est.* b) *A B. corr. ex* sperare. c) *Duo vv. sqq. a B. addita sunt.* d) *Sic; sed scribendum fuisse videtur* commode. e) *Undecim vv. sqq. a B. (in fine commentarii) addita sunt. Car. primum scripserat:* speroque uota nostra futura non inania; *quae B. primum sic immutarit:* Nec diffido uota nostra futura non omnino inania; *deinde haec oblitterarit.* f) *Sequitur* fusius, *a B. oblitteratum. Idem vv. sqq., usque ad* Tantum gratulor *excl., hoc loco addenda esse significarit in fine commentarii.* g) *Sequitur* ipsum, *oblitt.* h) *A B. corr. ex* illum. i) *Sic B. corr. ex* Quid autem ego hoc anno. k) *A B. corr. ex* ex ratione.

[1] Litteras dicit, quibus monasterium illud collegio Societatis friburgensi tradebatur: v. *Can.* VII 866. [2] Gregorio XIII.

[3] S. Carolum Borromaeum, archiepiscopum mediolanensem; v. supra p. 62.

[4] Cardinalis Ludovici Madrutii, episcopi tridentini, a pontifice ad haec imperii comitia legati.

[5] Is futurus erat 14. Iunii. [6] Guilielmum V. Bavariae ducem.

[7] Robertum Ardrenum S. J. [8] Petrum Schnewly. [9] Vide supra p. 78.

aut uirtute procedere: quando me assidue[a] illius Maiestatem quotidianis peccatis prouocantem[b], aliqua impetrare uoluit, quae mira, atque inaudita prorsus omnibus, qui intellexerunt, uisa sunt; Siquidem illo aspirante Palaeologum, ordinis Dominicani Apostatam, qui septies uinctus e carcere elapsus est, quique inter Haereticos, imo Haeresiarcas omnes primas obtinere uidetur, (non enim tantum diuinitatem Christi negat[c], sed illum etiam in precibus inuocari non debere asserit) mihi Jmperator concessit Romam, quo[d] iam uinctum dimisi, ablegandum[1]: quanquam quietas noctes non omnino agam, donec insignem hanc praedam[e] Romam adductam fuisse intelligam; Quid, quod eiusdem Maiestatis rogatu uisitare me oportuit, Sancti Pauli primi Haeremitae Regulares, quod nulli sane unquam predecessorum meorum, uel enixe[f] summi ipsius Pontificis id petentium verbis concessum fuisse certum est[2]. Mitto Collegium Societatis Vestrae in Vngaria[3] iam iam eiusdem Dei gratia adiutrice[g] instituendum; Mitto multa alia, quae sacra illius Maiestas haud obscura pietatis suae, ac propensionis mihi exhibuit argumenta, Vnum illud sit Paternitati tuae admirationi potius, quam consolationi, quod[h] post aduentum in has partes meum, centum circiter animarum millia (sed non omnes quidem, ut uere fatear[i] me curante, instanteue) e faucibus Haereticorum[k] ereptae sunt, et Catholicis Concionatoribus instruendae creditae[l] [4]. Quae[m] etsi non statim Catholicam

a) *A B. corr. ex* quotidie. b) *Sequuntur vv.* ipse tamen, *a B. oblitt.* c) *A B. corr. ex* negatam. d) *A B. corr. ex* concessit, ut. e) *A B. corr. ex* donec incolumem. f) *Sequitur* petenti, *oblitt. Sex vv. sqq. hic addenda esse B. in fine commentarii significavit.* g) *Hoc v. a B. additum est.* h) *A B. corr. ex* quam. i) *Sic B. correxit ex* quanquam ut uere fatear, non omnes. k) *Sequitur* erepta, *oblitt.* l) *Sequitur* sunt, *oblitt.* m) *Sequitur* quidem, *oblitt.*

[1] Iacobus Massillara, qui se Palaeologum vocabat, circa a. 1520 ex imperatorum byzantinorum genere, ut ipse quidem aiebat, in insula Chio ortus, cum in Italia litteris studuisset, inde, quia in Lutheri partes transierat, in Germaniam aufugit: Postea ad Antitrinitarios transgressus et Claudiopoli (Kolozsvár) in Transsylvania rector effectus est (1569). In Moravia captus, Romae 22. Martii 1585, scelerum poenitens, securi percussus est (*Ces. Cantù,* Les Hérétiques d'Italie III, Paris 1870, 424—425; *L. v. Pastor,* Geschichte der Päpste IX, Freiburg i. Br. 1923, 221).

[2] Ordo Fratrum Eremitarum S. Pauli, qui regulam S. Augustini, additis severis quibusdam constitutionibus, sequebatur, in Hungaria circa a. 1250 institutus, hoc tempore ibi sat multa monasteria habebat indeque in vicinas quoque terras inductus erat. Lamberto Gruter episcopo neostadiensi (Wiener-Neustadt) *Bonhomius* Vindobona 22. Martii 1582 *scripsit: Imperator „multum se cupere ostendit, ut aliqua per me Generali ordinis" illius „Praeposito ratio praestitueretur, qua rectius quam hactenus illius Religionis bona ac monasteria administrarentur, quae sane iam uidentur proxime ad interitum declinare, ac labi" (ex commentario: „Bonh. 1" f. 82[a]). Decreta reformationis Paulanorum ipso hoc anno 1582 a Bonhomio facta exstant in cod. „Bonh. 1" f. 150[a]—151[a]. [3] Tyrnaviae; v. supra p. 75.

[4] Bonhomius Tyrnavia 25. Februarii 1582 Marco Fuggero *scripsit, „Nicolaum Palphium [Pálffy] Caesaris cubicularium, et Possoniensis ditionis Comitem, nouissime ab illius Maiestate impetrasse ut ex uillis omnibus ad arcem Possoniensem pertinentibus Haereticos concionatores expellat. . . . Quamobrem cum Ill. V. Dominatio in eodem Comitatu Possoniensi Arcem Vereschi [Verécze? Veréczehid?] obtineat, in cuius oppidis, ac uillis plerosque concionatores Haereticos esse certo comperi, illam etiam, atque etiam hortari, atque in Domino rogare statui, ut eandem petitionem

Religionem amplectentur, sperandum est tamen, ut ad ueritatis agnitionem[1] a Catholicis Magistris eruditae paulatim conuertantur. Deo omnipotenti sit laus, et sempiterna gloria, qui, ut illius potentia, et gloria magis elucescat, interdum infirmiores mundi homines elegit[2], quorum[a] opera ad maximas res conficiendas uteretur. Paternitatem Tuam obnixe[b] rogo, ut me, miserijs maximis undique afflictatum, suis secretioribus precibus adiuuet, quo possim sine ulla diuinae ipsius Maiestatis offensa, ministerium meum implere[3], et sanctam eiusdem uoluntatem perfectissime exequi[c]. Illud uero[d] praecipue quod ego sane impetrare non sum dignus, a Deo patre misericordiarum[4] petat, atque efflagitet[e], rogo, ut mihi[f] ab hoc exilio[g] reuocato[h] redire liceat quam primum[i] ad ecclesiam meam quae profecto non leuia ex absentia mea accipit incommoda[k]. Polnij in Bohemia IIJ. Cal. Junij MDLXXXII.

Ratisbona (Regensburg) 10. Iunii 1582 *Bonhomius* S. Carolo Borromaeo *scripsit: „Scrissi questi giorni adietro al padre Canisio, con occasione di rispondere ad una sua lettera, il sommario delle gratie, ch' Jddio mi hauea fatte quest' anno in questa legatione. Se ben dall' altro canto io conobbi hauere grande occasione di mortificarmi, e di humigliarmi, et hó uoluto mandar copia medesimamente à VS. Illustrissima del medesimo capitolo, che parlaua di questa materia, parendomi, che non sia persona, con la quale mi debbia più ragioneuolmente allargarmi, che con lei, la quale só certo, ch' oltre tanti oblighi ch' io le tengo, mi ama nel Signore oltre ogni merito mio" (ex apographo totius epistulae, saeculo, ut videtur, XVIII. exscripto ex „Tom. 19, p. 6, a fol. 263" [epistularum, puto, ad S. Carolum datarum], quod est in bibliotheca vaticana, Cod. lat. Ottobon. 3171 f. 60—61).

Epistula ad P. Ardrenum, ad quam Bonhomius Canisium in his litteris remittit, eodem die data et satis brevis est: cui tamen Bonhomius apographum illorum capitum epistulae eodem die ad Schnewlinum a se datae adiunxit, quae Socios spectabant (Bonh. 1 f. 161ᵇ—162ᵃ); quae capita vide supra p. 78. Ceterum Ardrenus, cum Bonhomii litterae Friburgum afferrentur, iam ibi non erat · Die enim 19. Maii 1582 Lucernam rediit: ubi „praefectus studiorum" constitutus est (Cod. „Liber Historiae Collegii Societatis Iesu Lucernae anno MDCXVIII scribi coeptus" T. I p. 59). P. *Oliverius Manareus* visitator Augusta Vindelicorum 17. Martii 1582 Claudio Aquavivae praeposito generali *scripsit: „Misi Friburgensibus quem obtuleram Antonium Kaut his proximis 4 temporibus factum sacerdotem, uirum omnibus probatum et fere Heluetum, ut in officium P. Roberti Angli succedat procuratoris; spero illi missioni bene satis esse modo prospectum. Auide expecto cognoscere quid P. Martinus Rector Lucernensis ibi fecerit, sed tam parum est commertij inter hanc gentem Sueuicam et illam, ut rarissime habeamus literas, praesertim Hyeme" (ex autogr.; Germ. 160 f. 14ᵃ). An-

a) *Sic B. correxit ex* ut eorum. b) *A B. corr. ex* enixe. c) *Sequitur* possim, *oblitt. Quae sequuntur, usque ad* Polnij *excl., B. sua manu addidit.* d) *Hoc v. B. supra versum scripsit.* e) *B. primum scripserat:* Illud uero praecipue a Deo patre misericordiarum petat, atque efflagitet, quod ego sane impetrare non sum dignus. f) *Hoc v. B. supra versum scripsit.* g) *Sequitur* quam primum reuisere, *oblitt.* h) *A B. corr. ex* reuocatus. i) *Haec duo vv. supra versum scripta sunt.* k) *Sequuntur vv.* quae *[?]* non omnes acciderent *[?]* egoque ipse mihi, *oblitt.*

Caesari offerre quam primum uelit". Fuggeros Bonhomio morem gessisse et, ut ex hungaricis terris suis contionatores haeretici expellerentur, mandasse intellegitur ex *Bonhomii* *litteris Vindobona 11. Maii 1582 ad Georgium Drascovitium (Drascovics) episcopum iaurinensem (Györ, Raab) datis (ex commentariis, quae sunt in „Bonh. 1" f. 57 141ᵇ).

[1] 1 Tim 2, 4. [2] Cf. 1 Cor 1, 27. [3] 2 Tim 4, 5. [4] 2 Cor 1, 3.

tonium „Kautt" (ita ipse scripsit) a. 1576 Dilingae a se in Societatem admissum esse *P. Hoffaeus* sua manu notavit (Cod. „VI. 35" f. 52[a]). Ipse autem *Kautt* in „*Libro professionum" dilingano testatus est, se 29. Maii 1578 Landsbergae simplicia Societatis vota emisisse (Cod. „II. 42" p. 74). In „*Libro professionum" collegii ingolstadiensis (de quo *Can.* VI 514) notatum est (f. 37[b]), circa a. 1578 vota simplicia Societatis nuncupasse „Antonium Kauth Ÿberlingensem" (Überlingen, oppidum badense Helvetiae valde vicinum).

2140. HIERONYMUS ROSDRACEVIUS episcopus vladislaviensis (cuiaviensis) CANISIO. Vladislavia 1. Iunii 1582.

Ex apographo, quod R. P. *J. Sygański* S. J. exscripsit ex apographo saeculo XVI scripto et sic inscripto: „Ad patrem Canisium"; quod apographum exstat Leopoli (Lwów, Lemberg) in bibliotheca ossolinsciana (Ossoliński) Cod. 156 f. 150[v].

Praefatiuncula editoris: Hieronymus Rosdracevius (Rozdrażewsky) ex illustri Poloniae maioris comitum familia ortus, aliquamdiu Ingolstadii litteris operam dedit. Anno 1565 exercitiis sacris S. Ignatii a Sociis monacensibus excultus est et exemplum Stanislai fratris sequi statuit, qui a. 1560 Vindobonae Societati nomen dederat et postea per complures annos Societatis collegium pultoviense (Pułtusk) rexit. Hieronymus, scripsit Canisius a. 1565, „homo est prudens, utcumque doctus, in aulis uersatus et non uulgaribus Dei donis praeditus". At varia impedimenta obstiterunt, ne Societatem ingrederetur (*Can.* IV 794; V 18 44). Huic tamen egregium se praestitit amicum et fautorem. Anno 1568 ecclesiae cathedralis vratislaviensis (Breslau) praepositus a S. Pio V. constitutus esse videtur (*W. E. Schwarz*, Briefe und Akten zur Geschichte Maximilians II. I, Paderborn 1889, 77 108). Ab a. 1581 usque ad mortem episcopatum rexit cuiaviensem sive vladislaviensem (Vladislavia, Włocławek, Leslau, urbs Poloniae). Anno 1585 Sociorum missionem gedanensem (Dantiscum, Danzig, Gdańsk) instituit, quae postea collegium facta est (cf. *Duhr*, Jes. I 436—438), Romae a. 1600 mortuus, ibidem in Societatis templo sanctissimo nomini Iesu sacro sepultus est.

Polonos nobiles, Dilingae litteris operam daturos, commendat.

Reverende in Christo pater!

Cum ab eo tempore, quo ex Galliis a serenissimo rege Henrico[1] rediens Dilingam diverteram, nullam prorsus veteris nostrae notitiae renovandae habuerim occasionem, plurimum mihi sane gratulor, eam tandem me consequutum esse, qua rupto illo silentio antiquae consuetudinis memoriam licet refricare. Proficiscentibus nimirum ipsuc[a] [?] studiorum causa nobilissimis iuvenibus, magnifici domini castellani plocensis viri clarissimi et ornatissimi ac regii senatoris[2] filiis, cuius equidem consilium, quo in pueris suis ipsuc[b] [?] mittendis usus est, cum mihi non possit non vehementer probari, faciendum etiam mihi fuit, ut eos ipsos iuvenes paternitati vestrae commendem, non modo tanquam claris apud nos parentibus natos, sed quorum eciam affines cum meis necessitudine sint coniuncti. Quibus quicquid amoris et benevolentiae vel ob hanc commendationem meam paternitas vestra ex-

a) *Sic apogr. Syg.*; istuc? b) *Sic*; istuc?

[1] Henricus Valesius (Valois) a. 1573 Poloniae rex electus est; sed iam a. 1574 inde in Galliam revocatus est, ut post Carolum IX. eo anno mortuum Galliae cum nomine Henrici III. imperaret.

[2] Adalberti Wilkanowski; de quo plura sub ipsas has litteras dicentur.

hibebit, id tam erit mihi gratum, quam quod gratissimum. Ego totum id post reditum meum ex Galliis tempus in serenissimi regis[1] aula contrivi, anno autem superiori, Domino Deo sic ordinante, ad episcopatus Wladislaviensis ex[a] Pomerania curam et sollicitudinem sum vocatus, cuius functionis meae pastoralis ratio, ut tanto et mihi sit expeditior et ad maiorem Dei laudem ecclesiaeque cedat utilitatem suis me ac suorum orationibus iuvari paternitas vestra curabit, quam bene in Domino valere cupio. Datum Wladislaviae 1 die Iunii 1582.

P. Theodoricus Canisius, Petri Canisii frater ex patre, a. 1565—1585 collegii et universitatis dilinganae rector erat. Neque tamen Theodorico hanc epistulam missam esse existimo. Nam in antiquo illo codice leopoliensi, qui fortasse (ut ex R. P. Sygański accepi) ipsum „registrum" est epistularum a Rosdracevio datarum, apographum hoc inscriptum est „Ad Patrem Canisium"; his autem verbis semper et ubique significabatur notissimus ille et clarissimus P. Petrus Canisius; alter vero ille Canisius, ut a Petro fratre probe distingueretur, „P. Theodoricus" vel „P. Theodoricus Canisius" vocabatur. Rosdracevius Petrum Canisium iam inde ab a. 1565 noverat, et si a. 1573 vel aliquot annis post ex Gallia rediens per Dilingam transiit, fieri potuerit, ut Petrum Canisium ibi inveniret. Item facile fieri poterat, ut Rosdracevius medio a. 1582 nondum novisset, Canisium exeunte a. 1580 Dilinga Friburgum transmigrasse; Polonia enim longe distat a Suebia neque inter has terras multum commercii erat. His de causis mihi quidem probabile, immo etiam probabilius esse videtur, Rosdracevium Petro Canisio, non Theodorico scripsisse.

Adalberto Wilkanowski, castellano plocensi (Plocia, Płock, urbs Poloniae), cuius filios ad universitatem dilinganam profecturos Rosdracevius his litteris commendat, tres fuisse filios: Petrum, Nicolaum, Stanislaum, affirmat *Caspar Niesiecki* S. J. in praeclaro illo opere „Herbarz Polski", Lipsk 1839—1844, IX 339. In Matricula autem universitatis dilinganae etiam nunc legitur: Die 12. Augusti 1582 inscripti sunt „Generosi domini barones Poloni D. Joannes, D. Nicolaus, D. Stanislaus"; simul significatur, iis idem esse nomen gentilicium; hoc vero nomen in codice paene evanuit, ita ut iam legi non possit (*Specht,* Matrikel 140). Iam igitur satis certum est, olim nomen „Wilkanowski" scriptum esse. In eo tamen erratum est, quod „D. Joannes" scriptum est pro „D. Petrus"; nisi forte adulescens ille „Ioannes Petrus" vel „Petrus Ioannes" vocabatur. Petrus Wilkanowski postea Societatem Iesu ingressus est (*Scriptores* Rerum Polonicarum XIV, Cracoviae 1889, 184).

2141. CANISIUS **PTOLEMAEO GALLI** cardinali Comensi, Gregorii XIII. summi pontificis secretario maiori.

Friburgo Helvetiorum 4. Iunii 1582.

Ex autographo (2°: 1 p.; in p. 4 inscr. et pars sig.), quod est in archivo vaticano, „Nunz. di Svizzera 1. A" p. 111 et 3 sqq. non signatis. Epistulam ex eodem autographo („Helvetia Vol. 1. fol. 111") edidit *Theiner*[2] III 334. Epistulae particulas ex Theinero posuit *Berthier,* Bonh. 236.

Frobenium typographum Friburgi vel alio loco catholico de fide catholica bene mereri velle. Collegium commendat.

a) *Sic; corrigendumne* in?

[1] Stephani Bathorii (1575—1586).

[2] *Theiner* ipse Canisium dicit „de re catholica optime meritum, sanctimonia et doctrina clarissimum": Annales III 334.

†

Pax Christi JESV nobis aeterna.

Illustriss. et Reuerendiss. Domine.

Nouit amplitudo tua Illustrissima Joannem Frobenium[1] typographum Basilaeensem, qui superiore hyeme quum Romae uersaretur, S. D. N. Pont. Max. fidem dederit, se aliquod fidei suae specimen post menses exhibiturum esse. Is nuper vocatus[2] ad Catholicum hoc Heluetiae oppidum venit, ac suam paratam obtulit operam ad typographiam Catholicam hic erigendam. Nondum quidem transacta res est, quae ut maxime non succedat, desiderat is tamen sedem sibi certam apud Catholicos figere, ac suis typis, ut affirmat, quoad fieri poterit, de fide Catholica bene mereri. Ego uero ea de re non monerem, et occupatissimum Praesulem hoc scripto non interpellarem, nisi vt scriberem amanter ab illo prouocatus et impulsus fuissem. Caeterum de me ac Friburgensis huius collegij primordijs, quae S. D. N. tam multum debent, et non male succedunt, hoc unum dicam, quod ex animo percupiam, conatus nostros in hac Rep. dignitati tuae amplissimae, et per illam ipsam .Pont. Max. nostraeque Societatis Patrono clementissimo semper commendatos esse. Dominus JESVS et illius Beatitudinem in terris diu incolumem, et celsitudinem tuam nostris rebus fauentem usque custodiat ad communem Ecclesiae Catholicae vtilitatem. Friburgi Helueticorum 4 Junij 1582.

Jllustriss. Celsitud. uestrae

Seruus in Christo

Petrus Canisius de JESV Societate.

† Reuerendiss. in Christo Patri et Jllustriss. Domino Cardinali Comensi, Patrono amplissimo. Romae.

In * *Tabulis* senatus (minoris) friburgensis haec notata sunt de rebus 25. Maii 1582 gestis: Frobenius typographus basileensis aliquot virorum ecclesiasticorum[3] litteris permotus („vff ettlicher geistlicher Herren schrÿben") huc venit et coram senatu affirmavit, instituturum se, si id sibi permitteretur, Friburgi typographiam: cui privilegia et pontificia et caesarea esset impetraturus. Hoc ei concessum est, quia civitati futurum est „zu grossem nutz, befürderung vnnd reputation, auch vffnung vnnsers waren allten Catholischen gloubens". Item ei et domesticis, quos missurus est, permissum est, ut urbem incolerent in eaque negotia domestica curarent, „soueer sÿ mÿner herren mandat wie brüchlich schweren zehallten" sive, dummodo iureiurando, ut moris esset, promitterent, si secundum fidei catholicae professionem a senatu praescriptam vitam instituturos esse (Cod. „Rathsmanual nr. 123.", in 25. Maii; qui codex est Friburgi in archivo reipublicae).

Et senatores et Canisium et ipsum summum pontificem a Frobenio deceptos esse paulo infra patebit.

[1] Canisius lapsu calami vel memoriae hic pro Ambrosio Frobenio posuit clarissimum illum Ambrosii patrem Ioannem, cuius typographiam Ambrosius et Aurelius eius frater Basileae habebant; v. supra p. 1.

[2] Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[3] Significari puto Petrum Schnewly praepositum, cui eiusmodi typographiae institutio cordi erat (*Berthier*, Bonh. 235), ac fortasse Iacobum Christophorum Blarer

2142. CANISIUS **IOANNI FRANCISCO BONHOMIO**, apostolico apud imperatorem nuntio, episcopo vercellensi.

Friburgo Helvetiorum ante medium fere m. Iunium 1582.

Canisium ante medium fere m. Iunium 1582 Friburgo litteras ad Bonhomium dedisse intellegitur ex exordio epistulae 28. Iunii 1582 a Bonhomio ad Canisium datae (v. infra, ep. 2145).

Ex Bonhomii epistula colligi potest, Canisium ei de rebus collegii friburgensis scripsisse; neque tamen, quid de iis scripserit, Bonhomius planius significat. Si quis autem ea, quae Bonhomius 13. Martii 1582 de collegii scholis Canisio scripsit (v. supra p. 74), consideraverit, vix dubitare poterit, quin Canisius Bonhomio sub medium fere Iunium magna ex parte ea rescripserit, quae P. *Georgius Bader*[1] praepositus provincialis Monachio 20. Iunii 1582 de scholis friburgensibus ad Aquavivam praepositum generalem *rettulit. „Postquam", inquit ille, „a V. R. P. Prouincialis sum renuntiatus" — renuntiatus autem esse videtur circa initium m. Aprilis a. 1582 —, „statim in Heluetiam proficisci necesse habui, ob quasdam Friburgensis collegij difficultates. Earum prima fuit, de scholis aperiendis, pro quibus Senatus insignem domum commodo loco sitam magno sumptu cum amplo hortu, ab eius Senatoris relicta uidua emit, qui dum uiueret nostris conatibus uel in primis restitit[2]. Haec domus, unius, uel summum duorum mensium spatio scholis habendis accommodari facile poterit. Quare senatus per quatuor primarios uiros serio mecum egit, de ijs saltem circa festum Michaelis aperiendis, argumentis undique ductis, ab amicorum et patronorum expectatione; a desiderio bonorum omnium; a necessitate ciuium et uicinorum catholicorum, ab exultatione haereticorum .etc. Et quia in eadem domo non satis commode omnes nostrj habitare possunt, Senatus adhaerentem domum offert, donec nostrj propriam habitationem habeant. His tamen omnibus adductus non fuissem, ut assentirer, (quia nec supellex, nec bibliotheca adhuc instructa est, nec pecunia praesens, ut instruerentur suppetebat) nisi et R. P. Visitator[3] disertis uerbis, contra id quod antea cum Senatu de triennali scholarum dilatione transegerat, nomine V. R. P. dominis promisisset, fore, ut quam[a] [?] primum scholae paratae essent, praeceptores darentur: et nostrj ibidem praesentes[4] una cum Rectore Lucernensi[5] iudicassent, petitionem honeste ac sine offensione recusari non posse. Itaque assensus sum. Etsi enim non ea sint nostrj habituri supellectilis et librorum commoda, quae habent in bene institutis collegijs; habebunt tamen ea, et maiora etiam, quam plaeraque initio habuerunt. . . . Altera difficultas erat, de futuro aedificio · qui enim templi aedificandi ex eleemosynis, curam in se receperunt, cum sint praecipui patroni nostrj, affirmant, intra 10. annos, in loco destinato erigendi spem nullam esse · dein nec nobis, nec ciuibus consultum esse, id in loco tam alto, tamque ab omni populi consuetudine remoto[6], erigi · cum praeter loci difficultatem, parum honestum uideatur, in tam remotum ciuitatis angulum honestas faeminas religionis causa ad templum se conferre: eamque occasionem arrepturos, praesertim qui nobis minus fidunt aut fauent, ut suos ad nos uenire non permittant · Quare, iuxta scholas duabus coemptis domibus, quod fieri facile potest, templum erigi suadent, qui locus et celebris est, et nullum uicinum templum habet. Quod consilium etsi mihi cum reliquis e nostris probetur, in eo tamen ab ijs dissentio, quod affirmarint, id minime faciendum, nisi ibidem erigatur collegium · ferendum enim non esse, ut haec duo separentur, cum nostrj mallent

a) *Sic;* quum?

episcopum basileensem (cf. supra p. 44) et Canisium ipsum vel Bonhomium nuntium apostolicum.

[1] De P. Georgio Bader v. *Can.* V 359.

[2] Ioannis Ruginet (*Berthier*, Bonh. 255).

[3] Oliverius Manareus.

[4] PP. Canisius, Balduinus, Kautt.

[5] P. Martino Leubenstain.

[6] Belsex vel Bisée.

collegium in loco prius assignato aedificari; quod is et quietior, et forte sit salubrior. Nihil tamen ea de re cum patronis est actum, nec consultatum qua ratione id fieri posset: sed cum post reditum meum, consilium hoc R. P. Visitatori probaretur, scriptum est nostris, ut cum peritis uideant an et qua ratione iuxta scholas et templum et collegium possint extrui. Vbi scripserint mox V. R. P. de omnibus faciam certiorem. Tertia est de bonis temporalibus istius collegij, quae certe grauis est, et multiplex. Sed quia intelligo V. R. P. mandasse Reuerendo P. Visitatori, ut de ijs tractet cum Reuerendissimo Vercellensi, nihil hic addam, donec cum eodem fuerit tractatum" (ex autographo; Germ. 160 f. 87).

Ad haec illustranda et amplificanda valent ea, quae in * „*Historia* collegij friburgensis" sic narrantur: „Ne Friburgensis Juuentus usque ad illud tempus, quo nostris sumptibus exstrueretur Collegium (hac siquidem conditione nostri in Vrbem admissi sunt) instructione careret, idcirco anno Dominj 1582 Martij uero mensis die XIJ coempta est aere publico ad scholas conficiendas domus Rugonetti sita in platea Lausannica, quae deinde ita ab operarijs[a] aestate sequenti accommodata est, ut mense Octobri proximo, tres scholas habuerit, ac in superiori contignatione[b] Sacellum seu potius Aulam, cuiusmodi per id tempus et praeceptorum et discipulorum nostrorum numerus postulabat. Eodem anno mense Julio die XV empta nobis quoque a Senatu est domus nobilis Dominj Ludouici Cleri contigua scholis, quam mox inhabitare coepimus. Horum porro aedificiorum pretium una cum reliquo sumptu, qui ad scholas sacellumque instruendum apparandumque necessario fieri debebat, pene trium millium aureorum summam conficit. Quo gratior esse debet apud posteros nostros huius beneficij memoria, quod Senatus initio propter aerarij tenuitatem, non alia nostros conditione se suscepturum constituerit, quam nequid de aerario publico detraheretur" (Cod. frib. „Hist. coll. Frib." [cf. supra p. 23] p. 3—4).

R. P. *Canisius Boret*, Minorita friburgensis, haec notat: „Si l'on jette un coup d'œil sur un plan de la ville de Fribourg au XVI[e] siècle, on voit à la rue de Lausanne, à l'endroit à peu près où se trouve l'auberge de l'Autruche, une grande maison de style gothique avec un clocher; la tradition, affirmée par quelques historiens, prétend que c'était un couvent abandonné et que ce fut là la première demeure des Jésuites" (Vie et Apostolat du Bienheureux Pierre Canisius, Paris-Fribourg 1881, 164). Addidit a. 1915 haec *J. Genoud* professor friburgensis: Domus illa „présentait une belle façade et donnait accès à un grand verger en communication avec la colline du Belsex. . . . Vers le milieu du siècle dernier, on voyait encore le chiffre de la Compagnie sur quelques portes. Plus anciennement . . . on y apercevait aussi une petite cloche qu'on agitait à l'époque des classes" (Le Bienheureux Pierre Canisius, Fribourg 1915, 89).

Bonhomius Canisio respondit 24. Iunii 1582.

2143. P. GEORGIUS BADER praepositus provinciae Germaniae superioris Societatis Iesu CANISIO. Monachio circa 19. Iunii 1582.

Ex *Baderi* autographis ad Aquavivam litteris. Germ. 160 f. 87a.

P. Georgius Bader, Germaniae superioris praepositus provincialis, Monachio 20. Iunii 1582 Claudio Aquavivae praeposito generali haec, praeter alia, de Sociis friburgensibus (PP. Canisio, Balduino, Kautt) scripsit: „Scriptum est nostris, ut cum peritis uideant an et qua ratione iuxta scholas et templum et collegium possint extrui. Vbi scripserint mox V. P. R. de omnibus faciam certiorem."

Cum Canisius Sociorum friburgensium superior fuerit, epistula ipsi inscripta esse videtur. Ceterum vide ea, quae ex epistula illa ad Aquavivam data posui supra p. 79. De collegii friburgensis institutione, dotatione, exstructione scite, additis variis

a) operis *Hist.* b) contingnatione *Hist.*

imaginibus ligno incisis, scripsit Dr. *Ioannes Kreienbühler*, Die Gründung des Jesuitenkollegiums zu Freiburg in der Schweiz, in „Festschrift zur vierten Jahrhundertfeier der Geburt des seligen Petrus Kanisius", Freiburg, Schweiz, 1921, 60—72.

2144. I. FR. BONHOMIUS nuntius apostolicus CANISIO.

Augusta Vindelicorum 24. Iunii 1582.

De his litteris, quae iam non exstant, vide exordium epistulae 28. Iunii 1582 a Bonhomio ad Canisium datae.

2145. IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS, apostolicus apud Rudolphum II. caesarem nuntius, episcopus vercellensis, CANISIO.

Augusta Vindelicorum 28. Iunii 1582.

Ex commentario, ab I. A. Caresano secretario scripto et sic inscripto: „Patri Canisio"; quod commentarium Bonhomius sua manu emendavit. Cod. „Bonh. 1" f. 187. Particulam epistulae ex eodem commentario posuit *Jos. Hansen*, Nuntiaturberichte aus Deutschland 1572—1585, 2. Bd., Berlin 1894, 443[2].

Restitutio episcopatus lausannensis. Pericula religionis in comitiis augustanis. Res collegii friburgensis. Posserinus Moscovia redux. Friburgensium pietas. Episcopus basileensis. Collegium tyrnaviense. Palaeologus.

Reuerende admodum uti frater in Domino charissime. Quas ad me P. T. litteras XXVI Aprilis mensis die dedit, eas nunc primum accepi, hoc est, heri sub noctem; Jtaque mirari haud quaquam debet de responsionis tarditate, quando ad alias mihi per P. Vestrum Prouincialem[1] allatas ante quatuor dies iam respondi; Qui uero has litteras Badam usque afferet, et Friburgensibus legatis reddet, is[2] ad Comitia ista Heluetica mittitur ab Illustrissimo Legato[3], qui Sanctissimi Domini, et Caesaris nomine, cum ipsorum litteris, Ecclesiam Lausanensem in integrum restitui petat[4]; qui quidem[a] inter caetera id in mandatis habet, ut prius Catholicos consulat; sed ipsis etiam dissuadentibus nihilominus petitionem suam proponat, et restitutionem urgeat; Curabitur praeterea Decretum Jmperiale ut superioribus litteris scripsi, neque ullum officij genus praetermittam, quo possit miserrima ista Ecclesia tandem aliqua ex parte subleuari.

a) *Tria vv. sqq. a Bonh. addita sunt. Sequitur* praecipue *vel simile v. a B. additum et dein oblitteratum.*

---

[1] Georgium Bader; v. supra p. 78—79.

[2] Is erat nobilis vir Ludovicus Grotta (*Hansen*, Nunt. II 477[1]).

[3] A cardinali Ludovico Madrutio, a Gregorio XIII. ad comitia imperii legato.

[4] *Gregorius XIII.* litteris Roma 12. Maii 1582 datis omnes „pagos Helvetiorum" appellavit, scribens, sperare se, fore, ut ipsi pro sua iustitia episcopo lausannensi auxilio essent, ut libere et secure in civitatem suam redire posset (*Casp. Wirz*, Bullen und Breven aus italienischen Archiven 1116—1623, Basel 1902, 422; *Theiner* III 332). Alteris litteris, Roma 25. Maii 1582 datis, pontifex septem pagos catholicos, „in conventu generali Badae congregatos" monuit: Curate, ut episcopus lausannensis „suae Civitati, unde eiectus est, restituatur"; et hanc causam „omni cum caritate" iuvate: de qua vobiscum ille aget, qui has litteras vobis traditurus est (*Archiv* für die schweizerische Reformationsgeschichte II, Freiburg i. Br. 1872, 60—61). Bonhomius ipse et ad septem illos pagos, et seorsim ad Friburgenses ea de re scripsit (*Berthier*, Bonh. 180 208).

Quod Comitia Augustana attinet, eo res redacta est, ut nisi magnum aliquod uulnus accipiat Catholica Religio, non modicum lucri nos facturos existimemus[a]; tantum abest, ut de cleri reformatione, uel de Seminariorum institutione impetrari posse aliquid speremus; Contendemus tamen impiorum uotis, et conatibus obsistere[1], atque ego equidem quanquam praecipuas partes Illustrissimus Legatus hic obtinet[b], meas desiderari prudens patiar nunquam uel si oportuerit rerum omnium mearum, et uitae ipsius iacturam facere: Sed opus est, mihi credat[c] pijs precibus quam humanis rationibus magis, ut alias itidem scripsi; Jtaque P. Tua una[d] cum fratribus suis, nobis, et causae publicae suppetias quas potest maximas, ferat.

De rebus Collegij uestri iuuandis satis, superque scripsi; Curaboque quantum in me erit, ut res etiam ipsa subsequatur. Egi hac eadem de re conquerentis in modum cum Reuerendo Patre Posseuino, qui Rege Poloniae et Magno Moscouiae Duce[e] conciliatis, Romam reuertitur[2], quasi triumphum agens, ut istius Collegij necessitates Sanctissimo D. proponat, atque omnino aliquid opis elicere studeat.

a) *A B. correctum ex* existimamus. b) *Sequitur* partes, *a B. oblitt.* c) *Sequitur v. a B. additum et postea oblitteratum.* d) *Hoc v. a B. additum est.* e) *Hoc v. a B. supra versum scriptum est.*

[1] Multi ordines protestantes, imprimis Ludovicus VI. princeps elector palatinus, postulabant, ut comites liberique barones protestantes ad capitula cathedralia eorumque similia admitterentur, ut hominibus principum catholicorum imperio subiectis libertas religionis tribueretur, ut recessui comitiorum („Reichtagsabschied") insereretur „declaratio ferdinandea", qua Ferdinandus I. a. 1555 Augusto principe electore Saxoniae instante „declaraverat", equites, urbes, communitates principum ecclesiasticorum imperio subiectas, si iamdiu confessionem augustanam secutae essent, ad eam deserendam cogi non posse. Quae si non concederentur, se imperatori subsidia adversus Turcas, quae ille petebat, non esse praebituros. Item impedire conabantur, ne in posterum imperator solos catholicos viros tum iudices camerae tum „commissarios" suos constitueret neve liberae civitates catholicae protestantes sive a gubernaculis sive ab aliorum magistratuum honore excluderent, ne cathedralium ecclesiarum canonici a pontifice ad iusiurandum adigerentur (*Joh. Janssen*, Geschichte des deutschen Volkes V[1-12], Freiburg i. Br. 1886, 13—15).

[2] Cum Iwanus IV. Ioannes Basilii magnus Moscorum dux Graecorum schismati addictus a. 1580 per legatum a Gregorio XIII. petisset, ut inter se et Stephanum Bathorium Poloniae regem pacem conciliaret, Gregorius sperans ita catholicae religioni aditum in eas regiones aperiri posse, P. Antonium Possevinum S. J. cum legato illo ad Moscovitas ire iussit. Qui m. Ianuario a. 1582 effecit, ut inter duos illos principes pax in decem annos sanciretur; item ab Iwano complura impetravit, quae catholicis in commodum et utilitatem cessura erant. Augustam autem Possevinus cum Iwani oratoribus 25. Iunii 1582 venit, ut pacem illam imperatori probaret. Ibidem Rudolpho persuasit, ut pontificem in controversia inter se et Bathorium de terris quibusdam hungaricis orta arbitrum sumeret, et cum Augusto Saxoniae principe electore atque cum Iulio Echter episcopo herbipolensi negotia tractavit (*Ant. Possevinus* S. J., Moscovia, Vilnae 1586, 166—186; *Sacchinus*, Hist. S. J. V[1], l. 1, n. 109—110; l. 2, n. 67—68 74—75; *G. Fell* S. J., Pädagogische Schriften von Antonio Possevin, in „Bibliothek der katholischen Pädagogik" XI, Freiburg i. Br. 1901, 326—331; *Pierling* S. J., Papes et Tsars, Paris 1890, 293—294 330—335; *L. Karttunen*, Antonio Possevino, Lausanne 1908, 189—202; *Hansen*, Nuntiaturber. II 443 468—469).

quod sane[a] diligenter is[b] se facturum recepit: Gratissimum fuit, quod scribit de foelici Friburgensium in pietate, et in uia Domini progressu, et P. T. rogo, ut me de his frequenter certiorem faciat. Ad Basiliensem Episcopum scripsi iam ter, aut quater, neque ullum unquam habui responsum, postquam in aula sum Imperatoris[1]. Vbi[c] autem nouero, posse me pia illius uota, et studia promouere, faciam profecto quam promptissime; Collegium Hungaricum[2] nunc[d] paulisper dormit, culpaque fortasse uestrae potius Societatis Patrum, quam aliorum; Sed excitabitur, spero, atque omnino ad optatum exitum Deo fauente, perducetur. De Palaeologo scripsi iam ad P. V.[3] sed postquam iterum petit, dicam, mihi traditum fuisse Imperatoris mandato, ut illum Romam uinctum mitterem[e], in officio Sanctae Inquisitionis Romanae iudicandum. Verum tranquillo animo esse non possum, quoad illum Romae, aut in Italia saltem esse intellexero: Tanta fuit superioribus diebus, et imbrium[f], et procellarum uis, ut nauis, qua ille uehebatur, trahi non potuerit[g] adverso Oeni[h] flumine: Quamobrem sistere oportuit aliquot dies, in Bauaria tamen, ubi minus esse timendum ab Haereticorum insidijs puto: Tantum equidem fateor me percepisse gaudij, atque indiscreti fortassis, ut metuerim, uoti non omnino compos fieri: Itaque inter spem, et metum uersor, non sine magna animi sollicitudine, atque anxietate: Bene ualere in Domino P. T. uehementer cupio, et mei beneuolam memoriam semper conseruare. Augustae Vindelicorum IIIJ. Cal. Quintiles MDLXXXII.

Canisius Bonhomio respondit 26. Iulii 1582.

2146. CANISIUS **IOANNI FRANCISCO BONHOMIO**, apostolico apud imperatorem nuntio, episcopo vercellensi.

Friburgo Helvetiorum m. Iunio vel ineunte Iulio 1582.

Ex Bonhomii epistula archetypa, quae est in archivo vaticano, Nunz. di Germ. 104 p. 269—270. Maiorem partem huius capitis ex eodem archetypo posuit *Hansen* l. c. II 492[2].

De Frobenii typographi perfidia, Friburgensium pietate, collegii inopia.

Bonhomius Augusta Vindelicorum 31. Iulii 1582 Ptolemaeo cardinali Comensi, Gregorii XIII. secretario maiori, scripsit: „Ho riceuuto dal Padre Canisio un raguaglio del Frobenio, che non mi è piacciuto punto, come la uederà per l' alligata copia; sopra di che parmi di ri-

a) *A B. corr. ex* quidem. b) *Hoc v. a B. additum est.* c) *A B. corr. ex* Vbicunque. d) *Hoc v. a B. additum est.* e) *Sic B. corr. ex* ablegem *vel simili v.* f) *Hoc v. a B. ipso scriptum est.* g) *A B. corr. ex* poterit. h) *Hoc v. B. addidit.* i) *Hoc v. a B. scriptum est.*

[1] *Bonhomius* Tyrnavia 26. Februarii 1582 Iacobo Christophoro Blarer episcopo principi basileensi de Ambrosio Frobenio fidem catholicam professo aliisque rebus *scripsit; haec quoque notavit: „Ex Romanis litteris accepi, Sanctissimum Dominum Reuerendissimae V. Ampl. pietatem, ac diligentiam maxime commendasse, quam in subditis illis suis ad Catholicam Religionem perducendis superioribus mensibus adhibuit.“ Die autem 6. Aprilis 1582 *Bonhomius* eidem litteras dispensationis ad matrimonium quoddam spectantes misit et operam suam omnem *obtulit ex commentariis a Bonhomio ipso recognitis. „Bonh. 1[a] f. 59[b] 112[b].

[2] Tyrnaviense; v. supra p. 75[1]. [3] Vide supra p. 82.

cordare, che saria bene à scriuere un Breue quanto prima al Senato di Friburgo, perche non admetta in modo alcuno detto Frobenio per stampatore in quella Città, non uolendo uiuere da Catholico; et appresso mandargli fede autentica della professione della fede che ha fatta ultimamente in Roma, accioche uedessero meglio, qual sorte di uomo egli sia, Il tutto però giudico spediente che si mandi in mani di dètto Padre Canisio, perche egli secondo uedra essere opportuno, dia, ò non dia, ò faccia dare in senato il Breue; del quale però si mandi la copia insieme; Nella copia sudetta ho fatto scriuere anchora un altro Capitolo, perche ueda, che in quel loco si fà qualche progresso nella pietà, et diuotione, se ben quanto al Collegio stanno i Padri con molta strettezza, et angustia."

Cardinalis *Ludovicus Madrutius* legatus pontificius Augusta 4. Augusti 1582 cardinali Comensi de Frobenio scripsit: „Io concorro nel parere di monsignore de Vercelli et del padre Canisio, che sia bene escluderlo nel modo da loro proposto, in che però mi rimetto alla molta prudenza di V. S. Illustrissima" (*Hansen* II 492[2]).

Ex Brevi Gregorii XIII., de quo in ep. 2153 dicetur, intellegitur, Ambrosium Frobenium typographum basileensem, protestantismo addictum, Friburgi haec tandem professum esse: Postulare se, ut, si Friburgi sibi considendum esset, sibi et toti familiae suae concederetur „liber suae religionis cultus atque arbitrium, velle autem in ea manere sine ulla Catholicorum offensione" (*Theiner* III 334).

Cardinalis Comensis Roma 18. Augusti 1582 Bonhomio * respondit: „Da la lettera del Padre Canisio qual' era aggionta a le di V. S. di 24. et ultimo di Luglio et de li 3. del presente, s' é uista la mala riuscita del Frobenio, et quel che egli dissegnaua di fare in Friburg, non hauendo altra mira che al guadagno. Però Nostro Signore si é contentato che si scriua à li Signori di Friburg il breue ricordato in questa materia; il che si farà con quest' altro ordinario, et si manderà in mano del Padre Canisio, insieme con la copia de la profession de la fede, ch' esso Frobenio fece qui solennemente" (ex commentario vel apographo eiusdem temp., quod est in archivo vaticano, „Nunz. di Germ. 12" f. 139).

2147. CANISIUS **IOANNI FRANCISCO BONHOMIO** nuntio apostolico. Friburgo Helvetiorum 5. Iulii 1582.

Epistula haec perisse videtur. De qua vide Bonhomii litteras 10. Augusti 1582 ad Canisium datas; his enim Bonhomius ei respondit.

2148. CANISIUS **IOANNI FRANCISCO BONHOMIO** nuntio apostolico. Friburgo Helvetiorum 26. Iulii 1582.

Hae litterae perisse videntur. De quibus vide Bonhomii epistulam 3. Augusti 1582 ad Canisium datam; per hanc enim ille Canisio respondit.

2149. IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS, apostolicus apud Rudolphum II. imperatorem nuntius, episcopus vercellensis, CANISIO. Augusta Vindelicorum 3. Augusti 1582.

Ex commentario ab I. A. Caresana secretario scripto et „Patri Canisio Rectori Collegij Friburgensis" inscripto, quod Bonhomius ipse correxit et „318 Patri Canisio" (in pag. 4. commentarii) inscripsit. Commentarium exstat in Cod. vercell. „Mons.", f. non sign. Epistulam ex eiusdem commentarii apographo recenti edidit *Berthier*, Revue de la Suisse catholique XXV 307—309, et Bonh. 197—200.

Canonicus friburgensis. Manareus. Nova de rebus bellicis. Marchio brandenburgensis. Palaeologus. Facultates sacrae. Pietas Friburgensium. Episcopatus lausannensis. Bona marsensia.

Reuerende admodum uti frater in Domino chariss. Litterae uestrae VII ante[a] Cal. huius mensis die datae cum redditae mihi essent nudiustertius, Patris Oliverij[1] nomine, mirabar uehementer, quod tam cito Friburgo huc aduolassent; Sequenti autem mane, dum ad uestrum Collegium celebrandi causa prodirem obuiam habui Psalten Friburgensem[2], cum Senatus, Capituli, et Praepositi[3] litteris[4]; Sed praeterea dolui, quod uix amplius hominem uidere licuit, licet ad hospitium meum semel, atque iterum inuitauerim; Patrem Oliuerium allocutus sum hoc mane facto sacro, ut certius Paternitati Vestrae responderem; sed distulit enucleatius mihi narrare omnia, cupiens me hodie conuenire, et secum scripta omnia afferre; si uenerit, respondebo illi, quaecumque opportuna esse iudicauero[5]; Quae Paternitas tua[b] scribit de obsidione Geneuensi[6], deque foedere cum Galliarum Rege[7] inito, ac de milite in illius fratris Alanzonij subsidium conscripto[8], de ijs gratias ago, piumque istum laborem, ut quoties tulerit occasio, libenter suscipiat, rogo; quem ego sane pro rerum incidentium opportunitate compensare studebo; sed nunc nihil fere est, quod scriptu[c] dignum sit, post Brandeburgensis abitum[9], nisi unum subijcere uelim, de quo, licet constans fama

a) *Hoc v. a Bonh. supra versum scriptum est.* b) *Haec 2 vv. a Bonh. addita sunt.* c) *Sic correctum est ex* scriptura.

---

[1] Oliverii Manarei visitatoris S. J.

[2] Franciscum Garin, qui Friburgi in capitulo S. Nicolai officium „cantoris maioris“ habebat; cf. supra p. 21. [3] Petri Schnewly.

[4] Litteras senatus posuit *Berthier,* Bonh. 254—256.

[5] Ex huius epistulae fine cognoscitur, potissimum de bonis marsensibus alienandis actum esse; ceterum vide, quae de hac re sub ipsas has litteras in n. 1 dicentur.

[6] Carolus Emmanuel Sabaudiae dux tunc eam obsidionem parabat (*Alex. Daguet,* Geschichte der schweizerischen Eidgenossenschaft, Aarau 1867, 301). In eius exercitu, cui Bernardinus Sabaudus comes de Raconis praeerat, 1500 Helvetii catholici fuisse feruntur. Neque tamen gravius quicquam contra urbem Genevam ab eo tentatum est, et m. Septembri bellum finitum est (*Jac. Spon,* Histoire de la Ville et de l'Estat de Genève II, Lyon 1680, 49—52). [7] Henrico III.

[8] Franciscus dux alanconius (d'Alençon), qui tamen hoc tempore potius dux „d'Anjou“ vocabatur, Belgas contra Philippum II. regem rebellantes adiuvabat; qui m. Februario a. 1582 Antverpiae salutatus erat „dux Brabantiae“.

[9] Ioachim Fridericus marchio brandenburgensis, qui archiepiscopatus magdeburgensis administrator a capitulo electus erat, ipse quidem Augustae pro Ioanne Georgio principe electore brandenburgensi patreque suo coetui principum electorum intererat; praeterea autem, quoniam olim archiepiscopi magdeburgenses coetui principum praefuerant, postulaverat, ut orator suus coetui principum non solum interesse, sed etiam praeesse posset. Catholici vero eum coetui principum interesse posse negarunt, quod Ioachim Fridericus (qui uxorem iam duxerat) neque a summo pontifice confirmatus esset, neque ab imperatore archiepiscoporum magdeburgensium regalia accepisset. Lis ad Rudolphum imperatorem delata est. Atque aliqui ex principibus electoribus proposuerunt, ut Ioachim administrator illis quidem comitiis interesse sineretur neve vero id in posterum ei permitteretur, nisi confirmationem pontificiam impetrasset; atque ea de re Ioachimo per litteras ab Augusto electore Saxone subscribendas cautionem praestandam fore. Cum vero imperator eum nulla ratione admittere vellet, Augustus efficit, ut Augusta abiret (*Janssen* l. c. V^{1-12} 12—13; *Hansen* l. c. II 451—452 455—456 474—475 478—479; *Theiner* III 311—317).

non sit nunc tamen increbuit, abeuntem illum curru in nescio quo flumine euerso uix quin submergeretur euasisse; Quod Paleologus[1] Romam peruenerit, nondum constat. Verum cum iam Bononiam incolumem appulisse intellexerimus, nihil fere est, quod dubitetur amplius. Summa facultatum, quas Summus Pontifex Illustrissimo ac Reuerendissimo D. Legato[2] concessit, ut petit R. Tua hisce erit adiuncta; Loetatus sum uehementer in ijs, quae scripta sunt mihi de Friburgensibus meis a R. Patre Canisio, qui illis potest frequenter tanquam filijs suis ea uerba apostolica repetere, per Euangelium ego uos genui[3]. Deus optimus ita uestros labores fecundet, ut maiorem in dies fructum ex uinea[a] ista Dominica colligi uideatis[b]. De Lausanensi negocio, quid scribam[c] non satis scio, quando studium, operam, curam, ac sollicitudinem, conatusque omnes meos ita frustratos uideo[4], ut ne audeam quidem amplius aliquid hac de re cogitare, ne dicam moliri. Pudet me profecto bis tam apud Summum Pontificem, et apud Caesarem, nunc uero etiam[d] apud Illustrissimum D. Legatum uisum esse si non mendacem, leuioris saltem consilij uirum. Tua Pat. ad me perscribit unius, aut alterius Friburgensis consilium, sed cum res in deliberationem ueniunt, audio Legatos Friburgensium longius, quam alios Heluetios, ab hac consultatione resilire, ut pacem cum suis charis Bernatibus, uel minimum perturbent; quam sane fortassis ob causam non parum timeo, Summum Pontificem aliquantisper offensum, haud facile Collegio isti (uti sperabam fore Cardinalis Sanctae Praxedis[5] intercessione) suppetias laturum. Dum scriberem, uenerunt ad me Reuerendj Patres[e] Oliuerius, et Provincialis uester[6], deque bonis Marsensibus alienandis sententiam meam dixi quae quidem a Reuerendi Patris Prouincialis sententia paulum discedebat; Optime ualeat P. T. meique sit perpetuo in suis secretioribus precibus memor. Augustae Vindelicorum IIJ Non. Sextiles MDLXXXII.

1. De bonis hisce marsensibus P. *Georgius Bader* provincialis Augusta 14. Augusti 1582 Aquavivae praeposito generali *scripsit: „De bonorum temporalium uenditione, cum quotidie nouae emergant difficultates, actum est nuper cum Reuerendissimo Vercellensi, qui probat eorum consilium qui existimant non quidem omnia, sed quae maioribus molestijs et periculis sunt obnoxia, uendenda, et pro eorum pretio censum annuum esse emendum. Quare, nisi fallor, iam cum Illustrissimo Card. Legato a Reuerendo P. Visitatore est actum de consensu Sedis apostolicae in eiusmodi uenditionem. Sed is ut puto, nondum est impetratus" (ex autogr.; Germ. 160 f. 132[a]). Cardinalis *Ludovicus Madrutius,* pontificis ad imperatorem et universam Germaniam legatus, litteris Augusta Vindelicorum 10. Septembris 1582 datis facultatem bona

a) *Sequitur* uestra, *oblitt.* b) *A Bonh. corr. ex* cernatis. c) *Sequuntur vv.* amplius, non uideo, *oblitt.* d) *Sex vv. sqq. a Bonh. in margine addita sunt.* e) *Sic Bonh. corr. ex* uenit ad me Reuerendus.

[1] Vide supra p. 82. [2] Cardinali Ludovico Madrutio. [3] 1 Cor 4, 15.
[4] Vide supra p. 89. Die 14. Iulii 1582 *Bonhomius* „Dominis Quinque Cantonum" catholicorum Helvetiae *scripsit: „DD. VV. sane iustis causis adductae Lausanense negocium promouere noluerunt" (ex commentario epistulae; Bonh. 1 f. 199[b]).
[5] S. Caroli Borromaei. [6] P. Georgius Bader.

marsensia certis cum condicionibus vendendi Sociis friburgensibus tribuit (ex apographo eiusdem temp.; Ep. Ext. 2 f. 180).

2. Eodem illo die 3. Augusti 1582 *Bonhomius* ad Petrum Schnewly praepositum friburgensem litteras dedit, in quibus eum haec monebat: „Non alienum quidem a sententia mea consilium coepistis Pater Canisius tuaque Reuerentia cum litteras illas meas quas ad Senatum de causarum matrimonialium controuersia dederam, non esse reddendas statuistis[1]. Litteras ab Illustrissimo Domino Legato Cardinale, quas petitis, confici curabo, de parochialibus istis Capitulo uestro, iure unionis, quo ego tempore Friburgi eram, adiunctis[2]; sed de illa a Lausanensi Decano, nequaquam: ut ad Capitulum ipsum rescripsi." [3] Postridie eius diei *Bonhomius* alteram ad Schnewlinum epistulam dedit, cui sua manu hoc adiunxit „Postscriptum": „Mitto praeterea quindecim agnos Dei paruulos osseis capsulis circumseptos, aliosque praeterea decem serico, uel auro inuolutos; quorum omnium tertiam partem tibi retinere poteris, alijs omnibus Patri Canisio redditis" (ex archetypis; Cod. friburg. „Epp. ad Schn." f. 66 67; etiam apud *Berthier*, Bonh. 108—110).

Canisius Bonhomio respondisse videtur circa medium m. Augustum a. 1582.

2150. IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS, apostolicus apud imperatorem nuntius, episcopus vercellensis, CANISIO.

Augusta Vindelicorum 10. Augusti 1582.

Ex commentario ab I. A. Caresana secretario scripto et „Patri Canisio" inscripto, quod Bonhomius sua manu correxit. Exstat in Cod. vercell. „Mons.", f. non sign. Epistulam ex eiusdem commentarii apographo recenti vulgavit *Berthier*, Revue etc. XXV 361—362 et Bonh. 200—202.

Indulgentiae pro sodalitatibus. Obsidio generensis. Civitatum liberarum molitiones. Comitia parum fausta. Canisio labores egestasque ferenda.

Reuerende admodum uti frater in Domino Charissime.

Cum ad posteriores uestras litteras mihi per Friburgicum psalten[4] allatas ante octo ferme[a] dies iam responderim, nihil[b] esset[c] quod ad alteras uestras[d] quinto Julij die datas, quas proxime accepi, nunc rescriberem[e]: eoque magis, quod nihil continere uidentur, quod mea responsione indigeat; Ne tamen ullas P. Tuae, sine responsione[f] dici unquam possit me reliquisse[g] litteras, paucis dicam; Marianas Jndulgentias mihi cordi esse, ut in singulas prope[h] hebdomadas meo negociorum gestori districte earum expeditionem mandem; Speroque fore, ut breui rite recteque confectae Friburgum perferantur, atque inde magnas faciat, fauente Christo, et Beatissima illius genitrice, progressiones

a) *Hoc v. a Bonh. additum est.* b) *A B. correctum ex* non. c) *Sequitur* fere, *oblitt.* d) *A B. correctum ex* quod alteris uestris. e) *A B. correctum ex* responderem. f) *B. ex* quibus non respondeam *correxit primum:* quibus non statim responderim, *deinde:* sine responsione. g) *A B. correctum ex* accepisse. h) *Sic B. correxit ex* ut quasi in singulas.

[1] Vide supra p. 43[3] 62[8]. [2] Vide supra p. 78.

[3] Canonicis ecclesiae S. Nicolai *Bonhomius* eodem die scripsit, ecclesiae illius parochialis donationem sive renuntiationem a decano lausannensi factam „omnino simoniaca labe infectam" fuisse, ideoque eos fructus ex ea perceptos restituere debere; „nisi", inquit, „opportunam a Sede Apostolica dispensationem impetraueritis; . . . qua tamen in re ego equidem pro mea antiqua erga uos charitate conscientiae uestrae tranquillitati consulere omni studio curabo" (ex commentario epistolae, quod est in Cod. vercell. „Mons.", f. non sign.). Canonici tamen ei responderunt, se ecclesiam illam numquam possedisse (*Berthier*, Bonh. 114 187).

[4] Franciscum Garin, canonicum cantorem capituli friburgensis; v. supra p. 93.

Mariana Sodalitas[1]. Vtinam ita facile opem etiam pecuniariam[a] impetraremus, qua maxime Collegium istud indiget, quamque ego uobis omni studio, ac sollicitudine procuro. De Geneuensi obsidione si quid noui erit, cupio uehementer fieri certior; quanquam, ut uere dicam, uix euentum aliquem bonum sperare audeo, ita exigentibus peccatis nostris et infoelicis huius seculi miserijs; Nihil fere est, quod scribam de Comitijs nostris, post illam de Maddeburgensi sessione uictoriam[2]; praeterquam quod omnes Jmperij Ciuitates conspirarunt, ut aliquid contra Catholicam Religionem moliantur[3]. Sed hactenus Caesar eis uiriliter obsistit, speramusque omnia ita compositum iri, ut, si minus Catholica Religio incrementum non recipiet, nouum saltem aliquod damnum haud accipiat; quod ipsum tamen est (meo sane iudicio) non parum illi detrahj [?][b], quemadmodum aegrotum grauiter laborantem, nisi ad sanitatem uergat, in maximo periculo uersari manifestum est. Sed haec Dei optimi maximi, cuius i u d i c i a a b y s s u s m u l t a[4], curae, ac prouidentiae relinquenda; nobis autem quae possumus omni diligentia et sollicitudine praestanda. Verum, quoniam et nos, quibus maxime incumbit, hoc restituendae Religionis studio non admodum flagramus, ideo assiduis precibus agendum esse existimo, ubi humanae certe rationes non sufficiunt. Bene ualeat in Domino Paternitas Tua, et in messe ista uberrima labores, et paupertatem suam aequiori animo toleret pro Christi Domini nostri amore, et gloria. Non enim poterit[c] benignissimus Pater suis fidelibus seruis necessaria non[d] subministrare, qui[e] coeli aues, et pecora campi tam admirabili cura alit, atque sustentat[5]. Augustae Vindelicorum, IIJ°[f] Idus Sextil. M.D.LXXXII.

Canisius Bonhomio respondisse videtur post medium m. Augustum 1582.

2151. CANISIUS **IOANNI FRANCISCO BONHOMIO**, apostolico apud imperatorem nuntio.

Friburgo Helvetiorum circa medium m. Augustum 1582.

Ex Bonhomii epistula 27. Augusti 1582 Augusta Vindelicorum ad Canisium data (vide infra, ep. 2155) cognoscitur, Canisium eo mense per Franciscum Garin capituli friburgensis „cantorem" maiorem Bonhomio „prolixiores litteras" misisse.

a) *Haec 2 vv. a B. addita sunt.* b) *Vel:* detrahere. *B. r. alterum ex altero correxit; primum autem scriptum erat, ut videtur:* detractum iri. c) *A B. correctum ex* deerit. d) *Hoc v. a B. additum est.* e) *A B. correctum ex* quando. f) *Sic, ut videtur, B. correxit ex* IIIJ°.

---

[1] Vide supra p. 74. [2] Vide supra p. 93[9].

[3] Liberarum imperii civitatum pars longe maxima protestantismum sequebatur. Hi, interpretationem pacis religionis augustanae prorsus novam proferentes, postulabant, ut, si qui cives in civitatibus imperii catholicis protestantismum amplecti vellent, his publicum religionis huius exercitium permitti deberet; ac cum imperator senatus aquisgranensis (Aachen), qui vi ac fraude se intruserat ac commissarios ordinis reparandi causa a caesare missos cum ignominia repulerat, oratores Augustam missos actionibus comitiorum interesse vetuisset, civitates liberae suffragii ius iis concedebant simulque exigebant, ne in posterum imperator decreta neve commissarios sibi mittere posset nisi actione forensi prius instituta; quod nisi concederetur, se imperatori subsidia adversus Turcas non esse praebituras (*Janssen* l. c. V[1-12] 16—21).

[4] Ps 35, 7. [5] Cf. Ps 103, 11—15 26—28; Mt 10, 29—31; Lc 12, 24.

Quae quoniam perisse videntur, vide epistulam Bonhomii, quam dixi; hac enim Bonhomius Canisio respondit. Confer etiam Bonhomii epistulam 30. Augusti 1582 ad Canisium datam.

2152. CANISIUS **GERHARDO** et **OTTONI KANISS** fratribus ex patre. Friburgo Helvetiorum 20. Augusti 1582.

Ex apographo (4°; 3 pp.) saeculo XVIII. exeunte vel XIX. ineunte, ut videtur, scripto (A). Cum autem Canisium ipsum lingua Germaniae superioris propinquis scripsisse certum sit (v. *Can.* VII 32), hoc exemplum versionem quandam praebet: lingua enim neerlandica saeculi, ut videtur, XVIII. eaque colore vlamico multum imbuta scriptum est. Exstat praeterea apographum lingua neerlandica medii fere saeculi XIX. ab ignoto scriptum (B); item apographum manu, ut videtur, P. Iacobi Herraets S. J. († 1876) scriptum eadem lingua, qua apographum A scriptum est (C). Particulam epistulae ex eodem edidit *L. van Miert* S. J., Canisiana VIII, in „De Studiën" D. LXXV, Nijmegen 1911, 716.

Fratribus solacium et animum addit in persecutionibus, quibus catholici in sedicione neerlandica affliguntur. Deum haec permittere, ut hominum peccata puniat eosque ad timorem Dei et pietatem excitet. Fratres hortatur, ut et ipsi fidem catholicam teneant et liberos in ea confirment neve ullo paupertatis vel aliorum malorum metu ad haereses, quarum radix superbia sit, deficiant. Precandi studium eis commendat. Eorum in fide constantiam et alacritatem laudat. Parentum aliorumque maiorum exempla iis proponit.

De genade en den[a] vrede onzers[b] Heere[c] Jesu Christi sterke onze herten[d] in alle goed en bewaere[e] ons van alle quaed[f]. Amen.

Myne lieve Broeders, alhoewel ik nu in langen tÿd van u niets gehoord en vernoomen[g] heb, zoo kan ik u dog[h] niet vergeeten[i], ja draege[k] voor u alle sorge[l], daer gy met veele[m] andere vroome[n], standvastige katholyken in de groote gemeene[o] vervolginge[p] in en uitwendig een zwaer[q] kruis en allerley aenvegtingen lyd[r] [1]. T' is ook geen wonder, nademael gy weet en met uwe groote schade voor 'oogen ziet, wat verargernissen en ellendige veranderinge in korte jaeren voorgevallen zyn in u lieve Vaderland met uwe vrienden en nabueren, ja zelfs in uwe eige huizen. Ik geloof, dat gy met droevige en bedrukte herten daer aen denkt, hoe de oude eenigheid in 't Christen geloof zelfs gescheurd en alles in eene grauzaeme oneenigheid, in haet, nyd, trouuloosheid, bitterheid en valscheid geraekt is. Waer op dan veele vroomen, en godzaelige menschen verstooten, verjaegd, beroofd, vervolgd en in goed en eer, lichaem en leven zyn beschaedigd worden; aen

a) de *B.* b) onzes *B.* c) heeren *B.* d) harten *B.* e) beware *C.* f) kwaad *B.* g) vernomen *B C.* h) toch *B.* i) vergeten *B.* k) draag *B.* l) allen zorg *B*; alle zorge *C.* m) vele *B* n) vrome *B.* o) algemeene *B.* p) vervolging *B.* q) zwaar *B.* r) allerlei aanvechtingen lydt *B.* *In posterum illae tantum lectiones variantes huius epistulae ponentur, quae maioris momenti sunt.*

[1] Cum a. 1579 Noviomagi Ioanne Nassovio auctore tres ecclesias Calvinianis tradidissent, Gerardus Canisius cum multis ecclesiasticis et aliis proceribus catholicis urbe exierat; qui hoc tempore Calcariae (Kalkar) habitasse videtur. Otto autem Canis. cum a. 1568 a duce Albano (Alba) urbis arnhemiensis scabinus constitutus esset et a. 1576 ibidem consul fuisset, Ioanne Nassovio rerum potito urbe exulare a. 1579 coactus erat et in oppido Huissen, haud procul ab Arnhemio sito, consederat, v. *Can.* VII 563[1] 568.

welke bittere, onchristelyke en 'ergerlyke vrugten d' onevangelische boomen zig genoeg tegenwoordig kenbaer maeken[1]. Welaen dan, d' argernissen moeten geschieden[2], de valsche Propheten moeten opstaen, en veele luiden misleiden[3], volgens de voorzegginge Christi: Gy hebt het beleefd en ondervind het nog van dag dot[a] dag, en deze laetste dwaelende en ellendige tyden: Waer by gy dan ock herkennen moet 't streng oordeel van den Almoogenden God, die d' ondankbaere Katholyken in Nederland daerom bezoekt en straft, om dat zy zoo lang in haer oud waeragtig, katholyk geloof luy, nalaetig en ongehoorzaem zyn geweest, en de regte genadereicke bezoekinge op hunnen tyd niet herkend hebben[4].

Ten tweeden toont God met dezen geessel, hoe lief Hy heeft zyne zondige kinderen[b], die Hij aldus kastyd en tydelyk straft[5], op dat zy tot d' opregte vreeze Gods worden aengedreven, ook zig zelve beter kennende, verneederen, en zig beeteren en deze wederwaerdigheit, en alzoo door t' kruis tot hunne zaeligheid zig spoeden[6].

Ten derde, Dit is de regte heilzaeme medecyne voor d' arme blinde wereldskinderen, die alleen met hunne schade moeten wys worden, en als met de hairen moeten getrokken worden, om te leeren de booze valscheid der godlooze wereld te veragten, t' tydelyk te verlaeten, en het' eeuwig te zoeken en te beminnen. Zoo dat gy met d' andere vervolgde Katholyken geene rede hebt van te morren en te klaegen: maer veel meer van Gods genade te herkennen[c] en van herte te zeggen, T' is ons goed en voordeelig, dat wy zoo verootmoedigd en beproefd worden als het goud in 't vuer[7]. *Merito haec patimur*[8] · en gelyk God met ons handelt, is niet alleen goed en regt, maer 't dient ook aen de Godminnenden tot hun eeuwig welzyn.

Geeft daerom, Allerliefste, geen plaets aen de kleinmoedigheid, die uit de zwakheid des fleeschs voor koomt, en heft uwe hoofden[d] tot dien, die bereid is zyne sterke hand uit te stecken, uwe zugten en Begeerten te verhooren, de bedrukte en bevogten te troosten, en uwe droefheid in d' eeuwige vreugden te veranderen. 'T stryden is hier nodig, op dat gy op den weg des kruis niet bezwykt en de hope opgeeft, maer u onder malkander in den geest sterkt en de korten tyd u niet te lang laet worden. Gy weet de waerschouwinge des Heere: In de wereld zult gy angst en noot lyden, maer betrouwt, Ik heb de wereld overwonnen[9]: Hebben zy my vervolgd, zoo zullen zy u vervolgen[10]: maer vreest de geenen

a) tot *B C.* b) *In C. omissa sunt, quae sequuntur, usque ad* die alleen met hunne *excl.* c) *In B. omissa sunt, quae sequuntur usque ad* en beproofd *excl.* d) oogen *C.*

[1] Cf. Mt 7, 15—20; 12, 33; Lc 6, 43 44.
[2] Mt 18, 7; cf. Mt 24, 10; Lc 17, 1. [3] Mt 24, 11; cf. Mc 13, 22.
[4] Lc 19, 44. [5] Cf. Prov 3, 12; Hebr 12, 6; Apc 3, 19.
[6] Cf. Iac 4, 10; 1 Petr 5, 6.
[7] Cf. Prv 17, 3; Sap 3, 6; Eccli 2, 5; Zach 13, 9. [8] Gn 42, 21.
[9] Io 16, 33. [10] Io 15, 20.

niet, die 't lichaem konnen dooden[1]. Die zyn kruis niet opneemt en my volgt, is my niet waerdig[2]. Die tot het einde volhard, zal zaelig zyn[3].

Dog 't is niet nodig, dat ik u veele spreuken uit het Heilig Evangelie voor houde, maer myne zonderlinge vermaeninge en bede aen u allen in 't gemeen en gezamentelyk is, dat gy met een sterk geloof Christo den Heere en zyne Katholyke Kerk standvastiglyk aenkleeft, ook uwe liefe kinderen[a] in d' eenigheid en de gehoorzaemheid van dezelve Katholyke Kerk opvoed en behoud, al zouden zy na 't lichaem in ellende en armoede leven. Eene ziel is ja edelder en kostbaerder dan alle de reikdommen en de wellusten van deze wulpze wereld, die vol leugens en bedriegeryen is. Een Godvreezend mensch is beter als duizend godloozen. Geen pand zoo duer, geen schat zoo groot dan als opregte Katholyke Ouders aen hunne lieve kinderen nalaeten het onvervalscht, zuiver Katholyk geloof. Daer[b] 't zelve niet is en blyft, daer is geen grond, waer op men bouwen kan[4], wat God behaeglyk, aen de zielen voordeelig en aen de menschen heilzaem hier en daer kan zyn.

Daerom wee en wee in eeuwigheid den geenen, die uit vreeze van de wereld, of om hunne goideren en vrienden van hun oud katholyk geloof afwyken, en de nieuwe tegenstrydige, onbestendige Secten aenhangen. Dat is niets anders dan met Thomas[5] zig van 't Apostolyk Huis afscheiden, en daernaer eigezinnig, twyffelagtig en twistig worden, ook nit meer gelooven, dan dat de mensch volgens zyn hoofd en goeddunken zig voorstelt of volgens de menschelyke rede oordeelt. Thomas wilde niet gelooven voor dat hy 't van te vooren had gezien, en met zyne uituendige zinnen gevat, ja met zyne hand en vinger had aengeraekt · zoo gaet het ock met onze nieuwe[c] Sectarissen en dwaelgeesten: Zy willen niet met ons Katholyken gelooven, dewyl zy zig op d' enkele en doodmakende letter[6] 't eenemael verlaeten en hun zwak hoofd meer dan de Leeraers der Kerke betrouwen, en wat zy van de Hoogwaerdige Sacramenten en[d] de gewigtige Geheimen Gods niet begrypen konnen, dat verwerpen en bespotten zy, gelyk de Joden en de Turken. Ei Gods woord bestaet in de woorden niet, maer de Goddelyke Wysheid word aen de kleinen openbaert, en niet aen de wyzen[7] en lovensgierigen[e], die van hunne lieve godzaelige voorouders en van de gansche Katholyke Kerk zoo quaelyk spreeken en oordeelen; ook geene ootmoedige schaepen Christi willen zyn, maer zig zelve als Regters en harders boven alle wettige oude Regters en geestelyke herren[f] [?] stellen en houden. Daerom zoo lief

a) ook uwe liefde *B.* b) Waar *C.* c) *Hoc v. deest in B.* d) in *C.* e) nieuwsgierigen *B C.* f) *Corrigendum esse videtur* harders, *quod est in C. B. habet:* herders.

[1] Mt 10, 28; Lc 12, 4. [2] Mt 10, 38; cf. Lc 14, 27. [3] Mt 10, 22; 24, 13. [4] Cf. Mt 7, 24–27; 16, 18. [5] Cf. Io 20, 24–25. [6] 2 Cor 3, 6. [7] Mt 11, 25; Lc 10, 21.

als u is d' eeuwige Waerheid en de zaeligheid, laet u door nieuwe vremde en meenigerlei leere niet verleiden[1], wagt u, zoo veel immer moogelyk is, van de valsche Propheten[2], volhard in d' eenige Arke Gods, hoort de moiderlyke stim van de Kerk, op dat gy getrouwe en gehoorzaeme kinderen Gods blyft. De grooten afval moet geschieden, gelyk S. Paulus voorzeid[3] en is alreeds voor oogen. 'T uitverkoore geloof moet openbaerd en beproefd worden. Weinige laeten zig vinden op den engen smallen weg, die alleen tot het eeuwig leven leidt[4]. Veele zyn geroepen, maer weinige uitverkooren, gelyk ons het Evangelie met klaere woorden aentoont[5]. Daerom[a] moeten zy blind en uitzinnig zyn, die uit ligtvaerdigheit of om het tydelyk haer heilig en alleen zaeligmakende oud katholyk geloof verloochenen of verranderen, uit het oud bestendig huis Gods wegloopen, 't loffelyk gebruik van 't Hoogwaerdig Sacrament veranderen en Gods woord by de geenen hooren, die in de leer nimmer overeen koomen en geene magt hebben, 't woord Gods naer hunne nieuwe Glossen te prediken, en eene nieuwe verdigte, ja ook[b] lang te vooren gedoemde Religie op te regten en te verdedigen.

Maer dewyl het opregte en alleen zaeligmakende geloof eene byzondere en heerlyke gave is en genade Gods, dog hedendaegs veel verminderd en by veelen zeer klein en zwak gevonden word, zoo vermaent ons de noot, dat wy meenig mael en ernstelyk met het gebed aen houden, op dat God ons en 't Katholyk geloof behoude en sterke, al zouden wy met vrouw en kinderen in allerlei gevaeren, schade en schande geraeken : want zaelig die Christum en hun Christelyk geloof geheel en gansch en niet stukwys beleiden, ook en zulke beleidenis vervolging en veragting lyden. Aen zulke koomt toe[c] de Martelie kroon, die wy zonder bloidstorting tegenwoordig konnen verkrygen, als wy ons vast en gehoorzaem by d' oude Katholyke Kerk houden, en daerom van de vianden der Kerke allerlei onregt en geweld verduldiglyk aen en in neemen. 'T is ook mynen raed ende vermaeninge, die ik u geve lieve broeders, dat gy van dag tot dag God, den waeren Bron van alle genade, lof en dank zegt, dewyl Hy u als zyne uit verkoore kinderen zulk eene standvastigheid in 't geloof, geduld in lyden, iever in d' aenvegtingen, vriendelykheid tegen de vyanden wonderbaerlyk mede deelt, waer over ik my billyk van herte verblyde en daerom ook het dankoffer gaerne opdraege aen den Allerhoogsten die Hemel en aerde heeft geschaepen[6]. Ik laete my voorstaen, wy zullen ons eens by malkander[d] alle zien en verblyden met onze lieve Godzaelige Ouders[7] en Vrienden, die in de eenigheid van 't

a) Waerom *C*. b) *Hoc v. deest in C*. c) *Ita B C; in A. deest* toe. d) elkander *B*.

[1] Hebr 13. 9. [2] Mt 7. 15. [3] Cf. 2 Thess 2. 3 4.
[4] Cf. Mt 7. 13; Lc 13. 24. [5] Mt 20. 16; 22, 14. [6] Gn 1. 1; Dn 14. 4.
[7] Iacobum Canis eiusque uxores Aegidiam van Houweningen et Wendelinam van den Bergh significat.

Katholyk geloof zoo eerlyk op aerde geleeft, zoo ridderlyk gestreden, en zoo heerlyke voorbeelden na hun gelaeten[a] hebben, dat wy ons billyk nimmer over hun moeten schaemen. En dewyl ik met een byzonder groot betrouwe, ook volgens myne pligt, alz uwen oudsten broeder dit alles getrouwlyk en vriendelyk schryve, zoo hope ik vastelyk dat gy deze myne broederlyke meeninge ende Christelyke vermaeninge in 't goed zult aen neemen en behertigen, ook in u Katholyk wezen[b] zoo veel te ieveriger en standvastiger tot 'u einde zult volharden. Hier toe wensche ik u allen en een ieder genade, vrede, sterkte, wysheid, geduld[c], maetigheid en liefde in Christo Jesu onzen zaligmaker[1].

Groet alle vrienden en bloetvrienden, byzonderlyk die geenen de in elend verstrooit zyn. Datum te Freyburg in Switzerland den 20. Augusti 1582.

Uwen bekenden oudsten Broeder
Doctor Petrus Canisius.

Den Eerzaemen Gerritt en Ott Canisius Borgers te Nimmegen, en myne byzondere lieve Broeders in eige handen.

In apographo A notatum est, inscriptioni epistulae archetypae ascriptum esse: „Ontfangen den 18. November 1582[d].“

2153. PTOLEMAEUS cardinalis **COMENSIS**, Gregorii XIII. secretarius maior, CANISIO. Roma circa d. 25. Augusti 1582.

Ex epistulae ad Bonhomium datae commentario vel apographo eodem tempore scripto, quod est in archivo vaticano, Nunz. di Germ. 12 f. 140.

De Frobenio typographo in civitatem friburgensem non admittendo.

Cardinalis Comensis Roma 25. Augusti 1582 Ioanni Francisco Bonhomio, apostolico apud imperatorem nuntio, qui 31. Iulii 1582 eum de Ambrosii Frobenii typographi basileensis perfidia certiorem reddiderat (v. supra p. 91), haec respondit: „Si manda questa sera al Padre Canisio il breue per il Senato di Friburg contra il Frobenio, et con esso la copia, et anco la professione de la fede fatta qui da esso Frobenio, de la quale sara anco qui copia accio V. S. ueda tanto meglio la sua perfidia. Nel resto si scriue al Padre Canisio quel che bisogna.“

Cardinalis epistula ad Canisium perisse videtur. Breve autem illud eodem illo die 25. Augusti datum est. Pontifex se a Frobenio fidem catholicam Romae professo mirifice deceptum esse scribit. Quare senatum friburgensem monet, ut hominem illum eiusque familiam omnino a civitate arceat: timendum enim esse, ne religioni catholicae magnum damnum inferat; proinde praestare, ut Friburgenses emolumentis careant, quae se ex eius arte consecuturos esse sperent (*Wirz*, Bullen u. Breven etc. 422; *Theiner* III 334—335).

a) voorbeelden achtergelaten *B*. b) zijn *B*. c) *Hoc v. deest in C*. d) Anno 82 *B C*.

[1] Tit 1, 4; 3, 6; 2 Petr 1, 1; 3, 18.

2154. CANISIUS **CLAUDIO AQUAVIVAE** praeposito generali Societatis Iesu. Friburgo Helvetiorum 26. Augusti 1582.

Canisium 26. Augusti 1582 Aquavivae scripsisse intellegitur ex litteris 19. Novembris 1582 ab eo ad Canisium datis (v. infra, ep. 2160). Ad hanc Canisii epistulam referendum etiam esse videtur id, quod Sacchinus (Can. 307—308) narrat: „Canisius . . . supplex a Praeposito Generali . . . contendit, uti se praefecturae munere liberaret. Optimus senex ad id unum excusatione, ac beneficio utebatur aetatis, et subiectus omnibus, ab alieno totus nutu penderet.“

P. *Georgius Bader* praepositus provincialis Augusta Vindelicorum 14. Augusti 1582 Aquavivae *scripsit: Collegii Friburgensis „superior designatus est a R. P. Visitatore" Oliverio Manareo „multorum et meo iudicio, reliquis qui proponebantur aptior, et ad hoc munus satis idoneus P. Petrus Michael, qui propediem cum duobus coadiutoribus mittetur, ut Praeceptoribus locum et caetera praeparet. . . . P. quoque Canisius sine praecipuorum fautorum graui offensione inde auferrj non posset, et uix uideo, ubi uel ipse libentius esse uel utilius collocari possit" (ex autographo: Germ. 160 f. 132ª).

In **Indiculo* quodam Sociorum, qui a. 1580—1595 Friburgi cum Canisio fuerunt, Friburgi circa a. 1730 conscripto (in quo tamen nonnulli Socii omissi sunt) notatum est, P. Petrum Michael „Rectorem" 11. Septembris 1582 Friburgum advenisse, atque eodem anno accessisse „P. Joannem Huletum Praefectum, M. Stephanum Schönium supremae Gramm., M. Joannem Raducium Mediae, M. Joannem Molitorem infimae, Michaëlem Sabaudum Coadjutorem" sive fratrem laicum (Can. 47 p. 89).

Petrus Michael hic distinguendus est a Petro Michael sive Michaelis coloniensi, vulgo Brillmacher vocato (de quo *Duhr*, Jes. I 149—154). „Petrus Michael Silesius Novoforensis" (Neumarkt, nunc Silesiae borussicae civitas) — ita eius „*Elogium*" saeculo XVI. vel XVII. conscriptum („Jesuitica · Fasc. 11 No 196½" p. 7—8. Monachii in archivo praecipuo reip. bav.) — Monachii 1. Septembris a. 1568 in Societatem admissus est, ut P. *Paulus Hoffaeus* provincialis sua manu notavit (Cod. VI. 35 f. 53ª). Eum a. 1570/71 Dilingae rhetoricae operam dedisse intellegitur ex **Catalogo* huius collegii 1. Novembris 1570 dato (Germ. Sup. 44 f. 67ª). *Manareus* visitator Augusta 8. Augusti 1582 Aquavivae *scripsit: Designatus est „Vicerector" friburgensis „P. Petrus Michael qui jam Dilingae absoluit lectiones Cursus philosophiae, theologus trium annorum, quem sperabam me posse mittere in Vrbem ut 4ᵘᵐ Annum Theologiae audiret ac melius praxim et spiritum Societatis imbiberet. . . . Rector cupit" eum „retinere, quod rationes Conuictorum habeat omnes perspectas, commoratur enim ibi ab aliquot annis, et praestat autoritate apud totam juventutem propter cursum philosophiae quem vtiliter et fructuose in ea Vniuersitate docuit" (ex autogr.: Germ. 160 f. 125ª). Michael professionem quattuor votorum fecit Friburgi in aede S. Nicolai coram P. Ferdinando Alber provinciali 6. Iulii 1588 (ex professione autographa: Germ. 2 f. 98ª) et collegium friburgense magna cum laude rexit usque ad d. 4. Novembris 1596, quo supremum diem obiit, annos natus 47 (**Elogium*, ut supra; *Ign. Agricola* S. J., Historia Provinciae Societatis Iesu Germaniae Superioris. Pars secunda. Augustae Vindelicorum 1729. n. 539; *Joh. Kälin*, Notizen über P. Petrus Michael, in „Freiburger Geschichtsblätter", 8. Jahrg., Freiburg i. Ue. 1901, 90—92).

2155. **IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS**, apostolicus apud imperatorem nuntius, episcopus vercellensis, CANISIO.

Augusta Vindelicorum 27. Augusti 1582.

Ex commentario ab I. A. Caresana secretario scripto et sic inscripto: „Patri Canisio"; quod commentarium Bonhomius sua manu emendavit. Cod. „Bonh. 2" f. 1

non sign., quod est in initio codicis. Particulam ex eodem commentario posuit *Hansen* l. c. II 492[2].

Visitationes. Episcopatus lausannensis restitutio. Eius bona a Friburgensibus occupata. Horae canonicae. Indulgentiae. Tarditas romana. Frobenius. Turbae aquisgranenses. Principes brandenburgenses. Civitatum „impudentia".

Reuerende admodum, uti frater in Domino charissime. Prolixioribus uestris litteris, mihi a Cantore Friburgensi[1] redditis, paucis respondebo, ne illum hodie a prandio discessurum diutius detineam: Cum ipso Cantore egi de foranearum parochialium[a] [?], deque monasteriorum uisitatione, ut Praepositum[2] meis uerbis ad illud munus obeundum sedulo impellat: Erubesco autem[b], ut alias scripsi, aperire os amplius de Lausanensis Ecclesiae restitutione[3]: quod si mihi persuadere possem aliquid in hoc negocio posse ab Heluetijs impetrarj[c], quorum ingenia satis me nouisse iam reor, deposita equidem uerecundia, tertio experiri non recusarem, quanquam non satis uideo, quis iam[d] praeter Episcopum Vercellensem impensas facere non grauetur[e]. Cogitabo tamen si ad proxime futura Comitia allegari aliquis possit[f] idem officium, quod paulo ante tentatum[g] est, rursum praestiturus[4]; Vicarium cum aliquot Ecclesiae ipsius Lausanensis prouentibus, quos Friburgenses possident, constitui probarem utique, sed tractandum esset prius[h] negocium cum Senatu isto, qui quidem nescio qua conscientia detinere possit Ecclesiae bona: qua de re Paternitas Tua posset cum aliquibus[i] ex Senatorum numero[k] grauioribus uiris serio tractare; atque ad me deinceps rescribere, si ulla spes restitutionis subesse uideretur[5]: Ego enim curarem statim a Summo Pontifice ad Senatum dari opportunas litteras. De Canonicis horis ex Romani ritus praescripto in Collegiata Ecclesia recitandis[6], deque Marianae sodalitatis[l] indulgentijs, ego sane[m]

a) *Sic; corrigendumne* parochiarum *vel* ecclesiarum parochialium? b) *Sic Bonh. correxit ex* equidem. c) *A Car. correctum ex* impetrare. d) *Hoc v. a B. additum est.* e) *Sic B. correxit ex* deinceps uelit. f) *A B. correctum ex* debeat. g) *Sic B. correxit ex* concessum non. h) *Hoc v. B. addidit.* i) *Sequitur* grauioribus, *oblitteratum. Quae sequuntur, usque ad* uiris *incl., a B. in fine commentarii addita sunt.* k) *Sequitur* uiris, *oblitt.* l) *A B. corr. ex* societatis. m) *Sic correctum est ex* equidem.

[1] Francisco Garin, „canonico cantore" capituli S. Nicolai: v. supra p. 93.

[2] Petrum Schnewly, qui etiam vicarius generalis episcopi lausannensis erat: v. supra p. 55. [3] Vide supra p. 53 94.

[4] Schnewlino Bonhomius eodem die 27. Augusti scripsit: „De Lausanensis ecclesiae restitutione ad Reverendum Patrem Canisium fusius perscribam. Illud subticere nolo, non facile uidere me, qua fronte Sanctissimum Dominum, Caesareamue Maiest: amplius de hoc negocio sollicitare audeam, in quo se iam semel, atque iterum a me fuisse delusos conqueri iure possunt; Minus uero Illustrissimum Cardinalem [Ludovicum Madrutium], qui magno cum incommodo, atque impensa Auditorem suum ad Thermopolitana Comitia frustra miserit" (ex archetypo, a Bonhomio ipso subscripto, Cod. friburg. „Epp. ad Schn." f. 69a; etiam apud *Berthier*, Bonh. 112—113). Ceterum vide supra p. 89 et *Steffens-Reinhardt* II 142.

[5] Eodem fere tempore, quo Bernates episcopo lausannensi ex sua urbe pulso Lausannam vicinasque regiones eripiebant, Friburgenses terras in republica sua sitas, quae in ipsius ditione erant (Bulle, Albeuve, La Roche) occuparant (*Mayer* l. c. I 104).

[6] Breviarium lausannense haud multum quidem a breviario romano per S. Pium V. reformato discrepabat, lectiones tamen apocryphas habebat nec iam venale erat nec

sum uehementer sollicitus, scriboque his de rebus Romam frequentius, sed crucior interdum, et sane uehementius, quod tam sero, tamque segniter ibi omnia expediantur[1]: Doleo Frobenij miseriam[2], sed postquam Catholicus esse noluit, abeat, quo uelit, mihi enim de illo iam non erit cura amplius: Quod ad Comitia nostra attinet, non leues[a] turbae fuerunt deinceps ab haereticis excitatae, quae nec dum[b] sedatae sunt, Aquensium causa[3]; Magdeburgicusque ipse, uel potius eius Pater Elector, Comitia in sua ditione conuocauit, nihilque non molitur, ut iniuriam sibi illatam, ita enim appellant ipsi, quacunque licuerit ratione uindicet[4]; Speramus tamen non longe abesse Comitiorum exitum: sed an foelicem satis, nondum constat, ob Ciuitatum Liberarum, quae Aquensem seditionem per fas, et nefas tueri uolunt non ferendam contumaciam[c] atque impudentiam inauditam, praesentemque rerum Catholicarum[d] statum[e], hoc est miserabilem admodum, ne peculiares rationes attingam. Quapropter Paternitatem Tuam cum Fratribus enixe rogo ut assiduis precibus omnipotentem Deum pro Catholicae Religionis rebus admodum periclitantibus sollicitare non intermittant, meique praecipue miseriarum pleni iugem memoriam conseruent: Datum Augustae Vindelicorum VI Cal. Septembris MDLXXXII.

Canisius Bonhomio respondisse videtur ante medium m. Septembrem 1582: vide infra, ep. 2161.

2156. IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS, apostolicus apud imperatorem nuntius, episcopus vercellensis, CANISIO.

Augusta Vindelicorum 30. Augusti 1582.

Ex commentario ab I. A. Caresana secretario scripto et „Patri Canisio" inscripto, quod Bonhomius sua manu correxit. Exstat in Cod. vercell. „Mons." f. non sign., n. 358. Epistulam ex eiusdem commentarii apographo recenti vulgavit *Berthier*, Revue etc. XXV 363—364 et Bonh. 202—203.

Non expedire, ut ad Helvetios denuo quis episcopatus lausannensis gratia legetur. De comitiorum exitu.

a) *A B. corr. ex* modicae. b) *Sic B. corr. ex* excitatae, neque. c) *Tria vv. sqq. a B. sub ipsum comment. addita sunt.* d) *Hoc v. a B. additum est.* e) *Quae sequuntur, usque ad* attingam *incl., a B. sub ipsum commentarium addita sunt.*

denuo imprimi nisi magno cum sumptu poterat: quare Bonhomius id egerat, ut clerici omnes ad breviarium romanum recitandum adigerentur (*Berthier*, Bonh. 18). Sebastianus autem Verronius parochus canonicusque friburgensis a. 1581 capituli nomine Gregorium XIII. rogavit (ita ipse notavit), „ut Breviarii Lausannensis officia, quae partim particularia, partim differentia cum Romano Breviario sunt, approbare dignaretur, ut in choro saltem antiqua officia manerent". Pontifex autem breviarii lausannensis emendationem et approbationem cardinali Guilielmo Sirleto commisit (*Wymann* l. c. 126 127). Ac Bonhomius m. Augusto a. 1582 Friburgensibus semel atque iterum promisit, curaturum se, ut breviarium recognosceretur et „ad vota vestra et mea" restitueretur (*Berthier*, Bonh. 110 188).

[1] Litterae indulgentiarum pro sodalitate mariana datae sunt 12. Martii 1583. Quas vide infra, monum. 1325. [2] Vide supra p. 101.

[3] De turbis hisce aquisgranensibus vide supra p. 96[3].

[4] De hac re vide supra p. 93[2] et *L. v. Pastor*, Geschichte der Päpste IX. Freiburg i. Br. 1923. 588—594.

Reuerende admodum uti frater in Domino charissime. Etsi cogitaueram Paternitatis Tuae desiderio aliqua ratione satisfacere, de Lausanensi negocio, uisum tamen est Cardinali Illustrissimo[1] graues aliquas ob causas, quas opus non est nunc commemorare, nihil aliud hoc anno ea de re innouandum esse[2]. Eoque magis ego etiam in illius iui sententiam, quod si uere Catholici Heluetij cupiunt Ecclesiae Lausanensis causam promouere, id profecto facile ipsi poterunt[a]: si litteras tum Pontificias, tum Caesareas, quas etsi hactenus suppresserunt, acceperunt tamen, in Comitiis futuris[b][3] proferant, ut quid Sanctissimo Domino, quidque Jmperatori ipsi respondendum sit[c], cum omnibus Legatis consultent, ac deliberent[4]. Sed nihil spero hoc tempore in Ecclesiae fauorem deliberatum iri, etiamsi rursus aliquis ab Illustrissimo D. Legato, uel ab Jmperatore etiam ad Heluetica Comitia mitteretur: Haec uero pauca significare uolui P. Tuae, ut ne fortasse de hac causa nunc esset inaniter sollicita, aut animo suspensa. Bene ualeat in Domino, ac preces fundere ne desinat pro foelici Comitiorum successu, quorum iam finem, Deo annuente, proximum spectamus[d] si non eum, quem sane cupiebamus, at non omnino infoelicem, nisi Diabolus nouas adhuc machinas struat: Augustae Vindelicorum, IIJ. Cal. Septembris MDLXXXII.

Bonhomius hanc epistulam significasse videtur, cum 26. Septembris 1582 Schnewlino praeposito scriberet: „Ex Patre Canisio de negocio illo grauiori, de quo rettulit Cantor, aliquid intelligere poterit: quamobrem eadem non repeto" (ex epist. archetypa. Cod. friburg. „Epp. ad Schn." f. 72ª; etiam apud *Berthier*, Bonh. 116).

Epistula, qua Bonhomio Canisius respondit, fortasse circa medium m. Septembrem 1582 data est; v. infra, ep. 2157.

2157. IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS, apostolicus apud imperatorem nuntius, episcopus vercellensis, CANISIO.

Augusta Vindelicorum 19. Septembris 1582.

Ex commentario ab I. A. Caresana secretario scripto et „Patri Canisio" inscripto, quod Bonhomius ipse correxit. Exstat in Cod. vercell. „Mons." f. non sign., n. 385. Epistulam ex eiusdem commentarii apographo recenti vulgavit *Berthier*, Revue etc. XXV 364—365 et Bonh. 203—204.

Restitutio episcopatus lausannensis. Censura orientalis errorum lutheranorum. Ciritatum in comitiis contumacia. Imperatoris constantia.

Reuerende admodum uti frater in Domino charissime. Jterum experiemur de Lausanensi restitutione, quid sperari[e] possit in Heluetia[5]: tantumque[f] cum Jllustrissimo Domino Legato[6] effeci, ut rursum[g] mit-

a) *Sic Bonh. correxit ex* facile possunt. b) *A Bonh. correctum ex* ipsi. c) *Sic Bonh. correxit ex* respondeant. d) *Septem vv. sqq. a Bonh. addita sunt.* e) *Bonh. pro* sperari *scripsit* effici; *deinde autem deleto* efficit *priorem scriptionem restituit.* f) *Bonh. ex* tantumque *correxit* tantum siquidem; *deinde primam scriptionem restituit.* g) *Hoc v. a Bonh. additum est.*

[1] Ludovico Madrutio, Gregorii XIII. in comitiis imperii legato.
[2] Vide supra p. 53 94 103.
[3] In comitiis confoederationis helveticae, Badae sive Thermipoli habendis.
[4] Vide supra p. 54 89.
[5] Vide supra p. 103. [6] Cardinali Ludovico Madrutio.

tatur Thermopolim, qui litteras Pontificias, et Caesareas uniuerso Heluetiae conuentui reddat, et Ecclesiae Lausanensis[a] restitutionem petat: Vtinam non incassum cedat tertio haec mea cura, et sollicitudo.

Patre Posseuino suadente, Censurae Orientalis libellum de integro typis excudi curauimus, cuius sane duo exempla Paternitati Tuae nunc mitto, ut alterum ipsi Praeposito[1] tradat. Quanto autem usui is futurus sit ad facile conuincendas sectariorum nostri temporis fraudes, atque imposturas, facile ex libelli lectione cognoscet Paternitas Tua[2]: Quamobrem prolixior non ero[b], ubi dixero tamen, ad Comitiorum exitum nos tandem foeliciter peruenisse, si inuictum Caesaris[3] animum, qui nihil prorsus detrimenti Catholicae Religioni inferri passus est, uel[c] maximis difficultatibus, atque incommodis circumuentus[d], sique infractas aduersariorum uires, et audaciam, delusasque fraudes, ac machinationes respiciamus[e]: Nam alioquin liberae Ciuitates nondum acquieuerunt, neque decreto de Contributionibus subscribere uoluerunt[4]: quapropter[f] quieta certe[g], aut pacifica dici non potest Comitiorum conclusio: sed Caesari certe gloriosa, atque honorificentissima, si ulla unquam alia fuit: Siquidem Sac: illius Mai: omnia commoda sua, nempe auri Miriades, potius amittere se uelle ostendit, quam aliquid Haereticis concedere, quod uere Catholico Principe dignum non esset: Quamobrem sperandum est Deum opt: maximum summis illam muneribus magno cum foenore cumulaturum: Recte ualeat Paternitas Tua, et pro Germaniae rebus, ualde fluctuantibus, Deum precari assidue ne[h] desinat rogo. Augustae Vindelicorum XIIJ. Cal. Octobris[i] MDLXXXII.

Bonhomius Canisio misit una cum his litteris, ut ex ipsis cognoscitur, „Censuram Orientalem". Cuius haec fuit origo: Jacobus Andreae et Martinus Crusius, Lutherani tubingenses, iam inde ab a. 1574 missis ad Jeremiam II, patriarcham constantinopolitanum († circa a. 1595) litteris, orationibus sacris, Confessione Augustana id magno studio moliebantur, ut ille se, quod romanae ecclesiae inimici essent, pro amicis haberet et in summis religionis christianae capitibus cum ecclesia graeca convenire profiteretur (*Leo Allatius,* De Ecclesiae Occidentalis atque Orientalis perpetua consensione, Coloniae Agrippinae 1648, l. 3, c. 8, n. 3, 1010—1014; *C. J. Hefele,* Beiträge zur Kirchengeschichte I, Tübingen 1864, 446—463).

Sed Ieremias, cum iam a. 1576 et 1579 epistulas ad eos dedisset, quibus Confessionem Augustanam plane improbabat, a. 1580/1 per Theodosium Zygomalam aliosque theologos „Censuram" componendam curavit, qua nomine ecclesiae orientalis Lutheranorum de iustificatione, sacramentis, Sanctorum invocatione, monachorum ordine, Sancti Spiritus processione doctrinae vehementer vituperabantur; simul Tubinganos rogavit, ne in posterum eiusmodi litteris mittendis sibi molesti essent (*K. Werner,* Geschichte der apologetischen und polemischen Literatur der christlichen Theologie III, Schaffhausen 1864, 204—208). Hanc igitur „Censuram" Stanislaus Socolovius

a) *Haec 2 vv. a Bonh. addita sunt.* b) *Sic Bonh. correxit ex* finem scribendi facio. c) *Sequitur* in, *a Bonh. oblitteratum.* d) *A Bonh. correctum ex* constitutus. e) *Sex vv. sqq. a Bonh. addita sunt.* f) *Sic Bonh. correxit ex* quamobrem. g) *A Bonh. correctum ex* quidem. h) *A Bonh. correctum ex* non. i) *Berthier habet:* XIII. Octobris.

[1] Petro Schnewly.
[2] Vide, quae de hoc libro sub ipsas has litteras dicentur.
[3] Rudolphi II. [4] Cf. *v. Pastor* IX 590.

Stephani Bathorii Poloniae regis theologus ac canonicus cracoviensis latine Cracoviae primum, deinde Dilingae ita in lucem emisit, ut simul varios Ieremiae errores confutaret. Prodiit igitur „Censura Orientalis Ecclesiae de praecipuis nostri saeculi Haereticorum dogmatibus: *Hieremiae Constantinopolitano Patriarchae*, iudicii, et mutuae communionis caussa, ab Orthodoxae doctrinae adversariis, non ita pridem oblatis. Ab eodem Patriarcha Constantinopolitano, ad Germanos Graece conscripta: A *Stanislao* autem *Socolorio*, Serenissimi Stephani Poloniae Regis Theologo, ex graeco in latinum conuersa, ac quibusdam annotationibus, ad proprias Graecorum opiniones respondentibus, illustrata. Ad Gregorium XIII. Pontificem Maximum. Ioannis V. Vos misistis ad Ioannem: et testimonium perhibuit veritati. Cum facultate Superiorum. Dilingae Excudebat Ioannes Mayer. CIↃ. IↃ. XXCII.“ 24.°: pp. sign. 399; in initio 8 ff. non sign.: libri exemplum exstat Monachii in bibliotheca nationali.

2158. P. ANTONIUS BALDUINUS S. J. suo, CANISII, aliorum Sociorum nomine **CLAUDIO AQUAVIVAE** praeposito generali Societatis Iesu.

Friburgo Helvetiorum 7. Novembris 1582.

Ex Hoffaei autographo. G. Sup. 98 f. 408a.

De bonis quibusdam monasterii marsensis alienandis.

P. Paulus Hoffaeus, Claudii Aquavivae praepositi generalis „assistens“ pro Germania, in commentario quodam, quem post medium a. 1584 vel aliquanto post scripsit et „De alienatione bonorum Friburgensium variae Jnformationes“ inscripsit, notavit, P. Antonium Balduinum S. J., qui Friburgi bona monasterii marsensis collegio Societatis attributa administrabat, de iis 27. Augusti 1582 scripsisse: „Omnes vnanimiter suadent vendendas quatuor villas Moletes, Bude, Pipin, et superiorem grangiam cum Sylua Bosat[1] *· 1° ob molestias et fraudes colonorum et possessorum conterminorum · 2 quia ad depellendas has molestias, cogemur saepe molestare Senatores ut opem ferant 3 saepe villae visendae et sarta tecta seruanda sed hi discursus distrahunt spiritum, et huiusmodi negotijs non sumus assueti · 4. Sylua etiam tribus horis ab oppido distat et itinere difficili.“ Deinde Hoffaeus notat, eundem Balduinum „nomine Rectoris et consultorum“ 7. Novembris 1582 hanc addidisse rationem: „5 praeter domesticum Procuratorem, opus est alio externo quem difficile est idoneum reperire, et nunc illi quo vtimur, cogimur in annum soluere 30. taleros Philippicos.“ Haec certe ratio, si Hoffaeum recte intellegimus, nomine rectoris et consultorum, e quorum numero Canisium fuisse sat certum est, proposita est; fortasse autem Hoffaeus significare volebat, reliquas quoque rationes eorundem nomine 7. Novembris propositas esse; neque enim scripto suo haec satis clare expressit.*

De eadem alienatione et P. Petrus Michael collegii rector et Canisius Aquavivae seorsim scripserunt, idque eodem tempore factum esse videtur: v. infra, ep. 2169.

Quantae molestiae Sociis friburgensibus ex bonis ortae sint, colligitur ex P. *Georgii Bader* praepositi provincialis * litteris Hala 27. Ianuarii 1583 ad Aquavivam datis. „Scribunt“, inquit ille, „nostrj Friburgenses, villicum nostrum, qui mercede

[1] Molletes praedium erat monasterii marsensis; Budaz nunc viculus est paucis constans domibus; Posat a. 1586 100 fere incolas habebat *Dictionnaire* géographique . . . du Canton de Fribourg, Fribourg 1886, 245 318 344.

conductus, monasterium cum quibusdam adiunctis praedicolis custodit et colit, grauissimas in uaccis, porcis et alijs, accipere iniurias a vicinis suis, eo tantum nomine: quod Jesuitarum sit famulus · estque odio omnibus hominibus propter nos · quod etsi aequo animo ferre sit paratus, coniecturam tamen inde facere licet, quo animo sint in nos; et quid oblata occasione in nos aliquando machinaturi sint homines Caluinistae" (ex autographo; Germ. 161 f. 30a). Et *Petrus Michael* collegii friburgensis rector Augusta 23. Iulii 1584 Aquavivae *questus est, quod homines quidam non „nostris solum, uerumetiam Jnquilino eiusdem Monasterij insidientur, illiusque pecoribus uehementer iam pridem obfuerint: nam Equo linguae partem amputarunt, bouem ueneno sustulerunt, et unam ex vaccis per medium dissecuerunt" (ex autogr.: Germ. 163 f. 91b).

2159. CANISIUS **CLAUDIO AQUAVIVAE** praeposito generali Societatis Iesu.

Friburgo Helvetiorum sub exeuntem a. 1582 (circa 7. Novembris 1582).

Canisium sub exeuntem a. 1582 „de alienandis quibusdam bonis Monasterij Marcensis" Aquavivae scripsisse intellegitur ex Aquavivae litteris 14. Ianuarii 1583 datis, per quas hic Canisio respondit. Vide infra, ep. 2169. Canisium autem litteras illas circa 7. Novembris 1582 dedisse conicitur ex epistula Balduini, quae posita est supra p. 107.

Canisius unus ex *Petri Michaelis* rectoris friburgensis „consultoribus" erat. Sic enim ille Friburgo 21. Iunii 1584, collegii visitatione per Georgium Bader provincialem facta, Aquavivae praeposito generali *scripsit: „Consultores ijdem manent qui hactenus, nimirum Reuerendi P. P. Petrus Canisius, Robertus Ardrenus Anglus, et Petrus Louaniensis, qui omnes cum reliquis in sua uocatione constantes diuino obsequio proximorumque saluti sese liberaliter impendunt" (ex autogr.: Germ. 163 f. 146).

2160. **CLAUDIUS AQUAVIVA** praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 19. Novembris (kalendarii gregoriani) 1582[1].

Ex commentario (A) sic inscripto: „Friburgi P. Petro Canisio." G. Sup. 1 f. 79. Epistulae pars („Spero" — „adiumento fore" incl.) posita est latine (ex eodem comm., ut videtur) a *Sacchino*, Can. 308 (B) et (ex archetypo vel ex Sacch.) in libello (C) „*R. P. Petrus Canisius* elogiis illustratus" (v. supra p. 66) f. B 8b, et in „*Positione*" a. 1734, Summ. p. 42, et in „*Positione*" a. 1833, Summ. p. 79, gallice a *L. Michel* S. J., Vie du Bienheureux Pierre Canisius, Société de Saint-Augustin 1897, 393, germanice a *Riess* l. c. 475, italice a *Gius. Boero* S. J., Vita del Beato Pietro Canisio, Roma 1864, 385—386.

Canisius regendi onere levatus. Eius auctoritas apud Friburgenses. Horum benevolentia. Scholae. Incommoda. Venditiones.

Ex Reuerentiae V. litteris datis 26 Augusti, cognoui Reuerentiae V. statum, itemque sociorum eius, ac totius istius Friburgensis

[1] Gregorius XIII. a. 1582 usum kalendarii a se reformati ita incohari iussit, ut mense Octobri diem 4. proxime sequerentur Idus sive dies 15., omissis 10 diebus intermediis. Atque ita Romae factum est; item in reliqua Italia, in Hispania et Lusitania. Secuti sunt brevi post Galli et Belgae imperio hispanico subiecti. Rudolphus II. imperator iussit 4. Septembris 1583 kalendarium novum tum in terris suis hereditariis tum in toto imperio 10. Octobris 1583 admitti. Id vero protestantes recusarunt. Guilielmus V. Bavariae dux 9. Ianuarii 1583 pontifici scripsit, ipsius kalendarium post d. 10. Februarii 1584 in totam Bavariam inductum iri (*Theiner* III 379 418 421; *Pastor* IX 205—215). Friburgi Helvetiorum, id quod infra ostendetur, 22. Ianuarii 1584 eo uti coeperunt.

stationis, cepique haud paruam in Domino consolationem, quod omnia bene ad Dominj honorem procederent. Etsi spero ab eo tempore res istas non modicum incrementum accepisse scholarum initio tam feliciter facto[1], uti ex alijs accepi: cui initio Dominum rogo ut etiam successus respondeat. Spero etiam hoc tempore istuc aduenisse[a] qui Reuerentiam V. ista gubernationis cura de qua[b] dudum dolebat, alleuarit[c][2], ut iam sese totam[d] proximorum salutj[e] promouendae impendere possit, quam ad rem confido sane[f] non solum talenta quae a Deo accepit, uerum[g] etiam opinionem[h] et auctoritatem quam per eiusdem gratiam[i] in ciuitate ista, ut audiui, hoc toto[k] tempore sibi comparauit, plurimo ei adiumento fore, et ut ita sit diuinam[l] bonitatem ex animo precor. Valde autem gauisus sum quod Reuerentia V. istius ciuitatis beneuolentiam, ac liberalitatem etiam in nostros commemorabat, pro qua[m] Christus Saluator exorandus est, ut aeterna eis praemia retribuat, atque etiam ut pro retributione quadam praesenti nostrorum labores ita prosperare, et adiuuare dignetur ut ipsis et ipsorum iuuentuti quam maxime utiles, ac salutares sint. Incommoda porro illa quae scribit partim iam adesse, partim timeri Collegio non dubito quin Dominj prouidentia, et P. Prouincialis[3] diligentia sublatura sit, eumque etiam Reuerentia V. pro sua parte consilio, et opera adiutura. Nos[n] etiam ei quod Reuerentia V. grauissimum iudicabat[o] in bonorum administratione, ex parte occurrimus, qui iam potestatem fecimus P. Prouinciali ut aliquae ex uillis uendantur, quas difficillime curari[p] posse audiebamus[4]. Quare nihil mihi restat aliud quod scribam nisi ut Reuerentiam V. horter ut nouum istum agrum de quo adhuc Reuerentia V. adeo bene merita est, deinceps etiam pro uiribus fouere, atque in melius promouere pergat, simulque nostri in suis precibus, ac sanctis sacrificijs meminisse. Romae 19 Novemb. 1582[q].

Qui commentarium hoc scripsit, eius fini in margine haec ascripsit: „Additum, ut Romam mitteret suos nepotes." [5]

2161. CANISIUS **IOANNI FRANCISCO BONHOMIO**, apostolico apud imperatorem nuntio, episcopo vercellensi.

Friburgo Helvetiorum inter medium fere m. Augustum et medium m. Septembrem 1582.

Ex Bonhomii epistula archetypa, quae est in archivo vaticano, Nunz. di Germ. 104 p. 322—324.

Expedire, ut Petrus Schnewly praepositus constituatur visitator apostolicus reipublicae friburgensis.

a) Spero iam advenisse *B C.* b) *Ita in A. correctum est ex* cura quam. c) allevaret *C.* d) totum *C.* e) *Corr. in A. ex* in proximorum salutem. f) *Corr. in A. ex* rem spero. g) sed *C.* h) *Duo vv. sqq. in A. supra versum scripta sunt.* i) *Quinque vv. sqq. desunt in C.* k) *Hoc v. deest in C.* l) *Corr. in A. ex* ipsius. m) *In A. sequitur* Dominus, *oblitt.* n) *Duo vv. sqq. in A. supra versum scripta sunt.* o) *In A. sequitur* de, *oblitt.* p) *In A. corr. ex* aegre procurari. q) *Quae sequuntur, in A. in margine addita sunt.*

[1] Hoc factum est 18. Octobris; v. infra, monum. 1313.

[2] P. Petrus Michael, primus rector collegii friburgensis: v. supra p. 102.

[3] Georgii Bader. [4] Vide supra p. 107. [5] Vide supra p. 76.

Bonhomius Fridberga (Friedberg, oppidum Bavariae superioris Augustae Vindelicorum vicinum) 28. Septembris 1582 Ptolemaeo cardinali Comensi, Gregorii XIII. secretario maiori, scripsit: „Il Padre Canisio mi auuisaua, che uolessi ottenere una facoltà di Visitatore Apostolico per il Preposito di Friborgo[1], *con una lettera appresso del Legato*[2], *che gli commandasse di uisitare quel Cantone, perche ne speraua gran frutto; però essendo già partito Monsignor Illustrissimo Legato, uengo da V. S. Illustrissima supplicandola, che si degni far ispedire un Breue, che gli incarichi questo ufficio; et la si ricordi, che si deue tenere gran conto di quel Cantone, et di quel Clero, ch' è di gran longa il migliore, ch' io habbia trouato in Heluetia; saria bene dargli per aggiunto Visitatore il Padre Fra Giouanni Michaele, ch' è dell' ordine di S. Francesco conuentuale, ualente huomo, et di buonissimi costumi*[3], *con dar loro facoltà di uisitare tutto il Clero secolare, e regolare; poiche quei Regolari uiuono malissimo et danno ogni di grauissimi scandali*[4], *con pericolo, che il Magistrato secolare non r i t o r n i a l u o m i t o*[5], *di castigare esso i frati, et i preti.“*

Cardinalis Comensis 23. Octobris 1582 Bonhomio *respondit: „Quanto al deputar il Proposto di Friburgo Visitator Apostolico in quel cantone, secondo la proposta del padre Canisio, S. Santità si contenterà di farlo, con il compagno che V. S. dice, et farà come saremo in Roma" (ex commentario vel apographo eiusdem temp., quod est in archivo vaticano, „Nunz. di Germ. 12" f. 150).

Boret l. c. 150 scribit: Anno 1582 „les comptes de l'Etat mentionnent un subside alloué au P. Jean Michel [O. Min. Conv.] et au P. Canisius pour faire un voyage qui avait pour but le bien de la religion et de leurs ordres respectifs". Fateor tamen, me in huius anni et multorum aliorum annorum codicibus dati et accepti, qui Friburgi in archivo reipublicae servantur, eam commemorationem frustra quaesivisse; neque in aliis huius temporis monumentis iter illud Canisii narratum repperi. Fortasse Bovetii haec scribentis vel eius, ex quo haec accepit, animo obversabatur id,

[1] Petro Schnewly. [2] Cardinalis Ludovici Madrutii; v. supra p. 94.

[3] Ioannes Michel sive Michaelis, in reipublicae friburgensis oppido „Bulle" circa a. 1558 natus, ibidem ordinem Fratrum Minorum Conventualium ingressus, in litterarum studia sub Societatis disciplina et Spirae et Parisiis incubuit et in universitate parisiensi magister artium et doctor theologiae creatus est. Is Friburgi in ordinis sui ecclesia, ut senatus desiderio satisfaceret, multas egregiasque orationes sacras gallico sermone habuit. Anno 1579 „commissarius" provinciae argentinae ordinis sui (ad quam monasterium friburgense pertinebat) constitutus et a. 1585 Romam legatus est. Dein a. 1586—1589 provinciae illius minister provincialis et a. 1589—1598 monasterii friburgensis guardianus fuit, vir eruditione, prudentia, pietate praestans et disciplinae religiosae restituendae studiosissimus. Qui a. 1597 ab Ioanne Turriano (Della Torre) nuntio apostolico iussus est dioecesim lausannensem una cum Sebastiano Verronio, qui tunc praepositus capituli S. Nicolai erat, et Martino Licio S. J. collegii rectore administrare atque m. Ianuario a. 1598 vita excessit (*Nicolaus Raedlé* O. Min. Conv., Le Couvent des RR. PP. Cordeliers de Fribourg, in „Revue de la Suisse catholique" XIV, 206—215; *Conr. Eubel* O. M. Conv., Geschichte der oberdeutschen [Strassburger] Minoriten-Provinz, Würzburg 1886, 186 359).

[4] Et Augustiniani Eremitae Minoresque Conventuales, qui Friburgi monasteria habebant, et Cistercienses monasterii altaripensis (Hauterive) prope Friburgum siti parum religiose vivebant (*Mayer* l. c. II 173 181; *Berthier*, Bonh. 6 79—80 90 191).

[5] Prv 26, 11; 2 Petr 2, 22.

quod in **Litteris* annuis collegii friburgensis notatum est: Anno 1584 P. Petro Michael, collegii rectori, et Canisio Monachium ad congregationem provincialem ordinis sui profecturis a senatu 20 coronatos pro viatico datos esse; v. infra, monum. 1359.

2162. CANISIUS **IOANNI FRANCISCO BONHOMIO**, apostolico apud imperatorem nuntio, episcopo vercellensi.

Friburgo Helvetiorum inter m. Octobrem et Decembrem 1582.

Ex Bonhomii epistula archetypa, quae est in archivo vaticano, „Nunziat. di Germania 105" p. 20—23.

Bonhomius in litteris Vindobona 11. Ianuarii 1583 ad cardinalem Comensem Gregorii XIII. secretarium maiorem datis haec monuit de Petro Schneuly praeposito friburgensi ad officium vicarii generalis episcopi lausannensis administrandum adigendo et visitatore apostolico reipublicae friburgensis cu maptis facultatibus constituendo (v. supra p. 110): „Ricordo à V. S. Illustrissima di far espedire il Breue per il Vicariato, et facoltà apostolica di uisitare, nella persona del Preposito di Friborgo, con l' aggiunto, secondo che già scrissi; perche il Padre Canisio l' aspetta con diuotione, come cosa molto utile al seruitio di Dio in quel Cantone, e giuriditione."

Bonhomius Canisio respondisse videtur 5. Ianuarii 1583 kalendarii emendati.

2163. CANISIUS **IACOBO CHRISTOPHORO BLARER A WARTENSEE**, episcopo principi basileensi.

Friburgo Helvetiorum 14. Decembris 1582.

Ex autographo (2°: ½ p.; in p. 4 inscr. et particulae sig.), quod est Bernae in archivo reipublicae, in folio separato. Epistulam gallice reddidit *Kohler* l. c. 16.

Litterae dimissoriales. Scholae Sociorum fauste incohatae.

✝

Pax Christi JESV nobis aeterna.

Reuerendiss. Domine et Jllustriss. princeps.

Redit isthuc Laurentius, de quo antea scripseram [1], cum literis meis, atque hanc solam impetrare gratiam cupit, vt per amplitudinem tuam liceat ei, ubicunque uoluerit, sacris ordinibus iniciari. Hac enim gratia impetrata, suum fauorem, suosque sumptus pollicentur amici ad eius studia promouenda. Quocirca etiam atque etiam rogo, ut celsitudo tua dimissoriales quas vocant [2], illi benigne concedat, qui se hactenus Catholicum et syncerum adolescentem praestitit, cui et firmiorem valetudinem et meliorem fortunam ex animo desideramus. De nostri collegij rebus nihil habeo dicere, nisi quod ludum literarium aperuimus iuuentuti [3], et bonorum fonti Christo gratias agimus, qui haec Friburgensium studiorum primordia magis magisque prosperat, vt conatus nostros ad diuinam ipsius gloriam multis profuturos esse confidam.

[1] Laurentius Gröll a Lauffenberg: v. supra p. 72—77.

[2] Per litteras dimissoriales episcopus, cui sacrorum ordinum in aliquem conferendorum ius competit, eidem permittit, ut eosdem a certo alio episcopo vel a quocumque alio in se conferendos curet.

[3] Apertus est 18. Octobris; v. infra, monum. 1313.

Precamur omnes a Deo Opt. Max. ut pietas tua et huius anni finem, et noui sequentis ingressum sibi suaeque Ecclesiae salutarem omnino sentiat. Friburgi 14 Decemb. 1582.

Seruus in Christo

Petrus Canisius manu propria.

† Reuerendiss. in Christo Patri, Domino Jacobo Christophoro Episcopo Basilaeensi, Principi Jmperij, Patrono suo. Ad manus proprias.

Inscriptioni huius epistulae manu antiqua, quae videtur esse secretarii vel archivistae episcopalis, ascriptum est: „R. P. Petrus Canisius Soc. JESV. Ad nihilum hae litterae asseruatae fuerunt, nisi pro memoria dicti Reuerendi, et Pij Patris Canisij."

Blarer Canisio respondit 29. Decembris 1582.

2164. IACOBUS CHRISTOPHORUS BLARER A WARTENSEE, episcopus princeps basileensis, CANISIO.

Delsberga 29. Decembris 1582.

Ex apographo eiusdem temporis, quod est in codice bernensi „Missiuae de Annis 1582. et 1583" (v. supra p. 72 p. 484. Apographo manu eadem in margine ascriptum est: „An Herren Canisium." Epistulam gallice reddidit *Kohler* 16—17.

Litteras dimissoriales concessit. Gaudet de schola incohata. Dioecesim reformabit.

Jacobus Christophorus Dei et Apostolicae sedis gratia Episcopus Basiliensis etc.

Quod a nobis per literas nuper petiisti, ut Laurentio Gröll dimissorium, ut vocant, ex nostra Curia largiremur, haud grauate, pro nostra in te beneuolentia, certis conditionibus annuimus, quas in ipso Dimissorio conceptis uerbis, exprimere iussimus, Quod reliquum est Scholae uestrae fundamenta foeliciter iacta esse, uehementer laetamur: Deumque Opt: Max: praecamur, ut ad illius gentis salutem, Ecclesiaeque Catholicae ornamentum, et nostram quoque, uicinorumque utilitatem foelicissime procedant. Speramus enim ex isto uestro Juuentutis seminario, ad istam etiam quam molimur religionis, in nostris ditionibus reformationem, non parum adiumenti accessurum cuius prosequendj non quidem poenitus spes sublata, sed ad tempus tantum multis uarijsque difficultatibus impedita est · quas cum aliquando perfringet, laetiores multo, uberioresque fructus, quae Dei benignitas est, non dubitamus, dabit. Datum ex oppido nostro Thelemontij XXIXa Decembris. Anno in Salute humano generj recuperata M. D. LXXXII.

Hae litterae illustrantur *epistula, quam *Blarer* Delsberga 26. Decembris 1582 Altkirchium (Altkirch) ad officialem suum misit. In qua eum monet: „Ess würdt Euch vnzweyfels noch wohl bewust sein, dass zeuger diss Lorenz Kröll vonn Lauffenberg, alss Er sich hieuor bey vnss hatt wöllen ordinieren lassen, vnd damaln weyl Er zuo solchen sachen, Jn Ansehung Er nicht genug gestudiert vndaugenlich erfunden worden, von vnns Rettardiert worden etc. Dieweyl vnd aber Er yetzmaln beyligende fürschrifften, vom Herren Petro Canisio, gleichsfahls von der Stat Freyburg in Vechtlandt vnd von vnserm Schwagern den von Landen[1], die jr vnss zu Ewerer gelegenheit wider zuschickhen sollen, aussbracht, darin wir ersucht vnd ge-

[1] Ioannes a Lanthen-Heid? Cf. supra p. 2[1].

betten werden, Jme ein dimissorium mitzutheylen, Dohaben wir in erwegung deren, auch dass Er Gröll sich biss an hero erbarlich vnd wohl gehaltten weyl zuuermuten Er gehn Bisanz [1], da dann Er etwas Ringer, weder bey vnss durchkhummen mag, ziehen, vnd sich alda Ordinieren lassen werde, vnd wir Jhnen in seinem furnemmen nicht gern verhindern wolten, Jme sein begern, nicht verweygern khunden, derwegen vnser gnedigs begeren an Euch, Jr wöllen mehr gemeltem Gröllen ein dimissorium, Doch dass darin wan es breuchig ist · dass Er bey vnss nit gnugsam qualificiert noch taugenlich, vnd aber durch hilff bey den Patribus mehr zustudieren, vertröstung empfangen gesagt werde, damit man sehe, dass wir die dimissoria nicht so leuchtlich hingeben, Derwegen wöllen wir dessen Conscientz der Jnen weyen wurdt, damit beschwert haben, wie Jhr dann solliches wol zuuerfertigen werden wussen" (ex apographo eiusdem temp.; Cod. bern. „Missiuae" etc. [ut supra] p. 479—480.: epistulae brevem summam posuit *Kohler* 16).

2165. CANISIUS **IOANNI FRANCISCO BONHOMIO**, episcopo vercellensi et apostolico apud Rudolphum II. caesarem nuntio.

Friburgo Helvetiorum ineunte a. 1583.

Ex huius litterarum partis apographo (2°; 1 p.) ab I. A. Caresana Bonhomii secretario scripto et „Ex literis Patris Canisij" superscripto atque ab ipso Bonhomio Romam ad Ptolemaeum cardinalem Comensem misso, quod est in archivo vaticano, „Nunz. di Svizz. 1. A" p. 117. Item ex Bonhomii litteris archetypis, quae sunt ibidem, „Nunz. di Germ. 105" p. 81—83. Epistulae particula posita est germanice in libro „Petrus Canisius. Ein Lebensbild. Von *Otto Braunsberger* S. J.", Freiburg i. Br. 1917, 273.

Multitudo scholasticorum. Sacramentorum frequentia. Favores. Aes alienum. Frobenius. Pontifex.

— — Nos Friburgi, quae nostri sunt muneris, tum in templo, tum in schola exequimur, et diuinae bonitati merito gratias agimus, quae conatus nostrorum egregie prosperare dignatur: Admirantur omnes tam frequentem esse conuentum scholasticorum, ut numerus eorum superet nostram, et amicorum expectationem: Augustana, et Luceriana schola pauciores habent discipulos [2], multoque plures ad futuram aestatem nobis promittuntur. Apud d. Nicolaum tam frequens fuit populus in accipienda sacra synaxi, ut nihil tale uisum antea fuerit [3], ac ipsi Canonici nostrorum laborem praedicant. Friburgensis senatus, et populus de empta scholae domo, deque constituto collegio sibi non parum gratulantur, etsi antea multi parum huic instituto fauerent; Praecipue nos angit sacelli angustia, quae multos accedere ad sacra prohibet, nosque in sacramentorum administratione impedit uehementer. Colligit interea Praepositus [4] pecuniam, quae ad nouae aedis constructionem conferatur; sed non uideo multis annis rem inchoari posse, uel perfici,

---

[1] Vesontionem sive Besançon.

[2] Societas scholas aperuerat Lucernae autumno a. 1577, Augustae Vindelicorum m. Octobri a. 1582 (*Duhr*, Jes. I 204 215).

[3] Schnewlino praeposito friburgensi *Bonhomius* 6. Martii 1583 scripsit: „Loetatus sum mirum in modum de tanto tamque insperato eorum, qui ipso Natiuitatis Dominicae festo die communicarunt, numero" (ex archetypo, ipsius Bonhomii manu subscripto; Cod. friburg. „Epp. ad Schn." f. 73ᵃ; etiam apud *Berthier*, Bonh. 120).

[4] Petrus Schnewly, praepositus capituli S. Nicolai.

nisi Deus praepotenti manu sua nobis assistat. Jn monasterij[1] prouentibus haerent maximae difficultates, quibus utinam finem, aut modum imponat R. P. Prouintialis[2], cum huc accesserit. Duorum milium coronatorum debitis premimur, solaque spes coelestis auxilij nostros sustentat animos in hac penuria, quae Christi pauperibus non male congruit. Ex alma Vrbe nihil hactenus adfertur, nisi quod scripsi de causa Frobeniana, quam urgere noluimus sine fructu[3]. Audio Pontificem max. non optime ualere, ut pote in hac aetate decrepita, sed rogandus est sane Deus, ut talem ecclesiae suae pastorem diutius conseruet[4]. — —

*Id quoque Canisius in hac epistula denuo ursisse videtur, ut Petrus Schneuly a pontifice visitator apostolicus reipublicae friburgensis constitueretur. Bonhomius enim in *litteris Augusta 2. Martii 1583 ad cardinalem Comensem, Gregorii XIII. secretarium maiorem, datis, quibuscum hoc epistulae canisianae apographum Romam misit: „Ricordo", inquit, „à V. S. Illustrissima il Breue per il Preposito di quel Cantone da poter uisitare authoritate Apostolica si come scrissi già."*

Quid praeterea *Bonhomius* spectaverit, haec earundem litterarum verba ostendunt: „Hò fatto anco trascriuere dalla lettera del padre Canisio alcuni particolari, de' quali hò creduto, che N. Signore debbia e pigliar consolatione, et muouersi à soccorrere alle necessità di quel collegio, quale spero, che sia per rendere ogni di frutti maggiori."

Die 4. Martii 1583 *Bonhomius* aut ipsam hanc Canisii epistulam aut apographum eius (sive integrum, sive, id quod maxime probabile est, non integrum) S. Carolo Borromaeo archiepiscopo mediolanensi misit; quem simul sic monuit: „Le raccomando di novo il Collegio di Friborgo, il quale ha digia maggior numero di Scholari che non ha quello di lucera e questo di Agosta ma si trova in [debito][a] [?] di 2000[b], com ella vedra da quello che mi scriue il padre Canisio" (*Ed. Wymann,* Aus der schweizerischen Correspondenz mit Cardinal Carl Borromeo, in „Der Geschichtsfreund" LIV, Stans 1899, 34).

2166. IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS, episcopus vercellensis et apostolicus apud imperatorem nuntius, CANISIO.

Vindobona 5. Ianuarii 1583 (kalendarii emendati).

Ex Bonhomii ad Schnewlinum epistulis archetypis, quae sunt in cod. frib. „Epp. ad Schn." f. 73—76. Easdem posuit *Berthier,* Bonh. 118—120.

Canisium Friburgi manere debere.

Bonhomius „Ghinsburgi Burgouiae" (Günzburg an der Donau) 6. Martii 1583 „ad Gregoriani Calendarij calculum" Petro Schneuly, praeposito capituli S. Nicolai friburgensis, scripsit: „Scripsi equidem ad te, atque ad Reuerendum Patrem Canisium Nonis, ni fallor, Januarij." Epistula ad Canisium praesto non est. Quid autem Bonhomius scripserit, ex parte colligi potest ex Bonhomii litteris Vindobona 5. Ianuarii

a) *Hoc v. vel simile supplendum esse intellegitur ex ipsa Canisii epistula supra posita.* b) *Supplendum esse videtur ex Canisii epistula:* corone.

[1] Monasterium marsense collegio Societatis attributum significat.
[2] Georgius Bader. [3] Cf. supra p. 101.
[4] Gregorius XIII. natus erat kalendis Ianuariis a. 1502 (*Pastor* IX 11).

1583 ad Schneulinum datis. Ubi sic ait: „Quae de Patre Canisio Reuerentia Tua monet, cordi mihi erunt; sed rogare Deum oportet, ne superiores alio mittere hominem decernant; Siquidem uix Summi Pontificis mandata sistere Friburgi illum possent; Coeterum neque illos de mutando bono seni loco cogitare arbitror, neque ego sane in praecauendo ero segnis." Et in litteris 6. Martii 1583 datis, quas supra dixi, Schneulinum monet: „Uti rogaueras, egi cum Reuerendo Patre Oliuerio[1] *Generali per Germaniam Visitatore, ut Patre Canisio ne Friburgum careat; erimusque uoti, Deo aspirante, compotes; Vos iam curare debetis ne frustra Sanctum istum uirum apud nos tamdiu habeatis."*

Schneuly S. Carolum Borromaeum Friburgo „14 Iunij secundum antiquum Calendarium" 1583 *monuit: „Neque enim parum situm in oppido et ditione Friburgensj, ut uideatur plerisque, ea, in re catholica, sana, Pagos caeteros Heluetiae in eadem religione subsistere posse, periclitari uero omnes caeteros, Friburgo Heluetiorum corrupto, quod timendum erat, nisi Collegium multis inuitis, studio et opera Reuerendissimj Vercellensis fuisset erectum, multum hodie iuuante praeter caeteros bonos Patres Societatis, domino Petro Canisio Theologo [qui] si nihil ageret, cum sit infracti laboris, tamen tacens omnes contineret in officio. Dici, multo minus scribi, potest, quam nostrae Patriae fuerit hoc Collegium necessarium" (ex autogr., quod est Mediolani in bibliotheca ambrosiana, Cod. „F. 175. infer." f. 101[a]—102[b]).

2167. CANISIUS **CLAUDIO AQUAVIVAE** praeposito generali Societatis Iesu. Friburgo Helvetiorum 6. Ianuarii 1583.

Ex commentario litterarum Aquavivae, quod est in G. Sup. 1 f. 93[a], et ex *Sacchino*, Can. 309—310.

De Societatis profectu, Calvinianorum successu, precatione pro Sadeele facienda.

Aquaviva Roma 13. Maii 1583 Canisio scripsit: „Epistola Reuerentiae V. quam ad me dedit 6º Jan. sero quidem ad me ut ferme solent istinc litterae, peruenit, sed tamen grata mihi fuit." Canisii epistula iam non exstat. Quid tamen is scripserit, ex parte cognosci potest ex Aquavivae litteris, quas modo dixi. Ex iisdem intellegitur, Franciscum Sacchinum epistulam hanc significare, cum de rebus a. 1583 a Canisio gestis agens scribit: Multa ad Generalem Praepositum de Societatis curando profectu, quod ille postulauerat, scripsit: in quibus dum perfectam Euangelici operarij formam ex institutis nostris exequitur; se ipse nobis nec sentiens expressum reliquit." Huic narrationi Sacchinus proxime et, ut ita dicam, uno eodemque tenore haec addit verba, quae proinde et ipsa ad eandem Canisii epistulam pertinere videntur: „Deplorabat interim successum Caluinianae pestis omnibus circa locis: nec solum inductos in fraudem simplices, sed ipsos etiam corruptores, ac circumscriptores miserabatur. Et quoniam inter omnes eminebat Antonij Sadeëlis astuta procacia, quem electum sane Organum Satanae vocat, pro eo nominatim cupiebat a Societate preces fieri, quod eam siue sciens ille, siue nesciens petulantissime incesseret."

De *Antonio Sadeël* (Chandeo, Chandieu) eiusque scriptis vide *Can.* VII, 572[3]. Is in praefatione libri „De unico Christi sacerdotio et sacrificio, aduersus commentitium

[1] Manareo.

Missae sacrificium" a se compositi sic de Societatis hominibus scribit: „Quo minus ferenda est Monachorum Pseudonymorum audacia: qui Romanae Ecclesiae corruptelas omnes, quamquam absurdissimas, praefracte tamen defendere statuerunt": *Antonii Sadeeles* Chandei Opera theologica. Ed. 2a, s. l. 1593, 39.

2168. CANISIUS **CLAUDIO AQUAVIVAE** praeposito generali Societatis Iesu. Friburgo Helvetiorum initio m. Ianuarii 1583.

Ex archetypo (2°; 34 pp.), quod librarius aliquis latinae linguae haud ita peritus ex commentario a Canisio scripto vel dictato exscripsisse videtur; Canisius multos huius scripti locos sua manu emendavit. In summo margine paginae primae manu antiqua scriptum est: „R. Pater Petrus Canisius." Germ. 184 f. 122a—138b. Litterarum partem illam, quae de collegio germanico est, in compendium redactam posuit germanice *Steinhuber* I² 156. Varias earundem partes posuit germanice et unam latine *Janssen* IV¹⁻¹² 382; V¹⁻¹² 182—185 206 530. Particulam germanice posuit *O. Braunsberger*, Petrus Canisius², Freiburg i. Br. 1921, 288. Usus est iis etiam *Al. Kröss* S. J., Der selige Petrus Canisius in Oesterreich, Wien 1898, 140. Mentionem earum fecerunt *Sacchinus*, Can. 309, et *Boero*, Can. 389—390.

Praefatiuncula editoris. Litteris hisce, quibus de ratione religionis cum alibi tum maxime in Germania per Socios eorumque discipulos iuvandae agitur, neque ad quem neque quando neque unde a Canisio datae essent, ascriptum est. Ex ipsis tamen intellegitur, eas Romam ad Societatis praepositum generalem missas esse, cum P. Paulus Hoffaeus ibidem eius adiutorem ageret et Gregorius XIII. ecclesiam gubernaret. Hoffaeus autem Aquavivae adiunctus est „assistens" 5. Martii 1581, et Gregorius XIII. vita functus est 10. Aprilis 1585. Porro *Franciscus Sacchinus* S. J., vir in tabulario Societatis romano versatissimus, cum de rebus a. 1583 a Canisio gestis agit, hoc, praeter alia, narrat: „Tempore eodem in Vrbem misit commentarium nouum, (multa enim talia saepe ante miserat) de ratione religionis in Germania subleuandae" (Can. 309). Atque ipse *Aquaviva* Roma 13. Maii 1583 Canisio scripsit: „Epistola Reuerentiae V. quam ad me dedit 6.° Jan. . . . grata mihi fuit. . . . Scriptum quoque Reuerentiae V. de Germania iuuanda libenter accepimus, speroque aliquid utilitatis allaturum" (v. infra, ep. 2170). Quare dubitari non potest, quin Canisius litteras hasce sive commentarium adiunxerit epistulae 6. Ianuarii 1583 ad Aquavivam a se datae.

Quae Canisius in hoc scripto de Germaniae episcopis, clero, populo sive catholico sive acatholico, atque etiam de collegii germanici alumnis in patriam reversis et de hominibus Societatis refert, cum grano salis accipi oportet: nam, ut iam semel atque iterum notatum est, solebat ille res coloribus valde atris depingere et, ut in se ipse valde severus erat, ab aliis quoque, saltem a clericis et a Societatis sodalibus, praeclara exigere. Ceterum id quod *Sacchinus* de aliis eius litteris monet (l. c. 309 ad 310), de his quoque dici potest: „Dum [in iis] perfectam Euangelici operarij formam . . . exequitur, se ipse nobis nec sentiens expressum reliquit."

Aquavivae iussu respondet: 1. De Sociorum „officio ad conversandum cum proximis". Cura animarum magni facienda. Animus Deo iungendus. Exemplo Petri Fabri sancti angelique invocandi. Cavendum, ne animi offendantur. Modestia et caritas Ignatii imitanda. Homines exemplo Francisci Xaverii prudenter tractandi. Fortitudine spiritus opus est. „Procuratores Dei". In itineribus caute et pie agendum, exemplo Fabri. 2. De Sociorum „officio ad haereticos, praesertim Germanos, adiuvandos". Difficultates. Fiducia in Deo. Suavitas in agendo. Non disputandum. Plurimi ex ignorantia, non ex malitia errant. Aliqua dissimulanda. Quid collegia germanica iam praestent. Catechesis. Professio fidei. Errores refutandi. Socii ad id melius instituendi. Libri haereticorum non neglegendi. Magnates. Haereticorum sedulitas imitanda. Libri boni disseminandi. Gregorii XIII. in Germaniam liberalitas. Ignatii in eam amor. Societatis fautores. Protestantium discordia. Vitia Germanorum, imprimis episcoporum, principum, cleri, laicorum. Episcopi adiutores sibi adiungant

et seminaria foveant. Pontifex libros pro religione scribendos curet, nuntios germanos mittat, universitates reformet, dissidia componat, cum caesare de bonis ecclesiae conservandis agat. Canonici haeretici pellendi. Episcopis novis aliqua singulariter iniungenda. Confirmationis et extremae unctionis usus restituendus. Contionatores probe instituendi. Missiones in terris haereticorum non habendae. 3. „De alumnis collegii germanici", ut „rectius de sua patria mereantur". Pauci eam strenue adiuvant. Iuvenes, antequem Romam mittantur, diligenter examinandi et probandi. Cum nobilibus, quod ad litteras attinet, clementius agendum. Romae alumni ad studium salvandi animas inflammentur, in contionibus et sacris caerimoniis exerceantur. Curetur, ut ecclesiae patriae operam per maiores sibi committendam praestent. Facultatibus sacris et victu commodo instruantur.

PAX CHRISTI IESV AETERNA, REUERENDE ADMODVM PATER.

Mense proximo scripsit ad me R: P: Hoffaeus, P: T: nomine postulans, ut et ego quamuis inter alios exiguus, ad hasce quaestiones responderem, primum, quibus modis se Societas nostra cum maiore fructu proximo communicaret. Deinde, qua ratione idem fieri posset non solum apud Catholicos, sed etiam in partibus haereticorum, praesertim in Germania. Postremo, quibus modis efficiendum sit, ut Collegium Germanicum maiorem utilitatem Germaniae adferat, et ut eius alumni melius in Germania in officio possint contineri. Atque ita quidem P. Hoffaeus, nisi quod ego ex prima quaestione ab eo proposita duas feci, ut sicut distinctior, ita et luculentior esset omnis illarum tractatio, quam ad tria capita referre curaui. Peto autem ineptijs meis ueniam dari, quoniam plaeraque uerbosius ac imprudenter effudi, quemadmodum P: T: ac sapientes alij facile iudicabunt: his autem ego me per omnia corrigendum offero atque permitto in Christo Jesu domino nostro[1].

CAPVT PRIMVM DE OFFICIO NOSTRORVM
ad conuersandum[a] cum proximis ubique locorum.

Responsurus ad arduas et late patentes quaestiones, ut obedientiae sanctae pro meo modulo satis faciam, quasi fundamenti loco id unum assumam ac statuam, unumquemque nostrum, qui Societati Jesu nomen dedit, ita sese comparare debere, ut peculiarem Christianae charitatis affectum cum ardenti animarum zelo coniunctum in se sentiat, ac oblata occasione proximo suo re ipsa declaret. Hoc enim officium nostris manet semper proprium, qui non alium sibi scopum ac finem propositum tenent, nisi ut non modo suae, sed etiam proximorum saluti ac perfectioni duce Dei gratia consulant et incumbant[2]. Quare iubemur etiam, omnes omnium nationum homines communi et syncero desiderio

a) conseruandum *archet.*

[1] Rom 6, 11 23; 8, 39; 1 Cor 15, 31; Eph 3, 11.

[2] „Finis huius Societatis est, non solum saluti et perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare, sed cum eadem impense in salutem et perfectionem proximorum incumbere": *Constitutiones* S. J. Ex. c. 1, n. 2. Haec ad verbum transcripta sunt in „*Summarium* Constitutionum" S. J., reg. 2.

amoreque complecti[1], et citra exceptionem in charitate non ficta[2] bene mereri de quibuslibet, atque omnia fieri omnibus[3] ad omnes, quoad eius fieri potest, Christo conciliandos atque lucri faciendos. Ad hanc eximiam et salutis alienae semper auidam charitatem multa nos excitant et inflammant, potissimum uero Christus ipse dominus et magister[4], qui nobis factus est uia, ueritas et uita[5], quique illum secuti sunt Apostoli, uere hominum piscatores[6], sed et primi patres, qui una cum Societatis nostrae antesignano beato Ignatio, munus cum proximis uersandi ualde sibi familiare fecerunt, atque ut pulcherrimum et utilissimum, ita Societatis maxime proprium nobis commendauerunt. Nec est dubium sane, inter alia misericordiae et charitatis officia hoc unum excellere, Deo et Angelis eius acceptissimum opus esse, quod et summam laudem Societati, et utilitatem alijs maximam adferat. Haec praefari uisum est, ut propositae quaestionis argumentum, quod non nisi Christianam et Apostolicam charitatem spirat et continet, Societatis nostrae hominibus sit et maneat summopere commendatum. Nunc ad rem ipsam propius.

1.[a] Quisquis Deo humanae salutis cupidissimo[b] ad salutem animarum per medium conuersationis est cooperaturus, non sat habebit, si hoc ipsum opus diuinissimum, et in Societate nostra maximi ponderis, suaequae uocationi congruentissimum esse, persuasum habeat, sicut iam diximus, uerum etiam ad hoc ipsum praestandum uehemens in se desiderium crebro excitare atque sentire debet, spe ac fiducia omni rei bene gerendae non in se ipso, sed in Dei authoris ac redemptoris sui auxilio firmiter collocata. Etenim sicut Propheta dixit, nisi Dominus aedificauerit domum, in uanum laborauerunt qui aedificant eam[7].

2. Deinde alijs utilis in conuersatione futurus sibi uacare curet, eaque media quae operarium ipsum, ut instrumentum, cum artifice summo precipue coniungunt ac disponunt, huc uigilanter applicet necessum est. Ea media sunt, uirtutum solidarum rerumque spiritualium iuge studium, diuini seruitij pura intentio, peculiaris cum Deo in spiritualibus exercitijs familiaritas, syncerus animarum zelus, ac praecipue

a) *In archetypo numeri 1. 2. etc. positi sunt in margine.* b) *Hoc v. a Can. ipso supra versum scriptum est.*

[1] „In ipsa Societate nec sit, nec sentiatur animorum propensio ad partem alterutram factionis, quae esset fortassis inter Principes vel Dominos christianos: sed sit potius quidam universalis amor, qui partes omnes, licet sibi invicem contrariae sint, in Domino nostro amplectatur“: *Constitutiones* S. J. P. 10, n. 11. Eadem sunt in „*Summario* Constitutionum“; in quo olim („*Regulae* Societatis Iesu, Romae 1580, p. 14) haec regula erat 44., nunc autem est 43.

[2] 2 Cor 6, 6. [3] 1 Cor 9, 22. [4] Io 13, 14. [5] Io 14, 6.

[6] Mt 4, 19; Mc 1, 17; cf. Lc 5, 10; Ier 16, 16.

[7] Ps 126, 1. Canisius, ut videtur, hunc psalmum a Davide rege et propheta censebat esse conscriptum; qui et in textus hebraici, et in versionis vulgatae inscriptione Salomoni tribuitur.

charitas[1], qua utique debet ardere, [qu]i alios cupit incendere. Nihil enim uerius, quam quod Christus ipse affirmauit: Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum[2]. Huc autem ualde conferet, Deum in rebus omnibus praesentem cernere, mentemque suam non in oratione tantum attollere, sed etiam res atque actiones omnes in Deum referre, nec minorem deuotionis spiritum in actione, quam in ipsa meditatione sentire, sicut pater noster Ignatius praeclare et fecit et docuit[3].

3. Ad haec peculiaris et frequens orationis usus adhibendus est, ut et ipse qui seminat, et bonum semen excepturus, gratia Dei praeueniente et cooperante et subsequente iuuetur · hac enim tanquam coelesti pluuia terra quamuis sterilis perfusa et irrigata, non raro salutares fructus exhibet. Quare Apostoli sancti, et in his Paulus, precationem cum suo ministerio assidue coniungebant, atque illam ab alijs fidelibus ad Deum fieri solicite procurabant[4]. Etenim omne datum optimum, et omne donum perfectum, quod a patre illo luminum[5] tribuitur, per sacram orationem non solum accipitur, sed et conseruatur et augetur, suamque perfectionem consequitur. Petite et accipietis, inquit Veritas, ut gaudium uestrum sit plenum[6].

4. Docuit autem P. Petrus Faber inter alios primos patres, cuius memoria in benedictione est[7], non modo Deum, sed et sanctos eius in hunc finem inuocari oportere, et singularem inuocandi modum his uerbis ostendit[8]: Cum desiderarem inquit, conuersationem habere

[1] „Ad assecutionem finis, quem [Societas] sibi praefigit auxilii animarum ad ultimum et supernaturalem suum finem consequendum, media illa, quae cum Deo instrumentum coniungunt ac disponunt, ut a divina manu recte gubernetur, efficaciora sunt, quam qui illud disponunt erga homines. Huiusmodi est probitas et virtus, ac praecipue charitas, et pura intentio divini servitii, et familiaritas cum Deo in spiritualibus devotionis exercitiis, et zelus sincerus animarum. . . . Videtur itaque in universum curandum esse, ut omnes, qui se Societati addixerunt, in virtutum solidarum ac perfectarum et spiritualium studium rerum incumbant": *Constitutiones* S. J. P. 10, n. 2. Cf. *Summarium* Constitutionum, reg. 16 17 (olim 17 18).

[2] Io 15, 5.

[3] Hoc *Ignatius* docuit et in libro Exercitiorum (Contemplatio ad amorem spiritualem in nobis excitandum, punct. 2), et in Constitutionibus (P. 3, c. 1, n. 4 26). Ceterum Canisius his verbis ad amussim refert ea, quae P. *Petrus Ribadeneira* S. J. de Ignatio narrat: „Hoc familiare nostris optabat esse, ut Deum in rebus omnibus, praesentem cernerent: et mentes suas, non in oratione tantum, ad coelestia attollerent: sed uniuersas res, atque actiones singulas, in Deum referrent: neque minorem deuotionis spiritum in actione, quam in ipsa meditatione sentirent": Vita Ignatii Loiolae l. 5, c. 1 (Neapoli 1572, f. 171). In eodem capite Ribadeneira ostendit, quam diligenter et perfecte Ignatius haec ipse fecerit. Canisius ipse a. 1547—1548 per complures menses Romae ab Ignatio ad pietatem institutus est (*Can.* I 254—269).

[4] Cf. Act 3, 1; 6, 4; 10, 9; Rom 1, 8—10; 15, 30—32; Eph 6, 17—20; Phil 1, 3 4; Col 1, 3; 4, 3 4, etc.

[5] Iac 1, 17. [6] Io 16, 24. Cf. Mt 7, 7 8; Lc 11, 9.

[7] Eccli 45, 1. Cf. Eccli 46, 14; 1 Mach 3, 7.

[8] Ex sententiis sequentibus hoc intellegitur: Canisio hunc commentarium concinnanti praesto erat exemplum (C) „Memorialis" a Beato Petro Fabro S. J. compositi

cum Decano Spirae[1] ad utilitatem eius in exercitijs spiritualibus, nec possem opere consequi quod uolebam, in oratione[a] habui quandam deuotionem, quam hactenus non[b] senseram, orando[c] scilicet primo Patrem ipsum[d] coelestem, quasi qui ambiat, secundo matrem Dei et dominam meam[e], tertio ipsius cum quo agendum est magistrum et tanquam poedagogum[f] Angelum custodem, quarto Sanctos et Sanctas ad eundem specialiter[g] affectos ad modum fratrum et sororum. Haec mihi uidebatur bona ambitio ad captandam cuiuslibet amicitiam: offerebaturque mihi recitandum pro prima dicta [?][h] persona Pater noster, pro secunda Aue Maria, pro tertia Deus qui miro [ordine][i] Angelorum[2] etc.[k], pro quarta[l] Omnes sancti tui quaesumus[3] Domine[m]. Offerebatur etiam ualde necessarium[n] ad habendam cuiuslibet beneuolentiam inter [?][o] ea quae per opera fieri possunt, habere deuotionem ad Angelos homi-

a) volebam, sed sola oratione *M 1;* volebam, nisi sola oratione *B.;* con la obra, sino con la oración *M 2. Vide supra p. 119*[8]. b) non hactenus *M 1. B.* c) orandi *M 1. B.; id quod rectius esse videtur;* de rogar *M 2.* d) ipsius *M 1. B.; atque haec lectio praeferenda est propter ea, quae paullo infra dicuntur de* ipsius *magistro et Sanctis* ad eundem *affectis. Ita etiam M 2:* á su Padre celestial. e) eius Matrem et Dominam, Matrem Dei *M 1. B., idque rectius, propter rationem, quam dixi supra, adnot. d. Ita etiam M 2:* su madre y señora, la Madre de Iesv. f) eius magistrum, tanquam paedagogum *M 1. B.* Su maestro y como pedagogo *M 2.* g) ad ipsum spiritualiter *M 1;* ad ipsum specialiter *B.;* que le tienen especial affeción spiritual *M 2.* h) *In C. librarius scripsit:* pro praedicta; *quod certe perperam positum est. Propterea huic verbo in C. manu posteriore superscriptum est:* prima. *Recte, ut videtur, M 1 et B.:* prima dicta; *M 2:* la primera dicha. i) *Hoc r suppletum est, quia et in M 1. B. M 2, et in ipsa oratione (v. infra, adnot. 2) est.* k) etc. *deest in M 1.* l) *In M 1. B. sequitur* autem *B. habet* quarto. m) *In B. M 2 sequitur:* etc. n) Offerebaturque mihi tanquam necessarium valde *M 1.* Offerebaturque tanquam necessarium valde *B.* Tanbién se me offrecía como cosa muy necessaria *M 2.* o) *Corrigendum esse videtur* ultra; *id quod et habent M 1. B. (similiter M 2:* alende de*), et res ipsa videtur exigere.*

---

idque, quod ad verba attinet, aliquantulum diversum tum a duobus illis Memorialis exemplis (M 1, M 2), quae editores „*Monumentorum* historicorum Societatis Iesu" transcripserunt in „*Fabri* monumenta", Matriti 1914, 489—696 856—886, tum ab eo (B), quo P. *Marcellus Bouix* S. J. ad idem „Memoriale" edendum (Lutetiae Parisiorum 1873) usus est. Loci, quos Canisius profert, exstant in „*Fabri* monumentis" p. 507 867 (n. 34), 500 862 (n. 21), 691—693 (n. 433—435) et in „Memoriali" a *Bouix* edito (editione minoris formae usus sum) p. 33—34 20.

[1] Mense Iunio 1542, quo Faber Spirae hoc desiderabat, decanus capituli cathedralis erat Ioannes Saal (*Fr. X. Remling,* Geschichte der Bischöfe zu Speyer II, Mainz 1854, 835).

[2] Diebus S. Michaëli archangelo sacris (8. Maii et 29. Septembris) „collecta" missae et „oratio" horarum canonicarum sic habet: „Deus, qui miro ordine Angelorum ministeria hominumque dispensas: concede propitius, ut a quibus tibi ministrantibus in caelo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur: Per Dominum nostrum Iesum Christum" etc. Eandem collectam habet missa votiva de Angelis.

[3] Etiamnunc in „*Officio* parvo Beatae Mariae Virginis" ad Laudes, in „commemoratione de Sanctis" recitatur oratio: „Omnes Sancti tui, quaesumus Domine, nos ubique adiuvent: ut, dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus: et pacem tuam nostris concede temporibus, et ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam: iter, actus, et voluntates nostras, et omnium famulorum tuorum, in salutis tuae prosperitate dispone: benefactoribus nostris sempiterna bona retribue, et omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam concede. Per Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen."

num custodes[a], qui possunt nobis[b] praeparare personas multis modis, et uiolentiam inimicorumque tentationes[c] reprimere. Sic ille non disertus quidem orator, sed erga[d] Deum et Sanctos eius[e] deuotus precator, et in conuersando piscator hominum[1], quum uiueret, mire fructuosus.

5. Nec uerebor plura subijcere ab eodem patre tradita, quae nobis etiam peregrinantibus et cum proximo uersantibus magno usui esse possint. Cum transirem inquit, montes, agros aut uineas, offerebantur mihi multi modi orandi pro multiplicatione talium bonorum, agendique gratias uice[f] et loco possessorum[g], aut postulandi pro ipsis ueniam[h], qui nesciunt in spiritu ea bona recognoscere[i], neque illum a quo talia[k] procedunt. Inuocabam similiter Sanctos, quibus curae sunt huiusmodi[l] loca, orans ut ipsi facerent[m], quod habitatores illi facere nesciunt[n], nimirum ut pro ipsis agerent gratias, ueniam postularent, ac necessaria peterent[o]. Pia certe et praeclara isthaec, modo ad spiritum deuotionis, cultumque Dei et Sanctorum exercitandum, sedulo applicentur. Eodem pertinent et illa, quae ab hoc ipso patre accepimus, in quouis regno, principatu vel Dominio, praesertim cum recens eo aut ad quodcumque oppidum acceditur, obseruanda. Monebat ille tunc Angelicos atque Archangelicos [spiritus][p], sed et celebriores illic Sanctos inuocare, et inuocando uenerari, nostrosque in conuersatione seu piscatione conatus istiusmodi commendare patronis[2], per quos, sicuti per Moysen, Dauid, Stephanum, Deus haud dubie multa et magna immerentibus saepe concedit. Ex qua fide Jacob patriarcha cum inualuit ad Angelum et confortatus est, fleuit et rogauit eum[3], ut Oseae uerbis utamur, et de Joseph filijs magna cum fiducia dixit: Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis[4]. Sint autem ista ueluti praeparatoria quaedam, tanto magis Deo et Sanctis placitura, quanto synceriorem sui submissionem, et ardentiorem in orando fiduciam habebunt adiunctam. Vt si cum illa Cananaea, quae filiae suae negotium apud Christum procuratura uenerat, post Apostolos importune clamemus[5], et una cum Centurione res nostras per selectos amicos Christo commendatiores reddere[6] studeamus.

a) devotionem habere ad omnes angelos custodes *M 1. B*; ser muy deuoto de todo los ángeles custodios *M 2*. b) nobis possunt *M 1. B*. c) inimicorum tentationesque *B*. d) *Sic Can. ipse correxit ex* in. e) *Sequitur* precando, *oblitt.* f) *Duo vv. sqq. non sunt in M 1. B.*; en lugar de *M 2*. g) possessoris *B.*; de los peccadores *M 2*. h) postulandi veniam pro ipsis *M 1*; postulandi veniam pro illis *B*. i) recognoscere ea bona' *M 1. B*. k) *Hoc v. deest in M 1. B*. l) talia *M 1. B*. m) orans facerent id *M 1*; orans ut facerent *B*. n) quod nesciunt facere tales habitatores *M 1. B*. o) postulantes veniam scilicet pro ipsis gratias agentes et necessaria ipsis petentes *M 1*; postulantes gratiam, sanctitatem, pro ipsis gratias agentes, et necessaria ipsis petentes *B*. p) *Ut hoc v. suppleatur, exigere videtur res ipsa.*

[1] Vide supra p. 118[6].

[2] Haec ex variis „Memorialis" locis intelleguntur; v. „*Fabri* monumenta" p. 500 503—505 630. Eadem, quod ad angelos attinet, de Fabro testatus est *S. Franciscus Salesius* in „Philothea" l. 2, c. 16. Cf. etiam, quae de Fabro rettulit P. *Ioannes Covillonius* S. J. [cf. supra p. 51] in suis „Confessionibus" (*Pietro Tacchi-Venturi* S. J., Storia della Compagnia di Gesù in Italia II, Roma 1922, 408).

[3] Os 12, 4. [4] Gn 48, 16.

[5] Cf. Mt 15, 22—28; Mc 7, 24—30. [6] Cf. Lc 7, 1—10.

6. Sed iam ea uitia detegamus, quae proximum adiuturus tanto magis fugere debet, quanto facilius ea proximum in communi congressu offendere, et a nobis abalienare consueuerunt. Offendunt quaecumque dicuntur[a] ac fiunt cum grauiore mentis impetu aut perturbatione, cum specie quadam arrogantiae siue superbiae, cum inditio leuitatis, audatiae, timiditatis, inciuilitatis, immodestiae, uanitatis, et quicquid demum religiosae simplicitati, moderationi ac maturitati aduersatur. Haec enim licet per se peccata sint leuia, tamen futuri fructus grauia[b] saepe praebent impedimenta. Offendunt uerba sine circumspectione liberius dicta, multoque magis contentiosa, uel cum spiritu illo contradictionis effusa atque mordacia, in quibus absentes uel leuiter perstringuntur. Offendunt, quaecumque de uitijs utriusque Magistratus, de uisitandis monasterijs, de reformandis personis Ecclesiasticis inter familiaria colloquia, multoque magis in contionibus et exhortationibus a nostris interponuntur. Offendunt, in quibus significationem damus nos nouis rumoribus nimium affici, et de secularibus negotijs solicitos atque curiosos, tum aliorum potius austeros censores, quam candidos et modestos boni communis amatores esse. Huc demum spectant leges modestiae[1], et aliae plures a patre nostro Ignatio[c] sapienter editae, sed quae a nobis neglectae magna saepe detrimenta solent adferre, potissimum si in refectione corporis temperantia, modestia et decentia interius exteriusque non obseruetur[2], et rursus cum loquendum est, si sermo in circumspectione et aedificatione uerborum, et modestia uultus, ac maturitate incessus, motuumque omnium, sine ullo impatientiae ac superbiae signo[3] non habeatur.

7. Vbi non modo aequum Legis latorem, sed et uiuum uelut speculum et praeclarum exemplar se nobis idem pater egregie praestitit, qui, ut plurimi norunt, loquentes alios libenter usque ad finem audiebat sine interpellatione, qui de alienis, immo et publicis uitijs in sermone quotidiano nihil attingebat, qui proximi reprehensores ac obtrectatores inuitus ferebat, et aliorum praua facta si narrarentur, eleuabat ac excusabat candide. Idem in communi consuetudine, negotijsque cum alijs contrahendis parce et considerate loquebatur, in laudando modicus, in uituperando autem parcissimus, et qui singularem prudentiam cum rara modestia coniunctam, et in dicendo et in agendo admiscebat, summa semper animi tranquillitate seruata, quam frequenti examine

a) dicunt *archet.* b) *A Can. ipso correctum ex* gratia. c) *Hoc v. a C. ipso additum est.*

[1] Regulae modestiae in „Regulis Societatis Iesu“ Romae a. 1580 typis descriptis exstant p. 123–124.

[2] „In refectione corporis curandum est, ut temperantia, modestia et decentia interius et exterius in omnibus observetur“: *Constitutiones* S. J. P. 3, c. 1, n. 5. Haec inde transcripta sunt in „*Summarium* Constitutionum“ reg. 30 (olim 31).

[3] Haec, incipiendo ab „in circumspectione“, ad verbum exscripta sunt ex *Constitutionibus* S. J. P. 3, c. 1. n. 4 (et „*Summario*“ reg. 29, olim 30): nisi quod ibi pro „ac superbiae signo“ legitur „aut superbiae signo“.

conscientiae magis ac magis communiebat[1]. Quod si huius beati patris integritatem, modestiam, prouidentiam, grauitatem, charitatem praestare non possumus, saltem sine querela[2] et irreprensibiles[3] esse, atque ab omni specie mali apud alios abstinere[4] conemur.

8. Sicut autem ad proximi animum rite tractandum satis non est columbina simplicitas[5], ob quam neminem offendas aut loedas, ita praeter hanc serpentina prudentia[5] desideratur, ex qua primo te ipsum, ac deinde proximum rite perspectum habeas. Prudentis enim medici laudem amittit, qui curaturus alios, seipsum non respicit, sueque naturae proprios foedosque morbos, et immoderatos affectus negligit, ita ut merito audiat · Medice cura te ipsum[6], in his uidelicet, quae uti diximus, spectantium oculos feriunt. Nec minima prudentiae pars in eo sita est, ut proximi quo cum agitur, indolem, conditionem, mores[a], utcunque cognoscas, et uelut fidus medicus cognitis aegroti morbis apta attemperes pharmaca, quae suo loco et tempore porrigere noris. Caeterum a lenioribus remedijs inchoanda est curatio, ne in obliuionem ueniat unquam Apostolicus ille canon · Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere[7]. Prudentissimus ergo erat P. Franciscus Xauerius, qui tanto cum fructu Indis euangelizauit, et in tractandis etiam sceleratorum animis plurimum ualuit: quoniam naturam et habitudinem illius quocum uersabatur, solerter initio explorabat, mox non inuitus illius uoluntati ac moribus sese accomodabat, ideoque multa in eo non probanda callide dissimulabat ad tempus, quoad hominis animum et beneuolentiam utcunque sibi conciliasset: paulatim deinde plusculum exigebat, ut grauiora criminum onera illi adimeret, tum quae saluti essent uiciniora[8], fideliter simul et amanter suggerebat, ueterisque[b] uitae odium illi magis ac magis instillabat, quoad tandem integre perfecteque poenitentem redderet, ac uelut ex medijs vndis et fluctibus erutum, in salutari uitae statu tanquam portu collocaret[9]. Vtinam uero multos id genus medicos habe-

a) *Sequitur* patriam, *oblitt.* b) *A C. ipso (ut videtur) corr. ex* uerisque.

[1] Haec confirmantur S. Ignatii vita a *Ribadeneira* conscripta l. 5, c. 1 5 6: ubi Ribadeneira aliqua iisdem fere verbis atque Canisius narrat; v. g. l. 5, c. 6: [Ignatius] „in laudando parcus fuit, in uituperando parcissimus. . . . De alijs nunquam detraxit: detrahentibus, aures nunquam patefecit. Alienorum uitia, etiam publica, et quae in ore omnium uersarentur, in sermone quotidiano, ipse non usurpabat: et in illa ne alij incurrerent, cauebat. Si quid tamen alijs excidisset, ipse uel eleuabat, uel etiam excusabat factum, aut animum certe, et uoluntatem. . . . In communi consuetudine, negocijsque cum alijs contrahendis, parce loquebatur, et considerate: prolixe, ac libenter usque ad finem audiebat, sine interpellatione“: Vita Ignatii Loiolae. Auctore *Petro Ribadeneira,* Neapoli 1572, 186—188.

[2] Phil 2, 15. Cf. Sap 10, 15; 18, 21; 1 Thess 5, 23 etc.

[3] 1 Tim 3, 2. Cf. Phil 2, 15; Col 1, 22. [4] 1 Thess 5, 22.

[5] Cf. Mt 10, 16. [6] Lc 4, 23. [7] Rom 15, 1. [8] Hebr 6, 9.

[9] Haec, si rem, non verba spectes, vulgata sunt in *Emmanuelis Acostae,* laici lusitani, commentario „Rerum a Societate Iesu in Oriente gestarum“ per *Ioannem Petrum Maffeium* S. J. recognito et latine reddito, qui a. 1571 Dilingae, 1572 Parisiis,

remus, qui cum P. Xauerio non humana solum, sed et diuina instructi prudentia, cum hominibus et sanis et aegrotis, cum flagitiosis et perditis ad salutem eorum perpetuam dextre uersari uellent ac possent.

9. Neque prudentia solum, sed et fortitudo spiritus hic induenda et sedulo retinenda erit, ut in rebus aduersis aeque ac prosperis animi magnitudo ac aequabilitas demonstretur, ne quis fortasse uentis frigidis ac asperis undecunque afflantibus se a uero animarum zelo ac studio dimoueri patiatur. Ventos dixerim humanos illos affectus tum a carne, tum a daemone excitatos, prauaque consuetudine confirmatos, qui saepe bonas mentes ex uero itinere huc illuc impellunt, neque solum a fide, spe, pace gaudioque spirituali abducunt, sed etiam timorem, pusillanimitatem ac diffidentiam concitant, planeque segnes et difficiles reddunt homines ad sanctum piscationis[1] officium prosequendum, ut victi taedio saepe illud intermittant. Sed enim Apostoli Petri sumendus animus, ne locum demus Satanae[2], bonis piscatoribus ualde aduersanti, et cum eodem Petro dicendum illud: In nomine tuo Jesu laxabo rete[3]: mare ac uenti obediunt tibi[4]. in manu tua omnes sortes meae[5]. Nostrum enim est, si sapimus, electos et puros Angelos imitari, qui nullum de pessimis etiam mortalibus bene merendi finem faciunt, nullum uerae charitatis offitium die ac nocte indignis etiam exhibere praetermittunt. Tum quantumuis optatae conuersionis fructu se frustratos intelligunt, non tamen anguntur, aut impatientiam ullam capiunt, sed postquam pro uirili suum munus expleuerint, euentum et finem Deo summo secure permittunt. Quapropter ut ut cadet piscatio, quae Apostolorum quoque uotis, meritis et expectationi, quum in huius seculi pelago piscarentur, saepenumero non respondit, nulla re magis quam constanti charitate nos communiemus[a], quae si patiens et benigna sit, si omnia sufferat, omnia credat, omnia speret, omnia sustineat[6], obiectae quidem difficultates ac saeue tempestates omnes in bonum diligentibus cooperabuntur[7], uirtusque in infirmitate perficietur[8]: et in patientia, quae perfectum opus habet[9], fructus fiet[b] auctior[10].

10. Praeter haec omnia mirifice ad proximum in Christo iuuandum ualet, si crebro et serio memineris, munus procuratoris tibi plane obeundum, quod non modo superior, sed et Christus ipse iniunxerit: procuratorem autem frugi non ad otium, sed ad heri sui negotium bona fide transigendum deputari, quocumque loco et tempore occasio

a) *A. C. corr. ex* charitate indigebimus. b) *A. C. corr. ex* fiat.

1573 Neapoli, 1574 Coloniae editus est (in editione coloniensi p. 17—18). Deinde eadem fere (ex Acosta, puto) narravit *Ribadeneira* in Vita S. Ignatii l. 4, c. 7 (l. c. p. 352).

[1] Cf. supra p. 118[6]. [2] Eph 4, 27.
[3] Lc 5, 5; ubi pro „nomine" Vulgata habet: „verbo".
[4] Mt 8, 27; Mc 4, 40; Lc 8, 25. [5] Ps 30, 16. [6] 1 Cor 13, 4—7.
[7] Rom 8, 28. [8] 2 Cor 12, 9. [9] Iac 1, 4. [10] Cf. Lc 8, 15.

se offerat rei ad heri sui gloriam et commodum administrandae[1]. Igitur inter alia hoc etiam praeclare docuit, suorumque animis infixum manere uoluit pater Ignatius, ut illi sese quum in mundo uersarentur, peregrinos et Christi domini procuratores constitutos esse putarent, ac sedulo quidem sibi attenderent, et in maxima custodia supra se perpetuo uigilarent, qui praeterea sensus omnes, et uisum inprimis refrenarent, tempus autem omne siue in prosperis, siue in aduersis eodem loco ducerent, ac denique mentem a terrenis abductam, et ad spiritualia erectam, atque cum Deo suo coniunctam retinerent. Quis uero dubitet, industrium, fidum uereque utilem fore procuratorem, qui haec aurea nostri patris mandata siue monita ubique locorum circumferret, atque[a] ad ipsam praxim conuerteret?[b] Talis utique procurator fuisse uidetur pater Petrus Faber[c], ut de illo iterum dicam, qui per uarias nationes obedientia duce sic est peregrinatus, ut Christi bonus odor esset[2] in omni loco, et secundum Apostolicam regulam proximo suo in bonum ubique placeret ad aedificationem[3]. Hanc enim illi gratiam contulerat Deus, ut in omni conuersatione, adeoque in conuiuijs atque diuersorijs et aulis principum bonus ille homo de bono thesauro cordis sui bona proferret[4], et quum de rebus pijs more suo dissereret, profanos etiam auditores sancte recrearet, Christique negotium sine cuiusquam taedio et molestia iucunde ageret ac promoueret[5]. Sed hunc gratiosum simulque utilem Christi procuratorem de se suisque peregrinationibus loquentem audiamus[d]. In diuersorijs inquit, semper dabatur spiritus ad aedificandum in doctrina et[e] exhortatione: et hoc ualde bonum est apud Christum et[f] curiam eius, relinquere uidelicet in omnibus diuersorijs et domibus, ubi contingit nos diuersari, aliqua uestigia sanctae et bonae conuersationis. Vbique enim aedificandum[6], et ubique aliquid plantandum[7] aut colligendum[8] est. Debitores enim sumus omnibus hominibus[9] in omni statu, in omni loco, sicut ubique nos respicit et confortat altissimus dominus noster, cuius

a) *Hoc v. supra versum (a C.?) scriptum est.* b) *Quae sequuntur, usque ad* iucunde ageret ac promoueret *incl., manu posteriore inclusa sunt uncis quadratis.* c) *Quinque vv. sqq. manu posteriore linea subducta est.* d) *In B. et M 2 omnia, quae sequuntur, desunt; codices enim illi mancisunt.* e) *In M 1 sequitur* in. f) *In M 1 sequitur* apud.

[1] Doctrinae sequentes excerptae sunt ex „B. P. N. Ignatii viatico, quinque puncta memorabilia exituris continenti“, quod „ex manuscripto R. P. Petri Canisii“ olim in codicem quendam romanum transcriptum atque ex hoc apographo primum in „*Actis Sanctorum* Iulii“ T. VII. De S. Ignatio, Commentario praevio n. 867, et deinde in *Monumentis Ignatianis* Ser. I. T. XII, Matriti 1911, 682 vulgatum est. „Manuscriptum“ illud Canisii perisse videtur. Cf. etiam *Ribadeneiram* l. c. l. 5, c. 10, et *Constitutiones* S. J. P. 3, c. 1, n. 4 5 26.

[2] 2 Cor 2, 15. [3] Rom 15, 2. [4] Lc 6, 45; Mt 12, 35.

[5] Cf. *Can.* I 76 et *Fabri* Monumenta 484.

[6] Cf. Ier 1, 10; 1 Thess 5, 11; Rom 14, 19; 1 Cor 14, 26 etc.

[7] Cf. Ier 1, 10; 1 Cor 3, 6—8. [8] Cf. Lc 11, 23.

[9] Cf. Rom 1, 14.

nos sumus coadiutores[a] [1]. Nihil enim[b] frustra debet[c] uenire ad conspectum ac noticiam nostram[d], quia Jesus Christus dominus noster nihil unquam ociosum permisit[e], non aspectum rerum, non auditum ullius uocis. Sed nec illud ociosum fuit, quod ad loca quaedam diuerteret[f], quod ad homines quosdam oculos dirigeret[g], quod nunc in terra, nunc in mari[2], nunc domi, nunc foris, nunc inter homines, nunc solus esse uellet[h]. Ipsius stare, ipsius sedere, ipsius ambulare, ipsius comedere[i] et dormire[k] ociosa[l] non fuerunt. Nos igitur non sinamus ociosum esse, quod ad unumquemlibet uel praetereundum, uel uidendum quacunque occasione accesserimus.

11. Sic ille pater non modo suum, sed et Christi domini proponit exemplum, ut gnaui ac fidelis procuratoris officium nobis commendet, quod minime ociosos, sed ubique uigilantes, industrios et ad spirituale lucrum attentos, sanctoque zelo incensos, atque ad piscandum paratos Dei ministros exigit, ut qui non quae sua, sed quae aliorum et Jesu Christi sunt propria[3], siue apud multos, siue apud paucos, omni posito metu ac pudore, spectent ac prouehant. Hoc nimirum est, quod Christus dominus talenta inter suos seruos distribuens dixit atque mandauit: Negotiamini dum uenio[4]· Hoc est, accepta talenta cum foenore Domino creditori reddere et superlucrari[5]: hoc est supra pauca fidelem esse, ut super multa constituaris[6]. Vbi nec illud reticebo, quod idem pater Faber ualde utiliter annotauit, imbecillitati atque tentationi nostrorum consulens, qui quum ad publica diuertunt hospitia, in praesentes uiros et mulieres incidunt saepe, et ex aspectu personarum secularium impura quaedam phantasmata facile colligunt, unde nonnunquam et carnis aculei uel inuitis oboriuntur. Talibus[m] maxime prodest[n], et remedium est efficacissimum (dicti patris uerbis utar) quod statim in ipso introitu domus, et in ipso aditu quarumlibet personarum non solum dicant, Pax huic domui[7], sed etiam ostendant se[o] professores esse pietatis ac ueritatis ad aedificationem[8]. Hoc autem fiet[p], si continuo loqui coeperis[q] uerba aedificationis cum illis personis, quae tecum sunt conuersaturae. Jta uiam tibi occluseris ad peccatum uel ad ea, quae ad coinquinationem aliquam tendere possunt[r]. Vnde porro idem pater et illud colligit, non imitandos nobis illos esse religiosos,

a) *In Mem. huic sententiae et sequenti interposita sunt rr.:* Hic agnoui multas negligentias quas hactenus admisi in uariis et multiplicibus itineribus meis, et eas maxime quae fuerunt circa eruditionem aut correctionem, admonitionem aut consolationem earum personarum, quas conuersari contigit mecum, uel quas contigit me alloqui aut etiam uidere. b) etenim *M 1.* c) deberet *M 1.* d) ad conspectum nostrum aut ad nostram notitiam *M 1.* e) nihil otiosum permisit esse *M 1.* f) ad quadam loca deuerteret *M 1.* g) quosdam homines oculos direxerit *M 1.* h) uoluerit *M 1.* i) commedere *C.* k) comedere, dormire etc., *M 1.* l) *In M 1 sequitur* enim. m) *Hic incipiunt rr. Fabri. In M 1 sequitur* namque. n) *Quattuor rr. sqq. desunt in M 1.* o) ut incipiant ostendere se esse *M 1.* p) *Corr. ex* fiat. q) Hoc fiet si statim inceperis loqui *M 1.* r) Hoc enim pacto tibi uiam occluseris ad peccatum coinquinationis tendentem *M 1.*

[1] 1 Cor 3, 9.
[2] In lacu Genesareth, qui etiam „mare" vocabatur; cf. Mt 4, 18; 8, 32; Io 6, 1 etc.
[3] Cf. 1 Cor 10, 24; 13, 5; Phil 2, 21. [4] Lc 19, 13. [5] Mt 25, 20.
[6] Mt 25, 21 23. [7] Mt 10, 12; Lc 10, 5. [8] 1 Cor 14, 3 12 26.

qui cum secularibus nimium seculariter conuersantur, ita ut a mundanae uanitatis ac leuitatis uerbis, operibus et signis minime sese abstineant, suamque uocationem dedecorent potius quam[a] ullos aedificent. Tu uero, inquit ille, operam da, ut ne[b] quis apud te, uel coram te audeat effundere proposita sui mali spiritus ad peccandum.

12. Nunc ad illos ueniamus, quibus tanta dexteritas, et in conuersando gratia industriaque forte non obtigit, ut boni promptique procuratores et in conuersando frugiferi esse possint. His ego suaserim, ut suos explorent animos, qua de causa degenerent a germano illo spiritu Societatis, qui praeceptum Apostolicum nobis commendat maxime: V n u s q u i s q u e s i c u t a c c e p i t g r a t i a m, i n a l t e r u t r u m i l l a m a d m i n i s t r a n t e s. S i q u i s l o q u i t u r, q u a s i s e r m o n e s D e i[1]. Sunt enim quos subrusticus quidam pudor ac timor humanus ab hoc sancto exercitio auocat, aut in eo uersantes retardat. Alijs nunquam fere libet de spiritualibus rebus cum domesticis colloqui, atque ita partim dissuetudine, partim ariditate quadam spiritus impediti, uix tria uerba aedificationis proferre possunt, quantumuis et locus et tempus ad aedificandum eos inuitent, nec prohibeat obedientia, quae forte nostros nouitios, sed non perpetuo hic loqui uetat. Quam uero miseranda et deploranda illorum sors est, qui ad procuratoris munus obeundum uocati atque missi, mutos pisces potius quam bonos piscatores exhibent. Id quod plane pugnat cum regula Societatis maxime propria, qua sic definitum est[2]: Omnes pro ratione sui status[c], data commoda occasione, enitantur pijs colloquijs proximum ad meliora prouocare[d], et consilio ac exhortatione ad bona opera, praesertim ad confessionem excitare. Tum alia regula iubet omnibus et singulis: Si loquendum fuerit, meminerint modestiae et aedificationis, tum in uerbis, tum in ratione et[e] modo loquendi[3]. Verum si quibusdam deest non tam uoluntas quam facultas exteris loquendi extemporanea, quae nostros pulchre commendat, et alijs grata esse solet, hi recte sibi prospicient, aliunde collecta rerum spiritualium farragine, ut quum feret loquendi oportunitas, in promptu habeant, quae ad aedificationem[f] proponant, praesertim ex libro spiritualium exercitiorum, ex Cathechismo, e sacris probatisque historijs, aut ex alijs piorum authorum monumentis.

13. Postremo ut paucis multa complectar, adiuturus in conuersatione proximum sedulo curabit, si sapiet, exercitiorum ac operum in quibus uersatur rectum habere delectum, et cuncta ordine disponere: tum quae maioris erunt momenti, et a maioribus omnino praescripta sunt, illis

a) *Duo vv. sqq. a C. ipso, ut videntur, in lacuna, quam librarius reliquerat, posita sunt.* b) Tu operam dato, ut ne uel *M 1.* c) *Regula habet:* gradus. d) *Regula habet:* promouere. e) *Regula habet:* ac. f) *Sequitur* et sicut piorum decet institutum, *oblitt.*

[1] 1 Petr 4, 11.

[2] Regula sequens est una ex „*Regulis* communibus": quae in earum editione Romae a. 1580 facta (l. c. p. 23) locum XLI. tenebat, nunc est regula 42. Deprompta autem est ex „*Constitutionibus*" S. J. Ex. c. 6 n. 4; P. 7, c. 4, n. 8.

[3] Haec est in „*Regulis* modestiae" reg. 13.

primas tribuere, ab humilioribus autem ad altiora uiam sibi munire, ac demum notis proprijsque societatis nostrae ministerijs, quemadmodum Regulae missionum admonent, ad maiorem Dei gloriam et proximorum utilitatem constanter insistere [1]. Atque haec satis, imo ut uereor, plus satis de communibus medijs ac remedijs quae mihi ad proximos recte tractandos in proposita quaestione notanda sese offerebant.

CAPVT SECVNDVM DE OFFICIO NOSTRORVM AD HAERETICOS, PRAESERTIM GERMANOS, ADIVVANDOS.

Si difficile est nostris de Catholicis bene mereri, ita ut qui e Dei gratia exciderunt [2], a morte peccati resurgant, et a carne ad spiritum, a mundo ad Deum ueramque cum Deo reconciliationem et aeternam animae salutem perducantur, multo sane difficilius erit, haereticos ea dexteritate tractare, ut [a] a Deo Deique Ecclesia prorsus alieni siue excommunicati, ab erore ad fidei ueritatem redeant, nec solum Ecclesiasticae unitatis, sed etiam perpetuae salutis in Christo participes fiant. Hoc enim est leprosos, immedicabili et contagioso morbo laborantes mundare: hoc est, ex petulantibus et spurcis hoedis, nonnunquam et ex immanibus lupis, electas Christi oues efficere: quod non humanis quidem uiribus, sed sola praepotentis Dei uirtute fieri posse uidetur, ideoque ex multis haereticis paucos, ex haeresiarchis uix ullos ad ueram poenitentiam adduci uidemus, audimus et legimus. Quod quum ita sit, graue ac arduum in primis hoc negotium habendum est, quod in conuertendis Christoque lucrifaciendis haereticis consistit, illudque cum timore aggredi, et sedula precatione prosequi conuenit: tum quae ad sanandos prauos orthodoxos media et remedia conferre diximus, ea multo acuratius hic notanda et applicanda sunt, ut haeresis, pestis una omnium nocentissima ex animis hominum eijciatur ac profligetur.

1. Illud uero sit caput omnis curationis, ut siue in Germania, siue alibi nostri cum haereticis congressuri sunt, magnopere sibi ab eo spiritu, qui et P. Fabrum [b], et pios alios non leuiter diuexauit, caueant, spiritu inquam timoris ac diffidentiae, perinde ac si operam suam in haereticis adiuuandis frustra locare, et Aethiopem ut inquiunt, dealbare uelle uideantur. Vt enim Apostolus tradidit, debet in spe qui arat arare, et qui triturat, in spe fructus percipiendi [3] hoc facere, nulloque frangi labore, qui propter Christi amorem, propter proximi utilitatem, propter obedientiae institutum a nobis suscipi, ac perferri [c] potest. Caeterum de secretis irati Dei iudicijs et flagellis, siue ad certas personas, siue ad integras prouincias, ac nationes pertinentibus uiderint alij, qui sensum Domini paucissimis reuelatum [4], et

a) *Sequitur* qui, *oblitt.* b) Fabrem *archet.* c) *A C. corr. ex* perfrui.

[1] Haec copiose proponuntur in „Regulis eorum, qui in missionibus versantur" (*Regulae* Societatis Iesu, Romae 1580, 172—180). [2] Gal 5, 4.
[3] 1 Cor 9, 10. [4] Cf. Sap 9, 17; Rom 11, 34; 1 Cor 2, 16.

imperuestigabiles uias eius[1] curiosius quam utilius perscrutantur, quique non satis expendunt illud: Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris, sed quae praecepit tibi Deus, illa cogita semper: et in pluribus eius operibus ne fueris curiosus[2]. Nos prudentem ac peritum medicum recte imitabimur, qui quum in morbo amici grauissimo curando uersatur, quaecumque sui muneris et artis propria esse intelligit, solicite adhibet ac pertentat, nihil ut studij ac operae die ac nocte praetermittat: euentum uero curationis authori naturae, et salutis humane principi Deo permittit, illius opem implorat, ac alios implorare iubet, ac licet se ipsum sedulum Dei cooperatorem et naturae ministrum exhibeat, tamen diuinae potentiae ac misericordiae semper primas defert, ex cuius nutu uitae humanae momenta, et spem incolumitatis omnem pendere constat. Proinde ut firma sit basis, cui cum haereticis congressuri superstruemus[a] [?], non modo pusillanimitatis atque diffidentiae consilia omnia repudiabimus, uerum etiam de adfutura nobis immensa Dei bonitate ingentem fiduciam concipiemus, ut qui solus ex lapidibus etiam filios Abrahae suscitat[3], et mortuos uiuificat, et ea quae non sunt, tanquam ea quae sunt uocat[4], praesertim ubi cum patre Abraham contra spem in spem credimus[5], ac magnanimiter ex ipso gratiae omnis authore pendemus. Hac ergo spe fiduciaque suffulti, successum nostrae piscationis Domino messis[6] committemus, et humanae rationis argumentis non tantum tribuemus, ut in orando, exhortando, urgendo nostrum laborem ac studium unquam praetermittamus. Quod si negotium aegre succedat, et uaria se offerant impedimenta, nobis etiam dictum illud putabimus: Patientes estote fratres, ecce agricola expectat preciosum fructum terrae, patienter ferens donec accipiat temporaneum et serotinum[7]. Si enim apud morosos aegrotos ullos, uel inprimis apud haereticos a teterrimo Satana fascinatos, immo et uinctos, singulari longaque opus est patientia, quoad eorum oculi diuinitus aperiantur et uincula ferrea dissoluantur, quoad praeterea ex corrupto et horrido agro euellantur zizania[8], et bonum semen inspersum radices agat, et succrescens, maturum proferat fructum[9] in templo Ecclesiae sanctae offerendum[10]. Vbi patientiae laudem insignem retulit D. Dominicus, qui cum apud haereticos Albigenses multis annis laborasset, uerbo, conuersatione et exemplo nihil tamen efficere potuit[11], quoniam propria

a) *Sic; sed corrigendum esse videtur:* superstruamus.

[1] Rom 11, 33. [2] Eccli 3, 22. [3] Mt 3, 9; Lc 3, 8. [4] Rom 4, 17.
[5] Rom 4, 18. [6] Mt 9, 38; Lc 10, 2. [7] Iac 5, 7.
[8] Cf. Mt 13, 24—30. [9] Cf. Mt 13, 3—23; Mc 4, 3—20; Lc 8, 5—15.
[10] Cf. Ex 23, 19; 34, 26; Lv 33, 10 11; Dt 18, 3 4 etc.
[11] His verbis fortasse res aliquantum exasperatur. Verumtamen constat, per aliquot annos conatus viri sanctissimi magnam vel etiam maximam partem irritos fuisse. Cf. *Theodorici de Appoldia* O. Pr. Vitam S. Dominici c. 2, n. 29—36; c. 3, n. 39—45, in „*Acta* Sanctorum Augusti" T. I, Antverpiae 1733, 569—570.

haereticorum nota est peruicacia, quae ipsos persepe incorrigibiles reddit.

2. Nunc superest ea explicare incommoda, quae nisi amoueantur, nostros cum haereticis congredientes facile impedient ac retardabunt, omnemque illorum conatum reddere irritum possent. Incommodum est sane, illos primum accedentes dure excipere aspereque tractare, quod nihil sit aliud, quam contra Christi exemplum arundinem quassatam confringere, et linum fumigans extinguere[1]. Quos enim haeresis amarulentos, suspicaces et ab orthodoxis, praesertim autem a nostris alienos efficit, eos in spiritu lenitatis perpetuo instrui[2] oportebit, quoad omni caritate et beneuolentia eorum nobis animos in Domino conciliemus. Incommodum est, contentiose agere, ac de fidei rebus cum illis disceptare, qui spiritu contradictionis imbuti, suapte sponte ad contentiones procliues et praecipites esse solent, eoque magis non uerbis tantum, sed exemplo etiam ad fidei simplicitatem alliciendi ac reuocandi sunt. Incommodum est, cristas et supercilium eorum deprimere uelle, qui sensu carnis inflati[3], sibi nihil non arrogare, et Catholicis derogare doctoribus non uerentur, praesertim in causa religionis omnium difficillima, quae non nisi a paruulis per angustam humilitatis uiam ingredientibus[4], et proprium intellectum captiuantibus[5] rite percipi atque iudicarj potest. Non possunt autem sibi non placere[6], et contra praeceptum Apostolicum altum sapere[7], quos infoelix haereticorum mater superbia et genuit et educauit. Incommodum est, mentionem earum rerum illis ingerere, quas de more sectae[a] habent inuisas, et in quibus libenter obstrepunt orthodoxis, utpote cum audiunt de confessione, satisfactione, ieiunio, purgatorio, indulgentijs, uotis monasticis, peregrinationibus. Etenim quoniam instar febricitantium illis palatum infectum est, de huiuscemodi cibis probe iudicare non possunt, et tanquam paruuli lacte indigent[8], paulatim ad controuersa illa dogmata prouehendi. Incommodum est, apud eos in excusandis Ecclesiasticorum abusibus multum laborare, quoniam publica uitia eleuare non attinet, et de Catholicis praepostere iudicant multiplici errorum trabe[9] impediti, atque a suis nouis magistris ita instituti, ut piorum etiam sanctorum praeclara merita et benefacta libenter calumnientur. Incommodum est, de uero scripturae sensu cum illis altercari, qui commune iudicium Ecclesiae et patrum authoritatem subterfugiunt, et in eadem causa simul actores et iudices esse contendunt, atque ad solam scripturae diuinae literam prouocant impudenter. Quare Tertullianus cum his inire certamen prohibet[10], et Apo-

a) secte *archet*.

[1] Mt 12, 20; cf. Is 42, 3. [2] Gal 6, 1. [3] Col 2, 18.
[4] Cf. Mt 7, 14; 18, 3 4; Mc 10, 15; Lc 10, 21. [5] 2 Cor 10, 5.
[6] 2 Petr 2, 10; cf. Rom 15, 3. [7] Rom 11, 20; 12, 16.
[8] Cf. Hebr 5, 12 13; 1 Cor 3, 1 2. [9] Cf. Mt 7, 3 4; Lc 6, 41 42.
[10] „Scripturas obtendunt, et hac sua audacia statim quosdam movent; in ipso vero congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimit-

stolus haereticos deuitare[1] iubet, qui nempe post auditum Ecclesiae iudicium suos tuentur errores obstinate. Incommodum est, haereticos omnes eodem ueluti pede metiri, neque discrimen statuere inter seductos et seductores, inter discipulos et magistros errorum. Certe si de Germanis loquamur, infinita illorum turba est, qui nouis adhaerent sectarijs, et circa religionis doctrinam errant, sed ita, ut illorum errores ex ignorantia potius quam malicia proficiscantur. Errant inquam, sed sine contentione, sine peruicacia et obstinatione: errant ut plaerique Germani, natura simplices, rudes, faciles ad ea imbibenda, quae in haeresi Luterana nati et educati, partim in scholis, partim in templis, partim in scriptis haereticis didicerunt. Quare hi longe facilius atque utilius, quam alij doctiores, et in cathedra pestilentiae uel irrisorum sedentes[2], tractari, instrui atque conuerti possunt. Postremo, ut semel finiam, incommodum est, ea uitia in haereticis reprehendere, quae in Catholicis etiam ut plurimum haerent, et mori recepto patriae, aut educationi ab plurimis imputantur. Vbi quaedam siue apud Catholicos, siue apud haereticos dissimulare praestat, quam acrius attingere hulcera, quae si nimium urgeas, facilius augeri quam sanari posse uideantur. In hoc genere sunt commessationes, ebrietates, luxus, de sacris disputandi legendique libertas, et quae ad communis uitae licentiam nimium inueteratam, nec minus a Clero quam populo corroboratam pertinent.

3. Iam uero media et remedia quaerenda sunt, quorum salutaris usus esse possit in haereticis nostrorum opera utcumque curandis, summo coelestique medico Christo in primis suam diuinam impertiente gratiam, ut coeci in tenebris pessimis uersantes illuminentur[3]. Vbi probanda in primis illa dixerim antidota, quae in collegijs nostris iam pridem aduersus haereticam pestem recepta, et laudabili collegiorum nostrorum usu comprobata sunt, nimirum quod et pueri et simplices in scholis et templis Catholicum uere Catechismum a nostris ex professo docentur, simulque in eo aduersus haereticae doctrinae uirus praemuniuntur. Deinde quod scholasticorum albo non inscribuntur, nisi qui aut uere sint Catholici, aut Catholicismum amplecti, seque alijs in fide ac religione conformare promittant[a] [4]. Tertio quod ex haeresi redeuntes suum e nostris accipiunt Cathechistam, a quo ad tempus

a) *Vide infra, adnot. 2.*

---

tunt. Hunc igitur potissimum gradum obstruimus non admittendi eos ad ullam de scripturis disputationem." Id quod variis rationibus probat et explicat; deinde sic concludit: „Constat ratio propositi nostri definientis non esse admittendos haereticos ad ineundam de scripturis provocationem": *Tertullianus,* De praescriptione haereticorum c. 15 37 (*Migne,* P. lat. II 33—34 61).

[1] Tit 3. 10. [2] Ps 1, 1. [3] Cf. Lc 1, 79; Is 9, 2.

[4] Huic „remedio" sive consilio manu antiqua eaque ignota in margine adnotatum est: „hoc multos a conuersione impediret, qui primo tolerati postea uisis aliorum conuersionibus conuertuntur et ipsi".

instituti, in formulam illam professionis fidei, quam Pius Quartus edidit[1], iurare monentur. Quarto quod peculiaris absolutio illis confertur, qui in casum haeresis inciderunt, aut libros damnatos ac prohibitos legerunt uel habuerunt. Quinto quod ab[a] absoluendis postulatur, ut eiusmodi libros abijciant, uel nostris eos examinandos tradant. Sexto quod nostri concionatores subinde docent ea populum, quae ad[b] Catholicam fidem confirmandam, atque contra haereticorum insana dogmata uindicandam spectant. Septimo quod in scholis, praesertim ubi traditur Theologia, theses contra haereticorum uigentes errores disputandae proponuntur et excutiuntur. Octauo quod a nostris libelli, tractatus, Apologiae scribuntur et eduntur, quibus haeretici partim communiter, partim in specie redarguantur, ut eorum[c] artes ac fraudes detectae, minorem plaerisque perniciem adferant. Nono quod in familiaribus colloquijs, et communibus congressibus datur a nostris opera, ut errantes in fide Catholicam doctrinam agnoscant, et circa illam vacillantes in ea religione quam S. Romana Ecclesia tenet, magis magisque confirmentur atque promoueantur.

4. Haec aliaque id genus plura remedia, quae in prouintijs et collegijs Aquilonaribus usum frequentem obtinent, haud dubie ad grauem et laetalem haereticorum pestem arcendam atque curandam, non paucis fuerunt et sunt salutaria, remque se dignam fecerint superiores, si illa ipsa magis magisque mandari exequutioni curarint. Quanquam non abs re fuerit, ut arbitror, si quaedam in his plenius constituerentur, et exactius obseruarentur, ut Catholicae doctrinae puritas hoc tam pestilenti, ac periculoso tempore grauiter oppugnata rectius uindicaretur. Vbi quod ego quidem sentio ingenue dicam, sed saluo iudicio sapientum. Optarim in primis, formulam illam professionis fidei, quam a Pont: Max: editam nouimus[2], ita nostris commendatam esse, ut quotannis in illam iurarent omnes et singuli: sic enim eorum animi in medio nationis prauae[3] de magnis illis oppugnatae fidei articulis non inutiliter et renouarentur et stabilirentur. Optarim nostris etiam laicis, quibus ex communis patriae sordibus aliquid impuri dogmatis uel communis erroris facile adhaerere posset, Patris nostri Ignatij regulas aliquoties proponi et explicari, regulas inquam, praeclare traditas, ut cum orthodoxa Ecclesia recte sentiamus[4]. Optarim, in Collegijs maiorem dari operam nostris Germanis, Polonis, Belgis et alijs inter haereticos commorantibus, ut subinde ad matris Ecclesiae lac tanquam paruuli reuocarentur[5]. Hoc est, ut in fundamento Catholicae doctrinae et in

a) *Verbum a libr. supra versum scriptum.* b) *Hoc v. a C. ipso (ut videtur) insertum est.* c) *In archet. corr. ex* eorumque.

[1] De hac „fidei professione tridentina“ v. *Can.* IV 653–654.

[2] Fidei professionem tridentinam; v. supra, adnot. 1. [3] Phil 2, 15.

[4] Hae a S. Ignatio in extremo libro „Exercitiorum spiritualium“ traditae sunt. Cf. *Institutum* S. J. III 498–501.

[5] Cf. 1 Cor 3, 1 2; Hebr 5, 12 13.

Cathechismo alijsque salutaris doctrinae capitibus, praesertim in dicta illa professione comprehensis, magis magisque confirmarentur. Optarim, in nostris non tantam reperiri sacrarum rerum ignorantiam, ut saepe minus quam laici externi, de sua fide Catholicis uel haereticis rationem reddere possint, fortasse quod raro aut nunquam de Catholica fide et confessione, quae totius nostrae salutis est basis, domi admoneantur, cibumque spiritualem ipsorum captui et instituto congruentem diebus festis aut alijs minus percipiant. Optarim eosdem diligentius instrui[a], ut maiorem usum, immo et aliquam dexteritatem haberent et se confirmandi, et errantes simplices informandi circa communes haereticorum errores, quibus omnia in his regionibus propemodum referta et infecta sunt, ita ut necessitas ipsa cogat, nos uelut in medio armorum et hostium strepitu non prorsus inermes incedere[b]. An uero indignum aut pudendum non est, nostros etiam sacerdotes (non de omnibus loquor) tam[c] imperitos reperiri, ut rogati de fidei controuersijs respondere non possint, saepe laicis alijs contra haereticos audacter disputantibus indoctiores. Optarim rationem aliquam excogitari, ut Theologiae professores hisce temporibus et locis conuenientiora, et minus subtilia, nostrorum autem captui magis[d] congruentia proponerent atque inculcarent, potissimum uero ut causam Ecclesiae contra haereticos tuendam urgerent, meliusque nostros ad salutarem concionandi usum disponerent ac praepararent. Optarim Theologos nostros pro facultate sibi concessa nouos haereticorum libros et eorum argumenta saepius legere, diligentius ponderare, fortius confutare, maioremque ex aduersarijs fructum ad ueritatem Catholicam illustrandam, et ad fraudes istorum detegendas atque confringendas capere, alijsque communicare: ita enim hostium castra non tam oscitanter, ac uelut aliud agentes praeterirent, et excubias agente nobisque insidiante Juda, Petrus non tam secure dormiret[1]. Optarim nostros in his regionibus longe aliter degere, quam e nostris alij apud Siculos, Hispanos, Lusitanos, Indos degere solent, qui quanto sunt ab haereticis remotiores, tanto minus de illis curant et cogitant, utpote sua praesente messe contenti, quae ipsis inter Catholicos excolenda contigit: qui si haereticis tam uicini uti nostrates essent, nihil dubito, quin pro ardenti charitate sua foro, ut inquiunt, uterentur, et perditissimis nocentissimisque Christi et Ecclesiae aduersarijs se pro uirili opponerent, nihilque sibi parcerent in summa tot animarum pernicie atque strage, quam quotidie uiderent atque experirentur. Optarim, nostros contra haereticorum agmina pugnaturos melioribus armis instrui, ut in utraque lingua Latina et uernacula, immo in pluribus etiam, sicut Graeca et Hebraica, diligentius exercitarentur, neque hac in parte haereticis ipsis essent[e] inferiores, neque adeo in humanioribus et

a) *Hoc v. a C. in lacuna a libr. relicta positum est.* b) *A C. corr. ex* esse. c) *Hoc v. a C. ipso, ut videtur, insertum est.* d) *Sic C. correxit ex* nostrorum captui male. e) *A C. corr. ex* sint.

[1] Cf. Mt 26, 40—50; Mc 14, 37—45; Lc 22, 45—48; Io 18, 3.

Rhetoricis studijs passim negligerentur[a], ut Latine scribere et declamare pauci norint. Optarim illos in locis communibus Eckij[1], ac similibus Catholicorum propugnaculis esse uersatos, ut rectius de alijs in fide uacillantibus, totaque patria mereri, seque ad concionandi et conuersandi munus mature praeparare, atque laboranti Ecclesiae maiores suo tempore suppetias ferre possent. Optarim in annuis collegiorum uisitationibus singularem a superioribus rationem haberi eorum, qui Catechismum rudioribus, ac etiam prouectioribus[b] tradunt, et simul explorari, an illi sese auditorum[c] captui accommodent, et quanam docendi forma et methodo uti soleant. Optarim ab eisdem superioribus inquiri sedulo, quid proximo anno circa haereticos effectum sit, quam multi ad saniorem mentem reducti, ac Ecclesiae aggregati[d], quomodo neophyti a nostris instituantur, antequam in sacramento confessionis absoluantur, et iam absoluti quo pacto in fide confirmentur, demum quam fideliter suum obeant munus, qui ad haereticos conuertendos, examinandos, absoluendos et roborandos deputati sunt. Optarim et illud a superioribus animaduerti, quid nostri non modo per se, sed etiam per alios amicos, Patronos et Magistratus in fauorem religionis, et ad extirpationem haeresum efficere ac assequi possent. Etenim saepe possunt scandalis publicis ire obuiam, cultum diuinum in Ecclesijs promouere, haeresi inualescenti resistere, contemptores Ecclesiasticarum obseruationum deterrere, damnatos authores ac libros amouere, haereticos ac eorum fautores, ne Catholicis praeferantur[e] ac officiant, impedire. Quibus in rebus tanto plus nostri effecerint, quanto maior eorum erit authoritas apud Catholicos principes uel magistratus, praesertim si illis erunt a confessionibus aut concionibus, aut si qualibet ratione, gratia, uel familiaritate interposita rem Catholicam in Republica tueri aut prouehere posse uidebuntur. Optarim certas conscribi regulas nostris in agendo cum haereticis obseruandas, siue illi doctiores siue rudiores accesserint, maior ut cura neophytorum habeatur, in quibus nisi firma fidei fundamenta iaciantur[2], saepe tanquam arundines uento agitatae[3] huc illuc facile impelluntur, et fiunt nouissima eorum peiora prioribus[4]. Optarim nostros Catechistas cum iudicio deligi, ea nimirum doctrina prudentiaque pollentes, ut neophytis rogantibus ac disputantibus commode respondere, haereticorum argumenta dissoluere, et de una sancta Catholica, Apostolica et Romana Ecclesia, extra quam nulla homini iusticia et salus existit, rationem reddere possint[f]. Optarim a nostris diligenter expendi, non sine singulari Diuini numinis prouidentia factum esse, ut quo tempore summum Ecclesiae flagellum haeresis authore satana per Martinum Lutherum aliosque eiusdem satanae

a) *A C. corr. ex* negligantur. b) *A C. (ut videtur) corr. ex* profectioribus. c) *A C. corr. ex* adiutorum. d) *Sequitur* sint, *oblitt.* e) *Duo vv. sqq. a C. addita sunt.* f) *A C. corr. ex* possit.

[1] De Ioannis Eck (Mair) professoris ingolstadiensis „Locis communibus adversus Lutheranos" v. *Can.* II 771; IV 618.
[2] Hebr 6, 1. [3] Lc 7, 24. [4] Mt 12, 45; Lc 11, 26.

ministros Europam inuasit atque distraxit, eodem tempore Societas Jesu, nouum uelut Ecclesiae contra haereticos propugnaculum, per Ignatium Loyola instituta, atque a S. Sede Apostolica confirmata suas dotes, uires ac facultates omnes, si in ullos alios, tum in haereticos et infideles impenderet, atque hoc miserrimum hominum genus, in quo maxime laboret[a], sibi uelut proprium uendicaret. Optarim et illam Dei gratiam ac prouidentiam peculiariter a nobis obseruari, quod sicut Societas Jesu per Lusitaniae Regem Joannem[1] primum in Indiam accersita peruenit, fructumque deinde uberrimum tot aethnicorum myriadibus[b] attulit, Christo nostris mirabiliter cooperante[2]: Ita eandem Societatem per uarios principes in Septentrione[c] uersantes magis magisque hactenus desiderari, et ex illa colonias uarijs in Regionibus Aquilonaribus collocari[d], praesertim ut se ipsi et subditos aduersus haereticos tueantur. Optarim eximiam[e] Dei bonitatem, qua gratitudine par est, nobis praedicari, quod ingens ostium, ut antea nunquam, nobis apertum[3] habeamus, ad haereticos etiam longe dissitos et proficiscendi et perueniendi, imo inter illos morandi atque laborandi, atque adeo ad sanguinem usque[4] pugnandi, quemadmodum nostri terra marique pro Christi fide atque Ecclesia non modo praesentibus, sed et authoribus haereticis non ita pridem sancte pugnarunt[5]. Alioquin nisi[f] uocaret ac mitteret nostros Dominus in messem haereticam, in qua fidem Catholicam lingua, moribus, sudoribus, et sanguine testaremur atque uindicaremus, qui obsecro fieri posset, nostros a Polonis, Lituanis, Russis, Pruttenis, Massouiensibus, Liuonibus, Hungaris admitti immo et expeti? quomodo[g] in Hiberniam, Angliam, Scotiam, et ad Moscouiam usque societas penetraret? quo pacto et magni urgerent principes, e nostris institui missiones ad ea loca, in quibus causa religionis ob summam haereticorum uim hactenus fuit deplorata? Optarim superiores eo spiritu commoueri, quo Christus dominus commotus, quum infinitam fere multitudinem hominum pane destitutam cerneret[h] in deserto dixit. Misereor super turbam[6], et e uestigio Apostolos ad turbam in deserto pascendam constituit, ne quisquam ob panis penuriam in uia deficeret[7] ac periclitaretur. Optarim non solum ex uicinioribus, sed etiam ex remotioribus prouintiis ad conuertendos haereticos mitti eos, qui diuino quodam instinctu ad eam missionem adspirant, aut sese in

a) *A C. corr. ex* laboraret. b) *Hoc v. a C. in lacuna positum est, ut supra p. 133[a].* c) Septendrionem *archet.* d) *Ita archet.; sed leges grammaticae exigebant, ut poneretur* ita eadem Societas . . . desideratur, et ex illa coloniae . . . collocantur. e) eximia *archet.* f) *A C corr. ex rasi.* g) *Sequitur* ijdem, *oblitt.* h) *Duo vv. sqq. a C. ipso addita sunt.*

[1] Ioannem III. [2] Mc 16, 20. [3] 1 Cor 16, 9; 2 Cor 2, 12.
[4] Hebr 12, 4.
[5] Iam, ut e multis paucos recenseam, martyrium subierant P. Antonius Criminalis in India orientali, P. Gonsalvus Sylveira in Africa meridionali, PP. Edmundus Campion, Alexander Briant, Thomas Cottam in Anglia, Ignatius Azevedo cum 39 sociis in mari prope insulas canarias, P. Petrus Diaz cum 11 sociis in mari prope Cubam.
[6] Mc 8, 2. Cf. Mt 15, 32. [7] Mt 15, 32; Mc 8, 3.

charitate non ficta[1] offerunt, quod fortasse non temere cogitent, in his regionibus nouam uereque horrendam et desolatam Jndiam reperiri tantoque[a] maiorem patientiae, charitatis et uirtutis omnis exercitandae occasionem offerri, quanto difficilius atque praestantius est ex haereticis Catholicos quam ex aethnicis Christianos in Christo formare. Optarim superioribus etiam atque etiam commendari, ut pro nostris siue missis, siue[b] mittendis ad haereticorum loca operarijs Deum saepe ac sedulo precari mandarent, utque sanctum hoc et necessarium missionis institutum commendando nostris gratius redderent, eorumque animos ad eiuscemodi pugnam quodam modo[c] incitarent, ut si quando obedientia duce ad hasce uastissimas prouintias mitterentur, eo magis instructi accederent, nostrisque necessariam consolationem adferrent[d], qui ex animo petunt subsidia, et subleuari profecto merentur, qui praeterea si collegas atque cooperatores haberent, infinita haereticorum milia Christo et Ecclesiae non ita magno negotio lucrifacere posse uiderentur. Nec refert, si uernacula lingua loqui nequeant, quia Hispani sunt aut Lusitani, aliarumque nationum externarum homines: quoniam et horum non exiguus esset usus in legendo atque docendo, et in alijs collegiorum officijs domesticis obeundis. Optarim demum (cur enim longius morer?) nos qui per Dei gratiam filij Lucis[2] et Christi ministri[3] sumus, in generatione nostra filijs huius seculi[4] et ministris satanae nec imprudentiores, neque segniores esse. Hi uero blandiloqui sunt oratores, indefessi procuratores, assidui doctores atque scriptores, qui nec sumptibus, nec laboribus, nec uigilijs parcunt in disseminandis erroribus atque in sectis[e] propagandis. Multos illi ad se miris artibus pelliciunt, et pellectos atque seductos mordicus retinent blandiloquentia siue mellitis sermonibus, libellis nouis eleganter conscriptis, suauium cantionum usu, selectis quibusdam ex uerbo Dei sententijs ac praeceptis, facili ac perspicua docendi methodo, quae ad communem populi captum sit accommodata. Ex his igitur alijsque id genus medijs multa sumi possunt, quae Catholica prudentia in meliorem usum, hoc est, ad fidei negotium contra haereticos procurandum sancte conuertat. Permultum autem hoc aeuo iuuerit, si commoda scripta subinde nostri ediderint et in uulgus sparserint, imo et alijs nonnunquam donarint ex diuitum liberalitate, si praeterea, tum latina tum uernacula lingua editos adferri, uendi legique curarint eos libros, quibus maxime Catholica doctrina illustratur, et praesentes haereticorum errores eliduntur. Nam in tanta hominum curiositate, quae ad legendum et de fide disputandum, cunctos praecipites agit, Catholici libri uelut cibi famelicis quaerendi et proponendi sunt, ut eo minus ad uenena a uicinis oblata decurrant.

a) *A C. corr. ex* tanquam *vel* tanque. b) siuae *archet.* c) *A C. corr. ex* quomodo. d) adferrerrent *archet.* e) *Sequitur* satanae, *oblitt.*

[1] 2 Cor 6, 6. [2] Lc 16, 8; Io 12, 36; Eph 5, 8; 1 Thess 5, 5.
[3] Rom 15, 16; 1 Cor 4, 1; 2 Cor 11, 23; Col 1, 7; 1 Tim 4, 6. [4] Lc 16, 8.

Sint autem ista quae diximus, priuati hominis uota, et insipientis non satis concocta desideria, de quibus, uti par est, liberum maioribus iudicium omne permitto. Fortassis hinc sument et alij occasionem de re tanta exactius cogitandi, quo tandem modo id effectum reddi queat, ut nostri ubique gentium cum haereticis sine offensione, et cum fructu uersari, ac de illis in Domino bene mereri possint. Nunc de Germania proprie dicendum est, quoniam proposita quaestio sic a me postulat, et hoc officium ego debeo nationi, in qua tot annos consumo, ut in hac prouincia senior habear. Omittam uero grauem et tristem potius quam utilem tractationem de praesenti statu Germaniae, olim florentissimae ac potentissimae prouinciae, sed si ante hac unquam in religione, nunc quidem[a] afflictae[b] maxime, et propter haereticos miserandum in modum exagitatae atque dilaceratae. Vtinam utinam de illa non uere dicatur, Perit Respublica quia perit religio. Summa uero nostrae tractationis in eo uersabitur, ut ostendamus primum, quicquid alij metuant ac male ominentur, nostris tamen in Germaniae uinea laborantibus conuenire, ut magnos adferant animos, multumque fructum de restituenda hic religione sibi in Domino polliceantur. Initio huc eos insigniter animare debet, qui Christi Domini uerus et supremus in terris est Vicarius Pont: Max:[1] Huius enim nisi firma fides et certa foret expectatio de Germanis haereticis Ecclesiae suo tempore reconciliandis, non ille ad Germanicum Collegium Romae fundandum tot iam annis adiecisset animum, ut in eo Germanicae messi opportuni ac necessarij operarij praepararentur[2], neque tot alumnos in uarijs Germaniae locis fouendos curaret[3], neque tantis impensis paternam suam liberalitatem Germanis omnibus testatam faceret, utique non humano, sed diuino spiritu ad haec praeclara Apostolicae pietatis opera incitatus, quae nostram etiam in Germanis complectendis fiduciam merito excitant atque confirmant. Deinde si Societatis nostrae parentem ac authorem spectemus Jgnatium, in cuius fide ambulare filios decet, de hac natione iuuanda et restituenda tanto magis sperare debemus, quanto feruentiore mentis affectu ille Collegium Germanicum inde ab initio amplexus est, quantoque syncerius[c] eiusdem tum excitandi tum prouehendi rationem, licet nullus adhuc Moecenas appareret, semper habuit, suisque posteris habendam quoque censuit[4]. Qui suam erga Germanos beneuolentiam et charitatem non obscure prodidit, quum ex primis illis decem patribus quatuor operarios in Germanicam messem extrusit,

a) *A C. correctum ex* quidem nunc. b) afflicto *archet.* c) *A C. corr. ex* syncerus *vel* syncrus.

---

[1] Gregorius XIII. [2] Vide *Can.* VII 136 461 et *v. Pastor* IX 172—176.

[3] In seminariis pontificiis, a se conditis Vindobonae, Pragae, Graecii, Brunsbergae, Olomutii; v. *Duhr,* Jes. I 300—303 307—308, et *Al. Kroess* S. J., Geschichte der böhmischen Provinz der Gesellschaft Jesu I, Wien 1890, 516—526.

[4] Vide *Steinhuber* I² 5—37 et *Frid. Schroeder* S. J., Monumenta quae spectant primordia Collegii Germanici et Hungarici, Romae 1896, 2—28 33—38 49—74 119—274.

utpote P. Petrum Fabrum, P. Claudium Jaium, P. Nicolaum Bobadillam, et P. Alphonsum Salmeronem, qui ueluti praecursores[1] a Deo missi, seminarunt apud Germanos in lachrymis, quod posteriores hactenus non sine exultatione metunt[2], et in posterum metent Domino cooperante[3]. Sed et eidem patri Jgnatio acceptum ferre debet Germania, quod praecipua eius collegia, quae pulcherrimis fructibus decorata, in hunc usque diem florent, erecta fuerint, nimirum Coloniense, Louaniense, Viennense, Pragense, Ingolstadiense.

Praeterea cur non confidamus Deum in Germania nobis peculiariter adfuturum, qui pro sua mirabili simul et amabili prouidentia dicti patris Ignatij sobolem, nouum uelut exercitum, tunc Ecclesiae donauit, quo malorum omnium author, et errorum sator ille Satanas suos ministros in Germania potissimum excitauit, atque grassantes induxit, nimirum ut[a] tanquam praesidiarij milites in medio hostium sua castra figerent, ex quibus non modo maximi aduersariorum impetus frangi, uerum etiam reliquiae Israelis saluae[4] conseruari possent. An non eximia quaedam Domini uirtutum[5] benedictio fuit, ingentem collegiorum accessionem paucis annis in Germania fieri, quo tempore omnis religio cultusqe diuinus in templis et monasterijs maxime collaberetur, solaque zizania uigere, et omne Germanicum triticum obruere uiderentur?[6] Quam praepotens dexterae excelsi[7] operatio emicuit partim in principibus Germanis, qui in medio nationis prauae[8] nostrorum operam uotis tam ardentibus expetiuerunt, gratisque[b] animis exceperunt, partim in populis semihaereticis, qui nouos concionatores et religiosos, externarum nationum etiam homines, tam libenter quam frequenter audire, colere et sequi non dubitarunt, partim in tot milibus studiosorum, qui ex tota fere Germania confluentes, se nostris tum in fide, tum in literis instituendos cupide tradere, seque illorum doctrinae et ferulae omnino subijcere pergunt? Benedictus Deus Jsrael[9], qui per hanc minimam societatem Germanos ita uisitare dignatur, ut boni et sibi et patriae ob nostrorum aduentum plurimum gratulentur, ingenueque confiteantur, in Germania de religione actum fuisse, nisi a Jesuitis succursum fuisset. Ac res ipsa testatur, non modo Catholicis, sed et haereticis et schismaticis nostrorum operam maxime salutarem esse, ut Deo et Ecclesiae reconcilientur in hac horribili sectarum et errorum confusione. Qui uero sunt in haeresi pertinaces, uel inuiti fatentur, se tantum nostris, quantum alijs nullis Catholicis, tum ob uitae inte-

a) *Sequuntur vv.* noui uelut medici, nouis et grauissimis Germanorum morbis curandis adhiberentur, utque, *oblitt.* b) *Ita in archet. correctum est ex* gratiasque.

[1] Vide *Duhr*, Jes. I 3 32 53–55. [2] Ps 125, 5. [3] Mc 16, 20.
[4] Ier 31, 7. Cf. 2 Par 34, 9 21; Ez 9, 8; 11, 13; Mich 2, 12; Soph 3, 13.
[5] Ps 23, 10; 45, 8 12; 47, 9; 83, 2 etc. [6] Cf. Mt 13, 24–30.
[7] Ps 76, 11. [8] Phil 2, 15.
[9] 1 Rg 25, 32; 3 Rg 1, 48; 8, 15; 1 Par 16, 36; 2 Par 6, 4; Ps 40, 14; 71, 18 etc.

gritatem, tum ob doctrinae praestantiam, tum ob multorum magnatum existimationem tribuere, neque ab ullis Theologis sibi suaeque sectae metuunt magis. Iam si bellum haereticorum pax est Ecclesiae, cuius praecipua dos unitas omnibus aetatibus perseuerat, cur de restituenda Germania tanto magis non speremus, quanto grauiores dissidiorum flammae inter ipsos haereticos flagrant, illique in tot sectas dissecti, sine fine[a] mutuo se lacerant atque conficiunt, uulgo etiam Germanico ob doctrinae inconstantiam et uitae improbitatem haud parum exosi, ut hinc etiam complures ex haereticis orthodoxi efficiantur? Nimirum omne regnum in se diuisum desolabitur[1]. Quot uero illorum supersunt milia, quorum genua ante Baal, id est, coram nouis errorum idolis, incuruata non sunt[2], quoniam Catholicam fidem constanter ac integre per Dei gratiam retinent, ac uelut prudentes oues in suo manentes ouili, ab imminentibus undique lupis sese tuentur incolumes[3]. Ex horum numero sunt frequentissimi populorum greges, illustrissimi principes, amplissimi magistratus, percelebres ciuitates, nobilissimi Comites, Barones, et equestris ordinis homines, ut Ecclesiasticos, eorumque antistites uarios praetermittam. Quocirca siue Catholicos, siue haereticos in Germania intueamur, de instauranda religione praeclaram spem concipere, et nobis confirmare debemus, praesertim qui obedientia duce huc missi peruenimus, et hanc amplissimam dominicae uineae partem excolendam accepimus, neque sine summorum hominum fauore et beneuolentia conseruamus. Cur demum de fructu[b] subsecuturo dubitemus, qui et paucis ab hinc annis uberem in Christo messem[c] collegimus, et praesentem magis magisque ob oculos uigere cernimus, tantoque ampliorem successum merito expectamus, quanto auctior fit in dies numerus operariorum?

Neque uero sat erit firmum hoc fundamentum iecisse, ut sine timore et diffidentia, magnaque cum fiducia nos[d] in Germania utiliter laboraturos esse credamus, sed in ipso etiam labore quaedam obseruare sit operae precium, ut is foeliciorem progressum et exitum in Domino consequatur. Ac prima quidem sit cautio in Germanorum natiuis, aut ut plurimum usitatis uitijs annotandis, ut futuri medici eiusmodi morbos non prorsus ignorent, imo in se ipsis etiam nonnunquam obseruent, in alijs uero patienter potius ferre, quam facile reprehendere annitantur. Commune Germanicae gentis est uitium, ingenij ac iudicij crassitudinem et ruditatem potius quam subtilitatem et perspicacitatem adferre: unde pauci ad abstrusiora et sublimiora studia, quae magnum acumen requirunt, habiles aptique uidentur, et si in illis diu exercitentur, tempus fere et operam perdunt. Quam uero praeclare cum Germanis ageretur, si natiua illa simplicitate cum in uitae actionibus, tum in sanctae fidei

a) *Sequitur* hostilias, *oblitt.* b) *Sequitur* hic, *oblitt.* c) *Hoc v. a C. additum est.* d) *A C. corr. ex* nobis.

[1] Mt 12, 25; Lc 11, 17. [2] 3 Rg 19, 18.
[3] Cf. Mt 18, 12; Lc 15, 4; Io 10, 1—28 etc.

negotio recte uterentur, semperque candidi et Germana charitate coniuncti, simulque in obedientia[a] synceri, se uere Germanos reipsa comprobarent? Ad uitium quoque pertinet, quod sicut multi cibi ac potus ob frigidam regionem appetentiores, ita etiam plaerumque intemperantiores existunt, ut hinc quoque Germani passim ob receptam uinolentiam male audiant. Et quoniam inde a primis annis uentri sic satis indulgent, multoque cibo non sine parentum culpa sese ingurgitant, minus ego miror, paucos reperiri Germanos supra modum abstinentiae deditos, et sibi circa uictum ac potum austeros, sed qui contra potius corpori laxent habenas, et plusculum sibi permittere soleant, a corporis castigatione et ieiunijs caeterisque poenitentiae operibus utcumque alieni. Habent hoc etiam sibi peculiare, quod suae gentis amore capti, de exteris non optime sentiant, aut certe ab illis sese gubernari aegre patiantur, perinde ac Germani a Germanis duntaxat recte cognoscantur legitimeque tractentur: hinc aliquando suspiciones et murmurationes et conspirationes non leues contra superiores, si Germani non fuerint, exoriuntur, ac obedientiam admodum labefactant. Ad haec frigidae et Aquilonares regiones nescio quid spiritualis frigoris[b] secum adferunt, ut Germanos experiamur aridos, frigidos et torpidos in his, quae ad uerum ac ardentem deuotionis spiritum, et ad exercitia spiritualia mentaliaque spectant: tum ex multis pauci ad meditandi atque contemplandi usum satis idonei esse uidentur. Hic profecto illi non freno, sed calcaribus indigent, eoque magis quod in medio nationis prauae[1] instituti, parum aut nihil didicerint de ceremonijs ecclesiasticis et externo Dei cultu, qui certe magnam uim ad alendos in Catholica pietate animos obtinet, ac ueluti lac est paruulorum Ecclesiae, sine quo non ita multi in Christo grandescunt[2]. Haec propterea repeto ut non solum de alijs, sed de nostris etiam Germanis iuuandis moneam. potissimum uero ut Magistri nouitiorum hic sedulo aduigilare norint, utque superiores omnes in hisce collegijs suum officium faciant in natiuis huiusmodi Germanorum morbis curandis atque profligandis. Tanto enim illi aptiora diuinae gratiae organa fient ad haereticos conuertendos, quanto sese ab hisce maculis puriores domi forisque conseruabunt, ita ut coram Deo et hominibus uere sancti, et Germana illa quae olim uigebat simplicitate innocentiaque conspicui inueniantur.

Quoniam uero de minoribus et fere natiuis uitijs diximus, ad grauiora et praecipua nunc accedamus, in quibus alteram cautionem Germanis nostris operarijs scitu obseruatuque necessariam constituo. Ea est ut nostri uelut salutares medici, quibusdam antidotis praemuniti, commode dextreque tractent Germanos potestate et authoritate praestantes, qui tametsi professione sunt Catholici, tamen loetales morbos suos excusare malunt quam agnoscere, omnis fere curationis impatientes.

a) *Ita in archet. corr. est ex* simul inobedientiae. b) *C. supra versum vr.* torporis ac pigritiae *primum scripsit, deinde oblitteravit.*

[1] Phil 2, 15. [2] Cf. 1 Cor 3, 1 2; Hebr 5, 12 13.

Laborant in primis grauiter antistites et praelati Germanici, genere ut plurimum nobiles, sed fere perperam a primis annis in Germanico luxu educati, rerum sacrarum ualde imperiti, aulicae pompae et seculari potentiae maiorem in modum dediti, et quia se principes potius imperij quam pastores ouium Christi esse meminerunt, circa temporalia, non spiritualia, tempus, operam opesque consumunt. Igitur neque per se ipsos, neque per idoneos alios Episcopalem functionem exercent, parum ut soliciti sint de uisitatione et reformatione Ecclesiarum et monasteriorum, de celebrandis synodis, de examinandis clericis tempore sacrae ordinationis, de censuris Ecclesiasticis aliqua ex parte obseruandis. Laborant deinde grauiter Principes, Magistratus, Consiliarij et capita populorum, quod saepenumero rebus Ecclesiasticis et ad Episcopalem iurisdictionem pertinentibus sese immisceant, ac immunitatem spiritualem siue Ecclesiasticam uiolare non uereantur, adeoque semi Lutheranos hic potius quam Catholicos praestent, nullis interim poenis et censuris Ecclesiasticis deterriti, quoniam illae nec publicantur, nec ponderantur. Nec est sane quicquam, quod me in collegijs Germanicis magis offendat, quam principum [a], magistratuum [b] et [c] Consiliariorum peccatis nostros, ut uereor, communicare Confessarios, nescio quam peritos et aptos, ut idcirco timeam, ne pars quaedam diuinae maledictionis ab istis Ecclesiasticae libertatis oppressoribus atque contemptoribus in societatis nostrae corpus magis magisque deriuetur [1]. Laborat et grauiter totus ordo clericorum, tot tantisque uitijs in Germania conspurcatus, ut mirum uideri possit, tam multos adhuc Catholicos sub talibus pastoribus ac ministris passim extare atque durare, in quibus tam altas radices iecerit summa rerum diuinarum et Ecclesiasticarum ignorantia, horarum Canonicarum et diuini cultus quotidiana intermissio, censurarum Ecclesiae omnisque disciplinae neglectus et contemptus, assidua fere crapula et communis ebrietas, foedus et publicus concubinatus, recepta simonia, ut reliquas id genus corruptelas impune publiceque in Clero uigentes praetermittam. Qualis enim in Germania populus, talis quoque sacerdos, omni nempe luxui deditus, et ad carnalem licentiam omnem effusus: quia commixti inter nouos filios Belial, didicerunt opera eorum [2], omnis iam fere iugi impatientes, et coeci coecorum duces [3], qui propemodum id quod libet, etiam sibi licere in sua fide Catholica arbitrantur, et propter quos nomen Dei et uera religio inter haereticos uel maxime blasphematur [4]. Laborat demum grauiter populus Germanicus, partim sacerdotum suorum uitijs uehementer offensus, partim imminentium haereticorum uenenatis erroribus non parum

a) *Sequitur* et, *oblitt.* b) magistratum *archet.* c) *Hoc v. a C. additum est.*

[1] S. Pius V. tamen a. 1568 constituerat: In Germania laicos, qui ecclesiae iuvandae causa in iurisdictionem ecclesiasticam se ingererent, poena ecclesiastica non teneri et a confessariis absolvi posse; v. *Can.* VI 197.

[2] Dt 13, 13; Iud 19, 22; 1 Rg 2, 12 etc.; Ps 105, 35.

[3] Mt 15, 14. [4] Is 52, 5; Rom 2, 24.

infectus, ac uelut arundo uentis agitata[1], huc illuc impellitur, utque plaerique sane quid credant, et utri parti adhaereant se nescire profiteantur. Ita ergo uiuunt[a] Catholici, ut satis putent principalia fidei Catholicae capita retinere, parum interim[b] aut nihil soliciti de praeceptis Ecclesiae obseruandis, de Pont: Max: authoritate agnoscenda, de plaerisque dogmatis recipiendis, quae humanarum traditionum nomine comprehensa, et uulgo Germanico prorsus exosa sunt reddita fraudibus haereticorum. Omitto de usuraria prauitate, quae prorsus apud populum inualuit, et publicis legibus confirmata est, dicere: Neque manifesta opera carnis[2] adiungam, quae passim Germanis usitata, et cum frequentibus istorum commessationibus non possunt non esse coniuncta.

Atque ex his omnibus uel coeci possunt cernere, quanti referat nostros in collegijs diu multumque probatos, magnaque prudentia, et in conscientiae casibus iudicandis solida doctrina, usuque rerum instructos esse, priusquam in messem Germanicam uere spinosam et horridam destinentur, maxime si cum Principibus, et utriusque ordinis primarijs uiris agere, uel a collegijs remotius abesse debeant.

Et sane quod ad Episcopos ac Archiepiscopos attinet, consultum ego nostris putarim, ut illis non essent a confessionibus, nisi Patris Generalis accedente consensu[c] speciali, quoniam perpaucos habemus idoneos medicos, qui talibus aegrotis utcumque[d] mederi, et ab illis mediocria impetrare possint. Magnumque est periculum, ne plus damni et odij quam fructus capiat societas ex huiusmodi confessarijs, si ea quae debent, ab hisce confitentibus exigant. Quod si extra confessionem cum praecipuis Praelatis nostri tractabunt, quoniam [?][e] aliqua cum illis familiaritas intercedit, uel commoda eos alloquendi monendique occasio sese offert, suaderem ego, ut quae dicturi sunt, cum suo superiore diligenter conferant prius. Tria uero Episcopis maxime commendata esse uellem, quoniam et a plurimis illa merito desiderantur, nimirum ut consiliarios et aulicos suos non nisi Catholicos habeant, qui in formulam professionis fidei sint iurare parati, deinde ut ijdem praeter alios bonos Officiales, Vicarium ac Theologum, qui suo muneri satis facere possint, quibuscunque tandem sumptibus[f] sibi procurent atque ad manum teneant. Postremo ut seminarijs Clericorum erigendis, aut saltem in Vniuersitate Catholica primo quoque tempore instituendis omnem operam nauent. Nisi enim ad huiusmodi seminaria ueniant, grauissimam religionis pestem, miserandam uidelicet sacerdotum penuriam, arcere non poterunt, et indignos plane impurosque Parochos perpetuo ferre cogentur, quia desunt quos illis reiectis substituant, atque ita uelut serpentes in sinu semper ferent, et neque per se, neque per alios pereuntibus ouibus in Germania prouidebunt. Praeterea si

a) *A C. corr. ex* uiunt. b) *A C. corr. ex* derem *vel* iterem. c) *A C. corr. ex* concessu. d) utrumque *archet.* e) *Sic; sed corrigendum esse dixerim:* quando. f) *Sequitur* illos, *oblitt.*

[1] Mt 11, 7; Lc 7, 24. [2] Gal 5, 19.

nostri gratia uel familiaritate apud spirituales uel seculares principes ualeant, diligenter explorent uelim, quibus in locis Catholici grauius ab haereticis oppugnentur, magisque in fide uacillent, ut praesenti operariorum industria prorsus indigere uideantur. Quanto autem plus periculi erit in mora, tanto diligentius urgere conueniet missionem, si non per nostros, saltem per alios aut alium externum ad tempus instituendam. Certe miserandus Ecclesiarum est status in Vestphalia, in Episcopatu Bambergensi, Hildesimmensi, et Halberstatensi, in Austria, Carinthia, Stiria, Slesia, Morauia, quantoque longius a pastoribus in summo discrimine stertitur, tanto latius grassantur lupi rapaces[1], ac uineam Domini passim demoliuntur[2], illudque tandem efficiunt, ut homines non modo sine sacerdote et sacrificio, sed etiam sine Deo esse, atque ad merum ethnicismum relabi uideantur. Deus Germaniae misereatur, priusquam regnum ab illa suum prorsus transferat[3].

Quod si fas est mihi loqui de Pon: Maxim: quem ueteres illi Germani, ut summum Ecclesiae principem, et Christi domini uicarium singulari reuerentia et obedientia merito sunt prosecuti, multis quidem modis potest et ille prodesse Germanis, ut rectius habeant in religione. Sed optandum in primis eos accedere, qui gentem Germanicam diligant, eiusque patrocinium suscipiant, et causam sedulo agant apud S. D. N.[4] quantumuis erga illum ingrati Germani esse plurimi uideantur. 1. Iuuerit, si eius sanctitas uti praeclare coepit, ita porro pergat germanum Christi uicarium paterna praestare clementia, et sicut Romae, sic etiam in ipsis Germaniae uisceribus certum alumnorum numerum sustentare, qui sub fidis praeceptoribus pie docteque instituti, et sacris ordinibus initiati, ad uineam Germanicam excolendam distribuantur. Hac enim ratione non solum operarij noui ad messem praeparantur, sed et multorum Germanorum animi magis magisque S. Romanae Ecclesiae conciliantur, et exemplum ipsum ad Episcopos e somno excitandos mirifice confert. Verum de his alumnis plura sequenti capite disseremus.

2. Iuuerit Nuntijs Apostolicis per uarias regiones dispersis eam dari prouintiam, ut praestantium Theologorum colligant nomina, qui contra haereticos eorumque errores per totam Europam fere grassantes cum laude scribere, atque ita doctrinam Catholicam et S. Sedem Apostolicam pro dignitate propugnare posse uideantur. Horum enim scriptorum exiguus est plane numerus, usus uero tum ad Catholicorum consolationem, tum ad errantium correptionem nunc in Septentrione necessarius. Saltem ex multis nationibus pauci ad hoc sanctum scribendi munus obeundum prouocentur, eorumque libri probati postea in ipsa Germania typis excudantur, ne Juda quidem excubias agente, et post se trahente ministros satanae, Petrus nimium dormitare, bonamque causam negligere uideatur[5].

---

[1] Mt 7, 15. [2] Ct 2. 15. [3] Cf. Mt 21, 43.
[4] Gregorium XIII. [5] Cf. supra p. 133[1].

3. Iuuerit plures quam unum Germanis adesse Nuntios Apostolicos, qui subinde Archiepiscopos et Episcopos moneant, excitent, animent atque confirment, qui cum principibus etiam Catholicis multa, quae scribi uix possunt conferant, et ab illis uicissim audiant, ad causam fidei et Ecclesiarum utilitatem rectius promouendam. Nam qui nunc Nuntium Apostolicum agit in Germania [1], in extrema eius parte uersatur, et Caesari uelut alligatus, parum habere commercij potest cum Praelatis, Principibus [a] et ciuitatibus procul dissitis, estque admodum difficile et molestum, ad hunc Nuntium ex tot Germaniae locis referre omnia. Quod si Germanus mitteretur Nuntius, quemadmodum in proximis Augustae Comitijs res ipsa docuit [2], multo is quidem Germanis gratior, et ad res tractandas utilior fore uidetur, praesertim quod ab exteris utcumque Germani abhorreant, et in latina lingua tum Nuntij, tum Germani saepe minus esse soleant exercitati.

4. Iuuerit, a S. D. N. deputari aliquem, qui Germanicas Vniuersitates uisitari ac reformari, ipsarum Patronis siue protectoribus persuadeat. Hoc si obtineri posset, praesertim in ipsa uisitatione praesente Nuntio Apostolico, iuuentuti Germanicae optime consuleretur, et studia quae nunc passim iacent, praesertim Theologica, pulchre restitui, ac plaerisque Ecclesiasticis et eorum seminarijs tum in fide, tum in morum disciplina instituendis, imo et sustentandis certa iniri ratio posset. Nam ex bonis ecclesiasticis, quae in prauos saepe usus transeunt, difficile non esset partem aliquam sumptuum corradere, unde boni sacerdotes, immo et religiosi quidam in ipsis Vniuersitatibus, quando alibi non licet saepe, magno cum fructu alerentur.

5. Iuuerit, eiusdem pontificis authoritate aliquem constitui, qui ad Episcopos et principes catholicos missus, omnem interponat operam ad tollenda eorum dissidia, quae propter Ecclesiasticam iurisdictionem inter Ordinarios et principes siue magistratus frequenter incidunt, neque solum Episcoporum functionem impediunt, sed et Ecclesiasticae libertati praeiudicant, et religioni sunt perniciosa. Quod si malitia temporum et cupiditas hominum prohibet, quo minus huiusmodi simultates et altercationes e medio tolli, et discordes ad optandam concordiam reuocari possint, tamen magnam sibi beneuolentiam Pont: Max: apud partes conciliauerit, quod se uerum et pastorem et mediatorem illis uoluerit exhibere.

6. Iuuerit cum Caes: Mai: salutaria conferre consilia de his, quae ad summam haereticorum petulantiam refrenandam, et ad iusticiam

a) *In archet. corr. ex* Principatibus

[1] Ioannes Franciscus Bonhomius episcopus vercellensis, a Gregorio XIII. ad Rudolphum II. imperatorem legatus. Cuius exstant litterae Vindobona 5. Ianuarii 1583 datae apud *Berthier,* Bonh. 118—119.

[2] In his imperii comitiis, a. 1582 habitis, cardinalis Ludovicus Madrutius episcopus tridentinus legatum pontificis magna cum laude egerat; vide *v. Pastor* IX 587—594.

Catholicis, praesertim indigne oppressis, administrandam spectant. Quod si impetrari non potest, ut amplissimi Ecclesiarum prouentus, imo et integri Episcopatus per summam uim haereticorum erepti, Catholicis restituantur, saltem prouideri possit, qua ratione futuris, iamque imminentibus id genus prophanationibus et sacrilegijs sit[a] occurrendum. Ad haec quo pacto uacantia Ecclesiarum bona et beneficia Ecclesiastica, quae ex Pontificis collatione uel nominatione pendent[1], ad salutares usus conuerti queant, priusquam ab Harpijs uel haereticis abrepta, obsint potius quam prosint Ecclesiae, et Antichristianae seruiant synagogae.

7. Iuuerit, certam a Pont: Max: rationem iniri, re forte collata cum Caesare, quo modo Canonici haeretici, quamuis illustres et nobiles, ex Cathedralibus Ecclesijs profligentur, vt excitare grauissima scandala desinant, quae totum deinde clerum inficiunt et conspurcant, sed et toti Germaniae flagella irae diuinae concitare et augere cernuntur[b] maxima. Nec potest cum his Ecclesijs non agi pessime, in quibus ex talibus Canonicis Decani, Praepositi, immo et Episcopi eliguntur, quorum tanta coepit esse audacia, ut fere quatuordecim a S. Sede Apostolica confirmationem petere nolint, utque et Caesarem contemnere uideantur. Nisi autem hoc ostium rebellibus, schismaticis ac haereticis obstruatur, integros Episcopatus magis magisque collabi, et ab haereticis occupari, nec sine irrecuperabili damno prophanari et uastari breui admodum sentiemus.

8. Iuuerit, cum nouis Episcopis et Archiepiscopis, quum hi Romae suam electionem confirmari petent, nouam aliquam rationem obseruare, proposita nempe formula, secundum quam in posterum examinentur. In ea formula non solum de legitima electione facta, et circa professionem fidei, et de obedientia S. Sedi praestanda, sed et de alijs serio admonendi uidentur, exacto etiam iuramento. Nimirum ne sinant quenquam in suis Ecclesijs ordinari, et ad Canonicatum uel dignitatem aut beneficium promoueri, non Consiliarium, Officialem aut Ludimagistrum effici, nisi in dictam fidei professionem a Pio Quarto editam diserte iurauerit[c]. Deinde ut in suis aulis et Ecclesijs omnibus haereticos apertos, et sub utraque specie communicantes excludant, talesque defunctos in consecratis locis sepeliri uetent. Tum ut peritum Theologum, et Vicarium eo munere dignum apud se foueant, quorum opera potissimum in uisitandis Ecclesijs ac monasterijs suo tempore diligenter utantur. Praeterea ubi confirmationis et extremae unctionis sacramenta exoleuerunt, illic usum eorum restitui curent: postremo ut aliquem Romae procuratorem constituant, per quem tertio saltem quoque anno

a) *Hoc v. supra versum scriptum est.* b) *A C. corr. ex* possunt. c) *A C. corr. ex* iurauit.

[1] Ex „Concordatis“ (Germaniae a. 1418 Constantiae et a. 1448 Vindobonae Aschaffenburgi) sancitis collatio beneficiorum ecclesiasticorum (aliquibus exceptis), cum haec mensibus Ianuario, Martio, Maio, Iulio, Septembri, Novembri vacare coepissent, ad romanum pontificem pertinebat; v. *Can.* V 116[1].

rationem aliquam S. Sedi Apostolicae reddant, quo pacto haec aliaque id genus similia praescribenda obseruent, potissimum uero quae ad decreta concilij Tridentini si non per omnia in moribus, saltem in fide promulganda[a] et exequenda spectant.

9. Iuuerit demum, unum atque alterum praelatum in Germania deputatum esse, cuius sit officium saepe Romam perscribere de statu Ecclesiarum, et religionis maxime, de conatibus nouis aduersariorum, ac de omnibus quae ad morbos Germaniae sanandos facere uidebuntur. Quod si uicissim ex Vrbe ad hosce deputatos crebro scribetur, maior ueritatis lux utrinque apparebit, multaque incommoda, quae ex pernicioso silentio consequuntur, rectius cauebuntur, et praecipue curabitur, ut mater filiam syncerius amare, et filia quoque suam matrem libentius reuereri uideatur, illudque prouerbium e medio tolletur, Negligimus, quia negligimur. Verum isthaec saluo semper honore S. Sedis Apostolicae dixerim, quam si alia ulla prouintia transmontana, certe Germania[b] in primis uti matrem, matricem et magistram multis nominibus amplecti debet ac uenerari, nisi uelit ingratissima esse. Sed quoniam haec filia tam aegre habet, ut uis morbi ordinariam respuat medicinam, materna quaedam [?][c] indulgentia opus erit, praesertim ut obseruetur illud, A r u n d i n e m q u a s s a t a m n o n c o n f r i n g e t, e t l i n u m f u m i g a n s n o n e x t i n g u e t[1]. Atque haec de summo clementissimoque Germaniae et pastore et medico pontifice satis.

Vt ad nostros redeam, atque longam hanc de Germanis iuuandis tractationem semel absoluam, magni sane momenti fore duco, si prouinciales dederint operam multis bonis concionatoribus mature formandis et expoliendis, qui in spiritu, literis ac uirtutibus diu ac multum probati et exercitati, in Germanicam messem cum fructu extrudi atque distribui possint. Horum enim concionatorum opera in primis desideratur, horum authoritas apud Principes, magnates, et populos plurimum ualet, siue Catholica fides confirmanda, siue haereticorum impietas retundenda, siue mores hominum corrigendi, siue[d] societatis nostrae existimatio ad Dei gloriam retinenda et augenda sit. Fit autem, nescio quo arcano iusti Dei peccata nostra uindicantis iudicio, ut ex multis Germanis, quos in collegijs fouemus, ualde pauci concionatores insignes emergant, et quorum usus esse possit in longis atque difficilibus missionibus. Nam et suas adferunt imbecillitates, ob quas illis multum fidere uix possint superiores, praesertim si cogitent, quam incommoda et periculosa hospitia nostris adeunda sint, in quibus Germanicus ille luxus abundat, et commessandi diuque considendi et bibendi consuetudo inueterata durat, ac multae illecebrae carni adblandiuntur et fortes etiam animos facile frangunt. Habet praeterea mos Germanicus, ut

a) promulgenda *archet.* b) *In archet. corr. ex* Germaniam. c) *Sic; sed corrigendum esse uidetur:* quadam. d) siuae *archet.*

[1] Is 42, 3; Mt 12, 20.

festis duntaxat diebus uerbum Dei in templis praedicetur, et populus ad rem diuinam se colligat. Quare sic existimo, frequentes et longinquas missiones, quas necessitas non exigit, nostris in Germania non conuenire, praesertim quamdiu in collegijs ipsis boni et solidi satisque instructi concionatores non suppetunt. Cum uero aliqui mittendi erunt, expedit prorsus, eos cum selectis socijs, atque conuenientibus instructionibus mitti ad Catholica loca, in quibus fauentes amicos et patronos, si fieri potest, experiantur. Caeterum ut ipsi uel excurrant uel mittantur ad ea loca, quae ab haereticis magistratibus gubernantur non suaserim. Quid enim nisi crabrones irritabunt, et se uelut in aliena Rep. curiosos, immo et seditiosos, aut certe quidem suspectos declarabunt, daturi etiam ansam haereticis, nostros accusandi, quod pacem religionis ab Jmperio sancitam uiolent[1], falcemque mittant suam in messem alienam. Faxit Deus Opt: Max: multos ut praestantes, nec minus humanis quam diuinis dotibus commendatos concionatores habeamus, qui longe lateque per totam Germaniam utiliter et secure ita mitti possint, ut praetextu procurandae salutis Germanorum, et praesertim haereticorum, suae uocationis ac propriae perfectionis nunquam obliuiscantur.

CAPVT TERTIVM DE ALVMNIS COLLEGIJ GERMANICI, VT PRAESERTIM HI REDEuntes ex vrbe, rectius de sua Patria mereantur.

1. Notus est Germanici collegij fundator ac Moecenas in urbe, nimirum Gregorius XIII. uere Germanicus Pont: Max: cuius permulta et eximia in Germanos collata beneficia, merito a Germanis tum praesentibus, tum futuris celebrabuntur. Notus praeterea collegij huius foelix hucusque successus, in quo multi ex Germanica iuuentute illustres, nobiles, praeclari et bonae indolis magnaeque spei adolescentes liberaliter educati[a], uerae fidei et doctrinae uirtutisque uaria de se indicia praebuerunt. Vnum autem hoc a pijs et sapientibus uiris, adeoque a Germania ipsa desideratur, ut qui ex dicto collegio in patriam redeunt, studiorum suorum quae Romae non sine magnis sumptibus atque laboribus didicerunt, specimen apertius edant, fructumque uberiorem Germanis adferant hoc tempore, quo ipsorum patria, uelut uastissima et incultissima messis, fidis et idoneis operarijs maxime destituta est. Etenim ex quinquaginta uix unus atque alter emergit, qui post absoluta Romae studia uitam ita instituat[b], ut in Germanica uinea sibi strenue laborandum, et cum haereticis patriae, Christi Ecclesiaeque nocentissimis hostibus fortiter pugnandum esse arbitretur. Haeccine gratia tot acceptis Romae beneficijs digne respondens? ,uel ubi demum praeclara illa et sancta Pontificis Maximi expectatio, qui hoc Romae

a) *A C. corr. ex* aduocati; *sequuntur vv.* non obscura, *oblitt.* b) *Correxi ex* instituant, *praesertim quia sequitur:* arbitretur.

[1] De hac pace, a. 1555 Augustae sancita, vide *Can.* V 230[1] 241--247.

collegium sic instituit ac dotauit, ut extaret illustre seminarium istiusmodi Germanorum, qui religioni orthodoxae propugnandae se totos dicarent, Ecclesiastica ministeria libenter obirent, uerbum Dei fideliter disseminarent[1], omniumque studiorum suorum fructum in utilitatem patriae Germanicae gnauiter conuerterent, ut quae tot errorum atque sectarum spiculis dire conuulsa, si antehac unquam, nunc uel maxime probos medicos, hoc est, salutares magistros, parochos, concionatores, Theologos, sacerdotes, Catholicaeque fidei defensores ac uindices omnino requirit? Hinc igitur iustissime quaeritur, quibus rationibus effici queat, ut misera Germania ex hisce suis filijs Romae institutis optatum fructum capiat, eorumque reditum et laborem sibi magis salutarem experiatur.

2. Mihi quidem consultum uidetur, ut[a] e Germania Romam profecturi adolescentes, in Germania ipsa primum a quibusdam ad hoc destinatis examinentur. Ita enim caueri poterit, ne turba quaedam hominum ineptorum Romam accurrat, quos deinde tanquam indignos reijcere, aut sine fructu alere necessum sit, etiamsi principum aut amicorum commendatitias literas adferant. Neque paucos curiositas Romam inuisendi, aut paupertas in studijs prosequendis, ad hanc tam longam quam difficilem peregrinationem extrudit. Pauci uero inde ab initio intelligunt uel secum cogitant, quis huius sit collegij scopus, et quo consilio in illo uersari, quasque conditiones ac leges praestare debeant. Ac tanto magis referet eos ante discessum tempestiue moneri ac instrui, quales Romae in collegio Germanico admittantur, et quae studiosis illis maxime obseruanda sint. Examinandi autem ius et potestas nescio penes quos rectius esse possit, quam penes duos Rectores collegiorum Societatis Jesu in Germania, sicut Moguntiae et Dilingae, si pater noster Generalis ita permittat, aut penes alios duos nostrae Societatis non uulgares amicos in duabus Vniuersitatibus designandos, quemadmodum Rhenensis et nostrae prouintiae praepositi statuent. Qui quidem examinatores iuxta praescriptam sibi formulam singulos explorabunt, qui Romae Germanici Collegij membra fieri desiderarint. His proponent, quid commodi Romae in collegio expectare, quas praecipue conditiones et leges praestare, quales etiam post absoluta studia sese gerere debeant. Quisquis autem hoc examen subire, et literas testimoniales ab ipsis examinatoribus accipere detrectarit, Romae non admittatur, sed Pontificiae liberalitatis beneficio careat, nisi singulari quadam S. D. N. dispensatione fruetur.

3. Atque ut hoc munus examinandi felicius instituatur, magnasque molestias Germanico collegio adimat, utiliter futurum arbitror, si duae in Germania sedes, aut duo collegiola in conuictorum nostrorum aedibus constituantur, atque in illis eiusmodi studiosi annum saltem unum atque

a) *Sequitur* qui, *oblitt.*

[1] Act 13, 49.

alterum detineantur. Hac enim ratione de illorum ingenijs, studijs et moribus experimentum non fallax capietur, certiusque constabit, qui ex illis tum ad profectionem instituendam, tum ad studia prosequenda, tum ad Germaniam iuuandam[a] aptiores merito uideantur. Quod uero ad sumptus studiosis in istis collegiolis rite fouendis necessarios attinet, aut Germanicum collegium Romanum, cuius utilitati consulitur, sumptus illos refundere poterit, aut summus Pontifex sicut Viennae, Olmutzij, Pragae, Braunspergae, sic etiam in hisce duobus locis se uere Moecenatem non grauatim ostendet, suaque munificentia praesentem studiosorum inopiam, ut sperandum est, facile subleuabit, si monitus intelligat, hoc leui sumptu ingentem collegij, adeoque Germaniae profectum redimi atque compensari posse.

4. Etsi uero nihil dubito, certas leges Romae scriptas et sapienter conditas asseruari, quae Germanis in suo collegio commendentur [1], tamen nihil obfuturum spero, si pauca quaedam, ut melius illi in officio contineantur, maioremque Germanis fructum adferant, hic obiter annotauero. Ego uere Germanos, tamque probe in literis uersatos mitti ac recipi desiderarim, qui in Grammatica et Rhetorica iam ante firma fundamenta iecissent, ut ad Philosophiam, aut etiam Theologiam audiendam essent idonei. Hinc enim fieret, ut illi cum suae ualetudinis offensione Romae non diutius uersarentur, quia Romanus aer plaerisque Germanis parum est propitius, utque grauioribus studijs absolutis, maturius in patriam remitterentur. Deinde ab illis qui Romae alendi sunt, exigendum in primis putarim, ut promittant se sacris ordinibus iniciaturos [?][b], quique non sine uoluntate Pont: aut superiorum discessuri, ac libenter etiam parituri sint, ad quaecunque loca forte destinentur. Excipio autem illustres ac nobili genere natos adolescentes, non ut immunes sint ab obligatione sacris initiandi, atque in Collegio permanendi, sed ut rudes etiam ac parum in literis uersati, locum inter coeteros alumnos accipere possint. Etenim collegiali disciplina uehementer indigent, ut corruptae tum in fide tum in moribus educationis suae uitia corrigant, utque propius ad Ecclesiasticae et Canonicae uitae rationem inde a primis annis assuefiant. Ita enim maior illorum usus esse poterit in Ecclesijs Cathedralibus, in quibus totius Cleri capita, et praecipui Germaniae antistites ac maximi religionis uerae tutores ac uindices[c], ex quibus tam multa dependent ad utrumque forum pertinentia, constituuntur[d].

5. Caeterum ut de alijs Germanis eiusdem collegij dicere pergam, quanto illi spectatioris indolis, et praestantioris ingenij, atque ad uir-

a) iuuendam *archet.* b) *Sic; sed aut scribendum fuisse uidetur:* initiandos, *aut addendum* sese. c) *Sequitur* reperiuntur, *a C. oblitt.* d) *Hoc v. a C. additum est.*

[1] Collegii constitutiones a S. Ignatio a. 1552 conscriptas posuit *Schroeder* l. c. 60—74. In harum locum a. 1574 iussu Gregorii XIII. novae substitutae sunt, quas P. Michael Lauretanus S. J. collegii rector condiderat. De iis vide *Steinhuber* I[2] 106—108.

tutem et doctrinam percipiendam generosioris naturae fuerint, tanto magis ornabunt collegium, suorumque maiorum et praeceptorum animos iustius sibi conciliabunt, ut ab eis indies magis ac magis amentur atque promoueantur, quoniam insignem spem et expectationem concitent de gente patriaque sua praeclare merendi. Proderit autem per omnem occasionem illis in memoriam saepius reuocare, quanti sit momenti ac meriti, eos Christi Ecclesiaeque milites ex hoc prodire collegio, qui contra nocentissimos aduersarios gladio Spiritus[1] pugnare, et uelut periti animarum medici, tot Christianarum ouium milibus quotidie pereuntibus contra lupos grassantes assistere, et lapsam in tot prouintijs religionem erigere atque restituere uelint et possint. Commendanda etiam illis Ecclesiastici et sacerdotalis ordinis dignitas, utpote qua nihil fere apud Germanos contemptibilius et abiectius uideri solet: praedicanda sublimitas et utilitas concionatorum, quoniam ab hoc laborioso, sed necessario munere complures abhorrent: nec minus inculcanda necessitas praesens et inopia pastorum atque ministrorum, quae non paucos a sacerdotali functione deterret: quandoquidem ad ocium, honorem et uoluptatem magis quam ad laborem pro Christi nomine et ob proximi dilectionem exantlandum aspirant, suaque studia referunt. Optarim praeterea illos in concionandi munere, non raro, festis praesertim diebus, exercitari, atque in his quae ad fidei confirmationem, et haereticorum insectationem faciunt, subinde uersari, atque ante omnia supra Petram totius Ecclesiae basim, quam inferorum portae nunquam possunt euertere, probe solideque fundari[2]. Id uero futurum opinor, si ad diuinum timorem, et Catholicae deuotionis sacraeque confessionis et communionis usum frequentem et ardentem sese assuefaciant, tum si a studio uentris ac molliore educatione ad maiorem temperantiae cultum reuocentur, et demum si ad Ecclesiasticae disciplinae sacrarumque ceremoniarum, quae in Germania suum pondus amiserunt, amorem ac studium serio excitentur, atque assidue prouehantur.

6. Iam uero ut de illis agamus, qui absolutis Romae studijs reditum in Germaniam parant, in his ego tria uel maxime desiderarim, nimirum synceram intentionem, promptae obedientiae studium, et fortitudinis atque constantiae spiritum[3]. Etenim ut rem clarius explicem, Germanis in patriam, eamque afflictissimam redituris, nulla re magis est opus, quam pura et syncera intentione, sua studia quae tractarunt, suaque talenta diuinitus accepta eo referendi, ut pro uirili cupiant et nitantur, se Deo, Pontifici et patriae gratos exhibere, nullumque laborem subterfugere, quem pro data sibi gratia tumultuantibus in religione Germanis possint impendere. Caeterum hanc piam sanctamque uoluntatem magis confirmauerint, si ante suum ex urbe discessum colligent animos, et spiritualibus exercitijs ad tempus uacabunt. Probarim

[1] Eph 6, 17. [2] Mt 7, 25; 16, 18; Lc 6, 48. [3] Is 11, 2.

etiam illos, quemadmodum initio collegium ingredientes ita quoque discedentes, generalem peccatorum suorum exomologesim instituere, ut gratiae diuinae semen in se uberius et efficacius experiantur. Probarim itidem, quoniam scriptum est, Consilium semper a sapiente perquire[1], ut cum Confessario aut alio prudente uiro conferrent, quae ad rationem uitae suae in Germania instituendae maxime congruere uidebuntur. Demum expedit fortasse, ut ad messem operarij, et in bellum milites profecturi, armis legitimis non careant, hoc est, ut si digni fuerint sacerdotes in urbe ordinentur, et cum ordinatione potestatem eam accipiant, quae ad Germanos hoc tempore iuuandos, et ad haereticos absoluendos in primis est necessaria. Vnde et illud commodi reportabunt, ut quae ad Breuiarium recitandum, et ad ceremonias Missae aliorumque Sacramentorum decenter obseruandas pertinent, Romae multo purius ac religiosius, quam in ipsa Germania discant, sibique familiaria reddant.

7. Iam uero praeter synceram intentionem, quam in pijs actionibus omnibus ante omnia requirit Deus, promptum obedientiae studium nostros Germanos in patriam redituros maxime commendabit. Quae obedientia Pont: Max: debebitur, si ad certa loca, uel ad certos Episcopos, suosue Nuntios Apostolicos, uel ad certa negotia procuranda eos mittere dignabitur. Sed ordinariae missiones erunt, ut ex illorum uoluntate et authoritate pendeant, quos Pontifex in ipsa Germania ueluti suos Nuntios designabit, ut redeuntibus ex urbe Germanis, praesertim doctioribus, certam Germanicae uineae partem excolendam assignent. Quomodo enim praedicabunt, aut quod legitimum in Ecclesia munus exercebunt, nisi conuenienter uocentur atque mittantur?[2] Certe non expedit, istorum alumnorum uoluntati permitti liberum, ut quo ipsi uelint concedant, et quoduis uitae genus pro suo arbitratu deligant atque sectentur. Hinc quippe factum uidemus, ut tam multi absolutis Romae studijs non ad laborem, sed ad otium sese contulerint, et se ipsos quam Christi oues pascere[3] maluerint, utque ad rem familiarem augendam et dignitatem obtinendam adspirantes, curam omnem Ecclesijs ministrandi, uerbum Dei praedicandi et Germaniam adiuuandi abiecerint[a], sordida interim uitae conditione contenti, nihil autem de religione uindicanda soliciti. Id uero nihil est aliud, praeterquam a praestituto scopo plurimum aberrare, optimi pontificis[b] et bonorum expectationem fallere, ac foedo ingratitudinis crimine sese contaminare, ac demum parentem ipsam in summo discrimine deserere, quum illi suppetias ferre maxime debeas. Quocirca duo ut minimum[c] Episcopi Germanici, quos Pont: Max: nominet, constituendi uidentur, penes quos cura sit eiusmodi Germanos adolescentes, quorum ministerium Ecclesijs Germanicis debet esse dicatum, per certa loca distribuendi.

a) *A C. corr ex* adiecerint. b) *Sequitur* est, *oblitt.* c) *A C. corr. ex* nimirum.

[1] Tob 4, 19. [2] Rom 10, 5. [3] Ez 34, 2 8; Iud 12.

Vt autem hos operarios rite distribuant, non parum referet, Germaniae [?][a] prouintias et in his Episcopatus, tum in illis ipsis oppida utcunque habere perspecta, iustum ut delectum eorum locorum faciant, in quibus bonorum doctorumque concionatorum ac ministrorum inopia maxime laboratur. Communis autem omnium fere magistratuum[b] quaerela est, se fidis et idoneis pastoribus atque doctoribus destitui, quos amplis etiam salarijs propositis impetrare ac retinere non possint. Quare cum plurimorum Theologos et concionatores expetentium uotis non possit satis fieri, hoc saltem curent designati illi duo Episcopi, ut quos mittere possunt, si eos prius probauerint, cum suis literis commendatitijs ad loca magis necessaria mittant. Quanto autem plures id genus missiones fient, tanto magis Pont: Max: Germanorum sibi deuinciet animos, et rursus Catholici antistites ac principes tanto laetius et sibi et Ecclesiae gratulabuntur, quoniam probe intelligunt, et re ipsa comperiunt, uerae fidei religionisque conseruationem ac instaurationem ex bonis magistris atque pastoribus pendere maxime, horumque raritatem praesentis Ecclesiae grauissimam in Germania pestem esse. Atque hic cautionem illam dicti Episcopi adhibebunt, ut antequam istiusmodi alumnos mittant, etiam atque etiam secum expendant, quibus maxime dotibus illi sint praediti, sicut Germanici Collegij Rector suis etiam literis poterit significare. Sunt enim quidam ad docendum in scholis potius quam ad concionandum in templis aptiores. Tum quidam eximium, alij mediocre talentum ad concionandi munus adferunt. Quidam pastorale onus omnino refugiunt, alij ad Ecclesiasticam dignitatem adspirant, uel Canonicatum aliquem expetunt, aut inter suos domi tantum uiuere gaudent, nullamque grauem in Ecclesia functionem suscipere cogitant.

8. Ego uero cum cuncta mecum reuoluo, dubitare prorsus cogor, an Episcopus in Germania ullus hoc tantum onus subire uelit et possit, quantum illa tot alumnorum disparitas secum adferet, si omnibus quidem et singulis ex urbe redeuntibus utcumque debeat prouideri. Et cuicumque demum hoc munus et onus a Pontifice Maximo demandetur[c], certe sumptuosum, laboriosum, arduum ac periculosum esse animaduerto, in quo nisi Societas nostra suppetias ferat, et aliquam in huiusmodi operarijs distribuendis curam suscipiat, uereor equidem, ne res tota sicut hactenus, exiguum successum, et infoelicem exitum assequatur. Quod si ne hoc quidem placet, ut penes nostros ulla cura sit in istis alumnis distribuendis, age cordatus aliquis uereque Catholicus princeps, quemadmodum Bauaricus uel Austriacus[1] constituatur, cui hanc piam solicitudinem et solicitam pietatem demandet Pont: Max:, ut missos ad se huiusmodi ministros amanter complectatur, et uel in sua, uel in

a) *Sic vel* Germanicas *corrigendum est ex* Germanicae, *quod est in apogr.* b) *A C. corr. ex* magistratum. c) *A C. corr. ex* mandetur.

[1] Guilielmus V. Bavariae dux, Rudolphus II. imperator, Ferdinandus II. Austriae superioris princeps, Carolus Stiriae, Carinthiae etc. princeps.

uicina[a] dicione[b] distribuendos qualicunque ratione procuret. Nisi forte quis putat, non principis tantum, sed et Vniuersitatis, ut Ingolstadiensis ac Vienensis iudicium hic adhibendum esse, praesertim si multi ex urbe simul in Germaniam destinarentur. Nec sane dubitarim, eiusmodi oblationem a pontifice factam dicto principi adeo gratam fore, ut non grauatim etiam uiatica uenturis promitteret, et[c] singularem illorum curam susciperet, quorum nempe opera indigent passim Ecclesiae. Qua in re tanto minus anxij esse debemus, quanto pauciores ex collegio Germanico redeunt hactenus, quorum aduentus et usus in Germania sit ualde fructuosus.

9. Deest plaerisque singularis illa fortitudo animi, quam in hisce studiosis merito desideramus, ut in medio nationis prauae[1], et in tanta communis uitae corruptione atque licentia Germanica se a seculo nequam[2] puros integrosque conseruent. Quid enim syncerum ac sanctum non dicam apud populum, sed apud Ecclesiasticos etiam homines, ipsosque monachos uidere ac audire possunt? immo quid illos, quocunque uertant oculos, non uehementer offendat? Religio neglecta et quasi proculcata iacet, sacramenta et sacramentalia quae uocant, in minimo praecio habentur, sacra frigent studia immo exulant[d], Ecclesiasticae disciplinae obedientiaeque uix umbra superest, simonia, crapula, ebrietas, luxus et concubinatus regnant, omniaque fere sacra deuastant. Quare nihil mirum, nouos operarios quum ex urbe remittuntur, si quidem sapiant, ualde sibi metuere, et abhorrere a communibus grauissimisque patriae morbis, quos ubique inueteratos, et quasi immedicabiles experiuntur. Ac tanto magis non uulgari, sed heroico quodam et inuicto animi robore opus habent, quia durissimam prouinciam subeunt, seque maximis periculis obijciunt, quodcunque in Ecclesijs ministerium amplectantur. Nam ad Germanos etiam illud Pauli uaticinium spectat: Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes[e] auribus[3]. Vae autem soli, quia cum ceciderit, non habet subleuantem se[4]. Sed quo difficilior, calamitosior magisque miseranda istorum doctorum est conditio, qui non solum alienae, sed et propriae saluti probe consultum uolunt, et inter malos bene uiuere, suumque officium in Germania cum fructu obire contendunt, eo sane laudabiliores, omnique bonorum uirorum fauore, amore et defensione digniores illi ipsi censendi sunt. Hos pont: Max: ea gratia merito prosequetur, ut amplas et in Germania fere necessarias facultates illis impertiat, nimirum ad libros prohibitos legendos, ad haereticos quum resipiscunt in foro interiore absoluendos, et ad ploerasque censuras Clericis in Germania relaxandas. Merentur illi insuper non modo beneuolentiam, sed et liberalitatem singularem eorum Magistratuum, in

a) uicinia *archet.* b) *In archet. corr. ex* dictione. c) *Sequitur* singularem. et, *oblitt.*
d) *Corr. ex* exultant. e) *A C. corr. ex* punientes.

[1] Phil 2, 15. [2] Gal 1, 4. [3] 2 Tim 4, 3. [4] Eccle 4, 10.

quorum Ecclesijs laborabunt, ut ubi seminabunt spiritualia, temporalia quoque metant[1], suamque decentem et commodam sustentationem habeant, quum dignus sit operarius mercede sua[2], et qui catechizatur uerbo, ei qui se catechisat, in omnibus bonis debeat communicare[3], Apostolo teste. Ad extremum coetera, quae hic et in superioribus omnibus ad pleniorem tractationem desiderantur, aliorum peritiorum sapientia, et diuina in primis Christi domini gratia suppleri, nostraeque insipientiae et loquacitati ueniam dari, ex animo petimus, atque per Dei misericordiam obsecramus[4]. Pax super Israel[5].

Si quis cum postrema huius commentarii parte contulerit novas „Constitutiones", quas *Gregorius XIII.* 1. Aprilis 1584 per bullam „Ex Collegio Germanico" eidem collegio dedit, facile deprehendet, in iis multas ex rebus a Canisio commendatis praescribi. Ita, quod attinet ad delectum iuvenum Romam mittendorum (ubi hoc, praeter alia, statuitur, ut omnes philosophiae vel theologiae audiendae maturi esse debeant, praeter nobiles quosdam cathedralium capitulorum canonicos); item quod attinet ad confessionem generalem, caerimonias sacras, exercitia spiritualia, frequentiam sacramentorum, susceptionem ordinum sacrorum, reditum in patriam. Vide *Steinhuber* l. c. I² 155—164.

2169. CLAUDIUS AQUAVIVA praepositus generalis Societatis Iesu P. PETRO MICHAELI vicerectori collegii friburgensis, P. PETRO CANISIO, P. ANTONIO BALDUINO, S. J. Roma 14. Ianuarii 1583.

Ex commentario sic inscripto: „Friburgi P. Petro Michaeli, V. R." G. Sup. 1 f. 82.

Quomodo bona marsensia alienari conveniat. De „castro" retinendo, collegii prosperitate, Canisii cura habenda.

Accepi litteras Reuerentiae V. unaque P. Canisij, et P. Antonij Balduini quae quod eodem argumento essent, simul omnibus respondebo. Agebant enim de alienandis quibusdam bonis Monasterij Marcensis, quod cum antea mecum a P. Oliuerio Visitatore et P. Prouinciali[a][6] tractatum esset[b], atque in eandem sententiam istinc saepius ad me scriptum, nihil iam dubij[c] remanserat quin ea uenditio ualde expediens futura esset, ideoque[?][d] etiam eam potestatem patentibus scriptis[e] feceramus, quas spero ad Reuerentiam V. peruenisse. Nunc tamen cum rem melius ex ista Reuerentiae V. narratione cognouissemus, ac praesertim duos[f] ab Jllustrissimo Legato[7] deputatos ad eam alienationem faciendam, multo id[g] commodius uisum est, quam ut per nostra priuilegia[h][8] fieret · primum enim uerendum est[i], ne illi duo

a) *Sequuntur vv.* atque etiam, *oblitterata.* b) *Sequitur* ac de eodem, *oblitt.* c) *Sequitur* nobis, *oblitt.* d) *Hoc v. obscurius scriptum est.* e) *Sic in comm. correctum est ex* scripto. f) *Sequitur* ad id, *oblitt.* g) *Hoc v. supra versum scriptum est.* h) *Corr. ex* per nostros. i) *V. supra versum scriptum.*

[1] 1 Cor 9, 11; cf. Rom 15, 27. [2] Lc 10, 7; 1 Tim 5, 18; cf. Mt 10, 10. [3] Gal 6, 6. [4] Rom 12, 1. [5] Ps 124, 5. [6] Georgio Bader.

[7] Cardinali Ludovico Madrutio, a Gregorio XIII. ad comitia imperii augustana legato; v. supra p. 89.

[8] *Gregorius XIII.* litteris apostolicis Roma 18. Decembris 1576 et constitutione Roma 5. Augusti 1582 datis concesserat, ut Societatis praepositus generalis, „informatione accepta" quaecumque domorum et collegiorum bona „in evidentem eorum utili-

Dominj nempe Decanus Friburgensis[1], et Officialis Lausanensis si nos eorum operam refugere uiderint, offendantur, aut etiam suspicentur aliquid caussae subesse, ac uel ipsi, uel alij in deteriorem partem interpretentur quod externos testes deuitemus. Vix etiam uidemur[a] rationem reddere posse cur si nos antea[b] facultatem habebamus, Legati auctoritatem requisierimus, uel postquam eam obtinuimus, ipsa[c] uti nolimus. Praeterea accedit etiam illud quod ut fere odiosae sunt religiosorum alienationes praesertim[d] in Germania, ubi multa ecclesiastica bona dilapidata sunt, nos facilius id odium declinabimus si ex apostolica auctoritate, et per externos hanc uenditionem instituamus, quam ex priuilegijs nostris: quod si bene succederet, pergi posset, sin minus Reuerentia V. nos moneret, ut facultatem denuo daremus[e]. Si uero non modo non adiuuent negotium deputati, sed potius retardent, et fortasse ipsi etiam grauate id oneris ac molestiae subeant, neque ulla timeatur ciuium offensio si per nostra priuilegia fiat alienatio, tum permitto ut re cum Consultoribus agitata Reuerentia V. utatur ea facultate quam iam misimus. Sed hoc tamen intelligat non licere per Societatis priuilegia bona in perpetuam emphyteusim dare sed ad tres tantum aetates; ut propterea de emphyteusi perpetua cogitandum non sit. Ceterum quod attinet ad Castri uenditionem, etsi iam dudum de hoc eodem scripsimus ad P. Prouincialem tamen quia denuo huius mentio istinc mota est, ita iudicauimus, fore operae pretium, si antequam uendatur, experiantur nostri ad unum saltem annum, quomodo eis succedat habitatio inferioris domus quae iam empta est, ne si insalubris situs iudicetur, uel aliquod aliud in eo emergat incommodum, non possint amplius ad Castrum remigrare. Simul etiam interim prospiciant an ad nostrorum relaxationem facile possit inueniri locus prope moenia Friburgi, ac si is non inueniatur Reuerentia V. uideat an expediat Castrum in eum finem retineri nosque moneri, si uendendum sit, quanti uendi possit, et an ciuium offensio timenda sit si ob eam causam adeo Collegio necessariam Castrum retineamus. Nam quod ad pecuniam domus emptae pertinet, posset ea ad censum accipi donec[g] illius situs commoditatem experti fuerint. Atque hec nobis de rebus istis occurrebant · nam praeterea quae[h] de bono Collegij statu Reuerentia V. referebat, ualde mihi grata fuere, Deumque precor ut sua in uobis beneficia conseruet et quotidie augeat. Neque est iam aliud quod scribam nisi quod me Reuerentiae V. et omnium suorum precibus et sanctis sacrificijs commendo, et nominatim P. Canisij, cuius curam

a) *Sequitur:* effugere posse inconstantiae notam, si, *oblitt.* b) *Sequitur* aut, *oblitt.* c) *Sequitur* ea *vel simile v., oblitt.* d) *V. supra versum scriptum.* e) *Sequitur* Quod, *oblitt.* f) *Sequitur* de, *oblitt.* g) *Sequitur* situm, *oblitt.* h) *Corr. ex* quod.

tatem vendere, alienare, permutare, in emphyteusim seu libellum ad tres generationes vel in aliud longum tempus dare" posset „absque alia licentia petenda vel obtinenda" (*Institutum* S. J. I 68—71 81—84).

[1] Eduardus Thorin a. 1575—1588 capituli S. Nicolai decanus fuit (*Dellion* VI 330—331).

in illa aetate, et laboribus actis Reuerentiae V. ualde commendo: salutet etiam illum nomine meo, nam ad litteras nihil habeo quod respondeam cum de unico hoc negotio agerent de quo ad Reuerentiam V. scripsi. Gratia Dominj nostrj *etc.*[a] Roma 14. Jan. 1583.

2170. CLAUDIUS AQUAVIVA praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 13. Maii 1583.

Ex commentario sic inscripto: „Friburgi P. Canisio." G. Sup. 1 f. 93[a].

Vicerector. Scriptum de Germania iuvanda. Quaestio de 5%. „Dissolutiones recreationis". Ratio conscientiae. Vita S. Ignatii.

Epistola Reuerentiae V. quam ad me dedit 6.° Jan. sero quidem ad me ut ferme solent istinc litterae, peruenit, sed tamen grata mihi fuit, et consolationem in Domino non paruam attulit ex ijs quae de rebus istis significabat. Ac quod ad P. Petrum Michaelem[1] attinet, gaudeo eius uirtutem ac diligentiam ab Reuerentia V. commendari: nam de cetero si quid fortasse desit, id ut spero et dies[b] ipse, atque usus afferet, et P. Prouincialis[2] admonitiones facile supplebunt, ac Reuerentiam quoque Vestram pro sua parte ei minime defuturam confidimus. Scriptum quoque[c] Reuerentiae V. de Germania iuuanda[3] libenter accepimus, speroque aliquid utilitatis allaturum, quod Reuerentiae quoque Vestrae ab Domino orandum erit. De quaestione quinque pro centum iam antea respondimus P. Prouinciali quid obseruari debeat, ex quo cum Dei gratia conformitas[d] quam Reuerentia V. merito desiderat, praesertim in re tanta, consequatur inter nostros[4]. Jn ceteris

a) *Supplendum esse videtur* Jesu Christi vobiscum. Amen *(1 Cor 16, 23; 1 Thess 5, 28) vel* Jesu Christi sit cum omnibus vobis. Amen *(Rom 16, 24) vel* Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen *(Phil 4, 23; Philem 25) vel aliquid simile.* b) *Sic in comm. correctum est ex* usus. c) *Hoc v. supra versum scriptum est.* d) *Sequitur* in prouincia uestra, *oblitt.*

[1] Is erat collegii friburgensis vicerector. Dubitari vix potest, quin Canisius unus ex eius „Consultoribus" fuerit et epistula 6. Ianuarii ad Aquavivam data satis facere voluerit officio, quod in „Regulis Consultorum" (n. 9 10) his verbis efferebatur: „Consultores Rectorum, et Praepositorum localium literas . . . dabunt . . . ad Generalem singulis annis mense Januario. . . . Iis literis sincere, ac sine amplificatione omnique priuato, aut humano respectu semoto significabunt, quid sibi de Superiorib. quorum sunt Consultores, et de eorum administratione, ac rerum statu scribendum in Domino uideatur, oratione tamen praemissa, et re prius diligenter considerata": *Regulae* Societatis Iesu, Romae 1580, 135.

[2] Georgii Bader. [3] Hoc vide supra p. 117—156.

[4] *Aquaviva* Roma 24. Februarii 1583 Badero *scripserat: „Jn opinionibus scribitur mihi magnam esse licentiam. . . . Hoc Reuerentiae V. uere dicere possum totum hoc opinionum negocium esse mihi cordi inter praecipua quae sunt in Societate cum non solum per se, sed etiam ob ea quae facile consequi possunt, probe intelligatur quantopere sit in eo uigilandum. Sed nos quidem quantum se nostra uigilantia extendere potuit, id nobis prouidisse uidemur ea ordinatione, quam ad Reuerentiam V. non ita dudum misimus. . . . Jtaque ualde moneo Reuerentiam V. ut cum ubique, tum Jngolstadij maxime ita totam rem hanc ordinet, ut quantum ad hanc partem attinet, animo deinceps quieto esse possimus, ac nobis etiam deinde significet quid effecerit, et praecipue quisnam exitus fuerit illius quaestionis de usura quincunce siue quinque pro centum, ac num ea seruentur, quae Romae decreta fuerant" ex

quae Reuerentia V. proponit libenter uidi eius zelum, et cognoui quantopere cordi habeat Societatis nostrae profectus, quam ego curam ac studium in omnibus nostris uehementer desiderarem. Jtaque quod primo remedium petebat ad dissolutiones recreationis[1], id quidem facile et promptum est primum in Superioribus si in ea quoque parte, ut est non leuis momenti[a] satis uigilabunt, deinde in subditis ipsis, si uidelicet orationi et rebus interioribus ita dediti fuerint quemadmodum oportet · nam ut Reuerentia V. notauit grauitas cordis non fert uerborum leuitatem. Laxioribus autem et liberioribus ingenijs succurrendi illa uel praecipua, ac facillima uia est, ut praepositi prouinciales officio suo circa[b] eiusmodi homines fungantur[c] tum per se in uisitationibus, tum per Rectores, et praefectos rerum spiritualium, quos utique[d] hac de causa bonos ipsos, et prudentes, et bene uersatos in huiusmodi rebus esse oporteret. De ratione reddenda conscientiae satis uidetur prospectum hac instructione quae nuper in regulas inserta est[2], praesertim si superiores eam et in exhortationibus[e] quantum opus est explicabunt, et in praxim etiam deduci curabunt. Non enim ualet argumentum ut quoniam[f] bis in anno Prouinciali se manifestaturi sint[g], propterea toto anno superioribus immediatis occulti esse debeant: neque hunc sensum hactenus audire contigit ex ulla alia prouincia. Spero autem ne in ista quidem communem esse; sed si esset, libenter sciremus, ut de remedio cogitare possemus. Postremo quod addit de uita P. N. Jgnatii sanctae memoriae, ea quidem nobis curae est, ac fortasse breui unam quae iussu P. N. Euerardi meliore stylo, ac nonnullis[h] etiam rebus additis composita fuerat, edi curabimus quam Reuerentiae V. et alijs consolationi fore speramus[3]. Quare non restat mihi aliud quod scribam nisi ut me Reuerentiae V. precibus et sanctis sacrificijs ex animo commendem, ut in eo quoque[i] Reuerentia V. singularem illam[k] caritatem erga me exerceat quam ex omnibus eius litteris cum mea magna consolatione semper cognoui. Romae 13 Maij 1583.

Quae Aquaviva in his litteris Canisio de 5 % scribit, illustrantur *epistula a *Badero* provinciali Augusta 29. Aprilis 1583 ad Aquavivam data. „De vsura quincunce", inquit ille, „communicauit nobis R. P. Visitator Tractatum quendam Romae a

a) *Sequitur* magis, *oblitt.* b) *Sequitur* eos, *oblitt.* c) *Sequitur* per, *oblitt.* d) *Tria vv. sqq. supra versum scripta sunt.* e) *Sequitur* quantum *vel simile v., oblitt.* f) *Sequitur* tantum post, *oblitt.* g) *Sic in comm. correctum est ex* manifestare debeant. h) *Corr. ex* multis. i) *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.* k) *Hic vv.* Reuerentia V. *supra versum scripta, sed postea oblitterata sunt.*

commentario: G. Sup. 1 f. 85[a]). Quid a. 1581 Romae de 5 % decretum sit, v. supra p. 64—66.

[1] „A prandio, et a coena hora vna, diebus autem ueneris post collationem vespertinam dimidia recreationi religiose impendatur, idque in vno loco, si commode fieri poterit": Regulae Rectoris, n. 54 (*Regulae* etc. 91).

[2] „Instructio ad reddendam conscientiae rationem iuxta morem Societatis": „*Regulae* Societatis Jesu. Romae, In Collegio eiusdem Societatis. MDLXXXII." p. 33—36.

[3] „DE VITA ET | MORIB. IGNATII | LOIOLAE | QVI SOCIETATEM IESV FVNDAVIT. LIBRI III. | *Auctore Ioanne Petro Maffeio, presbytero* | *Societatis eius-*

doctoribus confectum [1]. Verum noluit eum nomine R. P. V. publicari aut tanquam ab ea approbatum ab omnibus seruari: quamquam dixerit, omnes posse tuto eum sequi. Qua libertate proposita, non omnium fuit eadem de eo sententia. Jam uero V. R. P. voluntate intellecta, scripsi duobus collegijs, ut quicquid in eo difficultatis tam quoad speculationem quam quoad praxim occurrit, ad me scribant · qua de re quod effectum fuerit ad R. V. P. mox scribam" (ex autogr.: Germ. 161 f. 104$_b$). Ad haec *Aquarira* Roma 1. Iunii 1583 *rescripsit: „Quod attinet ad quaestionem de usura quincunce, ea quidem ut Reuerentia V. nouit perquam diligenter, et mature a pluribus doctoribus hic agitata, et tractata est, et cum a Pontifice etiam deinde quantum ad praecipuum caput definita sit, non uidere possum rationem cur istic ab omnibus recipi, et probari non debeat. Quare superfluum pene existimaui quod Reuerentia V. dicebat se ad nostros scripturam, ut si quas habeant in eo difficultates ad se referant: non enim ullae difficultates eius quod ita definitum est exequutionem impedire debent, idque Reuerentiam V. omnino curare uelim, ut tandem hac in parte conformitas aliqua inter nostros appareat, maxime cum nulla noua dubitatio afferri possit, quae non antea prouisa, ac prolata, et suo pondere aestimata sit" (ex comment.: G. Sup. 1 f. 93^b—94^a).

2171. CANISIUS **GERARDO, OTTONI, GISBERTO KANISS** fratribus suis [2]. Friburgo Helvetiorum 16. Iunii 1583.

Ex apographo (2°; pp. 3) saeculo XVI exeunte vel saeculo XVII in Neerlandia scripto; in initio et in fine apographi manu librarii scriptum est „Copia" [a]. Epistulae partem ex eodem apographo edidit *L. van Miert* S. J., Canisiana VIII, in „De Studiën" D. LXXV 716—717. Integra epistula — nescio ex quo fonte — gallice versa est in „*Collection* de Précis historiques" XXV, Bruxelles 1876, 81—84; ubi tamen perperam annus 1585 ei ascriptus est.

Laudat eos, quod exsulare et rei familiaris detrimenta facere quam a religione catholica deficere malint. Eos in fide confirmat. Novatores Christi in eucharistia praesentiam negare, praepositis ecclesiasticis non oboedire, Patrum, doctorum, conciliorum auctoritatem spernere, novas caerimonias inducere, in doctrina inconstantes et discordes esse, haereticos veteres sequi, ex sedicionibus et superbia ortos esse, morum disciplinam evertere. Fratres exemplis Sanctorum et spe praemii caelestis solatur.

†

Jesu Christi vnsers Lieben Herren gnad, frid vnd trost allzeit zuvor, ihr meine geliebte Brudern.

Es schreibt der Apostel .S. Joannes, sein hochste Freud sey in dem, das er von seinen geistlichen Kindern vernehme, wie sie in der warheit wandlen [3], Also halt ichs auch für große sonder-

a) *Si quis cum Canisii litteris ad fratres datis, quae autographae supersunt, apographum hoc contulerit, videbit, librarium, linguae Germaniae superioris parum peritum, in epistula transcribenda liberiorem nonnumquam fuisse. Ego tamen in eo corrigendo parcior quam nimius esse malui. Neque enim ita facile definiri potest, qualis ea aetate lingua Germaniae superioris fuerit vel quomodo Canisius eam scripserit.*

dem. | *EX AVCTORITATE SVPERIORVM.* | ROMAE, | Apud Franciscum Zanettum. | M.D.LXXXV." 4°, pp. sign. 200, non sign. 4 in initio et 12 in fine. Opus ab auctore Aquavivae ipsi dedicatum. Quam editionem deinceps fere 25 aliae secutae sunt (*C. Sommervogel* S. J., Bibliothèque de la Compagnie de Jésus V, Bruxelles-Paris 1894, 296—297; IX, Paris-Bruxelles 1900, 627).

[1] Vide supra p. 64—66.

[2] Gerardus et Gisbertus Noviomago, Otto Arnhemio exsulare propter suam in fide catholica constantiam et in legitimum principem fidelitatem a Calvinianis rebellibus, qui eas civitates occuparant, coacti erant; cf. supra p. 97[1].

[3] 2 Io 4.

liche hertzliche Freude, danck auch billig darumb dem almechtigen Gott, das ihr zur diser zeit deß grossen abfals in der erkanten Christenlichen vnd Catholischen warheit der maßen wandlet, das ewer glaub vnd gedult auch beij den frembden gherhumbt [1], vnd ewere dapffere bestendigkeit weit zu Gottes loff außgebreitet wirdt [2]. Derhaluen gleich wie .S. Paulus für seine frommen Thessalonicenser Gott gebetten, also bitte ich von Hertzen, der selbig Gott wolle an euch sein werck erfüllen, vnd euch seiner beruffung wirdig machen, Do mit ye lenger, ye mehr sein nam, krafft vnd macht, sein gnad vnd geist an euch vnd an die eweren geheiliget vnd erkleret werde [3]. Biß hie her habt [a] ihr den waren alten Catholischen vnd allein seligmachenden glauben im Hertzen getragen: itzunder, ist die zeit den selbigen nit allein mit dem mundt, sonder auch mit dem werck vnd warheit offentlich zu bekennen-, Jhr saßet zu Nimmegen in guiten Frieden, da het ihr freudt vnd lusten mit den freundten vnd nachtbawren, war auch dar beij kleine sorg vnd frocht [?] [b] von wegen der zeittlichen narung: Ja wir ließen vns beduncken, es wurde vns vnd den vnsern, am gelt vnd gut nimmer mangelen, Nun kompt aber der ewig Gott, vnd wolle euch, wie den grossen Vatter Abraham, probieren vnd versuchen in dem glauben vnd gehorsam, Dem nach mußt der gewaltig vnd reiche Patriarche sein liebe vatterlandt verlassen, auch [?] [c] seiner Freuntschafft in die Frembde reijsen [4], Ja auch seinen enigen son Jsaac Gott auffopfferen [5], Wir hetten die alten netzen zu lieb [6], suchte das zeittlig zu vil, wolten mit Christo essen, trincken vnd frolocken, aber nit mit ihm das Creutz tragen vnd vnß selbs verleugnen [7], Sihet wie es dan Gott so wunderbarlich schicket, vnd auß sonderlicher lieb euch erwelet, daß ihr seinen bittern kelch schmecket [8], seinen glauben mit ewerem zeitlichen schaden, vnd ewigen gewin bekennet, in der ellend vmb seinet willen lebet, auch als recht Catholische bestendige Christen von der newen verkerten welt veracht, verfolget vnd belaidigt werdet, Das thut ia wee der natur vnd sinligkeit, darumb dan so wenig durch disen engen schmalen weg [9] wandlen wollen: der groß hauff aber bleibt sorgloß, liebet vnd suchet das zeittlich mehr dan das geistlich vnd ewig, bekennet Christum wie der Nicodemus [10], verleugnet ihn bey der verfolgung wie Petrus [11], hoffet Gott vnd der welt mit ein anderen zu gefallen, wie es dan der alt welt brauch ist, vnd Christus in dem Euangelio vom Samen anzeiget [12].

a) hab *apogr.* b) *Sic; sed legendum esse dixeris:* forcht. c) *Sic; corrigendum tamen esse videtur:* auß.

[1] Cf. Rom 1, 8. [2] Vide *Can.* VII 506 563 et supra p. 97[1].
[3] 2 Thess 1, 11 12. [4] Cf. Gn 12, 1–4. [5] Cf. Gn 22, 1–18; 1 Mach 2, 52.
[6] Cf. Mt 4, 21 22; Mc 1, 18 20; Lc 5, 11. [7] Mt 16, 24; Lc 9, 23.
[8] Cf. Mt 20, 22 23; 26, 39 42; Mc 10 38 39 etc. [9] Mt 7, 14.
[10] Cf. Io 3, 1 2.
[11] Cf. Mt 26, 69–74; Mc 14, 66–71; Lc 22, 55–61; Io 18, 25–27.
[12] Cf. Lc 8, 13; Mt 13, 21.

Selig seind, welche nit wie ein Rhur auff dem weld, sich vmbweijen vnd verfuiren lassen[1], sonder mit den H. Joanne, als ein feste mawr[2], in rechter bekantnuß verharren[3], vnd darumb in der verfolgung lieber alles thun vnd leiden, als dat sie den newen vnbestendigen verkerten secten anhangen, vnd beywohnen wollen,

Wann sie nu aber fragete, warumb ihr Lieber dar außen in der armut sterben, dan beij innen in freuden vnd lusten leben ghedenckt vnd begeret, so mocht ihr also antworten, Es ist Christi befelch, das ein ijder so nijt ewiglich verloren sein weill, daß aug, welches im argnuß gibt und bringt, außreijse, und von ihm werffe[4], Nun kan ein rechter Catholischer beij den newen Sectischen nit wohnen, er nehme vilerleij ergernuß vnd schaden an seiner armen Seelen, welche allein fur alle schetze der welt zu achten ist[5], Wer soll sich nit dar an ergeren, das sie ihre verfelschste predig fur das lauter wort Gottes dem einfeltigen volh verkauffen, wan sie schon die helle klare wort Christi in dem letzten Abendmal[a] gesprochen, verkeren vnd von dem heiligsten Fronleichnam dess Herren, nur ein figur, zaichen oder beckenbrott machen? Wer soll sich nit darob ergeren, das si wider die auß gedruckte geschriff, mehr auff den glauben, dann auff die Christliche Lieb vnd gehorsam weijsen vnd dringhen?[6] Wer soll sich nit ergern, das sie wider Gottes wort alle geisteliche oberigkeit, authoritet vnd gewalt abthun vnd verwerffen, ia das sie sich selbs in die geisteliche empter vnd guiter eintrincken, auch sich fur vnd vber die alte bewerte heiligge Doctores, Vetter, Bischoff, Prelaten vnd Concilia setzen vnd iudicieren? Wer soll sich nit ergeren, das sie eben wie vor zijten die auffrurigen Dathan vnd Abiron sich von der Kirchen Gottes absonderen[7], ein newe synagoga vnd Gottes Dienst nach ihrem gefallen anrichten, auch darbeij ihre selsame newerdichte, zugeflichte, vnbestendige gebreuche vnd Ceremonien ein vnd absetzen, vnd nach ihrer eigen sinnigkeit verenderen? Wer soll sich nit ergeren, das sie wollen so ganß rein vnd Euangelisch ghehalten sein, vnd nimmer beij einer bestendiger, gegrundter confession, lehr vnd religion bleiben kundten, Ja einer von den Sectenmaistern verdampt den anderen, schreiben so hefftig wider ein anderen, die zuinglianer wider die Lutherischen, vnd dise[b] wider die Schwenckfeldische, die Caluinisten wider die Brentianern, die newen wider die alte Confessionisten? Wer soll sich nit darob ergeren, das alle newe Lehrer mit den alten, vnd vor tausent Jaren verdampten irthumben den armen gemeinen man so iemmerlich verblenden vnd verfuren. Jhr newes Euangelium haben sie gelehrnet

a) Abelmal *apogr* b) diser *apogr.*

[1] Cf. Mt 11, 7; Lc 7, 24. [2] Cf. Ier 15, 20; Ez 4, 3.
[3] Joannem Baptistam significat; cf. Mt 11, 2—12; 14, 3—11; Mc 6, 17—28 etc.
[4] Mt 5, 29; 18, 9; Mc 9, 46. [5] Cf. Mt 16, 26.
[6] Cf. Mt 7, 21; Lc 6, 46—49; Rom 2, 13; 1 Cor 13, 1—13; Iac 2, 14—26 etc.
[7] Cf. Nm 16, 1—33; 26, 9—10.

von dem Ertzketzer Simone Mago, in dem sie sagen der mensch habe keinen freijen wyll[1], Sie folgen den Gottlosen Eunomianern[?][a] und AEtianer[?][b], dweil sie allein den glauben zur seligkeit nottturfftig erforderen[2], Sie haltens mit den argen Vigilantianern vnd Eustathianern[c], do mit sie den lieben Heiligen Gottes ihre geburliche ehr abschneiden vnd entziehen[3]. Der verfluchte Arius sampt seinen heilosen hauff, hat si gelehrt, das sie nichts annehme wollen, es seij in der bibel geschrieben[4], ob schon Paulus vns weiset auff der kirchen ordnung vnd satzungen[5], vnd Christus die kirche vnd ihre diener, an seine stat wolle gehort vnd geehret haben[6], Wer soll sich nit ergern, das dise newen Christen wollen vns Catholischen mit ghewalt zwingen nit freij zu glauben, sonder ihre falsche glossen vnd newe phantaseijen fur das wort Gottes an zu nehmen, auch ihre Sacrament zu gebrauchen, ob sie schon kein gewalt haben ein Sacrament zu handlen vnd zu wandlen? wer wolt sych dan auch nit ergeren, der sein funff sinn hat, vnd recht bedenckt den anfang, den lauff, vnd das end diser newen Christen?

a) *Fortasse Canisius scripsit* Antinomianern*; v. infra, adnot. 2.* b) *Probabile est, Canisium scripsisse vel scribere voluisse* AErianer *v. infra, adnot. 2.* c) Eustachianern *apogr.; v. infra, adnot. 3.*

[1] Simonem Magum planis verbis hoc docuisse fortasse certo demonstrari nequit: deduci tamen dixeris hanc doctrinam ex toto contextu atque complexu errorum eius (in quibus enarrandis Patres non ita plene inter se conveniunt). *Canisius* in libro quoque de S. Ioanne Baptista, quem recognitum hoc ipso anno edidit, „novatores“ dicit discipulos esse Simonis Magi, „primi et pessimi haeresiarchae“ (Commentariorum de Verbi Dei corruptelis Tom. I, Ingolstadii 1583, l. 1, c. 5, p. 57). Ad quod probandum verba profert *Theodoreti Cyrensis,* scribentis: Iubebat ille discipulos „bono esse animo, nec legis minas pertimescere, sed tanquam liberos, ea quae vellent factitare. Non enim per bonas actiones, sed per gratiam eos salutem consecuturos esse“ (cf. Theodoreti Haereticarum Fabularum Compendium l. 1, c. 1: *Migne,* P. gr. LXXXIII 346).

[2] Mirum est, hoc attribui Eunomianis et Aetianis. Horum certe praecipuus error in eo erat, quod Christum Patri dissimilem esse affirmabant, id quod ne Semiariani quidem asserere audebant. Aeriani vero eos perperam agere dicebant, qui precationes stipemque Deo pro mortuis offerrent et ieiunia ex praecepto servarent. Horum similes esse Lutheranos ait *Canisius* in opere, quod supra (adnot. 1) dixi (l. 1, c. 4, p. 40). Antinomismus porro ulla lege evangelica Christianos teneri negabat. Fortasse igitur Canisius ipse scripsit vel scribere voluit „Antinomianer“ et „Aerianer“.

[3] Vigilantius a S. Hieronymo vehementer reprehendebatur, quod cultum Sanctorum et reliquiarum sacrarum reiceret. Eustathiani cultum martyrum improbabant.

[4] In opere, quod supra dixi (l. 1, c. 11, p. 154) *Canisius,* ut ostendat, Arium „praeter Scripturas expressas nihil admittere“, narrat Maximinum episcopum arianum, cum congressurus esset cum Augustino, hanc ei disputandi legem praescripsisse: „Si quid de diuinis Scripturis protuleris, quod commune est cum omnibus, necesse est vt audiamus. Hae vero voces, quae extra Scripturam sunt, nullo casu a nobis suscipiuntur.“ Deprompta sunt haec ex *Augustini* „Collatione cum Maximino“ n. 1 (*Migne,* P. lat. XLII 710). Constat etiam, Arianos saepe conquestos esse, quod synodus nicaena ad doctrinam de Christo stabiliendam verbis usa esset, quae in Scriptura non exstarent (*J. v. Hefele,* Conciliengeschichte I², Freiburg i. Br. 1873, 307).

[5] Cf. Act 15, 41; 16, 4; 1 Cor 11, 2; 14, 37; 2 Thess 2, 14.

[6] Cf. Mt 10, 40; 18, 17; Lc 10, 16.

Der anfang ist gemeinlich auffrur, vngehorsam, stoltz, gewalt vnd vermessenheit, sie wollen in der Schrijfft allein witzig vnd gelehrt sein, kundten auch mit dem Satan disputieren vnd sagen, Es ist also geschrieben[1]. Das mittel vnd der lauff der itz schwebenden Secten steht in freijheit des fleisches, dweil sie weder auff Gottes noch[a] der kirchen gebott vil halten, Dan Gottes gebott sein ihnen vns vnmoglich, und durch dem glauben wollen sie allein gerecht vnd selig werden, was ist dan das end der newen verkerten religion anders, dann das sie ausserthal[b] [?] der eijnigen Arch Gottes haben vnd machen ein Babilonische vnordnung vnd confusion bey allen Stenden, vermehren die grewliche Rotten vnd Secten, ia die schendtlich verwustung aller Gottseligkeit vnd alter[c] [?] ehrberigkeit, verursachen die verderbliche zerstorung der alter Christenlichen Disciplin, Policeij vnd zuchten, so die gantze Christenheit biß hie herr angenommen vnd fridlich gehalten? Was bedarffs aber lengher außfurung? es sey gnug, das ich mit dem heiligen Paulo beschließe vnd sage, Jch bitte euch lieben bruder, Das ihr auff sehet auff die, so da zertrenung vnd ergernuß an richten wider die lehre, die ihr gelernt habt, vnd weichet von den selben[2], Ja so iemand euch prediget anders denn ihr (in der Catholischen kirchen) empfanget habt[d], der seij in Bann[3], vnd an eijnem anderen ort gebiet diser Apostel, das ihr euch entziehet vom ein iegelichen bruder, der da wandlet wider die ordnung, vnd nit nach Christlichen vnd kirchischen satzungen vnd vbungen[4], wehen den armen verfurten leuten, welche allein umb das zeittlig gut, ihre seelen verderben lassen, dweil sie das verfelsche wort Gottes horen, kein rechtes Sacrament, kein hailsamen Gotts dienst finden mogen, ausserthalb der Catholischen kirchen, dar innen allein vergebung der sund, Christi verdienst, vnd des H. Geists gnad zum ewigen leben erlangt werden von den gehorsamen Christglaubigen, Der gutig, milte vnd getrewe Vatter in Heijmmel lebet noch, vnd seiner verheissung nach, wirdt er euch sampt den eweren nit verlassen[e], ob ihr schon lebet vnd wonet beij den fremden, vnd in dem ellend. Solches leben haben auch mit großen lob gefuirt die edle vnd herrliche patriarchen[5], Das außerwelt volck[f] Gottes muß auß Egipten fliehen, vnd durch die wusten reijsen zu dem rechten Vatterlandt, Weychet auß der Sundtfluß[6], folget Gottes beruiffung, vnd dem heiligen Engel, der euch, als den frommen Loth, sampt den seinen, von den feinden Gottes wil absunderen[7], Trostet

a) noch noch *apogr.* b) *Corrigendum esse videtur:* ausserthalb; *sic certe aliquanto inferius scriptum est.* c) *Sic; legendumne* aller? d) hab *apogr.* e) verlasset *apogr.* f) wolck *apogr.*

[1] Mt 4, 6; Lc 4, 10. [2] Rom 16, 17. [3] Gal 1, 8. [4] 2 Thess 3, 6.
[5] Ita Abraham (Gn 12, 1–10 etc.), Isaak (Gn 26, 1–6), Iacob (Gn 27, 42–46; 28, 1–6; 47, 1–6), Ioseph (Gn 39, 1).
[6] Diluvium significat: cf. Mt 24, 38–39; Lc 17, 26–27.
[7] Cf. Gn 19, 15–22.

euch sampt den heiligsten Eheluten Maria vnd Joseph, in dem ellend, dweil Christus beij euch ist, vnd bleibet, auch fur euch wachet vnd sorget, wie grausam der Herodes tobet vnd wutet[1], Jch setze aber, das ein Creutz vber das ander komme, das weib, kijndern vnd freundt sterben, vnd allerleij trubsal, anxt vnd nott euch vberfallen, Eij lieben brudern, dweil euch Gott liebet, so musset ihr von im haimgesuicht vnd gezuchtiget werden[2]: Dancket ihm, das er euch wirdig machet dises kampffs, dar auff die edele vnd kostbare kron deß ewigen lebens[3] erfolgen wirdt, haben wijr nijt etwas bitters vnd schwerlichers zu leiden, vor langes verdienet? seind die waren freundt Christi nit vor vns mit dem Creutz gangen? war nit alle ihr freud im leijden vnd sterben? Wehe den gluckseligen weltkindern, welche mit dem reijchen Man[4] ihren trost, luste, freud, vnd frieden, ia auch ihren Paradiß auff erden haben, Nos filij sanctorum sumus[5], wir haben hie keine bliuende statt[6], sein[a] nur fremdling[7], haben vns nur zu trosten vnd zu verlassen auff das zukunfftighe und ewighe Vatterlandt, so Christus den bestendigen und gedultigen Catholischen so theur erkaufft vnd verheißen hat. Der Vatter vnd Gott alles trostens[8] erhalte vnd stercke vns im waren glauben, vermehr vns auch in dem Creutz gedult, vnd frijmutigkeit also, das wir alles von seiner vatterlichen handt danckbarlich annehme, er schickke vns zu, was er wolle, hije mit seijet alle dem Gottlichen segen befolhen: haltet euch eintrechtig, fridsam, trewhertig, mitleijdend vnd freundtlich gegen en anderen, grusset mijr auch Egidiam, vnsere liebe schwester[9], sampt alle anderen freundten vnd blutuerwandten, Dominus uobiscum[10]. Datum zu Friburg am .16. Junij 1583.

Ewer eltister bruder petrus Canisius
manu propria.

Den Ehrsamen Namhafften Gerardo, Otthoni vnd Gisberto Kanis, meinen in sonderen lieben freundtlichen brudern vnd burgern zu Nimmegen

zu eighen Handen.

Franciscus Haraeus Noviomagi a. 1585 quindecim ex catholicis de comite Nuenario eiusque praesidiariis calvinianis urbe eiciendis consilium inisse eorumque conatus prospere successisse narrat illosque quindecim singulatim nominat; in quibus comparet etiam „Canisius": Annales Ducum seu Principum Brabantiae totiusque Belgii T. III, Antverpiae 1623, 375—376.

a) sic *apogr.; cf. Can. VI 395.*

[1] Cf. Mt 2, 13—23.
[2] Cf. Tob 12, 13; Prv 3, 12; Hebr 12, 6; Apc 3, 19.
[3] Iac 1, 12; Apc 2, 10. Cf. 1 Cor 9, 25; 2 Tim 7, 8.
[4] Cf. Lc 16, 19—25. [5] Tob 2, 18. [6] Hebr 13, 14.
[7] 1 Par 29, 15; Ps 38, 13; cf. 1 Petr 2, 11. [8] 2 Cor 1, 3.
[9] Haec a. 1560, si non ante, Theodoro van Rijswijk († 1592), qui Noviomagi unus ex „scabinis" erat, nupserat († 1598). Cf. Can. V 335; VI 425.
[10] 2 Par 15, 2.

2172. CANISIUS **GISBERTO KANISS** fratri.

Friburgo Helvetiorum 16. Iunii 1583.

Ex apographo saeculo XIX., ut videtur (vel exeunte XVIII.), scripto et manu librarii sic inscripto: „Copie van een brief van Petrus Canisius warvaan het Originaal benevens het Protrait zich bevind by de familie de Nerée van Babberich ten Huize Babberich by Zevenaar“. Alterum apographum ex eodem illo exemplo babbericensi (quod non archetypum, sed saeculo XVII. vel XVIII. in Neerlandia ex archetypo exscriptum est) exscriptum est circa a. 1921 a R. P. *Victore Spaure* S. J. Epistula ex babbericensi illo exemplo primum vulgata est a *N. C. Kist* (qui illud censebat esse autographum) in „Archief voor Kerkelijke Geschiedenis, inzonderheid van Nederland“, verz. door *N. C. Kist* en *H. J. Royaards*, XV. D., Leiden 1844, 365—368. Epistulam item typis exscripsit *H. J. Allard* S. J., Leven van den gelukzaligen Petrus Canisius S. J. door Pater E. Seguin S. J., Nijmegen [1897], 265—268. Eius partem posuit *L. van Miert* S. J., Canisiana, VIII, in „De Studiën“ D. LXXV, Nijmegen 1911, 8—9. Gallice reddita est epistula in „*Collection* de Précis historiques. 1864. XIII[e] Année“, Bruxelles-Paris 1864, 551—553 (ubi haud recte dicitur, exemplum babbericense esse Canisii autographum et iam primum typis exscribi). Ex „Précis“ eam transcripsit *Alet* 277—281. Eius partes varias linguae germanicae nostri temporis accommodatas posuit *Riess* l. c. 500—501.

Antiquus ille librarius, qui litteras hasce transcripsit, linguae Germaniae superioris, qua Canisius in iis scribendis usus est, ignarus fuisse videtur; certe multa earum verba ad sermonem Germaniae inferioris vel Neerlandiae accommodavit. Inter duos illos librarios recentiores et Kistium bene quidem, quod ad res ipsas attinet, convenit. In verborum vero scriptione illi saepe inter se discrepant, ita tamen, ut hae variationes admodum parvi sint momenti; quare hanc editionem iis onerare nolui. Secutus sum apographum, quod primo loco posui; illud tamen, ubi ita expedire censebam, ex altero apographo et ex Kistio emendavi.

Fratrem uxoris morte afflictum monet, ne tristitiae nimis indulgeat, sed Dei voluntati obtemperet. Uxor in vera maiorum fide mortua atque ita multis periculis subtracta est. Deus Gisberto liberisque providebit, dummodo ipsi exemplo Tobiae Deo fidem servent neve „novum mundum“ curent, nil nisi sua sensa sequentem.

†

Jesu Christi unsers liebsten Herren genad und frid bewar uns am lieb und seele lieber getrewer bruder Gisbert.

Jch hab newlich vernommen, wie Gott der allmechtig ewer haußfraw auß disem jammerthal erfordert hat [1]; deshalben ihr nit wenich trawren und euch bekummeren sollet. Und wiewol es ja natürlich ist, das ein guter freund den anderen ungern verliret, das auch der große Vatter Abraham seine abgestorbene ehfraw Saram beweinet und beklaget [2], yedoch stehe es den frommen rechten Christen übel an, das sie ihre freundt und haußgenossen nach ihrem leiblichen todt über die maßen und unbescheidelich beklagen und beweinen sollen; sollichen unchristlichen ia heidenischen brauch straffet der heiliger Apostel Paulus öffentlich und ermanet die Christglaubigen, das sie ihrer lieben frund todlichen abgang nur für ein schlaff achten und halten sollen [3]. Warumb wolte dan ihr so fast in disem fall bekummert sein? Was

[1] Lutgardis Melen, Gisberti uxor, iam m. Novembri a. 1581 in mortis discrimine versabatur (*L. van Miert* l. c. LXXV 718).

[2] Cf. Gn 23, 2. [3] Cf. 1 Thess 4, 12—17.

bedarff es auß einem Creutz zwei machen? Kunnen und wollen wir dem gewissen befelch und urthail Gottes widersprechen? Mit solcher unordenlichen trawrigkeit kundet ihr euch am lieb und seelen beschedigen, keinen aber nutzen: es ist ja weder euch, noch der gestorbenen frawen damit geholffen, wan ihr schon tag und nacht ja durch das gantze jar weinet und heulet. Sie war euch lieb in ihre Leben. Gott aber und sein gottlicher wil und gesatz sol euch noch vil liber sein, dem selbigen seyet ihr Christenlichen gehorsam schuldich, er mache es mit unseren eltern, bruidern, schwestern, weiber unde kinder, nach seinen guiten gefallen, und keiner kan und sol ihm auch widerstreben. Bedenck liebe bruder wie S. Joan bezuget: selig die in dem Herren sterben[1], verstehe mit dem waren Catholischen und bewerten glauben, darinnen unsere frommen Gottseligen gehorsamen voreltern, Welt, flaisch, Teufel und alle pforten der hellen überwonden[2], und auff dem rechten felsen Christum[3] in der eynigheit und gehorsam der alden bestendigen Kirchen, die ware gerechtigheid gewircket und endlich die verheißene seligheit durch denselbigen Christum gewisselich erlanget haben. Jn solche unbefleckten Catholischen glauben, welche die heilige martyres Christi mit ihre vergossenen blut versiegelet haben, seind unsern ehrbaren elteren[4] und vorfaren bestendig blieben, darauff sie auch nach ihrem löblichen getrewen lauff, die Kron der gerechtigheit[5] empfangen haben. Derhalben habt ihr dan mher ursach euch zu erfrewen dan zu weinen, in bedenckung Gott hab sie, ewre hausvraw, auß diesem jammerthal beruifft und von der gottlosen welt abgesondert und auß gewisser gefhar und sundtfluus sie zu dem ewigen vatherlandt gefuiret, ehe das sie in ihren bewerten glauben irrig oder verfuiret wurde. Was nun die verlassenen kinder und hauß-sorge belanget, habt ihr ja nit zu zweifeln, der liebe getrewe Vatter werde auch für euch sorgen und wachen, seiner verhaisung na, auß seiner ewigen angeborenen genaden und guitem. Schauet nur, daß ihr ihm nit weniger als die vogeln[6] vertrawet, ohn alle kleinmutigheit: suchet zum ersten das geistlich und ewig, halt euch wie Loth mitten under den bösen auffrecht und unbeweglich[7], wan man vom alten bewerten weg euch wil abfuiren und meineidig machen. Lasset euch mehr das ewig als das zeittlich angelegen sein und gedencket offt wie sich der fromme alte Tobias in seiner gefangnuss und bey den unglaubigen feindt gehalten hadt: der hat ja den weg der erkanten warheit nit verlassen[8], er war in allen seinen wandel Gottsfrochtig, hausete mit großer fürsichtigheit, floch alle geselschafft der abtrünigen und falschen bruidern; hielt sich steiff bei dem alten tempel und Gottesdeinst zu Hierusalem,

[1] Apc 14, 31. [2] Mt 16, 18. [3] Cf. 1 Cor 10, 4; Mt 7, 25; Lc 6, 48.
[4] Horum nomina v. supra p. 100[7].
[5] 2 Tim 4, 7 8. [6] Cf. Mt 10, 29 31; Lc 12, 6 7.
[7] Cf. Gn 19, 1—29; 2 Petr 2, 7. [8] Tob 1, 2.

wolt nit wichen von der alten Kirchenordnung, laistete seine schuldige gehorsam gegen den obristen des tempels, in dem selben ehret Gott zu geburlicher zeit, lehrt auch die seinen im hauß Gott frochten, alle sund meyden[1], nach Gottes und der Kirchen gesatz leben und wandlen[2] Das was Tobie werck, und dweyl er von gantzen hertzen Gottes so trewlich eingedenck war, gab ihm Gott gnad[3] auch bey den feindt und gotlosen Hayden, wie die heilige Schryfft anzeiget. Es bedarff aber nit, das ich ferhner euch vermane und troste. Der ewig almechtig Gott mache uns würdig, das wir umb des Catholischen glaubens willen von der newen welt veracht und verfolget werden zu diser ellendig zeit, darinne gewalt mehr dan recht gilt, und schir ein yeder na seinen kopff von der Religion disputieret und zancket, ja sich über alle Doctores, Prelaten und Bisschöff vermesseglich setzet, judicieret, verbannet und verdammet. Das hat aber weder Christus noch Paulus gelehrt und vil weniger gethan und befolhen, ja es ist aller Christlichen und Apostolischen Ordnung zu wider, das ein yeder seine meinung, irthumb und sect vnder dem schein des gottlichen Worts schmucken und vertedigen, auch keine rechtsinnigen Richter und Obersten in glaubs sachen hören und dulden wil. Gott erberm sich uiber uns und das gansse vaderland, verliehe auch den altglaubigen die ware gedult und geburlichen eyfer, domit sie Gottes ehr und ihre Seelen hail, für alle lieb, furcht und pein der Welt freimutig setzen. Amen. Datum in Friburg am 16. Junij nach Christi geburt anno 1583.

Ewer eltester und getrewester bruder Doctor Petrus Canisius.

2173. CANISIUS **P. GEORGIO BADER S. J.** praeposito provinciali Germaniae superioris.

Friburgo Helvetiorum m. Iunio vel Iulio 1583.

Ex commentario litterarum Aquavivae. G. Sup. 1 f. 100ª.

Friburgensibus indulgendum, ut Socii die Corporis Christi processioni intersint.

Claudius Aquaviva Societatis praepositus generalis Roma 7. Septembris 1583 P. Georgio Bader praeposito provinciae Germaniae superioris ad litteras 15. Augusti 1583 ab eo sibi missas haec, praeter alia, respondit: „Vidimus scriptum P. Canisij de processione · a quo non ualde discrepat quod a nobis nuper decretum erat, quod puto iam Reuerentiam V. uidisse; et si quid discrepat, ut de pluuiali, id exiguum est nec putamus quicquam innouandum.“

Canisius Badero, non Aquavivae scripsisse videtur. Bader enim, ut videtur, scriptum illud Aquavivae misit. Sin autem Canisius Aquavivae ipsi scripsisset, litteras recta ad eum misisset, et Aquaviva ipsi Canisio aliquid respondisset.

Canisii scriptum iam non est praesto. Quid autem ille scripserit, colligitur ex *epistulis, quas *Bader* Lucerna 8. Iunii 1583, collegio huius urbis visitato, et Augusta 6. Iulii 1583, collegio friburgensi visitato, ad Aquavivam dedit. In priore epistula Bader haec narrat: „Quinto die Junij tabellarium cum literis ad me misit

[1] Tob 1, 10. [2] Cf. Tob 1, 11 12. [3] Tob 1, 13.

Lucernam Vicerector Friburgensis [1], eam solam ob causam ut ex me intelligeret quid in festo Corporis Christi de processione faciendum esset · addebat se cum suis conclusisse, ut discipuli ordine a praeceptoribus suis deducerentur, sicut alterius scholae pueri a suis; reliquos uero nostros, inter Clericos, pluuialibus etiam indutos ituros: nec aliter fieri posse propter superioris anni exemplum [2]. Respondi omnem mihi respondendi aditum praeclusum Can. 10. Congregationis 3ae quem, nulla inducta nouitate, seruare oporteat, donec V. R. P. de tota re edocta aliter statuat . . . [3] Vixdum tabellarius a me discesserat, cum allatae sunt V. R. P. optatissimae litterae 12. Maij datae [4] · quarum sententiam postridie per alium tabellarium illis perscripsi." Lucernenses autem Socii sic agunt: 1° Supplicationibus Rogationum intersunt discipuli cum praeceptoribus, et sequuntur Senatum, nullo certo ordine, sed turmatim, et quidem alijs permixti ciuibus sicut etiam alij e nostris. 2° In festo corporis Christi, discipuli bini et bini, clerum praecedunt · eosque, ut sint modestiores, a latere deducunt praeceptores · reliqui nostrj, cum ciuibus permixti . . . omnia dicuntur ab initio collegij, conscio et non repugnante P. Prouintiale [5] obseruata fuisse · putat autem Rector [6] omnia ad nutum nostrum mutari posse, absque aliqua graui offensione, quamuis aedificentur plurimum hac nostrorum diligentia." In posterioribus autem litteris de rebus friburgensibus *Bader* haec scribit: „Supplicationes publicas, praesertim eam quae in festo corporis Christi habetur, et alias cerimonias Ecclesiae solennes, ut quae in benedicendis Ramis, Candelis etc. exhiberi solent, satis importune plaerique, praesertim qui filios in nostris scholis habent, priuatis sermonibus urserunt · qui tamen iam pene conticuerunt · solus superest D. Praepositus [7], praecipuus fautor et patronus noster, qui adhuc instat, argumento sumpto a populi deuotione et aedificatione. Putant nostrj illum non parum confirmari a P. Canisio, qui omnibus modis in eam rem propendet. Hoc anno, a me ex V. R. P. literis pridie praemoniti, solos discipulos binos et binos miserunt · nostrorum iuit nemo, praeter P. Canisium qui pluuiali indutus, Sacerdotem Venerabile Sacramentum gestantem cum Praetore [8] deduxit, ut et superiore anno, me inscio factum est. Cupio intelligere quid in posterum faciendum sit. nostrj putant, sine graui scandalo fieri non posse, ut eant, nisi inter clerum, locum sibi assignandum teneant · cum tamen Lucernae sine cuiusquam offensione Senatum sequantur cum turba" (ex autographis; Germ. 161 f. 140a 157b). Ad duas hasce epistulas *Aquaviva* Roma 10. Augusti 1583 Badero respondit: „Quod quaerit

[1] P. Petrus Michael.

[2] Eo anno Canisius Sociorum friburgensium „superior" fuerat.

[3] „Processiones a Nostris deinceps ne fiant. Liberam tamen habeat Praepositus Generalis facultatem dispensandi circa eas retinendas et instituendas, ubi ad Dei gloriam et proximorum aedificationem (praesertim ubi usu receptae sunt, et maxime inter haereticos, et ubi conversioni infidelium opera datur) expedire viderit. Quod si Nostri ad publicas supplicationes procedere cogantur, superpelliceis utantur; ut, sicut in vestitu sequi debemus, ita etiam in huiusmodi processionibus communem honestorum clericorum habitum sequamur. De loco tamen et ordine procedendi statutum est relinquendum id esse arbitrio et dispositioni eorum, a quibus Nostri ad processionem vocantur" (*Institutum* Societatis Iesu II 539). Quomodo Gregorius XIII. Societatem „ab interessentia" processionum liberaverit, vide supra p. 30[1].

[4] Friburgo, inquit *Aquaviva*, „scribunt nostri urgeri se a ciuibus ad processiones una cum scholasticis nostris, idque exemplo Lucernensium · quod nobis ualde nouum fuit Lucernae fieri ac propterea si uerum est scire cuperemus quomodo introductum sit. . . . Interim . . . nihil in hac parte concedat Friburgensibus, cum potius cogitandum sit quomodo Lucernae, si tamen haec molestia suscepta est, ea liberemur (ex commentario; G. Sup. 1 f. 92b—93c).

[5] Paulo Hoffaeo. [6] P. Martinus Leubenstain.

[7] Petrus Schnewly, praepositus capituli S. Nicolai.

[8] Praetor sive „Schultheiss" a. 1583 erat Ioannes a Lanthen, dictus „Heid" (*Berthier*, Bonh. 217).

[Reuerentia V.] de processione Friburgensi, ut aliquid illi loco, et consuetudini concedamus, uisum est nobis posse eadem fieri quae Reuerentia V. scribebat fieri Lucernae [a]; quapropter quod amplius est tollendum erit, sed tamen cum suauitate, ita ut ciues doceantur non esse id instituti nostri, cum alia habeamus ministeria quibus deesse non possumus, nec debemus · ad quod etiam profuerit ut intelligant quidquid illud est quod conceditur, indulgentiam esse et dispensationem, ut aliqua ratio habeatur loci, et necessitatum eius. Oportebit etiam ante omnia hoc ipsum nostris persuaderi, ut bene atque efficaciter ipsi alijs persuadeant · itaque eos Reuerentia V. quantum oportebit capaces efficiet rationibus petitis ex instituto nostro, et modum etiam docebit quo id quam suauissime, ut dixi, et sine ciuitatis offensione effici possit" (ex comment.; G. Sup. 1 f. 96ᵇ).

2174. IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS, episcopus vercellensis, Gregorii XIII. apud caesarem nuntius, CANISIO.

Ensishemio (?) initio m. Septembris 1583.

Ex *Berthier,* Bonh. 122.

Bonhomius Ensishemio (Ensisheim in Alsatia) 8. Septembris 1583 Petro Schnewly praeposito friburgensi scripsit: „Ego de me aliqua ad Reverendum Patrem Canisium scripsi, quem tibi omnia communicaturum non dubitarim; idcirco eadem non repeto." Epistula haec periisse videtur.

Iacobus Christophorus Blarer episcopus basileensis Delsberga 9. Aprilis 1583 Bonhomio ad litteras Friburgo Brisgoviae 1. Aprilis 1583 ad se datas *respondens: „Litterae", inquit, „Reuerendissimae Dom. Vestrae [litteris] adiunctae, cum istis nouis Casimirianis, iam P. Canisio, uti petijt, transmissae sunt" (ex apographo eiusdem temp., quod est in Codice bernensi „Missiuae" etc., de quo supra p. 72, p. 687). Blarero Bonhomius scripserat, se ad ipsum venire voluisse, sed „multifariis Casimiri [Palatini, calviniani] insidiis a coepto itinere repulsum esse."

2175. CANISIUS **P. GEORGIO BADER S. J.,** praeposito provinciae Germaniae superioris.

Friburgo Helvetiorum circa finem m. Septembris 1583.

Ex commentariis epistularum Aquavivae. G. Sup. 1 f. 105ᵇ 110ᵇ.

De libris quibusdam P. Posserini iudicat.

Claudius Aquaviva praepositus generalis Societatis Iesu Roma 17. Novembris 1583 P. Georgio Bader provinciali Germaniae superioris ad eius epistolas 2., 20., 24. Octobris ad se datas haec, praeter alia, rescripsit: „Quod attinet ad libellos P. Posseuini, uidi iudicium P. Canisij, ac propterea uelim ut Reuerentia V. unum aut alterum eorum exemplum ad nos mittat, quo certius iudicare possimus quid a nobis fieri debeat: adhuc enim nullum ex eiusmodi opusculis legimus." Ipsi autem Canisio Aquaviva, ad eius litteras 22. Octobris 1583 datas respondens, Roma 9. Februarii 1584 sic scripsit: „De libris P. Posseuini quoniam istud Reuerentiae V. iudicium iam antea ex quibusdam P. Prouincialis litteris cognitum nobis erat, indicauimus omnino esse ipsummet Patrem admonendum; quod iam fecimus."

Bader iudicium hoc cum Aquaviva communicasse videtur 24. Octobris 1583: nam in epistulis 2. et 20. Octobris datis nullam eius facit mentionem; epistula vero diei 24. Octobris periit.

a) *Sequuntur ex.:* id est ut discipuli ordine cant. nostri autem, *oblitterata.*

P. *Antonius Possevinus* S. J. sub exeuntem a. 1582 denuo iuvandae religionis causa a Gregorio XIII. in terras septentrionales, et inprimis in Poloniam ad Stephanum Bathorium regem, missus, Monachio 27. Maii 1583 ad nuntium apostolicum Varsaviae degentem *scripsit: „Spedite qui le cose in questi tre giorni, anderò in Jngolstadio doue lasciando uno de' Padri miei compagni per attender' alla stampa di diuersi libri necessarij alle Prouincie, alle quali soglio andare, mi imbarcherò alla uolta di Vienna" (ex apogr. eiusd. temp.; Opp. N. N. 329 f. 154ᵇ—155ᵃ). *Bader* autem provincialis Augusta Vindelicorum 6. Iulii 1583 Aquavivam sic de Possevino *monuit: „Ex litteris" P. Bonaventurae Paradinas rectoris ingolstadiensis „intelligo ipsum Rectore et omnibus alijs inscijs, cum typographo [1] egisse, ut libellos quosdam in lucem sub ipsius inscriptione ederet, qui partim noui erant, partim superiore anno sub cuiusdam celebris Doctoris [2] nomine editi fuerant: ego ea turpitudine motus, praesertim cum in Austria, ubi iam est R. P. Visitator [3], et in prouincia Polonica, non desit praeli commoditas, scripsi Rectori, ut illos saltem qui sub alieno nomine iam antea prodierant, supprimeret; reliquos, si separari possint, et mali nihil contineant, et Societatis nomen possint sustinere, permittat transire, donec admonita V. R. P. quid fieri debeat rescribat. Qua in re si peccaui, non ueniam sed paenitentiam peto" (ex autogr.; Germ. 161 f. 157ᵇ—158ᵃ). Ad haec *Aquaviva* Roma 10. Augusti 1583 Badero *rescripsit: „Quod [R. V.] scribit de libro impresso a P. Possevino, primum quidem si scrupulum habet de impressione, id nihil est; nos enim ei licentiam dedimus generatim de huiusmodi utilibus libellis. Sin ob id mouetur quod alias alterius nomine editus sit, expediet ut Reuerentia V. ad ipsum met scribat, eumque amice moneat, non bene eam rem istic accipi: nam is ut est prudens difficultatem uti par est aestimabit" (ex comment.; G. Sup. 1 f. 97ᵃ). Neque tamen Bader eo responso acquievit. Propterea, ut videtur, Canisii iudicium de Possevini libellis exquisivit et Aquavivae misit. Postea ipsos quoque libellos misit. *Aquaviva* enim Roma 9. Februarii 1584 ei *scripsit: „Accepimus ternas Reuerentiae V. litteras datas 30 Novemb. 2.º et 7º Januarij, et cum ijs aliquot libros P. Posseuini" (ex comment.: G. Sup. 1 f. 110ᵃ).

Agebatur de quinque libellis Possevini. Ex his duo primum vulgati erant sine nomine Possevini atque ita, ut in titulo diceretur, eos „opera Nicolai Mylonii Theologi Germani" editos esse. Mylonius brigantinus (Bregenz), Romae in collegio germanico institutus, a. 1579 cum Possevino aliquamdiu in Suetia versatus, deinde Gedani (Danzig) parochus et episcopi vladislaviensis vicarius constitutus erat, ubi catholicis optimam operam praestabat (*Steinhuber* I² 347 357—358). En libros illos: 1. „Responsiones Ad Viri cuiusdam pij Septentrionalis [4] interrogationes; Qui de salutis aeternae comparandae ratione, ac de vera Ecclesia cupiebat institui" Vilnae 1581, et Ingolstadii (excudebat David Sartorius, 12º, ff. 72) 1582. 2. Davidis Chytraei Ludimagistri Rostochiensis imposturae, quas in oratione quadam inseruit, quam de statu Ecclesiarum, hoc tempore in Graecia, Asia, Africa, Ungaria, Boëmia, inscriptam edidit, et per Sueciam ac Daniam disseminari curavit. Addita est Epistola ad Serenissimum Stephanum, Poloniae Regem, in qua de vero statu Ecclesiarum per Universum Orbem Christianum verissime agitur . . . Cum licentia Superiorum." Ingolstadii, ex officina Davidis Sartorii 1582. 8º. De priore illo libello *Possevinus* ipse postea notavit: Possevini auctoris nomen in eo positum non esse, „quoniam negocium illud, de quo, Gregorij decimi tertij Pontificis Maximi nomine cum Ioanne Tertio, Suetiae Rege Antonius Posseuinus agebat, nondum expediebat, vt tunc ab omnibus sciretur; expediebat autem vt aduersus haereticos, qui oblatrabant, illud scriptum prodiret" (Apparatus II, 153). Agebat autem Possevinus de rege regnoque Sueciae ad fidem catholicam reducendis (cf. *Can.* VII 212 800—802). Hic igitur liber a. 1583 Ingolstadii ex typographia „Wolfgangi Ederi" prodiit magnopere auctus: „*Antonii Possevini* de Societate Iesv: Responsiones ad nobilissimi viri Septentrionalis inter-

[1] Wolfgango Eder. [2] Nicolai Mylonii. [3] Oliverius Manareus.
[4] Ioannes III. Sueciae rex significari videtur.

rogationes: Qui *[etc., ut supra]*. Additus est modus, quo verbum Dei et, Patrum libri legendi, ac legitima Concilia, ab illegitimis discernenda sunt. Catalogus item Autorum, qui aduersus haereses adhibendi sunt. Opera Nicolai Mylonii in lucem edita". 8°; pp. 126. Ex eadem typographia eodem a. 1583 prodiit opusculum adversus Chytraeum, idque sic inscriptum: „*Antonii Posserini* de Societate Iesv adversvs Davidis Chytraei Haeretici imposturas, quas *[etc., ut supra]*. Opera Nicolai Mylonii Theologi Germani in lucem edita." Cum litteris dedicatoriis ad Ioannem III. Sueciae regem. 16°, 105 pp. Praeterea ex eadem typographia eodem anno in lucem emissi sunt hi libri: 3. „Interrogationes et Responsiones de Processione Spiritvs Sancti a Patre et Filio: Desumptae, ac breuiore et dilucidiore ordine digestae, ex libro Gennadii Scholarii Patriarchae Constantinopolitani[1]: ab *Antonio Posserino* de Societate Iesv: In gratiam et vtilitatem Ruthenorum". 16°, pp. 57. Libellus hic iam antea, sine nomine tamen Possevini et sine anno, editus erat Vilnae. 4. „*Antonii Posserini* de Societate Iesv Epistola de necessitate, vtilitate, ac ratione docendi Catholici Catechismi." Cum Canisii Catechismo parvo. De hoc libro plura dicentur infra, mon. 1315. 5. *Antonii Posserini*, de Societate Iesv, Epistola ad Stephanvm Primvm Poloniae Regem Serenissimum. Adversvs qvemdam Volanvm Haereticum Lituanum. Eivsdem *Antonii Posserini* Scriptvm Magno Moscoviae Dvci traditvm, cum Angli mercatores eidem obtulissent librum, quo Haereticus quidam ostendere conabatur Pontif. Maximum esse Antichristum." 16° pp. 91. „Scriptum" illud eodem anno cum Possevini nomine Nissae (Neisse, in Silesia) typis exscriptum est. Quae editio ingolstadiensem illam antecessisse videtur. Quid Aquaviva et Canisius de his libellis senserint, non plane constat. Vtrique aliquid vel in rebus ipsis vel in editionis ratione displicuisse ex verbis supra positis constat. Neque tamen id ita magni momenti fuerit. Certe Polanus hos commentarios aut omnes aut paene omnes postea denuo in lucem emisit (*Sommervogel* VI, 1066—1069).

2176. SANCTUS CAROLUS BORROMAEUS, cardinalis, archiepiscopus mediolanensis, CANISIO.

Mediolano (?) m. Septembri vel ineunte m. Octobri 1583.

Ex commentario sic inscripto: „Patri Petro Canisio", quod est Romae in bibliotheca vaticana, Cod. Barb. 5795 (antea bibliothecae barberinianae Cod. LXII. 55) f. 292ª—293ª. Epistula usus est *Sacchinus*, Can. 309. Eandem commemoraverunt *Agricola* II n. 784 et *Michel* 392.

Visitator Helvetiorum constitutus, Canisium de rebus ad altaria, absolutionem haereticorum, libros prohibitos, lacticinia spectantibus consulit.

Admodum Reuerende Pater. Paternitatis tuae caritas, rerumque omnium, que ad istarum Regionum spiritalem edificationem, spectant notitia, atque vsus, sunt in causa. Quare ego propter non nullam Haeluetiae gentis curam, mihi a Pontifice Maximo demandatam[2], et in presentia, et inposterum, litteris, eam compellare cogar. Quae in presentia, occurrunt sunt haec. Praepositus Ecclesiae Friburgensis[3], litteris mihi significavit, magnas isthic esse Altarium consecrandorum, propter diuturnam Episcoporum absentiam, difficultates[4], quare velim

[1] De hoc libro v. *Can.* VII 569.

[2] Gregorius XIII. litteris Roma 27. Novembris 1582 datis Carolum „visitatorem, reformatorem et delegatum" apud Helvetios et Grisones constituerat (*Mayer* I 192—193; *Pastor* IX 531).

[3] Petrus Schnewly, episcopi lausannensis vicarius generalis et capituli S. Nicolai praepositus.

[4] Iure canonico sancitum erat, ut altaria consecrarentur per episcopos (Decretum *Gratiani* c. 4 Dist. LXVIII; c. 25 Dist. 1 De cons.). Poterant autem episcopi

paternitatem tuam, mihi significare, quanam ratione, huic necessitati, succurri possit[a]. An ita, ut uel Lausanensis, Ordinarius[1] cuius id esset muneris, uel alius quispiam Episcopus istuc sese conferat ad eiusmodi officium praestandum, an vero ita, ut ad hos ipsos Episcopos, uel alium quempiam mittantur Lapides consecrandi[b]. Jtem [postulat potestatem sibi concedi][c] eos, qui in haeresim lapsi sunt, ad loci Decanum, uel ad proprium Parochum, pro personae, et rei qualitate remittendi, ut ab ijs absolvantur. Quia inquit nulla ratione hucusque ad eam disciplinam, qua in haeresi, seu alijs casibus reservatis, in Confessione deprehensi, remitti ad superiorem debeant, adigi potuerint[d].

Sebastianus Verro Ecclesiae Friburgensis Curatus, petit facultatem sibi concedi libros Haereticorum legendi, et absoluendi Poenitentes ab Haeresi, cum praesertim asserat, et patribus societatis graue esse quod soli fere sustineant hoc onus tempore Quadragennarij Jeiunij et ipsis etiam poenitentibus incommodum[2]. Jtemque totius Civitatis nomine, rogat, ut Lacticiniorum[e] esus, per totum Annum, etiam in Hebdomada sancta (quae in Raimundi Cardinalis litteris[3], excipitur), propter Regionis asperitatem, atque olei, mitiorumque fructuum inopiam, et communem consuetudinem Populorum, istis Gentibus concedatur[4].

A paternitate ergo tua peto, ut haec omnia capita diligenter expendat, et quam primum, quid expedire censeat ad me perscribat.

a) *Quae sequuntur, usque ad* Lapides consecrandi *incl., a librario textui inserta atque addita sunt. Primum autem similia alia manu (ipsius S. Caroli ?) in margine his verbis expressa erant:* An ut mittatur isthuc Episcopus aliquis, qui id munus obeat. An uero, ut ad episcopum aliquem potius mittatur multitudo aliqua altarium portatilium quae ab eo consecrentur. *Haec postea oblitterata sunt.* b) *Sequuntur vv.:* Jtem postulat, facultatem sibi prorrogari, uel in perpetuum concedi, potestatem Calices consecrandi, *oblitterata. In archetypis quoque litteris haec omissa esse videntur; neque enim Canisius in epistula, qua S. Carolo respondebat, huius potestatis mentionem fecit.* c) *Commentarium habet tantum:* Jtemque. *Sed quia vv. superiora (v. adnot. b) in commentario oblitterata et in archetypa omissa sunt, censendum est, in archetypo vv., quae hic uncis sunt inclusa, vel similia posita esse.* d) *Sequuntur vv.* nisi cum maximo periculo, *oblitt.* e) Laticiniorum *comm.*

dioecesani sive ordinarii alios episcopos consecratos ad id delegare. Sacerdos vero simplex, ut altare valide consecraret, summi pontificis indulto vel privilegio indigebat (*F. X. Wernz* S. J., Ius Decretalium III, Romae 1901, 462).

[1] Antonius de Gorrevod, a Calvinianis sede exsulare coactus.

[2] Absolutio ab haeresi per „Bullam Coenae“ summo pontifici reservata erat. Concilium tridentinum haereticorum „in foro conscientiae“ absolvendorum potestatem episcopis solis tribuerat ita, ut hi ne cum vicariis quidem generalibus eam communicare possent (sess. 24 de ref. c. 6). Ampliores tamen facultates postea a sede apostolica variis episcopis concessas esse constat, v. *Can.* VI 78[5] 598—599. Socii friburgenses ex privilegiis Societati per summos pontifices tributis haereticos in foro conscientiae absolvere poterant; v. *Can.* IV 472 492 533; VI 189; VII 675 816.

[3] Raimundus Perauld sive Peraudi (1435—1505), gallus, cardinalis gurcensis, episcopus sanctonensis, et a. 1487 ab Innocentio VIII., et a. 1500—1503 ab Alexandro VI. legatus in Germaniam missus erat. Qui in utraque legatione ex sacro suggestu populum ad indulgentias sibi comparandas et ad bellum pro re christiana suscipiendum excitabat (*Ciaconius-Oldoinus* III 172). Eum in Helvetia quoque laborasse intellegitur ex *E. A. Stückelberg*, Geschichte der Reliquien in der Schweiz I, Zürich 1902, 85—86.

[4] Iure communi lacticinia (lac, butyrum, caseus) per totam Quadragesimam prohibebantur (Decretum *Gratiani* c. 6 Dist. IV; *S. Thomas Aq.*, Summa theologica 2, 2, q. 147, a. 8 ad 3).

Quod si quid est aliud, quod quidem .P. T. existimet, ad Catholicam Fidem, atque antiquam Disciplinam in istis locis restituendam, uel promouendam pertinere, id si mihi significauerit rem gratissimam faciet. Bene vale *etc.*

Commentario huic nec locus nec tempus ascripta sunt. Canisius autem S. Carolo respondit 18. Octobris 1583. In qua epistula dicit, Caroli litteras „ante paucos dies" sibi traditas esse. Hae igitur m. Septembri vel initio m. Octobris datae esse videntur. Cui tempori congruit locus, quo commentarium hoc in codice vaticano positum est.

2177. **CLAUDIUS AQUAVIVA** praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma circa m. Octobrem 1583.

Vide Canisii litteras 30. Novembris 1583 ad Aquavivam datas, infra, ep. 2182.

2178. CANISIUS **SANCTO CAROLO BORROMAEO**, cardinali, archiepiscopo mediolanensi. Friburgo Helvetiorum 18. Octobris 1583.

Ex autographo (2°; 2½ pp.; in p. 4 inscr. et particulae sig.), quod exstat Mediolani in bibliotheca ambrosiana, Cod. „F inf. 175" f. 139a—140b. Epistulae brevem summam posuit *E. Wymann* in „Der Geschichtsfreund" 54. Bd., Stans 1899, 104, et „Der heilige Karl Borromeo und die schweizerische Eidgenossenschaft", Stans 1903, 244. Epistulam commemoravit *Agricola* II n. 784. Eadem usus sum in „Petrus Canisius" 285.

Respondet de altaribus, peccatis reservatis eorumque remissione, libris prohibitis, lacticiniis. Clementiam commendat. Schneuwlinum praepositum et Bonhomium nuntium laudat. De cleri populique morbis horumque curatione.

† Pax Jesu Christi nobis aeterna.

Reverendiss. pater et Jllustriss. Domine.

Amplitudinis tuae literas ante paucos dies redditas ego quamuis indignus reuerenter accepi, Deoque Opt. Max. gratias egi, quod per suum in terris Vicarium[1], singularem Heluetiae curam tali tantoque Patrono demandasset, qui de illa hoc tempore bene mereri uellet ac posset[2]. Etsi uero parum in me ingenij, iudicij ac prudentiae sit, ut de grauissimis et intricatissimis huius prouintiae negotijs pronuntiare, ac Celsitudinis tuae expectationi satisfacere possim: tamen quoniam obedientiae maioribus praestandae sum et esse debeo filius[3], pro mea quidem tenuitate dicam quod sentio, et ad proposita mihi capita duce Christo aliquid respondebo. Jd uero quale quale fuerit, in bonam partem quaeso accipiatur.

Vt praesenti ac simul frequenti necessitati, quae in templorum altaribus consecrandis passim sese hic offert, rite consulatur, equidem non uideo, quid praesidij uel Ordinarius Lausanensis[4], uel[a] ex uicinis Episcopis aliquis suppeditare possit. Procul enim absunt a ditione Friburgensi, ut propemodum sex dierum iter ad eundum[b] ac redeundum sit emetiendum proficiscentibus, ac uereor, ne illis ingratum molestum-

a) *In aut. sequuntur vv.:* uel ex uicinis Episcopis uicinis commode accipi, *oblitt.* b) eundem *autogr.*

[1] Gregorium XIII. [2] Vide supra p. 170[2]. [3] 1 Petr 1, 14.
[4] Antonius de Gorrevod episcopus.

que sit, ad benedicendos altaris lapides a nostris toties interpellari. Optarim igitur ac suaserim, Praeposito nostro[1], qui Lausanensis Episcopi generalem agit Vicarium, ut in alijs plaerisque, ita hic etiam tantum facultatis donari, quantum ad huiusmodi lapides consecrandos in hac urgente necessitate sufficiet, si ullo quidem modo admitti potest dispensatio. Sin minus, ad vicinum aliquem Episcopum eatur, et res quantumuis sumptuosa tentetur ad tempus, si dignitati tuae ita uisum fuerit.

Jamuero quod ad absolutionem excommunicatorum attinet, est ita prorsus, ut qui propter casum haeresis in confessione excommunicati deprehenduntur, aegerrime ferant, se a Confessario ad superiorem alium remitti, atque ita denuo laborent ad absolutionis beneficium obtinendum. Nec mirum hanc obedientiam illis pergrauem uideri, quibus nihil per omnem uitam de casibus reseruatis, de bulla coenae domini, de censuris Ecclesiasticis propositum ac denuntiatum fuit, quoniam illorum Parochi in harum rerum ignorantia summa uersentur, et Ordinarius annis quadraginta et amplius exulet, Clero interim sine duce et pastore in tenebris et corruptelis grauissimis perseuerante. Existimarim ego, Amplitudinem tuam recte facturam, si a Praeposito nostro impetrare possit, primum ut summa quaedam de casibus reseruatis succincte colligatur, deinde ut ea collecta sacerdotibus omnibus publicetur, postremo ut ratio ineatur eosdem casus, in quibus ad superiorem eundum[a] est, populo denuntiandi atque persuadendi · Praeterea quum Ordinarius omnem sacrorum curam vni Praeposito Friburgensi permittat, huic etiam committendum putarim, ut ex authoritate Apostolica subdelegare possit in hac ditione Friburgensi Decanos et Parochos, quos ipse dignos iudicauerit, ad haereticos non manifestos in foro interiore absoluendos, quum hi uerae conuersionis specimen praebuerint in posterum. Nam et praesens et euidens necessitas quodam modo postulat cum illis agi clementius, qui in medio haereticorum versantes, saepe et praefectis haereticis subiecti, Ecclesiae Catholicae cupiunt reconciliari. Vt omittam recepta foedera Heluetiorum quae vtriusque religionis[2] vt vocant, libertatem permittunt omnibus[b], et vetant Ecclesiasticas censuras, sicut in Jtalia et Hispania, legitime in haereticos exerceri. Cum uero in hac Friburgensi ditione septem Decani et Parochi fere octoginta numerentur, non Confessarijs quidem omnibus, sed selectis et a Vicario tanquam dignioribus in hoc deputandis potestas fieri posset, ut subiectos sibi a nota haeresis liberarent. Miseranda certe conditio tot pereuntium ouium in hac tanta utriusque fori apud Heluetios confusione: sed magis etiam deploranda est pastorum imperitia et oscitantia, qui uelut

a) eundem *autogr.* b) *Sequuntur vv.* nec permittunt, *oblitt.*

[1] Petro Schnewly.
[2] Religionem dicit catholicam et confessiones protestantium (Zvinglianorum, Calvinistarum, Lutheranorum).

coeci coecos in foueam ducunt[a] [1], aut certe in tenebris uersantes relinquunt.

De Parocho Friburgensi[2] sic statuo, dignum illum uideri gratia, ut ab haeresi resipiscentes absoluere possit, neque cogatur eiusmodi omnes ad nos ablegare, sicut multorum imbecillitas ferre non posse uidetur. Dubitant quid[am], an lex de prohibitis libris non legendis tam seuere ab illis exigenda sit quibus nunquam promulgata fuit, ut pro excommunicatis haberi debeant qui eam transgrediuntur. Qua de re moneri Praepositus posset[3]. An uero indulgendum sit Parocho, ut haereticos libros legat et iudicet, dubito nisi fortasse de quibusdam uulgaribus, uti precatorijs libellis censendis aliquid illi permittendum uideatur[4].

Etsi Cardinalis Raymundus piae mem. usum lacticiniorum tempore, ut vocant, prohibito Friburgensibus ita concesserit, ut hebdomadam sanctam exceperit[5], tamen non placet quod petit Parochus, vt in hac parte noua dispensatio propter eandem hebdomadam impetretur aut donetur. Jlla enim Cardinalis[b] exceptio, ut idem Parochus fatetur, nec promulgata, nec hominum memoria intellecta fuit, ut idcirco lex illa nullam habuerit executionem · Proinde sicut in alijs plaerisque fieri solet, inueteratam hanc uictus consuetudinem, quae per totam Germaniam ui[ge]re uidetur, et ab Episcopis hactenus toleratur, prudenter potius dissimulandam, quam noua et infrugifera, ut arbitror, dispensatione tegendam iudico. Nam et huius infelicis aeui torpor ac tepor uetat, maiorem uictus rigorem exigere, quam Helvetij prae caeteris Germanis praestare uidentur tempore Quadragesimae.

Haec habui Reuerendiss. et Jllustriss. Domine, quae ad proposita capita pro mea simplicitate responderem: nec dubito, quin de ijsdem consultus Reuerendissimus Dominus Vercellensis multo et uberius et prudentius suam dicere sententiam possit[6]. Js quum Friburgi coram ageret, nouam ueluti lucem ad coecorum aperiendos oculos[7] praebuit Ecclesiasticis, apud quos uetus illa disciplina misere collapsa iacebat, et egregia fidei Catholicae uindicandae fundamenta posuit[8].

a) *Sex vv. sqq. a C. postea addita sunt.* b) *Sequitur* di, *oblitt.*

[1] Cf. Mt 15, 14; Lc 6, 39. [2] Sebastiano Verronio (Werro).

[3] Rectissime hi dubitabant. Statuerat iam *Bonifacius VIII.*: „Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes: dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina" (l. 1, tit. 2, c. 2 in VI°).

[4] Verronius optimae quidem voluntatis, sed aetatis haud ita maturae erat. Eum illo tempore rerum theologicarum scientia nondum plene imbutum fuisse intellegitur ex litteris a Canisio circa a. 1588 ad eum datis: v. infra, ep. 2249.

[5] Vide supra p. 171.

[6] Ioannes Franciscus Bonhomius, qui in Helvetia a. 1579—1581 apostolicum nuntium et visitatorem egerat. [7] Is 35, 5; 42, 7; cf. Mt 9, 30.

[8] Bonhomius Friburgi synodum m. Decembri 1579 habuerat; praeterea cum clero et senatu multa praeclare constituerat; v. *Mayer* I 253—256; II 95—99.

quibus nos Dei gratia superaedificamus. Verum idem fere nobis quod cuidam aurigae usuuenit, qui quum veterem maleque compaginatum currum per aspera spineta ducturus est[a], lente festinat, nec sine multo labore difficultates obiectas uincere, suumque currum promouere potest. Dici[b] ac scribi difficile sit, quam grauibus et exulceratis morbis laboret Heluetia, ad quam utcumque curandam si amplitudo tua venire non potest, vtinam Nuntius aliquis a S. D. N. missus saltem ad tempus coram adesset. Is profecto quae calamo committi nequeunt, multa cognosceret, ut de Lausanensi Ecclesia restituenda[1], de Episcopo[c] Sedunensi[2], qui a suis Valesijs maxime infestatur, et haereticis multa largiri cogitur conseruando, de Lucernatibus[d] ex quibus, alij Catholici fere pendent, ad Ecclesiasticam iurisdictionem tuendam animandis, de seminario Clericorum instituendo[3], de Solithurnensibus[4] in fide confirmandis, de sacerdotibus et regularibus ad meliorem disciplinam reuocandis, de praecipuis Cantonibus ad uerae pietatis officia prouocandis, de conatibus haereticorum impediendis, de Lausanensi Episcopo Friburgum, ubi resideat[5] et Cathedralem Ecclesiam erigat, reducendo, de Praeposito nostro[e] etiam, qui de hac tota Friburgensi ditione praeclare meretur, et Ecclesiae Lausanensi tot annis fideliter ac gratis inseruit, consolando et honorando. Jgitur in his alijsque id genus pluribus officijs, quae cum loco et tempore congruent, dictum Nuntium Apostolicum apud Heluetios[f] suam ponere operam maxime referet, si[g] in orthodoxa[h] religione saluam retinere et promouere Heluetiam cupiamus. Sed pecco fortasse, qui de arduis et publicis rebus tam multa profundo, meaeque professionis quasi oblitus, aliena curo. Veniam igitur peto tum audaciae, tum temeritatis, aut certe in scribendo libertatis meae, tuamque Celsitudinem ex animo precor, ut hoc qualecumque scriptum boni consulere, et communem Helueticae gentis utilitatem ad summam summi Dei gloriam usque promouere dignetur. Dominus Jesus Illustriss. dignitatem tuam diu nobis et Ecclesiae incolumem seruet, ac donis uere spiritualibus augeat semper. Friburgi Heluetiorum die .S. Lucae Euangelistae[6], anno Christi 1583.

Jllustriss. amplitudinis tuae

Seruus in Christo exiguus

Petrus Canisius manu propria.

a) *Sic Can. correxit ex* esset. b) *Sequuntur vr.* uix potest, *oblitt.* c) *Sic C. ipse corr. ex* Archiepiscopo. d) *Sex vr. sqq. a C. in margine addita sunt.* e) *Sic C. corr. ex* Friburgensi f) *A C. correctum ex* Heluetiam. g) *Sequitur* eam, *oblitt.* h) *A C. correctum ex* orthodoxim.

[1] Vide supra p. 53 106. [2] Hildebrando a Riedmatten.

[3] 5. Iulii 1583 Schnewly praepositus aliique viri ecclesiastici senatui friburgensi aliqua proposuerunt, quae seminarium clericis instituendis condendum spectabant. Senatores autem tempus ad deliberandum sibi postularunt (*Jos. Schneuwly* et *J.-J. Berthier* O. Pr., Projets anciens de hautes études catholiques en Suisse. Fribourg 1891. 42). [4] Rempublicam dicit soloduranam (Solothurn).

[5] Ex episcopis lausannensibus primus sedem Friburgi fixit Ioannes Baptista de Strambino (1662—1684). [6] 18. Octobris.

† Reverendiss. in Christo Patri et Jllustriss. Domino. D. Carolo S. Praxedis Cardinali, Archiepiscopo Mediolanensi, Patrono singulari. Ad manus proprias.

Haud recte *Sacchinus* (Can. 309) affirmat, Canisium consulto prius Claudio Aquaviva praeposito generali has litteras ad S. Carolum dedisse; vide infra, ep. 2188. Canisius S. Carolum, ut Helvetios clementer tractaret, haud frustra hortatus est. S. *Franciscus Salesius* episcopus gebennensis († 1622) in „Introduction à la Vie devote“ (P. 3, chap. 34) scripsit: „J'ay esté consolé d'avoir leu en la vie de saint Charles Borromee qu'il condescendoit avec les Suisses en certaines choses esquelles d'ailleurs il estoit fort severe“: Œuvres III, Annecy 1893, 253.

2179. CANISIUS **CLAUDIO AQUAVIVAE** praeposito generali Societatis Iesu. Friburgo Helvetiorum 22. Octobris 1583.

Ex commentario litterarum Aquavivae, quod est in G. Sup. 1 f. 110[b], et ex *Sacchino*, Can. 309 361. Quae Sacchinus habet, ex eo transcripta sunt, perperam ascripto a. 1587, in Cod. monac. „Lat. 1606“ (v. *Can.* I LVII) f. 160[a]. Eadem (integra vel ex parte) posita sunt latine a *Petro Python* S. J., Vita R. P. Petri Canisii, Monachii 1710, 350, gallice a *Michel* 371, germanice a *Janssen* IV[1-12] 386 et *Duhr*, Jes. I 646.

Theologos adversus haereticos scribere debere; id idem valere atque conversionem paganorum. Epistula ad S. Carolum Borromaeum.

Aquaviva Roma 9. Februarii 1584 Canisio scripsit: „Accepi . . . Reuerentiae V. litteras . . . 22 octob. datas“. Hae perisse videntur. Quid autem Canisius Aquavivae scripserit, cognoscitur ex epistula illa Aquavivae. Inprimis ex ea intellegitur, ad has Canisii litteras pertinere caput illud, quod posuit Sacchinus, Can. 361, sic praefatus: Canisius „egit cum Praepositis Generalibus, vt haberent in societate homines vni aduersus Haereticos scriptioni operatos. Quod cum saepe egisset ante, vt a nobis quoque supra est indicatum, affirmans putare se vix quicquam rectius, ac praeclarius ad communem Ecclesiae profectum ab societate institui, ac peragi posse, permansit in iis votis ad extremum vsque; et anno tertio, et octogesimo seculi eadem Praeposito Claudio Aquavivae his verbis exposuit.“

— — Quoniam diuina bonitas ex variis nationibus multos praestantes, solideque doctos Theologos huic suae societati suppeditat, quorum quidem vsus aduersus Haereticos, grauissimas Ecclesiae pestes, hodie grassantes maximus, ac vtilissimus esse potest, etiam atque etiam Paternitatem tuam indignus licet filius rogo, ac obsecro, vt ex multis huiusmodi Theologis non Germanis, vel paucos seligendos, atque in matura contra hos pestilentissimos Ecclesiae Catholicae aduersarios scriptione occupandos curare dignetur. Nam et Christi honos, et communis Ecclesiae profectus, et peculiaris ratio societatis huius, quae a pluribus, et petulantioribus hostibus, vt arbitror, appetita nunquam fuit: ac demum plurimorum imbecillitas, qui nostrorum silentio non parum offenderentur, quodammodo flagitare videtur, vt delecti quidam e nostris non viua voce tantum, sed et calamo veritatem Catholicam publice tueantur, seque huic seculo prudenter accomodent, ac suorum ingeniorum, et studiorum fructum ob praesentem Ecclesiae necessitatem

e sancto zelo declarent. Nec dubito hanc praeclaram operam instituto nostro vel maxime consentaneam esse, neque minus valere hoc obedientiae, et caritatis officium, quam illud, quod nostri Barbaris Jndiae ad fidem Christi conuertendis impendunt. Dominus Iesus ad sui nominis gloriam dirigat omnia. — —

Ex eodem Sacchino (l. c. 309) hoc quoque colligi potest: Canisius, cum Aquavivae significaret, quomodo S. Carolo Borromaeo de rebus quibusdam ecclesiasticis Helvetiae respondisset (v. supra p. 172), simul notavit, se „consilio cum aliis Patribus habito" cardinali illi scripsisse.

2180. SANCTUS CAROLUS BORROMAEUS, cardinalis, archiepiscopus mediolanensis, CANISIO. Mediolano 7. Novembris 1583.

Ex commentario sic inscripto „Al P. Canisio", quod est in bibliotheca vaticana (olim bibliothecae barberinianae Cod. „LXII. 55" f. 99).

Rogat eum, ut se, visitationem apud Helvetios exorsurum, conveniat et sacerdotem aliquem secum adducat.

Molto Riuerendo Padre · Per la cura, che .N. S. m' ha commesso. di coteste Genti de Grigioni, et Suizzeri[1]; io fo pensiero, di mettermi in viaggio, à quella volta, domani. Hora, per seruitio del comun Signore et per piu piena informatione mia, circa quello, che si potra fare, a benefitio spirituale di quei populi, desidero, et prego V. Riuerentia che sia contenta, di venirme, a trovare, quanto prima li sara possibile. con sua commodità. .V. Riuerentia mi trouera, ne i contorni di Belenzona[2], ò di Roueredo[3]. Hauero a caro meni seco. qualche sacerdote della Compagnia ò secolare buono, per far essortationi, et vdir confessioni, et quando, il Preuosto di Friburgo[4] fosse à proposito sia desso · mando l' apportatore della presente, à posta per far compagnia à V. R. et non essendo questa per altro, non mi stendero piu, che di pregarle dal Signore Dio pienezza delle diuine gratie. —

His litteris nec locus nec tempus ascripta sunt. Quodsi S. Carolus id, quod sibi propositum esse in iis significavit — se postridie ad Grisones iturum — reapse exsecutus est, litterae Mediolano 7. Novembris 1583 datae sunt; nam 8. Novembris 1583 Mediolano ad Grisones versus profectus est (*Mayer* I 194). Cum anno 1583 congruit etiam locus, quo hae litterae in codice positae sunt. Quae enim eas 3., 4., 5. locis antecedant (quae 1. et 2. locis antecedunt, sine tempore sunt), et quae eas proxime sequuntur, ad a. 1583 pertinent.

His litteris perinde atque superioribus illis (n. 2176) refutantur, qui S. Carolum Borromaeum Societati Iesu infensum fuisse asserunt; id quod prorsus falsum esse optime ostendit *Franciscus Rodrigues* S. J. in libro lusitanice scripto „Jesuitophobia". Porto 1917, 249—272. Melchiori Lussy, locorum catholicorum Helvetiae oratori. *Carolus* m. Ianuario 1582 scripsit: „Ho procurato per aiuto della gioventù di quella natione la fondatione de i collegii de' Giesuiti di Lucerna, et Friburgo". Litteras integras posuit *Theod. von Liebenau* in „Monat-Rosen" 29. Jahrg., Luzern 1885, 74—75.

[1] De S. Carolo per Gregorium XIII. Helvetiorum et Grisonum visitatore atque reformatore constituto v. supra p. 170[2].

[2] Bellinzona, oppidum cantonis ticinensis (Tessino).

[3] Pagus cantonis Grisonum, oppido Bellinzonae vicinus.

[4] Petrus Schnewly.

„*Georgius Baderus*, superioris Germaniae Provincialis", S. Carolo Borromaeo Oeniponte 3. Decembris 1583 *scripsit: „Quod P. Canisium non mittam, facile, ut spero, a Vestra Illustrissima Celsitudine mihi ueniam impetrabit ipsa necessitas, cum, quod is longius absit, quam ut tempestiue adesse possit: tum quod ea sit aetate et uiribus, ut hoc praesertim anni tempore, expectationi satisfacturus minime uideatur, tum denique, quod Friburgensibus ita sit carus, ut sine graui eorum offensione, eiusmodi ualetudinis periculo exponi non possit" (ex autogr., quod est Mediolani in bibliotheca ambrosiana, Cod. „F 105 infer." f. 161ᵃ). Deinde idem *Bader* Hala 4. Decembris 1583 ad Claudium Aquavivam praepositum generalem haec *rettulit: „Ante biduum accepi litteras ab Illustrissimo Card. Borromaeo, quibus rogat, ut quandoquidem regionem Grisonum, Heluetijs vicinam, visitaturus atque in moribus et religione reformaturus est, statim ad se mittam P. Canisium, uel aliquem alium, cuius opera in audiendis confessionibus et concionibus habendis ad mensem vnum plus minus vti posset. P. Canisium et per aetatem, et per anni tempus, et quod longius absit, quam vt tempestiue uenire possit, excusaui. Rectori uero Lucernensi [1] mandatum dedi, ut si ulla ratione fieri possit, ipse statim eo se conferat, uel certe aliquem alium qui idem praestare possit, mittat · nec enim patrono tam singulari, in re tam propria nostro instituto, tamque per se salutari, operam nostram omnino negare posse uidebar, nec tamen eam prouinciam, praesertim initio, nisi ualde probato committendam putaui" (ex autogr.: Germ. 161 f. 345ᵇ—346ᵃ). *Aquaviva* Roma 12. Ianuarii 1584 Badero *respondit: „De missione in Grisones quam petijt Jlustrissimus Cardinalis Sanctae Praxedis, placuit mihi quod Reuerentia V. ei de P. Leubenstain commodarit: sed tamen, ne Collegio eius diuturna absentia damnum faciat, erit suo tempore ab Reuerentia V. reuocandus" (ex comment.: G. Sup. 1 f. 109ᵃ).

2181. CANISIUS **IOANNI FRANCISCO BONHOMIO** nuntio apostolico. Friburgo Helvetiorum 25. Novembris 1583.

Epistula haec commemoratur in litteris 28. Aprilis 1584 a Bonhomio ad Canisium datis (infra, ep. 2195). Quae iam non exstare videtur.

2182. CANISIUS **CLAUDIO AQUAVIVAE** praeposito generali Societatis Iesu. Friburgo Helvetiorum 30. Novembris 1583.

Ex autographo (2°: 1 p.; in p. 4 inscr. et pars sig.). Hist. Soc. 58 f. 79ᵃ—80ᵇ.

Collegium seguritanum dissolvendum, friburgense adiuvandum. Libri adversus haereticos scribendi.

† Pax Christi Jesu et felix annus Admodum reuerende Pater.

Jussus meam explicare sententiam de collegio Segurensi aut transferendo aut dissoluendo, breuiter in Domino expedire puto, ut Societas nostra tot tantisque incommodis, oneribus et impedimentis, quae in hoc collegio ex parte loci, fundatoris et conditionum sese offerunt, omnino liberetur, utque futuris, litibus querelis et contentionibus, quae probabiliter imminere uidentur, ianua praecludatur: atque idcirco idem collegium simpliciter dissoluatur potius quam transmutetur, aut in melius commutetur [2]. Rationes addere supersedeo, quas nec a [me] [a]

a) *Hoc v. supplendum esse omnino videtur.*

[1] Martino Leubenstain.

[2] Societatis provincia toletana collegium seguritanum (Segura de la Sierra) a. 1569 ingressa erat, quod Christophorus Rodriguez de Moya, nobilis huius civitatis vir, monitu Beati Ioannis Avilae condiderat (*Sacchinus*, Hist. S. J. III, l. 5, n. 193—199; *Astrain* II 231—240). Anno 1581 *Congregatio* generalis Societatis quarta, declarando, quae S. Ignatius in Constitutionibus P. 4, c. 2, A statuerat (v. *Can.* V 409), decreverat,

requiri arbitror, Deum autem tanto magis huic Societati adfuturum spero, quanto purius atque syncerius illa iuxta suum institutum procedet, minusque de bono utili[a] promouendo suspecta erit apud exteros atque solicita.

R. P. Prouintialis nostri[1] aduentum expectamus, ut afflictas collegij huius rationes in meliorem locum adducat, simulque Senatui gratificetur qui de noua collegij sede, et de scholae templique structura coepit serio deliberare. P. Rector[2] non potest non sub tanta sarcina gemere, quum tantis debitis oneretur, neque a P. T. uel a P. Prouintiale multis mensibus quicquam accipiat, quod illi subsidium uel consolationem adferat in his angustijs, ipsumque aes alienum indies augeatur. Confidimus interim eum, qui auxiliator est[3] in tempore oportuno[4], suorum necessitatibus non defuturum.

Postremas dedi, quas isthuc peruenisse spero, de Jllustriss. Cardinale S. Praxedis, et de libellis P. Posseuini multis iam in lucem editis, ut coetera praetermittam, maxime de Societate nostra et Catholica fide contra haereticos defendenda[5], ne propter nos plaerique simplices in errorem et scandalum inducantur[6]. Dominum Jesum ex animo precor, ut nouum hunc annum P. T. ac vuiuersae Societati nostrae felicem et salutarem esse concedat. Friburgi Heluetiorum ferijs D. Andreae Apostoli 1583.

P. T.

filius indignus

Petrus Canisius.

† Admodum reuerendo in Christo Patri nostro, P. Claudio Aquauiua, Societatis Jesu Praeposito generali. Romae.

Aquaviva Canisio respondit 9. Februarii 1584.

2183. CANISIUS **SOCIO ALICUI** collegii S. J. coloniensis (?).

Friburgo Helvetiorum (?) a. 1584.

Ex archetypo (4°; 2 pp.) manu ignota scripto et Canisii manu emendato. Cod. colon. „I. A. 17" (antea „Litt. Epp. var.": v. *Can.* I LIV) f. 225.

a) *Sequitur* suspec, *oblitt.*

ut, cum de collegio aliquo dissolvendo extra congregationem generalem ageretur, a praeposito generali non solum assistentium, provincialium, procuratoris generalis, secretarii Societatis, sed etiam „duorum antiquissimorum Professorum cuiusque Provinciae sententiae per litteras peterentur" (decr. 27; *Institutum* S. J. II 253—254). Canisius autem provinciae Germaniae superioris professus erat antiquissimus. Collegium illud seguritanum dissolutum non est (*Astrain* III 499; *Ios. Iuvencius* S. J., Historia Societatis Iesu. Pars Quinta. Tomus posterior, Romae 1710, 958).

[1] Georgii Bader. [2] Petrus Michael.

[3] 2 Par 32, 8; Esth 14, 3; Is 50, 7 9. [4] Ps 31, 6; 144, 15.

[5] Litteras significare videtur 22. Octobris 1583 ad Aquavivam datas; quarum ea tantum pars superest, quae de libris adversus haereticos scribendis est: v. supra p. 176. Ceterum de cardinali Borromaeo et de libris Possevini v. supra p. 168 170.

[6] Mt 24, 24.

Jhesus.

Media quaedam ad impetrandam Dei gratiam et
Contra Turcam uictoriam.

Praelati, Pastores, et concionatores admoneant saepe subditos et auditores ad preces offerendas Deo Opt. Max. pro conseruatione et defensione Caesareae Maiestatis [1] et sacri Jmperij aduersus Turcam et eius exercitum nobis magis ac magis imminentem.

Sacerdotes in sacrificijs suis interponant saepe collectam in hunc ipsum finem. ut collectam pro Imperatore, pro Romano Imperio, contra persecutores [2].

Singulis hebdomadis dicatur uel cantetur potius Missa solemnis contra Turcas nimirum feria sexta [a] cum processione [3]. Quotidie post eleuationem ultimi officij [b] uel in meridie fiat pulsus in templis ut excitentur omnes ad inuocandum et placandum nobis Deum, qui suam iram et flagellum Turcicum auertat a nobis. Moneant concionatores, de uero usu huius pulsus.

Contineatur populus a magistratibus in officio, praesertim ne diebus Dominicis et festis exerceantur tot leuitates, saltationes, comessationes. Impudiciciae et reliqua c a r n i s o p e r a [4], quibus grauiter offenditur Deus, et Christianismus hodie passim corrumpitur atque prophanatur.

In summa pagina priore huius scripti tertia quadam manu antiqua notatum est: „P. Canisij manus. 1584.“ In altera autem pagina ipse Canisius scripsit: „Contra Turcas orationes in Superiore Germania Institutae.“ Canisium scripti auctorem esse verisimile est tum ex genere loquendi, quod in eo apparet, tum ex emendationibus ab eo factis. Ad Socium autem aliquem coloniensem illud missum esse colligo ex codice, in quo exstat. In hunc enim circa medium saeculum XVIII. si non ante, congestae sunt litterae ad collegii illius homines missae.

2184. P. FRANCISCUS TURRIANUS S. J. CANISIO.

Roma sub initium a. 1584.

Haec P. Francisci Torres sive Turriani S. J. (de quo v. Can. VI 31—32) epistula commemoratur in litteris m. Martio a. 1584 a Canisio ad P. Franciscum Roccam S. J. datis; v. infra, ep. 2193. Equidem existimo, Turrianum Canisio de sacra aede lauretana scripsisse; v. supra p. 52. Anno 1584 Ingolstadii in lucem prodiit „Francisci Turriani

a) *Sic Canisius sua manu correxit ex* secunda. b) *Tria vv. sqq. ipsius C. manu addita sunt.*

[1] Rudolphi II.

[2] Etiam nunc in „*Missali* Romano“ inter „Orationes diversas“ apparent Collectae „pro Imperatore“, „contra persecutores Ecclesiae“, „contra persecutores et male agentes“; et „Missa Praesanctificatorum“ in „Feria VI. in Parasceve“ habet orationem: „Omnipotens sempiterne Deus, in cuius manu sunt omnium potestates et omnium iura regnorum: respice ad Romanum benignus Imperium“ etc. Oratio huic similis exstat etiam v. g. in „*Missali* ad vsum Lausannensem“, Lugduni 1522, f. LXIIJ[a].

[3] In „*Missali* Romano“ hodie quoque legitur „Missa contra paganos“. In Germania autem a medio fere saeculo XV. „Missam contra Turcas“ celebrare solebant. De qua v. *Ad. Franz*, Die Messe im deutschen Mittelalter, Freiburg i. Br. 1902. 209—210.

[4] Gal 5, 19.

Societatis Iesv, ad Capita argumentorum Petri Pauli Vergerii Haeretici, ex Libello eius inscripto: De idolo lauretano, misso ad Ottonem Henricum Palatinum Rheni inferioris Bavariae Ducem destinatum. Responsio Apologetica pro sancta domo Lauretana. Libellus antehac nunquam in lucem editus" (Sommervogel VIII, 121).

2185. P. IOANNES CREMERIUS S. J. poenitentiarius CANISIO.

Roma ineunte a. 1584.

Epistula iam non exstat. Vide litteras m. Martio a. 1584 datas, per quas Canisius Cremerio respondit, infra, ep. 2191.

In „**Catalogo* Patrum, et Fratrum Collegij Minorum Poenitentiariorum [basilicae S. Petri romanae] 1584 Mense Octobri" conscripto haec sunt: „P. Joannes Cremerius Juliacensis Coloniensis dioecesis, natus anno 1545, Societatem ingressus anno 1564, in Societate et extra Philosophiae et Theologiae 5. annis studuit, Doctor in Theologia. fuit Minister. Professor Philosophiae. Theologiae posit. et Casuum. Professus 3ᵘᵐ votorum anno 1571" (Rom. 53 f. 85ᵇ). Superest adhuc professionis Treveris 15. Augusti 1571 ab eo factae *formula ipsius manu scripta (Germ. 1 f. 358ᵃ). In „* *Catalogo* Patrum ac Fratrum Societatis Jesu qui sunt in Germanicis Collegijs Prouinciae Rheni 1.ᵒ Aprilis 1574" dicitur, eum esse „bonae sanitatis", „boni ingenij et iudicij", „ad omnia ministeria Societatis talentum habere", modo in collegio coloniensi officium Lectoris Philosophiae" tenere (Hist. Soc. 41 f. 179ᵃ). De Cremerio cf. etiam *Can.* VII 485.

2186. P. FRANCISCUS ROCCA S. J. CANISIO.

Roma ineunte a. 1584.

Epistula perisse videtur. De qua vide litteras m. Martio 1584 datas, per quas Canisius Roccae respondit, infra, ep. 2193.

2187. GUILIELMUS TECHTERMANN patritius friburgensis et eiusdem reipublicae archigrammateus [1] CANISIO.

Friburgo Helvetiorum 22. Ianuarii (kalendarii gregoriani) 1584 [2].

Ex apographo manu ipsius Techtermann scripto in pagina altera involucri anterioris „Commentariorum de Verbi Dei corruptelis", de quibus infra, sub ipsum hoc carmen, plura dicentur. Duodecim versus eiusdem postremos posuerunt *Raemy de Bertigny,* Le Bienheureux Pierre Canisius, Fribourg en Suisse 1865, 195, et *Tobie de Raemy,* Le Chancellier Techtermann, Fribourg 1914, 48.

Sicut Hercules Caci rapinas detexit et sustulit, sic doctores catholici, inprimis Canisius, haereticorum fraudes aperiunt tolluntque.

---

[1] Guilielmus Techtermann (1551—1618) Friburgi Brisgoviae in universitate magister artium factus, Friburgi Helvetiorum, in patria sua, a. 1576 vicecancellarius („Stadtschreiber"), a. 1579 cancellarius sive archigrammateus reipublicae factus est; a. 1593—1598 Grueriae (Gruyère) praefectum („baillif") egit. A. 1586—1618 unus ex scholarchis, a. 1600—1618 de senatu minore fuit. Vir erat et litterarum latinarum graecarumque et iuris peritissimus ac pietatis laude insignis, qui de republica friburgensi optime meruit (*Tobie de Raemy* l. c. 3 16—17).

[2] In pagina priore involucri anterioris, quo senatus friburgensis *„Liber manualis" ad priorem partem a. 1584 pertinens coopertus est („Rathsmanual nr. 127", Friburgi in archivo reipublicae) *Guilielmus Techtermann* cancellarius notavit: „Kalendarium Gregorianum hoc anno apud Neuthoniae Fryburgum, jpsa D: Vincentio sacra die, Mense Ianuario seruari coeptum." Servari igitur coeptum est (id quod ex ipso etiam libro illo confirmari potest) 22. Ianuarii 1584.

AD REVERENDVM IN CHRISTO PATREM
D. PETRVM CANISIVM SOCIETATIS
IESV THEOLOGVM C:[1] WIL-
HELMI TECHTERMAN.

CACVS erat quondam speluncae habitator opacae
AEtnaei proles sanguinolenta fabri,
Finitimos rapiens aliena armenta per agros
Fraude noua, et tectas arte per insidias.
Auersas pertraxit enim in sua tecta rapinas,
Dum manifesta timet signa, notasque doli[2].
Nec magni Alcidae pecori improbus ille pepercit,
Justa sed intrepidum mouit in arma Ducem.
Ille etenim monstrum latebris et fraude retecta
Insequitur clauae robore, datque neci[3].
Tum patuit specus horrendum, patuere rapinae
Inque vda monstri turpe cadauer humo.
Heu quot monstra caput miserum erexere per orbem
Christigenum in terris insidiosa gregi.
Ante ferunt hominis faciem, sed foeta veneno
Pectora Cerberea linguaque tincta lue.
Obliquata ferunt sacri vestigia verbi
Haereseων patres · carniuorique lupi.
Sic animas (miserum) recto de tramite ductas
Tartarei tradunt in Phlegetontis aquas[4].

[1] I. e. Carmen.

[2] Cacus (Κᾶκος) filius fuisse ferebatur Vulcani (*Vergilius*, Aen. l. 8, v. 193—198), quem in Aetna monte cum Cyclopibus suis Iovi fulmina fabricari dicebant (*Cicero*, De divinatione l. 2, c. 19, n. 43; *Vergilius*, Georg. l. 1, v. 471—473).

Vergilius ait: „Spelunca fuit vasto submota recessu,
Semihominis Caci facies quam dira tenebat,
Solis inaccessam radiis; semperque recenti
Caede tepebat humus.“ (Aen. l. 8, v. 193—196.)

[3] De Herculis, qui ex Alceo avo „Alcides“ vocabatur (*Vergilius* l. c. l. 6, v. 123; l. 8, v. 219; *Horatius*, Carm. l. 1, carm. 12, v. 25), bobus quibusdam haec narrantur: Hercule dormiente „Cacus, ferox viribus, captus pulchritudine boum cum avertere eam praedam vellet, quia, si agendo armentum in speluncam compulisset, ipsa vestigia quaerentem dominum eo deductura erant, aversos boves, eximium quemque pulchritudine, caudis in speluncam traxit. Hercules ad primam auroram somno excitus cum gregem perlustrasset oculis et partem abesse numero sensisset, pergit ad proximam speluncam, si forte eo vestigia ferrent. Quae ubi omnia foras versa vidit nec in aliam partem ferre, confusus atque incertus animi ex loco infesto agere porro armentum occepit. Inde cum actae boves quaedam ad desiderium, ut fit, relictarum mugissent, reddita inclusarum ex spelunca boum vox Herculem convertit. Quem cum vadentem ad speluncam Cacus vi prohibere conatus esset, ictus clava . . . morte occubuit“: Ita *Livius* l. 1, c. 7.

[4] Phlegethon dicebatur esse fluvius tartareus, qui loco aquarum ignes habebat. Moenia „rapidus flammis ambit torrentibus amnis, Tartareus Phlegethon“: *Vergilius*, Aen. l. 6, v. 550—551.

Haud tamen, haud desunt sacri gregis auspice Christo
Doctores casta relligione viri,
Diuina qui luce dolos, technasque recludant
Et pandant verae dulce salutis iter.
Quos inter summo CANISI magne labore
Desudas, ingens dum tibi cura subest,
Vt rectum seruet Christi plebecula callem,
Nec sacrum saeuus captet ouile lupus [1].
Hoc tua scripta probant, quae tu mihi dona tulisti [2]
Magne vir, et multis concelebrande modis.
Pro quo Nestoreos tribuat tibi maximus annos
Regnator, faustos et sinat ire dies.
XI CAL : FEBR : M · D. XXCIIII.

Exemplum „Commentariorum de Verbi Dei corruptelis", in quo hoc carmen, ut supra dixi, scriptum est, Techtermanno donavit ipse Canisius. Hic enim in margine inferiore paginae prioris folii titularis sua manu haec scripsit: „Humaniss. uiro . D. Guilhelmo Tochtermannio, Reip. Friburgensis apud Heluetios Archigrammataeo Xenij et amoris ergo Author D. D." Exemplum idem vidi a. 1891 apud clariss. D. Arthurum Techtermann colonellum in eius praedio „Au Brouch" prope Friburgum Helvetiorum sito. Mentionem illius fecit *Genoud* 133[1].

2188. CLAUDIUS AQUAVIVA praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 9. Februarii 1584.

Ex commentario sic inscripto: „Friburgi P. Petro Canisio." G. Sup. 1 f. 110[b].

Epistula ad Borromaeum. Ab offensionibus carendum. Posserinus admonitus. Scriptores contra haereticos constituendi. Opus Marianum Parisiis edendum. Difficultates domesticae.

Accepi binas Reuerentiae V. litteras alteras [a] 22 octob. datas [3], alteras 30 Nouembris; quibus posterioribus cum suffragium tantum de Collegio Seguritano contineretur [4], nihil aliud occurrit respondendum · Prioribus igitur quod se ab Illustrissimo Cardinali Sanctae Praxedis [5] rogatum [b] significabat, ut aliquid scriberet de rebus Heluetiorum, placuit mihi quod Reuerentia V. tanto [c] Praesuli, et Societatis [d] nostrae adeo amico morem gesserit [6], maxime cum ea modestia quam se seruasse affirmat [e]. Hoc uero Reuerentia V. etiam in posterum si quid [f] eiusmodi postulabitur [g], retinere debebit, ut quam maxime abstineat ab omnibus quae in lucem prolata ullum offendere possint, idque praecipue cum de Cleri moribus ei loquendum erit.

De libris autem P. Posseuini quoniam istud Reuerentiae V. iudicium [7] iam antea ex quibusdam P. Prouincialis litteris cognitum nobis erat,

a) *Sequuntur vv.* 22 octob. paulo uetustiores, *oblitterata*. b) *Sequitur* scribebat, *oblitt.* c) *Sequitur* uiro, *oblitt.* d) *Sic; corrigendumne* Societati ? e) *Sequitur* Valde enim ual, *oblitt.* f) *Sequitur* simile, *oblitt.* g) *Sequitur* fac, *oblitt.*

[1] Cf. Mt 7, 15; Io 10, 12; Act 20 29.
[2] Vide, quae sub ipsum hoc carmen dicentur.
[3] Vide supra p. 176. [4] Vide supra p. 178.
[5] Sancto Carolo Borromaeo, archiepiscopo mediolanensi et apostolico per Helvetiam visitatore. [6] Has Canisii litteras v. supra p. 172. [7] Vide supra p. 168.

iudicauimus omnino esse ipsummet Patrem admonendum; quod iam[a] fecimus. Sed non ab re erit ut Reuerentia V. si quid simile notarit[b], nobis significet, ut si opus sit eo uti possimus. Atque illud etiam Reuerentiae V. consilium de aliquibus theologis deputandis ad scribendum contra haereticos non potui non probare, itaque cogitabimus de eo diligentius, et cum Dei gratia aliquid constituemus.

Quod attinet ad opus[c] Marianum, concedimus Reuerentiae V. ut[d] supplementum illud de quo scribebat conficiat, eoque confecto nos deinde admonere debebit, ut[e] Parisijs ubi recudendum est, aliquos designemus qui id iuxta Constitutiones nostras examinent[1]. Placuit autem mihi haec cogitatio eius in Francia imprimendi, idque spero[f] fore ad Dei, et ipsius Virginis gloriam, et multorum consolationem. Postremo quod attinet ad domesticas Collegij difficultates, sperandum est Christum Dominum eis pro sua misericordia subuenturum. Aderit etiam cito P. Prouincialis mandato nostro[2] ad eas pro sua parte explicandas, cui Reuerentia V. quicquid sibi occurret pro Collegij utilitate exponere poterit. Quare non aliud mihi restat scribendum nisi quod me Reuerentiae V. precibus et sanctis sacrificijs plurimum commendo. Romae 9° Febr. 1584.

Mandatum, quod *Aquaviva* se P. Georgio Bader provinciali de difficultatibus collegii friburgensis dedisse scribit, continetur in eius * litteris Roma 12. Ianuarii 1584 ad Baderum datis: „De Friburgensibus bonis, quando tam uariae sunt nostrorum sententiae, omnino necessarium iudicamus, quod se facturum scribebat ut Reuerentia V. eo se quam primum conferat, reque inspecta, et bene consultata tandem aliquid certi ad nos scribat, ut semel decernere possimus quid sit agendum. Atque inter caetera illud uelim ut Reuerentia V. diligenter consideret an bona illa per externum aliquem, industrium ac fidelem administrari possint: quamuis enim minorem fructum reddant bona stabilia, quam redderet eorum pretium si ex eo emerentur census, tamen multo securiora sunt quam sint[g] census, qui facile[h] . . . et mutationis periculis expositi sunt. Quare etiam si illa bona uendenda essent, praestaret alia bona stabilia uiciniora, et tutiora inuenire. Denique Reuerentia V. rem totam uidebit cum consultoribus et ad nos plenam informationem mittet" (ex comment.; G. Sup. 1 f. 108[b]).

2189. CANISIUS **P. FRANCISCO TURRIANO S. J.** Romae degenti.
Friburgo Helvetiorum inter m. Ianuarium et Martium 1584.

Vide Canisii epistulam m. Martio a. 1584 ad P. Franciscum Roccam datam, infra, ep. 2193.

2190. IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS nuntius apostolicus CANISIO. Praga m. Martio 1584.

Bonhomium hanc epistulam ad Canisium dedisse intellegitur ex eius litteris 28. Aprilis 1584 ad Canisium datis; ex quibus etiam, quid m. Martio Canisio scripserit, ex parte cognosci potest; v. infra, ep. 2195.

a) *Sequitur* cura *vel* cum *vel simile v., oblitt.* b) *Sequitur* id, *oblitt.* c) *Corr. ex* ad Reuerentiae V. d) *Sequitur* ad, *oblitt.* e) *Sequitur* in Francia, *oblitt.* f) *Sequitur* actum *vel aliud v., oblitt.* g) sit *comment.* h) *Sequitur v., quod legi non potest.*

[1] De parisiensi editione „Commentariorum de Verbi Dei corruptelis" vide infra, monum. 1353.

[2] De hoc mandato vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

2191. CANISIUS **P. IOANNI CREMERIO S. J.**, basilicae S. Petri romanae poenitentiario. Friburgo Helvetiorum m. Martio 1584.

Ex autographo (2°; 1 p.; in p. 2 inscr. et reliquiae sig.). Germ. 184 f. 74. Partem epistulae gallice reddidit *Raemy de Bertigny* 93.

Beneficia in ingratum collata. Irregularitas. Germani canones neglegunt. Liber Ninguardae. Casus conscientiae. Inimici. Professio fidei. Colonia. Calvinismus. Septem ecclesiae.

†

Pax Christi nobis aeterna Reuerende Pater.

Redijt ad nos tandem Osualdus, uestrasque et suas, id est, dispensatorias literas attulit, tum de rebus Romae gestis non pauca commemorauit. Ingenium hominis feri et agrestis, quod est propemodum indomabile, nos etiam satis experti sumus. Arbitror illum ex uere miseris atque pauperibus esse, quos Christus indicans dixit, Pauperes semper habebitis uobiscum[1]. Exercuit uestram et patientiam et charitatem. Quid autem gloriosius, quam ut[a] [?] non modo de minimis istis fratribus[2], sed et immerentibus et ingratis hospitibus bene mereri[a] [?] Vestram agnosco humanitatem. quod meo etiam nomine tantum laborum atque molestiarum sustinueritis, multisque beneficijs affeceritis hunc neophytum, qui huc reuersus nobis etiam parum se gratum ostendit. Fortasse uexatio tandem insipienti, quia seipsum ignorat, dabit intellectum[3], vt de suis rebus statuat rectius quam hucusque fecit. Dominus Jesus et nostri, et miserorum omnium misereri dignetur.

Gratum nobis fuit quod scripsisti de facultate dispensandi circa irregularitatem, nondum autem uidere contigit, quae de hoc argumento scripsit uenerandus antistes B. Foelicianus[4]. Recte autem dixit Pont. Max.,[5] Germanos non curare Canones, nimirum ob communem Cleri Germanici ac foedam imperitiam. Fortasse in futuro conuentu procuratorum aliquid Romae statuent Patres[6], quod ad certiorem et pleniorem Jrregularitatis cognitionem faciat, praesertim in hisce prouintijs Aquilonaribus tam grauiter laborantibus, et in quibus extraordinaria remedia saepe desiderantur.

a) *Aut hoc* ut *oblitterandum, aut paulo inferius pro* mereri *scribendum fuit* mereremini.

[1] Mt 26, 11; Mc 14, 7; Io 12, 8. [2] Mt 25, 40. [3] Is 28, 19.

[4] Felicianus Ninguarda († 1595) O. Pr. Morbinii (Morbegno) in Valle Tellina natus, episcopus fuit primum scalensis (1577), deinde Sanctae Agathae Gothorum (1583), tandem novocomensis (1588). Exstat „Enchiridion de censuris, irregularitate et priuilegiatis: non solum curam animarum gerentibus necessarium: verumetiam iudicium Ecclesiasticum exercentibus admodum vtile et commodum. Ad instantiam RR. DD. Metropolitani et Coepiscoporum Prouinciae Salisburgensis Fr. *Feliciano Episcopo Scalensi* Authore. 4. Ingolstadij apud Dauidem Sartorium. 1583": Ita *Catalogus* novus nundinarum autumnalium, Franckfurt am Mayn 1583, f. A 4ª.

[5] Gregorius XIII.

[6] „Congregatio Procuratorum" ex Societatis instituto (v. *Can.* VI 164) ipso hoc anno habenda erat. P. *Georgius Bader* provincialis Augusta Vindelicorum 5. Aprilis 1584 Aquavivae praeposito generali *scripsit: „Congregationem nostram [provincialem] celebrabimus deo uolente 14. Julij." (ex autogr.; Germ. 162 f. 224ᵇ).

Deo gratias ago, quod Romam ueneris obedientia duce, ubi cum optimis doctissimisque patribus quotidie uersari, et in conscientiae casibus Romanam praxim addiscere multi nostrorum exoptant, sed pauci hoc beneficium assequuntur. Quod si ratione commoda fieri poterit, uideas quaeso, an Bullam Coenae Domini postremo editam huc destinare possis: munus hoc nobis gratissimum foret.

De nostris rebus quid scribam nescio. Circumcingunt nos ardentes Caluiniani undique, et Jesuitas petunt uirulentissime, uelut hostes alios magis capitales ignorent. Conatus noster in hac uinea excolenda non est frustraneus, sed proxime hunc etiam fructum in Domino attulit, vt tota Resp. in fidei Catholicae professionem[a] non sine magna ciuium consensione iurarit ciuili magistratui. Idem iuramentum ab omnibus, qui sunt huius ditionis, exigitur atque praestatur: illa uero 80 parochijs constat[1]. Archiepiscopi Coloniensis D. Ernesti res meliore quam antea, loco esse gaudemus[2], Caluinismum autem sub Casimiro principe dolemus inualescere[3], indeque magis ac magis Jmperium Germanicum labefactari cernimus. Rogemus Dominum, ut multos et peritos e Germanis operarios accipiamus in hac uasta et deserta messe, quam tot syluestrae[b] [?] bestiae obruunt atque uastant. Cupio necessitudinem inter nos arctam ac perpetuam esse frater, ut alter alterum suis apud Deum sacrificijs et precibus fideliter iuuet. Friburgi Heluetiorum anno Christi 1584 mense Martio. Vtinam pro Canisio tuo septem et celebres illas Romae Ecclesias semel inuisas[4]. Jn Domino Jesu iterum uale.

Frater in Christo Petrus Canisius.

† Reuerendo in Christo Patri Joanni Cremerio Societatis Jesu, apud D. Petrum Poenitentiario Romae.

Cremerius Canisio respondit 13. Maii 1584.

a) *Sequitur* publice, *oblitt.* b) *Sic; corrigendumne* syluestres ?

---

[1] De hac fidei professione v. infra, monum. 1354.

[2] Gebhardo Truchsessio archiepiscopo in apertam libidinem et haeresim prolapso et per summum pontificem excommunicato atque ab officio remoto, Ernestus Bavariae princeps a. 1583 a capitulo electus erat archiepiscopus. At cum Gebhardus locum ei cedere recusaret atque archiepiscopatum illum in principatum civilem convertere conaretur, Ernestus, copiis bavaris et hispanis stipatus „bellum coloniense" gereret necesse erat. Gebhardi autem res in deterius vergere coeperunt, cum exeunte a. 1583 exercitus palatinus ab eo recessit. Atque exeunte m. Ianuario a. 1584 Ernestus Bonnam, quod erat praecipuum Gebhardi praesidium, occupavit.

[3] Ludovico principe electore Palatino, qui, Calvinismo abrogato, Lutheranismum in Palatinatum induxerat, 12. Octobris 1583 vita functo, Ioannes Casimirus eius frater, eam terram suscepit administrandam, ac, cum Calvinismo addictus esset, statim homines vi adigere coepit, ut ad Calvinismum reverterentur.

[4] Septem praecipuas urbis romanae dicit ecclesias: S. Ioannis in Laterano, S. Petri in Vaticano, S. Pauli extra muros, S. Mariae maioris, S. Laurentii extra muros, S. Crucis in Jerusalem, S. Sebastiani. Quas pie obire iam olim fideles et romani et peregrini consueverant. Cf. *Jos. Hilgers* S. J., Die Ablässe I[11]. Paderborn 1915, 528—529.

2192. CANISIUS cardinali **GUILIELMO SIRLETO**, Sanctae Romanae Ecclesiae bibliothecario. Friburgo Helvetiorum m. Martio 1584.

Ex apographo, quod a. 1896 D. Vincentius Nardoni exscripsit ex autographo, quod exstat Romae in bibliotheca vaticana, Cod. Vatic. 6195 f. 413.

De testimoniis Patrum Operi Mariano adiungendis et de Sirleti adnotationibus in Scripturam edendis.

†

Pax Christi Iesu nobis aeterna, Illustriss. Domine Cardinalis.

Duo sunt quae scribam amplitudini tuae: alterum ut me ingratitudinis uitio ac suspicione liberem: alterum, ut optimi Patroni studium de Catholica fide bene merendi confirmem. Essem enim uehementer ingratus, nisi constantem erga me beneuolentiam, et officiosam charitatem toties declaratam doctissimi Cardinalis agnoscerem ac praedicarem. Benedictus author et fons bonorum omnium, qui tam locupletem et munificum mihi patronum excitauit, cuius opera et praesidio Deiparae Virginis causam magis ac magis illustrem ac proueham [1] uel inuitis Antidicomarianis [?] [a] [2] omnibus. Bene est quod pietas tua meo nomine, quantumuis [b] impediant aliae curae, interpellatur, nec moleste fert toties rogari ac moneri, ut e suis thesauris ueterum [?] [c] monumentis [?] [c] porrigat aliquid, quod Mariano argumento pertractando seruiat. Versamur enim in Aquilone, unde malum omne panditur [3], et selectis Patrum testimoniis quae ad tantae Virginis gloriam tuendam spectant, misere destituimur [d] uti sapientiae tuae ignotum esse non potest. Nihil autem huic instituto quod multis iam annis promouemus, utilius, nihil nobis gratius esse potest, quam eiusmodi ueterum sententiis Catholicam ueritatem stabilire, et haereticam falsitatem euertere atque profligare.

Memini sane cum Romae aliquando agerem, intelligere [?] [e], Illustriss. dignitatem tuam in uotis habere, ut non pauca diuinae scripturae loca, quae iam pridem obseruasset, scholiis quibusdam explicata ederet, eoque studio seruiret posteritati. Ego uero, si cum tanto Patrono fidenter agere par est, etiam atque etiam rogo et obsecro Celsitudinem tuam, vt hoc praeclarum sanctumque lucubrandi institutum pro uirili urgeat et absoluat [4]. Ita enim laboris sui praemium a Christo

a) *Corrigendumne* Antidicomarianitis? *Ita certe Canisius in Opere Mariano, l. 2, c. 8 10 (l. c. p. 171 185). Cf. infra, adnot. 2.* b) quantuisuis *autogr.* c) *Sic; scribendum fuisse videtur aut* ueterumque monumentis, *aut, id quod mihi magis probatur:* ueterum monumentorum. d) destituimus *apogr.* e) *Sic apogr.; corrigendumne* intellexisse me?

[1] Sirletus ex bibliotheca sua complures Patrum graecorum sententias cum Canisio Opus Marianum parante communicaverat; v. *Can.* VII 487—488.

[2] Ἀντιδικομαριανιτῶν nomine a *S. Epiphanio* haeretici quidam designantur, qui B. Mariam Christo nato S. Ioseph coniugi concubuisse dicebant: Adversus haereses l. 2, tom. 2, haer. 58 sive 78 (*Migne*, P. gr. XLII 700).

[3] Ier 1, 14; cf. 4, 6.

[4] Sirletus, gravioribus negotiis, ut videtur, distractus, laborem hunc absolvere non potuit. Attamen a P. *Hildebrando Höpfl* O. S. B. anno 1908 Friburgi Brisgoviae typis exscripta sunt: „Kardinal Wilhelm Sirlets Annotationen zum Neuen Testa-

amplissimum referet, ac de rep. Christiana optime merebitur, ac fidem aeterno numini fortasse datam pulcherrime liberabit. Christum omnis sapientiae fontem et principem[a] [?] ex animo precor, ut nos electae uineae[1] suae, quoad uiuimus, fidos et idoneos operarios reddat[2]: uenit enim nox, quando nemo potest operari[3]. Quod superest amplitudini tuae et me, et procuratorem p. Franciscum a Rocca[4] commendo maxime. Friburgi Heluetiorum anno post Christum natum 1584, mense Martio.

Illustriss. dignitatis tuae

Seruus indignus
Petrus Canisius.

Illustriss. et Reuerendiss. Domino, Domino Guilhelmo Sirleeto[b] Bibliothecario Apostolico, patrono amplissimo. Romae.

2193. CANISIUS **P. FRANCISCO A ROCCA S. J.** Romae degenti.
Friburgo Helvetiorum m. Martio 1584.

Ex autographo (2°; 1 p.; in p. 2 inscr.). Germ. 183 f. 294.

Sacrae reliquiae in templum Societatis romanum illatae. Cardinalis Sirletus. Collegii germanici prosperitas. P. Turrianus. Gregorius XIII. Rosarium Beati Edmundi Campiani. Germani in Societate. Bulla Coenae. Martyres angli.

†

Pax Christi nobis aeterna frater chariss.

Tandem ad nos redijt Osualdus, de quo bene meriti estis, ut uobis et Patribus multum ambo debeamus. Sed et pergratae fuerunt literae uestrae, multisque consolationem adferent, praesertim ob descriptum illum ut pium, ita insignem apparatum, quem[c] sacris Martyrum reliquijs transferendis tota urbe loete spectante tribuistis. Benedictus Deus, qui nouum templum tanto thesauro decorauit, talesque Patronos dedit Societati, quorum singularis et immortalis memoria latissime uigeat, et qui nunc primum ex obscuris abditisque locis eruti, quodammodo in orbe renati esse uidentur[5]. Habes ut optasti, meas ad Jllust. Cardin. literas, in quibus te meum ueluti procuratorem nomino: utinam plura mittat ueterum elogia, quae ad Deiparam[d] illustrandam faciant[6][e]. Non impedio quin reserentur.

a) *Corrigendumne* principium? b) *Sic autogr.; scribendum fuit:* Sirleto. c) *Ita a C. correctum est ex* quae. d) *Sequitur* causam, *oblitt.* e) *Quattuor vv. sqq. a C. postea inserta sunt.*

ment. Eine Verteidigung der Vulgata gegen Valla und Erasmus. Nach ungedruckten Quellen bearbeitet" (Biblische Studien XIII 2). [1] Ier 2, 21.

[2] Cf. Mt 20, 1—16; 21, 28—31; Mc 12, 1—9; Lc 20, 9—16.

[3] Io 9, 4. [4] Vide infra, ep. 2193.

[5] Sanctorum Abundii et Abundantii, qui Romae sub Diocletiano martyrium obierant, corpora a. 1582 in ecclesia SS. Cosmae et Damiani sub altari quodam reperta Gregorius XIII. ecclesiae sanctissimi Nominis Iesu apud domum professam Societatis cura Alexandri cardinalis Farnesii paullo ante funditus erectae donavit; in quam 15. Septembris 1583 sollenniter translata sunt (*Acta Sanctorum.* Septembris Tomus quintus, Antverpiae 1755, 308—310).

[6] Has litteras ad Guilielmum cardinalem Sirletum datas v. supra p. 187.

Gratulor Germanico collegio tales fructus adferenti, qui ad Germaniam restituendam spem nobis amplissimam in Domino praebent. Confirmet Christus quod coepit in hoc praeclaro seminario, unde miseranda totque modis deprauata natio non immerito praesidia propemodum extrema suis morbis applicari desiderat et expectat. Gratulor et collegij huius Rectori[1], qui inter spinas asperas iam colligit rosas, ut suorum laborum hunc dulcem quoque fructum experiatur. Adeo uerum est illud: Ecce, agricola expectat preciosum fructum terrae, patienter ferens, donec accipiat temporaneum et serotinum[2]. Salutem illi ex me dici plurimam uelim, sicut et R. P. Bobadillae, et P. Hoffaeo, alijsque p. Assistentibus[3], quos diu superstites nobis bonitas diuina conseruet.

Ad P. Turriani literas respondi: mirum sane Patrem illum hac aetate tam multa scribendo praestare[4]: sed potentia Dei nostram uincit imbecillitatem, et zelus domus Dei[5] multum etiam in senibus ualet.

Bene sit Gregorio XIII. Pont. Max. et Romani Collegij fundatori, nostraeque societatis alteri Moecenati atque parenti, cui tam multa ubique gentium debent orthodoxi. Recte factum, quod mei memoriam non deponas in septem Ecclesijs et apud sanctos Martyres nuper inuentos, quorum historiam uidere percupio[6]. Dictis Patribus, ut pro me dominum rogent, ualde cupio commendari. Dominus Iesus felix nobis pascha[7] tribuat. Friburgi Heluetiorum mense Martio anni 1584.

Tuus in Christo frater Pet. Canisius.

Rosarium Emundicum ualde gratum apud me munus fuit[8]. Vtinam Catalogum habeam Germanorum, qui proximis annis uocati sunt a

---

[1] P. Michaëli Lauretano S. J. [2] Iac 5, 7.

[3] Claudio Aquavivae a. 1581 a Societatis congregatione generali hi, praeter Hoffaeum, adiuncti erant „assistentes": Laurentius Magius pro Italia, Garcias de Alarcon pro Hispania et Indiis ad eam pertinentibus, Georgius Serranus pro Lusitania, Indiis Orientalibus, Brasilia (*Institutum* S. J. II 251).

[4] P. Franciscus Turrianus S. J. (natus circa a. 1509) a. 1583 Ingolstadii in lucem emisit „Posteriorem defensionem locorum Scripturae de una Ecclesia Catholica in terris visibili, et de Episcopo eius Pontifice Romano" contra Antonium Sadeelem, item „Epistolam ad quemdam in Germania Theologum contra Ubiquistas, Arianistas". Anno autem 1584 ibidem praeter defensionem sacrae domus lauretanae, quam supra (p. 181) dixi, edidit adversus Sadeelem „Ἔλεγκον δυσωτηρικον sive . . . deprehensionem confessionum et mendaciorum eiusdem", et Romae vulgavit „Epistolam . . . de redditibus Ecclesiasticis et ratione iis utendi". Titulos integros posuit *Sommervogel* VIII 120—121. [5] Ps 68, 10; Io 2, 17.

[6] Anno 1584 a P. *Fulvio Cardulo* S. J. Romae editus est liber (auctoris nomine in titulo non ascripto): „Sanctorvm Martyrvm Abvndii Presbyteri, Abvndantii diaconi, Marciani, et Ioannis eius filij, Passio Ex tribus vetustissimis, et manu scriptis Codicibus deprompta, Cui additae sunt Inuentiones, et Translationes, et ad historiam Notae" (*Sommervogel* II 744).

[7] Hoc futurum erat 1. Aprilis (kalendarii gregoriani).

[8] Ea, quae Canisius paullo inferius scribit, ostendunt, Canisio missum esse rosarium sive sertum precatorium, quo usus erat Edmundus Campion sive Campianus.

Domino ad societatem, et in eadem uocatione persistunt, cupio enim eorum et Germaniae nomine gratias uocanti Deo singulares agere, omnibusque precari sanctam in accepta gratia constantiam. Praeterea si quae mutatio in Bulla coenae Domini facta est, siue hoc, siue superioribus aliquot annis, eam nobis exponas quaeso. Nihil audimus de novis Martyribus, qui post b. P. Emundum suum pro fide sanguinem fuderint, nostraeque societatis uineam irrigarint [1]. Colligat sibi Christus euidentem fructum ex praecipuis missionibus, praesertim in oriente factis ad Catholicae fidei, quae apud nos adeo labefactatur, propagationem. Habes iam quod respondeas, si sit ocium: nihil enim uereor amicissimo fratri scribere, cuius apud Dominum non obliuiscar. Iterum in Christo cum Germanis omnibus uale. Salutabis ex me quoque P. [a]

Reuerendo in Christo Patri Francisco Rocca, Societatis Jesu sacerdoti ualde dilecto. Romae.

2194. CANISIUS **SANCTO CAROLO BORROMAEO**, cardinali, archiepiscopo mediolanensi.

Friburgo Helvetiorum 5. Aprilis 1584 (kalendarii gregoriani).

Ex autographo (2°; ½ p.; in p. 4 inscr. et reliquiae sig.), quod exstat Mediolani in bibliotheca ambrosiana, Cod. „F. inf. 175" f. 198ᵃ 204ᵇ. Epistulae summa brevis posita est ab *E. Wymann* in „Der Geschichtsfreund" 54. Bd., Stans 1899, 109, et in „Der heilige Karl Borromeo und die schweizerische Eidgenossenschaft", Stans 1903, 250. Idem eam commemoravit in „Kardinal Karl Borromaeo in seinen Beziehungen zur alten Eidgenossenschaft", Stans 1910, 150.

Fornerii legatio. S. Carolus in Helvetiam venturus.

a) *Sic!*

Hic, a. 1539 Londini natus, cum aliquamdiu ecclesiae anglicanae diaconum egisset, a. 1569 ad ecclesiam catholicam rediit, a. 1573 Romae Societati Iesu nomen dedit, deinde per aliquot annos in collegio pragensi docuit, anno denique 1580 in Angliam missus est, ubi catholicis egregiam operam praestitit, donec proditoris ope captus, 1. Decembris 1581 Londini Elisabetha regina iubente perduellionis praetextu per suspendium necatus et in quattuor partes distractus est. Ei atque Alexandro Briant S. J., qui eius et laborum et passionis socius fuerat, Leo XIII. a. 1886 beatorum martyrum honores decrevit (*J. Lingard,* The History of England VI[6], Dublin 1874, 164—168; *Jos. Spillmann* S. J., Die englischen Martyrer unter Heinrich VIII. und Elisabeth, II[2], Freiburg i. Br. 1900, 363—379; *Pastor* IX 284—294).

[1] P. Thomas Cottam, 8. Aprilis 1579 Romae in Societatem Iesu admissus, 20. Maii 1582 Londini eodem supplicii genere, atque PP. Edmundus Campion et Alexander Briant, interemptus est. Hos praecesserant duo alii Societatis sacerdotes: Thomas Woodhouse 29. Iunii 1573, Ioannes Nelson 3. Februarii 1578 pro fide catholica mortem obierant. His accesserunt a. 1582 et 1583 Robertus Johnson, alumnus collegii germanici, et sacerdotes aliquot, qui Romae in collegio anglico Societatis alumni fuerant. Horum quoque omnium cultum, iam Gregorii XIII. auctoritate probatum, Leo XIII. a. 1886 confirmavit (*Lingard* VI 168; *Spillmann* II[2] 138—144 189 190 217 224 392—394 405—413; *Steinhuber* I[2] 85—86; *William Cardinal Allen,* A briefe Historie of the glorious Martyrdom of twelve reverend Priests, Father Edmund Campion and his Companions, edited by the Rev. *J. H. Pollen* S. J., London 1908, 20—21 47—55 62—66 77—88 111—117).

†

Pax Christi Jesu nobis aeterna.

Jllustriss. et Reuerendiss. Domine.

Pergratus nobis aduentus fuit Ambrosij, qui et suo munere[a] [?] praeclare satisfecit, quum apud nos in Heluetia egit[1]. Etsi uero multa cum illo egi familiariter, tamen quum huc accesserit amplitudo tua, multo de his certius poterit iudicare. Deo gratia, qui non Apostolico Nuntio, sed tali Cardinali et Heluetiae Protectori[2] hanc tanti momenti legationem iniunxit[3]. Nec dubito Diuinam bonitatem ut saepe alias, ita hic etiam pietatis tuae conatibus clementer adfuturam, quantumuis haeretici nobis uehementer obsistant. De alijs quae antea perscripsi, et ad Catholicam Heluetiam, siue Clerum[b], siue populum spectant, nihil est opus repetere, ut mihi persuadeo. Speramus in Domino fore[c], ut non multo post Pentecosten[4] Celsitudo tua se adiungat Heluetijs, magnumque fructum in hac messe praebeat. Dominus Jesus amplitudinem tuam diu nobis et Ecclesiae incolumem servet. Friburgi Heluetiorum anno 1584 5 Aprilis[d].

Seruus in Christo Pet. Canisius.

† Jllustriss. et Reuerendissimo in Christo Patri ac Domino, D. Carolo S. Praxedis uirg. Cardinali, Archiepiscopo Mediolanensi, et [Heluetiae] Protectori, patrono amplissimo.

2195. IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS, apostolicus apud imperatorem nuntius, episcopus vercellensis, CANISIO.

Praga 28. Aprilis 1584.

Ex commentario ipsius Bonhomii manu tum scripto (2°; $2^1/_2$ pp.) tum sic inscripto: „Ad P. Canisium. 1325." Cod. „Bonh. 2" p. 171—173.

Deus collegium iurabit. Pontifex Germanis magnam pecuniam misit. Ab eo subsidia peti poterunt. Optandum, ut Borromaeus in Helvetiam veniat. Sodalitas.

a) *Corrigendumne:* muneri? b) *Sequitur* spectant, *oblitt.* c) *Sequitur* fere *vel simile v., oblitt.* d) *Sequitur* 158, *oblitt.*

[1] Grisones magistratus pagi roboretani (Roveredo) imperio suo subiecti in vincula coniecerant, quod S. Carolum Borromaeum ad se invitassent, secretas pactiones cum eo fecissent, ei, ut collegium Societatis Roboreti conderet, permisissent, harum rerum Curiae praetori urbis rationem reddere recusassent. Eorum adiuvandorum causa Borromaeus circa initium a. 1584 Ambrosium Fornerium sive Fornarium virum laicum (qui Friburgo Helvetiorum ortus esse et Borromaei cubicularium egisse videtur ac m. Novembri 1584 Mediolani procurator collegii helvetici fuit) ad septem pagos Helvetiae catholicos misit; quorum opera Roboretani illi liberati sunt (*Mayer* I 198—199; cf. 179; *Wymann*, Der heilige Karl etc. 186 259 263). Litteras, quibus Lucas Dakh praetor Roboretanos 4. Decembris 1583 (styli veteris) iusserat Curiam ad rationem reddendam venire, edidit *Theod. v. Liebenau* in „Katholische Schweizer-Blätter" 3. Jahrg., Luzern 1887, 308.

[2] Carolus iam a. 1560 a Pio IV. Helvetiae apud Sedem Apostolicam „protector" constitutus erat (*Mayer* I 171).

[3] S. Carolus a. 1584 in Helvetiam, atque etiam Friburgum, venire ibique visitatoris apostolici munere (v. supra p. 170[2]) fungi volebat (*Berthier*, Bonh. 125—127).

[4] Dominica Pentecostes futura erat d. 20. Maii kalendarii gregoriani.

Admodum Reuerende pater, uti frater in Domino, et amice Charissime. Non satis mirari possum tantam literarum uestrarum tarditatem, quod trimestri spatio Friburgo Pragam peruenire non potuerint. Si tamen deinceps[a], ut ante monui, mittentur Mediolanum ad Illustrissimum D. Cardinalem Sanctae Praxedis[1], multo expeditius iter hoc conficient, cum inde XV circiter dierum spacio ad nos aduolare soleant. Neque uero minus sum miratus meas Ensishemij datas[2], atque ad Reuerendissimum Episcopum Basileensem[3] missas ipsique eiusdem Episcopi suffraganeo[4] per me[b] ipsum Friburgi Brisgouiae traditas tam sero Friburgum Heluetiorum perlatas fuisse.

Caeterum, quod necessitates uestras attinet, doleo ex animo, non posse me hoc tempore, quam cuperem, opem afferre; sed n o n ideo a b b r e u i a t a e s t m a n u s D o m i n i[5]: neque diffido, fore, ut diuina benignitate, cum minus fortasse cogitaueritis, uobis succurratur; imo[c] quo maiores fuerint istius Collegij angustiae, eo uberiorem exinde fructum perceptum iri equidem spero; spem igitur uestram exercere uult Deus optimus absque dubio, opportunum uobis auxilium laturus in tempore suo; Summum Pontificem[6] nunc pro subsidio sollicitari haud probo[d], cum multa hoc anno praeter solitum impenderit; centum scilicet millibus[e] Jmperatori[7] pro finium Ungaricorum defensione[f] totidemque et amplius Coloniensi Archiepiscopo[8] ad arcendum Apostatam[9], recuperandaque ecclesiae illius bonae rogatis[10]. Iterum[g] [?] sedatis paulisper his turbis Coloniensibus, ineunteque proxima hieme non ab re fore putarem, si Senatus ad Romanum Pontificem literas daret deprecatorias, proque ecclesiae, et Collegij fabrica, atque itidem pro biblioteca instruenda aliquid conferri ab illius Sanctitate enixe peteret: Nulla porro, meo sane iudicio, certior[h] efficaciorue esset impetrandae opis ratio[i], quam quod Illustrissimus ac Reuerendissimus Sanctae Praxedis Cardinalis coram uestras necessitates inspiceret, spemque maximam incre-

a) *Tria vv. sqq. supra versum scripta sunt.* b) *Sic Bonh. correxit ex:* miratus P. T. XXII Ianuarij die conqueri, nullas meas *[correctum ex* mearum*]* aestate, autumnoue istuc perlatas esse, cum antea scripserit tamen. c) *A Bonh. correctum ex* imo uero. d) *A Bonh. correctum ex* probarem e) *A Bonh. correctum, ut videtur, ex* millia. f) *Sic in comm. correctum est ex* pro finibus Ungaricis. g) *Hoc v. obscurius scriptum est.* h) *Hoc v. supra versum scriptum est.* i) *Sequitur* esset, *oblitt.*

[1] S. Carolum Borromaeum archiepiscopum mediolanensem.

[2] Bonhomius initio m. Septembris 1583 Ensishemii fuit; v. supra p. 168.

[3] Iacobum Christophorum Blarer a Wartensee.

[4] Episcopus suffraganeus basileensis fuit a. 1566—1600 Marcus Tegginger (*Heinr. Schreiber*, Geschichte der Albert-Ludwigs-Universität zu Freiburg im Breisgau II, Freiburg i. Br. 1868, 302—305). Qui alibi (*Steffens-Reinhardt* II 160[2]; *Stückelberg* II 55) „Tettinger" vocatur.

[5] Is 59, 1. [6] Gregorium XIII. [7] Rudolpho II.

[8] Ernesto Bavariae principi; v. supra p. 186[2] et cf. *Theiner* III 397—399.

[9] Gebhardum Truchsessium.

[10] Tantas pecunias Rudolpho et Ernesto a pontifice datas esse *Bonhomius* etiam Petro Schnewly praeposito friburgensi 27. Aprilis 1584 *scripsit, addens: „de quibus ego, si quisquam alius, testari uere possum" ex commentario: Cod. „Bonh. 2" p. 169). Cf. etiam *Pastor* IX 657.

dibilis fructus in regione ista percipiendi non modo ipse conciperet, sed etiam summo Pontifici sua authoritate et facere et inijcere posset haud dubiam: verumenimuero, ut superiore quoque mense scripsi, dum ad uestras ipso Sanctae Catharinae sacro die[1] datas responderem, dignam istam prouinciam non existimo, tali tantoque Duce, Medico, et Doctore, qui unus certe, ex ijs omnibus, quos ego hac tempestate nouerim, inueteratis[a] Heluetiorum, Clerique praesertim, morbis, salutaria adhibere posset remedia[2]: Quod si illum satrapae[3] admiserint, fatebor equidem toto me[b] coelo aberrare: Quas, rogo, bone Deus, rationes excogitabunt, quibus illum[c] a finibus Heluetiae arceant, aut saltem honeste[d] ne ingrediatur impediant? Tandem autem consilia impiorum interibunt, Domini uero consilium manebit, immo in aeternum manet[4]; qui si statuerit hoc tempore misero isti prouinciae succurrere, optimum Cardinalem mittet, ipsis etiam Satrapis inuitis: ad quem rogo etiam, atque etiam Paternitatem Tuam, ut frequentes literas dare uelit, quo[e] illum de rebus Heluetiorum diligenter certiorem faciat. Si enim consilia, et uota uestra[f] simul contuleritis, confido plane, et Diuinam Maiestatem precibus, et homines consilijs cessuros: Marianae sodalitati uniuersae, fratribus, collegisque uestris et amicis omnibus[g] plurimam dico, precorque salutem a Domino, omniumque precationibus[h] me, quam maxime possum, obnixe commendo[i], hominem quam [?][k] plurimis miserijs refertum, bonorumque omnium spiritualium egentissimum. Pragae IIIJ° Cal. Maij MDLXXXIIII.

2196. CANISIUS **P. PAULO HETZCOVAEO S. J.,** confessario Magdalenae archiducissae Austriae.

Friburgo Helvetiorum 2. Maii 1584.

Ex apographo saeculo XVII., ut videtur, scripto. Cod. monac. „Lat. 1606" f. 154. Epistulam germanice reddidit *Riess* 502—503; gallice eam posuerunt *Alet* 282—285 et *Michel* 404—408; qui tamen omnes eius, ad quem data est, nomen non noverunt.

Aegrotantem consolatur et ad patientiam exhortatur.

Fuit apud nos R. P. Prouincialis[5], ac de ualetudine tua nobis exposuit ea, quae non sine animi molestia percepimus, quemadmodum

a) *A Bonh. correctum ex* inueteratos; *sequitur* morbos, *oblitt.* b) *Sic Bonh. correxit ex* me toto. c) *Sequitur* arcere *vel simile v., oblitt.* d) *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.* e) *A Bonh. correctum ex* quibus eum. f) *Sic Bonh. correxit ex* preces uestras. g) *Sic Bonh. corr. ex* omnibus amicis. h) *Sic Bonh. corr. ex* precibus. i) *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.* k) *Hoc v. obscurius scriptum est.*

[1] 25. Novembris.

[2] S. Carolus, visitator apostolicus Helvetiae a Gregorio XIII. constitutus, eo anno ad id munus obeundum in Helvetiam venire statuerat; v. supra p. 191[3].

[3] Helvetiorum et protestantium et catholicorum magistratus civiles significat; v. infra, ep. 2200.

[4] Ps 32, 11.

[5] P. *Georgius Bader* praepositus provincialis Oeniponte 6. Iunii 1584 Aquavivae generali *scripsit: „Post illas" litteras, „quas 12. Apr. dedi" ad V. R. P., recta me in Heluetiam, ad duo illa collegia, friburgense et lucernense, „uisitanda contuli" (ex

grauiter, et multis morbis obnoxius laborares. Vtinam uero aegroti omnes agnoscant, aegritudinem non inferiore loco, quam sanitatem habendam, ac utrumque summum Dei donum existimandum esse[1], multoque melius in cruce uersari mortales, quam huius mundi uoluptatibus perfrui.

Audisti saepe, non decere, ut sub spinoso et cruentato capite membra esse delicata uideamur[2]. Imo nihil homini Christiano conuenientius et pulchrius, quam ut Christo Domino Crucifixo, et in grauissimis cruciatibus pendenti atque uulnerato se se conformet. Haec piorum et electorum sors est, ac gloria, ut Christum eadem crucis uia, quam pressit ille, et feliciter nobis praeparauit, non grauatim sequerentur, atque ita in cruce Domini sui constanter glorientur[3]. Hoc dum faciunt, non Adae, sed Dei filios se esse confirmant, et uero Christi spiritu renouati[4], non in carne, sed in Spiritu Sancto fiduciam locant[5], et cum Paulo dicunt: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me uirtus Christi. Cum infirmor, tunc potens sum[6]. Quare per communem Dominum, qui pro nobis, et ad nos in cruce, imo et in morte confirmandos tam multa et acerba pertulit, etiam atque etiam te rogo Frater Paule, ut in his doloribus, quasi mortis praenuntijs, aeternaeque uitae anteambulonibus te ipsum erigas, ac spiritu fortissime inclames. Vbi es Domine Jesu? Respice filium ancillae tuae[7], imo sponsae tuae, quae me tibi peperit, Ecclesiae[8], seruus tuus sum[9], pretio sanguinis hic[?][a] magno redemptus[10], et regno tuo aggregatus, imo et corporis tui membrum[11] me facere uoluisti, meque non modo fratrem, sedet cohaeredem elegisti[12], in utraque Ecclesia militante atque triumphante. Scio nihil nisi poenas et flagella mihi ut inutili seruo[13] deberi. Verum hic ure, hic seca, ut in aeternum parcas[14]. Virga tua et baculus

a) *Sic apogr.; legendumne* sic?

autographo; Germ. 163 f. 16[a]. Baderum 29. Aprilis Friburgi fuisse intellegitur ex senatus friburgensis *litteris publicis 30. Aprilis 1584 datis, de quibus infra plura dicentur.

[1] *S. Ignatius* monuit: „Curent omnes ex morbis corporis fructum capere: ... ostendant aegritudinem acceptari, ut donum, de manu Creatoris ac Domini nostri; quandoquidem non minus donum est quam sanitas“: Constitutiones P. 3, c. 1, n. 17. Eadem infirmis praecipiuntur in „*Summario* Constitutionum“ reg. 50.

[2] „Pudeat sub spinato capite membrum fieri delicatum“: *S. Bernardus,* In festo Omnium Sanctorum sermo 5, n. 9 (*Migne,* P. lat. CLXXXIII 480).

[3] Gal 6, 14. [4] Cf. 2 Cor 4, 16; Eph 4, 23. [5] Phil 3, 3.

[6] 2 Cor 12, 9 10. [7] Ps 85, 16; 115, 16.

[8] Cf. Io 3, 29; Eph 5, 25–32; Apc 21, 2 9.

[9] Ps 115, 16; 118, 125; 142, 12; Sap 9, 5.

[10] 1 Cor 6, 20; cf. 7, 23; 1 Petr 1, 18 19.

[11] Eph 5, 30; cf. 4, 15 16; 1 Cor 6, 15. [12] Cf. Rom 8, 17 29.

[13] Mt 25, 30; Lc 17, 10.

[14] Verba „Hic ure, hic seca“ etc. S. Augustino attribui solent, sicut etiam Canisius fecit in exhortatione quadam sacra ad Socios habita (*G. Schlosser* S. J.,

tuus, ipsa me consolata sunt[1]. Nisi diligeres, non corriperes. bonum mihi, quia humiliasti me, ut mundi, carnis, et mei ipsius oblitus discam iustificationes tuas[2], et ex te solo pendeam, qui nobis factus es uia ueritas et uita[3]. Atque haec eo spectant, mi Frater, ut manum Domini te clementer paternoque animo uisitantis agnoscas, deinde ut cogites, cuique portam angustam, et uiam arctam[4] ad salutem consequendam aeternam deputari, tibi uero hanc portam et uiam, in qua modo uersaris, inde ab aeterno praestitutam esse, per quam gradi et transire debeas ad iucundissimam illam beatitudinem, quae omnes huius uitae labores et angores cum summâ et perenni uoluptate commutat. Animo ergo esto uirili, nec trepida; Christum Crucifixum ob oculos positum tene; illius uulneribus praeteritas animae sordes immerge, ex illo fonte hauri[5], quidquid tibi deesse sentis ad dignos poenitentiae fructus[6] exhibendos, et ad complenda uota religionis et uocationis, cui te totum consecrasti.

Neminem praeterita peccata laedunt aut nocent, si praesens dolor accedat, quoniam contritio delet, ac abstergit omnia: Rogo sane Christum, et rogabo libens, ut sanctam patientiam, quae medicina tibi nunc maxime necessaria est, in te augeat, utque malorum horum exitum felicem ad salutem animae tuae perpetuam largiatur. In Christo certa, propter Christum uince ac triumpha dilectissime Frater, te uidere cupio in patria coelesti, ubi nos mutuo complectemur. Friburgi 2. Maij.

Frater ex animo tuus

Petrus Canisius.

Apographum librarius sic inscripsit: „1584. Paulum N. / Ad quendam Societatis Iesu Consolatoria in aegritudine". Quis autem ille fuerit, intellegitur ex * litteris Augusta Vindelicorum 5. Aprilis 1584 a P. *Georgio Bader* praeposito provinciali ad Claudium Aquavivam praepositum generalem datis; in quibus ille de P. Paulo Hetzcovaeo Magdalenae reginae et feminarum in pio eius sodalitio viventium confessario (cf. *Can.* VII 545) * scripsit: „Halae P. Paulus grauiter decumbit, vt uideatur infirmitas ad mortem. Scribit tamen Rector[7], infirmitatem hanc effecisse iam quod diuersi superiores hactenus efficere non potuerunt · ea collegio ob hanc causam molestior est quod Serenissima eius sedulam curam gerens, obtrudat nescio quos homines, qui ej seruiant die ac nocte. Sed ferenda sunt, quia aliter fieri non possunt" (ex autogr.; Germ. 162 f. 224[b]). Hetzcovaeus Halae 10. Ianuarii 1585 vita functus est (Cod. „Hist. Soc. 42" Deff. Germ. Sup., in a. 1585).

Beati Petri Canisii Exhortationes domesticae, Ruraemundae 1876, 18). Prudenter tamen ille ea attributione hic supersedit. Vix enim dici potest, quo loco librorum, qui vere Augustini sunt, legantur. Quare etiam *Cornelius a Lapide* S. J., cum in Habacuc 3, 16 S. Augustinum haec dicentem inducit, ubi ille ita dicat, non prodit (Commentaria in Prophetas minores, Venetiis 1703, 410). Attamen simile aliquid est in *Augustini* Enarratione II. in Psalmum XXI, n. 4: „Sub medicamento positus ureris, secaris, clamas: non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem" (*Migne*, P. lat. XXXVI 173).

[1] Ps 22, 4. [2] Ps 118, 71. [3] Io 14, 6. [4] Mt 7, 13 14; Lc 13, 24.
[5] Cf. Is 12, 3. [6] Lc 3, 8; Mt 3, 8.
[7] P. Henricus Arboreus (*Duhr*, Jes. I 194[1]).

2197. P. IOANNES CREMERIUS S. J., poenitentiarius, CANISIO.

Roma 13. Maii 1584.

Cremerius inscriptioni litterarum m. Martio 1584 a Canisio ad se datarum ascripsit: „Accepi mense Aprili · Rescripsi 13. Maij." Cremerii epistula perisse videtur.

2198. CANISIUS **IOANNI FRANCISCO BONHOMIO,** apostolico apud imperatorem nuntio, episcopo vercellensi.

Friburgo Helvetiorum 15. Iunii 1584.

Ex apographo partis harum litterarum eodem tempore scripto, quod est in archivo vaticano, „Nunz. di Germ. 106" p. 273—274, et ex apographo epistulae Bonhomii, de quo plura dicentur infra, ep. 2200.

Sodalitas. Scholae. Professio fidei. Bernatium pagi obruti. Ieiunium a Generensibus indictum. Aedificia nova.

Bonhomius litterarum Friburgo Helvetiorum 15. Iunii 1584 a Canisio ad se datarum (v. infra, ep. 2200) hanc ad cardinalem Comensem, Gregorii XIII. secretarium maiorem, misit partem, suo iussu ex archetypo exscriptam:

— — Jam vero nostris de rebus parum habeo dicere, nota sunt societatis ministeria, in quibus christo duce progressum facimus, de Mariana inprimis sodalitate bene merentes, quae his etiam diebus patrono suo D. Vercellensi incolumitatem a summo Deo precata est. Noua breui classis accedet[1], ut scholae studia prouehantur, eaque Friburgi magis, quam Lucernae laudari solent. Senatus nouam Catholicae fidei professionem conscribi curauit, et in eam formulam iurare iubet ciues, et subditos omnes suae ditionis, Ut religionis puritas ubique vendicetur[2]. Testantur fide digni, cum clero, senatu, et populo rectius agi, quam ante nostrorum aduentum. Deo semper gloria, qui suam nobis gratiam augeat ad bene merendum de hac Rep: tantopere a vicinis haereticis oppugnata.

Audierit pietas tua de duobus pagis Bernatum, quos ad initium Quadragesimae horrendus terraemotus inuasit, et uicini montis arena mirum in modum texit, et oppressit, nihil ut aedificiorum, hominum, uel iumentorum superesset, quod non terra operiret, uel flamma deuoraret[3]. Magnus hinc terror ad uicinos peruenit; omnes hoc euidens diuinae uindictae exemplum esse fatentur, uterque pagus a multis in-

[1] Antiqua collegii * *Historia* haec habet in a. 1584: „Ad tres classes Grammatices adiecta est initio Septembris schola humanitatis et studiorum renouatio facta": Cod. friburg. „Hist. coll. Frib." p. 5—6.

[2] Canisio auctore haec professio, quae per 24 annos intermissa erat, instaurata est, ipsa professionis formula nonnihil immutata; v. infra, monum. 1354.

[3] Id accidit 4. Martii 1584 pagis Corbeyrier et Yvorne, in ea parte terrae valdensis (Vaud, Waadt) sitis, quam Bernates 40 fere annis ante vi occupaverant et ad Zwinglianismum amplectendum coegerant. Perisse homines 122, domos 69, horrea 126 etc. narrat *Michael Stettler,* Chronicon oder Gründtliche Beschreibung der denckwürdigesten sachen vnnd thaten, welche in den Helvetischen Landen sich zugetragen, II, Bern 1626, 292. Videntur tamen ex ruina evasisse homines complures et pars aedificiorum yvornensium (Geographisches Lexikon der Schweiz, herausgeg. von *Ch. Knapp, Maur. Borel, V. Attinger,* VI, Neuenburg 1910, 713).

uisitur, testantibus, nihil tale unquam in his regionibus apparuisse. Coecorum oculos, qui oculos habent, et uidere nolunt[1], illuminet[2] Christus, ne in suis tenebris pereant obstinati. Geneuenses tam praepostere sunt religiosi, ut qui alias Ecclesiastica ieiunia prae se superbe contemnunt, etiam die Paschatis nouam ieiunandi formam populo indicere, et ad uesperam usque seruare coeperint, magno etiam, ut aiunt, terraemotu perterrefacti. — —

Ex litteris 13. Augusti 1584 datis, per quas Bonhomius ad hanc Canisii epistulam respondit, intellegitur eam 15. Iunii 1584 datam esse, et Canisium in ea cum de scholarum atque aedium collegii aedificandarum consilio a senatu friburgensi liberaliter capto ad Bonhomium rettulisse, tum de compluribus aliis rebus cum eo egisse; has vide in Bonhomii litteris, quas dixi, infra, ep. 2200.

De hoc consilio *Georgius Bader* praepositus provincialis Oeniponte 6. Iunii 1584 haec ad Aquavivam praepositum generalem *rettulit: „Friburgi percupide fuit et a nostris, et ab externis meus expectatus aduentus propter fabricam in cuius situ, diu multumque a diuersis serio laboratum est. . : . Ad primum locum, hoc est, ad arcem, communibus et nostrorum et externorum suffragijs (pauculis quibusdam exceptis) est reditum. . . Jtaque senatus suis sumptibus et collegium et scholas aedificabit ea forma quam cum his mitto . . . dabitque operam, ut ante hyemem fundamenta iaciantur. Scholas uero et domum ab ipsis emptam ac scholis adiunctam, atque etiam illam domum quam nostri emerunt, nondum tamen soluerunt; una cum adiunctis pulcherrimis hortis, ipsi sibi cum oneribus repetunt. Haec omnia literis Senatus confirmata sunt; quarum exemplum Germanicum cum his mitto. . . . Templum uero ex eleemosynis aedificabitur. Ex parte septentrionali et occidentali sunt ampli horti usque ad ciuitatis moenia, qui exiguo pretio nostris alioqui ualde amplis, facile adiungi poterunt (ex autogr.; Germ. 163 f. 16[a]). *Senatus* autem litterae germanicae, quas Bader dicit, 30. Aprilis 1584 datae sunt. In iis haec, praeter alia, dicuntur: Scholasticorum et friburgensium et externorum numerus brevi adeo auctus est, ut collegii scholae eos capere non possint. Propterea 29. Aprilis P. Georgius *Baderus provincialis et alii de eodem collegio („andere des Collegij Verwandte") cum Ioanne a Lanten sculteto, Bartholomaeo Reynauldt praefecto („Statthalter"), Martino Gottraw quaestore, Francisco Gurnel, Guilielmo et Antonio Krummenstoll senatoribus, Guilielmo Techtermann cancellario locum, quem „Bisee" vocare solemus, et arcem ibi sitam inspexerunt; quibus inspectis hoc inter omnes convenit, ut ibi et collegium et scholae et ecclesia aedificarentur. Haec cum 30. Aprilis senatui proposita essent, hic, ut omnis controversia semel dirimeretur, et collegium et scholas suis impensis et absque ullo Sociorum onere loco illo exstruere opusque hoc statim aggredi statuit (ex apographo circa medium saec. XVII. facto. Cod. friburg. „Cod. iur. coll." p. 461 ad 464). Mutata igitur est in Sociorum gratiam commodumque sententia senatus. Hic enim 21. Februarii 1584 *statuerat: Senatus solas aedificare debet scholas. Collegium vero et ecclesiam Socii suis impensis exstruere debent. Atque hi in animum induxerunt collegium in valetudinario postico („im hintern Spital") aedificare (ex codice „Rathsmanual nr. 127", qui est Friburgi in archivo reipublicae, in 21. Febr. 1584).

Haec illustrantur antiqua illa collegii friburgensis **Historia*; quae sic habet: „Cum de loco Collegij nostri futuro deligendo diu multumque hoc anno 1584 consultaretur alijsque ad plateam Moratensem animum adijcientibus, alijs plateam quae

---

[1] Cf. Ier 5, 21; Ez 12, 2; Mc 8, 18.

[2] 1 Esdr 9, 8; Ps 12, 4; 18, 9; 145, 8; Eccli 34, 20 etc.

post hospitale uulgo appellatur magis approbantibus, tandem sub initio Martij Senatu hac de re habito, uisum est ab Arce quae primum ad hoc assignata erat minime discedendum. Sed cum de tanti aedificij fabrica magna restaret difficultas, quod tanto sumptui nullo modo pares essemus et Senatus aerarium suum saluum esse cuperet, industria nostrorum et ope clarissimi optimique Viri D. Casparis de Baty, qui hic eodem tempore Ducis Allobrogum Legatum egit, aliorumque amicorum conatu id tandem perfectum est, ut R. P. Prouinciali praesente Senatus tum scholas, tum Collegium sumptu publico anno insequenti se aedificaturum reciperet; dissoluturum praeterea aes alienum quod pro domo Fritag debebamus quod etiam praestitit ea tamen lege, ut omnis prior nostra habitatio ad ciuitatem rediret (Cod. friburg. „Hist. coll. Frib." p. 5).

Bonhomius Canisio respondit 13. Augusti 1584.

2199. S. CAROLUS BORROMAEUS, cardinalis, archiepisc., CANISIO.
Mediolano (?) aestate anni 1584.

De hac epistula, quae perisse videtur, vide initium litterarum 27. Septembris 1584 a Canisio ad S. Carolum datarum; infra, ep. 2202.

2200. IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS, apostolicus apud imperatorem nuntius, episcopus vercellensis, CANISIO.
Praga 13. Augusti 1584.

Ex commentario ipsius Bonhomii manu satis obscure scripto, quod est Vercellis in archivo capituli metropolitani, Cod. „Corrispondenze di Mons. Gio. Francesco Bonomi" p. 199—202. Bonhomius commentarium sic inscripsit: „Praga Idibus Sextilibus 1584 · 1597. Ad P. Canisium." Litterarum partem maiorem ex eiusdem commentarii apographo recenti edidit *Berthier* „Revue" etc. xxv, 365—367, et Bonh. 204—206.

Collegium. Senatus liberalitas. Borromaei adventus in Helvetiam. Pagi obruti. Germaniae necessitates. Cur Ernestus Bavarus archiepiscopus coloniensis eligi debuerit. Officiales romani ei non adiungendi. Procerum desidia.

Admodum Reuerende uti frater in Domino, et amice Charissime. Expeditior sane mittendi ad me literas ratio erit, ut alias scripsi, literas Mediolanensibus ueredariis committere. Quod autem posteriores Pat. Tuae ipsis sancti Viti feriis[1] datae[2] non ita celeriter[a] ad me perlatae sint, egoque ad illas[b] itidem tardius[c] rescripserim[d], illud in causa fuit; quod[e] aliquibus ex meis huc se conferentibus[3], non ueredario traditae sunt, cumque ij Pragam peruenere, ego ob quorumdam monasteriorum uisitationem ab urbe aberam; Sed deinceps et citius uestrae literae ad me perferentur, et ego absque ulla mora respondebo.

Quod igitur ex diuina prouidentia pendere statueritis[f], non[g] autem summum Pontificem, Cardinalemue sanctae Praxedis, aut Senatum[h] [4] de rebus uestris sollicitare, id mihi uehementer probatur; Quod si[i] Car-

a) *Bonh. primum scripsit:* sero, *deinde correxit:* tardius; *postea, his verbis oblitteratis:* non ita celeriter; *Berth. habet:* nec ita celeriter. b) *Sic Bonh. correxit ex* illasque. c) *Sic Bonh. corr. ex* non. d) *Sequitur* statim, *oblitt.* e) *Sequitur* non Mediolani, *oblitt.* f) *Sic Bonh. correxit ex* statueris. g) nondum *Berth.* h) *Tria vv. sqq. in margine addita sunt.* i) *Sic Bonh. corr. ex* Si tamen.

[1] D. 15. Iunii. [2] Has vide supra p. 196.

[3] Hi, Vercellis venientes, per Mediolanum transierant; v. *Berthier*, Bonh. 189.

[4] Gregorium XIII., S. Carolum Borromaeum, senatum friburgensem; cf. supra p. 197.

dinalis sanctissimus istuc ueniret[a], non dubito, quin ipse sua sponte quaecumque[b] uestris neccessitatibus congrua iudicauerit officia uobis apud illius sanctitatem, maioreque cum fructu, quam mihi unquam[c] licuerit, esset[d] praestiturus. Senatum adeo prompte, ac liberaliter non modo scholas sed collegij etiam domum exaedificare decreuisse[e 1], uehementer sum laetatus, eoque nomine gratias illi egi, ut P. T. monuit, oblata praesertim ad illius literas[f] respondendi occasione [a domino Cardinali] [?][g]: de cuius aduentu tamen quid dicam amplius non habeo, nisi, quod scripsi alias, iterum repetere uelim, nempe timere[h] me a Catholicis[i] satrapis magis, quam ab Haereticis ipsis, ne impediant.

De duobus Bernatum pagis submersis, oppressisque iam nuper ex Reuerendo Praeposito[k 2]. Vtinam illi ad quos pertinet uideant, et intelligant; sunt enim praeludia quaedam, ac futurae Dei uindictae prognostica[l].

Quae mihi fidenter, libereque proponit Pat. tua[m], ut praesentibus Germaniae necessitatibus succurratur[n], gratissima fuerunt[o], neque dubitare potest, quin omnia semper ab illa in bonam accipiam partem; sed Caluinianorum studium pestilentissimum iam dudum[p] praeuidimus, et quoad eius fieri potest, obuiam ire non intermittimus[q]; Eorum autem, quorum magis interest, oculi non ita quidem[r] . . . sunt, ut non uideant, sed quasi praestigijs quibusdam ita perstricti, ut non curare uideantur; De comprimendis porro, et exantlandis Hereticis neque id quidem necessarium fuit me admonere, quando huiusmodi officia praestare ego non destiti frequentibus literis, neque adeo sine fructu, ut mihi uideor, apud eorum [?] unum[s] atque alterum; Quod uero peculiariter Coloniensem attinet, sibi persuadeat Pat. Tua, cum ego Coloniam superiore anno essem profecturus[t], cumque Coloniae essem[3], frequentius in eum me incidisse scrupulum; quod non bene consultum Coloniensi Ecclesiae dubitarem[u] si ei praeficeretur Antistes[v], qui trium aliarum ecclesiarum Cathedralium administrationem teneret, quique praeterea non adeo

a) *Sic Bonh. corr. ex* uenerit. b) *Sic Bonh. correxit ex* eiusmo. c) *Hoc v. supra versum scriptum est.* d) *Sic Bonh. corr. ex* sit. e) *Sic Bonh. corr. ex* exaedificandam statuisse. f) *Sic Bonh. corr. ex* praesertim illius literis. g) *Bonhomium haec supplere voluisse, et signum, quod ante* de cuius *posuit, et res ipsae suadent.* h) *Sic Bonh. corr. ex* iterum dicam, timere. i) *Sic Bonh. corr. ex* Catholicorum. k) *Sic; supple:* accepi *vel simile v.* l) *Sic Bonh. corr. ex* praemonitiones. m) *Haec 2 vv. supra versum scripta sunt.* n) *Sic Bonh. corr. ex* imminentibus Germaniae ruinis occurratur. o) *Sic Bonh. corr. ex* fuere. p) *Hoc v. supra versum scriptum est.* q) *Sequitur* Caeterum, *oblitt.* r) *Sequitur v. obscurius scriptum.* s) *Hoc v. supra versum scriptum est.* t) *Sic Bonh. corr. ex* Coloniam peterem. u) *Sic Bonh. corr. ex* uideretur. v) *Sic Bonh. corr. ex* ei praeficere Antistitem.

---

[1] Vide supra p. 197.

[2] Petro Schnewly, praeposito capituli ecclesiae S. Nicolai.

[3] Bonhomius a. 1583 Coloniam a pontifice missus erat, ut obsisteret Ioanni Gebhardo a Waldburg archiepiscopo, qui exeunte a. 1582 ab ecclesia palam defecerat confessionisque religiosae libertatem Coloniensibus obtulerat, atque etiam 2. Februarii 1583 Bonnae cum Agnete Mansfeldiensi nuptias fecerat. De hac legatione cf. *Jos. Hansen,* Nuntiaturberichte aus Deutschland 1572—1585, 1. Bd., Berlin 1892, 300—306 331—702, et *Pastor* IX 651—660.

uideretur pastoralibus curis atque exercitationibus deditus [1]; Sed quoties patres uestros [a] hac de re consului, toties in eam uenimus sententiam, non potuisse [b] alium plane eligi [c], quam hunc ipsum qui electus est Ernestum Bauarum quo melius [d] atque adeo tutius Colonienssibus rebus prospiceretur [2]. Vicarios seu Officiales Romanos illi adiungere non adeo facile fuerit, mihi credat P. T., non enim facile etiam [?] Romae inueniuntur, integri, docti, atque incorrupti moribus uirj [e], quales si non essent [f], destruerent potius, quam aedificarent sine dubio; tum uero, etiamsi inuenirentur, accepti non essent Germanis [g], qui uix Italos Nuntios ferre possunt, praeter alia sexcenta incommoda, quae hic commemorare necesse non est [h]. Ad pias igitur orationes confugiendum [i], siquidem imminentem miserae huic prouinciae [k] uniuersae ruinam sentio [l], neque satis uideo, qui uitari facile queat [m]; cum ij, qui praecipue possent, solidas iuuandi rationes amplecti [3] non curant, aut quasi fascinati non audent; Ego, quod Dei gratiae est singularis, meas partes [n], implere pro mea tenuitate non intermitto equidem, sed lauare plerumque laterem [4], mihi ipse uideor; quamobrem [o] ut uestris, et fratrum quos sane omnes ac praecipue P. Rupertum [5] mihi [p] salutari diligenter peto, precibus, et sacrificijs iuuetis etiam atque etiam rogo. Pragae Idibus sextilibus 1584.

2201. CANISIUS **CLAUDIO AQUAVIVAE,** praeposito generali Societatis Iesu. Lucerna 16. Septembris 1584.

Ex autographo (2°; 1 p.; in p. 4 inscr. et reliquiae sig.). Germ. 183 f. 295^a—296^b. Epistulae particula germanice posita est in „*Canisius-Stimmen*“ 26. Jahrg., Freiburg (Schweiz) 1903, 258. Commemorantur hae litterae in „*Studien* und Mitteilungen zur Geschichte des Benediktiner-Ordens und seiner Zweige“ Bd. 33 (N. F. 3), Salzburg 1912, 510—511.

a) *Tria vv. sqq. a Bonh. in margine addita sunt.* b) *Sic Bonh. corr. ex* posse. c) *Octo vv. sqq. a Bonh. in margine addita sunt.* d) *Tria vv. sqq. supra versum scripta sunt.* e) *Sequuntur vv.* et hoc ipsum fuit *[correctum ex* est*]*, quod me saepe *[sequitur* impulit, *oblitteratum]* magno timore perculit. *Quae tamen postea a Bonh. deleta sunt.* f) *A Bonh. correctum ex* forent. g) *Sex vv. sqq. in margine addita sunt.* h) *Sic Bonh corr. ex* necessarium esse *[?]* haud *[?]* duco. i) *A Bonh. correctum ex* Ad orationes igitur confugiendum. k) *A Bonh. corr. ex* imminentem Germaniae. l) *A Bonh. corr. ex* uideo. m) *A Bonh. corr. ex* possit. n) *A Bonh. corr. ex* quae meae sunt partes. o) *Sequitur* rogo, *oblitt.* p) *Sic Bonh. corr. ex* fratrum omnium, quos mihi.

[1] Ernestus Bavariae princeps iam habebat administrationem episcopatuum frisingensis, hildesiensis, leodiensis. De eius moribus ac de rebus ab eo pro fide catholica gestis cf. *Can.* VI 105 et *Ad. Bertram,* Geschichte des Bistums Hildesheim II, Hildesheim u. Leipzig 1916, 449.

[2] Archiepiscopi colonienses simul principes erant imperii. Eo autem tempore Coloniensis archiepiscopus fortibus indigebat auxiliis, quibus et Gebhardum apostatam archiepiscopatu pellere et ecclesiae sua bona adversus protestantes vicinos tueri posset. Ad eiusmodi auxilia praebenda omnium et aptissimus et promptissimus erat Guilielmus V. Bavariae dux et Ernesti frater, vir potens ac singulariter pius; cf. supra p. 186[2].

[3] Rudolphum II. imperatorem ac principes quosdam catholicos, eosque et saeculares et ecclesiasticos, significare videtur.

[4] I. e. frustra laborare. „Purgem me? laterem lavem“: *P. Terentii* Phormio v. 186. [5] Robertum Ardrenum.

Canisius Eremi B. Mariae V. (Einsiedeln). Rectores, provincialis, huius „socius". Borromaeus visitator Helvetiorum. Horum imbecillitas. Posserini libri et missio. P. Valentia. Opus Marianum.

† Pax Christi Jesu nobis aeterna.
Admodum reuerende Pater.

Quoniam beatiss. Virginem in Einseitel, vt uocamus[1], inuisi, ad hoc diuerti collegium, sed mox Friburgum duce Christo reuertar. De alia profectione et concilio Patrum Augustae Julio mense celebrato, cui etiam interfui, modo nihil attingam[2]. Delectus procurator[3] quum isthuc per dei gratiam accesserit, de totius prouintiae statu coram exponet. Optarim ego sane maiorem cum P. Prouintiale[4] Rectorum consensionem, atque ut is maiorem omnium beneuolentiam sibi in Domino conciliaret. Fortassis eidem et collegijs maiorem pacem adferret, si tempore uisitationis vnum e professis collegam uel socium sibi adiunctum haberet qui P. Simone nondum professo gratior fideque dignior foret[5]. Verum dari ueniam mihi uelim, quod iniussus aliena tractem, summoque medico huiusmodi nostrorum imbecillitates tanquam senior detegam, praesertim vt communi prouintiae rectius in Domino consulatur.

Non respondi hactenus P. T. literis mense Februarij datis. Nam quod ad Jllustriss. Card. Borromeum attinet[6], is nondum huc accessit, atque ut maxime accedat, habet abunde qui eum excipiat atque comitetur in uisitatione P. Rectorem Lucernensem[7]: ego ab illo abesse malo, quam illi esse familiaris, quem credo satis exactum fore medicum Heluetiorum, qui mihi satis teneri et imbecilles uidentur, praesertim si hulcera eorum modice attingantur.

Jam uero P. Posseuinus, uti spero, in hisce regionibus erit cautior, et quia publice cum illo pugnat Dauid Chytraeus, in scribendo et ipse

[1] Significatur monasterium benedictinum Eremi Beatae Mariae Virginis sive Einsiedeln, quod nunc quoque unum ex maximis Helvetiae ornamentis est. Quotannis die 14. Septembris ibi magno cum populi concursu dies anniversarius agitur dedicationis ecclesiae. Tradunt autem, Christum ipsum angelis stipatum eo die ecclesiam consecrasse („Engelweihe"). Satis igitur certum est, Canisium huic sollennitati interfuisse. Ad eam, puto, fideles friburgenses ipse adduxit. His sacra haec peregrinatio valde grata et cara erat, et Canisius eam valde commendabat; cf. infra, monum. 1331.

[2] Interfuit congregationi provinciali Sociorum Germaniae Superioris a 14. ad 23. Iulii 1584 habitae; de qua v. infra, monum. 1360.

[3] P. Theodoricus Canisius. [4] Georgio Bader.

[5] In * *Catalogo* collegii monacensis a. 1587 Romam ad Aquavivam misso apparet „P. Simon Hiendl Jngolstadiensis, Annorum 37, in Societate Annis 17. Scholasticus approbatus · Boni iudicij et industriae, bone praeterea et secure conuersationis" (G. Sup. 19 f. 16). Hiendl (Hunelius) postea rector collegiorum ratisbonensis et monacensis fuit (*Duhr*, Jes. I 210 629). Monachii 18. Augusti 1591 sollennem professionem quatuor votorum emisit (Cod. „Jes. 71^{m}" f. 1^{b}. Monachii in archivo maiore reipublicae bavaricae).

[6] Vide supra p. 191[3] 192. [7] Martinum Leubenstain.

maiorem cautionem adhibebit[1]. An uero expediat eundem in h[o]c peregrinationis genere diutius versari, P. T. iuditio deliberandum relinquo[2].

De P. Gregorio Valentino quid futurum sit nescio: illud ualde opto, vt cum bona Principis Bauarici venia discedat, si in Poloniam[a] discedere debet: deinde ut P. T. expectationi in hac missione, quae mihi difficilis uidetur, satisfaciat, et Societatis authoritatem tueatur[3]. Postremo ad me mitti cupio literas, quae Prouintiali Lugdunensi[4] tradantur, ut opus meum Mariale recognitum[b] in Gallia recudatur cum eo supplemento, de quo scripsi antea[5].

Me uero totum P. T. precibus commendo plurimum in Domino. Lucernae 16 Septemb. 1584

Jndignus filius Pet. Canisius.

† Admodum Reuerendo in Christo Patri nostro, P. Claudio de aqua uiua, Societatis Jesu Praeposito Generali Romae.

Quae Canisius in Badero provinciali suaviter reprehendit, ea *Simoni* quoque *Hiendl* Baderi socio emendatione indigere visa sunt. Hic enim Ingolstadio 1. Septembris 1584 Aquavivae *scripsit: „Quo tempore cum Reuerendo P. Prouinciali fui, animaduerti semper inter ipsum et Superiores locorum non bene conuenire, adeo, ut, quicquid ab vna parte fiat, id alterum affligat. . . . Reuerendus P. Prouincialis vir alioquin bonus, naturam videtur habere aliquantulum austeram, eoque modo agit, vt, quemadmodum communiter dici solet, non appareant in illo viscera. . . . Omnes illi et magis Superiores suspecti sunt, idque ab ijsdem notatur. De Superioribus non videtur eam prudentiae et perfectionis habere existimationem quam deberet; sensui vero suo multum tribuere, in quo tamen fere a communi aliorum iudicio dis-

a) Polonia *autogr.* b) *A Can. correctum ex* recognetum.

[1] Vide supra p. 168 183. David Chytraeus sive Kochhafe (1531—1600) ingelfingensis, suebus, theologiae Lutheranorum professor erat in universitate rostochiensi (Rostock). Possevinus rationibus quibusdam in spem adductus erat, fieri posse ut Chytraeus ad fidem catholicam converteretur. Huius rei causa Lincopia m. Maio a. 1580 longam secretamque ad eum dederat epistulam; quam edidit *Aug. Theiner*, Schweden und seine Stellung zum heiligen Stuhl II, Augsburg 1839, 213—219.

[2] Possevinus Gregorii XIII. mandatu in terris septentrionalibus, imprimis in Polonia, rebus religionis iuvandis operam dabat. Vilnae a. 1584 Ioannes Lasicius (Łasieki) paedagogus, Calvinianorum et Lutheranorum fautor, edidit „Pro Volano et puriore religione defensoribusque eius, adversus Ant. Possevinum scriptum apologeticum" (*J. Sygański* S. J., Listy Ks. Piotra Skarqi T. J., Kraków 1912, 227—228). Vide etiam, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[3] Stephani Bathorii Poloniae regis rogatu Gregorius XIII. Aquavivae mandaverat, ut „idoneum aliquem operarium" in eam regionem mitteret. Hic Gregorium de Valentia, qui in universitate ingolstadiensi theologiam tradebat, eo ire iussit. At Guilielmus V. Bavariae dux vehementer, litteris etiam ad Aquavivam datis, instabat, ut Valentia Ingolstadii relinqueretur. Id quod Aquaviva, cuius arbitrio pontifex rem permisit, concedendum esse censuit (**Aquaviva* Guilielmo duci, Roma 24. Augusti 1584. G. Sup. 1 f. 122[a]).

[4] Arnoldo Voisin sive Vicino (*H. Fouqueray* S. J., Histoire de la Compagnie de Jésus en France II, Paris 1913, 66).

[5] Circa m. Martium a. 1584 Lugduni editi erant Canisii „Commentariorum de Verbi Dei corruptelis Tomi duo"; quorum tomorum secundus est Opus Mariale; v. infra, monum. 1353.

crepat. . . . In Visitationibus . . . dimittit fere Superiores et si qui alij sunt, qui grauius aliquid habent, perturbatos" (ex autogr.; Germ. 163 f. 166).

Neque temere Canisius optabat, ut P. Possevinus ex legatione polonica revocaretur. Ferebant enim, eum in lite inter Rudolphum II. caesarem et Stephanum Bathorium Poloniae regem orta, ad quam componendam missus erat, Stephano magis, quam aequum esset, favere. P. *Ioannes Nicolaus* S. J. Aquavivae Vindobona 11. Februarii 1585 *scripsit: „Hic in Aula narrantur mira, vtinam falsa, aut certe non omnia vera, de P. Posseuino, quod videlicet, Jmperij vicecancellarius eum Schelm, id est nequam, et Suae Maiestatis traditorem, nec non hominem inconstantem, mendacem, hodie aliquid affirmantem, et altera die negantem, uocauerit · dicitur etiam Jmperator Pontificj scripsisse, vt alterj negotium polonicum committere vellet, quam P. Posseuino · istis rumoribus aula hic plena est, et vnus Haereticus alteri pro bonis nouis scribit" (ex autogr.; Germ. 164 f. 66ª).

Exstat praeterea *epistula, quam *„Marcus Syciensis"* S. J., nec loco, nec tempore ascriptis, ad P. Henricum Blyssemium Austriae provincialem dedit hicque Romam ad Aquavivam misit. Marcus de Georgio Drascovitio archiepiscopo colocensi scripsit: „Ille multa mihi, sex circiter diebus ante audita, de P. Posseuino, narrare coepit". Sequuntur querelae variae aulicorum Rudolphi II. caesaris. „Et quia P. Posseuinus est homo uehementis ingenij, ut non possit res aliquas dissimulare, sed mox omnia prodere ut qui os habet in corde, et cor in ore". Timere Drascovitium, ne Possevinus discordias inter principes seminet, quae Hungariae perniciem afferant. „Spargi etiam de P. Posseuino, eum metuere Refectorium et conuictum Fratrum, item esse eum cuiusdam Judaei filium. „Timeo ego, inquit Reuerendissimus Drascouitius, ne odio personae, etiam Suae sanctitati, a qua missus est, aliquid derogetur" (autogr.; Germ. 165 f. 161ª). Vix opus fuerit notare rumores hosce atque timores magnam saltem partem vanos fuisse.

Aquaviva Canisio respondit 31. Octobris 1584.

2202. CANISIUS **SANCTO CAROLO BORROMAEO**, cardinali, archiepiscopo mediolanensi. Friburgo Helvetiorum 27. Septembris 1584.

Ex autographo (2°; 2 ff.; 1 p.; in p. 4 inscriptio et sigillum), quod est Mediolani in bibliotheca ambrosiana, Cod. „F inf. 175" f. 233ª 252ᵇ. Epistulae pars edita est ab *Ed. Wymann* in „Der Geschichtsfreund", 54. Bd., 114, et in „Der heilige Karl Borromeo" etc. 254.

Excusat se, quod ei operam praestare nequeat. Rectorem lucernensem hanc praestare iussum. Alumnum commendat. Acta ecclesiae mediolanensis.

†

Pax Jesu Christi nobis aeterna.

Jllustriss. et Reuerendissime Domine.

Postremis amplitudinis tuae literis ad me datis non respondi, quod illas mihi non reddiderit P. Franciscanus [1], cuius fidem vnice commendabant. Qui praeterea Lucernae cum Rectore nostro Lucernensi [2] consilia sua contulit, remque omnem ita confecit, vt idem Rector suam promiserit operam in Jllustriss. Celsitudine tua, simulatque in Heluetiam venerit, deducenda, ac si opus fuerit, in concionatore Germanico

[1] Verisimile est, significari Franciscum Panigarolam (1548—1594), insignem illum oratorem et controversistam, qui postea episcopus astensis (Asti) fuit. Is certe exeunte a. 1583 S. Carolum apud Grisones visitatoris apostolici munere fungentem adiuvit (*Mayer* I 194 195) et postea aliquamdiu in ea terra mansit. Cf. *Pastor* IX 152 798. [2] Martino Leubenstain.

exhibendo[1]. Nam et Reuerendo patri nostro Generali[2] recte visum est, hoc concionandi et digniss. Legatum Apostolicum comitandi munus eidem Rectori imponere, et inutilem fere senem Canisium eo labore liberare ad quem sustinendum sciebat alterum et uegetiorem et expeditiorem Heluetijsque gratiorem fore. Quare siue maiorem Dei gloriam, siue bonum publicum, siue nostrum officium Jllustriss. Dignitati tuae debitum spectem, gaudeo equidem dictum Rectorem designatum esse, qui onus meis infirmis humeris impar apud Heluetios subire uelit et possit, praesertim quum idem in hac prouintia multis ab hinc annis cum laude uersetur, multoque rectius quam ego, in munere concionatorio ac idiomate Heluetico intelligatur. Meum uero omniumque nostrum hoc munus proprium erit, Deum ut Opt. Max. sedulo precemur, qui amplitudinis tuae in Heluetiam ingressum simul et progressum tum Clero, tum populo ualde salutarem esse concedat. Jd quod tanto magis fore confido, quanto planius intelligo, satrapas Heluetios Lucernae ac Friburgi talem Legatum Apostolicum expetere ac desiderare.

Qui has reddet, Jacobus est Haberkorn Friburgensis, iam ante notus isthic studiosus et alumnus, de cuius in literis profectu non immerito Friburgenses nostri et sibi et patriae gratulantur, quem praeterea Jllustriss. dignitati tuae magis magisque commendatum esse percupiunt, ut sub tanto Patrono sacris porro studijs operam dare, et sacris initiari pergat Christo auxiliante[3]. Pergratum nobis fuit munus quod nobilis Dominus Antonius Krommerstal[a][4] nuper Mediolano attulit, de actis nimirum Ecclesiae Mediolanensis[5], eoque nomine gratias debemus et agimus Jllustriss. amplitudini uestrae, quam diuina aeternaque bonitas donis vere spiritualibus ac perpetuis cumulare dignetur. Friburgi Heluetiorum 27 Septembris, anno post Christum natum 1584.

Seruus indignus ·

Petrus Canisius propria manu.

† Reuerendiss. et Jllustriss. Domino D. Carolo S. Praxedis Cardinali, Archiepiscopo Mediolanensi, S. Sedis Apostolicae ad [Heluet]ios Legato, Patrono amplissimo Mediolani ad manus proprias.

a) *Sic apogr.; scribendum fuit: Krummenstoll; v. infra, adnot. 4.*

[1] Carolus autumno hoc apud Friburgenses, Lucernenses, alios Helvetios visitatorem apostolicum agere statuerat. A quo consilio exsequendo prohibitus est morte, quam Mediolani 3. Novembris 1584 sanctissime obiit; cf. supra p. 201.

[2] Claudio Aquavivae.

[3] Is iam a. 1581—1583 erat alumnus „collegii helvetici", quod S. Carolus, Gregorii XIII. liberalitate adiutus, a. 1579 Mediolani condiderat; 25. Septembris 1584 S. Carolo commendatus erat a Petro Schnewly praeposito (*Mayer* II 60—64; *Wymann*, Borromeo 253 274—280).

[4] Significatur certe Antonius Krummenstoll; qui 24. Iunii 1582 unus de „senatu minore" factus erat (*Berthier*, Bonh. 219).

[5] Synodorum a S. Carolo habitarum decreta a. 1582 Mediolani a *Petro Galesinio*, uno ex Caroli familiaribus, cum titulo „Acta Ecclesiae Mediolanensis", primum edita sunt (De vita et rebus gestis Sancti Caroli Borromaei, auctore *I. P. Glussano*, ed. *Balth. Otrocchi*, Mediolani 1751, 165; *Hurter*, Nomenclator III[3] 357).

2203. CLAUDIUS AQUAVIVA, praepositus generalis Societatis Iesu.
CANISIO. Roma 31. Octobris 1584.

Ex commentario sic inscripto: „Friburgi P. Canisio." G. Sup. 1 f. 128[a].

Socius praepositi provincialis. Nova editio Operis Mariani. Aliqua in eo emendanda. P. Theodorius Canisius.

Ex litteris Reuerentiae V. datis Friburgi 16 Sept. cognoui quod mihi gratum fuit, bonum Reuerentiae V. statum, quem precor ut ei Dominus perpetuo conseruet. De prouincia autem quantum nos monuit libenter cognouimus, et praecipue quod attinet ad socium P. Prouincialis[1]. Sciat nos quoque saepe de hoc cogitasse, et quaesisse, sed omnino adhuc nullum repertum idoneum qui quidem uacuus sit[a] alijs necessarijs occupationibus et praesertim gubernatione. Sed tamen nondum eam cogitationem deposuimus, et fortasse Dominus nobis uiam aliquam eius exequendi[b] [?] ostendet[c]. Litteras quas requirit ad P. Prouincialem Lugdunensem pro suo Mariali imprimendo una cum his mittimus[2], ijsque Reuerentia V. cum ei placebit uti poterit[d]. Qua occasione uisum est suggerere Reuerentiae V. quiddam quod hic ab aliquibus[e] notatum est, quod iudicabatur paulo planius declarandum, quoniam ut sonat, aliquos offenderat · id autem qualecunque est[e] scripto separato exponi iussimus[3]. De cetero sciat P. Theodoricum[4] hesterna die huc per Dei gratiam appulisse melius quidem habentem quam nos uereremur ex casu quem Reuerentia V.[f] intellexerit. Quare speramus cum Dei gratia nihil omnino fore, quamquam periculum euidens fuit, ut certe magnas Dei prouidentiae in illo custodiendo gratias debeamus. Nec iam aliud occurrit nisi quod commendemus *etc.* Romae ultimo octob. 1584.

1. Una cum hac epistula, ut ex ipsa intellegitur, *Aquaviva* Canisio misit has *litteras ad P. Arnoldum Vicinum provinciae S. J. lugdunensis praepositum a se datam: „Cum P. Canisij Mariale Lugduni cum aliquo supplemento recudendum esset, etsi non dubitabam quin Reuerentia V. rem per se diligenter adiutura, et promotura esset, tamen faciendum putaui ut ego quoque nostram ei uoluntatem, ac desiderium indicarem. Gratum igitur erit mihi, si Reuerentia V. iuxta instructionem quam ab ipso P. Canisio recipiet, hoc negocium dirigere curabit, et nostris etiam Lugdunensibus peculiariter commendare · nam et ipsum opus ad Christi Domini, et Beatae Virginis gloriam plurimum collaturum speramus, et certe bonus P. Canisius dignus est cui omnem que a nobis possit consolationem impendamus. De cetero commendamus *etc.* Rome 2.° Nouemb. 1584" (ex commentario; G. Sup. I. f. 129[a]). Altera haec, quam Canisius desiderabat, editio lugdunensis Operis Mariani in lucem prodisse non videtur.

2. Simul missum est Canisio, ut Aquaviva ei scribit, „scriptum separatum", quo ipsius iussu Canisio „exponebatur", quid in eius Opere Mariano „paulo planius declarandum" esset. Quod scriptum quo melius intellegatur, haec videntur esse

a) *Sic in comm. correctum est ex* est; *sequitur aliud v. (quod iam legi nequit), oblitt.* b) *Sic; sed corrigendum esse videtur* exequendae. c) *Sequitur* Quod ad, *oblitt.* d) *Quae sequuntur, usque ad* exponi iussimus *incl., in margine inferiore addita sunt.* e) *Haec 2 vv. supra versum scripta sunt.* f) *Sequitur* ab alijs, *oblitt.*

[1] P. Simonem Hiendl; v. supra p. 201[5].

[2] Hae litterae sub ipsam hanc epistulam priore loco (n. 1) ponentur.

[3] Vide, quae sub ipsam hanc epistulam, in n. 2, dicentur.

[4] Theodoricus Canisius, a provincia S. J. Germaniae superioris „procurator" ad praepositum generalem missus; v. infra, monum. 1360.

praefanda: *Canisius* in Operis Mariani libro 1. capite 9 (in editione altera, ab auctore recognita, quae tomum alterum „Commentariorum de Verbi Dei corruptelis" a. 1583 Ingolstadii editorum constituit, p. 72) scribit: „Haudquaquam vulgaris author est Albertus, qui cognomen Magni promeruit, ac diserte scripsit, omnia Ecclesiae Sacramenta, si Ordinis tantum excipiamus, a sacrosancta Virgine fuisse suscepta, eiusque rei confirmandae multas et graues rationes adducit." Quibus verbis in margine haec adnotat: „De laudibus Virginis ca. 81". Sunt autem haec non in opere, quod in editione nova Operum Beati *Alberti Magni* ab *Augusto et Aemilio Borgnet* facta volumen XXXVI constituit (Parisiis 1898) et „De Laudibus Beatae Mariae Virginis libri duodecim" inscriptum est, quodque „certo non esse Alberti Magni" iidem editores monent (*Alberti M.* Opera I, Parisiis 1890, XLVIII), sed exstant in operis, quod ab iisdem in tomo XXXVII. cum titulo „Mariale, sive Quaestiones super Evangelium ‚Missus est Angelus Gabriel' etc." vulgatum est quodque olim etiam „De Laude B. Virginis" vocabatur (l. c. I XLVIII), Quaestione 43, solut. § 1 2 (pg. 82—87). Sive autem „Mariale" hoc reapse ab Alberto compositum est, sive alius cuiusdam est auctoris, Canisii aetate Alberto attribuebatur; idem sensisse videtur P. *Petrus Jammy* O. P., qui Alberti opera a. 1651 Lugduni edidit, neque editores novissimi ab eo dissentire videntur (l. c. I XXXIII. XLVII. XLVIII). Immo „Mariale" vere ab Alberto Magno conscriptum esse affirmatur etiam in doctissimorum virorum *Iacobi Quetif* O. Pr. et *Iacobi Echard* O. Pr. opere „Scriptores Ordinis Praedicatorum", T. I, Lutetiae Parisiorum 1719, 176—177. Idem censet *Ioach. Sighart,* Albertus Magnus, Regensburg 1857, 292. Alberti igitur auctoritate Canisius movebatur, ut haec poneret et approbaret. Id vero aliquibus magnopere displicebat. Displicebant etiam alia quaedam; quae tamen hic explicare nolo, quia et minoris momenti sunt et in commentariis proxime ponendis satis declarantur.

Sic igitur P. *Robertus Ardrenus* S. J. Aquavivae *scripsit Friburgo Helvetiorum 4. Iulii 1584: Jam 7.us agitur annus cum notaram in libro Reuerendi p. petri Canisij de Beatissima M. V. lib. 1. cap. 9 extremo, hanc sententiam: B. M. V. omnia ecclesiae sacramenta praeter ordinis sacramentum suscepit · videbaturque mihi haeresim continere, si intelligat illam poenitentiae sacramentum suscepisse · et, si pie interpretando intellexerimus illam exceptionem, quam tamen apposuisse oportuit (praeter illa quae in suscipiendo peccatum necessario praesupponunt): quamuis posset forsan haeresin sic et scandalum euitare; quia tamen non apposita est, haeresin videtur sapere · vti enim verba proprie accepta sonant, videtur dicere illam poenitentiae suscepisse sacramentum: quod est contra fidem catholicam in concilio tridentino declaratam et promulgatam · sess. 6. can. 23 vbi ab omni peccato actuali Beatissima dei genitrix libera declaratur · materiam vero huius sacramenti esse peccatum (actuale intelligo) sess. 14 [1] cap. 3 et 4 satis clare definitur, cum contritionem materiae illius praecipuam partem esse declarat, et hanc esse detestationem de peccato commisso etc. sic igitur dicerem: omnis qui suscipit sacramentum poenitentiae habet peccatum actuale. B. M. V. nunquam habuit peccatum actuale, nunquam igitur suscepit hoc sacramentum · constat syllogismi modus et figura · hoc mihi videtur · cupio me deceptum vt bonus pater ne sit deceptus · cur vero tam tarde ad Reuerendam p. tuam hac de re scribo in causa est · quod ante multos annos hoc Reuerendo p. paulo Hoffaeo significarim, dum ageret nostrum prouincialem · ante annos item tres idem Reuerendo p. oliuerio [2] visitatori sufficienter credo insinuaui · sed et Reuerendo p. prouinciali nostro praesenti [3] hoc, quantum memini indicaui · quia tamen jam video tribus in locis idem opus recudi [4], nec correctionem vllam, quantum aduertere possum, adhibitam · putaui omnino ad Reuerendam p. tuam hac de re esse scribendum · De Matrimonio vero Josephi et B. M. V. asserere, quod fuerit ecclesiae sacramentum maxime qui tenet illum ante christum passum a viuis discessisse, vt

[1] Addendum fuit: „de poenit." [2] Manareo. [3] Georgio Bader.
[4] Ingolstadii, Lugduni, Parisiis; v. infra, monum. 1327 1353.

lib. 2 · cap. 13 · facit p. Canisius[1], videtur satis temerarium: multo maxime si hoc fiat propter Alberti magni autoritatem, vt hic fit, cum ille 4. s. d. 2 art. 2 ad q. penultimam[2] sic dicat · non dico quod totum effectum matrimonij, in quantum est sacramentum, habuerint ante passionem, antiqui · et ibid. d. 3, art. 3.[3] ne baptismum quidem ante christi passionem fuisse vt sacramentum nouae legis institutum · taceo de sacramento extremae vnctionis. Addendum puto quod lib. 5, cap. 5. § ordiemur[4] habetur, in cuius fine sic dicitur. His omnibus haud male respondet, quod vidua Sancta Birgitta coelitus illustrata monet, duo tantum corpora christi videlicet et Mariae glorificata, in coelesti patria reperiri: hic laudat vt coelestem reuelationem quod duo tantum corpora glorificata sint in coelis: et tamen eodem lib. et cap. § Scribit ibidem Matthaeus, probat eos quos matth. cap. 27 dicit cum domino resurrexisse in coelum vna cum suis corporibus domino ascendente fuisse assumptos[5]: sed videtur illius exclusiuae, tantum vel dumtaxat, non habuisse rationem. Alia hinc inde in nostrorum quorundam libris et dictatis notaui, sed nihil hoc de poenitentia B. M. V. videbatur esse grauius: maxime cum Albertus, si tamen liber est alberti in ipsomet cap. 81 · ex quo haec citat Reuerendus p. Canisius sic dicat. Item 3 est confessio id est accusatio peccatorum 2 recognitio incongruitatis vel ingratitudinis beneficiorum 3 confessio insufficientiae meritorum: et haec vltima fuit proprie B. M. V. confessio qua confitebatur Deo quod tantam gratiam recepit quam nunquam[a] cum condigno meruit licet de congruo meruerit, haec et similia fuit confessa B. Johanni euangelistae vt proprio confessori · haec ibi[6]: ex quibus colligitur tantum virum non debere intelligi de omnibus ecclesiae sacramentis · et haec quidem hactenus.“ [7] (ex autogr.; Germ. 163 f. 61).

Ad haec *Aquavira* Roma 2. Novembris 1584 Ardreno *respondit: „Ex Reuerentiae V. literis datis mense Julio cognoui eius iudicium de quibusdam locis Marialis P. Canisij, ac praesertim quantum ad sacramenta a B. Virgine recepta. Qua in re etsi certum est, P. Canisium ex mente Alberti loqui, qui se ipsum ita exponit, ut id dictum nullam haeresim aut etiam falsitatem contineat, uisus est tamen monendus P. Canisius, quod fecimus, ut quando iam denuo illud opus recuditur, paulo melius eam doctrinam declaret, ne cuiquam offensioni esse possit“ (ex commentario: G. Sup. I f. 128[b]).

En *monitionem Canisio missam: „Quod dicitur in Mariali P. Canisij lib. primo c. 9.° B. Virginem habuisse omnia ecclesiae sacramenta praeter ordinem, uidetur difficultatem habere ratione poenitentiae quae ut sacramentum est habet pro materia peccatum actuale. Et quanquam P. Canisius id teneat ex mente Alberti, Albertus autem se ipsum declaret quod B. Virgo accepit omnia sacramenta uel proprie uel modo aequiualenti, u. g. in sacramento poenitentiae pro contritione habuit perseuerantiam innocentiae. pro confessione peccatorum, confessionem diuinorum beneficiorum, pro satisfactione opera supererogationis; licet inquam Albertus ita exponat, tamen hic modus sacramenta recipiendj adeo improprius et abusiuus est, ut fere idem sit dicere accepit, et non accepit, praesertim cum nulla sit necessitas ac ne utilitas quidem dicendi haec de

a) *Ardrenus perperam:* unquam.

[1] In editione ingolstadiensi anni 1583 p. 208.

[2] Commentarii in Librum IV. Sententiarum, dist. 2, art. 2, in editione borgnetiana, quam supra dixi, Vol. XXIX, p. 46. [3] Ibid. p. 69.

[4] In editione ingolstadiensi anni 1583, p. 619. [5] Ibid. 625.

[6] Mariale q. 43, § 2 (Opera Vol. XXXVII p. 84).

[7] Rigidus iste Canisii censor vitae erat haud ita austerae. Quare mirum non est, Friburgi inter ipsum et Canisium non semper bene convenisse; vide infra, monum. 1294. Ardrenum postea a Societate defecisse testatus est *Olir. Manareus* S. J. († 1614), De rebus Societatis Iesu Commentarius, Florentiae 1886, 170. Atque etiam *Otto Eysenreich* provinciae S. J. Germaniae superioris praepositus in *literis Friburgo Helvetiorum 6. Iulii 1594 ad Claudium Aquavivam praepositum generalem datis eum vocavit „dimissum a Societate“ (Germ. 172 f. 278[a]).

B. Virgine cum nec ei desint aliae laudes longe maiores, quam haec quae quantum ad istud sacramentum, proprie est hominis lapsi, nec ullus locus sit scripturae, uel doctoris antiqui quod B. Virgo receperit ista sacramenta, ad quem saluandum necesse sit confugere ad talem doctrinam. Denique si modo hoc relinquendum esset in libro P. Canisij: saltem oporteret apertius declarare ne aliquibus ut iam accidit admirationem, aut offensionem praebeat. Similiter libro 5°. c. 5°. uidetur esse nonnulla contrarietas, cum uno loco dicatur duo hominum esse in coelo corpora nempe Christi et B. Virginis, alio autem probetur opinio dicentium eos qui cum Christo resurrexerunt, ascendisse etiam cum corpore in coelum. Et quanquam illud prius dicatur ex sententia D. Brigittae, hoc autem secundum ex mente aliorum, tamen quia P. Canisius utrumque uidetur probare, esset aliqua maior declaratio adhibenda" (ex commentario: G. Sup. I f. 128[b]).

Canisius has monitiones boni consuluit. Huic rei argumento est exemplum quoddam „Commentariorum de Verbi Dei corruptelis" (quorum alterum tomum Opus Marianum recognitum constituit) Ingolstadii a. 1583 editorum vel potius pars illa huius exempli, quod apud Societatem asservatur (Can. 62). Canisius in eo modo sua manu, modo aliena plurima emendavit addiditque atque ita novam operis editionem praeparavit. Ibi igitur verba illa „Haudquaquam vulgaris" etc. (v. supra p. 206) lineis transmissis deleta in eorumque locum haec substituta sunt: „Etsi autem Alberto magno visum est[a], omnia Ecclesiae Sacramenta, si Ordinis tantum excipiatur, a sacrosancta Virgine fuisse suscepta, nos tamen missam facimus hanc opinionem, tum quia doctis quibusdam non temere displicet, maxime propter Poenitentiae Sacramentum, tum quia solidis caret fundamentis, et ad veram Deiparae laudationem non pertinet" (Can. 62, p. 72). Scripta sunt haec manu librarii illius (externi? v. supra p. 116) qua multa in exemplo illo correcta et addita sunt. Neque vero dici potest, ea Canisio mortuo vel inscio ita immutata esse; nam Canisius nonnunquam sua manu additiones illas emendavit vel amplificavit; velut p. 20 · 30 · 128 · 246. Quod porro ad „contrarietatem" in numero corporum in caelum assumptorum notatam attinet (supra p. 207), ex exempli, quod dixi, parte illa, quae Friburgi Helvetiorum in bibliotheca cantonali asservatur, intellegitur, Canisium ea in re nihil immutare voluisse. Dolendum autem est, quod opus illud correctum nunquam prelum subisse videtur. Certe hae correctiones praesto non erant *Joanni Jacobo Bourassée,* metropolitanae ecclesiae turonensis canonico, cum Canisii Opus Mariale ederet in „Summa aurea de Laudibus Beatissimae Virginis Mariae" T. VIII., Parisiis 1866, 613--1450. et T. IX, Parisiis 1866; 9—408.

Operae quoque pretium fuerit, haec notasse: *Franciscus Suarez* S. J. in ea „disputatione", in qua B. Mariam Virginem neque sacramentum poenitentiae, neque sacramentum ordinis, neque sacramentum matrimonii suscepisse, neque etiam certo constare de sacramento extremae unctionis ab ea suscepto ostendit, haec monuit: „Canisius lib. 1 de B. Maria, c. 9 . . . laudat Albertum . . . dicentem B. Virginem omnia sacramenta novae legis suscepisse, praeter Ordinem: quod verbum, vel correctione, vel pia aliqua interpretatione indiget, ut ex dictis patet; debuisset enim matrimonium et poenitentiam excipere"[1] (In Tertiam Partem D. Thomae, qu. 35, art. 4, Disp. 18, sect. 3, n. 6 [Opera, ed. *C. Berton,* XIX, Parisiis 1860, 289]). Huiusmodi „pia interpretatione" usi esse videntur theologi, qui in processu beatificationis Canisii Opus Marianum examinarunt; neque enim, quod sciam, locum illum cum fide bonisve moribus pugnare affirmarunt. Aegre vero tulerunt verba illa Suaresii Socii aliqui provinciae Germaniae superioris. Id cognoscitur ex *litteris autographis P. *Ferdinandi Alber* praepositi provincialis Augusta Vindelicorum 24. Martii 1594 ad Claudium Aquavivam praepositum generalem datis, quibus adiunctus est *commentarius alia manu scriptus, in quo haec dicuntur: In operibus „P. Suarez leguntur

a) *Sic correctum est ex* sit visum, *quod prius scriptum erat.*

[1] Mariam sacramenti poenitentiae capacem non fuisse docet etiam *Al. M. Lépicier* O. Serv. B. M. V., Tractatus de Beatissima Virgine Maria, Parisiis 1901, 175.

nonnulla parum consentanea regulae illi 42 Summarij [Constitutionum nostrarum]: „Idem sapiamus, idem, quo ad fieri potest, dicamus' . . . Nam patres nostros, ut Bellarm. Canisium, Pererium, Cardinalem Toletum aliquoties nominatim refutat". Id deinde in commentario, quem dixi, singillatim ex Suaresii libris demonstratur, atque inter alia hoc profertur: „Perstringit Canisium quod dixit ex Alberto, D. Virginem omnia sacramenta nouae legis suscepisse praeter ordinem. Quod dictum, inquit P. Suarez, uel correctione, uel pia interpretatione indiget. Quasi uero P. Canisius non uiderit, quo sensu accipi debeat". Alber autem non quidem planis verbis, satis tamen perspicue ab Aquaviva petit, ut haec et similia in Suaresii libris corrigi iubeat (Germ. 172 f. 170[b]; Germ. 173 f. 296/8[a]). Neque vero Aquaviva id praestitisse videtur.

Canisius Aquavivae respondit 2. Ianuarii 1585.

2204. IOANNES FRANCISCUS BONHOMIUS, apostolicus apud imperatorem nuntius, episcopus vercellensis, CANISIO.

Praga sub exitum m. Novembris 1584.

Ex Bonhomii ad Schnewlinum epistula archetypa. Cod. friburg. „Epp. ad Schn." f. 80. Etiam apud *Berthier*, Bonh. 128.

Bonhomius Praga Kalendis Decembribus 1584 Petro Schnewlino praeposito friburgensi de Sancto Carolo Borromaeo Mediolani 3. Novembris 1584 vita functo scripsit: „De Cardinalis Sanctae Praxedis immatura morte, aut verius ad beatiorem vitam translatione, non est, quod ea, quae ad Patrem Canisium scripsi, repetam, eoque magis quod incredibili dolore affectus non adeo sentiam me ad scribendum idoneum."

2205. VINCENTIUS BENOIT, Henrici III. Galliae regis apud Helvetios legatus (?), CANISIO. [Solodoro ?] inter a. 1582 et 1586.

Adolescentem quendam litterarum studiosum Canisio et magistris collegii friburgensis semel atque iterum commendat. Plura de his epistulis, quae perisse videntur, vide in Canisii litteris 26. Augusti 1586 ad Benoit datis, infra, ep. 2225.

Hic idem esse videtur atque „D. Vincentius Benedictus a Iunia", qui una cum „D. Ioanne Antonio a Ligno" mense Augusto a. 1580 episcopi lausannensis mandatu Friburgum Helvetiorum venit. In tabulis enim senatus friburgensis ille etiam „Benoitt" vocatur (*Steffens-Reinhardt* II 320 322). In inscriptione quidem apographi, quod adhuc superest, litterarum, quas supra dixi, Benoit „Legatus Regis Hispaniarum" vocatur; sed hoc officium iam ab aliquot annis Pompeius a Cruce tenebat (v. supra p. 43). Legatus autem ordinarius, quem vocant, Henrici III. Galliae regis a. 1583 et 1586 erat Dominus „a Floriaco" (Fleury). Fortasse Benoit ante eum hoc officium habuit, vel singulari aliquo mandatu regis in Helvetiam venit.

2206. CANISIUS **CLAUDIO AQUAVIVAE,** praeposito generali Societatis Iesu. Friburgo Helvetiorum 2. Ianuarii 1585.

De hac epistula, quae iam non exstare videtur, vide litteras 7. Februarii 1585 ab Aquaviva ad Canisium datas. Per has enim ei Aquaviva respondit.

2207. CLAUDIUS AQUAVIVA, praepositus generalis Societatis Iesu, CANISIO. Roma 7. Februarii 1585.

Ex commentario sic inscripto: „Friburgi P. Canisio." G. Sup. 1 f. 134[a].

Collegii friburgensis prosperitas et pietas. Difficultates de 5% occurrentes. P. Theodorici Canisii virtus.

Gratae mihi fuerunt[a] Reuerentiae V. litterae quas postremo accepi datas 2.° Jan. quod ijs indicabat bonum Collegij statum, et fratrum nostrorum studium in spiritu, ac uirtute adipiscenda. Hoc enim nos ut debet, magna semper afficit consolatione, non solum ob ipsorum fratrum nostrorum profectum, sed etiam proximorum, quia et[b] eorum salus difficulter[c] curari potest, nisi nos ipsi bene profecerimus, et si nos profecerimus, facile alios ad omne bonum adducemus, cum haec sit spiritus sancti natura ut in quibus est tanquam ignis alios ad se attrahat, et eodem calore incendat.

Porro quod attinet ad contractum quinque pro centum recte Reuerentia V. fecit quae difficultates occurrentes ad P. Prouincialem[1] detulit: nam nos etiam cum alias saepe, tum nuper ei hoc negocium commendauimus ut esset inter nostros et[d] ueritas, et conformitas[2]. Atque haec quidem curare nostrum est, et ut spero curabit P. Prouincialis, uerum difficultates quae ex[e] aliorum ingenijs existant, qui se ad hanc ueritatem parum dociles reddunt, eae non in manu nostra sunt, ut a nobis tollantur, sed rogandus est Dominus ut eis c o r a d a p e r i a t[3], detque gratiam et i n t e l l i g e n d i a e q u i t a t e m[4]. et eam omnibus rebus humanis praeferendi.

De cetero quod Reuerentia V. P. Theodoricum istac transire cupiebat[f] [5], non fieri potuit, quia cum hae Reuerentiae V. literae ad nos uenerunt, iam is[g] integro ante mense discesserat: sed non deerit[h] Reuerentiae V. ut spero commoditas etiam in prouincia eum uidendi. Nos quidem eius Patris consuetudine quamdiu hic fuit non parum delectati, et aedificati sumus, quia in illo pietatem, et prudentiam etiam non

a) *Sequitur* litterae, *oblitt.* b) *Sic in comm. correctum est ex* neque. c) *Corr. ex* salus tam bene. d) *Corr. ex* censura tum *vel similibus vv.* e) *Hoc v. supra versum scriptum est.* f) *Sequitur* cum hae litterae, *oblitt.* g) *Sequitur* ante unum, *oblitt.* h) *Duo vv. sqq. supra marginem scripta sunt.*

---

[1] Georgium Bader.

[2] Roma 4. Octobris 1584 *Aquaviva* Badero de P. Roberto Ardreno *scripsit: „Friburgo P. Robertus detulit ad nos dubitationem quandam pertinentem ad communem illam quaestionem quinque pro centum; cuius causa et similium, si quae deinceps orientur, uisum est ut Reuerentia V. suos moneat, ut cum ista dubia oriuntur, ea prius Reuerentiae V. proponant, quae rem cum doctoribus et consultoribus bene examinabit; ac tunc si quid adhuc difficultatis remanserit, ad nos scribi poterit, misso simul Reuerentiae V. et doctorum istorum iudicio ac sententia" (ex commentario; G. Sup. 1 f. 123[a]). *Respondit *Bader* Augusta Vindelicorum 11. Novembris 1584: „Cum eodem P. Roberto, cum istic essem, egi coram Consultoribus, ipsumque eisdem approbantibus, manifeste conuici de errore, in quo circa scriptum Romanum eatenus pertinaciter haeserat · an autem eadem de re, quod ej a me satisfactum non sit, an eius occasione, de alia scripserit ad V. R. P. ignoro" (ex autogr.: Germ. 163 f. 257[a]). De scripto illo a. 1581 a Societatis theologis selectis iussu congregationis generalis IV. Romae confecto et a Gregorio XIII. probato v. supra p. 66.

[3] 2 Mach 1, 4. [4] Prv 2, 9.

[5] P. Theodoricus Canisius, rector dilinganus et Petri Canisii frater ex patre, Romam ad praepositum generalem procurator missus erat a Sociis Germaniae superioris; v. supra p. 205.

mediocrem perspeximus. Nec iam aliud restat mihi quod scribam nisi quod me Reuerentiae V. precibus sanctisque sacrificijs ex animo commendo, et uicissim illi omnem gratiam, et consolationem ex animo precor. Romae 7.° Febr. 1585.

Canisius Aquavivae respondit paullo post initium a. 1586.

2208. CANISIUS cum PETRO SCHNEWLY, PETRO KÜNTZLI, CHRISTOPHORO REIFF **SENATUI MINORI REIPUBLICAE FRIBURGENSIS.** Friburgo Helvetiorum 8. Augusti 1585.

Ex relatione manu Guilielmi Techtermann archigrammatei friburgensis scripta (2°; 4 ff.; 6 pp.), quae est Friburgi in archivo reipublicae, „G. S. 322" (antea „Geistl. Sachen 112"). Relationem ex eodem scripto vulgavit (res tamen potius, quam ipsa verba ponens) *Franc. Heinemann,* Geschichte des Schul- und Bildungswesens im alten Freiburg bis zum 17. Jahrhundert, Freiburg 1895, 141.

Praefatio editoris. Scriptum hoc, etsi non potest proprie dici epistula, hic tamen ponitur, quia per illud Canisius senatum friburgensem, quid de typographiae in urbe instituendae consilio sentiret, certiorem reddidit. Praenoto autem hoc: Die 6. Augusti 1585 ad senatum minorem friburgensem relatum est: Abrahamum Gemperlin, urbis Friburgi Brisgoviae typographum, Friburgi Helvetiorum sedem figere velle (Cod. „Rathsmanual Nr. 128" Friburgi in archivo reipublicae).

Typographiam Friburgi instituendam privilegio typographico muniri debere. Privilegium gallicum vel italicum ei haud multum prodesse posse. Opus esse privilegio caesareo. Hoc vero difficulter concedi. Qua via petendum sit. Quid in eo constitui debeat.

Ongevarliche berathschlagung der eerwürdigen hoch vnnd wolgeleerten auch fürnemen wijsen Herren P: Canisij, D: Th: P: Schneuwlin Probst, P: Cüntzi D: M: [1] *vnnd Christoffel Reiff des Raths, wie dem buchtrucker vnnd truckereij allhie ein gnugsam priuilegium zubekriegen.*
8 Aug: 1585.

Nach dem vorgenante herren etwas conferentz mit einandern gehapt, vnnd mijn herr Probst mit dem Stattschrijber [2] *hinuff in das Collegium zu dem eerwürdigen herren Canisio khommen, vnnd iren beuelch den sij diß ortts von vnsern gnädigen herren vnnd obern gehapt, entdeckt, auch sijn meinung darüber ervordert, hatt er sijn meinung vnnd Rathschlag vff nachfolgende wyß eroffnet.*

Namlich sije es nit ein gering werck ein truckereij anzerichten, wie mijne gnädige herren nüwlich gspüren vnnd erfaren mögen [3], vil schwärer aber sije es dieselbige zuerhalltten, allso das der buchtrucker mit sijnem gesinnd zur Truckereij dienstlich bestahn vnd mit dem werck fürfaren möge · das mijn herren des ein eer vnnd er ein nutz habe; Das möge aber nit wol zugehen, er sije dann mit einem gutten priuilegio versehen, Dann so ime dasselbig manglet, wurde es mit der truckereij vnnd dem trucker bald außsijn, vnnd ob er schon was truckete, das

---

[1] Petrus Küntzli (Cuntzli, Küntzi), medicinae doctor, ab a. 1575 unus e scholarchis, ab a. 1579 de senatu maiore, 1582 unus de „Sexaginta" viris, a. 1584 de consilio secretiore factus est (*Fontaine,* Notice historique etc. [cf. supra p. 20[5]] 55 56).

[2] Guilielmo Techtermann. [3] Cf. supra p. 1 5 12 104 114.

zetrucken wol würdig vnnd an im selbs vertriblich, wurde es durch die gefeijeten trucker, dahin sijn wahr gebracht wurde, eintweders nidergelegt, oder doch nachgetruckt vnnd in die khouffstett[1] ververtiget, müsste allso der hieig trucker ein grossen verderblichen schaden erlijden, vnnd gar bald zu grund gan[2].

Was aber für priuilegia vnnd an welchen ortten sij zuerwerben, Da sinnd durch gemelten herren Canisium dise meinungen anzögen worden.

Man möchte sagen oder meinen, Es wäre ein priuilegium von küniglicher maiestet vß Franckrijch[3] zum aller geringsten oder lijchtesten vßzebringen, Das sije nun an im selbs allso. Es möchte aber den buchtrucker nit nutzen. Dann Das er sijne bücher in Franckrijch vertigen sölltte, hatt khein rijmen, vß vrsach, das zu Lijon, Parijß, vnnd andern ortten des Franckrijchs vil buchtrucker sinnd, die ein treffenlichen gwerb in vilen landen habend, vnnd mit herlichen priuilegijs wol versehen sinnd, müßte allso der buchtrucker meer schadens dann nutzes gewertig sijn, Deßwegen das das priuilegium sich nit wijtter erstrecken möchte dann in Franckrijch Da dann, wie vorgemelt, er khein nutz sunder schaden empfahen mag.

Zum andern, möcht man auch sagen, Das gutt wär das man das priuilegium von Bäpstlicher Heiligkheit[4] vßbrächte, Es wurde aber vil weniger nützen, Dann das priuilegium von Franckrijch, vrsach das dem Buchtrucker noch beschwärlicher sijne bücher über das gepürg in Jtalien zevertigen, da es der truckerijen noch meer hatt dann anderßwa, So möchte das Päbstlich Priuilegium in Teütschland vnnd im gantzen Rijch nichts gelltten, Dann man desse im Rijch nit achtet.

Jst derhalben khein ander priuilegium, das mijn herren oder iren buchtrucker nützen möge, zuverhoffen dann von Keiserlicher Maiestät[5]. Es erzeigend sich aber zwo difficulteten, Erstlich das die priuilegia der truckerijen von Keiserlicher Maiestät gar khumerlich vßzebringen, ia das etliche gwaltige Trucker die im Rijch gesässen, sollichs nit erhalten mögend, vrsach das die buchtrucker ein zijtt har die truckerijen mißbrucht, vnnd getruckt was sij nit trucken solten, khein vnderscheid gehalten, vnnd über das etliche fürsten vnnd stend des Rijchs mit irem trucken angereitzt[a], dahar ir Maiestat auch verdrüßig worden.

a) *Sex vv. sqq. in margine addita sunt.*

[1] In urbes, in quibus librorum nundinae haberentur, velut Francofurtum ad Moenum.

[2] Ea aetate nondum exstabant leges, quae recta ad proprietatem litterariam tuendam spectarent. Hanc igitur typographi et librorum editores privilegiis tuebantur typographicis, quibus principes magistratusque ecclesiastici et civiles poenis propositis cavebant, ne quis intra certum tempus invitis typographis opera ex ipsorum officinis in lucem emissa typis exscriberet vel exscripta venderet.

[3] Henrici III.

[4] Gregorio XIII. 10. Aprilis 1585 vita functo, 24. Aprilis 1585 pontifex electus erat Sixtus V.

[5] Rudolpho II.

Die andere difficultet ist, das ob schon etwas von Keiserlicher Maiestat zuverhoffen, So sijend die mittel vmb dasselbig zewerben nit vorhanden. Dann so khein ansehenliche mitlende Person vorhanden, werde es khumerlich zugan, Wann auch der Buchtrucker Gemperlin die Reiß zu irer Keiserlicher Maiestat selbs (wie er vorhabens gewesen) fürnemmen vnnd trijben sölltte, wurde es vnerheblich vnnd vergeben sijn, wurde er[a] sijn gelltt verthun, die zijtt verlieren vnnd nichts vßrichten, sunders vnwillig vnnd verdrüssig werden, vnnd müßte es mit sijnem trucken vnnd truckerij eins mals auß seijn.

So sije auch der hochwürdig herr Bischoff von Vercell (der dises zum bequemlichsten vnnd on costen vnnd arbeit zuwegen bringen hette mögen) nit meer an des Keijsers hoff, vnnd wüsse man nit wo ir hochwürde diser zijtt wone vnnd wese[1].

Sije nun nichts bessers noch wegers dann das man ein versuch täthe Künigklicher Maiestat vß Franckrijch, auch Fürstlicher Durchlüchtigkheit von Sauoij Oratores vnnd Ambassadorn bij Keiserlicher Maiestat mit schrijben anzelangen sollichs bij irer Maiestat vßzebringen.

Damit aber sollichs ordenlicher, vnnd fuglicher wijß, angericht, vnnd in der sach nit fürgeschossen oder gefält werde, so solle man beider herren Ambassadorn, zu Solothurn vnnd Lucern[2], Raths pflägen, vnd durch schrijben vßbringen wie die sach bij den Ambassadorn die bij Keijserlicher Maiestat sind, zum bequemlichsten angegrijffen sije, vnnd ob man Künigklicher Maiestat vß Franckrijch, vnnd Fürstlicher Durchlüchtigkheit von Sauoij Fürdernusbrieffen an Keiserliche Maiestat bedörffe.

Nach dem man dann von inen vernimpt, sölle man den sachen wijtter thun, Darneben auch lugen ob man Bäpstlicher Heiligkheit zuschrijben vnnd dieselbige ankheeren wölle, mijnen herren diß vals gegen Keiserlicher Maiestat mit fürschrifft beholffen zesijn. Das werde auch nit schaden.

Was aber die substantz des priuilegij belangt · hatt man nit gutt funden das es vff Gemperlins person allein gestellet wurdt, dann es sich zutragen möcht, das Gemperlin von disem an ein anders ortt ziehen möchte, allßdann wurde das priuilegium mijn herren nichts nützen, vnnd müßte man vmb ein anders werben mit grossem costen vnnd mit grosser muij vnnd arbeit.

Derhalben solle das priuilegium luten vff disen buchtrucker vnnd andere sijne nackhhommen die in diser statt wonen vnnd mijner gnädigen herren bestelltte buchtrucker sijn werdennd, vnnd vff die

a) *Sequuntur vv.* ein gross gelltt, *oblitterata.*

[1] Ioannes Franciscus Bonhomius, a. 1581 nuntius apostolicus ad caesarem missus, a. 1584 exeunte a pontifice iussus erat legationem obire belgicam (*Berthier*, Bonh. 127).

[2] Caroli Emmanuelis I., ducis Sabaudiae, oratorem apud Helvetios hoc tempore fuisse Hieronymum de Lambert, dominum de Croisette, affirmat *Berthier*, Bonh. 66[2]. De oratore gallo v. supra p. 209.

bücher so von den deputierten vnnd verordneten vffsehern beider Geistlichen vnnd weltlichen Oberkheit approbiret vnnd in truck zegeben zulãßlich erkhent werden, in zehen Jaren nit nachzetrucken. Diser Gstalltt mögind mijn herren das priuilegium hinder inen behalten, vnnd khein mißbruch in der Truckerij begangen werden.

Hernach aber alls man von gemeltem herrn Canisio gangen, Jst man wijtter räthig worden, das er etwas glimpfflicher vnnd füglicher wäre, das man die approbation berürter deputierten Geistlicher vnnd weltlicher Oberkheiten vngemeldet liesse, vnnd allein sagte, das das priuilegium dienen solle vff das so da truckt wirt mit approbation der Jesuitern des Collegij allhie, Das werde ein vil bessern zugang geben das priuilegium zuerlangen.

Sije auch in den schrijben die man vßgan laßt anzuziehen vnnd zemelden, Das wo mijn herren mit dem priuilegio nit begabet werdend so müssind die bücher die herr Doctor Canisius geschriben, vnnd noch schrijben möchte, verligen vnnd villicht nimmer an tag khommen.

Vber etlich tag hatt Gemperlin anzeigt wie ime fürkhommen das der hochwürdig Bischoff von Vercel ietziger zijtt zu Cöln sije, vnnd woveer mijn herren ein schrijben an ine wöllind langen lassen, wüsse er mittel dasselbig von Franckfurt gen Cöln zevertigen.

His rebus intellectis *Senatus* Friburgo 27. Augusti 1585 ad Bonhomium * litteras dedit, in quibus haec, praeter alia, dicuntur: „Statutum est omnino Collegij aedes scholasque cum templo in acropoli, vbi quondam arx haud spernenda Comitibus Grueriensibus hospitium praebuit (vulgo Bellum saxum vocatur) a fundamentis ipsis excitare. . . . Nec obstitit tanta illa moles, quin interea ad omnium doctorum virorum, Collegij praesertim procerum, Scholasticorum, nec non popularium nostrorum vsum typographicam officinam satis instructam haud spernendo aere comparauerimus typographumque qui iam egregia aliquot opuscula in lucem dedit [1], de aerario nostro publico conductum habeamus. Abrahamo Gemperlin illi nomen est. Verum summopere non solum typographum sed et nos ipsos torquet et anxios habet, quod is nullo Priuilegio instructus in distrahendis libris maxime laboret et periclitetur, Qua de re cum diu deliberauissemus, et per Archigrammateum nostrum ipsius Reuerendi Domini Doctoris Petri Canisij sententiam explorauissemus, nullum ad impetrandum a Caesarea Maiestate (quandoquidem a Summo Pontifice vel etiam a Galliae Rege si impetraretur, typographo aut nihil, aut minimum profore scimus) Priuilegium, praesentius adminiculum, auxiliumque nullum compertum est, quam ut R. P. Tua authoritatem suam qua plurimum pollet, apud Sacram Caesaream Maiestatem interponat. . . . Pro parte nostra cautum est, ut nihil omnino excudatur, quod Reuerendorum Patrum Collegij huius censura proelo committendum non iudicetur." Rogant igitur Bonhomium, ut privilegium illud senatui impetret, idque ita, ut opera illa proximis 7 vel 10 annis nemo alius typis exscribere possit (ex totius epistulae apographo manu Guilielmi Techtermann scripto, quod est Friburgi in archivo reipublicae, Cod.: „Latinische Missifen 1579—1591", f. 27ª—28ª).

Deinde 14. Octobris 1585 *Senatus* ad Sixtum V. * litteras dedit, in quibus haec sunt: „Cum Reuerendi Patris Petri Canisij Societatis Iesu Theologi, qui vrbem hanc nostram praesentia et domicilio suo multum honestat, hortatu officinam typographicam

[1] Exstare tria opera a. 1583 vel 1584 Friburgi Brisgoviae typis Abrahami Gemperlin excusa affirmat *Frid. Pfaff,* Festschrift zum vierhundertjährigen Gedächtniss des ersten Freiburger Buchdrucks, Freiburg i. Br. 1893, 18—19 32.

haud exiguis sumptibus comparauerimus[1] typographumque conduxerimus", petere se a pontifice, ut sibi ab imperatore „Priuilegium perpetuum" impetret, „quod nos ipsi in singulos tractatus, in praedicta Typographia, consilio Reuerendorum Collegij Patrum cudendos referre possimus", idque ita, ut singula illa opera proximis 7—10 annis ab aliis edi non possint. Deinde pontificem rogant, ut ipse quoque huiusmodi privilegium sibi concedat (ex apographo, manu, ut videtur, Guilielmi Techtermann scripto, quod est in codice friburgensi, quem modo dixi, f. 28ᵇ—30ᵃ).

Bonhomius Schnewlino praeposito Leodio 11. Octobris 1585 scripsit: „De typographi privilegio a Caesare impetrando, scribo ad Senatum quantum sufficere arbitror: itaque non est quod eadem repetam" (*Berthier,* Bonh. 129—130). Quae ad senatum epistula nondum reperta est. Neque a caesare senatus hoc quidem tempore quicquam impetrasse videtur. Anno tamen 1589 Rudolphus II. Gemperlino eiusque heredibus pro Canisii „Notis in evangelicas lectiones" privilegium 10 annorum tribuit; de quo plura dicentur infra, mon. 1502.

Romam ad cardinalem Azzolinum *Bonhomius* ex urbe Sancti Audomari (St.-Omer) 9. Februarii 1586 *litteras misit, in quibus ait: „Scrissi questi di passati a Monsignore Illustrissimo Rusticucci per quel priuilegio della stampa. . . . Mi pare Sua Beatitudine non solo debbia ajutare queste pie cause di Friburgo, ma anzi io gliele raccomando con quella maggiore efficacia, che sò et posso" (ex apographo totius epistulae, quod est Londini in Museo Britannico, Bibl. Egerton 1079, p. 121—128).

Boero, res Friburgi a Canisio gestas narrans, de eo affirmat (379): „Ad accrescere nel popolo la pietà, fece venire dalla Germania una gran quantità di libretti divoti." Idem, ex Boero, ut videtur, acceptum, refertur ab aliis, velut ab *Eug. Séguin S. J.,* Vie du Bienheureux Pierre Canisius, Paris 1864, 251, et ab *J. M. S. Daurignac,* Histoire du Bienheureux Pierre Canisius, Paris 1866, 361. Neque vero constat, unde Boero haec hauserit.

2209. CANISIUS **P. IOANNI CREMERIO S. J.,** poenitentiario basilicae S. Petri romanae. Friburgo Helvetiorum 28. Augusti 1585.

Ex commentarii a Canisio ipso recogniti et emendati parte postrema, eaque aliquantum manca. Can. 30 f. 185ᵇ (non sign.).

Libri Bugenhagii, Bellarmini etc. Opus Marianum. Sedicio belgica. Haivodus.

— — [Chris]to et Ecclesiae cupiat lucrifacere. Vtinam breui adsit Pomera[nus] superintendens, pluresque id genus pisces ex Aquilone uobis adfer[an]tur[2]. Jngolstadij aegrotare coepit Typographus, ut hinc opus P. Roberti Bel[larmi]nij[3] tardius excudatur. Eum amanter ex me cupio salutari, cui a[lijs rebus occupa]to[?][a] utinam tantum supersit otij, ut in opere nostro Mariano corrigenda uel pauc[a adno]tet. P. Sal-

a) *Vel* a[lias occupa]to *vel* a[dmodum occupa]to *vel simile quid.*

[1] A Frobenio typographo basileensi eam emerunt 1710 libris (*Heinemann* l. c. 141).

[2] Ioannes Bugenhagen (1485—1558), quem ex patria Pomeranum vocabant, ex sacerdote catholico a. 1523 Lutheranorum vitembergensium pastor et a. 1536 etiam Saxoniae electoralis „superintendens generalis" factus, vir Luthero amicissimus et catholicis infensissimus, permultos libros edidit, velut „In librum Psalmorum interpretationem", commentarios in Ieremiam et Ionam, Epistulam germanicam adversus Zwinglii doctrinam de coena Domini etc.

[3] Anno 1586 Ingolstadii „ex officina typographica Davidis Sartorii" prodiit tomus primus operis „Disputationes Roberti Bellarmini Politiani, Societatis Iesv, de Controversiis Christianae Fidei, adversus hujus temporis Haereticos, Tribus Tomis comprehensae. Ad S. D. N. Sixtvm V. Pont. Max." (*Sommervogel* I 1156).

meronis commentarios [a], si[cut] et P. Maldonati lucubrationes [1], et Cardinalis Sierleti opera ut uereor frustra expe[ctamus.] [2] Domin[us] Jesus gratiam nobis suam augeat, ut quae uocationis nostrae sun[t pro]pria, rite cognoscamus, et ardenter amemus, et perfecte praestem[us.] Ora pro me Pater, et pro Belgio nostro, ut sub Rege Catholico Eccles[iae] quoque Catholicae reconcilietur [3], sed et pro nostra Societate, ut apud infi[deles] atque haereticos [b] optato cum fructu uersetur [c]. Salutatum ex me cupio P. Casparum Heyuodum, qui de suis apud Anglos certaminibus se nobis scripturum promisit [4]. Friburgi Nuit[onum] 28 Augusti Anno 85.

Epistulae huic, ad quem data esset, adnotatum non est. Ex ipsis autem eius verbis, et maxime ex iis, quae P. Bellarminum spectant, intellegitur, eam ad Societatis sacerdotem aliquem Romae degentem datam esse. Bellarminus enim eo tempore in collegio romano theologiam docebat (*J.-B. Couderc* S. J., Le Vénérable Cardinal Bellarmin I, Paris 1893, 111). Sacerdos autem ille ex Germania inferiore ortus fuisse videtur: Canisius enim eum monet, ut „pro Belgio nostro" Deum oret. Valde igitur probabile est, litteras hasce missas esse P. Ioanni Cremerio, cui Canisius etiam m. Martio 1584 scripserat. Hunc enim constat m. Octobri 1584 Romae in collegio Poenitentiariorum basilicae S. Petri moratum esse (v. supra p. 181); et in eiusdem collegii * *Catalogo* a. 1586 scripto dicitur: „P. gio. cremerio prefetto di quelli che leggono in tavola, Penitenziero della Germania superiore et jnferiore" (Rom. 53 f. 110[a]).

P. *Philippus Alegambe* S. J. affirmavit, Controversiarum Bellarmini „tomum I primum prodiisse anno 1581, tomum II anno 1583" (Bibliotheca Scriptorum Societatis Iesu, Antverpiae 1643, 411). Eius verba repetiit P. *Nathanael Sotvellus* S. J. (Bibliotheca Scriptorum Societatis Iesu, Romae 1676, 722). P. *Augustinus de Backer* S. J.

a) *Sequuntur vv.* ut uereor, frustra expectamus, *oblitt.* b) *Sic C. sua manu correxit ex hisce vv. a librario scriptis:* reconcilietur, nostraque Societas tum apud infi[deles] tum apud haereticos. c) *Quae sequuntur, usque ad* promisit *incl., ab ipso Can. in margine addita sunt.*

[1] P. Alphonsi Salmeronis S. J. († 1585) Commentarii in Novum Testamentum primum Matriti a. 1597—1601 voluminibus 16 vulgati sunt (*Can.* VI 481[6]). P. Ioannis Maldonati (Maldonado) hispani, praeclari illius Scripturae interpretis, Romae a. 1583 mortui, „Commentarii in quatuor Evangelistas" primum editi sunt Mussiponti (Pont-à-Mousson) a. 1596. Postea alia quoque opera eius theologica in lucem prodierunt: v. *Sommervogel* V 403—410.

[2] De doctissimi illius Guilielmi Sirleti opusculo nuper tandem edito v. supra p. 187[4].

[3] Alexander Farnesius, a Philippo II. in Belgium missus, paullo ante Flandriam et Brabantiam recuperaverat et 27. Augusti 1585 Antverpiam expugnavit. Quare sperabant, brevi totam illam sedicionem, quam potissimum moverant Calviniani, exstinctum iri.

[4] Caspar Haivodus (Haywood) S. J. a. 1581 in Angliam missus (v. *Can.* VII 578), inde quia inter ipsos Catholicos controversiam de ieiunio excitaverat, a. 1583 ab Aquaviva praeposito generali revocatus erat; sed cum navis iam in conspectum portus rotomagensis venisset, repente adverso vento in Angliam repulsus ibique ab Anglicanis captus et propter fidem catholicam Londini in vincula coniectus erat; initio autem a. 1585 iussu Elisabethae reginae cum 19 aliis sacerdotibus invitus palamque reluctans navi, ut perpetuo Anglia exsularet, in Galliam abductus est; unde Romam ac tandem Neapolim venit, ubi a. 1598 admodum pie mortem obiit (*Sacchinus*, Hist. S. J. V[1] 130—131; *Iuvencius*, Hist. V[2] 223). Ceterum constat, eum in Anglia et magno cum fructu apud Catholicos laborasse et multas aerumnas pro ecclesia fortiter tolerasse. De rebus ab eo gestis v. etiam *John Morris* S. J., The Troubles of our Catholic Forefathers related by themselves II, London 1875, 68—72.

scripsit, Ingolstadii editum esse tomum I a. 1581, II a. 1582 (Bibliothèque des écrivains de la Compagnie de Jésus I, Liège-Paris 1869, 498). Verum ea de re dubitari poterat vel eo, quod neque P. *Antonius Posserinus* editiones illas commemoravit (Apparatus II 330), neque *Sommervogel* eas vidit (I 1156). Qui autem has Canisii litteras legerit, facile sibi persuadebit, Alegambium et eos, qui eum secuti sunt, errasse.

2210. CANISIUS **P. GEORGIO BADER S. J.**, praeposito provinciali Germaniae superioris.

Friburgo Helvetiorum circa m. Novembrem 1585.

Ex Baderi autographo. Germ. 165 f. 119ᵇ.

De iure quodam collegii.

P. Georgius Bader S. J. provincialis Germaniae superioris Augusta Vindelicorum 8. Decembris 1585 Claudio Aquavivae praeposito generali scripsit: „De Jurisdictione illa Friburgensis Collegij, scribit Rector[1]*, nostros in duobus pagis habere jus uitae et mortis · debere habere patibulum, judicem, lictores etc. putatque ad conseruanda bona temporalia etc. ius retinendum, cui assentitur P. Robertus*[2]*. P. uero Canisius, putat nullo modo nobis conuenire; sed alienandum: et potius Capitulo Friburgensi quam Senatui. Tertius consultor*[3] *nihil scribit. Jnformatio non est missa in forma, ut iusseram: nec rem satis assequor, quare nec dicere possum quid sentiam · uidetur tamen res posse differri, donec post pascha eo proficiscar."*

2211. CANISIUS **IULIO ECHTER A MESPELBRUNN**, episcopo herbipolensi et Franciae orientalis duci.

Friburgo Helvetiorum a. 1585 (exeunte, ut videtur).

Per has litteras Canisius „Operis catechistici" a P. Petro Busaeo S. J. ad Canisii „Summam" illustrandam compositi editionem coloniensem tertiam, a. 1586 in lucem emissam, Iulio episcopo dedicavit. Eas hic non pono, quia a litteris a. 1576 datis, per quas Canisius eiusdem operis editionem alteram, Coloniae a. 1577 vulgatam, Iulio dedicavit, haud multum discrepant, et locos discrepantes iam posui Can. VII 326—336.

2212. CANISIUS **CLAUDIO AQUAVIVAE**, praeposito generali Societatis Iesu. Friburgo Helvetiorum circa initium a. 1586.

Epistula perisse videtur. De qua vide litteras 3. Iulii 1586 datas, per quas Aquaviva Canisio respondit.

2213. CANISIUS **P. GEORGIO BADER S. J.**, praeposito provinciali Germaniae superioris. Friburgo Helvetiorum circa initium a. 1586.

Ex Alberi epistula autographa. Germ. 165 f. 317.

Bona collegii recuperanda. Iudices aliique parum faventes. Administratio bonorum. P. Ardrenus.

P. Ferdinandus Alber, qui circa finem a. 1585 a Claudio Aquaviva praeposito generali loco Georgii Bader constitutus erat praepositus

---

[1] P. Petrus Michael. [2] Ardrenus. [3] P. Petrus Lovaniensis.

provincialis Germaniae superioris (id quod Canisius, ut videtur, non cognovit nisi aliquanto post), Landsberga 16. Martii 1586 eidem Aquavivae scripsit: „De Friburgensi Collegio sic scribit ad Prouincialem P. Petrus Canisius.

Praecipuus nodus, qui nobis et superioribus negocium in hoc Collegio exhibere uidetur, in Jurisdictione Marcensi consistere uidetur, quam inuocata Senatus istius authoritate tueri cogimur, sed non ex praescripto Juris Canonici, quod apud Heluetios, etiam Catholicos, uim suam non obtinet, sicut R. T. *(intellegit P. Baderum)* obscurum non est. Nec putabamus fore, ut ijdem Senatores contra nos pronuntiarent in caussa iampridem agitata, contra defuncti Abbatis fratrem, sicut et R. T. coram ab illis petiuerat, ut bona quaedam Monasterij per eundem Abbatem alienata, fratrique relicta Collegio restituerentur [1]. Hic, nobis uelut contentiosis, imponunt silentium. Tam infoeliciter cedit nostris litem externis intendere, in qua Procurator certam nobis uictoriam promiserat, sicut et in Causa Molendini, quum iam non sine dedecore, ut de damno taceam, ab utraque lite supersedere cogamur. Doleo Patri Anthonio piae mem. [2] et Patri Roberto [3] munus hoc procuratorum, non foelicius successisse, nosque maiore fauore et gratia non gaudere apud Friburgenses, quibus uidemur in colendis agris bonisque Monasterij administrandis parum industrij: Vnde cuperent hasce curas externis alijs demandari, sicut et coram, ut opinor cum R. T. tractabunt tempore Visitationis. Habemus sane acutos obseruatores et subditos non simplices; Vtinam et Officiales Gallos huic loco tantisque ferendis oneribus pares ad manum haberemus, quorum opera maxime Rector noster [4] indigere uidetur [5]. *Haec Canisius. Qui praeterea sicut et Rector monet, non expedire ut P. Robertus diu Friburgi versetur, siquidem de suo discessu rumorem iam sparsit, et minus gratus esse coepit.*"

[1] Collegium friburgense, cui monasterium marsense a Gregorio XIII., assentiente republica friburgensi, traditum erat, bona quaedam eiusdem monasterii, quae Ioannes Chollet, ultimus eius abbas, alienaverat et fratri suo reliquerat, sibi restitui debere contendebat. Quae causa apud iudicem ecclesiasticum agi debuit ex praescripto iuris canonici (cf. e. g. Decretum *Gratiani* c. 43 46 47 C. xi, q. 1, et bullam *Martini V.* 1. Februarii 1428 datam, in „*Magno Bullario* Romano" I, Luxemburgi 1727, 306—307). Apud Helvetios vero „privilegium fori" clericorum hac in parte aut contrario usu in desuetudinem abisse, aut (id quod minus verisimile est) singulari pontificis concessione sublatum esse videtur.

[2] Antonio Balduino; v. supra p. 50. Is Lucernae, dum pestilentia infectos sedulo iuvat, eadem ipse corripitur et 7. Septembris 1585 caritatis victima occumbit (*Agricola* I Dec. 5, n. 213; *Sacchinus*, Hist. S. J. V[1] l. 5, n. 115).

[3] Ardreno. [4] P. Petrus Michael.

[5] *Ferdinandus Alber* provincialis Friburgo 28. Februarii 1587 Aquavivae *scripsit: „Omnes Collegij Coloni et subditi Galli sunt . . . Plures fere in hac ciuitate gallice quam germanice loquuntur et de peccatis confitentur" (ex autogr.: Germ. 167 f. 87[b]).

2214. CANISIUS **CLAUDIO AQUAVIVAE**, praeposito generali Societatis Iesu. Friburgo Helvetiorum circa m. Ianuarium 1586.

Ex Michaelis autographo. Germ. 165 f. 339ª.

De iure amortizationis alienando.

*P. Petrus Michael collegii friburgensis rector Friburgo circa m. Ianuarium a. 1586 Aquavivae praeposito generali scripsit: „Jam fere annus est et medius, admodum reuerende pater, quando Senatus Friburgensis obnixe rogauit R. P. Prouincialem eo tempore collegium visitantem, vt in suj gratiam rusticos Monasterio Marcensj subiectos, a iure amortizationis liberaret, eisdemque potestatem faceret bona olim a monasterio accepta, ad emphiteusin perpetuam libere diuendendi. Nec defuerunt ex PP., qui Reuerendo Patri Prouincialj hanc alienationem suaderent, et nunc quoque sunt qui eam vehementer suadent, quique e re collegij futuram dicunt. . . . Principio itaque quid nomine iuris amortizationis alienandi accipiendum sit, explicabo. Vulgus hoc nomine intelligit conditionem quandam bonis emphyteuticis adiunctam, vi cuius bona olim accepta sub hac conditione, haeredib. duntaxat ex proprio corpore primi emphyteuticj procreatis relinquuntur, nec vllo titulo in alios transferri possunt, quae tamen deficientibus haeredib. vel emortua familia, domino bonorum habentj directum dominium restituuntur. Huic autem conditionj, siue iuri amortizationis ducenta iugera partim agrorum, partim pratorum in vno loco Molettes dicto subiecta sunt, in Posat vero 60, quorum illa non nisi horis septem ab vrbe, haec vero tribus solum, a se vero minime distant. Ab hoc iure amortizationis liberarj volunt rusticj [1], non autem a iurisdictione quam in illos habet Monasterium. . . . Hoc duntaxat efflagitant, vt liberum illis sit, consensu Collegij, bona olim ab Abbatib. accepta, cuiuis quandocunque inopia vel necessitate premuntur, vendere, aut in alios transferre. . . . Manebunt nihilominus feudatarij Monasterij . . .; censum praeterea vt prius persoluent.“ Sequuntur „rationes pro vtraque parte“. Quibus subiunctae sunt sententiae rectoris et Petri Lovaniensis, Petri Canisii, Roberti Ardreni consultorum rectoris. Lovaniensis quidem *scribit: „Jus amortizationis vendendum non puto · tum quod certum non sit, venditionem hanc in euidentem Collegij vtilitatem cessuram, tum etiam quod hac ratione Dominis Senatoribus (qui vnice cupiunt omnia Monasterij bona ad se trahere) ad alias venditiones vrgendas occasio maior dabitur.“ Canisius vero scripsit:*

Committo iudicium de toto negotio definiendi R. P. N. Generali, et cupio tamen quoad eius fieri potest, Dominorum Friburgensium petentium rationem haberi, quorum gratia indigemus.

Haec ante d. 6. Februarii 1586 scripta sunt. Nam P. Robertum Ardrenum 5. Februarii 1586 e collegio friburgensi abisse P. *Michael* 3. Aprilis 1586 ad Aquavivam *rettulit (autogr.; Germ. 165 f. 336a). Landsberga 16. Martii 1586 P. Ferdinandus Alber provincialis has sententias Aquavivae misit (autogr.; Germ. 165 f. 317ª).

---

[1] *Petrus Michael* rector 3. Aprilis 1586 Aquavivae *scripsit: Senatus nos monuit, „seruitutem hanc libertati Helueticae contrariam esse“ (autogr.: Germ. 165 f. 336ᵇ).

2215. CANISIUS **AMICO ALICUI FRIBURGENSI** (Petro Schnewly praeposito ad S. Nicolai?). Friburgo Helvetiorum initio a. 1586.

Ex commentario vel apographo Canisii manu scripto. Can. 50, II f. 74ᵇ.

De aedificatione collegii et ecclesiae Societatis promovenda.

Canisius in codice, in quo Friburgi varia in usum suum notare, adumbrare, describere solebat, ea quoque, quae modo ponentur, scripsit, nullo ascripto tempore. Ex ipsis tamen rebus, quae scribuntur (cf. infra, mon. 1413) colligitur, Canisium verbis illis initio a. 1586 adumbrasse litteras ad unum e collegii amicis patronisque dandas vel datas. Praecipui patroni tum erant Petrus Schnewly praepositus templi S. Nicolai vicariusque generalis episcopi lausannensis et Ludovicus d'Affry reipublicae consul. Puto autem, Canisium Schnewlino scripsisse. Nam scribebat etiam de Sancto designando, sub cuius tutela et nomine templum Societatis Deo sacrandum esset; id quod potissimum ad Schnewlinum pertinebat. Ita igitur Canisius:

„Ex authoritate Senatus Quaestor[1] *nobis est assignatus, qui pecuniam ad prouehendam fabricam expendat, quique in hoc offitio se melancholicum, tardum et fastidiosum exhibet, ut frequenter operarij nostri conquerantur et impediantur. Ea res non parum fabricam remoratur, quum Quaestorem hunc parum fauentem et amicum, ac in suo sensu abundantem experiamur.*

Expediatne confirmare priora consilia, quae fortasse non fuere definita de noui templi structura, longitudine, latitudine, portis, fenestris, turri, situ etc.[2]

Item annon sit consultum, unum atque alterum a Senatu deputari tanquam architectum, ut soli tantum onus et opus non aggrediamur, fortassis cum dominis conferendum esset de tempore et modo congregandi lapides, calcem, arenam aliaque materialia. Rursus de patrono templi notando."

Canisii preces irritae non fuerunt. Quaestori, qui, ne cum scholis collegium quoque aedificaretur, impedire vel retardare conabatur, aedificandi cura adempta, et 8. Martii 1586 unus ex Sociorum amicis — Pancratius Wild is esse videtur — „aedilis" constitutus est, facta ei potestate comportandi materiam etc. Et cum quaestor huic decreto vehementer repugnasset, Schnewlini et Ludovici d'Affry opera effectum est, ut reipublicae senatus maior statueret, ut collegii exstructio incoharetur. Quod opus statim incohatum est; eoque absoluto templi aedificationem aggredi constituerunt; v. infra, monum. 1413.

2216. **P. CASPAR STAUDER S. J.**, rector collegii halensis, CANISIO. Hala circa m. Martium 1586.

Epistola periisse videtur. De qua vide litteras 7. Aprilis 1586 a Canisio ad Stauderum datas, infra, ep. 2219.

---

[1] Ex codicibus dati et accepti, qui Friburgi in archivo reipublicae asservantur, intellegitur, Ioannem Frijeo vel Früyo, si non diutius, certe a d. 24. Iunii 1585 ad 31. Decembris 1586 officium quaestoris („Seckelmeister") tenuisse.

[2] Cf. supra p. 48—49.

2217. CANISIUS **MAGDALENAE**, archiducissae Austriae et collegii virginum halensis antistitae.

Friburgo Helvetiorum circa 7. Aprilis 1586.

Canisius 7. Aprilis 1586 P. Caspari Stauder S. J. rectori halensi de Magdalena regina scripsit: „Scribo ad illam, sicut optastis“ (vide ep. 2219).

Dictum est, a Canisio significari longissimam illam ad pietatem institutionem quae ponetur infra, ep. 2218 (*Kröss*, Can. 208). Verum malim dicere, Canisium hanc quidem institutionem eo tempore Magdalenae misisse, sed ei adiunxisse epistulam ipsi solique Magdalenae destinatam. Nam longas illas litteras ad Magdalenae sodales potius, quam ad ipsam Magdalenam dedit; quae ab eo non in secunda persona ut dicere solemus, sed in tertia commemoratur; admonentur enim sodales: „In sunderheit sollet jer Eur andacht vnd täglichs gebet gern mit thailen, der durchleichtigisten hochgebornen Frauen vnd Khinigin Magdalena, Eur gnedigisten Frau Mueter“ etc.

2218. CANISIUS **SODALIBUS COLLEGII VIRGINUM HALENSIS**, a venerabili Serva Dei Magdalena, Austriae archiducissa, conditi.

Friburgo Helvetiorum a. 1586 (circa d. 7. Aprilis, ut videtur).

Ex apographo (A) eodem fere tempore scripto in codice legum sive „statutorum“ collegii virginum halensis, qui exstat Oeniponte in Museo Ferdinandeo, „IV c 24“ p. 128—158. Apographum eadem manu sic inscriptum est: „Ain ermanung an die versamlung der Junckhfrauen, so mit der Durchleichtigisten Khinigin Magdalena etc. zu Hall jm Jnthal ain eingezogenes Leben fieren“. Epistula paululum immutata typisque exscripta est Oeniponte vel Monachii circa initium saeculi XVII. (B) cum hac inscriptione: „Ermahnung deß Ehrwirdigen Patris, Petri Canisij, der Societet Iesu Priesters, Monatlich bey Tisch zu lesen“ (v. infra, mon. 1415). Eandem, accommodatam ad dicendi et scribendi rationem saeculo XIX. vigentem, edidit ex codice illo Musei Ferdinandei *Ludovicus Rapp*, Königin Magdalena von Oesterreich, Innsbruck 1858, 217—248 (cf. ibidem p. 155); in editione secunda, Brixen 1899, 227—260 (cf. ibidem p. 158). Epistulae brevem summam posuit et aliquot eius sententias exscripsit *Kröss*, Can. 208—209. Exstat etiam huius epistulae versio antiqua (saeculo XVII. vel XVIII. facta), quae sic est inscripta: „Paraenesis R. P. Canisii, e Societ. J. sacerdotis, quot mensibus in Parthenone Hallensi ad mensam legenda“ (4°, ff. 13). In ea tamen Canisii exordium et epilogus praetermissa sunt; incipit enim: „S. Iacobi Apostoli sententia est“, et terminatur: „proficiam atque adulta euadam. amen“. Servatur haec Monachii in archivo maiore reipublicae („Hauptstaatsarchiv“), Jesuitica in genere Fasc. 13 No 214.

Praefatio editoris. Codicis, quem modo dixi, leges magnam partem ab ipsa Magdalena regina scriptae sunt. Praeterea multis per codicem locis, ac paene ab eius initio, alia quaedam comparet manus eaque, si ita dici fas est, magis robusta et quasi virilis. Qua manu Canisii quoque epistula in medio fere codice, inter medias illas leges, scripta est. Eam Canisii esse manum existimarunt *Rapp* (l. c. ed. 2. p. 79) et *Jos. Engel* (Ein Edelreis am Stamme der Habsburger, Wien [1896] p. 16 17). At, ut merito notavit *Kröss* (l. c. 194), certum est, Canisium haec non scripsisse, sive scripta sunt ab externo aliquo, sive, id quod verisimillimum est, a sodali aliqua ipsius collegii virginum. Cur autem Magdalena aliena illa manu usa sit, ipsa in extremo codice prodit. Ubi eadem illa manu utens haec monet: Se a. 1588 doloribus artuum ita correptam esse, ut iam scribere non posset. Propterea se varia ad verbum dictasse. Ea igitur perinde observari debere, ac si sua ipsius manu scripta essent.

In fine capitis „Statutorum“, quod „Was zu Früd vnd Ainigkhait helffen mag“ inscriptum est, *Magdalena* hanc Canisii epistulam sodalibus suis his verbis commendat: „Laßt Euch Eben alle gedunckhen, als heben wier Erst heut an vnserm

Herren zu dienen, vnd laßt hin vnd weckh legen, was bißher nit guet an vnß ist gewesen, vnd vns hinfüron aller Tugent befleißen, vnd zu aim jberfluß, so laß ich Euch eier schene Ermanung, die der herr Canisij allain der versamlung gemacht hat, wie hernach volgt. Die wölt all quatemer ob Disch lesen laßen, vnd loßet fein fleißig darauf, vnd khumbt demselbigen wol nach." (Etiam apud *Rapp* l. c. ed. 2, p. 171.)

Canisius hanc epistulam germanice scripsit. Id et res ipsa exigebat; virginum enim illarum aut nulla aut paucissimae latine sciebant; et P. *Matthaeus Raderus* S. J. planis verbis testatum reliquit (De vita Petri Canisii, Monachii 1614, 188—189). Ac si epistulae sermonem consideraveris universum, eum canisianum esse affirmaveris. Sin autem epistulae verba inspexeris singula, fatearis oportebit, multa ex iis aliter scripta esse, atque in Canisii epistulis, quae supersunt, autographis et in contionibus eius manu hoc tempore adumbratis sunt scripta. Tirolim illa sapiunt; genus loquendi et rationem scribendi tirolensem illius aetatis exhibent. Neque id mirum est. Epistula enim transcripta est manu tirolensi; praeterea valde probabile est, eam dictatam esse, dictatam, dico, ore tirolensi. Dictando et scribendo eam ita immutarunt. Epistulas transcriptione nonnumquam sic immutari testatur etiam *Ern. Bernheim,* Lehrbuch der Historischen Methode, 2. Aufl., Leipzig 1894, 301.

Canisius his litteris diem ascripsisse non videtur. Fortasse ne annus quidem 1586, qui in extremo apographo legitur, ab eo appositus est. Valde autem probabile est, eum hanc institutionem epistulae adiunxisse, quam circa d. 7. Aprilis 1586 Magdalenae reginae misit; v. supra p. 221.

Exemplo Pauli ad Thessalonicenses scribentis sodales collegii virginum halensis non solum laudare, sed etiam ad continuos in pietate progressus instituere vult. Agit 1. de debita gratiarum actione (imprimis orandum esse pro Magdalena regina collegiique fundatrice); 2. de oboedientia debita; 3. de caritate et concordia; 4. quomodo sodales „sollicite ambulare cum Deo" eique coniungi oporteat. Deo commendari cupit.

Seitemal mier vnd menigclich wol bewißt, Das Jer liebe andechtige Khinder Gotes, was standts oder wierden Jer seit, zu Hall ain mal beschlossen habt, Got dem allmechtigen zu lob, vnd Euren Christlichen Seelen zu wolfart, beij einander zu leben, vnd also ain recht geistliche versamlung vnd beijwonung zu halten, auch dem waren Gotsdienst Ernstlich nach zusetzen. So khan ich meiner Person halben nit weniger thuen, als dem loblichen Exempel des grossen wierdigen Apostels S. Paulus nachuolgen. Derselbig erfrewete sich von Hertzen, vnd danckhet Got dem Herren jn sunderhait darumb, das seine Christen zu Tessalonickh so fleissig, vnd bestendig waren in jerem Christlichen wesen, Nennet sy darumben, seine vnd des Herren Christi nachuolger, ja ain fürbild aller glaubigen[1]. Neben solchem lob, Ermanet Er dieselbigen, vnd vnterweiset sy treulich mit zwaijen sendbriefen, so Er an sy geschriben damit sy desto dapfferer, in der Gotseligkhait fortschreiten, vnd auf dem weg Gotes vnsträfflich verharreten. Ebenmässig hab ich mier fürgenomen, auß gueter mainung, vnd Christlicher lieb, Eur andacht, in jerem loblichen Christlichen fürhaben, nit allain zuloben vnd breisen sunder auch schrifftlich, nach meiner geringhait zuermanen, dieweil solches zu diser zeit mindtlich nit beschehen khan. Die Suma aber meines gantzen schreibens, soll aigentlich dahin raichen, das jer alle auß den wenigen nachuolgenden

[1] 1 Thess 1, 6 7. Cf. 2 Thess 1, 2 3; 2, 12 13.

Capitlen, vermitls Götlicher gnaden, wisset Euch in disem Eurem Einzognem wandl, vnd geistlichen wösen, gegen Got den allmechtigen danckhbar, gegen Euren oberisten gehorsam, vntereinander freundtlich vnd liebreich, auch sunst für euch selbs behuetsam, vnd fürsichtig zuerzaigen · bin vngezweifleter hoffnung, Eur andacht werde dise mein schlechte mie vnd arbait nit verachten, sunder diß schreiben in guetem an vnd aufnemen[a], seitemal darinen nicht anders als Gotes lob vnd Ehr, Eur aller wolfart, vnd trost, auch meinethalben ain jebung Christlicher Lieb vnd Trew angesehen vnd gesuecht wiert. Der gietig Got, verleiche vns sein gnad, hie vnd dort Ebigklich[b].

Das Erst Capitul von[c]
schuldiger danckhsagung[d] [1].

Es schreibt der heilig Apostel Jacobus das alle guete vnd volkhumene[e] gaben vnd gnaden, von oben herab khomen, vnd von dem Ebigen vater der liechter gegeben werden[2] · vnd dieweil derselbig vater Ein Ebiger brunnen ist, darauß alles guets herfleusst, so ist es ja billich, das je mer vnd gressere gnaden wier von jme Empfangen, wier auch vns gegen jme danckhbarer erzaigen[f], vnd das ain jeder mit dem Khinigclichen Propheten Dauid sage: ich will den herren loben allezeit, sein lob soll jmerdar in meinem mund sein, mein Seel soll sich Riemen des herren[3].

Nun vnter andern vnzalbaren[g] gaben vnd gnaden, so der liebe barmhertzig Got, Eurer lieb vnd andacht reichlich mitgethailt hat, ist nit die geringste, das jer alle samentlich vnd sunderlich zu ainer solchen geistlichen versamlung[h], in welcher jer zu disen älenden gefärlichen zeiten, so wol der Seel, als dem leib nach versorgt, aufgenommen, vnd zugelassen seit · alda jer nit alain habt vnd findt, Eur tägliche Narung, vnd leibliche aufenthaltung, sunder auch gar guete gelegenhait, euch der jppigen schneden welt zuentschlagen, vnnutze sorg, vnd zeitliche geschäfft ausszuschliessen, schädliche lüst sambt hoffart vnd bracht zuuerhieten, vnd das noch mer ist, recht Christlich an disem orth zuleben. Dan da habt jer feine vrsachen, die jerer vil begeren, vnd doch nit haben khinen, die Eitle gemainschafft der menschen zufliehen: Die Eissern vnd jnnern Sin jm zäm zuhalten, die bese vnd sindige begierden zu untertruckhen, in rechter vnd steter kheisshait zuuerharren, den geistlichen betrachtungen, vnd andechtigem

a) aufnememen *A*. b) *Haec omnia desunt in B*. c) Das erste Capitel. Von *B*. d) Danckhsagung *B*. *In B. verba substantiva plerumque inchoantur litteris maiusculis; id quod hic semel notasse satis fuerit.* e) dass alle gute vnd vollkommne *B*. *Similiter in B multa alia vv. exempli A immutata sunt; quae singillatim ponere non vacat.* f) wir vns auch gegen jhme danckbar erzeigen *B*. g) vnder allen vnzahlbaren *B*. h) geringst, dass jhr alle samptlich vnnd sonderlich zu einer geistlichen Versamblung *B*.

[1] Fortasse perinde, atque inscriptio totius epistulae („Ain Ermanung“ etc.), ita inscriptiones quoque singulorum capitum non Friburgi a Canisio, sed Halae a Magdalena regina vel ab aliis factae sunt. Id maxime colligo ex inscriptione capitis tertii.
[2] Jac 1, 17. [3] Ps 33, 2 3.

gebet ausszuwarten, auch in dem hailsamen brauch der hochwierdigen Sacrament, den geist offtmals zuerneuern. So habt jer auch daselbst ein freijen Ein, vnd zuegang zu einem recht geziertem, vnd wol zugeristen bethauß, darinen jer heret Got den allmechtigen vnd seine liebe heiligen mit gueter ordnung loben vnd Ehren, da manglet euch nit an beichtuäter[a] vnd Seelsorger, auch nit an andern dienern Gotes, noch an loblichen[b] herrlichen gesang, vnd Gotsdienst, Da khan ain jedliche das jenige verrichten, welches die alt frume Edle witib Anna Phanuelis Dochter mit Ebigem lob verricht hat, als sy jm Tempel zu Jerusalem, für vnd für verharret, auch mit fasten vnd beten Got dem herren dienet[c][1]. Jn Suma Ein grosse vnd seltzame gnad Gotes ist es, das jer auß der schäntlichen vnd betriglichen welt berüefft, vnd zu disem ort, vnd geistlichen stand khumen seit, da jer dan an sorg vnd hindernuss dem hechsten Ebigen Got mit leib vnd Seel Ruewig dienen, vnd ein recht einzogens leben fieren möget. Was ist doch das anders, will man die warhait bekhennen, als die alte[d] Netz verlassen[2], die harte Band zerreissen[e][3], auß dem fleischlichen Egibto weichen, in das verhaissne gelobte Land strackhs raisen, vnd den besten thail mit Magdalena erwellen[4] vnd besitzen. O der vnaussprechlichen[f] gnad, das ain Mensch khan vnd will, in dem fleisch, mit den rainen vnbefleckhten Englen leben, vnd in der welt, ohne weltlichen wandel wonen[5], vnd von Christo dem vnsterblichen[g] Breitigam dermassen erwellet, vnd geliebt sein, das Er Eure Seelen zu seinen ausserwelten gesponssen annimet[6], vnd sij daselb gleich als in ain Paradeis setzet, erneret vnd belustiget[h]. Wer wolt vnd solte dan solche jberschwenckhliche wolthaten des allerhechsten nit gern bekhennen[i], vnd gross schätzen, dem gethreuen Ebigen haussuater, nit darfür lob vnd danckh sagen, auch sich solcher gaben zu seinem Ebigen hail nit Christlich vnd danckhberlich gebrauchen: dan es mueß also geschechen, wie es die Ebige warhait Christus verhaissen Math: 25: Wer da hat (verstehe, die ware Christliche Danckhbarkhait) dem wiert gegeben werden[k], vnd Er wiert die fülle haben. Wer aber nit hat, von dem wiert auch genomen, das er seines bedunckhens hat[7]: den vnnutzen vnd[k] vndanckhbaren khnecht werffet in die Eisseriste finsternus[8]. Demnach, gleich wie die Edle, vnd khostbar Tugend der danckhbarkhait, die gnaden Gotes in den frumen Menschen Erhelt, vnd ernert, also das

a) Beichtvatter *B.* b) Gottes, vnd an löblichem *B.* c) gedienet *B.* d) als dass die alten *B.* e) harten Bandt zerrissen *B.* f) vnsprechlichen *B.* g) vnersterblichen *B.* h) erlustiget *B.* i) erkennen *B.* k) *Hoc v. non est in B.*

[1] Lc 2, 37. [2] Cf. Mt 4, 20 22; Mc 1, 18.
[3] Cf. Idt 16, 9; Ps 115, 16; Nah 1, 13 etc. [4] Lc 10, 42.
[5] „Grandis igitur virtutis est . . . in carne non carnaliter vivere“: *S. Hieronymus* ad Furiam, epist. 54, alias 10 (*Migne,* P. L. XXII 554).
[6] Cf. 2 Cor 11, 2. [7] Mt 25, 29. Cf. Mt 13, 12; Mc 4, 25; Lc 19, 26.
[8] Mt 25, 30.

groß laster der vndanckhbarkhait thörret auß die flüss Götlicher gnaden, beraubet auch den Menschen, allerleij Geistliche klainater, emblösset vnd erarmet jnn jämerlich an allen khrefften der Seelen · wie solches durch vil Exempel khinde bewisen werden, sunderlich wan man ansechen will, den vnseligen aussgang des vndanckhbaren Engels Lucifers, jtem des Khinigs Salomons, vnd der abtrinigen Juden.

Eij dan lieb Schwestern, haltet Euch steiff, auf den schenen richtigen weg der danckhbarkhait, darauf alle außerwelten Gotes gewandlet. Erfreuet Euch in dem Herren[1], welcher Euch, nach seiner grossen barmhertzigkait, so väterlich von dem weltlichen wesen zu dem geistlichen bekhert hat. Traget vnd behaltet[a] allzeit ain danckhbares gemieth gegen Christo Eurem geliebten Breitigam, schöpffet die wasser der gnaden auß dem ebigen brunnen alles gueten[b][2] · saget vnd singet frelich mit dem grossen Propheten Moise: Exodi: 15. Diß ist mein Got, ich will in ehren[c], Er ist meines vaters Got, ich will in erheben[3]. Bekhenet freij mit dem Khinigclichen Propheten Dauid: Psal. 22: Der Herr waidet mich, mier wiert nichts manglen: Er hat mich gesetzt an ain orth da ich waid hab, vnd hat mich erzogen, beij dem wasser der Erquickhung, mein Seel hat Er begert [?][d][4] · khainen tag lasset füriber gehen meine geliebte in dem herren[5], das jer nit jnnerlich betracht solche gnadreiche berieffung Gotes[6], vnd wie Euch Got bissher alda erhalt, vnd trestet, in allerleij anfechtungen[e], welche die ausserwelten Gotes, in disem jamerthal leiden, vnd jberstehen miessen · faret emsig fort, das jer das schuldig lob, vnd danckhopffer für Euch, vnd alle Eur Christliche wolthäter verichtet vnd laistet. Jn sunderhait aber sollet jer Eur andacht vnd täglichs gebet gern mit thailen, der durchleichtigisten hochgebornen Frauen vnd Khinigin Magdalena, Eur gnedigisten Frau Mueter, welche sambt jeren geliebsten zwaijen schwestern Khinigin Margretha, vnd Helena, hochloblichister gedechtnus, dises Eures loblichen Gotseligen werckh vnd gelegenhait, Got auf solche weiß zudienen ein anfang gewesst, vnd das auch mit aller Notorfft reichlich versechen. Got dem allmechtigen seij darumben lob ehr, vnd breiß in ebigkhait[f].

Das ander Capitel von schuldiger gehorsam, so gegen der oberisten in diser versamlung gehalten soll werden.

Jch achte es gar für vnnetig, das ich E. L. vnd andacht weitleüffig lobe vnd rieme, die hochberiembte vnd fast hailsame Tugend der

a) erhaltet *B.* b) aller Güter *B.* c) wil jhn erheben *B.* *Novem vv. sqq. non sunt in B.* d) *Sic A.; et B. habet* begehrt. *Scribendum fuisse videtur:* bekehrt; *v. Ps 22, 3.* e) Anfechtung *B.* f) mittheylen dem Durchleuchtigisten Hochgebornen Fürsten vnnd Herrn, Wilhelm, Hertzoge inn Bayrn, als Stifftern diser Gottseligen Versamblung, wie auch den gantzen hochlöblichstm Heusern, Bayrn, Lottring vnnd Oesterreich, wie auch allen Guotthätern dises Stiffts, dass der allmächtig Gott den lebendigen sein göttlichen Segen vnd Benedeyung, vnnd den Abgestorbnen die ewige Rhu vnd Seligkeit gnedigklich verleihen wölle *B.*

[1] Phil 4, 4. [2] Cf. Is 12, 3. [3] Ex 15, 2.
[4] Ps 22, 1–3. [5] Cf. Rom 1, 7; 16, 5 8. [6] Cf. 1 Cor 1, 26.

gehorsame. Dan es beij allen verstendigen klar vnd gewiss ist, das dise aller andern Tugenden Mueter vnd Erhalterin seij, vnd das sy für hecher, vnd Got angenemer[a], als alles eisserliches Opffer soll gehalten werden[1], ja wo dise Haubt Tugent manglet, oder verloren wiert, da ist es auß mit früd vnd ainigkhait, da falt nider die demuet, gedult, ainfaltigkhait, vnd an deren stadt wachset vnwillen, hochmuet, nachreden, widerbellen[b], murren, klagen, vngedult, vntrew, argwon, aigensinigkait, halsstärrigkhait, vnd anders dergleichen vnkhraut[2]. In Suma auß Christi reich, wiert des besen feindts verwierung, wo man seinem aignen khopff vnd willen mer, dan der heiligen gehorsam nach handlet, vnd wandlet, da khinden weder vater noch mueter jere khinder jm hauß: weder Khaijser noch Khinig jere vnterthanen jm Reich maistern vnd regieren · wie sagt der heilig apostel paulus Coloss: 3. Jer khnecht oder vnterthonen seit gehorsam in allen dingen, Euren leiblichen Herren, nit mit augendienst als den[c] menschen zugefallen, sunder mit ainfaltigkhait des hertzen, vnd forcht Gotes, alles was jer thiet, das thiet von hertzen, als dem herren, vnd nit als den[c] menschen[3] · vnd abermals leret er von Geistlicher gehorsam also: Heb. 13. seit gehorsam Euren vorstehern oder oberisten, vnd seit jnen vnterthon, dan sy wachen für euch, als die da rechenschafft geben miessen[d] für Eure Seelen, auf das sy diß mit freüden thuen, vnd nit mit seufftzen, dan das ist

a) *In B. sequitur* sey. b) *Sex vv. sqq. non sunt in B.* c) dem *B.* d) · werden *B.*

[1] Cf. 1 Rg 15, 22; Eccle 4, 17.

[2] Haec Canisius maximam partem excerpsit ex praeclara illa *S. Ignatii* „Epistola de virtute obedientiae“ Roma 26. Martii 1553 ad Socios in Lusitania degentes data, quae etiam nunc in omnibus Societatis domibus singulis mensibus inter epulas legitur. Sic enim Ignatius: „Obedientia sola virtus est, quae virtutes ceteras menti inserit, insertasque custodit. . . . In sacris literis legimus, Melior est Obedientia, quam victimae.“ Et de „obedientia intellectus“ disserens: „Nisi haec . . . existat, . . . perseuerantia deficit, vel saltem Obedientiae perfectio, quae in prompte, et alacriter obediendo consistit: non enim ibi potest esse alacritas, ac diligentia, vbi est animorum, sententiarumque dissensio; perit etiam exequendi studium, et celeritas, cum ambigitur, expediat, nec ne, facere quod iubemur: perit celebris illae Obedientiae coecae simplicitus, cum apud nos ipsos in quaestionem vocamus rectene praecipiatur, an secus; atque etiam fortasse damnamus Superiorem, quod ea mandet, quae nobis non ita iucunda sunt: perit humilitas, quoniam etsi ex altera parte paremus, ex altera tamen nosmetipsos Superiori praeferimus: perit in rebus arduis fortitudo: perit denique (vt summatim complectar) virtutis huius vis omnis ac dignitas: succedunt autem in eorum locum dolor, molestia, tarditas, lassitudo, obmurmurationes, excusationes, aliaque vitia non sane leuia“ (*Regulae* Societatis Iesu, Romae 1582, 217—225. Latina haec versio epistulae huius hispanice scriptae alibi quoque, idque saepissime, typis exscripta est. Epistula hispanica exstat in „*Monumentis Ignatianis*“, Ser. I. T. IV, Matriti 1906, 669—681). Ex eadem Ignatii epistula etiam ea, quae sequuntur usque ad huius capitis finem, magnam partem deprompta sunt.

[3] Col 3, 22—23. Similiter Eph 6, 5—7. Quem locum Ignatius in epistula, quam modo dixi, profert (*Regulae* l. c. 219; *Monumenta* l. c. 672).

Euch nit ratsam noch Nutzs[1]. Mit welchen worten der liebe[a] Apostel offentlich zuuerstehen gibt, wie alle glaubigen, Geistliche vnd weltliche, nit allain Got dem herren, iber alle herren, sunder auch seinen Stathaltern jm Geistlichen vnd weltlichen stand, beij verlierung ebiger seligkhait vnterthenig vnd gehorsam sein sollen vnd miessen. Rom 13: Dan[b] wer sich wider den gewalt Gotes setzt, der wider strebt Gotes ordnung, vnd welche widerstreben die iberkhumen jnen selbs die verdamnuß[2].

Zum andern gibt gemelter Apostel hie ain feine vnterschid, zwischen der waren vnd erdichten gehorsam[c], dan die ware gehorsam so allain vor Got gilt, vnd den menschen zum ebigen hail befürdert, vnterwirfft den menschen gantz vnd gar, mit werckh willen vnd verstand seinen[d] fürgesetzten oberisten · macht den menschen glaichsam zu aim ainfeltigen schäfflen, so sich von seinem hirten allenthalben fieren vnd laitten lasst[e]. Derhalben auch[f] Christus alle seine glaubigen, nit anderst als die schäfflein, oder lamblin Sant Petro, als[g] dem gemainen hirten beuolchen vnd vertraut hat[g]. Joan: 21.[3] · aber die falsche vnd erdichte gehorsam lasset sich mit dem augenschein beniegen: glantzet etwan von aussen, jm werckh, geth aber nit von hertzen, vnd vergleicht sich schier mit dem gehorsam, der vngezogner khinder, welche nur auß forcht der rueten gehorsam sein, solche gehorsam findet man auch beij den vnglaubigen, welche, ob sy wol[h] dem beuelch ordnung vnd satzungen jerer herren nachkhumen, so ist es doch jm grundt ein gezwungenes vnd getrungenes wesen: haissen es beij jnen selbs nit für guet, thuen es auch[i] vngern was man jnen schafft, vnd auflegt · also findt man, laider der geistlichen[4] vil, welche ob sy schon sich zu verhaissner gehorsam schuldig bekhennen[k], jedoch laufft die gleissnereij darneben mit[l], das sy jerem aignen bedunckhen mehr, als des[m] oberisten willen vnd mainung nachstreben, vnd stadtgeben. Dan solches erzaigen sy gnueg mit jeren haimlichen murren, besen argwon, gefassten widerwillen, freuenlichen[n] einreden, vnd entschuldigen[5]. Dardurch aber beweisen sy, zu jerer schant, wie weit sy noch vom rechten weg, der waren vnd gebürlichen gehorsam sejen, dieweil sy jeren aignen willen vnd vrthel behalten, vnd mit der oberisten mainung vnd vrthel nit verainiget sein. Jn Suma, welcher[o] seiner oberigkhait widerstrebt, in

a) heilig *B.* b) *In B. loco 7 vv. sequentium posita sunt haec:* aller gewalt kombt von Gott her, vnd wer sich den Obersten, die von Gott disen Gewalt empfangen, widersetzt. c) *In B. desunt 4 vv. sqq.* d) seinem *B.* e) *In B. sequuntur vv.:* wie derselbig wil. f) hat *B.* g) *Hoc v. non est in B.* h) schon *B.* i) *In B. sequitur* selbs. k) erkennen *B.* l) Gleissnerey neben eyn *B.* m) der *B.* n) feindlichen *B.* o) welches *B.*

---

[1] Hebr 13, 17. [2] Rom 13, 2. [3] Cf. Io 21, 15 17.

[4] Canisius in his litteris verbo „geistlich" non tam clericos sive viros ecclesiasticos significat, quam homines utriusque sexus religiosos, vota paupertatis, castitatis, oboedientiae professos. Ita etiam Magdalena regina in collegii sui „statutis": „Wer die drei Gelübde nit thut, heißt nit geistlich" (*Rapp* l. c. ed. 2, p. 126).

[5] Cf. supra, p. 226[2].

klainen oder grossen dingen, Got geb wie[a] auch die oberigkhait lebt, wol oder jbel, der ist vor Got vngehorsam, er schmuckhe vnd ziere sich mit eisserlichen geberden wie er welle, dan die war gehorsam nit in eisserlichen erzaigen[b] allain, sunder jnnerlich jm gemiet[c], willen vnd hertzen stet[d].

Demnach durch den grossen, vnd volkhumen gehorsam Christi des herren, so sich biß zu dem biteren Todt des Creitzes gehorsam erzaigt[1], bit ich euch alle vnd jedliche liebe schwestern, das jer dem aller schädlichisten gifft der heiligen gehorsam[e], nemlich dem aignen willen vnd verstand, khainen raum vnd stadt gebet, sunder euch als rechte ainfeltige khinder Gotes, vor euren oberistinen[f] haimlich vnd offentlich, jnnerlich, vnd eisserlich[g] erzaiget[2]. O wehe den armen blinden verkherten geistlichen, die jnen selber mer, dan jeren fürgesetzten oberisten glauben vnd vertrauen. O dem armen schedlichen fürwitz deren, die sich vnterstehen, jere fürgesetzte vater vnd muetern[h] zu vrthailen, vnd etwan die jenigen wellen regieren, von welchen sij durchauß sollen geregiert werden · da schauen sy nit auf sich selbs, sunder auf jere oberisten, vnd derselben menschlichen mengel. S. Peter sagt, 1 Pet. 2: vnd gebiet[i] aussdruckhenlich, das die vnterthonen mit aller forcht, so wol den besen vnd harten, als den fromen vnd freundtlichen oberisten zugehorsamen schuldig seijen[3]. Jst nit dem also, das auch die weltlichen jeren[k] herren vnd Regenten, wann sij schon haiden wären jnnerliche vnd eisserliche gehorsam laisten miessen, wie baide Sant Petrus vnd Paulus haben wollen, wieuil mer sollen die geistlichen dasselbig thuen, in sunderhait die, welche sich des weltlichen wesens abgethon, vnd sich mit stäter rainigkhait, dem waren Gotsdienst gantz vnd gar ergeben haben · warlich so jer eur oberistin heret, vnd nach jerem beuelch diß oder das schaffet[l], oder vnterlasst, so hert jer Christum selbs, vnd ist jm auch die gehorsam vnd ehr bewissn, so jer der fürgesetzten oberistin beweiset. Dan von solchen Oberisten sunderlich den[m] geistlichen, sagt Christus mit runden worten Luc. 10 · wer euch hert, der hert mich, vnd wer euch verachtet, der verachtet mich · wer aber mich verachtet, der verachtet den der mich gesant hat[4] · vnd abermal sagt er · Math. 23 · was sij euch sagen das haltet vnd

a) *In A. sequitur alterum* wie. b) Erzeigungen *B.* c) sondern fürnemblich innerlichem Gemüth. d) *In B. sequitur:* Ja der Gehorsamm, so so alein im eusserlichen Werck besteht, ist dess Namen einer Tugent nicht wert, wan er nicht auch die innerliche Auffgebung dess eignen Willen vnd Verstandts darzu kombt. e) Gifft, des Vngehorsamb *B.* f) Obristen *B.* g) *In B. sequuntur vv.:* mit aller Demut vnnd Absagung ewers freyen Willen, gehorsamb. h) Vätter vnd Mütter *B.* i) S. Peter gebeut *B.* k) jrem *B.* l) thut *B.* m) *Hoc v. non est in B.*

[1] Cf. Phil 2, 8.

[2] Internam hanc voluntatis et iudicii oboedientiam cum externa mandatorum exsecutione iungi debere *S. Ignatius* in epistula illa de virtute oboedientiae multis rationibus adductis ostendit; immo haec necessitas praecipuum totius epistulae est argumentum. [3] 1 Petr 2, 18. [4] Lc 10, 16.

thiets[1][a]. Fürnemlich aber hietet euch liebe schwestern, das eur schuldige gehorsam von der schädlichen gleichsnereij nit befleckht[b] vnd verderbt werde, als das jer euch von aussen für[c] gehorsam erzaiget, vnd sunst jm hertzen die angenomne aigensinigkheit vnd widerwillen behaltet, dan Got khan man ainmal nit betriegen, er ist aller hertzen erforscher[2] vnd erkhenner, vnd erfordert auch von vns vngefelschste, ainfeltige, lautere, schnelle, beraite, vnd volkhumene gehorsam, die will er auch allain belonen · wie solches an dem gehorsamen Patriarchen Abraham[3], vnd an den willig volgenden Sinnen Jonadabs zu sechen ist[4]. Es ist auch khain laster, das derselbig gerecht Got, so schwärlich strafft, als die vngehorsame, wie dan die offentlichen Exempel der heiligen schrifft gnuegsamlich bezeugen, als mit den ersten menschen Adam vnd Eua, jtem vom verstockhten Pharonen, vnd von den widerspenigen Jsraeliten. Der erst khinig in Jsrael saul genant, wolt dem Priester [?][d][5] Samuel nit gehorsamen, und seinem beuelch nur ains thails aussrichten, er verlor aber derhalben das reich, vnd Gotes huld, ja ward für ainen abgötischen gehalten, vnd gestraffet · 1 Reg. 15[e][6]. Er muesst auch dise wort heren, siche gehorsam ist bösser dan opffer · vngehorsam ist als ein sind der zaubereij, vnd nit wellen gehorsam sein ist als ein abgotereij[7] · wie ist es doch gangen den aufruerischen vnd widerspenigen Israeliten Chore, Dathan, vnd Abiron: wie streng hat sij Got gestrafft darumben das sy jerem Prelaten vnd Oberisten moyse einredten, vnd sich wider jn auflainen wolten (Num. 16)[f], die ert hat sich vnter jnnen auf thon, vnd sy sambt jeren zelten verschlunden, vnd stürtzet sy alle lebentig in den abgrundt der höllen[8], was soll ich sagen, von der vralten maria, die ein schwester moyses, vnd ain Prophetin war, vnd in grossen ansechen beij den Juden in der wieste, dieweil sy aber wider moysen jeren Prelaten murmelt (Num. 12.), ergrimet der Zorn Gotes iber sij, vnd straffet sy mit aim schweren aussatzs, welcher den halben thail jeres Leibs jamerlich verzeret, muesste auch siben tag auß dem leger aussgeschlossen werden[9]. Es khan ja[g] auf erden nichts örgers vnd schäd-

a) *In B. loco 6 vv. sequentium posita sunt haec:* Vnd abermalen sagt er (Matth. 23.) Was sie euch sagen, das haltet vnd thuts. Derhalben müst ihr inn ewrer Obristin Christum selbs erkennen. vnnd jhr Stimm nit anderst annemmen, als wer es die Stimm Gottes selbst, vnd also nicht ansehen die Person der Obristin, welcher jhr den Gehorsamb laistet, sondern vil mehr die Person dessen, den sie euch bedeut, vnd von welches wegen jhr gehorsamb seyt, welcher da ist Christus der Herr selbs. Daher der heilig Bernardus spricht: Es gebiete gleich Gott der Herr etwas, oder ein Mensch an Gottes statt, soll jhnen mit gleicher Sorg gehorsamet werden, doch dass der Mensch nichts gebiet, das wider Gott sey. Darumb hüt euch zum höchsten. b) verdeckt *B.* c) *Hoc v. non est in B.* d) *Vide infra, adnot. 5.* e) Reg. 15 *B.* f) *In A.* Num 6 *non hic, sed in margine scriptum est. Similiter paullo inferius* Num. 12. g) auch *B.*

[1] Mt 23, 3. [2] 1 Par 28, 9; cf. Ps 7, 10; Ier 17, 10; Apc 2, 23.
[3] Cf. Gen 12, 1—7; 22, 1—18; 26, 4—5. [4] Cf. Ier 35, 1—19.
[5] Sic apogr; sed existimo, Canisium scripsisse vel saltem scribere voluisse „Propheten“ (quamquam Samuel ex tribu Levi erat; cf. 1 Par 6, 27 28).
[6] Cf. 1 Rg 15, 1—29. [7] 1 Rg 15, 22 23.
[8] Cf. Num 16, 1—35; Eccli 45, 22—24; Ps 105, 17; Iud 11.
[9] Cf. Num 12, 1—15; Dt 24, 9.

lichers erfunden werden, als der aigne beß will des menschen, ain wurtzel alles besen[a], der allain in der höllen ebig brinnet. Entgegen aber, ist in diser welt auch[b] Got nichts gefölligers[c], vnd den menschen[d] hailsamers, auch dem besen faind[d] missfelligers, als die diemietig gehorsam, aines Christglaubigen[e], damit aber solche vnerschätzliche[f] Tugent, welche für vnd für, von den englen jm himel gejebet wert, auch beij vns stadt habe, vnd recht gebraucht, vnd gefürdert wierde, wiert es fast ratsam vnd fruchtbarlich sein, das jer geliebte Schwestern, eurer oberistin stim[g] nit anderst als Gotes stim haltet[1], vnd heret, vnd annemet: auch als dan, von hertzen mit Christo saget, vnd begeret, nit mein will, sunder dein will geschech[2]. Vnd mit dem Propheten: mein hertz, mein hertz[h] ist dier berait[3], ich bin vor dier worden wie ein williges vich[4]. Nun je mer jer euren aignen willen absterbet, darunder der grundt aller geistligkhait steht vnd hangt[i], vnd je ainfaltiger jer auch alles eur thuen vnd lassen, nach der richtschnuer der hailigen gehorsam anordnet, je mer der Geist Gotes in euren hertzen wirckhen wiert, vnd jer gleichformiger werdet dem waren[k] Ebenbild Christi des Sun Gotes[5], vnd aller seiner heiligen, welche mit jerer volkhumen gehorsam, jm Creitz vnd leiden, jm leben vnd sterben am maisten geleichtet haben[l]. Derhalben haben jnen offt feur, wasser, eisen, tod vnd beß feindt, wider alle natur vnd willen, gehorsam laisten miessen, vnd jere seelen glantzen jetzund jm himel desto herrlicher jn ebigkhait[6].

Das drit Capitel von notwendiger Lieb vnd ainigkhait, so sy gegen einandern als recht schwestern erzaigen sollen.

Auss dem natürlichen gesatz, wissen vnd bekhennen auch die haiden, das ain mensch, den andern lieben, vnd sich gegen jme freundtlich halten solle, beuor aber[m], wan sy täglich vmb einander sein, vnd wohnen. Ja ein jedlichs vnuernünfftigs thier liebt seines gleichen, sagt der weiß man Eccles 13.[7] wie vil mer sollen die Christglaubigen welche als natürliche Brieder vnd schwestern durch den heiligen Geist verainiget sein jber alle andere volckher, sich zu ainer stäten, vnd vnzertrennlichen lieb halten, vnd dieselb jederzeit, nach allem jeren[n] vermögen jeben, vnd diß auß vilen wichtigen vrsachen, Dan erstlich findt man khain werckh noch[o] jebung, zu welcher Christus vnser aller liebster[p] herr vnd maister mit seinem gnaden-

a) Vbels *B.* b) *Hoc v. non est in B.* c) *In B. sequitur:* nichts verdienstlichers. d) *In B. sequitur:* nichts. e) *In B. sequitur* geistlichen menschens. f) vnerschöpffliche *B.* g) *In B. sequitur* (wie oben vermelt). h) *Haec 2 vv. non sunt in B.* i) (welches dann der grundt aller Vollkommenheit ist) *B.* k) *Hoc v. non est in B.* l) am maisten den geistlichen Trost vnnd Frewd empfunden haben *B.* m) beuor ab *B.* n) *Hoc v. non est in B.* o) vnd *B.* p) vnser lieber *B.*

[1] „Superioris vocem, ac iussa, non secus ac Christi vocém excipite“: *S. Ignatius* in „Epistola de virtute obedientiae“ (*Regulae* l. c. 227).
[2] Lc 22, 42; cf. Mt 26, 39; Mc 14, 36. [3] Ps 56, 8; 107, 2.
[4] Ps 72, 23. [5] Rom 8, 29. [6] Dan 12, 3. [7] Eccli 13, 19.

reichen wort vnd exempel, vns vnd alle glaubigen ernstlicher[a] ermahndt, vnd kräfftiger treibet. Joh. 13. 16.[?][b] ain neus gebot, sagt er, gib ich euch, das jer euch vnter einander liebet, wie ich euch geliebt hab, vnd darbeij wiert jederman erkhennen das jer meine junger seit, so jer liebe wert vntereinander haben[c][1]. vnd abermal spricht er · Luc. 2. 10[d]. Diß gebiet ich euch, das jer euch vntereinander liebet[2]. Auß lauter liebe ist er der ebig Sun Gotes, vom hochen himel herab khumen, vnd hat die menschliche natur, auß jberschwenckhlicher liebe an sich genomen, darinen die biterist marter jberstanden, vnß[e] alle mit seinem rosenfarben bluet, von vnsern sinden abgewaschen[3], vnd wie ein gueter liebreicher hirt, sein vnschuldiges leben, für seine schafflen dargeben[4], nit allain am heiligen Creitz zu ainem früdopffer, sunder auch seinen zarten Fronleichnam, vns geschenckht, vnd verlaßen zu einer lieblichen[f] khrefftigen Speiß vnserer[g] seelen. Er sendet auch den heiligen Geist am heiligen Pfingstag Act. 2.[h], vnd erfüllet die hertzen seiner junger mit seinen reichen gaben[5], als sy zu jerusalem ainhelig versamlet waren[6], vnd ainmietig in dem gebet verharreten[7] · hierauß sichet man, wie vnser hailand Christus vnß in sunderhait raitzet vnd ermanet, das wier nit allain Got den herren, sunder auch vnsern nechsten, er seij freundt oder feind, von hertzen lieben, vnd mit jederman, nach seinem ebenbild, freundtlich leben sollen.

Zum andern diß gebot vnd exempel Christi, seind die heiligen apostel treulich nachkhumen, haben die briederlich lieb nit allain treulich vntereinander gehalten, sunder auch daruon embsig in der gantzen welt geprediget, vnd geschriben · der oberist apostel Petrus spricht · vor allen dingen habt vntereinander ein stete lieb, dan die lieb bedeckhet die ville der sinden[8]. Dergleichen gebeut Sant Paulus, iber alles habet beij euch die liebe, die da[i] ist das bandt der volkhumenhait[9] · vnd abermal sagt er: seit Gotes nachuolger, als die liebsten khinder, vnd wandlet in der liebe, gleichwie Christus vns geliebet hat[10]. Jtem zu den Romern spricht er: seit niemand nichts schuldig, als nur das jer einander liebet[k] · dan der den andern liebt der hat das gesatz erfüllet[11] · ain solche liebe ist beij den ersten Christglaubigen erschinen, welche ain hertz, vnd ain Seel heten[12],

a) *Sic B.; A. haud recte:* ernstlich. b) *Sic A B; vide vero infra, adnot. 1.* c) so jhr euch lieb vnder einander werdet haben A. d) *Sic; sed hoc manifeste falsum est; v. infra, adnot. 2.* e) unnd *B.* f) *In B. sequitur* vnnd. g) der *B.* h) (Actor. 12.) *B.* i) *Hoc v. non est in B.* k) euch vnder einander lieb habet *B.*

[1] Io 13, 34 35. [2] Io 15, 17. Cf. 1 Io 3, 11. [3] Apc 1, 5. [4] Io 10, 14 15. [5] Cf. Act 2, 1—21. [6] Act 2, 1. [7] Act 1, 14. [8] 1 Petr 4, 8. [9] Col 3, 14. [10] Eph 5, 1 2. [11] Rom 13, 8. [12] Act 4, 32.

auch beyeinander bliben: alle ding gemain hielten[1], täglich jm tempel jm lob Gotes waren[2], ainmietig im gebet[3], welche jer hab vnd gieter verkhaufften, das gelt außtaileten[4], vnd jer speiß entlich mit freud[a] vnd ainfeltigen hertzen empfiengen[5]. wer wolt nit da mit Dauid dem Propheten freij sagen Psal. 132. siche wie guet, vnd wie lieblich ist es da die brieder miteinander eintrechtig wohnen[6].

Zum Driten. Dise Christliche lieb jbertrifft alle Tugenden auch den glauben vnd die hoffnung[7] · sy ist das endt vnd zil aller Götlichen gebot[8], ain erfüllung des gantzen gesatzs[9], vnd die erste frucht des heiligen Geists[10] · nach S. Pauli anzaigen (1 Timoth. 1. Rom. 13. Galat. 5)[b] Ja wan ich schon sagt er · 1 Cor. 13. mit menschen vnd engel zungen redet, vnd die liebe nit hab. so bin ich wie ein klingende schell, vnd wan ich weiß sagen khündt, vnd wißte alle gehaimnuß, vnd erkhantnuß, vnd het auch allen glauben, also das ich perg versetzte, het aber die lieb nit, so bin ich nichts · vnd wan ich all mein Narung den armen gab, vnd ließ mein leib brennen, vnd het die lieb nit, so ist es mier nit nutzs[11]. Ich will geschweigen, wie S. Johannes die lieb so herrlich riembt 1 Joan. 3:4[12]. vnd darneben freij sagt: wer nit liebt, der bleibt in dem Tod, wer seinen brueder hasset, der ist ein Todschlager[13]. Darauß volgt dan, wie die vilgemelt liebe. vnß allen zum ebigen hail vor allen Tugenden, nit allain nutzlich, sunder auch notwendig seij, vnd das an dieselben Got niemand gefallen, oder etwas verdienstlichs thuen vnd wircken khan. Ja (Matth. 22)[c] an diß hochzeitlich khlaid wiert niemand selig werden[14]. Derhalben ermane, vnd bite ich euch, jer andechtigen schwestern, vmb der ebigen liebe Christi willen, das jer die hochwichtige, vnd gnadenreiche tugend in hechster ehr habet, vnd euch dieselben alzeit beuolchen sein lasset, auch vor allen andern dingen, meidet vnd fliechet, was dise Christliche Liebe in eur versamlung belaidigen, zersteren, vnd verhindern mag · weit sey von euch, vngedult, zorn, haß, neid, zwitracht, zanckh, nachred, greinen, vnd was dergleichen vnradt vnd vnkhraut wider die schene, liebliche Lilien der lieb aufwachsen mecht · khain argwohn vnd biterigkhait soll beij euch gespirt werden, sunder mit dem edlen bant der schwesterlichen liebe verainiget, vnd verbindet euch dermassen zusamen,

a) Frid *B.* b) *Sic B.; A. habet in margine:* 1 Cor. 13. 1 Tim. 1. Rom. 13. Galat. 5. c) *Sic B.; A. habet in margine:* Mat. 22.

[1] Act 2, 44. [2] Cf. Act 2, 46 47.
[3] Act 1, 14; cf. Act 2, 42. [4] Act 2, 45; cf. 4, 34 35. [5] Act 2, 46.
[6] Ps 132, 1. [7] Cf. 1 Cor 13, 13. [8] 1 Tim 1, 5.
[9] Rom 13, 8; Gal 5, 14. [10] Cf. Gal 5, 22. [11] 1 Cor 13, 1–3.
[12] Cf. 1 Io 3, 11–18 23; 4, 7–12 20 21. [13] 1 Io 3, 14 15.
[14] Cf. Mt 22, 1–13.

das euch der biter Tod eur verbindnuß vnd trew nit schaiden mög[a]. O des grossen mörckhlichen schadens, so jer auch in dem geringsten die schwesterlich liebe verletzet, dieweil jer des hertzen freid vnd den jnnerlichen[b] früden auch bald darbeij verliert : euren Nechsten offt örgert; eure gethreue engel, ja auch den heiligen Geist betriebet[1]. Es will auch der heilig Paulus die nit für geistlich erkhennen, welche zum greinen vnd zankhen, darauß vnaimigkhait entspringt, ergeben sein. Er[c] spricht 1. Cor: 13[d]. Dieweil eifer, zankch vnd zwitracht vnter euch sein, seit jer dan nit fleischlich, vnd wandlet jer nit nach[e] menschlicher weiß[2]. Damit aber das ausserwelte Clainat die Christlich Lieb vnd ainigkhait desto mer glantzt, vnd in eur versamlung, geliebte schwestern, desto bestendiger bleibe, ja auch vor allerleij anfechtung vnuerletzt, wachse vnd zueneme, will ich etliche mitel, so darzue fast dienstlich, hie anzaigen, vnd fürschlagen. Das erst mitel ist, das ein jedliche sich selbs, vnd jer aigne gebrechliche natur offt ansechen, vnd erkhennen lerne, sunderlich aber, wan sy etwan zu aim bald vngedultigen, zornigen, vnd vngietigen gemiet genaigt wäre · Darneben aber mueß sy sich in dem claren hellen spiegel, des heiligsten leben vnd leidens Christi fleißig beschauen, mit aufmerckhung, wie das vnschuldige Lämblin Gotes nie vnwiers vnd vngedultig sich erzaigt, vnd derhalben vns dise Regel verlassen hab: lernet von mier, dan ich bin sanfftmietig, vnd demietig von hertzen[3] · Darumb auch sant Peter von jm bezeugt .1 Pet. 2. Er hat khain sind gethan, vnd ist khain betrug in seinem mund erfunden, welcher nit wider schald, da er gescholten ward, nit trowet da er leiden mueßt[4].

Das ander mitel ist[f] · wan schon ains jrgendt[g] die schwesterlich lieb verletzt, vnd darwider gehandlet het, es seij gleich mit worten oder werckhen geschechen so ist ain khrefftige artzneij wider disen gebrechen, das der mensch sich vor dem almechtigen Got, vnd vor jerem heiligen engel demietig an jer hertz klopffe, vnd mit dem offnen sinder spreche · Luc. 18: herr biß gnedig mier armen sinder[5] · oder das sy mit dem Cananeischen weiblin bete · Math. 15. Herr du Sun Dauids erbarm dich mein[6] · oder mit dem Propheten Dauid : herr mach mich gesund, dan ich hab gesindiget[7]. Der liebe, hoche, vnd großmechtig Got, khan ein reuig demietiges hertz nit verachten[8]. Ja diß ist jm, ein wolriechends, vnd angenems opffer[9], je belder aber solche versenung mit Got geschicht,

a) mag *B.* b) die himmlischen *B.* c) seynd, da er *B.* d) (Cor. 13) *B. Scribendum fuit* 3 *pro* 13*; v. infra, adnot. 2.* e) wandlet nach *B.* f) Das ander Mittel *B.* g) irret *B.*

[1] Eph 4, 30. [2] 1 Cor 3, 3. [3] Mt 11, 29.
[4] 1 Petr 2, 22 23. [5] Lc 18, 13. [6] Mt 15, 22. [7] Ps 40, 5.
[8] Ps 50, 19. [9] Cf. Ps 50, 19.

je leichter die gethane sind vergeben, vnd des hertzen friid wider bekhumen wiert.

Das drit mitel ist · jm fall eine die schwesterlich liebe etwas häfftiger belaidiget het, vnd jm zorn sich vergriffen, als dan soll sich dieselb Person nit allain vor Got, sunder auch vor seinen mit Christen, welchen sy belaidiget, vnd auch andern gegenwierdigen, so sich darob geörgeret, fein diemietigen, vnd sein schuld bekhennen, vnd ab biten, vnd also jerem nechsten, so sy verletzt, Christlich versenen: vnd auch also disem nachkhumen, was Christus jm Euangelium beuilcht, da er spricht, wan du dein gab zu dem altar bringst, vnd wierst da jngedenckh, das dein brueder etwas wider dich hat, so laß dein gab da vor dem altar, vnd gehe zuuor hin, vnd versen dich mit jm, vnd als dan khume, vnd opffer dein gab[1]. Darauß auch erscheind, das Got beij vnainigkhait vnd vnfrüdligkhait, vnsere dienst vnd gebet nit angenem sein.

Das vierte mitel gibt vns der h · apostel Paulus zuuerstehen, in dem er spricht Galat: 6. Siche auf dich selbs, das du nit auch versuecht werdest · ainer trage des andern burden, vnd also wert jer das gesatz Christi erfüllen[2]. Nun ist aber das gesatz Christi von der briederlichen vnd schwesterlichen lieb welches von allen vnd jedem erfordert, das sy wie die dauben ainfaltig seijen[3], vnd an jeren beywonenden nechsten nit das beß, sunder das guet schauen, vnd allerleij frembde gebrechen vnd mangl vil mer mit lieb, vnd mitleiden bedeckhen, vnd entschuldigen, als das sy dieselben weiter aussbraiten vnd anklagen · daher gehert, was abermals sant Paulus allen Christglaubigen einbindet, sprechend Phil: 2. seit aines Sins, habt[a] ain gleiche Lieb, bleibt ainträchtig, haltet ainen wie den andern, thiet nichts durch zanckh, oder eitle ehr, sunder durch demuet, achte je[b] ainer den andern hecher dan sich selber[4].

Das fünfft vnd lest mitel steth in dem, das ain fromer Christ Got seinen herren offt anrieffe, vmb die rechte wichtige, vnd nutzliche khunst, recht vnd wol zu reden, vnd zuschweigen, das ist, das er sein zungen recht jm zaum halte, vnd mer zu schweigen als zureden genaigt sey · dan beij dem schweigen vil weniger gefahr ist, als beij dem schwätzen. Derhalben auch S. Peter ·1 Pet: 3· die weibs Personen vermanet, das sy den jnwendigen menschen mit einem sanfften stillen Geist schmuckhen, vnd sich also vor Got reich machen[5] · vnd das ichs nit zulang mache, was S. Paulus ermanet, das soll auch mein ermanung sein an euch meine andechtige Schwestern, damit jer die obgemelte Christliche lieb vnd ainigkhait

a) haltet *B.* b) *Hoc v. non est in B.*

[1] Mt 5, 23 24. [2] Gal 6, 1 2. [3] Mt 10, 16.
[4] Phil 2, 2 3. [5] 1 Petr 3, 4.

für ain treuen edlen schatz in eur versamlung behaltet · Jch bit euch in dem herren spricht er: Epheß. 4· das jer wierdigklich[a] wandlet, wie es gebirt eurem berueff, darin jer berifft seit, mit aller demuet, vnd sanfftmuetigkhait, vnd mit gedult, ibertrag ainer den andern in der lieb, vnd seit fleissig zu halten die ainigkhait jm Geist, durch das bandt des früden[1] · vnd damit niemand sich endtschuldige, er wisse vnd[b] verstehe nit, was zu diser offtgemelten[c] lieb geher, was auch jer wirckhung vnd aigenschafft seij, so spricht derselbig apostel Paulus mit runden worten ·1 Cor· 13:[d] Die lieb ist gedultig vnd freundtlich, die lieb eifert, oder neidet nit. Die lieb ist nit schalckhafftig, handlet nicht vnbillichs: sy bläet sich nit auf, ist nit ehrgeitzig, suecht nit das jer, lasst sich nit erbitern, gedenckht nit arges, freijet sich nit iber das vnrecht, erfreijet sich aber der warhait: sy jbertragt[e] alles, sy glaubt alles[f], sy hofft alles, sij duldet alles[2].

Das viert Capitel, wie der mensch mit Got dem herren sorgfeltig wandlen vnd sich mit jm verainigen soll.

Wir lesen jm heiligen Propheten Michea, das Got der allmechtig durch in also redt Michea ·6·[g] zu einer jedlichen glaubigen Seel. O mensch ich will dier anzaigen, was guet seij, vnd was der herr von dier erfordere, nemlich das vrthel thuen, barmhertzigkhait lieben, vnd sorgfeltig mit deinem Got wandlen[3] · mit disen worten werden dreij grosse Lerstuckh beschlossen, welche den waren Khinder Gotes zu halten hoch von neten sein. Das erst ist · ain jedes soll sich selbs, vnd seine mängl vrtailen vnd erwegen wie hernach gesagt wiert. Das ander belangt die jnnern vnd eissern werckh[h] der barmhertzigkhait, so gegen allen vnd jeden nechsten zuerzaigen. Das drit steht in dem, das der mensch sich befleiß, mit Got seinem herren sorgfeltig, vnd ernstlich zuwandlen. Nun dises leste ist nit ein schlechts, vnd erfordert ein gantzen menschen, gibt jm auch sein leben lang zuschaffen, vnd laßt jn nimer feiren, sunder treibt jn für vnd für zu aller Gotseligkhait, bringt jm auch stäts ain hunger vnd durst, zu der waren vnd[i] Christlichen gerechtigkhait[4], das er mit dem Propheten Dauid seifftze (psal. 41.)[k] vnd sage · wie der hirsch begert zu den[l] wasserbrünlin also begert mein Seel zu dier O Got: mein Seel dürstet nach dem starckhen lebendigen Got[5]·

a) *B. perperam:* würcklich. b) oder *B.* c) obgemeldten *B.* d) (Cor. 13) *B.* e) geduldet *B.* f) *Tria vv. sqq. desunt in B.* g) *B. haud recte:* (Michea 3). h) *Duo vv. sqq. desunt in B.* i) *Hoc v. non est in B.* k) *In A. hoc in margine scriptum est.* l) dem *B.*

[1] Eph 4, 1—3. [2] 1 Cor 13, 4—7. [3] Mich 6, 8. [4] Mt 5, 6.
[5] Ps 41, 2 3.

vnd mit dem propheten Esaia · Esaia · 26. Dein Nam, vnd dein gedechtnus ist die begierd vnd lust meiner Seel · Mein Seel O Herr hat dein zu nacht begert, vnd mein geist in mier ist frue zu dier erwachet[1].

Was gehert dan darzue, das ein gueter Christ mit Got sorgfeltig wandle: ich sage, es geher vil vnd groß[a] darzue · vnd erstlich, das er seinen waren vnd alain seligmachenden Catholischen glauben jm hertzen rain vnd vnbefleckht behalte[b], vnd mit dem mund vor freundt vnd feindt freij bekhenne, auch vor seinem beichtuater etwan bezeüge, das er jn demselbigen glauben, wie ein gehorsam khind, der heiligen[c] Römischen khirchen leben vnd sterben well. Dan wo diser glaub auch nur in ainem artickhel solt vnuolkhumen, vnd manglhafft sein, da hat man schon den grundt verloren, darauf alles guets so zum ebigen hail dienstlich mueß gebauet werden. Darumben sant Paulus schreibt: Heb: 11 · ohn den glauben ist es vnmiglich Got gefallen[2]. Derhalben auch Christus seinen junger Toman vnglaubig schalte Joan: 20 · weil er nur in ainem artickhel zweiflet, vnd den andern apostlen nit glaubet[3].

Fürs ander, wär es fast ratsam, das der mensch ain allgemaine beicht thät, von seinem gantzen verbrachten[d] leben, vnd also die fürnembste schwere burde, so jme sein gewissen truckhen vnd beschweren mecht, gar ablegen, damit er am Gotsdienst fürterhin[e] weniger verhindert, vnd zu dem geistlichen leben desto freijer, sicherer, vnd frelicher trete. Dan es haißt wie der weiß man sagt · Eccle. 2 · Mein Khind, wil du in dienst Gotes tretten, so stand[f] in der gerechtigkhait, vnd forcht, vnd schickh dich auch zu der anfechtung[4]. Durch solche gemaine beicht wiert fein der alt mensch mit seinen werckhen abgezogen, vnd der neu mensch angelegt, vnd erneuert[5], wie S. Paulus erfordert · Coloß. 3 · damit der mensch das süeß joch des herren[6], desto glickhseliger auf sich neme, vnd trage.

Zum driten hilfft vil zu der sach, vnd zu einem neuen Gotseligen leben, das der mensch sich entschlage aller eisserlichen sorgen, geschäfften, vnd vnnetiger Personen vnd sachen, welche jn an seinem gueten fürnemen verhindern mechten. Demnach solle er sich sein hertz[g] nit vil bekhumern lassen, von wegen seiner öltern vnd freundt, seines geschlechts gelt vnd guets, oder anderer weltlichen geschäfft halben. Je weniger er an zeitliche ding gedenckht vnd daruon redt, je bösser es für in, vnd für andere sein wiert · vnd khan also vil vnnutze wort ersparen, vnd offt[h] zuefallenden anfechtungen fürkhumen,

a) gehören vil vnd grosse Ding *B.* b) halte *B.* c) *Hoc v. deest in B.* d) vollbrachten *B.* e) forthin *B.* f) stehe *B.* g) in seim Hertzen *B.* h) *Hoc v. non est in B.*

[1] Is 26, 8 9. [2] Hebr 11, 6. [3] Cf. Io 20, 27. [4] Eccli 2, 1. [5] Col 3, 9 10. [6] Mt 11, 30.

vnd dieselben mit seinem vernufftigen schweigen aufsschliessen. Zwar Christus hat nit vergebenlich gesprochen : Math. 12 · auß völle des hertzen redt der mund · ain gueter mensch bringt guets herfür [1] · weltliche reden vnd sachen geheren [a] zu weltlichen Personen, vnd nit zu Geistlichen.

Zum vierten wer mit Got sorgfeltig wandlen wil, der soll ernstlich [b] darob sein, das er auf sein thuen vnd lassen guet achtung geb, vnd sein aigne gebrechliche natur [c] lerne erkhennen, ja sich selbs, vnd seine tägliche sinden erwege, vnd vrthaile. Dan ein jedes sein gewissen offt vnd embsig durchsuechen, vnd erforschen [d] soll, vnd auch die klainen sind nit verachten, sunder sich derselben, vor Got seinem herren mit khindtlicher scham anklagen · seitemal es ein gewisser spruch ist, wie S. Paulus sagt, so wier vns selb richteten, so wurden wier von dem herren nit gerichtet [2] · wo aber dise erkhantnuß, vnd bekhantnus der täglichen sind, nit [e] an die hand genomen, vnd für die augen des hertzen gestelt wiert, da wandlet der mensch laider wie ein blinder in der finsternuß, wiert bald frech leichtfertig vnd grob, wiert auch beraubt der schuldigen rew vnd laid, auch der demuet vnd forcht: er ibersichet jm selber zuuil, jberkhumbt ein falsche sicherhait, vnd verlaßt sich dermassen auf Gotes gnaden, das er seiner gerechtigkhait vergißt, vnd desto tieffer in das strenge vrthel Gotes felt, welches zu seiner zeit khain sind vngestrafft, vnd khain guets werckh vnbelonet laßen wiert. Je strenger aber der mensch gegen jm selber ist, vnd je mer er sein gethone sinden bießt, souil mer thailt jme mit der gietig Got sein barmhertzigkhait, vnd verzeicht jme desto volkhumenlicher seine sind. Mit dem heiligen Dauid miessen wier offt, vnd diemietigklich biten · Psal. 6 · vnd 16 [f] · ach herr straff mich nit in deinem grimen, vnd zichtige mich nit in deinem zorn, herr seij mier gnedig, dan ich bin schwach [3], mach mich rain von meinen verborgnen [g] sinden, vnd behiet deinen khnecht vor den frembden sinden [4].

Für das fünfft ist es noch volkhumener, wan ains seine erkhante mengel, nit allain mit dem gebet, sunder auch mit wainen außtilget, sich selbs darumben haßt, vnd seinen sinden recht feindt wiert, wan aber in schon diß hart ankhumbt, vnd der alt adam, vnd beß sinlichait darwider murret, so denckh er an den spruch des apostels heb : 12. Jer habt noch nit biß aufs bluet widerstanden mit gegenkhemffen wider die sinden [5]. Jtem auch was Christus vnser herr von den sindern iberstanden vnd erlitten hab. Fürwar jer liebe

a) Sachen, die gehören *B.* b) *B. haud recte:* erstlich. c) *In B. sequitur* wol. d) vnd embsig durchforschen *B.* e) *In B. sequitur* täglich. f) (Psalm 6. 16) *B. Pro* 16 *scribendum fuit* 18; *v. infra, adnot. 4.* g) *Hoc v. deest in B.*

[1] Mt 12, 34 35; Lc 6, 45. [2] 1 Cor 11, 31.
[3] Ps 6, 2 3. [4] Ps 18, 13 14. [5] Hebr 12, 4.

schwestern so lang wier hie miten vnter den feindten raisen zu vnserem ebigen vaterland, also lang haben wier zu wachen, vnd zu streiten, damit wier in jere außgespante netz vnd strickh nit geraten[1] Es mueß ja vmb das khestlich klainat gestriten vnd gekhempfft werden. Es feiret der beß geist nimer, er stellt vns tag vnd nacht hefftig nach : das sindtlich fleisch vnd bluet gibt vns auch nit wenig zuschaffen, also ficht vns, vnd alle fromen an, die falsche, eitle, vnd betrüegliche welt, wier wellen oder wellen nit. Ja das gantz leben des menschen auf erden[a], ist ein steter khampff[2] vnd khrieg, wie[b] alle ausserwelten Gotes erfaren. Das aller ergest aber ist, das der mensch khain greßern, vnd verborgnern feind hat, als eben sich selbs, vnd darumben, auch wider sein aigne natur vnd begierd dapffer streiten mueß, will er anderst sich selbs recht regieren, vnd iberwinden. Er mag darumb wol mit Dauid sagen vnd klagen psal 139 · Erleß mich herr vor dem besen menschen, behiet mich herr vor dem vnrechten[c] mann[3]. Daher gehert nun, das Christus so ernstlich gebietet Matth. 10. 16. · Johan. 12 · das ein jeder der sein junger sein will, seine ergerliche augen außstechen, seine örgerliche hendt vnd füeß abhauen[4], sich selbs verlaugnen[5], sein Seel verlieren, vnd auf diser welt hassen soll, darmit er sy erhalte zum ebigen leben[6]. Jn Suma je mer ich mich selbs liebe je mer ich mich verderbe, vnd verdame. Darumb soll ein jedes offt vnd fleißig, will es in gheistlichen khampff obsigen, disen sententz Christi betrachten · was hilffts den menschen, sagt er, das er die gantz welt gewune, vnd neme doch schaden an seiner Seel[7].

Zum Sechsten das ainer mit Got sorgfeltig wandle, bedarf er zum hechsten des heiligen gebets, durch welches er sich selbs, vnd seine feind iberwinde, sein tägliche vnsauberkhait abwasche, sein große schwachait vnd bledigkait sterckhe, sein finster hertz, mit dem waren liecht erleichte, auch für leib vnd Seel Gotes khrafft vnd macht erlange. Derhalben dan Christus, seine junger ja alle glaubigen so offt vnd embsig ermanet, das sy wachen vnd beten, damit sy nit in die[d] versuechung fallen[8]. Beten miessen wier mit tieffer demuet, vnd Reuerentz gegen Got dem allmechtigen, an alles außschwaiffen souil miglich, nemlich in dem khamerlin des hertzens[9], ja im geist vnd in der warhait[10], mit disem täglichen gebet.

a) auff Erdtreich *B.* b) die *B.* c) vngerechten *B.* d) *Hoc v. non est in B.*

[1] 1 Tim 3, 7; 6, 9. [2] Ib. 7, 1. [3] Ps 139, 2.
[4] Mt 5, 29 30; 18, 8 9; Mc 9, 42–47. [5] Mt 16, 24; Lc 9, 23.
[6] Mt 10, 39; 16, 25; Lc 9, 24; cf. Io 12, 25.
[7] Mt 16, 26; Mc 8, 36; cf. Lc 9, 25.
[8] Mt 26, 41; Mc 14, 38. Cf. Mt 24, 42; 25, 13; Mc 13, 33 35 37; Lc 18, 1; 12, 37 39; 21, 36. [9] Cf. Mt 6, 6. [10] Io 4, 23 24.

soll[a] die schuldige danckhsagung mitlauffen, für die vnzalbaren großen wolthaten Gotes, vnd soll jm der mensch fürnemen, mit dem heiligen Dauid zusagen Psal. 33 · Jch will den herren loben zu aller zeit, sein lob soll alzeit in meinem mund sein[1]. Es ist ja sind vnd schand, das ain Christen mensch, so mit villerleij gefar, jamer vnd ellend vmbringt zu seinem gethreuen lieben Got, sein stete[b] zueflucht nit sueche vnd habe, vnd jme jm gebet nit sundere reuerentz, vnd ehrerbietung erzaige. Dan sagt nit Got selbs, durch den Propheten · Malachie · 1 · Bin ich der vater, wo ist mein ehr, bin ich der herr, wo ist dan mein forcht[2]. Derselbig gietig vnd gethreu Got, ja ein vater aller barmhertzigkhait[3], welcher nimermer vergebenlich angerieff̃t wiert verleiche vns allen den rechten geist mit hertzen vnd mund zubeten, vnd jm gebet mit den ersten Christglaubigen zuuerharren[4] (Act. 1)[c]. Dan der mund der warhait offentlich bezeugt (Luc. 18. 6.)[d], man mueß allzeit beten, vnd nit nachlassen[5]. Darumben den auch Christus die nacht mit dem gebet verzeret hat[6].

Für das sibende zu einem eingezognen Got gefölligen wandel, nutzet gar fast, das ains der fast schädlichen wurtzen alles besen, der aignen lieb mit gewalt absterb vnd widerstrebe, vnd sich mit wenigem beniegen laße, dieweil die begierligkhait in den Adams khindern vnersetlich ist, vnd auch S. Paulus gebeut .1 Thim. 6.[e] wan wier narung vnd klaider haben, so laßt vns daran beniegt sein[7]. Es ist ja vil besser gar wenig, als einen iberfluß haben, es seij in essen[f], trinckhen, gewandt, oder anderm · ain recht apostolische regel ist es, seit nit sorgfeltig, sunder in allen dingen laßet eur bit jm gebet vnd flechen mit[g] danckhsagung vor Got khundt werden[8]. Phil: 4 · vnd abermal sagt S. Paulus · Heb : 13[9] · Eur wandel seij an geitz, vnd laßt euch beniegen an dem, das verhanden ist, dan Got hat gesagt · Deut : 31[10] · jch will dich nit verlaßen, noch versaumen · also das wier freij migen sagen: der herr ist mein helffer[11], vnd ich will mier nit fürchten[h] was mier der mensch thue · Ps. 55[12]. O wol dem menschen so nach dem geist arm ist[13] · Matth. 5 · vnd nach der ersten Christen exempel nichts aigens behalt, sunder mit andern in gemain lebt[14] vnd also allerleij zeitliche sorg vmbstoßt, vnd so wol den leib als die Seel Got, vnd den[i] Oberisten vertraut, der massen das er alles von der

a) solt *B.* b) stettige *B.* c) Act. 1 *non est in B* d) *In A. hoc in margine scriptum est.* e) gebott (Timoth. 6) *B.* f) essen vnnd *B.* g) Gebett mit Flehen vnd *B.* h) mich nit förchten *B.* i) dem *B.*

[1] Ps 33, 2. [2] Mal 1, 6. [3] 2 Cor 1, 3. [4] Act 1, 14. [5] Lc 18, 1.
[6] Cf. Lc 6, 12; 21, 37; 22, 39; Mt 14, 23—25; 26, 31—44 etc.
[7] 1 Tim 6, 8. [8] Phil 4, 6. [9] Hebr 13, 5 6.
[10] Ios 1, 5. Similiter Dt 31, 6 8. [11] Ps 27, 7; 117, 6 7.
[12] Ps 55, 11. [13] Mt 5, 3. [14] Cf. Act 4, 32—35.

hand Gotes mit ainfeltigen hertzen annimbt, vnd die vnnutze, ja schedliche sorg faren laßt. Dan also hat Christus beuolchen · Math. 6 · suechet zum ersten das reich Gotes vnd sein gerechtigkhait, so werden euch dise ding alle zuegethan[1].

Zum achten ist nit wenig daran gelegen · das, welcher begert sorgfeltig mit Got zuwandlen, nit allain das eisserlich wort Gotes, sunder auch die jnwendige einsprechung des heiligen Geists in seinem hertzen herre · vnd denselben baiden nachkhume, vnd mit dem heiligen Propheten sage Psal. 84. Jch will heren was Got der herr zu mier rede, dan er wiert früd reden jber sein volckh, vnd iber seine heiligen, das ist, iber die so zum hertzen kheren[a] [2]. Also that auch der Prophet Samuel in seinen jungen tagen, sprechende · 1. Reg. 3 · Rede O herr dan dein khnecht hert[3] · ist doch khain schatz vnd klainat so khostlich, als ain guets gewissen, so mit dem lieben[b] willen Gotes verainiget bleibt, vnd dem heiligen Paulo volgt da er spricht : Rom: 12 · das wier warnemen, vnd wol merckhen sollen, welches da seij der guete, der wolgefellig vnd volkhumen will Gotes[4], zu solcher vereinigung des hertzen mit Got, helffen iber die massen fast[c], die gnadreiche vnd khrefftige heiligen[d] Sacrament, sunderlich der heiligen beicht, vnd Comunion, wan sy andechtig, vnd begierlich[e] empfangen werden, dan mit disen geistlichen hailwertigen[f] artzneijen, macht der himlisch Samaritan, seinen khranckhen[g] gesundt[5], erleicht die jnnerliche finsternußen, befeichtet die thürre erden, geußt die lebentigen wasser darauf, vnd was vnfruchtbar war, das bringt er zu nutzs, trestet auch die traurigen vnd betriebten, vnd sterckhet[h] wider alle anfechtung. Es wiert auch erfüllet was der Prophet meldet Psal: 145 · Der herr erleßt die gefangnen, der herr erleicht die blinden, der herr richt auf die gefallenen[6] vnd abermalen Psal: 146 · Er hailet, die eines reuigen hertzens sein, vnd verbindt jere schmertzen[7]. Welcher sich aber der heiligen Sacramenten endthalt, vnd dieselben auß geringen vrsachen vnterlaßt, der beraubt sich warlich[i] der bösten schatz so Got seiner khirchen verlassen, vnd geschenckht hat : bleibt auch offt khrafftloß bled vnd schwach, seitemal er sich von der rechten ertneij abzeuchet, vnd die rechten mitel, so zu vnserm hail eingesetzt sein, nit an die handt nimbt, vnd braucht.

Zum Neinten, der khan mit Got seinem herren sorgfeltig wandlen, welcher mit der lieben vnd Gotseligen Magdalena, Christo jerem geliebten herren allain außwart[8], vnd als ein eingezogne, vnbefleckhte gesponß, jm als jeren aller liebsten, alzeit vor augen hat, auch sein

a) Herrn gehören *B.* b) *Hoc v. non est in B.* c) wol *B.* d) *Hoc v. deest in B.* e) gebürlich *B.* f) heylwirdigen *B.* g) seine Krancke *B.* h) stercket sie *B.* i) *Hoc v. non est in B.*

[1] Mt 6, 33. [2] Ps 84, 9. [3] 1 Reg 3, 9 10. [4] Rom 12, 2.
[5] Cf. Lc 10, 30 37. [6] Ps 145, 7 8. [7] Ps 146, 3.
[8] Cf. Lc 10, 38 42.

stim zu hertzen fieret. in dem er sagt vnd beuilcht: Psal: 44 · here dochter, schaue auf, vnd naige deine ohren: vergiß deines volckhs, vnd deines vaters hauß, das ist, die eitel sindige welt, so wiert der Khinig lust an deiner schene haben, dan er ist dein[a] herr vnd Got: alle zierd aber der dochter des Khinigs ist gantz jnwendig vnd jer klaid ist gewirckht gold mit manigfarbigen gewirckhten arbeten[1]. Diß redt der Prophet zu einer jeden Gotliebenden[b] Seel · also hat auch Got zu seinem lieben freundt Abraham gesprochen Gen: 17 · Jch bin der allmechtig Got, wandle vor mier, vnd seij volkhumen[2]. O wie selig ist die Person, so von Got zu disem recht geistlichen, vnd volkhumen leben berierfft, sich gantz vnd gar, von jerem Breitigam regieren laßt, vnd jeren geist, mit seinem geist durchauß verainiget · sij mueß aber darzue haben, vnd brauchen, sibenerlaij naigungen, vnd Tugenden in jerem hertzen, als nemlich, jnbrinstige lieb: hechste forcht · Große Reuerentz · bestendigen Eifer · stäte Danckhsagung · freliche lobgesang · guetwillige gehorsam · vnd darneben ein geschmackh Götlicher süessigkhait. Damit nun ain Dienerin Gotes solche Tugenten haben vnd erhalten mege, soll sy jere sunderbare gebet dem herren[c] aufopffern vnd sprechen: O gietigister Jesus, verleiche, das ich dich jnigklich vnd jnbrinstig, von gantzem hertzen, auch auß allen meinen khrefften liebe, zum hechsten förchte, vnd sorg auf dich habe, vnd die ehr deines heiligen Namens der gestalt sueche vnd begere, das mier alle schmach vnd vnbild so dier bewisen wiert, mein hertz zerschneide vnd entzinde · gib mier gleichfals auch erkhantnuß, das ich demietigklich deine wolthaten erkhennen khinde, vnd dier mit hechster danckhbarkhait für solche alzeit danckh sage · gib mier des gleichen auch gnad, damit ich dier[d] gehorsam seij in allen dingen, auch volkhumenlich dein süessigkhait vnd liebligkhait versueche, damit ich mit solcher je lenger je mer in deiner Götlichen lieb, vnd in haltung deiner heiligen gebot wachse vnd zuneme Amen[e].

Beschluß.

Wiewol dise obgemelte materi wol wert were, das sy weiter außgefiert, vnd mer erklärt wurde, so will ich doch von khurtz wegen das iberig abschneiden vnd die gantz sach beij disen erzelten vier Capitlen beruen laßen. Allain erman vnd bit eur lieb vnd andacht, sy wellen dises mein schreiben dermassen annemen, wie es von mier auß gueter Christlicher mainung gestelt, vnd jbersandt worden. Got dem allmechtigen zwar zu lob, vnd euren hertzen zu trost auch zu

a) *B. perperam:* ein. b) Gott liebhabenden *B.* c) sondere Gebett Gott *B.* d) *In B. sequitur:* vnnd allen denen, so mich an deiner statt laiten vnd regieren, mit wahrer Demut, vnnd auffgebung meines eignen Willen vnnd Verstandts willigklich. e) *Quae sequuntur, usque ad finem, in B. desunt.*

[1] Ps 44, 11 12 14 15. [2] Gen 17, 1.

erjnnerung deren dingen, die meines erachtens eur Christlichen versamlung wol anstehen, vnd schier von neten sein, damit jer in euren eingezognen Gotseligen wandel, je lenger je mer zuenemet, vnd volkhumener werdet · bin gueter hoffnung, jer wert wie ich dan von hertzen beger, in eurem andechtigen gebet meiner nit vergessen, vnd in sunderhait mier vnwierdigen die gnad erlangen, das ich samb euch Christo vnserem lieben herren recht dienen vnd gefallen mige Amen Anno 1586.

Petrus Canisius der Societet[a] Jesu Priester.

In **Responsis* quibusdam ad „quaestiones super Venerabili P. Petro Canisio Friburgum Heluetiorum" missis, quae circa medium saeculum XVII a Socio aliquo collegii S. J. halensis datae esse videntur, de Canisio scribitur: „Scripsit etiam Anno 1586 Friburgi Heluetiorum exhortationem pro Parthenone (postea Serenissimi Guilielmi Bauariae Ducis auctoritate typis excusam) et Halam misit, ubi ipsum Autographum cum veneratione asseruatur et aliquoties ad mensam legitur. Alias ab Illo litteras nullas habent in Collegio Virginum" (Cod. „Can. 63" f. 118ª). Ac *Maria Eleonora ab Arcu* (Arco) collegii huius antistita in *litteris Hala 17. Decembris 1729 datis, quibus Canisii beatificationem a Benedicto XIII. petebat: „Petrus Canisius", inquit, „fuit, qui pro Parthenone nostro. . . . epistolam scripsit, praeclaris hortamentis refertam, adque primaeuum caetus nostri conseruandum vigorem efficacissimis, quam in Ven. huius Doctoris iugem memoriam, nobisque perenne ad progrediendum in virtute incitamentum, ineunte quouis quadrimestri inter prandendum, coenandumue publica lectione repetitam, grato semper animo auscultamus." (S. R. C. Lausann. Beatif. et Canoniz. Ven. S. D. P. Canisii *Positio* sup. dubio, an. et quomodo sit signanda Commissio. Romae 1734, Summar. pg. 91—92.)

2219. CANISIUS **P. CASPARI STAUDER S. J.,** rectori collegii halensis. Friburgo Helvetiorum 7. Aprilis 1586.

Ex apographo saeculo XVII. vel XVIII. scripto et a librario sic inscripto: „1586 Ad P. Casparum Stauderum Soc: Iesu Rectorem Halae." Cod. monac. „Lat. 1606" f. 158. Epistulam gallice reddidit *Alet* 287—288. Eius partem germanice posuerunt *Riess* 503 et *Kroess*, Can. 208.

Praefatiuncula editoris. „P. Casparus Stauder brigantinus [Bregenz] Episcopatus Constantiensis, Ann. 43, valetudine mediocri, Minister et procurator, pollet ingenio et iudicio, prudentia; parum studuit, suauis in moribus": Ita sua manu notavit P. *Gregorius Roseffius* rector collegii augustani in huius collegii *Catalogo 22. Julii 1584 scripto (G. Sup. 19, I f. 32ª).

Stauderum, antequam Societatem ingressus esset, per aliquot annos Georgii Ilsung, Suebiae austriacae praefecti, qui Canisio valde amicus erat (*Can.* VI 341 ad 342), secretarium fuisse affirmat *Agricola* (I Dec. 5, n. 456). *Paulus Hoffaeus* Germaniae superioris praepositus provincialis, Mercuriano praeposito generali scripsit *Augusta 11. Aprilis 1574: Stauderum iam Monachii in Societatis tirocinio versari: „eius uxor defuncta est; unicam filiolam 6. annorum in monasterio alendi causa collocavit, et bonis patrimonialibus honeste dotavit". Et *Augusta 11. Julii 1574: „Est vir prudentissimus qui multis annis tractauit vniuersam contributionem quam fecit Caesari Jmperium" (ex autographis; Germ. 136 137ᵇ 140ª). Landsbergensi novitiatui, in quo aliquamdiu „ministrum" egit (*Agricola* l. c. 457), 1000 florenos donavit. Rector halensis factus est 26. Octobris 1585 (*Duhr*, Jes. I 194 ¹ 531 ¹). Eum eodem anno loco P. Pauli Hetzcovaei 10. Ianuarii 1585 mortui constitutum esse confessarium collegii virginum a Magdalena Austriae archiducissa Halae conditi narratur in *Codice „Ney-Eröffnetes *Spiegl Zimmer* der durch-leichtigisten Königin Magdalena" a. 1742

a) Societe *A.*

scripto, qui olim in collegio illo servabatur et nunc Halae in archivo urbis est (p. 67). Hala propter infirmam valetudinem anno, ut videtur, 1588 avocutus, primus residentiae biburgensis (Biburg), quae paullo ante collegio ingolstadiensi accesserat, superior creatus est; ubi brevi tempore omnium, quibuscum ei agendum erat, animos sibi et Societati conciliavit. Tabe confectus est Ingolstadii a. 1590 (*Agricola* l. c. 357).

De collegii halensis prosperitate, Schwazio excolendo, Magdalena regina. Quae conferant ad officium rectoris recte administrandum. De rebus friburgensibus.

Pax Christi nobis aeterna Reuerende Pater.

Gratae mihi fuerunt litterae uestrae, ex quibus de fructu spirituali, quem Halae colligitis, libenter intellexi. Conseruet Dominus et augeat Ecclesiasticorum et aliorum amicorum, praesertim Dominorum praesentem erga nos [?][a] beneuolentiam. Scio enim quanti referat Senatorum et Ciuium Halensium animos uobis et Collegio conciliatos esse. Vtinam bene succedat piscatio[1] Swatzii[2] instituenda, uel fortasse iam instituta, ubi nobis [?][b] domum dari desiderarem. Deo gratia, qui Reginam et matrem nostram[3] tam benigne conseruat, et Collegio fauentem reddit. Scribo ad illam sicut optastis, et cupio illi, si possim, in Domino gratificari.

Quoniam uero petit R. T. ut de suscepto munere isthic administrando dicam aliquid, operae pretium fore putarem, si [assuescat] [?][c] de huius officii ratione frequenter cogitare, legere ac meditari, Deumque inprimis rogare, ut sapientiam, uires ad hoc onus bene gestandum augere dignetur. Deinde magni refert Rectores omnes ueram cum Deo unionem habere, et Spiritu Diuino magis quam humano ad agendum et regendum duci, magnosque in Charitate domi et foris progressus facere, ac demum, si fieri potest, sapientem et liberum habere admonitorem[4]. Orabo Dominum, qui hoc onus uestris humeris imposuit, ut suam gratiam ad illud sustinendum magis ac magis augeat ad honorem sui nominis. Peto uicissim a R. T. ut in suis precibus et sacrificijs mei memoriam frequentem habeat, meque aliorum etiam, et praesertim Patris Raetij[5] et P. Lucae[6] precibus commendatum reddat. Nos hoc

a) *Sic apogr.; fortasse C. scripsit:* uos, *sicut paullo inferius scripsit:* uobis. b) *Sic apogr.; legendumne* uobis? *Cf. supra, adnot. a.* c) *Aut hoc vel simile v. supplendum, aut vv.* si de *delenda esse videntur.*

---

[1] Piscationem illam hominum significat, de qua loquitur Christus Mt 4, 19; Mc 1, 17; Lc 5, 10. Cf. etiam Ier. 16, 16.

[2] Schwaz, pagus (nunc civitas) Tirolis septentrionalis, isque valde frequens et metallorum operibus celeber; cf. *Can.* V 484. Sub finem sacrae Quadragesimae a. 1586 duos Societatis sacerdotes, unum ex collegio oenipontano, alterum ex halensi, magno cum fructu ibi laborasse narratur in **Historia* collegii oenipontani (Cod. „Hist. coll. Oen." p. 42).

[3] Magdalenam, quae Societatis collegium halense condiderat et oenipontanum multis beneficiis affecerat. [4] De hoc officio v. *Can.* VI 459[5].

[5] In **Catalogo* collegii halensis a. 1587 scripto legitur, „P. Georgium Retium", Constantia (Konstanz) ortum, 38 annorum esse, ex quibus 18 in Societate egerit (G. Sup. 19, II f. 34[a]).

[6] Significatur P. Lucas Schoggler (Schogler), de quo in **Catalogo* collegii ingolstadiensis a. 1587 scripto dicitur: „Oriundus ex Inichen in comitatu Tyrolensi, annos

loco ab Haereticis circumcincti, utcunque a Domino uisitamur, partim ob difficilem rerum annonam, quae pauperes uehementer affligit, partim ob Heluetiorum dissensiones, et uicinos Gallorum tumultus. Christus ad suam gloriam uertat omnia. Noui Collegii fabrica nobis ex animi sententia succedit optime. Salutem ex me dici cupio D. Mantelio et Domesticis omnibus. Foelix Pascha nobis Christus largiri dignetur. Salutant uos Patres et Fratres nostri in Domino. Friburgi Postridie Paschatis.

Litteris ad Reginam scriptis inscriptionem addatis quaeso.

Seruus in Christo

Petrus Canisius.

2220. CANISIUS **P. FERDINANDO ALBER** praeposito provinciae Societatis Iesu Germaniae superioris.

Friburgo Helvetiorum 24. Maii 1586.

Ex autographo Canisii, addito litteris P. Petri Michaelis archetypis. Germ. 166 f. 47.

Praefatio editoris: P. *Petrus Michael* S. J. rector collegii friburgensis Friburgo 24. Maii 1586 P. Ferdinando Alber praeposito provinciali Germaniae superioris * scripsit: „De Castellania agam, cuius nomine accipio locum quendam determinatum in territorio Collegij, in quem quotquot ex subditis rusticis litem uel controuersiam habent, causam acturi, vel sententiam accepturi conueniant. Praeterea certum quendam cum Iudice assessorum numerum, qui non solum de litibus propositis ferant sententiam, et de uita iudicent, uerumetiam puniant mulctentque sontes, secundum patriae iura et consuetudines. Hanc uero Castellaniam constituerent rustici Collegio nostro subiecti, qui partim habitant iuxta Monasterium [1] locisue alijs a iurisdictione Friburgensium exemptis, partim in uillis, Posat, Molletes et Marcens, quae sunt sub mero mixtoque imperio et omnimoda iurisdictione Collegij. Ipsa autem loca distant a Monasterio tribus fere horis, a se inuicem uero nonnulla quinque; quorum incolis nostro nomine, ius diceret Iudex electus, una cum duodecim assessoribus, et secundum delicti magnitudinem subditos puniret, neque sane carebit sua utilitate instituta Castellania · nam quamuis nullos redditus adferet Collegio, attamen quietam gubernationem subditorum faciet, neque toties cum uicinis Reipublicae Praefectis contendendum erit, qui nulla habita in nostros subditos iurisdictione, ex sola permissione Abbatum hactenus ad arbitrium eosdem mulctarunt, et hodie quoque cum delinquunt ab eisdem importune poenas exigunt. Molestis praeterea clamoribus liberabimur, quibus nos ad deprecandum poenas fatigant, et auxilium opemue nostram implorant. Iura etiam Collegij conseruabimus ad quae non minus, quam ad bonorum conseruationem obligati uidemur. Denique authoritatem maiorem consequemur apud rusticos si Iudici nostro nomine paruerint, non uero Praefectis Reipublicae sese submiserint. Ad has rationes accedit, quod extra septa Monasterij domus commoda sit, quae Iudici et carceribus seruire poterit, et non facile alijs usibus uideatur applicari posse.

Pro parte tamen negante non desunt rationes grauissimae: Quarum prima est · Castellania sine magnis sumptibus Collegij institui non poterit, neque Iudex solis mulctis contentus erit, sed certum et annuum stipendium exiget, quod etiam assessoribus et apparitori statuendum. 2 ratio Senatus Friburgensis nunquam persuaderi poterit, ut mandet rusticis adeo remote habitantibus ut unum in locum cum iactura

habet 41, ingressus Societatem 1571. 29. Sept. . . . Minister a 18. Julij huius anni" G. Sup. 19, II f. 1a. Is a. 1590—1598 rector collegii halensis fuit *Duhr*, Jes. I 194[1].

[1] Monasterium Marsense, a Gregorio XIII. ab ordine praemonstratensi ad Societatem translatum: v. supra p. 4.

rei familiaris ius petituri conueniant. 3 ratio. Ex subditis Collegij non sunt tot, qui secundum iura patriae in assessores eligi possint, cum plerique sint operarij, non autem rustici, quorum bona sint propria. 4 ratio. Volentes fugere querelas et molestias, in easdem incidemus, siquidem Praefecti Reipublicae nunquam non querentur de lenitate nostri Iudicis in subditos, ab ijsdem etiam grauius si puniti fuerint ad senatum deferemur. 5 Negabit Respublica institutionem huius Castellaniae, tum quod a triginta fere annis Abbates hanc iudicandi molestiam uicinis Praefectis, uel ultro detulerint, uel concesserint, tum etiam, quod iam in publico senatu decretum sit omnem iudicandi potestatem Abbati Altarippano[1] auferre. 6 Denique quod Religiosorum sit uacare pietati et litteris, non autem extruere carceres, efformare compedes, catenas et equuleos, quae tamen omnino curanda sunt, si Castellania instituenda est" (ex archetypo, a Petro Michael subscripto. Germ. 166 f. 47).

De iudiciis de hominibus collegio subiectis faciendis.

De „Castellania" collegii friburgensis instituenda P. Petrus Michael collegii rector sic se sentire P. Ferdinando Alber praeposito provinciali scripsit: „Castellaniam nullam instituendam censeo, tum quod frustra huius confirmationem a Senatu petituri simus, tum etiam quod sine magnis Collegij sumptibus et absque augmento reddituum inchoari nequeat." His verbis Canisius sua manu haec subiunxit:

Eadem est mea sententia: cuperem tamen rationem inueniri ad amolienda incommoda et onera ut opinor, collegio intolerabilia, si uti hactenus i. e. sine huiusmodi Castellania cum subditis procedamus.

Petrus Canisius.

Ita Canisius rectoris „consultor". Duo quoque reliqui consultores, qui erant P. Petrus Lovaniensis et Sigismundus Ilsung[2], castellaniam non esse instituendam scripserunt.

Alberus prouincialis has sententias Romam ad Aquavivam praepositum generalem misit.

2221. CLAUDIUS AQUAVIVA praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 3. Iulii 1586.

Ex commentario sic inscripto: „Friburgi P. Petro Canisio." G. Sup. 1 f. 172[a].

Se facturum, quae Canisius facienda esse scripserit. Collegii fructus ei gratulatur.

Nescio quo modo factum sit ut[a] litterae quas[b] pene huius anni initio Reuerentia V. de istius Collegij rebus perscripsit, tam sero ad nos peruenerint: non enim multo ante hos dies peruenerunt. Eas tamen libenter uidimus, et cum Dei gratia quicquid ex ijs agendum fuerit, pro Domini honore, et prouinciae istius utilitate, id cum omni diligentia faciemus. Speramus autem omnia diuino accedente auxilio bonum progressum habitura, maxime opera[c] P. Prouincialis[3] cui ut uideo nec

a) *Prima haec sex vv. in comm. supra versum scripta sunt.* b) *Sequitur* nobis, *oblitt.* c) *Sic in comm. correctum est ex* diligentia.

[1] Significatur monasterium cisterciense Hauterive (Altenryf) haud procul ab urbe friburgensi situm.

[2] *Alber* Lucerna 31. Maii 1586 Aquavivae *scripsit: „Duobus Consultoribus Collegij Friburgensis tertium addidi, Patrem Sigismundum Jlsung, qui et Procurator est Collegij" (ex autogr.; Germ. 166 f. 54[a]).

[3] Ferdinandi Alber.

prudentia, nec uigilantia deest in suo munere exequendo · Jtaque non restat mihi aliud quod Reuerentiae V. scribam, nisi quod pergratus fuit mihi fructus quem ex isto Collegio quotidie manare intellexi, cuius fructus cum bona pars Reuerentiae etiam[a] V. tum laborib. tum auctoritati debeatur, praesertim cum tot iam annis istum agrum colat, est sane quod gaudeat, et gaudens uberem a Domino retributionem expectet. Quam ut maiorem in dies efficiat, ego quoque ei necessarias et corporis et animi uires precor et ipse me uicissim eius precibus et sanctis sacrificijs commendo. Romae 3º Jul. 1586.

2222. **MELCHIOR ZANGER** praepositus ehingensis CANISIO.

Ehinga aestate a. 1586.

De his litteris, quae iam non exstare videntur, vide epistulam 1. Septembris 1586 datam, qua Canisius Zangero respondit, infra, ep. 2226.

2223. CANISIUS **IACOBO CHRISTOPHORO BLARER A WARTENSEE,** episcopo principi basileensi.

Friburgo Helvetiorum a. 1586 (medio vel exeunte?).

Episcopum rogat, ut sibi mittat novam editionem „Breviarii Basileensis" iussu suo ita emendatam, ut, paucis rebus exceptis, cum Breviario Romano a. 1568 a S. Pio V. edito conveniat, et a. 1584 Friburgi Brisgoviae typis exscriptam; item petit „Martyrologium Basileense" episcopi iussu emendatum et a. 1584 Friburgi Brisgoviae editum (cf. Mayer II 73). Plura de hac epistula, quae perisse videtur, vide infra, ep. 2231, ubi de litteris, per quas Blarer Canisio respondit, agetur.

2224. CANISIUS **GODEFRIDO HANNARTZ** fratri laico Societatis, in collegio augustano degenti. Friburgo Helvetiorum 25. Iulii 1586.

Ex autographo (2º; 1/3 p.), quod est Monachii in archivo maiore reipublicae. „Jes. in genere, Fasc. 13. No. 214, Saal 7". In autographi pagina altera manu antiqua notatum erat: „Ex Archivo Augustano": sed verbum „Augustano" linea transmissa deletum est. Apographum saeculo XVII. vel XVIII. scriptum exstat in Cod. monac. „Lat. 1606" f. 109ª.

Aegroti animum solatur et ad caelum erigit.

†

Pax Christi Iesu nobis aeterna dilecte frater.

Si uera narrantur, male ualet meus in Christo Godefridus[1], quocum tot annis uixi familiariter, et cui ex animo uelim gratificari, modo possim. Scribo igitur aliquid, ut me tui memorem, tibique deditum

a) *V. supra versum scriptum.*

[1] Ex ipsis hisce litteris atque etiam magis ex Canisii epistula 12. Novembris 1587 data infra, ep. 2237 cognoscitur, significari Godefridum Hannartz sive Brabantinum (cf. *Can.* V 92 93 166), fratrem laicum Societatis, in collegio augustano degentem. De eo in **Catalogo* huius collegii a. 1587 scripto notatum est: „Hesesheimensis Dioec. Leodiensis, annos natus 44. Mediocris ualetudinis, in Societate fuit 28. ann. omnia coadiutorum officia obiuit . . . Ingenio, iudicio et experientia praeditus, prudens in suo statu, natura et complexione sanguinea et grata" (G. Sup. 19, II f. 28ᵇ).

esse noris, etiam[si][a] longo itinerum spacio disiungamur. Bene habet quod Augustae tot labores, tot onera hucusque sustinueris in hac nostra Societate, et in principio huius augusti collegij. Si te ad meliorem uitam Christus uocat, agnosce vocantis gratiam, et noli metuere, quia bonum habemus dominum, et sine morte foelices esse non possumus. Corporis isthaec sarcina semel deponenda est, ut animus ad suum authorem euolet expedite, nosque persoluamus naturae debitum. Ingentes profecto gratias debes Deo Opt. Max., qui hanc tibi mentem dedit in sancta vocatione uiuendi simul et moriendi. Curent alij uxorem, liberos, familiam: non est cur tu quaeras et cures aliud, nisi quae ad conscientiam spectant, utque cum Christo te coniungas intime. Ora pro me Dominum chariss. Godefride, nec dubita, me tibi perpetuo fidum fore in meis precibus, quas talibus amicis et fratribus libenter impendo. Dominus JESVS te in vtroque homine, ad sui nominis gloriam seruet. Salutes ex me R. P. Rectorem[1] omnesque domesticos, quibus germanum societatis nostrae spiritum ex animo precor. Friburgi 25 Julij 1586.

In Christo tuus Pet. Canisius.

2225. CANISIUS **VINCENTIO BENOIT,** Henrici III. Galliae regis ad Helvetios legato (?). Friburgo Helvetiorum 26. Augusti 1586.

Ex apographo saeculo XVII. vel XVIII. scripto, cui librarius haec inscripsit: „1586. Ad D. Vincentium Benoit Legatum Regis Hispaniarum *[sic]*[2] consolatoria, ob submersionem Adolescentis studiosi ab ipso commendati." Cod. monac. „Lat. 1606" f. 157.

Eum de morte adulescentis aquis submersi consolatur. Societatis fautori eiusdem officia offert.

Pax Christi nobis aeterna Generose et
Nobilis Domine.

Memini sane semel ac iterum accidisse, ut suas ad me litteras daret dignitas tua, quibus Adolescentem Studiosum Petrum nobis nostraeque scholae commendaret, ut eo magis in studiis bonarum artium promoueretur. De quo adolescente utinam ego laetiora et non prorsus tristia nunciare possem. Etenim nudius tertius inconsultis omnibus ille ad uicinum flumen[3], ut lauaretur, se contulit, et paulo post non multis praesentibus, cum lauare coepisset (horresco referens) quoniam natandi usum nesciebat, fluctibus absorptus periit, magnumque sui desiderium nobis reliquit. Corpus hactenus quaesitum non potuit reperiri, mortem uero tam subitam, quam miseram non possumus non deplorare: quin et tota schola luget hoc nomine, quandoquidem ille scholae legibus non obtemperans, ab hac infelici balneandi ratione, cum certo uitae periculo noluit abstinere[4]. Quocirca tuam dignitatem, ac sapientiam

a) *Hoc supplendum esse intellegitur ex ipso contextu.*

---

[1] Gregorium Roseffium. [2] Cf. supra p. 209.
[3] Flumen „Saane" sive „Sarine", quod urbem interfluit?
[4] Ita se lavare olim huiusmodi adulescentes multis locis vetabantur. Ita „Statuta generalia" universitatis herbipolensis, quae sub Iulio Echter a Mespelbrunn

rogamus, ut hunc tristissimum casum aequo et patienti animo ferat, nobiscum, quoniam homines sumus[1], mille huius uitae incomodis ac periculis expositi, ac morti etiam incertae destinati. Vnde illud a sapiente dictum accepimus · Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aues laqueo, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo mors superuenerit[2]. Fortassis illum e medio sustulit Deus, ut in hac florenti aetate, priusquam grauioribus animi pestibus laboraret, ad meliorem coelestemque uitam euocaretur, neque comunibus illis perniciosi mundi uitijs corrumperetur. Siue autem uiuimus siue morimur Domini sumus[3], qui pro sua ingenti bonitate defuncti animae misereatur.

Postremo dignitati tuae gratias ago, quod me quamuis immerentem, per magnificum Dominum nostrum Praefectum[4] amanter iusserit salutari. Et quoniam scimus quantopere pietas tua Societati nostrae fauere, ac patrocinari soleat, libenter illi nos et officia nostra offerimus, semperque praestabimus in Christo Jesu Domino nostro[5]. Alij fortasse plura de Petro extincto scribent. Dominus Jesus praestantiam tuam in utroque homine incolumem tueatur. Datum Friburgi 26 Augusti [1586].

Seruus in Christo

Petrus Canisius.

2226. Canisius **MELCHIORI ZANGER**, ecclesiae collegialis Ehingae ad Nicrum constitutae praeposito.

Friburgo Helvetiorum 1. Septembris 1586.

Ex apographo saeculo XVII. vel XVIII. scripto, in cuius capite positus est annus „1586“. Cod. monac. „Lat. 1606“ f. 142.

Praefatiuncula editoris: Melchior Zanger, natione Bavarus, 27. Aprilis 1554 Friburgi Brisgoviae matriculae universitatis inscriptus (*Herm. Mayer,* Die Matrikel der Universität Freiburg i. Br. I. Freiburg i. Br. 1907, 401), ab a. 1561 usque ad mortem († 1603) Ehingae ad Nicrum (Ehingen am Neckar; nunc suburbium civitatis wurttembergicae Rottenburg am Neckar) praepositus ecclesiae collegialis et contionator fuit. Idem aliquamdiu Maximiliani II. caesaris contionatorem aulicum egit. Zanger Coloniae edidit a. 1580 opus „Simplicis atque adeo prudentis Catholicorum orthodoxiae cum novatorum sectariorumque nostri exulcerati seculi idolomania collatio catholica“, et a. 1581 ibidem vulgavit „Passionis Dominicae conciones undecim, quadragesimali tempore ad populum declamatas“. In prioris operis litteris dedicatoriis *Zanger* scribit: Se, cum Iacobi Heerbrandi protestantium theologi tubingani libros adversus ecclesiam catholicam scriptos vidisset et, quantopere illi disseminarentur, animadvertisset, copiosius quoddam opus ad ecclesiam catholicam defendendam composuisse; id tamen, cum iam ante tres annos prelo maturum fuisset, propter temporum perturbationem nondum typis exscribi potuisse: propterea se modo, ut eius gustum aliquem det, „collationem catholicam“ edere. Deinde in earundem litterarum fine affirmat, brevi in

episcopo principe „omnibus studiosis observanda“ erant (circa a. 1600), sic habent: „Nemo se in flumine lavet.“ Eadem prorsus lex est in „Statutis facultatis artium“ universitatis trevirensis, a. 1603 admissis (*Pachtler,* Ratio Studiorum III 143, 163).

[1] Ps 9, 21. [2] Eccle 9, 12. [3] Rom 14, 8.

[4] Significari puto scultetum (Schultheiss) sive consulem. Scultetus rempublicam administrans tunc, nisi fallor, erat Ludovicus ab Affry.

[5] Rom 6, 11 23; 8, 39; 1 Cor 15, 31; Eph 3, 11.

lucem prodituram esse opus suum „Colloquia quinquelinguia. Hebraice, Chaldaice, Syriace, Graece et Latine adversus Iudaeos". Quod tamen nunquam typis descriptum esse videtur. Vulgatum autem est tandem opus Zangeri praecipuum; de quo plura sub ipsas has litteras dicentur (*Lauchert* in „Allgemeine Deutsche Biographie" XLIV, Leipzig 1898, 685—686; *Posserinus,* Apparatus II 102; *Hurter,* Nomenclator III³, 442—443).

Zangeri in religione defendenda diligentiam laudat. Librum quendam ab eo scriptum Friburgi typis exscribi non posse. Hortatur eum ad opus quoddam biblicum componendum.

Pax Christi nobis aeterna, Domine Praeposite Venerande.

Dignitatis tuae memoria non potest mihi non esse grata, quum probe intelligam, quam praeclare hactenus Christi Ecclesiam propugnaris, nec ore solum, sed et scriptis Haereticos fueris insectatus. Benedictus Deus, qui sapientes et fortes huiusmodi Theologos nobis conseruat, et ornat in Germanica messe. Mitto has per nostrum typographum Abrahamum[1], qui uestras mihi reddidit, in quibus animi tui candorem et singularem erga me beneuolentiam cum uoluptate percepi. Quod ad librum scriptum, et ad me perlatum attinet, catholicam sane causam et ueritatem magno iure tueris, nec male urges aduersarios tantopere petulantes. Verum ut ea scripta Friburgi typis edantur, non suadeo, quandoquidem Calcographia nostra probis typis instructa non est, et sumptus desunt necessarij, aliaque plura obsistunt impedimenta. Haberet[a] et hic liber maiorem fortasse gratiam, si ante quinquennium, post primum nempe conflictum in lucem exiisset, ac statim aduersarium[2] petijsset. Maternus Cholinus[3] fortassis promisso satisfaciet, ac librum suo praelo subijciet[b], ut eo commodius in Germania distrahatur, et ad manus plurium perueniat. Dixi aliquando tuam humanitatem de Catholicis Germanis bene merituram, si Biblia Germanica, uel saltem nouum Testamentum relegeret, variasque versiones, quae extant, inter se conferret, nouisque Scholijs illustraret. Vtiliter enim Lector de his locis admoneretur, quae contra Haereticos faciunt, sicut Renatus Benedictus Parisiensis suis et annotationibus multa scripturae loca illustrauit, uelut Catholicis aduersus Haereticos arma subministrans[4]. Deum Opt: Max. precor, ut pietatis tuae labores ad Eccle-

a) *Sic ex* Habet, *quod est in apographo, corrigendum esse intellegitur ex vv. sqq.* b) *Sic ex* subijceret, *quod est in apogr., corrigendum esse cognoscitur ex tota huius sententiae ratione.*

[1] Gemperlin; v. supra p. 214. [2] Iacobum Heerbrandum?

[3] Typographus coloniensis; de quo v. *Can.* VI 342—344.

[4] Renatus Benedictus (René Benoist sive Benoit, natus a. 1521) andegavensis (Angers), Sorbonnae parisiensis theologus et parochus parisiensis, a. 1566 versionem Sacrae Scripturae edidit, quae, quia cum versione calviniana nimium conveniebat, a. 1567 a Sorbonna et a. 1575 a Gregorio XIII. reprobata est. Benedictus tandem a. 1598 errores omnes retractavit et in Sorbonnam, ex qua a. 1572 eiectus erat, iterum admissus atque etiam facultatis theologicae decanus creatus est († 1607 vel 1608). Canisius significare videtur Benedicti „Panoplia Catholicorum adversus urgentes passim haereses" sive „Stromata in universum organum biblicum", Parisiis 1564 vel 1565, Coloniae 1568 edita. Quorum pars tertia etiam a. 1566 Parisiis seorsim edita erat cum hoc titulo: „Locorum praecipuorum S. Scripturae tam veteris quam

siae suae utilitatem prosperet, tuamque ualetudinem diu incolumem seruet.

Friburgi Heluetiorum Kal: Sept: [1586.]

Seruus in Christo Petrus Canisius.

Venerabili viro et erudito D. Melchiori Zanger[a], Ecclesiae Collegiatae Praeposito, Domino obseruando Ehingae[b] ad Nicrum.

Quae Canisius in his litteris commendat, ex parte saltem ad effectum deducta sunt. Zangero enim mortuo, a. 1605 Moguntiae in 2° editum est ipsius „Examen versionis Lutheri in Biblia. Das ist, Warhafftige vnd Augenscheinliche Erweisung, welcher gestalt Martinus Luther die H. Schrifft beeder deß Alten vnnd Newen Testaments, den Haupt-Sprachen vnd der gantzen Catholischen Kirchen Theologischen Verstandt zu wider, an verscheidenen Ortern vngleich verdollmetscht, mit newen Zusätzen, vnförmlichen Glossen, Vntertruckung gantzer Bücher, Versickeln, vnnd Wörtern etc. gefehrlich verfälscht vnnd verkert. . . . Alles mit sonderm Fleiß, Mühe, Arbeit vnnd Kosten auß den fünff Hauptsprachen, der Hebraischen, Caldeischen, Syrischen, Griechischen vnd Lateinischen zusammen getragen" (*Lauchert* l. c. 686; *Janssen* VII[1—12] 567—568).

2227. P. HIERONYMUS TORRENSIS S. J. CANISIO.

Landsberga circa initium a. 1587.

Epistula perisse videtur. De qua vide litteras 27. Februarii 1587 datas, per quas Canisius Torrensi respondit.

De P. Hieronymo Torrensi S. J., qui diu in universitatibus ingolstadiensi et dilingana theologiam docuerat atque etiam scribendo fidem catholicam praeclare illustraverat (v. *Can.* III 519—520; V 818—820), in * *Catalogo* domus probationis landsbergensis a. 1587 (aestate, ut videtur) scripto notatum est: „Cum senex, et debilis iam sit, ad nullum officium aptior videtur, quam ad munus praefecti rerum spiritualium" (G. Sup. 19, II f. 36).

2228. CANISIUS **CLAUDIO AQUAVIVAE** praeposito generali Societatis Iesu.

Friburgo Helvetiorum 19. Ianuarii 1587.

Epistula perisse videtur. De qua vide Aquavivae litteras 17. Aprilis 1587 ad Canisium datas; per has enim Aquaviva ei respondit.

2229. CANISIUS **P. HIERONYMO TORRENSI S. J.**, praefecto rerum spiritualium in domo probationis landsbergensi.

Friburgo Helvetiorum 27. Februarii 1587.

Ex apographo saeculo, ut videtur, XVII. scripto. Cod. monac. „Lat. 1606" f. 144.

Canisii „meditationes" in evangelia. Turriani opera a Torrensi castiganda et denuo edenda. Beza. Calvinismus grassans. PP. Paradinas et Crusius.

Pax Christi nobis aeterna Reuerende Pater.

Quas ad me dedit Charitas tua, periucundae fuerunt, quod ueteris, quae inter nos intercessit familiaritatis gratam mihi memoriam refri-

a) Langer *apogr.; v. supra p. 248.* b) Elingae *apogr.; v. supra p. 248. Vetus ille librarius tantum tria ultima huius inscriptionis verba in fine huius epistulae (ante* Seruus*) posuit; reliqua epistulae ipsi praeposuit.*

novi Testamenti, quibus corruptis inscite et prave detortis abutuntur hujus tempestatis haeretici contra fidem catholicam. . . . Expositio quae . . . panoplia merito dici potest" (*L. Feret,* La Faculté de Théologie de Paris. Epoque moderne. I. Paris 1900. 387—395; II. Paris 1901. 130—153; *E. Levesque* apud *F. Vigouroux,* Dictionnaire de la Bible I. Paris 1895. 1601—1602).

cabant, deque uestris occupationibus ac studiis admonerent [?][a]. Bene habet, meditationes illas rudes in Euangelia, quas anno superiore miseram superesse quas ad me remittere statuit R. P. Prouincialis[1]. Amaui sane P. Franciscum Turrianum, cum uiueret, ac etiamnum requiem aeternam illius animae ex animo precor[2]. Viuit ille adhuc, et uiuet apud mortales quamdiu lucubrationes eius extabunt, optaui saepe his ipsis limam accedere, ut non sine tua censura recuderentur, atque ita fore confido, per Dei gratiam, quae laudandos conatus tuos magis magisque prosperet, ut huius Patris Commentarios magno zelo conscriptos, simulque opera tua correctos, in lucem efferri cernamus. Nihil enim dubito, maiorem ex libris illis fructum posse colligi, si uestrae annotationes accesserint, quibus multorum Lectorum imbecillitas adiuuetur. Proinde maiorem in modum rogo, ut eiusmodi castigationem a multis exspectatam conficias, statimque praelo subici cures, sicut et ipsum Turrianum puto desiderare[3]. Falsus ad uos peruenit rumor, de Bezae morte, qui nunc primas tenet inter Caluinianos, et regnat apud Geneuenses magno Ecclesiae malo, ac noster pene uicinus est. Doleo sane Sathanam in hisce Caluinianis adeo ualere et sibi plurimos passim addictos habere, ut bona iam Germaniae pars ad Caluinismum prolabatur, ac Lutheranismum pene absorbeat. Nec uideo, quod immanius flagellum nobis Deus iratus immittat, et quasi calamitatis nostrae partem maximam statuat hoc saeculo exulcerato. Nostis opinor, quantopere pestis Caluiniana in Anglia, Scotia, Polonia, Vngaria passimque alibi grassetur, et Catholicismum in angustias extremas redigat, ac ipsius quidem religionis fundamenta primaque principia concutere pergat. Quo magis precandus est nobis Deus, ut aduersus hos nefarios Ecclesiae suae hostes multos milites, ac praesertim nostros excitare dignetur. Taceo de Gallis atque Heluetijs Caluiniano fermento ita corruptis, ut humana quidem arte, cura et opera restitui non posse uideantur. Caeterum de statu Collegii nostri dicere supersedeo, satis enim P. Crusius coram exponet, cuius aduentu sumus omnes in Domino recreati. Doleo uicem P. Bonauenturae, quod somnum non magis propitium sentiat[4], et sicut

a) *Sic apogr. Sed C. scripsisse videtur:* admonebant; *nisi forte paullo ante pro* refricabant *scripserit:* refricarent.

[1] Ferdinandus Alber. Canisius meditationes illas in evangelia dierum dominicorum et festorum dicere videtur, quas paucis post annis „Notae in Evangelicas Lectiones" etc. inscriptas Friburgi in lucem emissurus erat; v. infra, mon. 1502 1527.

[2] Turrianus Romae 21. Novembris 1584 diem supremum obierat (*Sacchinus*, Hist. S. J. V[1] l. 4, n. 20).

[3] Ex plurimis illis Turriani libris dogmaticis, canonisticis, apologeticis, patristicis (v. *Sommervogel* VIII 114—125) censura maxime indigebat opus illud, quo Turrianus, infausto sane consilio, „canones Apostolorum" et pontificum epistulas pseudoisidorianas authenticas esse demonstrare conabatur.

[4] In locum P. Bonaventurae Paradinas (de quo *Can.* VI 229—230), qui Landsbergae primus rector magisterque noviciorum fuerat, a. 1582 suffectus erat P. Iacobus Crusius sive Kraus (de quo *Can.* VI 282[4]; VII 544 591). Anno tamen 1585 Paradinas ad pristina illa officia rediit: Crusius autem a. 1587, si non ante, constitutus est

illius ita et totius uestrae domus precibus me ualde commendo. Pergat quaeso R. T.[a] in suis sacrificijs mei meminisse, ac ueteri beneuolentia sua me uiuum et mortuum prosequi ne desinat

Friburgi Heluetiorum 27 Februarij [1587.][b]

R. [T.][c] Indignus F. Petrus Canisius.

Reuerendo in Christo Patri Hieronymo Torrensi de Societate Jesu sacerdoti sincere dilecto.

Annus 1587 a librario non diei mensis in extrema epistula posito additus, sed initio epistulae ascriptus est. Qui cum rebus, quae in epistula ipsa dicuntur, congruit.

2230. CLAUDIUS AQUAVIVA praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 17. Aprilis 1587.

Ex commentario sic inscripto: „Friburgi P. Petro Canisio." G. Sup. 1, II f. 43[b].

Collegii procurator. Canisii „amanuensis". Eius homiliae edendae. Obsequia nuntio apostolico deferenda. Dies festi. Canisii valetudo.

Vidi quae Reuerentia V. scripsit 17 Jan. et quidem quod ad Collegium attinet, grata mihi fuit ea informatio quam de eius statu dedit. De procuratore etiam Gallo quem Reuerentia V. necessarium esse ostendebat[d], quod etiam indicauerat mihi P. Prouincialis[e] [1], dabimus operam ut cito habeatur; iamque[f] ad P. Baderum [2] scripsimus de quodam Patre qui simul Gallicam, et Germanicam linguam callet.

Quod autem ad Amanuensem attinet[g], quem Reuerentia V.[h] petebat, hoc quoque mandauimus P. Prouinciali ut omnino ei aliquem assignet; quem tamen melius iudicabamus fore externum aliquem mercede conductum, tum quia fratrum maior est penuria, tum etiam quia ut speramus eiusmodi homo facilius laborem tolerabit, sicque melius Reuerentiae V. seruiet. Quin et inclinabamus ut Reuerentia V. ea commoditate uteretur ad suas homilias recognoscendas, ac deinde edendas[i] ante omne aliud opus. Eas enim audimus esse eiusmodi ut speremus operae pretium ex ijs extiturum ad Dei gloriam [3].

De Reuerendissimo Nuncio [4] scire debet Reuerentia V. eum ualde semper amicum ac beneuolum fuisse Societati et certe id Romae haud dubijs argumentis ostendisse, quod etiam non dubito quin ostensurus

a) *Apogr. perperam habet:* P. b) *Vide, quae sub ipsas has litteras notantur.* c) *Hoc* (= Tuae) *supplendum esse res ipsa docet.* d) *Sequitur* quoniam, *oblitt.* e) *Ita in comm. correctum est ex* Rector. f) *Sequitur* de, *oblitt.* g) *Corr. ex* De Amanuensi porro quod scribit, libenter. h) *Haec 2 vv. supra versum scripta sunt.* i) *Quattuor vv. sqq. supra versum scripta sunt.*

rector collegii lucernensis (*Duhr*, Jes. I 218[3] 532[1]). *Alber* provincialis Friburgo 28. Februarii 1587 Aquavivae praeposito generali *scripsit: „Die 15. Febr. cum Patre Iacobo Crusio sanus Friburgum ueni" (ex autogr.; Germ. 167 f. 87[a]).

[1] Ferdinandus Alber.

[2] P. Georgius Bader tunc provinciae austriacae Societatis praepositus erat.

[3] *Alber* Friburgo Helvetiorum 28. Februarii 1587 Aquavivae de Canisio *scripsit: „Conciones eiusdem Germanicae in Corpus redactae et excusae, Germanis utilissimae futurae sperarentur" (ex autogr.; Germ. 167 f. 89[a]).

[4] Ioanne Baptista Santonio, episcopo tricaricensi, qui Romae „Maiordomus" sive „Maestro di casa" Sixti V. fuerat (*Mayer* I 291 309).

sit istic si fuerit occasio, ac si id hactenus minus fortasse praestitit[a] occasio defuerit. Quare gratum erit mihi ut Reuerentia V. et nostri omnes eius Dominationi Reuerendissimae omnia que poterunt obsequia deferant, atque etiam ad eum si usus tulerit cum omni fiducia recurrant.

Denique quod quaerit de festis indictis a Sixto V. non est dubium quin obligent, siquidem id expresse declarat bulla, praesertim cum ij qui[b] proprium eorum[c] officium habere non potuerunt, possint accipere de communi. Ea autem festa quae sint[d], scribentur[e] [?] in catalogo separato[1]. Nec iam aliud mihi occurrit quod scribam nisi quod Reuerentiam V. horter ut suae ualetudini seruiat nec ita se laboribus grauet ut eam offendat: idque ob maius Domini obsequium: deinde ut etiam memor sit nostri in suis precibus et sanctis sacrificijs. Romae 17 Aprilis 1587.

Addo aliqua, quae ad has litteras illustrandas multum conferent.

1. P. *Ferdinandus Alber* praepositus provincialis Friburgo Helvetiorum 28. Februarii 1587 de Canisio haec ad Aquavivam *rettulit: „R. P. Petrus Canisius praeteritos pro Ecclesia susceptos labores, scriptione, reliquo vitae, confirmare et cumulare optaret: Et quidem post historiam vitae B. Virginis, ex opere suo Mariano succincte ab ipso extractam, et ex concessione P. V. iam ante habita in lucem dandam; jpso opere Mariano suoque Joanni breui recudendis: in ea aeditione addere cuperet doctrinam eiusdem generis de D. Petro Apostolo maiori ex parte a se iam collectam et a multis desideratam. Conscriptas idem P. habet pulchras et utiles considerationes de Euangelijs et festiuitatibus totius anni, quae utiliter in lucem darentur" (ex autogr.; Germ. 167 f. 88[b]—89[a]). *Aquaviva* 3. Aprilis 1587 Albero *respondit: „Quod [Reuerentia V.] scribit P. Canisium cupere edere quosdam libros, idem mihi quoque ipsemet exposuit: et nos sane bono seni, et tam bene merito non iudicamus negandam eam consolationem, maxime cum praeter eius consolationem fructum quoque in proximis speremus. Quare placebit nobis ut Reuerentia V. assignet ei aliquem amanuensem: quamquam hunc indicabamus commodius fore externum, cui merces soluenda sit, ut audio alias cum ipso factum. Praeterea ei illud etiam indicabamus ut ante omnia opera homilias suas recognosceret, et ederet: confidimus enim fore utiles cum Dei gratia. Qui liber cum ab eo absolutus fuerit, Reuerentia V. tres deputabit qui de eo iudicium ferant, idque iudicium deinde ad nos perscribet" (ex commentario, G. Sup. 1 f. 187[b]). *Alber* autem Augusta Vindelicorum 26. Septembris 1587 Aquavivae *renuntiavit: „Aggredietur iam spero P. Petrus Canisius suam Postillam quae ab ipso conscripta et probata typis excudatur. Absoluit ante aliud quoddam opusculum, quod Notas inscripsit in Euangelia totius Anni, quo modum pie meditandi et precandi omnibus Dominicis et festiuitatibus totius Anni occasione et argumento ex Euangelijs quae in illis leguntur edocet et tradit ita ut non spiritualibus viris tantum sed saecularibus etiam utilitatem ex illo prospiciat. Curabo illum librum conferri et examinari a Theologis, ut postea facultate a P. V. habita quam peto, excudatur" (ex autogr.: Germ. 167 f. 368).

a) *Corr. ex* ostendit. b) *Sequitur* pecul *vel simile v., oblitt.* c) *V. supra versum scriptum.* d) *Sequitur* mittetur, *oblitt.* e) *Sic; corrigendum esse videtur:* scribetur.

---

[1] Sixtus V. constitutionibus Kalendis Ianuariis et 23. Decembris 1585, ac 14. Ianuarii, Kalendis Februariis, 13. Aprilis 1586 datis in ecclesia universa peragi iusserat dies festos Praesentationis B. Mariae V., S. Nicolai de Tolentino, S. Antonii de Padua, SS. Ianuarii et sociorum eius, S. Petri Martyris, quorum aliqui iam olim quidem acti, sed in reformatione Breviarii et Missalis sub Pio V. facta aboliti erant (*Bullarium Romanum* II, Luxemburgi 1727, 535—536 552—553 555—556 559—560 572—573).

2. Aquaviva una cum epistula Canisio destinata Friburgum misit litteras 18. Aprilis 1587 ad Santonium nuntium apostolicum datas, quibus eum amantissime salutabat, ei Socios in Helvetia degentes commendabat, horum operam ei offerebat (ex apogr.; G. Sup. 1 f. 189a b). Roma autem 27. Iunii 1587 *Aquaviva* Alberum provincialem monuit: „Reuerendissimus D. Nuncius apud Heluetios misit ad me literas plenas omnis caritatis, atque humanitatis: inter cetera uero hoc etiam scribit esse sibi in animo uisitationem illorum locorum instituere, ac proinde cupere se aliquem e nostris comitem habere. . . . Reuerentiae V. cogitandum erit quem eligat ad hoc aptum et idoneum · ego enim rescripsi Dominationi eius Reuerendissimae rogans, ut id iudicium totum Reuerentiae V. relinqueret · Quare id quidem Reuerentia V. etiam atque etiam considerabit, et nominatim de P. Canisio · nam nisi aetas et ualetudo obstet, cetera aptissima essent, propter doctrinam, et aedificationem. Sed ut dixi, Reuerentia V. quae suos nouit id melius iudicabit. Quicunque tamen ab ea eligetur, erit bene ac serio instruendus ut se contineat intra terminos nostri instituti, nempe concionibus, confessionibus, catechismo, respondendo de casibus conscientiae, aut si quando de aliqua re priuatim a D. Nuncio sententiam rogabitur · cetera autem, ut uisitationes, aut eiusmodi functiones odiosas et ad nos minime pertinentes, nullo modo attingat. Nam hoc ipsum ab eo diserte deprecati sumus" (ex commentario: G. Sup. 1 f. 193b). *Respondit *Alber* Augusta 24. Iulii 1587: Se statim Lucernam ad nuntium et ad Socios litteras misisse, quibus nuntio comes assignabatur P. Martinus Leubenstain et huic comes addebatur P. Everardus Cremerius. „Puto tamen uix hoc tempore Visitationem Reuerendissimum Nuntium propter militares expeditiones in Heluetia suscepturum. . . . Patri uero Canisio aetas et valetudo uix concedent jter ad Congregationem [provincialem Sociorum] suscipere, ac multo minus Nuntio visitanti comitem se exhibere: Sunt etiam alia in bono Patre quae talem comitatum Nuntij omnino dissuadent" (ex autogr.; Germ. 167 f. 287). *Santonius* Lucerna 9. Iulii 1587 cardinali Montalto, Sixti V. secretario maiori, *scripsit: Se, quicquid facere posset, facturum, ut in Helvetia numerus collegiorum Societatis augeretur, idque et propter magnam huiusmodi collegiorum necessitatem · „et per l'infinito frutto che da loro si caua in seruitio di Dio, de la fe Cattolica et salute di queste anime" (ex apogr. eiusd. temp., quod est in archivo vaticano, Nunz. di Svizz. 233 f. 79b 80a).

2231. IACOBUS CHRISTOPHORUS BLARER A WARTENSEE, episcopus princeps basileensis, CANISIO.

Bruntruto (ut videtur) circa 24. Aprilis 1587.

Ex apographo eodem tempore scripto litterarum a Blarero ad Leubenstainium datarum, quod est Bernae in archivo reipublicae, Cod. „Missiuae 1584—1587" episcoporum basileensium, p. 750—751. Apographum manu librarii sic inscriptum est: „An Herren Rectorem Societatis Jesu zu Lucern."

Libros liturgicos episcopatus sui ei mittit etc.

Joannes Christophorus Blarer a Wartensee 24. Aprilis 1586 (Bruntruto, ut videtur; haec enim sedes erat episcoporum basileensium) P. Martino Leubenstain S. J. rectori collegii lucernensis scripsit: „Als vns hieuor der Zeit der Eherwürdig vnser lieber andechtiger vnnd besonderer D. Petrus Canisius, vmb Exemplar vnsers New auss gangnem Breuiarij [1] vnnd Martirologij [2] zugeschriben vnd aber wir Jme biss daher solche

---

[1] De hoc breviario vide supra p. 246.

[2] „Martyrologium Basiliense, Iuxta Romanum ad nouam Kalendarij rationem, et Ecclesiasticae Historiae veritatem restitutum · Iacobi Christophori Episcopi Basiliens. iussu editum. Friburgi Brisgoiae .M.D.LXXXIIII." 8°; pp. signatae 297;

nicht eberschicket, sunder weijl wir auch ein New Missal hiezwischen trucken lassen Jme solches alles sambtlich zuschicken wellen. Wan nun gedacht Missal auch in truckh allerdings verferttigt vnd vns schon zu handen glifert worden[1], *Alss haben wir auch hiebeyligend, obgemelt Breuiarium vnnd Martirologium, zusamb einem exemplar des Missals so gleichwol in so Khurtzer Zeit nit mögen gebunden werden, euch eberschickhen wellen, Mit dem gnedigen begeren Jr wellen euch in den selbigen ersehen, vnd wie ein solche gefallen möchten, vns eüwer mainung derüber zukhomen lassen, Alssdan dieselben obgedachten Herren Canisio mit sambt beiligenden schreiben zu ehister gelegenheit zusenden, Sunsten wellen wir dem Hern Nuncio*[2] *auch ein Exemplar desselben zur besichtigung eberschickhen zu ehister glegenheit.*"

2232. CANISIUS **PHILIPPO BAVARIAE PRINCIPI** et episcopo principi ratisbonensi.

Friburgo Helvetiorum inter ver et aestatem a. 1587.

Ex libro: „Manuale Catholicorum . . . collectum a R. P. *Petro Canisio*", Ingolstadii 1587, f. *2ᵃ—[*6ᵃ]. Epistula, paucis verbis exceptis, typis cursivis sive italicis descripta est. (Plura v. infra, monum. 1425.)

Praefatiuncula editoris. Philippum, a. 1576 ex Guilielmo V. Bavariae duce et Renata Lotaringa, parentibus religiosissimis, ortum, a. 1579 episcopum postulavit capitulum ratisbonense, sperans, se per Bavariae duces adversus protestantium impetus defensum et in rei familiaris necessitatibus adiutum iri. Anno 1584 is Monachii sodalitati marianae nomen dedit. Anno 1586 in universitatem ingolstadiensem studiorum causa migravit. Anno 1595, cum Ingolstadii de philosophia egregiam habuisset disputationem, Ratisbonam solenniter ingressus est episcopus. Anno 1597 cardinalis creatus, a. 1598 mortuus est, maximae spei iuvenis. Qui per eos, qui ipsius nomine epicopatum administrabant, imprimis per Felicianum Ninguardam et Iacobum Müller, multa ad religionem amplificandam et clerum reformandum praestiterat (*J. Dödl*, Philipp von Wittelsbach, Cardinal, Bischof von Regensburg, in „Historisch-politische Blätter", 124. Bd. München 1899, 142—152; *F. Stiere,* Wittelsbacher Briefe, in „Abhandlungen der historischen Klasse der bayerischen Akademie der Wissenschaften" XVII, München 1886, 403—420). „Erat", inquit *Jo. Adlzreitter* (*Jo. Vervaux* S. J.), „solertis subtilisque ingenii, facundia longe supra mediocrem, comitate admirabili, facilitate et clementia plane singulari. . . . Tanta fuit pudicitia, ut qui ejus jam inde a puero vivendi rationem penitissime perspectam exploratamque habuere, crediderint, eum nullo impurae libidinis aestu afflatum, nedum adustum fuisse": Annales Boicae Gentis, Ed. 2., Francofurti ad Moenum 1710, P. 3, l. 1, n. 11—13, col. 5—6.

Optimam ad pietatem et litteras institutionem ei gratulatur. Hortatur eum, ut diligenter ea utatur. „Manuale" ei dedicat et fratribus quoque eius commendat. Iis, ut ad statas preces assuescant, suadet.

---

praeterea folia non signata in initio 10 (addito titulari) et in fine libri 2. Sine nomine typographi.

[1] „Missale Basiliense, iuxta Romanum restitutum. Iacobi Christophori Episcopi Basiliensis iussu editum. Monachii, Excudebat Adamus Berg, Typographus Ducalis. Anno Domini M.D.LXXXVI." 2°; pp. 340. CVII. 155. 111; praeterea folia non signata in initio 12, addito titulari, et in fine 10. Et hunc librum, et Martyrologium, quod supra dixi, vidi Bruntruti in bibliotheca scholae cantonalis.

[2] Ioanni Baptistae Santonio.

SERENISSIMO | ET REVERENDISSIMO | PRINCIPI AC DOMINO, D. | PHILIPPO COMITI PALATINO | Rheni, vtriusque Bauariae Duci, Ec- | clesiaeque Ratisbonensis Episcopo, etc. | PETRVS CANISIVS | S. D. P.

SI magnum et praeclarum habetur, Serenissime Princeps, hominem nobilem ex optimis et spectatissimis maioribus natum florere, longe quidem maius atque praeclarius existimandum est, eximiae indolis Principem ex clarissima Ducum et Regum ortum prosapia[1], inde a primis annis cum ingenuis et liberalibus artibus imbui, tum vero salutaribus Orthodoxae religionis et heroicarum virtutum studiis ita informari atque cohonestari, vt idem adolescentiam et iuuentutem suam, ex qua reliquae pendent aetates, decenter, docte simul et religiose traducat. Quamobrem Tuae Celsitudini ego non possum non gratulari, cui tantum obtigit felicitatis, quantum perpauci Principum filij sentiunt, vt in hac aetate docili et florenti, talique loco Musis consecrato[2], et sub selectis bonae fidei Praeceptoribus ad praestantes illas dotes assurgat, quae in futuro tum Principe tum Episcopo maxime desiderantur. Agnosce precor, et tecum animo reputa saepe, quantum diuini aeternique numinis benignitati bonorum omnium fonti debeas, quod praesentem bene beateque viuendi et discendi nactus sis opportunitatem, vt teipso in dies et melior, et sapientior, et doctior effici queas. Veniat praeterea in mentem Serenissimus Dux, et laudatissimus heros, paterque tuus Dominus GVLIELMVS[3], qui pro summa vereque paterna pietate nunquam non te respicit, et eximia quaeque de te, studiis tuis sibi, et Ecclesiae Catholicae pollicetur. Quare huius et bonorum omnium conceptae exspectationi, vt satisfacias rogo, et quam pietatis simul et disciplinae viam ingressus es, in ea praeclaras animi corporisque tui dotes exerceas et excolas continenter. Hoc vero vt rectius, duce Christo, assequaris, libellum hunc[4] Ingolstadianis typis excudendum, et nomini tuo inscribendum putaui lectissime Princeps: non solum vt obseruantiae in te meae monumentum et pignus perpetuum extaret, verum etiam vt occasionem praeberem saepe multumque precandi, et ea munera diuinitus obtinendi, quae Antistiti ad grauissimum Episcopi munus et onus rite sustinendum destinato, si antehac vnquam, nunc vel maxime sunt necessaria. Neque tamen prohibeo, quin cupio sane, et opto vehementer, vt Illustrissimi fratres[5] tui D. MAXIMILIANVS, D. FERDINANDVS,

---

[1] Cf. *Can.* VII 383[2].

[2] In universitate ingolstadiensi: vide huius epistulae praefatiunculam.

[3] Guilielmus V.

[4] „Manuale Catholicorum": de cuius editione Ingolstadii a. 1587 facta v. infra, monum. 1425.

[5] Maximilianus I. (1573—1651), Bavariae primum dux (1598), deinde princeps elector (1621) futurus ac non solum Bavariam, sed etiam totum imperium germanicum atque ecclesiam catholicam sapientia et virtute sua egregie adiuturus erat, principum germanorum sui temporis facile optimus. Ferdinandus (1577—1650) postea factus est archiepiscopus princepsque elector coloniensis, episcopus leodiensis, monasteriensis, hildesiensis, paderbornensis, vir magnae pietatis, religionis studiosissimus, Societatis Iesu amantissimus. Carolus mortuus est septennis a. 1587.

D. CAROLVS, hac ipsa editione quoque fruantur, et secundum religiosissimum vtriusque parentis exemplum has aliasque Catholicas preces sibi reddant familiares. Nam si vllis aliis, certe Principibus et Magistratibus Christianis, non minus quam praestantissimo Regi Dauidi sanctum precandi institutum debet esse maxime commendatum, si tam sibi, quam subditis probe consultum esse cupiant, nec minus prodesse, quam praeesse velint Reipublicae, ad cuius clauum diuinitus deliguntur. Habeant interim alij, cuiuscunque sint ordinis ac aetatis homines: habeant, inquam, alias in hoc genere precationes comparatas, quibus libenter vtantur, et Christianos animos nutriant, seque hoc seculo exulcerato confirment, quo tot publicae calamitates ad placandum orandumque Deum nos vel inuitos excitant et impellunt. Nihil autem impedire arbitror, quo minus variae Catholicaeque precandi formulae conscribantur et edantur, quando plerique vt in cibis quamlibet opiparis et exquisitis degustandis, ita etiam in legendo et precando diuersis libris vti fruique consueuerunt. Quanquam illos ego inprimis laudandos et imitandos existimo, qui vt maiorem ex oratione fructum colligant, non per libros multos curiose vagantur, sed ad statas preces, quoad eius fieri potest, sese assuefaciunt, et quemadmodum locorum, sic etiam temporum precationi congruentium rationem singularem obseruant. Bene in Christo vale Illustrissime Princeps, tuumque animum hisce virtutibus et studiis excolere perge, quae aliquando ad Rempublicam Ecclesiamque iuuandam praesidium et decus maximum adferant in CHRISTO IESV Domino nostro[2]. Friburgi Heluetiorum, anno post Christum natum M. D. LXXXVII.

2233. CANISIUS **IACOBO DE SAINT-MAURIS,** priori bellofontano, canonico bisontino[1]. Friburgo Helvetiorum 5. Iunii 1587.

Ex apographo, quod R. P. *Ioannes Hungerford Pollen* S. J. a. 1899 Vesontione (Besançon) exscripsit ex archetypo, quod ibi exstat in bibliothecae publicae codice, qui inscribitur: „Lettres a Monsieur de Bellefontaine, Ramassées par messire Jean Baptiste Boisot, Abbe de Sainct Vincent de Besançon. Tome III."

Eum laudat, quod Carolum nepotem in scholis Societatis friburgensibus parum proficientem inde revocet. De Caroli debitis solvendis.

Pax Christi uobis aeterna Vir admodum venerande

Laudo equidem sapientiam tuam quod nepotem Carolum nec sibi nec aliis hoc loco utilem isthuc reuoces, suum ut tempus ac otium alibi rectius collocare possit. Familiaris tuus, qui has reddat, plura coram de illo narrabit; quanquam de summa debitorum, quae Friburgi

[1] Iacobus de Saint-Mauris (1530 ad circa 1602), Dola Sequanorum (Dôle, Franche-Comté) ortus, appellari solebat „Prieur de Bellefontaine", ex beneficio ecclesiastico, quod iuvenis acceperat. Postea canonicatum in capitulo S. Ioannis bisontino et alia beneficia, velut abbatiam (commendatariam) Montbenoît, adeptus est. Patrono et magistro Antonio cardinali Granvellano, cui sanguinis propinquitate iunctus erat, civilia quoque officia administravit et gravia negotia politica cum prudentiae laude gessit. Plura de eo scripsit *C. Weiss*, bibliothecae bisontinae praefectus, in „Biographie Universelle", ed. *Michaud*, in v. „Saint Mauris (Jacques de)". [2] Cf. supra p. 248[5].

contracta est nondum satis constat. Constabit autem, quum huc redierit ille, quem ad suam sororem excurrisse, brevique rediturum esse arbitrantur. Gaudeo inter tuam dignitatem et D. Krummenstol probe conuenire, ac debitam ei pecuniam bona fide persolui. Dolet sane nobis, quod eidem egregio senatori[1] nostrisque consiliis non paruerit hic adolescens. Sed fortassis dabit gratiam Deus, ut alibi sapiat rectius, et amicorum expectationi melius faciat satis. Consultum fore non putavimus magnis ut duorum sumptibus incertus Caroli reditus hic expectaretur: spero illum in ipso reditu horum posse inveniri, et cum eo tractari omnia. Quod superest, me ac Societatem nostram humanitati tuae in Christo commendo ut possum maxime, ac eidem cuncta precor prospera. Dominus Jesus ubique nobiscum. Friburgi Heluetiorum V. Junii 1587.[a] — —

Deest huius epistulae subscriptio, quae, ut iam dixi, cultello exsecta est. Deest etiam inscriptio et maxima pars sigilli, quod erat Societatis Iesu. Quae supersunt, ea, ut P. *Pollen* notavit, non ab ipso epistulae auctore, sed a librario aliquo vel secretario scripta esse videntur. Affirmatur quidem in *Catalogo* novo codicum manuscriptorum bibliothecae urbis Vesontionis (vol. II, nr. 85), epistulam datam esse a „rectore" collegii friburgensis, qui erat P. Petrus Michael. Verum catalogus hic, exsecta iam antea subscriptione, compositus est, atque ex epistulae verbis cognoscitur tantum, eam a Socio aliquo collegii illius datam esse. Eo autem ipso, quod nomen auctoris epistulae exsectum est, valde probabile redditur, nomen illud clarum ac celebre fuisse; neque tunc in collegio friburgensi aliud erat eiusmodi nomen, quam nomen Canisii. Genus dicendi certe, quod in hac epistula cernitur, canisianum est; et quod ad res attinet, epistula est similis illis, quas de aliis adulescentibus, qui in collegio friburgensi litteris studuerunt, Canisius a. 1581 ad Georgium de Diesbach et a. 1586 ad Vincentium Benoit dedit, v. supra p. 45 247.

2234. CANISIUS **NICOLAO DE DIESBACH**, patricio friburgensi, praefecto rotundimontano[2]. Friburgo Helvetiorum 21. Augusti 1587.

Ex libello: Trois lettres inédites du Bienheureux Pierre Canisius, S. J. Extrait des „Précis historiques", août 1888, Bruxelles 1888, 12; in quem libellum hanc epistulam transcripsit P. V. *Baesten* S. J. ex archetypo autographo, ut videtur, a familia Diesbach secum communicato (l. c. 2[2]). Ibidem p. 11 exstat epistulae versio gallica. Epistula iterum typis exscripta est in „*Le Chartrier* de la Maison de Diesbach", Gand 1889, 184.

Praefatiuncula editoris: „Acta VIII[ae] Congregationis Prouincialis habitae in Prouincia Superioris Germaniae Anno M. D. L. XXXVII ad eligendum Procuratorem", qui Romam iret ad praepositum generalem Societatis de rebus provinciae certiorem faciendum etc., haec habent: „Jndicta est Congregatio a R. P. Ferdinando Albero Prouincialj, et dies 25[us] Augusti huius anni 1587 ad conueniendum praefixus: locus uero designatus Augustae. Ibi ad praestitutum diem conuenerunt omnes Patres, qui ius suffragij habent, praeter Reuerendum Patrem Petrum Canisium, qui, cum iam iter Friburgo Augustam ingressus esset, propter affectam aetatem et ualetudinem, subsistere in medio ferme itinere, et Friburgum redire coactus est. Quae causa

a) *In archetypo sequebatur subscriptio; sed haec cultello exsecta est.*

[1] Guilielmus Krummenstoll de senatu minore erat. „Il était très-particulièrement lié avec le vénérable père Canisius", ait *Fontaine*, Notice 59.

[2] Hic filius erat natu maximus Georgii de Diesbach, de quo supra p. 45. Anno 1614 electus est consul sive scultetus reipublicae friburgensis (*Baesten* l. c. 4).

absentiae alijs omnibus patribus, qui conuenerant, sufficiens uisa est ante Congregationem" (ex apogr. saeculo XVI scripto. Cod. „B 10" p. 50—51). Cum Canisio Friburgo ad congregationem profectus est, ut ex iisdem Actis cognoscitur, P. Petrus Michael, collegii rector. De his duobus in collegii friburgensis *Litteris annuis narratur: „Duo Patres ad Congregationem Prouincialem proficiscentes, uarijs in locis ultra centum confessiones exceperunt: Virgines DEo sacras Superiorum rogatu in eodem itinere ad uirtutis studium exhortatione inflammarunt. Nobilem praeterea cum Coniuge in orandi modo priuatisque consilijs adiuuerunt" (ex exemplo eiusdem fere temporis. Cod. „I. 36" f. 29b). Eos per Lucernam transiisse indeque P. Iacobum Crusium collegii rectorem secum abduxisse puto. Valde probabile est, Canisium Badae Helvetiorum (eo usque eum pervenisse intellegitur ex litteris modo ponendis) confessiones excepisse; id quod eum in superiore quoque itinere augustano fecisse constat (v. infra, monum. 1359).

Gratias agit pro equo, ad profectionem augustanam sibi commodato. Sibi, cum Badam usque venisset, propter infirmam valetudinem Friburgum redeundum fuisse.

Edler und Vester, grossgünstiger Lieber Junckher, mein gleichwol geringfuege Gebett zu Gott dem Allmechtigen, und willige Dienst iederzeit dem Junckherrn zuvor. Dieweil ich aus fürfallender Leibesschwachait auf meiner Reiss auf Augspurg zue, nit weiter als gen Baden hab geraichen moegen, desshalben diese Raiss diss jar gar eingestellt, auch gestert mit des Junckherrn Pferd alhie Nachmittag glücklich ankommen, und also desselben ferners nit bedorftig, hab ich dasselbe dem Junckherrn iezund wider zu handen stellen wollen, und thue mich dieser grossen Freundschafft und guetwilligen Dienst geliehenes Pferd halben aufs hoechst bedankhen, des Vorhabens solche Guetthat moegliches Vleiss mit meinem Gebeth zubeschulden. Bin zwar mit einem gueten gsunden Gaul versehen gewest. Thue hiemit dem Junckherrn mich und unser gantz Collegi dienstlich, und uns alle in dem Schutz und Schirm des guetigen Gottes bevelhen. Datum Freyburg, den 21ten Augüsti.

Des Junckherrn Dienstwilliger.
Petrus Canisius.

Dem Edlen und Vesten Junckherrn Niclausen von Diessbach, zue Grancourt, etc. Landvogten auf Romont, meinem sonders günstigen lieben Junckherrn zu überantworten, Rondmont.

2235. GODEFRIDUS HANNARTZ, frater laicus Societatis Iesu, CANISIO. Augusta Vindelicorum aestate vel autumno a. 1587.

Vide Canisii litteras 12. Novembris 1587 ad eundem Godefridum datas, infra, ep. 2237.

2236. CANISIUS **P. HENRICO GAUGENRIEDER S. J.,** rectori collegii augustani.
Friburgo Helvetiorum aestate vel autumno a. 1587.

Canisius Friburgo 12. Novembris 1587 Godefrido Hannartz, collegii augustani fratri laico, scripsit: „Gratulor uobis de nouo Rectore, cui iam ante scripsi". Epistula non iam exstat.

Gaugenrieder hoc ipso anno rector augustanus constitutus est (*Duhr*, Jes. I 203[2]). In *Catalogo huius collegii sub m. Septembrem a. 1587 scripto dicitur, eum ex op-

pido Weissenhorn (haud procul Ulma sito) ortum esse, 33 annos natum esse, 10 annos in Societate vixisse, 2 annos „subregentem" et 2 annos „ministrum" fuisse (G. Sup. 19, II f. 25[a]).

2237. CANISIUS **GODEFRIDO HANNARTZ S. J.**, fratri laico collegii augustani. Friburgo Helvetiorum 12. Novembris 1587.

Ex autographo (2°: 1 pg.; in p. 2 inscr.). Inscriptioni manu antiqua adnotatum est: „Ex archivo." Epistula est Monachii in archivo maiore reipublicae bavaricae, „Jes. in genere Fasc. 13 No. 214". Apographum saeculo XVII, ut videtur, scriptum exstat ibidem (Fasc. 13 No. 214) in libello in 4°, non conglutinato, p. 18—19.

Preces petit et promittit. De Sociis amicisque, Willero bibliopola, tumultibus belgicis et gallicis.

†

Pax Christi nobis aeterna.

Chariss. Godefride.

Habeo tibi gratiam, quod ad me aliquando mittas, tuamque erga senem Canisium beneuolentiam pro tuo candore declares. Rem sane gratam feceris, si Xenia quaedam spiritualia isthic et Dilingae mihi donari procuraueris. Ferunt annum nouum nescio quae tristia portendere, et multis exitialem fore. Sunt autem senes utcumque timidi et solliciti, dum plus aequo metuunt, curis saepe non necessarijs occupati. Quanquam ego non de corporis, sed animi firmiore sanitate non satis sollicitus esse posse uideor, et idcirco multos apud Deum quaero et peto intercessores. Gratulor uobis de nouo Rectore[1], cui iam ante scripsi, et de nouo concionatore, quem noui procuratoris abitus praebuit Augustanis, et quem eis gratum fore confido[2]. Precemur Dominum pro P. Petro Louaniensi, cui extrema metuunt medici, quique grauiter admodum hoc loco laborat, ut uerear illum non diu nobis commoraturum[3]. Tueatur nos Christus et hoc et futuro anno in vtroque homine. Salutem ex me dices fratribus et amicis, quos coram inuisere indignus fui, quum in proximo conuentu isthic Patres adessent[4]. Doleo uicem Willeri, quem ad saniorem mentem tot annis reuocare non possumus, eumque salutabis meo nomine amanter[5]. Vtinam Belgae tandem ex

[1] P. Henrico Gaugenrieder; v. supra p. 259.

[2] P. Gregorio Rosephio, cathedralis ecclesiae augustanae contionatori, a Sociis in congregatione provinciali Germaniae superioris commissum erat 28. Augusti 1587 munus „procuratoris", qui Romae ad Aquavivam praepositum generalem de rebus provinciae etc. referret (*Acta* Congregationis l. c. [cf. supra p. 258] p. 51). P. *Ferdinandus Alber* praepositus provincialis Augusta 26. Septembris 1587 Aquavivae *scripsit: „Jnterea donec redeat Conciones dominicales Deo iuuante ipsius loco sustinebo" (ex autogr.; Germ. 167 f. 368[a]).

[3] Hic Kalendis Decembribus a. 1588 Friburgi mortuus est: sepultus est „in templo D. Virginis ante aram Sodalitatis" B. Mariae V.: Ita antiqua illa **Historia* collegii (Cod. frib. „Hist. coll. Frib." p. 11).

[4] Congregationem, quam modo dixi (cf. supra, adnot. 2) significat. Canisius ad eam profectus, sed ex medio fere itinere Friburgum redire infirmitate coactus erat: v. supra p. 259.

[5] Georgium Willer „seniorem", bibliopolam augustanum, significari existimo: cuius opera Canisius saepe usus erat; cf. *Can.* II 744[5]; III 238 786; IV 250 781 995; VI 330[3] 438; VII 233 633 684.

tot tantisque tumultibus ad Catholicam pacem emergant, et haeretici Gallias diuexare desistant. In Christo uiue et uale frater, et sicut soles, ex charitate non ficta[1] de nostris bene mereri perge. Dominus tibi mercedem ingentem pro hoc tuo labore, quem tot annis sustines, rependet liberaliter. Ego tui meminero, ut par est, in precibus meis: tu uicissim pro Canisio precari, meque S. Vdalrico et S. Affrae coram sacris reliquijs commendare ne desinas rogo[2]. Friburgi 12 Nouembris 1587.

In Christo frater tuus Pet. Canisius.

† Chariss. in Christo fratri Godefrido Brabantino de Jesu societate Augustae.

2238. CANISIUS **CLAUDIO AQUAVIVAE,** praeposito generali Societatis Iesu. Friburgo Helvetiorum ineunte a. 1588.

De hac epistula, quae perisse videtur, vide litteras 5. Martii 1588 ab Aquaviva ad Canisium datas, infra, ep. 2239; per has enim ille Canisio respondit.

2239. CLAUDIUS AQUAVIVA, praepositus generalis Societatis Iesu, CANISIO. Roma 5. Martii 1588.

Ex commentario sic inscripto: „Friburgi P. Petro Canisio." G. Sup. 2 f. 4[a].

Collegii calamitates. Procurator. Visitator etc. Canisii consilia gratissima.

Ex Reuerentiae V. epistola hoc ineunte anno scripta cognoui quo statu esset Collegium istud; cui etsi inimicus homo[3] aliquas suscitet molestias[4] tamen confidere debemus Dominum e contra non minus impigrum fore pro sua infinita bonitate in nobis protegendis, quam sit daemon pro sua magna malitia in oppugnandis.

De Procuratore quidem qui Gallice sciret, cuius defectu, Reuerentia V. multa incommoda euenire, et P. Rector[5] saepe iam scripserat[6], gaudemus satis bene prouisum, siquidem nuper[a] P. Oliuerius indicauit nobis se eum misisse[7]. Quod uero ceteros quoque operarios[8] Reuerentia V. aptiores cuperet, non dubito quin P. Prouincialis[9] ipse quoque idem cupiat: sed hominum penuria, et aliorum Collegiorum necessitates eum impedient, quominus tam large quam uellet, Collegio isti[b] subueniat.

Ceterum quod scribit de Visitatore mittendo, quoniam Reuerentia V. intelligit[c] quam multa sint in tali re consideranda, uidebimus quid fieri[d] debeat, aut possit.

a) *Sequitur* mihi, *oblitt.* b) *Sequitur* non, *oblitt.* c) *Sequitur* quam sit, *oblitt.* d) *Sequitur* possi, *oblitt.*

[1] 2 Cor 6, 6.

[2] Sacrae reliquiae S. Afrae, martyris augustanae (saec. IV.) et patronae urbis, ac S. Udalrici, episcopi augustani († 973) et patroni episcopatus, Augustae in templo SS. Udalrici et Afrae coluntur. [3] Mt 13, 28.

[4] De calumniis aliisque molestiis, quibus collegium a. 1587 affectum erat, vide infra, monum. 1432. [5] Petrus Michael. [6] Cf. supra p. 108 244.

[7] P. Oliverius Manareus ab a. 1587 praepositus provinciae rhenanae Societatis erat. Is misisse videtur P. Bernardum Myron (G. Sup. 2 f. 16[b]).

[8] Horum nomina v. infra, monum. 1446. [9] Ferdinandus Alber.

Certe Reuerentiae V. in hac ipsa re zelus ac studium in Societatem nostram multum me aedificauit; eamque hortor ut cum ei aliquid occurret quod ad commune bonum pertinere iudicet, id nobis semper cum omni fiducia proponat. Nam cum omnia consilia libenter audiamus, tum maxime eorum quorum ut Reuerentiae V. et experientiam, et amorem in Societatem bene cognoscimus. De reliquo commendo me Reuerentiae V. precibus et sanctis sacrificijs, egoque illi uberem gratiam et omnem in Domino consolationem precor. Romae 5º Martij 1588.

2240. P. IOACHIM MÜLLER O. S. B., monasterii einsidlensis contionator, CANISIO. Eremo B. Mariae V. m. Maio 1588.

De hac epistula, quae iam non exstat, vide Canisii litteras Kalendis Iuniis 1588 ad Müllerum datas, infra, ep. 2241; per has enim Canisius ei respondit.

Ioachim Müller Einsidlae ordinem S. Benedicti ingressus, ex monasterio suo Dilingam in contubernium S. Hieronymi universitati coniunctum missus erat, ut a Societatis hominibus ad litteras et pietatem institueretur. Qui ibidem per annum rhetoricae, duos annos philosophiae, quatuor annos theologiae studuit. Sacerdotio initiatus est a. 1576. Vir erat insignis. Qui parochus factus est einsidlensis atque etiam libris componendis operam dabat (*Specht*, Matrikel 1042; *Odilo Ringholz* O. S. B., Schüler und Lehrer aus dem Benediktinerstifte Einsiedeln an auswärtigen Schulen, in „Studien und Mitteilungen zur Geschichte des Benediktiner-Ordens und seiner Zweige“, Bd. 33 [N. F. Bd. 2], Salzburg 1912, 501; *Gallus Morel* O. S. B. in „Der Geschichtsfreund“ XIII, Einsiedeln 1857, 168).

2241. CANISIUS **P. IOACHIMO MÜLLER O. S. B.,** monasterii einsidlensis contionatori. Friburgo Helvetiorum 1. Iunii 1588.

Ex apographo saeculo XVII., ut videtur, scripto (A), quod est in bibliotheca monasterii einsidlensis (Eremi B. Mariae V.), cod. Nr. 446, p. 155—159. Alterum apographum (B) idque aliquanto recentius (saeculi XVII. vel XVIII.) exstat ibidem in cod. Nr. 416, p. 53. Epistulam ex B typis exscribendam curavit *J. Kälin* in „Freiburger Geschichtsblätter“ 12. Jahrg., Freiburg 1905, 178—180. Eandem gallice versam posuit „P.P. C.C.“ [P. *Petrus Canisius Boret* O. Min. Conv.], Le Bienheureux Père Pierre Canisius et le Canton de Fribourg, s. l. 1865, 134—137. Epistulae partem gallice posuit *Michel* 398.

Praefatiuncula editoris: P. Christophorus Hartmann O. S. B., Frauenfeldae in Turgovia circa a. 1565 natus, a. 1583 in monasterium einsidlense ingressus († 1637), qui praeclaris monasterii sui annalibus editis de Helvetiae atque etiam de imperatorum historia optime meritus est, descriptionem quoque topographicam historicamque Helvetiae sive „Commentarium rerum Helveticarum“ composuit[1]; quod opus nondum, quod sciam, typis exscriptum est, in aliquot tamen codicibus manu scriptis reperitur (*Gabr. Meier* O. S. B. in „Allgemeine Deutsche Biographie“ X 681—682). In hoc opere epistulam, quae modo ponetur, exhibuit, sic de Canisio praefatus (p. 154—155): „Friburgum non solum, sed et Heluetiam vniuersam vitae sanctitudine, et excellentj sua doctrina mirifice illustrauit, ut pariter gentis primos fidej et Christianae Religionis Doctores, Patres, et Praesides, Diuosque Tutelares. Quos e situ et tenebris uindicatos in apertam lucem, Lucis quippe auctores, eamque clarissimam produxit, atque collocauit. Idque tanta cura et diligentia, uenerandoque affectu, ut adaeque nemo vnus, unquam, uspiam in sua gente. Testantur eadem cum opera ipsa, tum

[1] In Codicis 416 initio notatum est: Hartmannum scripsisse, ut ex operis libro I. (p. 42) pateat, mortuo Francisco Guilimanno; qui m. Octobri 1612 vita cessit.

priuatae scriptiones ad Amicos; Superest Epistola, quantiuis pretij ad quendam ex Nostris virum, consummatae eruditionis, et comptae facundiae, digna quae plurium subeat adspectum. Eam en hic exhibemus."

Liber de S. Beato. Historiae Sanctorum Helvetiae scribendae. Antiqua eorum monumenta conquirenda. Vita S. Fridolini. Haereticorum contentiones. Baptismi repudiatio.

Pax Christj nobis aeterna Reuerende Pater

Missum ad me Librum qui Capita de D. Beati Historia indicat, perlibenter accepi, aliaque plura huc spectantia videre cupio; Dignus est ille Heluetiorum Apostolus, qui multorum scriptis et linguis celebretur [1]. Testatur Typographus noster [2] Codicem de hac historia isthic acceptum non apud se, sed in manu Efformatoris Jmaginum apud Solothurnum reperirj, paruamque spem Nobis praebet, hoc exemplum recuperandj, atque recipiendj. Vellem et Ego Sanctorum historias, qui apud Heluetios vineam Dominj primum et maxime coluerunt, scriptas extare, ut eiusmodj Patronorum et Doctorum uestigia si non haereticis, at certe Catholicis notiora, et commendatiora essent.

Verum doleo, non suppetere nobis Veterum monumenta fide digna, in quibus desiderata historiae lux appareat, quod fortasse nostri Maiores sui temporis simplicitate contentj tenuiter, et parce admodum, quae ad vitae doctrinam [?] [a] et mortem Sanctorum spectant, attigerint. Ego in depingendo .D. Fridolino uersor [3], ut initium aliquod historiae iudicandum proponam Lectoribus, quos hoc tempore tam nasutos experimur, ut illorum expectationj difficile sit respondere. Vtinam vnum habeamus Antistitem [4], cui sit cordj ex varijs Monasterijs ea conquirere, quae de

a) *Sic A B; sed puto corrigendum esse:* vitam, doctrinam. *Ita correxit etiam Kälin.*

[1] Traditum est, Sanctum Beatum, a S. Petro Apostolo ad Helvetios missum, primum apud eos evangelii praeconem fuisse. Quem circa a. 112 apud lacum thunicum (Thuner See) vita functum esse ferunt. Eius sacrae reliquiae Lucernae in ecclesia S. Leodegarii coluntur. Dolendum est, nondum reperta esse antiqua litterarum monumenta, quibus certiora de rebus ab eo gestis cognosci possent. Copiose de eo disseruit *H. Moretus* S. J. in „Analectis Bollandianis" XXVI, Bruxellis 1907, 423—450. Probabile est, librum, quem Müller Canisio misit, fuisse *Danielis Agricolae* O. Fr. Min. opus „Almi confessoris et anachorete Beati, Helveciorum primi Evangelistae et Apostoli . . . vita iam pridem exarata" (Basileae 1511). Cf. *Moretus* l. c. 428—436. [2] Abraham Gemperlin.

[3] Ferunt, Sanctum Fridolinum, primum Alamanniae apostolum, ex nobili Hiberniae vel Scotiae meridionalis genere ortum, primum in patria verbum Dei dissemінasse, deinde Pictavii (Poitiers) corpus S. Hilarii repperisse et monasterium fundasse, postea variis locis, ut Argentorati et Curiae in Raethia, ecclesias S. Hilarii nomine Deo dicatas aedificasse, tandem coelesti monitu et Chlodovaei regis auctoritate in insulam illam Rheni, ubi postea Seconium sive Seckinga (Säckingen, nunc urbs badensis aedificata est, venisse, monasterium condidisse, apud Glaronenses (Glarus, nunc unus ex cantonibus Helvetiae), qui eum patronum sibi delegerunt, mortuo vitam restituisse, Seckingae (circa a. 511?) mortuum esse. Cf. *Analecta* Bollandiana XV 436—437; XVI 87.

[4] Hoc verbo hic significari non episcopum, ut fieri solet, sed virum hominibus religiosis praefectum (abbatem, praepositum, priorem), intellegitur cum ex verbis proximis, tum ex fine huius epistulae.

Sanctis et Patronis Heluetiae dicta, scripta, facta reperire licet; sic enim ex tenebris multa in lucem proferri, et silua quaedam rerum postea disponendarum constituj posset. Recte tu quidem ac merito deploras crudelem insaniam, et insanam crudelitatem Sectariorum, qui suis contentionibus potius, quam disputationibus hoc efficiunt, ut tantum non caeci cognoscant Babylonicae turris aedificatores[1], et Legatos eius Bestiae cui datum est os ad omnem blasphemiam contra Deum, et Tabernaculum eius, et Sanctos, qui in coelo habitant[2], profundendam. Vere iratus est Draco in mulierem, et pergit facere proelium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei, et habent testimonium IESU Christi[3], ut coelestis Aquilae uerbis vtamur[4]. O miseros et infelices, quibus satis non est Sacramenta Ecclesiae sex repudiasse[5], nisi septimum et vnicum illud paulatim quoque deserant, suosque, et aliorum liberos secum perdant[6]. Sed hostibus Ecclesiae mentem saniorem precemur, ne tandem ex Haereticis Athej plurimj efficiantur, et Sacra omnia ut iam fieri coeptum est, impie prophanentur. Dominus IESUS ualde afflictum Catholicismum nobis conseruet, et erigat, missis in vineam suam fidis operarijs, qui passim hodie desiderantur. Bene in Christo uale Pater, cum Obseruandissimo Antistite, et Domino Decano[7], alijsque Fratribus, quorum precibus Domino, eiusque Matri uelim esse commendatus. Friburgi Heluetiorum · Calendis Iunij · Anno 1588.

Ex Animo Tuus,

P. Canisius.

Reuerendo in Christo Patri Ioachimo Mullero, Ordinis D. Benedictj, et Concionatori in Coenobio Einsidlensj, tanquam Fratrj[a].

a) *Haec inscriptio in A B epistulae ipsi praeposita est.*

[1] Cf. Gn 11, 1—9. [2] Apc 13, 5 6. [3] Apc 12, 17.

[4] „Et apud Ezechielem prophetam [Ez 1, 5—10], et in Apocalypsi ipsius Ioannis [Apc 4, 6 7], cuius est hoc Evangelium, commemoratur animal quadruplex, habens quatuor personas: hominis, vituli, leonis, aquilae. Qui ante nos Scripturarum sanctarum mysteria tractaverunt, plerique in hoc animali, vel potius in his animalibus quatuor Evangelistas intellexerunt. . . . Restat aquila: ipse est Ioannes, sublimium praedicator, et lucis internae atque aeternae fixis oculis contemplator": *S. Augustinus,* In Ioannis Evangelium Tractatus XXXVI, n. 5 (*Migne,* P. lat. XXXV 1665—1666). Ars quoque christiana aquilam fecit symbolum S. Ioannis Evangelistae: cf. „Die kirchliche Kunst in Wort und Bild" von *K. Atz* u. *Steph. Beissel* S. J., 4. Aufl., Regensburg s. a., 5 320).

[5] Lutherus, Zwinglius, Calvinus verbis quidem duo admittebant sacramenta, reliquis quinque reiectis: Baptismum et Eucharistiam. Sed quia Eucharistia confici non potest nisi a sacerdote rite ordinato, et illi sacramentum ordinis reiciebant, revera eucharistiae quoque sacramento suos destituebant.

[6] Calviniani dicebant, baptismum parvulis non esse necessarium; his ad salutem consequendam sufficere fidem parentum (*Can.* V 295). Aperte necessitatem baptismi infitiati sunt Sociniani et Arminiani.

[7] Abbas erat Udalricus (III.) Witweyler, decanus Augustinus Hofmann (*Christoph. Hartmann* O. S. B., Annales Heremi Deiparae Matris, Friburgi Brisgoviae 1612, 471—473).

2242. CANISIUS **CLAUDIO AQUAVIVAE**, praeposito generali Societatis Iesu. Friburgo Helvetiorum 16. Iunii 1588.

Vide litteras Roma 21. Iulii 1588 datas, per quas Aquaviva Canisio respondit, infra, ep. 2244.

2243. P. IODOCUS ITAEUS S. J. CANISIO. Lucerna (?) aestate vel autumno a. 1588.

Ex apographo, de quo infra, in ep. 2248, dicetur.

Canisius Friburgo 23. Novembris 1588 Ioanni Iacobo a Staal archiscribae solodurensi scripsit: „Rescribo ad nostrum socium, et nunc in Rauracis Christi operarium, non frustra sudantem, nihilque mihi gratius fuerit, quam adiunctum fasciculum ad eundem recta perferri.“

Cum toparchia zwingensis (Zwingen) urbi Basileae finitima, quae oppidum Laufen et complures vicos complectebatur et episcopi basileensis imperio in civilibus quoque rebus subiecta erat, circa a. 1530 a fide catholica defecisset, Iacobus Christophorus Blarer episcopus princeps basileensis anno 1588 impetravit, ut ad eam ecclesiae restituendam P. Iodocus Itaeus collegii lucernensis Socius mitteretur; cui adiunctus est Caspar Ellinger frater laicus (*Annuae Litterae* Societatis Iesu anni M.D.LXXXVIII, Romae 1590, 152; *Agricola* I Dec. 5, n. 376—380; *Duhr*, Jes. I 222 476). In **Catalogo* collegii lucernensis sub autumnum anni 1587 scripto legitur: „P. Jodocus Itaeus, Lindenholtzhausensis, in ditione Treuirensi, annorum . 34. circiter, . . . in Societate an. 17. fuit . . . Gasparus Ellinger, Erdingensis Bauarus, annorum 35, uirium bonarum, fuit in Societate an. 11, fuit sacrista, hortulanus. Jngenio et capite debilis, fidus tamen et ad spiritualia affectus“ (G. Sup. 19, II f. 22[b] 24[a]).

2244. CLAUDIUS AQUAVIVA, praepositus generalis Societatis Iesu, CANISIO. Roma 21. Iulii 1588.

Ex commentario sic inscripto: „Friburgi P. Petro Canisio.“ (G. Sup. 2 f. 9[a]).
De operibus PP. Sa et Bellarmini in lucem emittendis.

Non est aliud quod respondeam Reuerentiae V. literis datis 16 Junij nisi de scriptis P. Emanuelis excudendis[a]; quod Reuerentiae V. consilium non potui non probare cum ego ipse iam dudum illum Patrem hortatus essem ut extremam ijs manum imponeret quo excudi possent, quod et[b] iterum recens eum hortati sumus. Quare cum ille ea absoluerit, in nobis quidem nulla erit mora, quoniam satis eius nobis doctrina, et eruditio[c], quam Reuerentia quoque V. suis literis commendat, semper cognita fuit, ut speremus quod ab eo exierit, profuturum[1].

Ceterum[d] P. Belarmini tertium uolumen de quo item[e] Reuerentia V. scribit, curabitur cum Dei gratia suo tempore, adhuc enim non potuit, et hoc ipso tempore in parte secundi uoluminis expedienda occupatus

a) *Sequuntur vv.* quod ego eo facilius, *oblitt.* b) *Sequitur* denuo, *oblitt.* c) *Sic in comm. correctum est ex* probitas. d) *Antecedit v.* De, *oblitt.* e) *Haec 2 vv. supra versum scripta sunt.*

[1] P. *Emmanuelis Sa* (Saa; de quo *Can.* II 97[2]) „Scholia in quatuor Evangelia“, a Canisio diu desiderata (*Can.* V 2; VI 489; VII 714) tandem in lucem prodierunt Antverpiae anno 1596, cuius paenultimo die Sa Aronae in Lombardia vita cessit. Anno deinde 1598 Antverpiae eius „Notationes in totam Scripturam sacram“ editae sunt. Eas antecesserant „Aphorismi Confessariorum ex Doctorum sententiis collecti“, primum Venetiis a. 1595 typis excusi. Qui libri postea quoque saepe editi sunt (*Sommervogel* VII 350—353).

est, quae ad summum hoc exeunte mense in Germaniam mittetur[a 1]. Gaudemus autem has eius lucubrationes gratas esse coepisse[b 2] et speramus non mediocriter utiles fore, cum Dominj gratia. Quare non[c] restat mihi aliud quod scribam nisi quod commendo me Reuerentiae V. precibus et sanctis sacrificijs et ei uicissim omnem gratiam exopto, et precor. Romae 21 Jul. 1588.

2245. CANISIUS **GERARDO KANISS**, fratri, urbis Noviomagi consuli.
Friburgo Helvetiorum 26. Iulii 1588.

Ex archetypo (2°: 1½ pp.; in p. 4 inscr. et particulae sigilli), quod Canisius sua manu subscripsit („Ewer" etc.). Epistulae partem posuit *H. J. Allard*, Leven van den gelukzaligen Petrus Canisius S. J. door Pater E. Seguin S. J., vermeerderd en verbeterd, Nijmegen [1897], 268—269. Epistula usi sunt *Riess* 501 et *H. J. Allard* S. J., Studiën, 30. Jaarg., 50. Deel, Utrecht 1898, 255—256.

Gerardum ceterosque propinquos laudat, quod in mediis aerumnis fidem catholicam constanter tenuerint. Eos confirmat et solatur. Senatui cordi esse debere, ut catholici tantum magistri magistraeque iuventutem doceant. Gerardo et Aegidiae sorori liberos fratrum mortuorum commendat.

Iesu Christi gnad vnd fried seij mit euch[3] vnd ewrem Hausgesind, ia allen guten Freunden vnd Mitburgern.

Hertzlieber Bruder Gerhard, ich kan nit underlassen euch etwas zuschreiben, dieweil Gottfried von Triest mein lieber Vetter[4] hie durch ziehet, mit hoffnung in sein Vatterland bald w[ide]r zukommen. Der ewig Gott gebe euch gnad vnd weissheit, das ihr ewerem obligendem ampt vnd Burgermeisterschafft zu seiner ehr, vnd der gantzen Stat Nimmegen zu wolfahrt seliglichen verrichten möget in diesen schweren ellenden vnd gefahrlichen läuffen. Wir haben wol zu betten vnd ihr

a) *Sic corr. est ex* scribit, iam prope confectum est, et ad summum hoc exeunte mense in Germaniam mittetur. b) *Sequitur* et eas, *oblitt.* c) *Sequitur* est, *oblitt.*

[1] „Disputationum *Roberti Bellarmini* Politiani, Societatis Iesu, de Controversiis Christianae Fidei, adversus huius temporis haereticos" Tomus primus Ingolstadii a. 1587 primum in lucem prodierat. Ibidem tomus II. 1588, III. 1593 primum editus est (*Sommervogel* I 1156—1157).

[2] *Bellarmini* „Institutiones linguae hebraicae", primum Romae a. 1578 editae, Coloniae a. 1580 rursus vulgatae sunt. Eiusdem „Iudicium de Libro, quem Lutherani vocant, Concordiae" primum a. 1585 Ingolstadii latine, dein a. 1586 Ingolstadii et latine et germanice editum est (*Sommervogel* 1151—1155).

[3] Cum m. Martio a. 1585 per quindecim Noviomagos catholicos, quorum unus ex gente Canisiorum erat, milites praesidiarii Adolphi comitis Nivenariae (Neuenaar) urbe pulsi essent et Noviomagus rursus in Philippi II. regis potestatem venisset, Gerardus Kaniss, Petri Canisii frater ex patre, Noviomagum rediit; ubi eodem anno senator, a. 1586 consul electus est. Annis 1587—1589 etiam scabinus, a. 1592 templi S. Stephani curator („kerkmeester") fuit (*Haraeus* l. c. [v. supra p. 163] III 375—376; *H. J. Allard* S. J., Canisiana, in „Studiën" 50. Deel, Utrecht 1898, 255[1]; *L. van Miert* S. J., Canisiana VII, in „Studiën" 74. Deel, Amsterdam 1910, 199; *F. van Hoeck* S. J., De Jezuïeten te Nijmegen, 's Hertogenbosch-Antwerpen 1921, 66[1]).

[4] Triestii mercatores vinarii et una ex urbis noviomagensis familiis senatoriis erant. Wendelina Canisii soror Godefrido a Triest († 1566) nupserat (*Can.* I 68[3]; V 184—185 663[3]).

zusorgen, damit das der gerechte Gott diese verdiente geissel vnd ietzige straffung dem gantzen Niderland gnediglich nachlasse vnd den lang gewünschten frieden auch in Gelderland einmal verleijhe. Darzwischen mögen wir vns wol von hertzen demütigen vnd erkennen die herbe zeit dieser ernstlichen heimsuchung[1], so vns billich von betrieglicher vppigkeit der Welt, vnd von bösen lüsten des fleisches, ia auch von allen sünden abwenden, vnd zu wahrer Christlicher Buss reitzen vnd bewegen soll. Jch dancke dem Himmelischen Vatter, das er euch samt den andern Freunden vnd Blutsverwandten bisshieher in der einigkeit vnd gehorsam der alten wahren Catholischen vnd Römischen Kirchen bewahret vnd noch erhelt, vnangesehen was für anfechtung, nachstellung, schaden vnd gefehrligkeiten ihr darumb einnehmet vnd vbersteet. Billich habt ihr euch lassen zu hertzen gehen das S. Paulus lehret: Alle die da nach Gott leben wöllen in Christo Jesu, werden verfolgung leiden[2]. Vnd wie Christus die ewige warheit bezeuget: Wer beharret biss ans end, der wird selig[3]. So bitt ich dann euch, vnd samptlich alle andere Freund vnd Bekannten, das sie von wegen des zeitlichen schadens vnd Kriegsläuffen sich nit so hart betrüben vnd kleinmütig werden, sonder vmb Gottes willen vnd von wegen der gerechtigkeit das Creutz, Vngewitter vnd alle vnbilligkeit gedultiglich leiden, auch in der Gottsforcht, als gehorsame Schäflein, vnder ihrem Catholischen Hirten bestendig bleiben, biss das der liebe Gott euch von diesen beschwerlichen zeiten erlediget vnd tröstet nach seinem lieben Göttlichen willen, dem wir vns in glück vnd vnglück gantz vnd gar underwerffen müssen. Eins wolt ich gern von euch lieber Bruder begeren, nemlich das ihr samt den andern Rathsherren von Nimmegen wol wachet vnd zusehet, damit kein Mann noch Fraw vrlaub habe die iugend zuunderweysen oder schul zuhalten, sie seijen dann dem wahren Catholischen glauben zugethan. Dann ich weiss, vnd die erfahrung gibts, wie vil vnd hoch daran gelegen seij, das die einfeltige zarte vnd vnschuldige iugend von anfang durch recht Catholische Meister vnd Meisterinnen vnderrichtet vnd gelehrnet werde. Von newen zeitungen vnd meinem thun habe ich wenig zumelden, dieweil vnser Vetter Gottfried von allen sachen wird dort genugsame anzeigung geben. Dieweil aber der liebe Gott mich, als den eltesten Bruder in diesem geschlecht bisshieher erhelt, vnd vnsere andere Brüder[4], wie ich vermine [?][a], nit mehr vorhanden sein, allein Doctor Theodorico vnd vnsere Schwester Jelis[b] ausgenommen[5], so erman vnd

a) *Sic; volebatne scribere:* vernime? b) *Sic habet archetypum, non* Elise, *quod posuit Séguin.*

[1] Cf. Lc 19, 44. [2] 2 Tim 3, 12. [3] Mt 10, 22; 24, 13.

[4] Otto et Gisbertus; v. supra p. 158. Otto a. 1586 in pago Huissen. Gisbertus a. 1585 Noviomagi mortuus erat (*L. van Miert* l. c. 199—201).

[5] P. Theodoricus Canisius tunc erat rector collegii ingolstadiensis (*Duhr,* Jes. I 64[3]). Noviomagi in pavimento templi S. Stephani adhuc exstat lapis litteris gothicis sic inscriptus: „Anno 1592 den 8. januarij sterf derijk van Riswick · Anno 1598 · den 20. augustj sterf Aegidia Kanis sin huisfraw.“ Cf. etiam *Can.* VI 660—661.

bitt ich euch trewlich, ihr wöllet an mein statt mit den verlassenen Kindern der andern gestorbenen Brüdern [1] das beste thun, vnd sie trewlich auf die Gottesforcht weijsen, auch ihnen mit rath vnd hülf beijstahn aus recht Christlicher liebe vnd Brüderlicher trewe, wie ich solches gentzlich euch vertrawe. Der allmechtig Gott bewahre vnd beschütze euch alle, vnd das gantze Vatterland: gebe auch ihnen nit allein den zeitlichen, sondern auch den ewigen segen durch Christum Jesum vnsern Seligmacher [2]. Datum Frijburg in Vchtland den 26. Julij im ihar des Herren 1588.

Ewer eltiste bruder

Petrus Canisius manu propria.

Dem weijsen, fürsichtigen Herren Gerhard Canis, Meinem geliebten Bruder vnd Burgermeister der Stat Nimmegen.

Notat *Allard* (Studiën 255), his Canisii litteris adiutum esse Guilielmum Lindanum episcopum ruraemundanum; qui hoc tempore ludimagistris calvinianis Noviomago (quae urbs tunc erat dioecesis ruraemundanae) pellendis operam dabat.

2246. IOANNES IACOBUS A STAAL, archigrammateus solodoranus, CANISIO. Soloduro circa initium m. Novembris 1588.

Vide Canisii litteras 23. Novembris 1588 ad Staalium datas, infra, ep. 2248. Per has enim ei Canisius respondit.

2247. CANISIUS **P. IODOCO ITAEO S. J.,** missionario.

Friburgo Helvetiorum sub d. 23. Novembris 1588.

Vide supra, ep. 2243.

2248. CANISIUS **IOANNI IACOBO A STAAL,** patricio et archiscribae solodorano [3]. Friburgo Helvetiorum 23. Novembris 1588.

Ex apographo (A) saeculo XVII. scripto et manu P. Petri Hugonis S. J. († 1657) sic inscripto: „Ad Nobilem Virum D. Joannem Jacobum a Staal Solodorensem"; quod est in Cod. monac. „Lat. 1606" f. 110 2º loco. Apographum (B) circa medium saeculum XIX. ex archetypo (?) scriptum exstat in „Can. 56." nº 5 f. 1ᵇ—2ᵃ.

P. Itaeus. Chronographia Genebrardi. S. Ursi vita scribenda. Laudes Solodorensium.

Pax Christi nobis aeterna. Nobil. et Magnifice Domine.

Ingentes et debeo et ago gratias, humanitati tuae, quod suis literis me salutare, et suauem veteris amoris memoriam mihi refricare di-

[1] Ottonis et Gisberti Canisiorum liberos recenset *J. Kleijntjens* S. J., Canisiana, in „Limburg's Jaarboek" XIV, Sittard 1908, 193—198. [2] Tit 3, 6.

[3] Ioannes Iacobus „vom Staal" sive „von Staal" (ita ipse scribebat), ex nobili familia solodorana ortus, primum a Cisterciensibus monasterii Sancti Urbani (prope Lucernam) eruditus, deinde Friburgi Brisgoviae a doctissimo illo Henrico Loriti Glareano litteris imbutus, in universitatibus quoque parisiensi, dolana, aurelianensi versatus, a. 1579 Solodori constitutus est archigrammateus („Stadtschreiber"). Anno 1589 ab Helvetiis cum duobus aliis ad Henricum III. Galliae regem legatus est. Anno 1594 militibus praesidiariis praefuit, quos Henricus IV. Lugduni collocaverat. Anno 1615 vita cessit. Erat is virorum clarorum, quos Solodorum tunc habebat, facile princeps, et in tota Helvetia multum poterat (*H. J. Leu*, Allgemeines Schweitzerisches Lexicon XVII, Zürich 1762, 443—445; *L. Glutz-Hartmann*, Der Solothurnische Feldschreiber Hans Jakob von Staal im Hugenottenkrieg 1567, Solothurn 1876, 3 8—9).

gnetur, rescribo ad nostrum socium, et nunc in Rauracis Christi operarium, non frustra sudantem[1], nihilque mihi gratius fuerit, quam adiunctum fasciculum ad eundem recta perferri. Parisijs vt hoc obiter addam Chronographia recens [prodiit][a] ab authore suo Gilberto Genebrardo recognita et locupletata[2], eum librum ad me peruenire cuperem vehementer, sed qua demum ratione id commode fieri possit, prudentiae tuae consilium expetere visum est.

Nec omittam de Patrono vestro D. Vrso, quem ex animo reuereor, illud subijcere, historiam huius memorabilis colendique Martyris ac Sociorum plane dignam videri, quae literis mandata, vestro studio in lucem edatur[3], eoque magis per totum orbem apud Catholicos celebretur: nec dubito, id operis ad singularem Reip. vestrae ac vtriusque ordinis[4] laudem valiturum. Christus JESVS[b] Opt: Max: familiam vestram noui anni, quem nonnulli ab Adventu Domini ordiuntur, felicibus auspicijs exhilaret, ac simul antiquissimam vrbem vestram, quae tam constanter Catholicam fidem propugnat, diuinis muneribus magis ac magis exornet.

D. Vicarius[5] ac nostri omnes dignitatem tuam reuerenter salutant in Christo Jesu Domino nostro[6]. Friburgi Heluet: mensis Nouembris die 23. qui D. Clementi sacer est Anno Christi M.D.LXXXVIII.

Seruus in Christo

Petrus Canisius[c].

Nobili viro Ioanni Iacobo de Staal Patricio et Archiscribae Solodorensi, amico singulari.

2249. CANISIUS **SEBASTIANO VERRONIO**, urbis friburgensis parocho et canonico capituli S. Nicolai.

Friburgo Helvetiorum circa a. 1588.

Ex commentario (2°; 4 pp.) manu P. *Sigismundi Ilsung* S. J. scripto et ipsius *Canisii* manu recognito et emendato. Can. 56 (Ser. X, Fasc. Va, n. 8). Litteras *Pachtler*, Ratio Studiorum II 514—521, edidit ex eodem commentario, quod ab ipso minus recte „Urschrift" vocatur. Ex iisdem aliqua germanice posuit *Riess* 485—486.

Praefatio editoris: *Ilsung* huic commentario haec inscripsit: „De ratione studiorum Theologicorum quaedam notationes", et P. *Petrus Hugo* S. J. subscripsit: „R. P. Canisij". In eadem prima pagina P. *Claudius Sudanus* S. J. (ex reipublicae friburgensis pago quodam circa a. 1578 ortus, Friburgi a. 1655 mortuus, qui a. 1623—1629 col-

a) *Hoc v. suppleri ex B.* b) *B. perperam:* Deus. c) *B. haud recte:* Canissius. *Inscriptio sequens posita est ex B.; in A. enim deest.*

[1] P. Iodocum Itaeum; v. supra p. 265.

[2] Gilberti Genebrardi O. S. B. arverni (1537—1597), theologi sorbonnensis et archiepiscopi aquensis (Aix), litterarum sanctarum et linguarum orientalium peritissimi, opus praecipuum sunt „Chronographiae libri IV". Parisiis 1580—1585 et alibi editi, quibus historia ab initio usque ad Gregorii XIII. tempora perducitur.

[3] Traditum est, SS. Ursum et Victorem cum 66 aliis „legionis thebaicae" militibus circa a. 286 Solodori Maximiniani Herculii caesaris iussu propter christianae fidei professionem necatos et prope urbem a christianis sepultos esse. Super quorum reliquiis deinde basilica aedificata est. Loculus, in quo S. Ursi corpus conditum erat, a. 1519 repertus est. [4] Ecclesiastici et civilis.

[5] Petrus Schnewly, vicarius generalis episcopi lausannensis.

[6] Cf. supra p. 248[5].

legii friburgensis rector fuit (*Duhr*, Jes. II, 1, 292[1]), haec notavit: „Coniectura mea est hoc scriptum factum fuisse pro Reuerendo D. Sebastiano Verronio ab ipso Reuerendo D. Petro Canisio, cui dominus ille valde addictus erat." Haec „coniectura" iustissima est, immo ad certitudinem pertingit. Certe litteras hasce Friburgi a Canisio compositas esse intellegitur ex emendationibus et additionibus Canisii manu factis in hoc commentario scripto manu P. Sigismundi Ilsung, qui Canisium Friburgi saepissime in scribendo adiuvabat (v. infra, monum. 1528). Ille autem, cui Canisius scribebat, erat, ut ex ipsis litteris patet, „reipublicae friburgensis parochus" isque contionandi onere liber, quia ecclesia illa suum proprium habebat contionatorem; simul ille erat canonicus, Canisio „amicissimus", eum magni faciebat eoque familiariter utebatur; litterarum studia amabat; „scripturiendi" cupidus et indolis erat „vehementioris" et „imperiosioris". Haec omnia in Sebastianum Verronium optime conveniunt, et in alium simul convenire vix possunt. Erat is Friburgi parochus ecclesiae S. Nicolai simulque capituli eiusdem canonicus. Quam familiariter Canisio usus sit quantique eum aestimaverit, ex commentario patet, quem paullo post Canisii mortem de rebus ab eo gestis concinnavit (v. infra, monum. 1621). Quo maiores in scientia theologica progressus faceret, a. 1590 Romam profectus est (v. infra, ep. 2280). Libros sat multos scripsit. Inerat in eo ardens fidei vindicandae studium et vehemens iniquitatis odium (cf. *Berthier*, Bonh. LXV—LXVI). Litterae hae circa a. 1588 scriptae esse videntur; nam Verronius a. 1589 (inter m. Augustum et Decembrem) ex canonico capituli S. Nicolai decanus eiusdem capituli evasit (v. infra, ep. 2255), et Ilsung, si non a. 1587, certe haud multo ante advenit Friburgum.

Quomodo theologiae studia instituere debeat. Horum gravitas. Praestare, ut, relictis scholasticis medii aevi theologis, illis operam det, qui controversias saeculi XVI. tractarunt. Quinam maxime consulendi. Quomodo Scripturam et Patres legere debeat. Casus conscientiae. Abstinendum ei esse a contionando et scribendo, et indolem domandam esse.

Rogat non uulgaris amicus, et a me responderi postulat, quam studiorum rationem ipse Theologiae Studiosus atque cultor amplecti sectarique debeat. Cuius quidem uotis satisfacere tanto mihi difficilius fore uidetur, quanto minus perspectum habeo rogantis ipsius animum, scopum, ingenium atque morem in studijs quotidianis. Sunt enim uarij planeque dissimiles, qui sacris in literis hodie philosophantur: quidam mediocrem solum, alij excellentem Theologiae cognitionem sibi comparare conantur. Plerique studiosi parum expendunt, hanc omnium artium arcem ac[a] Reginam existere, et quam imbecillos ipsi adferant humeros, ut ingentia quibus multi succumbunt, Theologiae pondera, ut sic dicam, sustinere possint. Pondus est, Biblicis literis, seu Theologiae, ut uocant, positiuae iustam operam dare, et in hunc usum linguarum cognitione pollere. Pondus est, scholasticis Doctoribus atque libris, in quibus Theologia uel maxime florere solet, se totum mancipare. Pondus est, in conscientiae casibus, quos uocant, et in practica Theologia diu seduleque uersari, ut Sacramentum confessionis rite administretur. Pondus est, concionandi muneri, ex quo tam multa pendent, satisfacere, ut cum fructu audientium Dei uerbum disseminetur. Pondus est, in Theologia mystica, uti uocant quiete domi uacare, ut optimam cum Magdalena partem eligas[1], ac diuine philosopheris. Pondus est denique,

a) *Hoc r. supra versum scriptum est.*

[1] Lc 10, 42.

ueterum Theologorum scripta sic euoluere, ut genuinum diuinae scripturae sensum ex illis eruas, ac Patrum sententias inter se conferas, sciteque nostris accommodes temporibus tum ad nouas haereses profligandas, tum ad Catholicae fidei dogmata propugnanda, tum ad solida uerae pietatis officia in nobis ac alijs promouenda. Tam longe lateque patent sacra Theologiae pomeria, quae campos amplissimos exhibent studiosis, si quibus libeat ac liceat in illis omnibus expatiari.

Quod cum ita sit, non satis assequor, quo pacto possim, etiamsi uellem, futuro Theologo certam studendi rationem indicare atque praescribere, ac talem potissimum, qualis a certo amico desideratur. Eius enim ingenium ac natura, uti conijcio, non parum differt a plerisque alijs, qui se Theologiae studijs ex professo consecrant, et in his penitus conquiescunt. Hic uero praeterquam quod curam domesticam sustinet, etiam horarias habet recitare preces, quotidie Canticis ac Ceremonijs Ecclesiasticis cogitur interesse, neque solum sacerdotale, sed etiam pastorale munus apud sanos et aegrotos debet administrare. Haeccine multa et grauia sunt impedimenta, quae a sacris studijs auocent animum, et studiosum in medio cursu retardent, optatumque fructum intercipiant?

Quid uero si et uagus accedet animus, qui in uno eodemque studiorum genere non consistat, et nescio quam libidinem in studijs ipsis consectetur, ut nisi delectet proposita lectio, obrepente fastidio se uinci facile patiatur? Igitur hic quoque fieri solet, quod in alio argumento uetus Poëta dixit: Video meliora proboque, Deteriora sequor[1]. Fortasse uereri quoque possum, ne qui hoc meum iudicium expetit, uolucrem pennis exiguis praeditam referat, et in altum tamen uolare, et quasi Aquilam praestare confidat. Vt enim ingenue dicam quod sentio, ac nihil coelem amicissimum uirum, magnos in scholastica Theologia progressus frustra meditatur, qui nunquam in ea praeceptores docentes audiuit, et firma non iecit philosophiae fundamenta, quae apud Germanos quidem modice praueque traduntur, et qui in disputandi palestra sese, uti decebat, minus exercuit[2]. Huic igitur nec author, nec admonitor esse uelim, ut in Scholasticis Theologis euoluendis multum operae ponat, nisi bonas horas male uelit perdere. Jllud potius ego suaserim, ut graui, spinoso et intricato illo Theologiae studio, ad quod omnes idonei non sunt, praetermisso, ad alia sacra se transferat suo captui ac ingenio congruentiora, et ex quibus uberior fructus probabiliter colligi possit. Quamobrem qui pastorali munere grauatus, et in Scholasticis rebus ac terminis male uersatus est, recte quidem fecerit, si recentiores Theologos sibi praeceptores accersiuerit, et faciliorem methodum ab illis traditam sibi reddiderit familiarem. Loquor de commentarijs uel

[1] *P. Ovidius Naso,* Metamorphoses l. 7, v. 20—21.

[2] Verronius a. 1574 Friburgi Brisgoviae magister artium factus, a. 1577 Vesontione sacerdotio initiatus erat (*Werro* 1—3). In universitate friburgensi eo tempore litterarum studia parum florebant; cf. *Can.* VII 344[4].

dictatis uel editis nostro seculo, praesertim a Professoribus Parisiensibus, Louaniensibus et Hispanis, ut quatuor Sententiarum libros [1], uel D. Thomae Summam [2] rudioribus explicent.

Quanquam hic etiam Sapienti praeteritione sive praescisione [?] [a] utendum putarim, ut alijs acutioribus et ociosioribus hominibus eam Theologiae partem relinquant, quae ad sacrosanctae Trinitatis sublime mysterium, et ad naturam Angelicam primamque rerum creationem pertinet. His enim et similibus abstrusis arcanisque argumentis, in quibus Theologi Scholastici lectorem diu remorantur, alia uti faciliora, sic etiam nostris temporibus conuenientiora, magisque Parocho necessaria, rite substituentur. Vbi eos ego scriptores intelligo, qui de quaestionibus fidei hoc ferreo seculo controuersis ex professo tractant, et cum haereticis aperto Marte conflictantur, quemadmodum Roffensis [3], Pigkius [4], Alphonsi Hispani duo [5], Ruardus [6], Lindanus [7], Sanctes [8], Hosius [9], atque id genus alij Catholicae fidei strenui propugnatores. His adiungendos puto, qui Sacramenta Ecclesiae uindicant, uel alia fidei nostrae dogmata contra haereticos tuentur, in quibus quotidie

a) *Sic; volebatne Can. scribere* praecisione?

[1] Petri Lombardi. [2] Summam theologicam.

[3] Beatus Ioannes Fisher episcopus roffensis (Rochester), cardinalis, martyr († 1535); de quo v. *Can.* VI 332. Scripsit is, praeter alia, „Lutheranae assertionis confutationem" (1523), „Contra captivitatem Babylonicam Lutheri" (1525), „Sacri Sacerdotii defensionem contra Lutherum" (1525), „De veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia" adversas Oecolampadium (1527).

[4] Albertus Pigghe sive Pighius († 1542) belga, praepositus ultraiectensis, scripsit (praeter alia) „Hierarchiae ecclesiasticae assertionem" adversus Henricum VIII. Angliae regem (1538), „De libero hominis arbitrio et divina gratia" adversus Calvinum (1542), „Explicationem praecipuarum controversiarum" (1542). In nonnullis doctrinae capitibus „opiniones enuntiat, quae dissonant a communi theologorum doctrina", ait *Hurter*, Nomencl. III[3] 1442—1444.

[5] Horum unus est certe Alphonsus de Castro O. Min. Obs. († 1558), theologus concilii tridentini, Caroli V. et Philippi II. consiliarius, contionator ac scriptor clarissimus, cuius „Adversus omnes haereses libri 14" saepe editi sunt. Alterum puto esse Alphonsum de Virues O. S. B., qui, praeter alia, scripsit „Philippicas disputationes" XX adversus Lutherana dogmata per Philippum Melanchthonem defensa; quae Antverpiae a. 1541, Coloniae 1542 et 1561 editae sunt (*Nic. Antonius*, Bibl. hisp. nova I 55).

[6] Ruardi Tapper († 1559), theologi concilii tridentini, universitatis lovaniensis professoris theologiae et cancellarii, „Opera omnia" Coloniae a. 1582 edita erant. Horum praecipuum sunt „Explicationes in articulos circa ecclesiastica dogmata hoc saeculo controversa" (Lovanii 1555).

[7] De Guilielmo Damasi Lindano († 1588) dordracensi, theologiae professore dilingano, deinde episcopo ruraemundensi et gandavensi, v. *Can.* II 71[3]. Qui edidit „De optimo genere interpretandi Scripturam" (1558), „Panoplia Evangelica" (1561), alia.

[8] Claudius de Sainctes sive Sanctesius vel Sanctius († 1591), Can. reg. O. S. Aug., theologus concilii tridentini, professor Sorbonnae, episcopus ebroicensis (Evreux), scripsit, praeter alia, „Examen doctrinae calvinianae et bezanae de coena Domini" (1566) et „De rebus eucharistiae controversis repetitiones" (1575).

[9] Notissimi illius cardinalis Stanislai Hosii († 1579) „Opera omnia" compluries, velut Parisiis 1562, Lugduni 1564, Antverpiae 1571, Coloniae 1584, edita sunt.

aliquid legere profuerit, ut eorum etiam quae iam ante nouimus, memoria nobis refricetur atque stabiliatur.

Caeterum quod ad Biblicos libros attinet, dubito equidem, an expediat, praesertim sacerdotalibus ac pastoralibus officijs occupato, ut in illis perlegendis, et ad primarias linguas tanquam fontes reuocandis, atque inter se conferendis, diu et accurate uersetur. Ego satis fore putarim, sacros ueteris nouique testamenti libros ita legere ut argumenta illorum et capita praecipua cognoscantur. Jd uero fiet, si unus atque alter interpres, quemadmodum Dionysius Carthusianus aut Lyranus[1] adhibeatur. Nam Glosa quae dicitur ordinaria[2], non pauca inmiscet, quae sine ullo dispendio transiliri possint, et quae in scholis professuro uel disputaturo magis quam priuato Lectori congruunt. Sunt interim generalia quaedam de Scripturis scitu digna; quae a Doctore Turnout[3] cum tractat de Ecclesiasticis dogmatibus, et ex Bibliotheca sancta[4] utiliter haurientur. Praestat etiam noui quam ueteris testamenti libros excutere, magnamque obseruationem habere Apostolici spiritus, ut non cognoscamus modo, sed etiam ad omne opus bonum instructiores[5] et alacriores indies efficiamur.

Jam uero quod ad Patres, ad[a] [?] Doctores ueteres attinet, sedulam eorum lectionem probo et commendo his, qui non tam intellectum illustrare, quam affectum ad priscam illam sanctamque pietatem in se uel alijs excitandam atque augendam inflammare contendunt, quemadmodum diuini uerbi concionatoribus maxime competit. Nam et Patrum esse proprium solet, copiose laudare uirtutes, et a uitijs abducere Christianos. Cauendum interim, ne tanto Patrum amore capiamur, ut recentiores alios Theologos negligamus, qui tametsi sermone ac eloquentia minus ualeant, tamen clariorem et euidentiorem[b] lucem ostendunt in his, quae ad certa firmaque fidei dogmata cognoscenda et stabilienda spectant. Adeo magni interest, ut quae[c] Spiritus sanctus in posterioribus Concilijs atque Doctoribus luculentius definiuit, bonus Theologus inprimis obseruet. Legantur Patres frequenter ab his, quibus satis otij superest, ut pie grauiterque loquentes illos audiant, ac uelut diuini Spiritus organa, et lumina Ecclesiae splendentia reuereantur[d]. Neque

a) *Sic etiam Pachtl. Corrigendumne* ac? b) *Sic Can. sua manu correxit ex* tamen maiorem. c) *Duo vv. sqq. ab Hs. in margine addita sunt.* d) *Quae sequuntur, usque ad* non leues *incl., a C. in margine addita sunt.*

[1] Dionysii Rickel (van Leeuwen) sive Carthusiani († 1471) libri satis noti sunt. Nicolai de Lyra († 1340) O. Min., theologiae professoris parisiensis, „Postillae perpetuae" et „Moralitates" in sacram Scripturam Romae a. 1571 typis exscriptae erant.

[2] Commentarius in sacram Scripturam ex Sanctorum Patrum operibus haustus a Walafrido Strabo († 849) O. S. B. abbate Augiae divitis (Reichenau).

[3] Martinus a Turnhout sive Van der Keele († 1540) O. Min., brabantus, professor lovaniensis, scripsit commentarium in libros IV Sententiarum et alia (*Franc. Sweertius,* Athenae Belgicae, Antverpiae 1628, 553; *H. Sbaralea* O. Min. Conv., Supplementum ad Scriptores Ordinis Minorum, Romae 1806, 524).

[4] Opus praeclarum Sixti Senensis († 1569) O. Pr., Venetiis a. 1566 et alias compluries editum. [5] 2 Tim 3, 17.

parum interest, quos ueteres nobis legendos proponamus. Habet proprios Doctores Ecclesia tum Graeca tum Latina: cum his neutiquam comparandi sunt Tertullianus, Origines, Arnobius, Lactantius: in quorum libris errores non leues deprehendimus. Nos de certa studiorum ratione, quae sacerdoti, Canonico et Parocho domi ac foris non parum impedito quadrat, disserimus, et studia magis necessaria commendare nitimur. Quaenam sint illa rogas? nimirum ut mediocri tum Bibliorum, tum Patrum lectione atque cognitione instructus, non solum apud orthodoxos, sed etiam coram haereticis, si sit opus, Catholicae fidei rationem noris reddere. Ad quam rem Alphonsus de Castro, Hosius et Lindanus praeclaris operibus contra Haereticos editis[a] mirifice conferent.

Neque minus opus fore uidetur, ut munus pastoralis officij sustinens[b] saepe multumque legat[c] de casibus, ut uocant, conscientiae[d] quos Nauarrus magna cum laude pertractauit[1], quoniam uere dictum est a Gregorio Magno, Ars artium et scientia scientiarum cura animarum[2]. Illorum sane praeposterum est studium, qui acuta, sublimia et mirifica quaedam in sacris peruestigant, et nescio circa quos coeli cardines laboriose[e] uersantur, parum interim solliciti de ijs, quae ad pastorale onus atque iudicium[f] uel maxime pertinent, nimirum ut concreditarum sibi ouium conscientias probe intelligere[g], et peccata discernere morbosque animorum exitiales curare, et non solum in uia fidei, sed etiam in omni iustitia populum[h] exercitare et promouere possint. Quam multa Deus bone, de usuris et restitutionibus, Ecclesiasticisque censuris notanda et inculcanda sunt confitentibus[i], quae modo uix leuiter attinguntur. Fatendum est prorsus, simulque deplorandum, paucos bene doctos et peritos animarum iudices medicosque spirituales, complures uero c a e c o s c a e c o r u m d u c e s[3] reperiri, qui inter lepram et lepram rite discernere[4], debitamque suarum ouium curam gerere nesciant. Praetereo illarum quoque rerum cognitionem ac praxim, de quibus Parochi et Confessarij partim ex iure Canonico, partim ex Concilio Tridentino cumprimis instructi et solliciti esse debent, suo ut munere probe fungantur.

Porro quod ad concionandi munus publice obeundum attinet, tanto minus in illo temporis ac studij collocandum iudico, quanto rarius ac-

a) *Sic C. corr. ex* Castro, si quis alius, praeclaro opere suo contra haereticos edito. b) *Sic C. corr. ex* ut pastoralis officij rationem singularem habeas, atque idcirco. c) *Sic in archet. correctum est ex* legas. d) *Sex vv. sqq. a C. in margine addita sunt.* e) *Hoc v. ab Hs. supra versum scriptum est.* f) *Sic C. corr. ex* pastorale munus. g) *Sic C. corr. ex* iudicare. h) *Duo vv. sqq a C. supra versum scripta sunt.* i) *Sic C. corr. ex* populo.

[1] Significatur Martini de Azpilcueta sive Navarri, professoris tolosani, salmanticensis, conimbricensis, viri aeque docti ac sancti, a. 1586 Romae mortui. „Manuale sive Enchiridion confessariorum et poenitentium".

[2] „Nulla ars doceri praesumitur, nisi intenta prius meditatione discatur. Ab imperitis ergo pastorale magisterium qua temeritate suscipitur, quando ars est artium regimen animarum": *S. Gregorius Magnus*, Regula Pastoralis P. 1, c. 1 (*Migne*, P. lat. LXXVII 14). [3] Mt 15, 14; cf. Mt 23, 16 24; Lc 6, 39.

[4] Cf. Dt 17, 8–11.

cidit, ut hoc quidem loco Parochus per se uerbum Dei praedicet, eo quod pastoralis cathedra ordinarium Ecclesiasten sibi habeat destinatum. Moneo interim ac rogo amanter, ut non inuitus a concionandi labore supersedeat, quem tam pauci auditores probant, multi uero ferre non possunt; et qui prudentum[a] testimonio exiguam a Deo accepit gratiam ad graue hoc munus[b] sustinendum[c] se non ingerat. Cur enim in fraternum sinum non effundam libere, quod multorum affirmatione et experimento confirmatum habeo, non hic meum et tuum requirens, sed quod cum honore fratris et ratione utilitatis ac aedificationis publicae coniunctum esse cerno? Accedit et natura Stoica, quae sese nimium[d] in multis prodit, neque solum orationem, sed et conuersationem praesentibus insuauem et ingratam odiosamque reddit, maxime quum turbulenti mentis affectus, et indignationis motus in oculos et aures aliorum incurrunt. Ac nisi uehementiori naturae nobis congenitae uim quandam inferamus, et quasi rebellantem Agar sapientioris dominae Sarae imperio subijciamus[1], admodum uereor, ne hoc supercilium, et nescio quae, ut sic loquar, imperiositas sicut nobis, sic alijs etiam magis ac magis officiat, nostramque apud multos imminuat authoritatem, sed et magnam ansam praebeat, ne unquam ad altiorem dignitatis gradum in Ecclesia prouehamur[2]. Cogit enim inuerecundus amor id uitij prodere, quod mecum sapientes deplorant, et plerique non sine stomacho et risu insectantur. Ego sane in his alijsque omnibus fidum amicum coram Deo et hominibus irreprehensibilem, ac moderatioris ingenij esse percupio.

Postremo si de libris nouis conscribendis ac edendis meum iudicium addendum est, iam pridem animaduerti, aliquam in amico scripturiendi cupiditatem inesse, multumque temporis absumere, et uarias nec modicas creare curas. Sed utinam bonae uoluntati par facultas responderet hoc iniquo uereque nasuto saeculo, quo uicturus genium debet habere liber, maxime qui post tam longam expectationem ab huius Reip. Parocho conscriptus praestet plus quam mediocria. Quod si mea res ageretur, in mentem inprimis reuocarem illud: Tecum habita, ut noris quam sit tibi curta supellex[3]. Scribendi desiderium suspectum haberem, quum tam pauci ad scribendum hortentur, imo plerique dissuadeant cum haereticis in arenam descendere. Cogitarem, necessariam in scribendo exercitationem, et peritiam deesse, nec omnibus suppetere illam quae merito desideratur, inuentionem, dispositionem, elocutionem siue stylum atque phrasim, uariamque supellectilem, quam curiosi ac delicati modo Lectores requirere solent. Deinde illis me molestijs li-

a) *Sic Hs. corr. ex* multorum. b) *Sequuntur vv.* cum laude et fructu, *oblitterata.* c) *Tria vv. sqq. a C. in margine addita sunt.* d) *Duo vv. sqq. a C. in margine addita sunt.*

---

[1] Cf. Gn 16, 4—9.

[2] Verronius hoc tempore, ut ex his litteris intellegitur, et urbis friburgensis parochus, et capituli S. Nicolai canonicus erat. Medio autem a. 1589 de eo eiusdem capituli decano constituendo agebatur; v. infra, ep. 2255.

[3] *A. Persii Flacci* Satirarum liber, Sat. 4, v. 52.

berarem, quae scripturo subeundae sunt, cum censores adhibentur, cum alendus est amanuensis, cum typographo seruiendum, cum iudicium populi expectandum. Haereticos uero tanquam oblatrantes canes aspernarer, neque ob incertum fructum nouumque odium abstrahi me paterer a serijs sacrisque studijs[a] quae non parum temporis exigunt, et a uera[b] mentis tranquillitate[1]. Quocirca etiam atque etiam cogitandum puto, an Deo placeat et nobis expediat nouam de hac librorum scriptione curam suscipere, et hoc ingens promouere saxum, melioribus interim sepositis occupationibus, relictisque magis salutaribus studijs, quae cum pastorali[c] uocatione coniuncta, totum hominem sibi uendicant. Haec qualia qualia sunt, quoniam a syncero et amanti pectore proficiscuntur, in bonam quaeso partem accipiantur. Deum ac ueritatem diligentibus in bonum cooperantur omnia[2].

Hae litterae, nisi fallor, Verronio ansam aliquam praebuerunt abdicandi se officio parochiali et circa m. Septembrem a. 1590 Romam abeundi ad studia theologica prosequenda (*Werro* l. c. 19—20). Alteram huius facti causam *Berthier* indicat his verbis: „Il ne tarda pas à s'attirer des récriminations nombreuses, surtout chez la noblesse, parce qu'il comprit et déclara hautement qu'on favorisait la cause de l'hérésie par l'envoi de soldats et d'argent aux Huguenots français, par l'acceptation des pensions nombreuses que tant de familles fribourgeoises percevaient des rois de France. Il devinait que cette politique, dirigée indirectement contre les Ducs de Savoie, favorisait des entreprises et des idées qu'il combattait" (Bonh. LXV—LXVI).

2250. IOANNES IACOBUS A STAAL archiscriba soloduranus CANISIO.

Soloduro circa exitum a. 1588.

Staal circa exitum anni 1588 (m. Decembri, ut videtur) duas ad Canisium dedit epistulas. Quae non iam exstare videntur. Vide Canisii litteras 6. Ianuarii 1589 datas, per quas hic Staalio respondit.

2251. CANISIUS **MARIAE IACOBAE A SULZBACH,** imperialis virginum nobilium collegii seckingani abatissae et principi.

Friburgo Helvetiorum m. Ianuario a. 1589.

Ex libro „Warhaffte Histori von dem berümbten Abbt S. Fridelino . . . Durch *Petrum Canisium*", Freyburg in Vchtland 1589, f. aij[a]—[iiij][b]. De quo plura infra, monum. 1475.

Praefatiuncula editoris: Seckingae (Saeckingen, Seckingen, nunc urbs badensis) collegium institutum erat pro 4 canonicis et 6 canonissis nobilibus, quae regulam S. Augustini sequi debebant sub abbatissa principis dignitatem habente. At a. 1550 in visitatione episcopali cognitum est, duos tantum adesse canonicos eosque concubinas habere. Ex canonissis sola supererat Magdalena von Husen eaque officio remota et excommunicata. Res quoque familiaris collegii perturbata erat (*Aug. Kluckhohn* in „Zeitschrift für Kirchengeschichte" XVI, Gotha 1896, 609—612). His malis remedium attulit Maria Iacoba a Sulzbach. Quae aetatis anno 10. collegium seckinganum ingressa, anno 34. abbatissa constituta, anno 63. vita functa est, cum ab a. 1571 ad 1600 collegium rexisset. *Mauritius Hohenbaum Van der Meer O. S. B.* testatur, in monumentis archivi seckingani de ea affirmari: „Fuit insignis Domina, immo Virago, hat

a) *Septem vv. sqq. a C. in margine addita sunt.* b) *Antecedit et, oblitt.* c) *Sic Hs. corr. ex* mea.

[1] Verronius iam a. 1585 libro „Fragstück" edito protestantium in se odium converterat et pugnam litterariam facessiverat; v. infra, monum. 1397.

[2] Rom 8, 28.

auch sehr wohl haußgehalten" (* Cod. „Geschichte des Stiffts Seckingen" 1790, f. 372b. Carolsruhae in archivo generali [Generallandesarchiv] Nr. 493). Mariae Jacobae invitatu Socii collegii lucernensis Seckingae ministerio sacro functi sunt (*B. Fleischlin*, Aus den Annalen des Gymnasiums zu Luzern, in „Monat-Rosen" 26. Jahrg., Luzern 1882, 257): Ipsa quattuor canonissas in collegium admisit et eius aedificia magnopere amplificavit (*Mülinen*, Helvetia sacra II 155—162).

Dedicat ei vitam S. Fridolini ipsius aliorumque rogatu a se conscriptam. Quibus fontibus usus sit. Cur multos Scripturae locos libro intexuerit. Mariam Jacobam laudat.

Der Hochwûrdigen Fûrstin vnnd Frawen, Frawen Maria Jacobe, des berûmbtem Stiffts S. Fridlins zu Seckingen Abtissin, meiner gnedigen Frawen etc. Wûnsche ich Petrus Canisius von dem Himlischen Vatter gnad, fried vnnd heil in Christo JESV vnserm Herrn vnd Seligmacher.

MEines erachtens, Hochwûrdige[a] gnedige Fraw, wirdt kein Biderman laugnen, der hochberûmbt heilig Abbt *FRIDOLINVS*, dessen Histori wir hie beschreiben, sey auch einer, vnd nicht der geringste auss den ersten Arbeitern vnd getrewen Predigern des heiligen Euangelij, so der Herr der Ernde[1] in die löbliche Landtschafft des Schweizerlands, aus sonderlichen gnaden abgefertiget vnd gesendet hat[2]. Jst auch kein zweifel, das wir von solchen gesandten vnd Legaten Gottes mit der gantzen Catholischen Kirchen vns noch heutiges tags, billich erfrewen vnd offentlich singen: Dilectus Deo et hominibus, cuius memoria in benedictione est: similem illum fecit Deus in gloria Sanctorum: Das ist, Dieser Mann ist von Gott vnd den Menschen geliebet: seine gedechtnus stehet in hohem lob: Gott der Herr hat jhn mit seinen Heiligen in der herrligkeit gleich gemachet[3]. Bin darumb guter hoffnung, es werde niemand, so der vernunfft vnd billigkeit nach vrtheilet, mir verargen, das ich, als ein Jnnwohner zu dieser zeit des Schweitzerlands, mich vnderstanden hab, ein solche Histori von diesem ausserwelten ansehenlichen freund Gottes fûr die hand zunemen vnd zubeschreiben. Dann solches geschehen ist nit auss eigner vermessenheit, sonder auff anhalten vnnd bitt frommer ansehenlicher Personen, vnd nit weniger zu dienst, trost vnd wolfahrt vieler frommen Christen, welche nun lange zeit her begieriglich warten, das S. Fridolini geschichten vnd thaten, so sonst vielen Menschen verborgen vnd vnbekannt sein, jhm zur gedechtnus, vnd nit weniger Gott dem allmechtigen zu lob, als dem gemeinen Mann zu nutz, einmal an tag kämen. Zu solchem werck dann von nôten gewesen, das ich allerley alte Schrifften vnd Bûcher zusamen brechte, vnnd darinnen so viel mûglich, mich aller sachen fleissig erkûndigte, ehe das die gantze Histori ein Corpus wûrde, vnd das gantze leben seine ordenliche ausfûhrung hette. Vnder andern aber hab ich in solcher erforschung vnd

a) *Sic correxi ex* Hochdige, *quod positum est a typographo.*

[1] Mt 9, 38; Lc 10, 2.
[2] Quae de S. Fridolino tradita sint, vide supra p. 263[3]. [3] Eccli 45, 1 2.

nachsůchen befunden, das der fromme vnnd Gottselige Abbt zu S. Gallen Noggerus, der vor sechshundert jahren gelebt, zum allerersten von vnserm Fridolino vnnd seiner Histori etwas geschrieben vnd hinder jhm gelassen[1]. Darnach ist auch kommen der träfflich Lehrer Petrus Damianus, der vor fünffhundert jahren in der Kirchen geblůet, vnd diesem vnserm heiligen Abbt sampt seinen träfflichen thaten herrliche zeugnus gegeben[2]. Vnd dieweil er Fridolinus, sich sonderlich vmb Seckingen vnd Glaris hat vorzeiten sehen vnd hören lassen, da er auch mit Wunderwercken das gepredigte Wort Gottes herrlich bewährt vnnd gezieret, hab ich durch mittel guter Freund so vil erlanget, das von beiden jetzgemeldten orten mir allerley bericht von solcher Histori gůnstigklich vberschickt vnnd mitgetheilt worden[3]:

Das aber an vilen ŏrtern nit wenig Sprůch der heiligen Schrifften mit einlauffen, vnnd etliche Lehrstucken hin vnnd wider erkleret werden, geschihet der meinung, das die frommen vnd einfeltigen Christen mit mehrerm nutz vnnd lust diese Historien durchlesen, auch wider die fůrwitzigen vnd zånckischen Menschen ein gute Premonition vnnd trewe warnung haben, auch sich desto weniger stossen vnnd ergern, ob villeicht die geschwinden, seltzamen vnd eigensinnigen Köpff sich darwider setzen, vnnd das gůt bŏss heissen wolten, vnangesehen, das GOTT

---

[1] Vitae S. Fridolini fons, si non unicus, certe praecipuus nunc est biographia, quam Baltherus sive Walterus monachus seckinganus scripsit, usus, ut ipse quidem ait, codice satis antiquiore monasterii Helerae ad Mosellam siti. Quae biographia primum a *Colgano* in Actis Sanctorum Hiberniae, deinde ab Hagiographis *Bollandianis* in Actis Sanctorum Martii (Tom. 1, Antverpiae 1668, 433—440) et a *Mone* in „Quellensammlung der badischen Landesgeschichte" vulgata, novissime edita est a *Bennone Krusch*, in „Monumentis Germaniae Historicis, Scriptorum Rerum Merovingicarum Tomo III", Hannoverae 1896, 354—369. Canisium hanc Baltheri biographiam libro suo componendo praecipue adhibuisse, duo illa opera inter se conferentibus facile patet. Fallitur is certe, cum vitam Fridolini a Noggero sive Notkero abbate sangallensi (973—981) scriptam esse putat; inductus autem est in hunc errorem eo, quod Baltherus librum suum dedicavit „Notkero" monacho O. S. B. sangallensi magistroque suo. Quem alii Beatum Notkerum Balbulum († 912), alii Notkerum Physicum († 975), alii Notkerum Labeonem († 1022) esse censuerunt. Cf. *Acta* SS. l. c. 430; *C. J. Hefele*, Geschichte der Einführung des Christenthums im südwestlichen Deutschland, Tübingen 1837, 244; *Idem* in „Wetzer und Welte's Kirchenlexikon" IV² Freiburg i. Br. 1886, 2015; *Krusch* l. c. 351; *Jos. Sauer*, Die Anfänge des Christentums und der Kirche in Baden, Heidelberg 1911, 31—37.

[2] S. *Petrus Damianus* († 1072) id fecit in Homilia de Translatione S. Hilarii habita: quae ab *Hagiographis Bollandianis* posita est in Actis Sanctorum Ianuarii Tomo I, in d. 13. Ianuarii (Antverpiae 1643, 799—800), et exstat etiam apud *Migne*, P. lat. CXLIV 514—517. Probabile est, „Beati Fredelini vitam", qua Damianus innititur, quamque sibi in manus quidem non venisse, sed „indicio fraternae relationis innotuisse" dicit, fuisse ipsum illum Baltheri librum. Ita Baltheri narratio Damiani verbis confirmatur (*Gottfr. Heer*, St. Fridolin, der Apostel Alamanniens, Zürich 1889, 30—45). Aliter rem explicari posse existimat *Al. Schulte*, in „*Jahrbuch* für schweizerische Geschichte" 18. Bd., Zürich 1893, 134—152.

[3] Quae Canisius ex his relationibus hausit, iterum posita sunt, ex parte saltem, a *Bollandianis* in Actis SS. Martii, T. I 432.

selbs durch seinen Propheten also ernstlich drewet: Wee euch die böses gůt, vnnd gůtes böse heisset, die auss finsternus liecht, vnd auss liecht finsternus, auss saur süss, vnnd auss sůss saur machet[1]. Wolte aber GOTT im Himmel, wir hetten zu dieser zeit viel Fridolinos, welche mit der Lehr, Wort vnnd exempel kundten vnnd wolten hie zu Land, vnnd allenthalben der angefochtenen Christenheit zu hülff kommen vnd die zerfallende mawren des geistlichen Jerusalems wider auffrichten[2], gleich wie vnser heilige Fridolinus, als ein getrewer Diener Gottes, im Schottland, Franckreich vnd Teutschland zu seiner zeit mit grosser frucht gethan, damit er sein empfangenes Talent oder gnadenpfund, das er vmb sonst von dem lieben GOTT empfangen, mit Geistlichem wůcher[3], seinem Herren zu ehr, vnnd der Christenheit zu wolfahrt wůrdigklich brauchete.

Welches fůrgenommene vnnd beschriebene werck ich keinem andern, Hochwůrdige Fraw, als allein Ewer Fůrstlichen Gnaden hab dedicieren vnnd zuschreiben wöllen. Erstlich, dieweil sie gegen diesem heiligen Fridelino, als dem ersten Stiffter vnnd Patron jhres weitbekannten, vnnd mit vielen freyheiten vast geziertem Gottshauss Seckingen, Christlich vnnd andechtigklich gesinnet, auch solches Histori beschreibung von mir begeret hat. Zum andern darumb, das Ewere Genaden biss auff den heutigen tag demselbigen hochlöblichen Stifft mit sonderm fleiss vnnd eyfer fůrstehet, also das wir GOTT dem allmechtigen, dem lebendigen Brunnen aller genaden, billich lob vnnd danck sagen, in bedenckung der Christlichen andacht, der sorg vnnd fůrsichtigkeit, so in dieser Jhrer vast berůmeten regierung GOTT zu ehren, vnnd der Kirchen zu nutz, vnnd von menigklichen gespůrt vnnd gelobt wirdt. Dann nicht vnbewisst, wie solches gemeldte Fůrstliche Stifft an Geistlichem vnd zeitlichem vor etlichen Jahren in einen abgang gerathen, nun aber durch Ewere Genaden dermassen gebessert vnnd gefürdert wirdt, das die vnderthanen vnder andern desshalben sich billich zubedancken, vnnd GOTT dem allmechtigen für Ewere Fürstliche Genaden vmb langes leben zu bitten haben. Derselben thů ich mich sampt diesem kleinen Bůchlein demůtig befelhen, Gott den allmechtigen bittende, das er in vns allen Sanct Fridolini glauben, geist vnnd eyfer ernewern vnd mehren, auch eines solchen Himlischen Patronen Fůrbitt hie vnd dort theilhafftig machen wölle. Geben zu Fryburg im Vchtland, im jahr vnsers Herren Tausent fůnffhundert vnnd neun vnd achtzigsten des Monats im Jenner.

E. F. G.

Dienstwilliger vnnd Gehorsamer

Petrus Canisius.

---

[1] Is 5, 20. [2] Cf. 2 Esdr 3, 1—4, 23; Am 9, 11; Act 15, 16.
[3] Cf. Mt 25, 14—27; Lc 19, 11—26.

2252. CANISIUS **IOANNI IACOBO A STAAL,** patricio et archiscribae solodurano. Friburgo Helvetiorum 6. Ianuarii 1589.

Ex apographo (A) saeculo XVII. scripto et manu P. Petri Hugonis S. J. († 1657) sic inscripto: „Ad eundem Nobilem Virum D. Joannem Jacobum a Staal, Solodorensem“; quod est in Cod. monac. „Lat. 1606“ f. 110[a]. Alterum apographum (B) circa medium saeculum XIX. (ex archetypo?) scriptum exstat in Can. 56 n. 5 f. 1.

De adulescentibus litterarum studiosis et libro quodam.

Pax Christi et felix annus Nobilis Domine.

Quod ad causam Guilielmi Stapferi[a] [1] attinet, placet mihi sane et charitas et liberalitas uestri Senatus, quem honoris causa[b] nomino, ut qui amanter illum hactenus amplectitur, ac tuae pietatis consilio in studijs hic[c] benigne fouendum curat. Caeterum ut idem Adolescens ex Franciscano Benedictinus fiat, quam consulte id fiat, me dubitare fateor, etiamsi Franciscani hoc loco ad illum dimittendum se faciles praebeant. Duo interim se mihi offerunt ad dissuadendum, ne Guilelmus [?][d] Mediolanum transmittatur, saluo tamen iudicio aliorum sapientum, Alterum est, quod cum ille sit illegitime natus, ad nullam professionem in religiosorum ordine possit admitti, quemadmodum [a][e][?] Pont: Max: nouo serioque diplomate sancitum est [2]. Alterum quod idem studiosus firma Grammaticae fundamenta nondum iecerit, ac propterea reliquis alumnis Collegij Mediolanensis non possit adscribi, sicut nobis fide digni testantur [3]. In nobis alioquin mora nulla futura est, quin abeunti literas addamus commendatitias: sed satis esse putauimus, de propositis difficultatibus haec pauca respondere: caetera enim sapientiae tuae iudicanda permitto, Bene habet, quod alijs nos literis admones de Genebrardi Chronographia [4], vt eum librum per amicum aliquem accipiamus, Reliquos vero studiosos, quos nobis humanitas tua commendat, praeceptoribus nostris semper erunt commendati, Dominus IESVS Galliae, nobis ac vniuersae Ecclesiae hunc annum felicem esse concedat, Salutem ex me plurimam dici velim Magnifico Domino Consuli Schwaller[f] [5], in Christo bene uale vir [?][g] humanissime. Friburgi Heluetiorum 6 Januarij M.D.LXXXIX.

In Christo tuus Pet. Canisius m. pp[h].

a) *Sic posui ex B.; A. habet:* causam fratris N. b) gratia *B.* c) *B. habet:* sic; *sed quae paullo inferius dicuntur, suadent, ut lectio* hic *retineatur.* d) *Vel:* Guilielmus; *quod est in B.* e) *Hoc v. in B. supra versum scriptum est.* f) *Sic B.;* N° *A.* g) *Vel* Domine, *quod est in B.* h) Petrus Canisius *B.*

[1] Hic adulescens, ut ex ipsa hac epistula colligitur, Friburgi apud Fratres Minores Convetuales habitabat et scholas collegii Societatis frequentabat.

[2] Id sancitum erat a Sixto V. constitutione Roma 26. Novembris 1587 data; cui idem pontifex 21. Novembris 1588 varias addidit declarationes (*Bullarium* Romanum II, Luxemburgi 1727, 656—661).

[3] Mediolani „Collegium Helveticum“, a. 1579 rogatu S. Caroli Borromaei a Gregorio XIII. conditum, ab „Oblatis“ eiusdem S. Caroli regebatur; iuvenes ibi gratis alebantur et scholas collegii Societatis Iesu frequentabant (*Mayer* II 62—64).

[4] Vide supra p. 269[2].

[5] Significari videtur Stephanus Schwaller, consul sive scultetus (Schultheiß) soloduranus; de quo plura infra dicentur.

2253. CANISIUS **CLAUDIO AQUAVIVAE** praeposito generali Societatis Iesu. Friburgo Helvetiorum 6. Ianuarii 1589.

De hac epistula, quae perisse videtur, vide Aquavivae litteras 2. Martii 1589 datas (infra, ep. 2254). Per has enim Aquaviva Canisio respondit.

2254. **CLAUDIUS AQUAVIVA** praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 2. Martii 1589.

Ex commentario sic inscripto: „Friburgi P. Petro Canisio.“ G. Sup. 2 f. 16b.

Canisii in admonendo diligentia. Visitator. De contractu germanico „conformitas“ servanda. Canisio valetudo curanda.

Quod semper facio ut libenter Reuerentiae V. sententiam ac iudicium de rebus uel prouinciae, uel Collegij istius intelligam, idem etiam feci in his literis quas 6º Jan. ad me scripsit; in quibus plane perspexi, et probaui eius zelum, ac diligentiam etiam in nobis admonendis. Nos autem cum Dei gratia ea luce quam ex eius informatione accepimus, ita uti conabimur, ut sit quam maxime ad eius gloriam et fratrum nostrorum profectum.

Ac de uisitanda etiam prouincia non deponimus cogitationem, quoniam id nobis magnopere cordi est ut hanc consolationem fratribus nostris impertiamur, et scimus quanti id referat ad multa, eaque magna, et necessaria. Quare simul ac dominus Deus commoditatem nobis eius praebere dignabitur[a], non deerimus.

De contractu illo Germanico nos quoque idem optamus, ac saepe iam mandauimus ut nostri in prouincia ista conformes essent: atque hoc ipso tempore iussimus responderi ad nouam quandam quaestionem denuo propositam, cui cum responsum fuerit, tum uero etiam expressius renouabimus mandatum, nec patiemur deinceps in hac re discrepare nostrorum praxim, et quoad etiam fieri poterit iudicia[1].

De reliquo non occurrit quod scribam, nisi quod pro maiore Dei gloria cupimus ut Reuerentia V. eam[b] curam suae ualetudinis habeat quam iam aetas ista et labores eius ante acti requirunt. Erit enim hoc et ad Dei honorem ut dixi, et certe ad omnium nostrum consolationem. Dominus autem Jesus eam custodiat, suaque gratia impleat, et ipsa etiam meminerit nostri in suis precibus et sanctis sacrificijs. Romae 2º Martij, 89.

Quae *Aquaviva* in hac epistula dicit de „contractu germanico“, explicantur *litteris ab eodem Roma 6. Iunii 1589 ad Ferdinandum Alberum praepositum provincialem Germaniae superioris datis; in quibus haec dicuntur: „Mittimus iudicium horum Patrum de quaestione super censum utrinque redimibilem, proposita a P. Torres. Spero autem illum ut iam ante ostenderat acquieturum facile huic resolutioni; idque etiam curabit Reuerentia V., ut semel finis imponatur toti huic controuersiae, ac deinceps unus sit omnium consensus.“ Die autem 7. Iunii 1589 *Aquaviva* Ratisbonam ad P. Hieronymum Torrensem *litteras misit, in quibus eum monebat: „Actum est hic denuo inter hos Patres quibus rem commiseramus de quaestione illa a Re-

a) *Sequuntur vv.* nos quoque, *oblitterata.* b) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

[1] Vide, quae de hac re sub ipsas has litteras dicentur.

uerentia V. proposita circa contractum istum Germanicum, ac quidem ex ipso scripto in quo contractus ipse conceptis uerbis proponitur, et explicatur cum annotationibus in utramque partem. Quae autem fuerit eorum sententia apparebit ex scripto quod misimus P. Prouinciali quo eorum iudicium expresse continetur. Quare non putamus fore deinceps in ista prouincia ullam circa hoc controuersiam, aut disputationem, quod certe cupimus ut omnes uno ore quemadmodum in ceteris omnibus ita in hoc quoque loquantur. Jd enim et Constitutiones nostrae iubent [1], et certe magis aedificat externos, et nostram etiam unitatem seruat. Quam ob causam debebit iam R. u. non solum huic definitioni stare, sed etiam eam tueri et ad hoc ingenij ac doctrinae suae uires conuertere" (ex commentariis: G. Sup. 2 f. 24[b]). *Torrensis* iam 28. Ianuarii 1586 ad Aquavivam litteras dederat, quibus demonstrare conabatur, contractum illum germanicum de 5% (v. *Can.* VII 590) illicitum esse; simul querebatur, et Alberum provincialem, et P. Georgium Bader, eius in officio illo decessorem, et alios aliquot provinciae theologos contractum illum approbare, atque confessariis provinciae permitti, ut eos, qui ita pepigissent, absolverent; immo etiam probationis domum landsbergensem ex huiusmodi pactionibus census accipere. Cum autem Aquaviva Torrensem remisisset ad Alberum provincialem, iudicium ea de re 1586 a theologis Dilingae congregatis conscriptum, deinde a Societatis theologis romanis probatum, Kalendis tandem Novembribus a. 1588 per Alberum ad singulas provinciae domus missum et ab omnibus observari iussum est (*B. Duhr* S. J., Die deutschen Jesuiten im 5%-Streit des 16. Jahrhunderts, in „Zeitschrift für katholische Theologie" XXIV [1900] 244—246). Iudicii sive „sententiae" huius summa haec erat: „Licitus est census vtrinque redimibilis in ijs Prouincijs Imperij, in quibus lex Jmperialis eum prohibens, non uiget. . . Licitus est igitur in plerisque prouincijs superioris Germaniae. Jn ijsdem prouincijs in quibus lex illa non viget, neque etiam aliqua consuetudo communis habens uim legis taxat pretium census redimibilis ex parte uenditoris tantum, ut sit .100. pro 5. iustum censeri potest idem pretium pro censu utrinque redimibili." Id igitur contingit „in supradictis prouincijs superioris Germaniae, vt in Bauaria, Sueuia, Tyroli . . . Quando census utrinque redimibilis ab emptore redimitur, iuste recipit emptor tantundem pretij, quantum prius dederat . . . Quamuis autem census utrinque redimibilis absolute nemini suadendus sit, expedit tamen ijs, qui alioqui a contractibus vsurarjis desistere nolint, exponere, satius esse censum utrinque redimibilem emere, quam per vsuram lucrari." *Torrensis* autem, ne hac quidem sententia acquiescens, Aquavivae iudicandam proposuit hanc „* Formam contractus census vtrinque redimibilis in Germania vsitatj": „Titius uir militaris, numerat Sempronio Principi 4000 florenorum nomine emptionis Census annui 200 florenorum (ad rationem id est 5 pro 100). Constituitur is Census in oppido aliquo vel Castneratu (est autem Castneratus, ueluti Camera aut Telonarium Sempronij in aliqua sua Ciuitate) et est Census utrinque redimibilis: Nam potest et Sempronius Censum redimere si reddat totum pretium 4000 florenorum. Et uicissim Titius Sempronium ad redimendum cogere, toto eodem pretio 4000 florenorum recepto: Additur, ut fieri solet, clausula, ut qui eorum uoluerit contractum rescindere ante sex menses alterum praemoneat. Denique pretium tempore emptionis semper aequale: pensio quam Titius quotannis accipit semper eadem: nec minuitur, nec augetur, nec in sortem computatur". Addidit Torrensis „explicationem", in qua ait, in eo contractu esse „triplex pactum, quod sit lucro Titio Emptori et damno Sempronio venditori". Vnde, ut videtur, colligebat, contractum illum illicitum esse. Causam excutere iussi sunt ab Aquaviva hi tres Societatis theologi romani: „Joannes Azzor, Jacobus a Cruce praefectus studiorum collegii romani, Gaspar Gonsalvius." Qui m. Maio a. 1589 responderunt: „Contractus praemissus non caret noua difficultate propter conditionem de assecuratione adiecta: non tamen occurrit ratio manifesta cur damnandus sit. Ideoque sicut nemini suadendus est, vt Patres . . . Dilingae congregati dixerunt, ita si quis ab eo nolit desistere, non est damnandus:

[1] *Constitutiones* S. J., P. 3, c. 1, n. 18; P. 8, c. 1, n. 8 et K; P. 10, n. 9.

et satius est hunc contractum facere quam manifestis vsuris operam dare" ex apographis eiusd. temp.: Opp. NN. 258 f. 23 26[a] 27[a]).

Canisium medio a. 1587 de hac re paullo severius sensisse colligitur ex „scripto de legitimis contrahendi modis" eo tempore in usum reipublicae friburgensis confecto; quod ponetur infra, mon. 1436. Nec tamen dubium est, quin ille, qua erat oboedientiae promptitudine, romanis responsis annorum 1588 et 1589 cognitis, sententiam moderatus sit.

2255. OCTAVIUS PARAVICINUS episcopus alexandrinus et apostolicus apud Helvetios catholicos nuntius CANISIO [1].

Lucerna (?) m. Iulio 1589.

Ex Paravicini ad Montaltum litteris archetypis, quae sunt Romae in archivo vaticano, „Nunz. di Svizz. 2 A" f. non sign., et ex Litterarum annuarum apographo eodem fere tempore scripto, quod est in Cod. „I. 36" f. 40[b]. Paravicini litteris romanis usus sum in „Petrus Canisius" 286.

Canisium consulit de officio decani capituli friburgensis in urbis parochum conferendo et de rebus ad ecclesiae in Helvetia reformationem spectantibus.

Octavius Paravicinus episcopus alexandrinus et apostolicus apud Helvetios catholicos nuntius Lucerna 29. Iulii 1589 Romam ad cardinalem Alexandrum Perettum de Montalto, Sixti V. pronepotem et Romanae Ecclesiae vicecancellarium, litteras misit, in quibus haec ad eum referebat: „La concessione per il Curato di Friburgo, acciò tenga il Decanato di quella Chiesa; perche sia da me amministrata l'autorità con la riuerenza che debbo, et senza alcun scrupolo di conscienza, hò scritto per il parere del Padre Canisio, ch'è in quel Cantone, et huomo di tante lettere, et bontà, quanto ogn'un sà, et secondo quello mi gouernarò poi." [2] Ad easdem litteras ac fortasse ad complures alias eiusdem Paravicini epistulas Canisio missas spectant ea, quae in collegii friburgensis Litteris annuis circa m. Novembrem a. 1589 datis narrantur: „Tota" nostra „necessitudo cum externis in eo est vt pie recteque circa salutis suae negotium ijs consulatur aut in rebus dubijs quod iustum est edoceantur, atque ad omne pietatis opus inducantur. Quae adeo non spreuit Reuerendissimus Jllustrissimusque Nuncius Apostolicus quin nobiscum longe licet dissitus de grauissimis ad Helueticam reformationem attinentibus negotijs sua consilia conferre dedignaretur."

---

[1] Octavius Paravicini (1552—1611) romanus, sub Caesaris Baronii disciplina institutus, Sancto Philippo Nerio familiaris, a. 1584 episcopus alexandrinus (Alessandria, urbs pedemontana) factus, a. 1587—1591 in Helvetia apostolici nuntii munere functus, a. 1591 cardinalis creatus, a. 1605 „protector germanicae nationis" designatus est (*Ciaconius-Oldoinus* IV, 228—229; *Mayer* I, 309—328).

[2] Cum Petrus Schnewly, quo melius munere vicarii generalis dioecesis lausannensis fungi posset, officio praepositi capituli S. Nicolai se abdicasset, Franciscus Garin capituli cantor maior id officium consecutus, sed brevi post mortuus est. In cuius locum Erhardus Thorin eiusdem capituli decanus suscessit, (*Berthier*, Bon. 211 ad 212; *Dellion* VI 328—329). Decani autem dignitatem illam anno 1589 adeptus est Sebastianus Verronius urbis friburgensis parochus ita, ut simul parochi officium retineret; id quod senatus reipublicae petierat et Sixtus V. sibi gratum esse significavit (*Werro* 17).

2256. CANISIUS **FRANCISCO PFYFFER** equiti aurato civitatisque lucernensis praetori atque **SENATORIBUS LUCERNENSIBUS.**

Friburgo Helvetiorum 31. Octobris 1589.

Ex libro „Zwo warhaffte . . . Historien. . . . Die erste von dem vralten Apostolischen Mann S. Beato . . . Die ander von dem berümten Abbt S. Fridolino . . . Durch *Petrum Canisium*", Freyburg in Vchtland 1590, f. 𝔄ᵃ—𝔄 viᵇ. De quo libro plura infra, monum. 1490.

Librum de SS. Beato et Fridolino a se conscriptum iis dedicat. Beatus, primus Helvetiorum apostolus, sed iam parum notus, vir Apostolis coniunctus, Helvetios in fide catholica confirmat. Eius vita ex codicibus aliisque monumentis veteribus hausta. Fridolinus ei in agro helvetico excolendo similis. Prima editio vitae eius iam paene exhausta. Canisius multa Scripturae et Patrum dicta libro inseruit, quia non doctis, sed rudibus et in fide infirmis scripsit. Senatus in collegium Societatis lucernense beneficentia. Lucernenses non solum reliquias S. Beati possident, sed etiam eius fidem servant et defendunt. Huius firmitas. Ecclesiae romanae primatus.

Den Gestrengen, Edelen, Nothvesten, Fürsichtigen vnd Weisen Herrn, Herrn Ludwig Pfyffer [1], Rittern, Schuldtheissen, etc. vnnd andern dess Raths in der Hochlöblichen Statt Lucern, meinen günstigen gebietenden Herrn, Gnad vnd Frid Gottes dess Allmechtigen, durch Christum Jesum vnsern Herrn [2].

Es ist meniglichem wol bewüsst, Hochgeachte, Gnädige vnd Grossgünstige Herren, dass es nit geringe sorg vnd arbeit koste, so ein Rebmann einen weiten Weingarten zubawen hat, vnnd demselben das gantze Jar hindurch seine gebürliche recht thun vnd leisten will. Dann es bedarff da scharffauffsehende Augen, vnmüssige Händ, wolschneidende Rebmesser vnd Hawen. Es muss derselbig Weingärtner seine zuvor zerlegte Reben im Früling auffrichten, vnd an die Stecken binden, die gåile, so vnnützes Holtz vnnd zuvil Blätter geben wöllen, verkürtzen, die verdorrten zu verbrennen, abschneiden. Noch vil schwerer vnd mühlicher ist einem Rebmann, einen Weinberg gar von newem zupflantzen, den rauhen grund zubereiten, die Setzling auffzuziehen, die iunge aussschlagende Reben zubeschneiden, vnd alles dahin zurichten, dass im Herbst ein zeitiges, gewünschstes, süsses Gewächs, das ist, ein liebliche gesunde vnd kräfftige Frucht dess Weins herfür komme. Vnd warumm soll vnd dörffte ich an disem orth nit etwas vom Weinstock vnd seinem Bawmann reden? so doch der ewige GOtt selbs durch

[1] Ludovicus Pfyffer (1524—1594) patricius lucernensis, eques auratus, reipublicae lucernensis scultetus („Schultheiß") et labifer („Pannerherr", quae reipublicae suprema dignitas militaris erat), inter a. 1553 et 1569 compluries Galliae regibus contra Hugonottos calvinianos pugnantibus egregiam opem tulerat. In patria apud cantones catholicos auctoritate plurimum valebat. Vir erat insigniter catholicus atque in instituta ecclesiastica beneficentissimus. Societatis Iesu a. 1574 Lucernam introducendae praecipuus fuit auctor. Partim dotando Societatis collegio, partim aedificando et ornando eius templo plus 26 000 florenorum impendit (*A. Ph. v. Segesser*, Ludwig Pfyffer und seine Zeit, 3. Bd., 2. Abt., Bern 1882, 303; *Meyer v. Knonau*, Pfyffer Ludwig, in „Allgem. Deutsche Biographie" XXV, 727—737; *Oliv. Manareus* S. J., De rebus Societatis Iesu, Florentiae 1886, 171—172; *Duhr*, Jes. I 211 622; *K. Dändliker*, Geschichte der Schweiz II, Zürich 1885, 582—583).

[2] Cf. Rom 1, 7; 1 Cor 1, 3; 2 Cor 1, 2; Gal 1, 3; Eph 1, 2 etc.

seine erwölte Propheten, nemlich Jsaiam vnd Ezechielem, auch vnser aller Heiland Christus im heiligen Euangelio dergleichen Parabel vnd Gleichnuss sich gebrauchet, vnnd sie allen Menschen zubehertzigen fürstellet. Jch bin der wahre Weinstock, sagt er, vnd mein Vatter ist der Weingärtner[1] oder Rebenmann. Vnd abermals: Jch bin der Weinstock, vnd jhr seit die Reben[2]. Jtem in Jsaia: Was were meinem Weingarten weiter zuthun gewest, das ich jhme nit gethan hab?[3]

Weil nun dem also, kan meines erachtens kein frommer Biderman leugnen oder in einen zweifel ziehen, dass der liebe S. Beatus[4], welcher sich in disem Buch ietzt von newem sehen vnd erkennen lasst, seye im Geistlichen Weingarten dess Herren, diser edlen, fruchtbaren vnd Christo geliebten Reben eine, ja auch ein Rebman gewesen neben andern fürnemesten, welche der Himmelische Hausvatter in seinen gefälligen Weinberg dises Lands Heluetie gnediglich berufft vnnd bestellet hat[5]. Seitemal aber in allen grossen vnd fürtreffenlichen dingen ein schwerer eingang vnd anfang pflegt zuseyn, so hat vnser weise Bawman Beatus in pflantzung jetztgedachten Weinbergs, je råuhern, wildern, vngeschlachtern, vnd zuvor von keinem andern gebaweten Boden er allda gefunden vnd erfaren, desto mehr můh vnnd arbeit vberstehen vnnd einnemmen müssen. Dann was ist doch grösser vnd schwerer, als auss harten Steinen, Abrahams, ja Gottes Kinder zuerwecken[6], vnd also die jenigen mit dem wahren Liecht dess heiligen Euangelij zu erleuchten, welche viel hundert Jarlang in der tieffen Finsternuss dess Vnglaubens vnnd alten Abgöttischen Wesens sitzen?[7] Nun hat aber der gütig ewige GOtt den Eidgenossen solche vberschwengliche Gnad durch Beatum mitgetheilet, dass sie auss Heiden Christen, vnd auss Götzendienern dess waren Gottes Diener vnd Burger in dem Reich Christi[8] worden seyn.

Dass aber ich, wiewol ein Ausslender, in die Handlung vnd beschreibung der Histori dises tewren Mans Gottes mich hab gewöllt einlassen, ist erstlich darumb geschehen, das ich in der warheit gesehen vnd befunden, wie ein grosser Hauff in dem Schweitzerland von disem jhrem Geistlichem Vatter vnd seinen Geschichten gar wenig gedencke, höre vnd wisse: vnangesehen, dass der jetzigen Welt brauch ist, sich allerley geringer, eiteler Historien hefftig, fürwitzig vnd vnnützlich anzunemen.

Zum andern hat mich zu solchem schreiben vervrsachet, dass diser mit Namen vnd Werck Beatus oder Selige Mann, vns alle fein weiset auff den alten rechten Weg[9], wie der Prophet Jeremias auss Gottes Befelch vns auch dahin weiset, vnd also vns erinnert der ersten Apo-

[1] Io 15, 1. [2] Io 15, 5. [3] Is 5, 4. De Ieremia cf. 2, 21; 12, 10.
[4] De hoc vide supra p. 263[1]. [5] Cf. Mt 20, 1—16; Mc 12, 1; Lc 20, 9.
[6] Mt 3, 9; Lc 3, 8. [7] Cf. Is 9, 2; 42, 6 7; 60, 2; Lc 1, 79.
[8] Cf. Eph 2, 19. [9] Ier 6, 16.

stolischen Geistreichen Kirchen, von welcher jetzunder so vil Menschen leider sich dermassen absǒndern, als ob sie mit derselben Můtterkirch weder im Glauben noch in der Regel dess Lebens, einige gemeinschafft wolten haben. Dardurch sie dann nit allein in einen vnausssprechlichen nachtheil vnd schaden der Seelen gerathen, sonder auch vor der gantzen Welt beweisen, dass jhr newe Religion oder Sect den anfang vnnd das herkommen habe von den wolbekannten diser zeit Rädelfürern, vnd gar nit von der alten, reinen Apostolischen Kirchen, deren sie in vilen Lehrstucken, vnd in jhrem tåglichen Wandel offenlich vnd schändlich widerstreben. Nun aber ist es auss glaubwirdigen Historien gewiss vnd beweisslich, dass vnser gedachter Beatus sey in dem Christenthumm so vralt, dass er die ersten Grundfest vnnd Seulen der Christenheit, nemlich die hochwürdigen Aposteln gesehen, vnd zu jhnen gůtte Kundtschafft gehabt. Dann S. Barnabas dess grossen Lehrers der Heiden Pauli im Apostolat Mitgesell vnd Gefährt, disen Beatum bekehret vnd getaufft, der oberste Apostel aber S. Petrus jhne volgends besser vnderwisen, zu einem Priester vnd Prediger ordiniert, nachmals in das Land Heluetien auß Rom deßhalben abgefertiget, daß er daselbst einen newen Weinberg pflantzete vnnd erbawete.

Zum dritten hab ich mich zu diser arbeit deß schreibens begeben, daß alle fromme verstendige Christen desto mehr vrsach haben solten, sich selbs zuerinnern, was sie einem solchen ersten vnd getrewen Weingartner schuldig seyen, als nemlich daß sie nit allein S. Beati Person, Ampt, Stand, Lehr vnnd Leben besser erkennen, rühmen vnd in ehren halten, sonder auch, in ansehung eines solchen Apostolischen Weingartners, in dem vralten wahren Glauben sich stercken, jhre andacht zu GOtt vnd geistlichen dingen mehr entzünden, auch in allem jhrem thun vnd lassen, dises Manns Wandel nit vergessen, welcher von Gott ist disem Land, als ein Vorbild aller Tugenden, fürgestellet vnd geschencket worden. Daher gehört meines erachtens, S. Pauli Spruch vnnd Ermanung, darinnen er dem Christlichen Volck also bevilhet: Gedenckt an ewere Fürsteher, die euch das Wort Gottes gesagt, oder von anfang geprediget haben: Sehet auff den außgang jhres Wandels, vnd volget jhrem Glauben[1].

Da kan ich nit vnvermeldet lassen, daß in beschreibung vnd außführung diser Histori vonnöthen gewest, vmb mehrer bestettigung der warheit, mit nachsuchung mich etwas zubemühen. Vnder andern Mitlen aber hab ich zu disem fürnemmen der alten Liberey von Fulda, sonst Mariana genannt, mich gebrauchet, auß welcher Georgius Wicelius Senior von disem Beato geschriben[2]. So halff mir auch das würdige herrliche Stifft S. Vrsi zu Solothurn mit seinen alten Büchern, welche

[1] Hebr 13, 7.

[2] De hoc Wicelio v. *Can.* I 588[3], VI 272[2]. *Wicelius* „ex cod. Mariano pleraque" de S. Beato scripsit in opere suo „Chorus Sanctorum d. i. XII Bücher, Historien aller Heiligen", Coloniae 1554, l. 5, c. 38 p. 221.

von disem Mann vnd seiner Histori klare Zeugnuß geben[1]. Ich geschweige anderer Scribenten, so von vnserem Beato allenthalben melden, neben glaubwürdigen Warzeichen, so noch vt venerandae antiquitatis vestigia vorhanden, auch sich an Thunersee vnd in der Nachbawrschafft finden vnd sehen lassen, aus welchen leichtlich abzunemmen vnnd zu mercken, an welchen Orten vnser Beatus vormals geprediget, gewohnet, gestorben vnd begraben worden. Jetzterzehlete stuck haben mich zu besserem vnd steiffern Bericht vnd Erkanntnuß diser Histori geführt vnd gefürdert, also daß ich darauß dises heiligen Manns Handel, Wandel vnd Thaten, in ein Corpus vnd Ordnung gegenwertiger Histori gebracht habe, zwar allen guthertzigen Liebhabern der Warheit zu gutem, bevor aber Gott dem Allmechtigen zu lob vnd Ehren, welcher als der ewige Brunn alles güten, in seinen lieben Heiligen mündtlich vnd schrifftlich nimmer kan gnugsam gelobet vnd geprisen werden[2].

Ferners hab ich mich von frommen weisen Freunden desto leichtlicher dahin vermögen lassn, daß diser heilige Beatus sampt seiner Histori, nit ohn einen seines gleichen Gefährten herfür käme, vnd durch die Druckerey offenbaret wurde. Einen solchen füglichen Gefährten zu sein, haben sie für andere gutgeachtet den berümbten Abbt Fridolinum mit seiner Histori, wiewol dieselbe nit lang zuvor von mir in den Druck verfertiget, auß gangen[3]. Dann es gefiele jhnen solches darumben, daß diese zween in vilen mercklichen stucken sich fein vergleichen, dieweil sie wie recht Apostolische Männer, auß gleichem Geist Gottes, wiewol nit zu einer zeit angetriben, beide in einem geistlichen Weinberg, nemlich deß Schweitzerlands, trewlich gearbeitet, darinnen solche müh vnnd arbeit angewendt, darauß vil tausend Seelen zu dem ewigen Heil kommen, auch sie jhr Predigampt mit herrlichen Thaten gezieret, vnd durch vnwidersprechliche Wunderzeichen offenlich bestettiget, darneben ein hartes, strenges Einsidlisch Leben gefürt, vnd letstlich ein löbliches seliges End, ja die Kron der Gerechtigkeit[4] mit grossem Rhumb der gantzen Christenheit erobert haben. Zů dem war mir auch diß zubedencken, daß die Exemplare der vor gedruckten Histori von S. Fridolino, wie man sagt vnd klagt, an vilen orten nit mehr vorhanden, ob sie gleichwol von menniglichen gesuchet vnd begeret worden. Derhalben ich auf das anhalten gedachter guthertziger Freunden mich ergeben, vnd verwilliget hab, daß also dise Histori von S. Fridlin jetzt auff ein newes vbersehen vnd etwas verbessert, zu S. Batten Geschichten gedrucket vnnd angehenckt wurde, verhoffende diß Buch möge dem frommen Christlichen Leser desto gefelliger vnd

[1] Kalendis Iuniis (styli novi) 1589 senatus solodoranus senatui lucernensi misit apographum „der hinder der lobl. Stift St. Ursen liegenden Histori vnd Legend des gottseligen Manns und Apostels Christi Sant Beaten" (*Al. Lütolf,* Die Glaubensboten der Schweiz. Lucern 1871, 305). Dubitari nequit, quin Lucernenses hoc Canisio miserint.

[2] Cf. Ps 150, 1. [3] Cf. supra p. 276. [4] 2 Tim 4, 8.

annemlicher seyn, seitemal er also in disem Buch gleichsam auff einem Schawplatz, den geistlichen Kampff diser fürtrefflichen Helden Gottes kan gegeneinander halten vnnd besichtigen, darneben auch sich vnd andere ernstlich ermanen vnd erwecken, nach jrem löblichen Exempel ritterlich zu streiten, vnd nach disem Leben, so ein jmmerwerender streit ist[1], von dem Obersten König Christo, sampt disen zweyen Christlichen Kämpfern, die Sigcron deß ewigen Lebens[2] tröstlicher zuerwarten vnnd zuempfahen.

Es möcht aber einer sich verwundern, vnd mir verargen, daß ich in disem meinem Werck, weiter vnd lenger, als sonst der Historischreibern brauch ist, mich außlasse, nemlich in dem daß ich allerley Sprüch der Göttlichen Schrifften, vnnd der heiligen Vätter Sententzen anziehe, vnnd also die Sach an manchem ort hette mögen kürtzer fürbringen. Darauff ich dann dise antwort gib, daß ich gegenwertiges Werck nit schreib für die Gelehrten, welche deß langen berichts so wenig alß die Gesunden der Artzneyen nottürfftig: sonder daß solche außfürung ist von mir fürgenommen worden, dem gemeinen einfeltigen Leser zu gutem, welcher einen sondern lust vnd verlangen hat etwas mehrers dann die blosse Histori zuwissen, vnnd auch neben dem begirig ist, von Göttlichen vnnd Geistlichen dingen, sonderlich an den Feyertägen, zu lesen vnd zubehertzigen. Zu dem, so seind vil schwachgläubige, vnd bedörffen gůtes berichts vnd vnderweisung in vilerley Lehr vnd Glaubensstücken. Derhalben hat sich für rathsam ansehen lassen, die liebe Warheit nach gelegenheit der Sachen offtermals zuerklären, vnd den Widersachern vnserer Religion damit gütlich zubegegnen: wie dann nit allein die schwacheit einfeltiger Personen, sonder auch dise zänckische gefährliche zeiten erfordern. Deß gůten kan nit zuvil sein, sagt die Welt: man muß die sach etwa zweymal sagen, oder deutlicher machen, damit sie desto baß verstanden werde, wie solches bey allen heiligen Lehrern vast bräuchig ist.

Es sey aber nun dises mein Werck, wiewol es ohn arbeit nit abgangen ist, so gering vnd schlecht, als jmmer die Mißgünner vnd Widerwertigen es dasselbig schetzen vnd achten: so bedünckt mich dannoch, es sey rathsam vnd nit vnzimlich, daß solche Histori E. Gnaden von mir dediciert, vnd insonderheit zugeschriben werde. Dann dieselben einmal die seind, welche für vnser geringe Societet in der löblichen Eidgnoschafft das erste Collegium auffgerichtet[3], solches bißhero in seinem Wolstand erhalten, darzu auch, als recht getrewe Mecoenates, nit aufhören, dasselbe für vnd für mit grossen Wolthaten günstig vnd Vätterlich zubefürdern, dermassen daß die vnsern (wöllen sie anderst dem grossen Laster der Vndanckbarkeit entrinnen) solcher embsiger Patronen allzeit im beßten gedencken, vnnd sie hoch rümen sollen.

[1] Ib 7, 1. [2] Iac 1, 12; Apc 2, 10.
[3] Collegium lucernense dicit; v. supra p. 284[4].

Nachmals ist meniglich bewußt, mit was grossem Eiffer E. G. als recht Christliche dapffere Helden, sampt jhrer Statt vnd Lands Vnderthanen, vnsern wahren Catholischen vnd allein seligmachenden Glauben, nit allein mit Worten steiff vnd frey bekennen, sonder auch mit vilerley Thaten, so offt es vonnöten, Ritterlich verfechten vnd beschützen: sintemal sie kein Kleinod vnd Schatz höher vnnd werder, als dieselbe vralte reine Religion, jhnen lassen angelegen seyn, welche Religion der offtgemeldte Beatus von der Römischen Kirch, die aller Kirchen Mutter bey den alten Scribenten heisset [1] vnd ist, in dises Land gebracht, vnnd so herrlich mit Wunderzeichen bestettiget hat. So ist auch bey mir diß bedencken, es seye nit ohn gewisse Prouidentz vnnd Fürsehung Gottes deß Allmechtigen geschehen, daß die ehrwürdigen Reliquien dises Apostels Beati in E. G. Statt wunderbarlich gebracht [2], noch heutigs Tags allda in ewerm grossen Münster vnd Pfarrkirchen (Jm Hoff genannt) auffgehalten, vnd daselbst nach alter Catholischer Ordnung vnnd weiß von meniglichem für vnnd für andächtig verehret werden. Dann derselbig getrew ewig GOtt, qui custodit omnia ossa Sanctorum [3], wie der heilige Prophet singt, hat meines erachtens, vnder andern priuilegijs vnd beneficijs auch diser E. G. Statt gnediglich mitgetheilet, daß ein solcher würdiger Werckzeug deß heiligen Geistes nirgends anderßwo, als bey solchen rechten standhafften Beschützern vnd verthädigern deß Catholischen Glaubens, solle leiblich ruhen vnd bleiben. Darumb sag ich, hat mich gedäucht recht vnd billich sein, daß dise jetzt zusamengebrachte Histori E. G. werde zugeschrieben vnd nuncupirt, welche nit allein das liebe Heiligthumb, sonder auch den vngefälschten Glauben Sanct Beati biß auff den heutigen Tag mit fleiß vnd andacht besitzen vnd bewahren. An disem Ort führe ich mit frewden zuhertzen, was S. Paulus an die Philippenser geschriben, vnd euch Lucernern wol mag zugeeignet werden, nemlich da er sagt, daß sie leuchteten vnd schinen vnder dem bösen verkehrten Geschlecht als helle Lucernen vnd Liechter in der Welt, dieweil sie das Wort dess Lebens hielten [4]. Jch rede von dem Wort, welches euch kein heilloser Sectirer, oder newereigensinniger Fantasierer, sonder der liebe Beatus anfenglich verkündiget, vnd trewlich fürgetragen hat, gleich wie jhm S. Petrus der erste allgemeine Hirt aller Schafen Christi [5] befohlen.

Diser S. Beati, ja S. Petri Glaub ist vnüberwindtlich, wirdt auch nach Christi gewisser verheissung nie abnemmen, wie hefftig alle Höl-

[1] Scriptorum et conciliorum veterum (ante a. 1300), a quibus ecclesia romana planis verbis „mater omnium ecclesiarum" vel „mater omnium fidelium" appellata est, dicta sive sententias posuit *Augustinus de Roskoväny*, episcopus nitriensis, in operis „Romanus Pontifex" Tomo I, Nitriae et Comaromii 1867, 25 32 52 63 192 301 308 337 362 374 376 383 390 429 448 454 461 462 464 474 490 495.

[2] Quomodo S. Beati reliquiae Lucernam allatae sint, copiose narrat *Henr. Murer*, O. Cart., Helvetia Sancta, St. Gallen 1750, 12—13.

[3] Ps 33, 21. [4] Phil 2, 15 16. [5] Cf. Io 21, 15—17.

lische Pforten darwider wüten vnd toben[1]. Wo diser S. Petri Glaub ist vnd bleibt, da ist der grund, auff den die Kinder Gottes bawen[2], da empfahen die ausserwöleten Schäflein den Segen von jhrem Obersten Hirten Christo[3], vnd entfliehen dem ewigen Fluch der vnseligen Böcken[4]. Hergegen aber, wo diser Glaub Petri nit wirdt gehalten, da werden die Schlüssel zum Himmelreich, so demselbigen Petro vbergeben[5] sein, nichts nutzen: da bawet man nur auff den Sand[6], da laufft man auß dem Weg, da ist nit an der Hand das Schiff zum vberfahren, da werden die Sünd von Christo nit verzigen, sonder in diser vnd künfftiger Welt behalten[7], da ist eitel Vngnad, vnd jmmerwerende verdamnuß allen, die nit wie gehorsame Schaf Petri, die stimm jhres Obersten Hirtens hören, vnnd sich ausserhalb der eintzigen, geistlichen, seligmachenden Arch Noe lassen finden, wie dann Cyprianus[8], Hieronymus[9], vnd andere Göttliche Lehrer[10] offtermals anzeigen. Da haben aber wir Catholischen ja trawrend vnsern lieben Gott zubitten für alle jetzt schwebende Sectirer, welche lieber Apostatisch dann Apostolisch wöllen sein, dieweil sie je lenger je weiter von dises heiligen Petri Glauben vnnd allen vralten Apostolischen Kirchen abweichen. Da müssen wir solche schwere anfechtung mit gedult vberwinden, vnd vnsern vralten Glauben stercken, also daß wir mit dem Tertulliano, welcher im 160. Jar nach Christi Geburt gelebt[11], von disen Leuten sagen: Edant origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerint[12], habuerit authorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae Apostolicae census suos deferunt: Sicut Smyrnaeorum Ecclesia habens[13] Polycarpum ab Ioanne collocatum refert:

[1] Cf. Lc 22, 32; Mt 16, 18. [2] Cf. Mt 16, 15—18. [3] Cf. 1 Petr 5, 4. [4] Cf. Mt 25, 31—46. [5] Cf. Mt 16, 19. [6] Mt 7, 26. [7] Cf. Mt 12, 32.

[8] De unitate Ecclesiae c. 4 (*Migne*, P. lat. IV 512—516).

[9] Epistola 15. (alias 57.) ad Damasum, n. 2 (*Migne*, P. lat. XXII 355).

[10] E. g. *S. Irenaeus*, Contra haereses lib. 4, c. 33, n. 7 (*Migne*, P. Gr. VII 1076); *S. Augustinus*, De unitate Ecclesiae c. 19, n. 49, et Sermo ad Caesareensis Ecclesiae plebem, n. 6 (*Migne*, P. lat. XLIII 429 695); *S. Fulgentius Ruspensis*, De fide ad Petrum, c. 38 (*Migne*, P. lat. LXV 704).

[11] Nunc docti plerique dicunt, Tertullianum circa a. 160 Carthagine natum esse (*O. Bardenhewer*, Geschichte der altkirchlichen Literatur II², Freiburg i. Br. 1914, 377).

[12] Tertulliani editores plerique habent „perseveraverit“; ita *Beatus Rhenanus* (Opera, Basileae 1521, 100), *Nic. Rigaltius* S. J. (Opera, Parisiis 1695, 213), *Erwin Preuschen* (De praescr., Freiburg i. Br. 1892, 26), *Herb. Bindley* (De praescr., Oxford 1893, 74), *P. de Labriolle* (De praescr., Paris 1907, 68) etc. Verum editio *Iacobi Pamelii*, quae a. 1579 primum in lucem prodierat Antverpiae et ea aetate omnium optima erat, habebat „perseveraverint“ (Opera, Coloniae Agrippinae 1617, 239).

[13] Hoc verbum, quod editores recentes, immo etiam iam Beatus Rhenanus recte omittunt, est non solum in editione pameliana, quam supra (adn. 12) dixi, sed etiam in editionibus Tertulliani, quas a. 1545 Io. Gangneius Parisiis et a. 1550 Sigism. Gelenius Basileae fecerunt (*Franc. Oehler*, Quinti Septimii Florentis Tertulliani quae supersunt omnia II, Lipsiae 1854, 29).

sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit. Proinde vtique et caeterae exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant · Confingant tale aliquid haeretici. Libro de praescriptionibus aduersus haereticos[1]. Das ist so vil gesagt: Dise Newglâubige sollen jhren Vrsprung darthun vnd fürbringen, wie jhre Bischöff vom Anfang nacheinander kommen seyen, dermassen daß jhr erster Bischoff habe zu eim Vorgeher oder Anfenger (seiner Lehr) gehabt einen auß den Apostlen, oder sonst einen Apostolischen Mann, welcher doch (in Glaubenssachen) mit den Apostlen verharret sey. Seitemal auff dise weis (nemlich durch solche Nachkommung) beweisen die Apostolischen Kirchen jhr Authoritet vnd Würde. Wie dann die Kirch, so zu Smyrna auffgerichtet, jhren ersten Bischoff Polycarpum weiset, als der vom Apostel Johanne daselbst ist eingesetzt worden. Wie auch die Römische Kirch fürstellet Clementem (den Bapst) welchen S. Peter der Apostel verordnet hat. Deßgleichen thun die andern Kirchen, vnd erweisen, daß sie jhr herkomen haben von dem Apostolischen Samen, da jhre Bischöfen erstlich seind von den Aposteln eingesetzt worden. Lasset nun die Sectischen von jhren Kirchen auch dergleichen, wie jetzt gesagt, fürbringen. Ebenmässig lerhet der heilig Martyrer vnd Bischof Jreneus, so noch âlter ist als gemeldter Tertullianus[2], vnd spricht mit klaren Worten: Man muß in der Kirchen allein denen Bischöffen gehorsamen, welche jhre Succession oder Nachkommen von den Apostlen her haben[3]. Weiset darneben alle Christen fürnemlich auff die älteste, mächtigste, Römische Kirch[4] · libro 9. capite 69. et lib. 3. cap. 3. Desto freymütiger dann kan vnnd soll ein jeder Christglaubiger mit dem heiligen Augustino bekennen vnd sagen: Mich erhaltet in der Catholischen Kirchen die Succession oder das ordenlich Nachkommen der Priestern, welches sich von dem Stul deß Apostels Petri biß auff das gegenwertige Bisthumb erstreckt. Dann disem Petro Christus der Herr selbs nach seiner Vrstend seine Schaf zuweyden hat befohlen · lib. contra epistolam Fundamenti cap. 4[5].

Desto mehr haben wir Catholischen bey disen hart betrangten vnd betrübten zeiten vns zutrösten, vnd bey jetzigem grossem Abfall, vor welchem der Apostel S. Paulus alle Christglâubige lang zuvor hat trewlich gewarnet[6], wol zu wachen vnd fleissig vmbzusehen, daß wir gleichförmig seyen dem Weisen Mann, von welchem Christus im Euangelio meldet, daß er sein Hauß auff einen Felsen ge-

[1] Cap. 32 (*Migne*, P. lat. II 52—53).

[2] Probabile est, Irenaeum circa a. 140 natum esse; mortis tempus valde incertum est (circa a. 202?). *Bardenhewer* I[2], Freiburg i. Br. 1913, 399—401.

[3] *Irenaeus* hoc dicit in opere Contra haereses l. 4, c. 26, n. 2 (*Migne*, P. Gr. VII 1053—1054), non l. 9, c. 69, ut hic dicitur.

[4] Ibidem l. 3, c. 3, n. 2 3 (*Migne*, P. Gr. VII 848—851).

[5] *Migne*, P. lat. XLII 175.

[6] Cf. 2 Thess 2, 3—10; 1 Tim 4, 1—3; 2 Tim 3, 1—10.

bawet, vnnd in seinem Wolstand erhalten habe, vnangesehen daß die starcken Wind daran stiessen, gewaltige Platzregen darauff fielen, vnd strenge Wasserflüss darzu schlugen. Dann alle dise vngestůmme demselben Haus keinen Schaden zufůgen möchten, darumb daß es auff einen vesten vnnd harten Felsen gegründet blibe[1]. Nun aber ist die Catholische Kirch ohn allen zweifel das hauß deß lebendigen Gottes[2], wie es von S. Paulus genennet wirdt, von Christo selbs auff den Felsen Petrum gebawet, wie die alte Lateinische vnd Griechische Theologi die Wort deß Herren vom Felsen zu Petro gesprochen[3], verstanden vnd außgelegt haben. Welches Geistliche Hauß, wiewol es vil vnd grosse anstöß zu allen zeiten erlitten, vnd noch erleiden muß, jedoch zu keiner zeit hat mögen vbergwåltiget sein, wirdt auch noch nit biß zu end der Welt von jhren Feinden vbergwåltiget vnnd nidergerissen werden, sonder bey allen Anlåuffen vnd Widerwertigkeiten, wie das Gold so im Fewr probiert wirdt[4], jmmer desto scheinbarer vnd herrlicher leuchten vnd glantzen.

Derhalben wir billich dem Himmelischen Vatter lob vnd danck sagen, daß er E. G. in jetztgemeldtem seinem geliebtem von jhme gebawetem Hauß, nach seiner Güte bißher bestendig erhaltet, auch jhnen gnediglich verleihet, daß sie in demselben Hauß gleichsam als veste Såulen stehen vnd bleiben. Dann sie von S. Petri Glauben vnd Kirch, von S. Beati Bekantnuß vnd Lehr, wie auch von dem gebanetem Weg der heiligen Våtter, vnd aller frommer Catholischer Vorfahren nie seind abgewichen : sonder vil mehr mit allem eiffer vnd ernst sich dahin bemühen, daß sie als edle, vnerschrockene Ritter Christi[5], obgedachtem Hauß Gottes, in vnd ausserhalb jhres Lands, zu Friden vnd Kriegszeiten trewlichen Beystand thun, vnd also für die Catholische Kirch vnd Warheit in grosse gfahr sich vnd die jhren begeben, ja auch offt biss auff das Blut streiten[6].

Bitt endtlich E. G. samentlich vnd sonderlich in Vnderthenigkeit, Sie wöllen dise mein Arbeit vnd dienstwillige Dedication im beßten auffnemmen, vnd jhnen günstiglich lassen gefällig seyn : darneben auch vnserer Societet getrewe Schutzherren vnd Patronen, wie biß anhero, verbleiben. Der gütige ewige Gott möge dieselben E. G. samt jhren lieben Vnderthanen zu Statt vnd Land in Einigkeit vnd gehorsamb der Catholischen Kirchen bestendig, vnd in der Regierung glückselig erhalten, auch an Seel, Leib vnd Gut benedeyen · Geben zu Freyburg in Vchtland, am abend aller lieben außerwöhlten Heiligen (welche nach Zeugnuß Pauli deß Apostels, durch den Glauben Königreich erobert, Gerechtigkeit gewürcket, vnd die Verheissung

[1] Mt 7, 24 25. Cf. Lc 6, 48. [2] 1 Tim 3, 15.
[3] Cf. Io 1, 42; Mt 16, 18 19. [4] Eccli 2, 5; 1 Petr 1, 7.
[5] Cf. 2 Tim 2, 3. [6] Hebr 12, 4.

erworben haben[1]) im[a] fünffzehenhundert neun vnd achtzigsten Jahr[b] Jesu Christi, der ein Haupt, Zier vnd Cron aller Heiligen ist.

E. G.

Allzeit dienstwilliger

Petrus Canisius.

2257. CANISIUS **PRAETORIBUS** et **SENATORIBUS LUCERNENSIBUS.** Friburgo Helvetiorum 6. Novembris 1589.

Ex apographo recenti, quod ex archetypo (autographo?) Canisii manu subscripto, quod nunc servatur Lucernae in archivo urbis, fideliter exscriptum esse „Iosephus Schneller Archivarius Civitatis" Lucernae 16. Septembris 1865 testatus est. Litteras ex archetypo typis exscripsit *Lütolf* 69—70. Easdem iam antea ediderat gallice versas *Boret* 131—133.

Librum de SS. Beato et Fridolino iis dedicat et mittit. Typographum Lucernam venturum et Societatem Iesu commendat.

†

Gestrenge Edle, Veste, Ersame, Fürsichtige vnd Weise Herren vnd Patronen, Euern Gnaden sein meine willige Dienst, neben meinem einfeltigen gebett zu dem Allmechtigen Gott, iederzeit zuuor. Wiewol mein geringheit sich möchte darüber entsetzen, vnd sich auch andere deßhalben verwundern köndten, das ich ein Ausländer mich vnderstee, ein newgedruktes Buch von Sanct Batt[2] Euren gnaden vnd Weißheiten zu dedicirn vnd zu vberschickhen, Jedoch bin ich gäntzlich der Hoffnung, es werden Dieselben, dises mein fürnemen in gutem an vnd aufnemen. Will diß orts nit erholen, was ich schon in meiner gedruckten Epistel[3] diß Buchs ausgefürt hab, nämlich aus was vrsachen ich mich vnderfangen, das ich diß Werckh beschribe, vnd Euren G. zueignete, darinnen gehandelt wirdt von dem Hochberümten Apostolischen Mann, vnd der gantzen Eidgenoßschafft fürnemen Patron vnd erstem Prediger dem lieben Sanct Beato. Er verdienet zwar vberaus wol, das sein leben vnd wandel, seine Werckh vnd Thaten, sein leer vnd exempel zu disen betrübten Zeiten am tag komen, auch von den gemeinen Mann mit vleis gelesen, betrachtet, gerümet, vnd in gros Vereher gehalten werden.

Dieweil nun dan solches Werckh mit Gottes Hilff allbereitt ist alhie in Druckh ausgangen, vnd von meniglichen, samt der dedicirung desselben Euren G. gethon, gelesen wirdt, habe ich nit weniger sollen thun, dan etliche dises Wercks eingebundene Exemplaria Euren G. vnd W. vndertheniglich zu presentiren, vnd demütiglich zu bitten, Sie wollen diß Opus samt seinem Autore vnd vnserer gantzen Societate, Jhnen lassen im besten bevolhen sein, Auch wie bisher vnsere günstige befürder vnd patronen sein vnd bleiben.

Es wirdt aber Abraham Gemperlein der Buchdruckher bald selbs in Eurer Statt erscheinen, vnd ein zimliche anzaal solcher Bücher mit

a) jhm *typogr.* b) Jahrs *typogr.*

[1] Hebr 11, 33.
[2] De hoc libro v. supra p. 284; eius titulum integrum v. infra, mon. 1490.
[3] Vide supra p. 284—293.

füren, der Hoffnung, dieselben Exemplarn durch Eurer G. vnd W. anordnung, durch verkauffung zu vertreiben, Welchen guten Mann Jch Eurer G. treulich wil bevolhen haben.

Was nun weiter diß offtgemeldete werckh betrifft, wil ich mich ietzt referirt haben auf die vorgedachte Dedication, so im anfang des Buchs gesetzet worden. Bitte darneben Gott den Allmechtigen, das solches werckh allenn[a] deßelben Lesern nutzlich vnd tröstlich seye, vnd das vnser Societet Eurer G. sich iederzeit also danck vnd dienstbarlich erzeigen möge, als Sie dessen sich schuldig erkennt. Derselbe gütige Gott wölle Eure G. vnd W. samentlich vnd sonderlich in glücklicher Regirung vnd aller Wolfart, kräfftiglich erhalten vnd beschützen, in Christo Jesu, vnserm Herrn. Datum zu Freiburg im Ÿchtland an S. Lienharden tag[1], Anno 1589.

Ewer G. vnd Weißheiten

Allzeit dienstwilliger

Petrus Canisius manu propria.

Den Gestrengen, Edlen, Vesten, Fürsichtigen vnd Weisen Herren, Schuldheißen vnd Raths der Statt Lucern, meinen gnedigen Herrn.

In **Litteris* annuis collegii friburgensis 30. Novembris 1592 datis narratur: „Accessio facta est ad rem pecuniariam aliquot coronatorum, quibus a Lucernensi Republ. quod ei S. Beati historia dicata esset, donati sumus" (ex apogr. eiusdem temp.: Cod. „I. 36" f. 58[a]).

In *Codice quodam sive registro rerum a senatu lucernensi anno 1590 actarum haec (manu, puto, *Renwardi Cysat*, archiscribae urbis lucernensis) notata sunt: „Zum dritten, diewyl der her Canisius, der zytten er die histori und legend s. Batten beschryben, der sachen ettwas kostens erlitten, mit Erhaltung eins eignen schrybers, wölche costen das Collegium darglychen, ob man von M. Gn. H. ettwas daran stüren wöllte, dieywl es inen zu eren bschehen und dediciert. Jst bschehen und hat man ime 12 Kronen nit für sin person noch vereerung (dann ers nit angnommen, ouch nit ir bruch), sondern allein an den Kosten, so das Collegium zu Fryburg erlitten, mit einem diener und schryber, so jme gedient in diesem werk, gestürt" (ex apographo recenti, exscripto ex Codice „Quotidian Register z. Mnanual uff dem Rathus" [Formelbuch 41], in a. 1590. Qui codex servatur Lucernae in archivo reipublicae).

2258. P. ARLUINUS MADIUS S. J., collegii coloniensis sodalis, CANISIO. Colonia m. Novembri 1589.

De hac epistula, quae perisse videtur, vide Canisii litteras 3. Iunii 1590 datas, infra, ep. 2275; per has enim Canisius Madio respondit.

Catalogus collegii coloniensis a. 1590 compositus haec habet: „P. Harluinus Madius, Delphensis [Delft, urbs Hollandiae], natus anno 1557, debilis naturae. Admissus ad Societatem anno 1577, Magister Artium. Bono ingenio, imo optimo, judicio bono, prudentia satis bona, optimum fecit profectum in litteris. Bona natura, sed rusticis moribus. Ad multa aptus, maxime ad docendum" (Rh. Inf. 38, 111 f. non sign.). „Arluinus Madius" (ita ipse scripsit), cum Coloniae inter convictores Societatis philosophiae operam dedisset, inde Treveros in Societatis tirocinium profectus est: ubi in hac vocatione tuenda mire constantem se praebuit (*Frider. Reiffenbergius* S. J.,

a) *Sic ex Litt. correxi apogr., quod habet* allerrj.

[1] Die 6. Novembris.

Historia Societatis Jesu ad Rhenum inferiorem I, Coloniae Agrippinae 1764, 176 177). Ex *epistula ab eo Colonia 19. Iulii 1586 ad Claudium Aquavivam praepositum generalem data haec intelleguntur: Treveris litteras et humanitatem atque etiam philosophiam docuit. Deinde Moguntiae theologiae studuit. Inde in collegium herbipolense missus primum Ethicam, dein Mathematicam docuit; simul in domo convictorum monachis praefuit et congregationem marianam rexit. Postea Coloniae Mathematicam, Ethicam, Rhetoricam docuit, catechetam et confessarium egit (ex autogr.; Germ. 166 f. 136a ad 137b). Paulo post 1590 morte abreptus esse videtur. In Catalogo certe provinciae rhenanae a. 1593 conscripto iam non comparet (Rh. Inf. 16 f. 53a 55a).

2259. CANISIUS **IOANNI IACOBO A STAAL,** patricio et archiscribae soloduranio. Friburgo Helvetiorum circa m. Novembrem 1589.

Ex apographo circa medium saeculum XVII. scripto, quod in codice proxime post apographum epistulae a Canisio 6. Ianuarii 1589 ad Staalium datae positum est. Librarius in margine scripsit: „Propria manu." Quae verba postea lineis transmissis oblitterata sunt. Superscripsit iis P. Petrus Hugo S. J. († 1657): „Alia ad eundem." Cod. monac. „Lat. 1606" f. 110b. Maximam epistulae partem, ascripto m. Martio a. 1590, posuit *Michel* 399[1].

Librum de SS. Beato et Fridolino ei mittit.

Pax Christi Jesu nobis aeterna
Nobilis et Magnifice Domine.

Venit isthuc meus BEATVS, sed non tam nitide et splendide sicut merebatur, et multi fortasse postulant, uestitus et ornatus. Tui candoris erit, talem hospitem comiter excipere, neque succensere sartori, qui meliores uestes optimo viro non parauerit. Offendet stilus et prolixa historia, quae de multis magnisque rebus Lectorem admonet, digna certe quae ab Heluetio scriptore pro dignitate tractaretur, Verum senex et peregrinus Theologus ad hoc scribendum opus accessi, quod si iudicio tuo utcumque satisfecerit, praeclare mecum agi putabo, Tantum ne hoc exile munus contemnas. — —

Canisius historiam SS. Beati et Fridolini initio m. Novembris 1589 in lucem emissam 6. Novembris 1589 senatui lucernensi, cui eam dedicaverat, misit (v. supra p. 284). Quare valde verisimile est, eum eodem mense librum eundem Staalio misisse.

2260. CANISIUS **P. IODOCO ITAEO S. J.,** in domo probationis landsbergensi socium Magistri Noviciorum agenti.
Friburgo Helvetiorum circa exitum a. 1589.

Ex epistulae 17. Decembris 1590 datae autographo, de quo dicetur infra, ep. 2282. et ex *Radero* 216—218. Ex Radero pleraque exscripsit *Sacchinus,* Can. 340—341.

Noviciis Christi pueri oboedientiam proponit imitandam.

Canisius Friburgo 17. Decembris 1590 Landsbergam ad P. Jodocum Itaeum[1] *litteras misit, magnam partem noviciis ibi degentibus destinatam, in quibus haec sunt: „Sicut anno superiore feci, ita nunc etiam facere constitui, ut R. T. tamquam procuratoris utar opera ad mei me-*

[1] De hoc v. supra p. 265. In *Catalogo provinciae Germaniae superioris a. 1589 a *Ferdinando Alber* provinciali Romam misso dicitur, „in Domo Probationis Landspergae" esse „P. Jodocum Ittaeum Socium Magistri Noviciorum, Catechistam, Concionatorem Templi [Societatis], Consultorem [Rectoris], Confessarium Domesticum" (G. Sup. 44 f. 78a).

moriam isthic domesticis refricandam." Ad *epistulam illam anni 1589 spectare videntur ea, quae P. Matthaeus Raderus S. J. a. 1614 in vita Canisii, anno 1589 in margine ascripto, rettulit: „Erga candidatos familiae nostrae, qui Landspergae Boiorum ad religiosae vitae disciplinam instituuntur, suam Canisius pietatem et religionem ostendit, cum sub initium ineuntis cuiusque anni Xenij loco salutaria quaedam ad religiosam perfectionem praecepta ab vsque Friburgo ad eos transmisit. Ex quibus vnicum exempli causa subijciam, ex quo de reliquis iudicium fieri poterit. Cooptantur in Societatis nostrae contubernium non adolescentes tantum mansuetioribus literis exculti, sed viri quoque rerum vsu periti, et diuinis ac humanis sapientiae disciplinis eruditi, qui saepe ante paroeciarum curiones egere, aut omnibus Academiarum honoribus sunt perfuncti, quos longe difficilius est a ciuili prudentia et astutia, ad religiosam simplicitatem traducere, vt promti ad omnia maiorum imperia aduolent, nec curiose in iussa et imperata inquirant. His ergo reliquisque omnibus documenti loco summum Christi paruuli studium obsequendi et sapientissimam simplicitatem imitandam proposuit. Cum enim ex religionis Catholicae capitibus illud minime postremum sit, Christum quamuis infantem, et nondum etiam ex virginis vtero editum iam rationis potentem, et qua consilio, qua prudentia praepollentem sapientia mortalium omnium intelligentiam longe superasse, nihilominus tamen se pro puero gessisse, et a parentibus haberi tractarique voluisse, seseque totum ad aetatis decorum et captum infantiae pueritiaeque efformasse, vti vita sua priori omnibus religiosae vitae tironibus norma viuendi esset: quo candore animi, qua morum innocentia, vitaeque simplicitate, et judicij quantumuis sublimis, acris et perspicacis dissimulatione maiorum imperijs obsequendum esset."*

Landsbergae a. 1589 erant 28 novitii; in his erant fere praecipui P. Melchior Degenhart, P. Caspar Torrentinus, Wolfgangus Rabenstein, Iacobus Keller, Bartholomaeus Welsperger, Michael Eberle (* *Catalogus* provinciae Germaniae superioris a. 1589 Romam missus. G. Sup. 44 f. 78b).

2261. CANISIUS **P. IOANNI HEIDELBERGER S. J.,** subregenti contubernii adulescentum litteris studentium monacensis.

Friburgo Helvetiorum sub exitum a. 1589.

Ex epistulae 17. Decembris 1590 datae autographo, de quo infra, ep. 2283.

Canisius Friburgo 17. Decembris 1590 P. Ioanni Heidelberger in collegio monacensi degenti scripsit: „Non possum non aliquid scribere ut ueteris amicitiae nostrae confirmetur memoria, et ego Xenium spirituale opera isthic uestra impetrem, sicut et anno superiore factum fuit." Haec tamen anni 1589 epistula perisse videtur.

In * Catalogo provinciae Germaniae Superioris a. 1589 a *Ferdinando Alber* provinciali Romam misso dicitur, Heidelbergerum in collegio monacensi esse „Subregentem Conuictorij et Catechistam" (G. Sup. 44 f. 76b). Ioannes Heidelberger (Haidlberger) a. 1547 Sipplingae (Sipplingen, vicus badensis prope lacum brigantinum situs) natus, a. 1575 matriculae universitatis dilinganae inscriptus, a. 1577 Societatem ingressus, 50 fere annos iuventuti litterarum studiosae educandae et instituendae mira

patientia et diligentia impendit. magister primum, deinde contuberniorum gubernator, postea, idque per annos plurimos, gymnasiorum praefectus. Octavo quoque die adulescentibus pauperibus, quae per hebdomadem iis emendicaverat, distribuebat. Monachii a. 1632 cum fama sanctitatis mortuus est (*Specht*, Matrikel I 103; * „Elogia Hominum Illustrium qui in Prouincia Superioris Germaniae vixerunt" p. 90 91 [Monachii in archivo maiore reip., Iesuitica Fasc. 11 No. 196½]; *Fr. X. Kropf* S. J., Historia Provinciae Societatis Iesu Germaniae Superioris. Pars quinta, Augustae Vindelicorum 1754, n. 158 159; *G. A. Patrignani* S. J., Menologio della Compagnia di Gesù, contin. per *G. Boero* S. J., I, Roma 1859, 56 57).

2262. CANISIUS **CLAUDIO AQUAVIVAE,** praeposito generali Societatis Iesu. Friburgo Helvetiorum initio Ianuarii 1590.

*De hac Canisii epistula, quae iam non videtur exstare, vide Aquavivae litteras 15. Februarii 1590 ad Canisium datas, infra, ep. 2265; per has enim Aquaviva ei respondit. Hoc loco id unum noto: Haec Canisii epistula significatur, cum Aquaviva Roma 14. Februarii 1590 P. Ferdinando Alber provinciali Germaniae superioris *scribit: „Friburgi etiam audiui magistros ita parum in humanitate uersatos esse, ut uix latine sciant; quod si esset, eo minus conueniret, quo maior est earum scholarum expectatio ob expensas a ciuitate factas" (ex commentario; G. Sup. 2 f. 33b).*

2263. CANISIUS **IOANNI IACOBO A STAAL,** patricio et archiscribae soloduranus. Friburgo Helvetiorum 25. Ianuarii 1590.

Ex apographo circa medium saeculum XIX. (ex archetypo?) scripto. Can. 56 nº 5 f. 2b—3a. Epistulam, ascripto d. 5. Ianuarii 1590, commemoravit *Michel,* Can. 399[1].

Se non posse S. Ursi scribere historiam, nisi huius „fundamentum" sibi mittatur.

Pax Christi nobis aeterna ·
humanissime Domine.

Rediit huc nuper clarissimus Dominus Heydius[1], vestroque nomine nos amanter salutavit, ac praeterea de Divi Ursi Historia desiderata monuit[2]. Ego vero miratus sum, fateor, hoc opus a me expectari, cujus promissa prima veluti fundamenta, quibus superextruendum erat, necdum videre licuit.

Proinde judicet, quaeso, sapientia tua, an hactenus mora in nobis fuerit, quo minus in hoc opere laboraremus, et condictam operam praestaremus. Ut enim recte quis panem et liba conficiat, praesenti frumento et farina primum opus esse, quivis intelliget. Nec dubito quidquid in hoc genere miserint Solothurnenses, id mihi ad conscribendam historiam profuturum, multumque lucis allaturum esse. Superest igitur ut iter certius instituamus atque ad scriptionem ipsam veniamus, sublatis impedimentis, quae pictorem arcent[a], ut ad amplissimum sanctissimumque Ducem depingendum arripere non possit penicillum. De me

a) *Sic in apogr. alia manu correctum est ex* avocant.

---

[1] Ioannes a Lanthen-Heid, patricius friburgensis, qui in patria praetor (scultetus) et in Gallia dux militum fuerat; v. supra p. 16 42 61.

[2] Vide supra p. 269.

autem imbecilli sene tantum habeo polliceri, quantum gratiae et virium Divina bonitas satis impedito Theologo elargietur. Vide interim, doctissime et amicissime vir, ut cum charissima conjuge et liberis recte valeas navimque fluctuantem in mari tempestuoso pro tua prudentia dirigas. Nos immortalem Deum ex animo precamur, ut Gallicos motus componat et regnum tam nobile pristino loco restituat[1]. praeclare feceris si Magnificos Dominos Solothurnenses, quibus felicia precor omnia, reverenter ex me salutaris. Datum Friburgi Helvetiorum XXV Ianuarii 1590.

Clarissimo viro Domino Ioanni Iacobo a Staal Patritio et Archiscribae Solodorensi, amico singulari.

2264. IOANNES PISTORIUS, Iacobi marchionis badensis consiliarius intimus, CANISIO. Friburgo Brisgoviae 3. Februarii 1590.

Ex imagine photographica apographi eiusdem temporis, quod est in archivo vaticano, Cod. „Nunz. di Svizz. 3" f. 69, et hanc habet inscriptionem manu eiusdem librarii factam: „Exemplum litterarum Doctoris Pistorij IIJ. Februarij MDLXXXX datarum Friburgi Briscouiae ad Patrem Canisium Societatis Iesu." Epistulam ex eodem apographo edidit *Friedr. von Weech* in „Zeitschrift für Geschichte des Oberrheins", Neue Folge, Bd. VII, Freiburg i. Br. 1892, 671—672.

Praefatiuncula editoris: Ioannes Pistorius „iunior" (1546—1608), Niddae (Nidda) in Hassia ortus ex Ioanne Pistorio „seniore", qui ex sacerdote catholico superintendens lutheranus et lutheranorum theologorum dux quidam et caput evaserat. cum Marburgi et Vitembergae theologiae Lutheranorum, iuri, medicinae studuisset, a. 1575 a Carolo II. marchione badeno-durlacensi medicus et historiographus aulicus constitutus est. Anno 1584 a Iacobo III. marchione badeno-hochbergensi (Baden-Hochberg sive Baden-Hachberg), Caroli filio, consiliarius intimus factus, Emmendingae (Emmendingen) sedem habebat, cum iam multis annis ante a Lutheranis ad Calvinianos transisset. At protestantismi vanitate paullatim intellecta multisque animi cruciatibus superatis primum a. 1587 Canisio duce (v. infra, mon. 1445) clam privatimque Friburgi Helvetiorum, deinde a. 1588 palam Spirae fidem catholicam amplexus et in ecclesiam receptus est. Interim marchio quoque Iacobus, vir acris ingenii et multae lectionis, de protestantium doctrinis dubitare coeperat. Propterea m. Novembri 1589 Badenae (Baden-Baden) coram eo Iacobus Andreae, quem Schmidelinum vocare solebant, et Iacobus Heerbrand cum Pistorio et Theodoro Busaeo S. J. de religione disputare coeperunt. Pistorius adversarios in tantas compulit angustias, ut secundo vel tertio die colloquium abrumperent. Schmidelinus, ut David Pareus professor calvinianus narrat, „magno cum naso discessit". Princeps deinde novum colloquium haberi iussit ad illudque etiam Ioannem Pappum, lutheranorum theologorum argentoratensium caput, arcessivit. Cum autem ille cum Pistorio congredi nollet, tandem a d. 23. ad 27. Iunii 1590 Emmendingae disputatum est inter eum et ipsum Iacobum atque Ioannem Zehender Iacobi contionatorem aulicum, qui per Pistorium doctrinam catholicam edoctus erat. Iacobus 15. Iulii 1590 in ordinis cisterciensis monasterio tennenbacênsi (Thennenbach) fidem catholicam solenniter professus est et statim terrae suae ad ecclesiam reducendae operam dare coepit. Sed iam 17. Augusti 1590 morte est abreptus (*Andr. Räß,* Die Convertiten seit der Reformation II, Freiburg i. Br.

[1] Henrico III. m. Augusto a. 1589 ex insidiis interfecto, Henricus Navarrae rex nomen regis Galliae sibi sumpsit. Ligistae vero, Carolo Guisio duce, Navarraei, quod haereticus et excommunicatus esset, imperium detrectabant et pro cardinali Borbonio, quem Carolum X. appellabant regem, decertabant.

1866, 488—507; *A. Kleinschmidt,* Jacob III., Markgraf zu Baden und Hochberg. Frankfurt a. M. 1875, 35; *F. Stiere,* Jacob III., Markgraf von Baden-Hochberg, in „Allgem. Deutsche Biographie" XIII 534—538; *Weech* l. c. 656—693; *Janssen* V[1-12] 380—386). De Pistorio vide plura infra, mon. 1445.

Disputatio iussu Iacobi marchionis badensis inter Pistorium et ministros protestantes instituenda. Pistorius, ut vitae suae prospiciat, Friburgum transmigrat.

— — Princeps Iacobus, Marchio Badensis, strenue pergit, et nouam disputationem tribus abhinc septimanis instituit, inter me, et quatuor Theologastros Lutheranos. Adhibere praedicantem illum Pappum uoluit, sed non potuit adduci. Nec quatuor illi congressuri mecum erunt, nisi sub quatuor conditionibus; primo ut de iustificatione primo loco, et non de ecclesia disputarem. 2º ut Theses scriberem, et argumenta omnia, quibus uti uellem, statim apponerem, et isthaec omnia mitterem quatuordecim diebus ante disputationem; 3º ut iurarem alijs argumentis, quam quae notassem, me non pugnaturum · 4º ut si urgerem argumentum, et illi haererent, promitterem ad singulas haesitationes diem unum, uel dimidium ad deliberandum. Promisi omnia, et sic promoui ut reciperent disputandi conditionem; Tamen adhuc uidentur se subducturi ex praelio; tantum terrorem exemplum Schmidelini, qui tamen uicisse uideri uoluit, inculsit [?][a] lutheranis omnibus. Sed siue disputent, siue non disputent, Princeps in consilio progredietur. Faxit Deus ut omnia fiant ad ipsius gloriam. Misissem theses de Iustificatione, sed sunt Germanicae ex Iussu Principis, et nimis multae, ut ita subito describi non possint, mittam tamen postea, et scribam quid accidat. Atque haec de rebus Theologicis meis. Testis sit Deus, me non mentiri id, quod liquidum fiet ex actis.

Ego sedem rerum mearum transtuli Friburgum, ubi residuam aetatem uisum est sub Austriaco patrocinio ponere[1]; non enim credis quantae procellae insidiarum in me iactentur, ut uix sperem (quia proficiscendum semper est) quietam, et domesticam mortem. Sed me, omniaque mea promisi [?][b] Deo, paratus per illius gratiam ad omnia subeunda, quae imponet, modo me confirmet, et in beneuolentia sua conseruet. — —

Octavius Paravicinus apostolicus apud Helvetios nuntius Lucerna 5. Martii 1590 harum litterarum vel potius huius litterarum partis apographum, quod supra dixi, Romam ad cardinalem Alexandrum Perettum de Montalto, Sixti V. pronepotem et Romanae Ecclesiae vicecancellarium, misit, nuntians, Iacobum marchionem decrevisse, ut denuo inter Pistorium et contionatores suos lutheranos disputatio institueretur. „Delle particularità di questa vedrà V. S. Illustrissima qui inclusa una copia della lettera che l'istesso Pistorio ha scritto a questi giorni al padre Canisio" (*Weech* l. c. 670—673).

a) *Sic apogr.; sed corrigendum esse videtur:* incussit. b) *Sic quidem apogr.; sed Pistorium ipsum scripsisse dixerim:* permisi.

[1] Friburgum Brisgoviae ad Austriam anticam („Vorder-Österreich") pertinebat: quae cum Tiroli et aliis terris constituebat Austriam superiorem („Ober-Österreich") cui Ferdinandus II. archidux, princeps probe catholicus, imperabat.

2265. CLAUDIUS AQUAVIVA, praepositus generalis Societatis Iesu.
CANISIO. Roma 15. Februarii 1590.

Ex commentario sic inscripto: „Friburgi P. Petro Canisio." G. Sup. 2 f. 36ª.
Rectoris virtus. Magistri parum idonei. Valetudo curanda.

Libenter uidi Reuerentiae V. iudicium de P. Rectore[1], maxime[a] cum eum ita commendaret, ut merito magnas Domino Deo gratias debeamus qui illi tam bonas dotes concessit, et gratiam etiam concedit eas dotes strenue exercendi. Itaque eundem Dominum precamur ut sua haec dona in eo custodiat pro maiore sua gloria, totumque Collegium sua benedictione semper in melius promoueat.

Porro cetera quae Reuerentia V. nobis exposuit, grata nobis fuerunt, ac de ijs P. Prouincialem[2] admonebimus, ut omnia ordinet, et disponat ad Dei gloriam, et nominatim de magistris, quos nos quoque cupimus semper quam maxime idoneos esse, quoniam hoc a nobis exigit ipsa nostra professio, et fides etiam, cum uidelicet proximi suos nobis filios credunt. Spero etiam P. Prouincialem pro ea facultate quam habebit prouisurum ut oportet.

De reliquo non habeo fere quod scribam, nisi quod ad Reuerentiae V. aetatem attinet de qua scribit, cupere me ut quo ea prouectior, et infirmior est, eo magis eam[b] sui curam habeat quam[c] Dei gloria requirit, et Societatis obsequium, ut eo diutius ei seruire possit. Ego uero uberem ei gratiam et[d] benedictionem precor, et me ipse eius precibus et sanctis sacrificijs commendo. Romae 15. Febr. 1590.

Eodem die *Aquaviva* ad P. Michael rectorem *litteras dedit; in quibus haec eum monet: „Quod ad res temporales attinet, dolemus quidem eas ita angustas esse, ut scribit, sed tamen sperare debemus in Domino qui regit et pascit nos" (ex comment.: G. Sup. 2 f. 34ᵇ).

2266. IOANNES IACOBUS A STAAL, archiscriba soloduranus.
CANISIO. Soloduro m. Februario 1590.

Vide initium epistulae proximae, qua Canisius Staalio respondit.

Ceterum ad has litteras ea quoque aliquo modo pertinent, quae *Staal* in *Tabulis rerum a senatu solodurano gestarum his verbis notavit: In consessu 28. Decembris 1589 habito: „Gerathen, diewil Herr Canisius der fürträffenlich hochgelert Doctor der heiligen gschrifft, so jetziger Zytt zu friburg wohnet, SS. Beati et Fridolini historias publiciert, vnnd sich mercken lassen, wouerre m. g. h. söllichs nitt mißgefellig, sich mitt Sant Ursen legenda auch zu bearbeitten, daß M. Hans Wagner[3], min Her propst[4] vnnd ich der Stattschriber ime alle zu söllicher sach nottwendige mittel, historien, vnnd Antiquitetenn mittheillen, vnnd darneben Sant Ursen spill auch söllind trucken lassen". Et in consilio 2. Ianuarii 1590 habito: „Min Herr Seckelmeyster Dägischer, der Herr zur Matten[5] vnnd ich der Stattschryber söllend mitt Herrn Propst vnnd Capittel der Stifft Sant Ursen reden, daß sy einen vßzug machend Sant Ursen legend vnd history halb, vnnd selbigen m. h. zustellend, damitt

a) *Sequitur* qui *vel* quo, *oblitt.* b) *Hoc v. supra versum scriptum est.* c) *Sequitur* pro, *oblitt.* d) *V. supra versum scriptum.*

[1] Petro Michael. [2] Ferdinandum Alber.
[3] Magister scholae: de quo plura infra dicentur. [4] Ursus Häni.
[5] Hic erat praefectus vel tribunus militum („Obrist"): cf. infra, ep. 2300.

sy Herr Canisio möge mittgetheillt werden" (ex apographo recenti, exscripto ex Cod. „Rathsprotokoll Band 93" f. 835 839, qui est Soloduri in archivo reipublicae).

2267. CANISIUS **ALICUI SOCIO** collegii molshemiensis.
Friburgo Helvetiorum sub initium m. Martii 1590.

Vide finem epistulae proximae et quae sub ipsam illam epistulam dicentur.

2268. CANISIUS **IOANNI IACOBO A STAAL,** patricio et archiscribae solodurano. Friburgo Helvetiorum 2. Martii 1590.

Ex apographo circa medium saeculum XIX. (ex archetypo?) scripto. Can. 56, nº 5 f. 2.

Veteres S. Ursi memoriae diligenter colligendae. Paci Galliae et Helvetiae consulendum.

Pax Christi nobis aeterna ·
humanissime Domine!

Laudo sane vestram prudentiam, quod ad D. Ursi historiam conscribendam diversa vetustatis monumenta colligatis, et in ea sylvula huc mittenda minime properandum esse existimetis. Quam cunctandi rationem non mihi molestam, sed valde gratam esse profiteor, quod sane cupiam, ex omni antiquitatis memoria conquiri, quidquid ad hoc praeclarum argumentum pro dignitate tractandum facere posse videatur. Nosti enim vetus dictum, Sat cito si sat bene [1]. Magnas autem ego gratias dignitati tuae ago, quae publicis negotiis impedita isthaec pia studia respicere ac promovere dignatur. Salutem ex me dici velim Reverendo Domino Praeposito [2], M. Ioanni Carpentario [3], aliisque Dominis et Amicis, quos Christus nobis diu pro sua bonitate conservet. Et quoniam de pace et incolumitate publica non possum non sollicitus esse, Deum Opt. Max. ex animo precor, ut partim turbulentae Galliae [4], partim dissentienti Helvetiae [5] pro tua prudentia optime consulas, et quoad ejus fieri potest, saevam tempestatem nobis imminentem omnibus modis avertas. Videor enim mihi videre funestam illorum conspirationem.

---

[1] De hoc v. *Can.* VI 459 [1].

[2] Ursus Haeni sive Galliculus, solodoranus, ab a. 1573 usque ad mortem († 1599) Solodori praepositus capituli S. Ursi erat. Is anno quidem 1579 erga Bonhomium nuntium apostolicum, ecclesiam solodoranam visitantem, haud ita, ut par erat, observantem se praebuerat (plura v. infra, mon. 1286). Postea tamen ita se gessit, ut et Canisius, et Staal, vir probe catholicus, eum magni facerent. Ceterum etiam *Bonhomius* 25. Octobris 1579 de eo ad cardinalem Comensem rettulerat: „È di costumi honesti" (*Steffens-Reinhardt,* Dok. I 585—586; cf. etiam II 295).

[3] Ioannes Carpentarius sive Wagner erat, ut ipse in „Libro amicorum" Staalii indicavit, „liberarum artium magister, scholae ac organi administrator civisque Solodorensis" (*Glutz-Hartmann* l. c. [v. supra p. 268 [3]] 90). Ioannes Georgius filius eius a. 1595 Staalio in officio archigrammatei successit (*Ioh. Kälin,* Franz Guillimann, in „Freiburger Geschichtsblätter" XI, Freiburg i. Ue. 1905, 80 [4]).

[4] Vide supra p. 298.

[5] Anno 1589 Genevenses in fines ducis Sabaudiae impressionem fecerunt. Quibus Bernates aliique Helvetii protestantes subsidia miserunt. Catholici vero Helvetii duci succurrerunt. In Gallia autem ex Helvetiis alii pro Henrico IV., alii pro Carolo X. pugnabant. Cf. *Mayer* II 268—270.

qui ex professo sese hostes Ecclesiae Catholicae profitentur, ut merito lugeamus atque cantemus; Non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster [1]. Adjunctum fasciculum si occasio dabitur, Molshemium cupio destinari, tuamque humanitatem in Christo salvere desidero vehementer. Friburgi Helvetiorum postridie Calendas Martii 1590.

Servus in Christo Petrus Canisius.

Nobili viro Ioanni Iacobo de Staal Patricio et Archiscribae Solodorensi, amico singulari.

Fasciculum, quem Canisius cum his litteris misit, ab eo homini alicui Societatis in collegio molshemiensi (Molsheim, urbs Alsatiae) degenti destinatum esse colligitur ex epistula Soloduro 9. Martii 1590 a Staalio ad Christophorum Blarer episcopum basileensem data; in qua *Staal* scribit: „Reuerendissime Antistes, vt amplitudini vestrae negotium facessam, in causa est venerandus in Christo Pater D. Petrus Canisius Societatis IESV Phoenix, qui hisce diebus (vt alias saepe) ad me scribens, rogavit, vt adiunctum litterarum fasciculum Molishemum per certos homines mittere velim. Ego vero, qui perlibenter non solum de me, sed et de Republica Christiana optime merito viro gratificarer, animi pendeo, quanam ratione iniunctum mihi ab eodem officium commode ac tuto possim exequi. Jn causa est ipsa litterarum Epigraphe sive inscriptio, quae, vt R. V. P. novit, cane peius et angue apud haereticos exosa est, nobis vero, praeter Argentinenses mercatores, ne vnus quidem sese offert, per quem, citra litterarum iacturam, aut secretorum periculum, praedictum litterarum fasciculum, quo pertinet, transmittere possim. Caeterum, cogitanti mihi, Reverendissimae Vestrae Paternitati, arctam cum Episcopo Argentoratensi [2] intercedere amicitiam, eamque ob causam fieri non posse, quin vltro citroque inter vos mutuae commeare soleant litterae, visum est, me D. Canisij voluntati rectius satisfacere non posse, quam si praedictum litterarum fasciculum in sinum fidei ac humanitatis tuae conferrem, admodum bona spe fretus, R. V. Paternitatem tam D. Canisio, quam nobis, hac in parte benevole gratificaturam esse" (ex apogr. eiusdem temp.: Cod. solod. „Stal" p. 109—110).

2269. P. LEONARDUS FORELLA S. J., collegii monacensis praeceptor praefectusque et catechista [3], CANISIO.

Monachio 23. Martii 1590.

Ex autographo (2°; 1 p.; in p. 2 inscriptio), quod est Friburgi Helvetiorum in archivo familiae Techtermann de Bionnens. Epistula usus est *Tobie de Raemy*, Le Chancellier Techtermann, Fribourg 1914, 29.

---

[1] Breviarium romanum hoc habet Dominicis Octobris in responsorio tertio primi Nocturni. Cf. Ex 14, 14; Dt 1, 30; 3, 22; 2 Esd 4, 20; Idt 5, 16 etc.

[2] Ioanne a Manderscheid.

[3] „Jn Collegio Monachiensi . . . P. Leonardus Forella, Praefectus Conuictorum, Catechista, et infimae scholae Praeceptor": Ita „*Catalogus* tertius . . . Prouinciae superioris Germaniae, ex Anno 1589" (G. Sup. 44 f. 76[b]). In „*Catalogo* communi et priuato" collegii monacensis anni 1590 dicitur, eum „Tyrolensem", 32 annos natum, 12 annos in Societate esse, „praeceptor grammaticae et rudimentorum, bonae mentis et uoluntatis, gratus catechista, futurus aliquando non malus externorum confessarius, ac forte etiam minister" (G. Sup. 19, III, p. 41—42). Forella cum P. Aegidio Fabricio Societatis residentiam biburgensem (Biburg in Bavaria) a. 1593 incohavit et totam illam regionem contionibus, doctrina christiana, confessionibus magno cum fructu excoluit (*Duhr*, Jes. I 400). Die 18. Iunii 1595 Ingolstadii vota coadiutorum formatorum emisit et 29. Aprilis 1615 ibidem mortuus est („Liber Professionum et Votorum" collegii ingolstadiensis [Cod. „270" bibliothecae universitatis monacensis, f. 13[b]).

De officiis sibi commissis, Ioannis Techtermann friburgensis morte, orationibus aliisque operibus ab adulescentibus pro Canisio Deo oblatis.

† Reuerende in Christo Pater
Pax et gratia Dei nobiscum.

Nunquam plàne futurum existimauissem, ut duorum circiter annorum spatio nullas litteras ad R. V. darem, uerum quia praeter expectationem hoc mihi contigit, spero plane me apud Reuerentiam Vestram facilem huic negligentiae meae ueniae locum habiturum. Sciat ergo me miserum homulum annum ab hinc indignum quidem maiorum nostrorum cum uoluntate Sacerdotem factum esse, et duobus etiamnum annis catechismum in coemeterio B. Petri [1] docuisse, auditorium satis frequens, Deo laus, semper habere. Nosocomij curam mihi demandatam esse. Quodsi R. V. quaerit num, praeter has, aliae mihi occupationes sint, sciat me aliquot supra cent[um] scholasticorum confessiones excipiendas habendo, Subregentis munus administrandum recepisse, habereque me insuper in hypocausto, Beatissimae Virgini sacro, octo supra uiginti conuictores, quorum praefectum agens, non parum temporis absumo. Valetudine, quae Dei in me bonitatis inditium est, Deo laus satis bona fruor, licet bene multi Monacenses periculosis febribus non parum molestantur, sicuti eadem illa etiam nostro charissimo Adolescenti Johanni Dechterman [2] permolesta fuit, ita, ut is hodie me et P. Georgio Lautherio [3] praesente extremum diem obierit. Bonus Adolescens tres circiter hebdomades infirmus fuit, et in infirmitate sua haud parum sua patientia inuisentes se circumstantesque recreauit dicens mihi, triduo ante quam moreretur, se religionem ingredi decreuisse · cum uero a me rogaretur quam religiosorum familiam ingredi uellet, cognoui ego illum S. Augustini et S. Francisci plenius deditum fuisse. Sed dum is in magna dubitatione uersatur, quam potius eligat, Deus eum e [a] corporis sui ergastulo euocauit, atque ita factum est, ut is uoti sui compos factus sit, qui monachus mori saepius desiderauit, ut e uitae huius miserijs liberaretur. Deus huius animae propitius sit. Sed haec hactenus. Venio nunc ad alia, quae Reuerentiae Vestrae non minus iucunda erunt, atque illa, quae hactenus a me scripta sunt. Sunt autem haec, quod ego hoc anno non minus diligens et sollicitus fui [a] ut Reuerentiae Vestrae Spirituale xenium procurarem, ac alijs [annis]. Et quamuis xenium hoc exiguum sit, erit, et est tamen [a] procul dubio dantium uoluntas, quorum animus potius, quam munus spectandus est. Vt ergo praepotens ille rerum omnium opifex, Reuerentiam Vestram

a) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

[1] Ecclesia S. Petri nunc una est ex ecclesiis parochialibus urbis monacensis.

[2] Erat is filius Pancratii Techtermann et Elisabethae de Brandenburger idemque frater natu minimus praeclari illius Guilielmi Techtermann, qui tunc Friburgi Helvetiorum cancellarius sive archigrammateus reipublicae erat (*Raemy* l. c. 3 29).

[3] Hic in * *Catalogo* anni 1589 supra (p. 302 [3]) commemorato vocatur „Catechista. Fabricae curator et Confessarius Templi" (f. 76[b]).

nobis et Ecclesiae suae diutius saluam simul atque incolumem seruet, conuictores hypocausti Beatissimae Virg. Mariae, qui meae curae commissi sunt orarunt 40 supra 100 rosaria. Psal. poenitentiales 80 uicibus · Letanias ad sanctos 142 · Letanias Beatae Virg. 148 · sacra audiuerunt 43. Officium B. Virg. recitarunt 29 · Jeiunarunt 37 · Psalmum Miserere 20 orarunt · Psalmos Graduales ter. Atque haec domestici meae curae commissi fecerunt. DisciPuli autem mei[a], promiserunt se ultra centum sacra audituros, oraturos deinde Rosaria 300 · Letanias B. V. 26 uicibus · Pater et Aue ij, quorum aetas alia facere prohibet, paruuli enim sunt, 32. Atque ita factum est, ut hi dixerint has preces in signum grati animi. Sciunt etenim Reuerentiam Vestram optime de patria sua meritam esse. Deus Eandem nobis diu superstitem et saluam[a] seruet. Vale R. in Christo Pater mei, meorumque memor, praesertim in precibus et sacrificijs tuis. Datum Monachij 23 Martij Anno 1590.

Reuerentiae Vestrae

Jndignus in Christo filius

et seruus Leonardus Forella.

Reuerendo in Christo P. Patri Petro Canisio, Societatis JESV Sacerdoti plurimum colendo, Friburgi.

Cum his litteris Friburgum missa est epistula a convictorii „Regente Monacensi" (qui fuisse videtur P. Christophorus Rosetus) data. P. *Petrus Michael* collegii friburgensis rector utramque epistulam Guilielmo Techtermann cancellario misit, rogans, ut molliter, quantum fieri posset, patrem de filii morte certiorem faceret; ex regentis litteris intellectum iri, quantam caritatem Ioanni et Bavariae princeps (Guilielmus V.) et Societatis homines praestitissent.

2270. IOANNES IACOBUS A STAAL, archiscriba solodoranus, CANISIO. Soloduro m. Martio vel initio Aprilis 1590.

Vide epistulam 6. Aprilis 1590 datam. Per hanc enim Canisius ad Staalii litteras respondit.

2271. CANISIUS **IOANNI IACOBO A STAAL,** patricio et archiscribae solodorano. Friburgo Helvetiorum 6. Aprilis 1590.

Ex apographo circa medium saeculum XIX. (ex archetypo?) scripto. Can. 56. nº. 5 f. 3.

Historiae S. Ursi ex monumentis Soloduro missis componendae difficultas. Canisius orationibus iuvandus. Galliae calamitates. Poenitentia agenda.

Pax Christi nobis aeterna humanissime Domine!

Non moleste fero, sed gaudeo potius me tua in scribendo elegantia, et in amando diligentia superari, quam binis literis huc missis abunde declaras · pergratus mihi fuit novus hospes, (quem mihi expoliendum committitis, Thebaeus ille noster Ursus, Christique Martyr insignis[1]. Optarim sane majores mihi vires atque facultates suppetere, ut ex transmissa huc silvula opus expectatione vestra dignum vestrisque

a) *Sequitur verbum ita oblitteratum, ut iam legi non possit.*

[1] Vide supra p. 269.

civibus non ingratum hoc tempore conficerem, quo iniquis plane censoribus plena sunt omnia. Video informem et indigestam offerri materiam, quam in ordinem certum redigere et ad historiam elaboratam referre nostrique saeculi militibus accommodare, valde mihi operosum fore prospicio. Divinam igitur opem imploro, et Divorum precibus magis, quam studiis meis confido in hoc difficili opere conscribendo atque utinam isthic mihi faveant pii, ut in scribendo sudans ardentibus illorum votis Deo summo saepe commender. Dolemus ex animo quod magis magisque se ipsam conficit Gallia, et pro speratis victoriis, sicut recte scripsisti, suas cumulat clades, et extremas propemodum auget calamitates. Horrendum est isthoc judicium irati Dei, Galliam tamdiu sine capite tumultuari [1] et religionis causam, qua nihil debebat esse antiquius, in has angustias redigi, ut summa imis, et sacris profana indignissime misceantur. Utinam vero sola Gallia hoc exulcerato saeculo laboraret, neque alibi etiam passim discors regnaret concordia, quae Christi Ecclesiaeque causam nunc affligit ac perturbat maxime. Vereor sane, nostris publicisque peccatis, quae sine poenitentia licenter patrantur, praesentes futurasque poenas deberi et frustra nos de tranquillitate domestica restituenda cogitare, quamdiu cum Deo tot modis offenso non redimus in gratiam. Dominus Iesus Galliae et Helvetiae nostrae misereatur, nostrosque majores verae fidei et pacis reddat amantes. Valde cupio vestrae familiae felix et sanctum Pascha [2] contingere, ut vere cum Christo Domino resurgamus. Datum Friburgi Helvetiorum VI Aprilis anno 1590.

Servus in Christo

Petrus Canisius.

Magnifico et nobili viro Domino Ioanni Iacobo a Staal supremo Scribae apud Solodorenses, amico valde colendo.

2272. CANISIUS **P. OLIVERIO MANAREO**, praeposito provinciali provinciae belgicae Societatis Iesu.

Friburgo Helvetiorum 9. Aprilis 1590.

Ex autographo (2°; p. 1; in p. 2 inscr. et sigill.), quod exstat Lovanii in collegio Societatis Iesu. Epistula ex apographo veteri, eoque, ut videtur, aliquantum mendoso vel obscuro, quod falso habitum erat exemplum archetypum. Editum est in „Précis historiques" tom. 40, Bruxelles 1891, 517—519. Epistulam commemoravit *Michel* 410. Eius particulam germanice posuit *Braunsberger*, Petr. Can. 298.

Provinciae belgicae S. J. profectus. Farnesii aliorumque pietas. Capucini in Belgio et Helvetia. Universitas lovaniensis. Dissidia. Verronius. Collegium. Sal.

Pax Christi Jesu nobis aeterna.

Reuerende Pater

Redeo tandem ad scriptionem chariss. optimoque Patri debitam, et nescio cur tamdiu intermissam. Diuinae bonitati ago gratias, quae

[1] Vide supra p. 298. D. 14. Martii 1590 Ligistae ab Henrico IV. apud Iberium (Ivry) victi erant. [2] Hoc futurum erat d. 22. Aprilis.

hoc tempore cum nostris tam clementer agit in Belgio, eorumque conatus non paucis efficit salutares, ut in messe tam ampla fidi ac utiles operarij merito uideantur. Optamus locum et sumptus suppetere Nouiciatui [1], qualem requirit isthaec prouintia, ut praeclarum habeatis seminarium ad multos Christi milites probe efformandos. Confidimus non defutura collegia bene fundata, quando maior et firmior erit Reip. tranquillitas, vetusque pietas altiores iecerit radices post diras in religione factas passim mutationes, quae non leuia vulnera post se relinquere solent in animis imbecillium. Gratulamur Belgio de Sereniss. Duce [2] alijsque proceribus uere Catholicis, quorum zelus et industria uti nostris, ita et alijs siue sanis, siue infirmis in fide confert plurimum. Gaudemus insuper bonos fratres Capucinos in Belgium introductos, Antuerpiae et Bruxellae non sine fructu uersari, quemadmodum in Heluetia quoque commendantur, ut nostros propemodum obscurent, uel octo in locis gratissimi Catholicis [3]. Bene habet quod praesens hic ager tot bonorum ac insignium adolescentum loetos proferat manipulos, quorum opera tum in templis, tum in scholis ad magnam Dei gloriam commode uti possitis [4]. Vtinam uobis bene conueniat cum academicis Louanij, qui subinde in suo sensu abundare [5], et nostris non admodum fauere uidentur [6], fortasse sathana nobis et Ecclesiae fructum publicum inuidente.

Quod autem R. T. isthic modo degat et praesit, non sine singulari Dei Opt. Max. prouidentia contigit, illique gratias hoc nomine singulares agimus, simulque precamur ex animo, vt afflictam et iacentem prius prouintiam magis ac magis erigat ac prouehat, grauesque difficultates passim obiectas amoliatur. Virescit interim vulnere virtus [7], nec fieri potest, quin Belgium a vicina et tumultuante Gallia multum mali capiat seculo tam exulcerato. Nam et hoc loco experimur, quam se late diffundat Nauarraea pestis [8], quantamque uim habeat ad sanos

[1] Provincia belgica domum probationis tunc habebat Tornaci.

[2] Alexander Farnesius, ex familia ducum parmensium, Belgium nomine Philippi II. Hispaniae regis regebat. De rebus ab eo in Belgio praeclare gestis v. *Pastor* IX 418—426.

[3] Anno 1589 constituta erat provincia Patrum Capucinorum helvetica; cuius domus sive „conventus" erant Stantii, Lucernae, Suitii, Appencellae, Solodori, Badae (*Chronica* Provinciae Helveticae Ordinis S. P. N. Francisci Capucinorum, Solodori 1884, 26—27).

[4] Societatis in Belgio novicios et scholasticos significat.

[5] Rom 14, 5.

[6] Iam aliquot annis ante facultas theologica lovaniensis varias sententias sive „theses" a PP. Leonardo Lessio et Ioanne Hamelio S. J. Lovanii de inspiratione sacrae Scripturae et de efficacia gratiae divinaque praedestinatione prolatas damnaverat. Quibus controversiis quam diu quamque vehementer deinceps multorum animi commoti sint, notum est. Nova huius rei monumenta edidit *X.-M. Le Bachelet* S. J., Bellarmin avant son Cardinalat, Paris 1911, 147—244.

[7] „Virescit vulnere virtus": Verba ab *A. Gellio* ex carminibus *Furii Antiatis* posita in „Noctes Atticae" 18, 11, 4.

[8] Vide supra p. 298.

etiam animos inficiendos. Hinc lites et contentiones inter optimates: hinc turbae et schismata inter Heluetios milites: hinc inter Gallos ipsos tot motus exitiales, adeoque inter se Catholici dissentiunt [1], ut Galliam quae seipsam conficere pergit, et precibus et lachrymis prosequi non satis posse uideamur. Gloriantur interim de suo rege Caluiniani, multumque facessunt negotij Sabaudiae principi [2], ut in expugnanda Geneua impediatur. Sed ad nostra venio. Valent Domini et amici, tuamque charitatem iubent amanter salutari [3]. Ex his Parochus [4] offitio suo statuit cito renunciare, et in Jtalia uiuere. Difficilem rerum experimur annonam, lente procedit fabrica collegij, creuit in scholis numerus studiosorum. De sale Burgundico partim huic urbi, partim nobis quotannis iuxta morem ueterem attribuendo scripserat isthuc Rector noster [5] per Legatum Friburgensem. Js iam redijt confecto apud Sereniss. Ducem negotio, ut optatam salis mensuram posthac percipiant ciues: sed quod collegij nomine postulabatur, ad arbitrium Regis Catholici reiectum fuit, ita vt ab omni spe accipiendi salis iam excidisse uideamur [6]. Superest ut me totum R. T. sacrificijs et precibus ualde commendem, simulque desiderem totius Belgicae prouintiae uestrae in meritis particeps esse. Dominus Jesus ad sui Nominis gloriam nos clementer gubernet atque custodiat. Friburgi Heluetiorum 9. Aprilis · 1590.

Jn Christo indignus et seruus et filius

Petrus Canisius manu propria.

Reuerendo in Christo Patri P. Oliuerio Manaraeo, collegiorum Societatis Jesu in Belgio Praeposito Prouintiali. Vbicunque fuerit.

2273. IOANNES IACOBUS A STAAL archiscriba solodoranus CANISIO. Soloduro m. Aprili 1590.

Vide litteras proximas; per has enim Staal Canisio respondit.

2274. CANISIUS **IOANNI IACOBO A STAAL**, patricio et archiscribae solodorano. Friburgo Helvetiorum 2. Maii 1590.

Ex apographo circa medium saeculum XIX. (ex archetypo?) scripto. Can. 56. nº 5 f. 4.

De historia S. Ursi. Clades Ligistarum dolet. Solodoranos laudat.

Eruditas juxta et amicas literas tuas accepi, quibus in priore instituto Ursinae historiae texendae confirmor [7], ut Reipublicae vestrae desiderio satisfiat. Et vero jam fracta est Glacies, Deo propitio, qui, Patrono vestro intercedente, in hoc difficili opere mihi magis magisque subvenire dignetur. Nec omittam vestros milites, ut suadetis, ad praestandum officium excitare, majore ut cum fructu legatur historia, quum ad nostri temporis militiam probe formandam accommodetur. Utinam

---

[1] Henricus IV. (Navarraeus) aliquam iam sui cum ecclesia reconciliandi spem catholicis praebuerat. [2] Carolo Emmanueli I. duci.

[3] Cf. supra p. 13 29 48 et infra. mon. 1289 1294 1295.

[4] Sebastianus Verronius: v. supra p. 283². [5] Petrus Michael.

[6] Cf. supra p. 4 27 43. [7] Vide supra p. 304.

vero tenuitas mea vestro et bonorum desiderio respondeat aliquando! quod enim opus Evangelicum[1] nunc sub praelo sudat me non parum remoratur.

De Ligariis, quos vocas, hoc unum habeo dicere, me illorum infeliciter pugnantium causa dolere[2]; simulque gaudere hactenus, quod a Catholicis magistratibus vocati arma sumpserint et Orthodoxos tueri voluerint. Solothurnenses laudo, qui, ne caederentur Helvetii, suam operam apud Haereticos interposuerunt · Vereor autem, ne hic rerum successus animosiores reddat adversarios, qui religionem et Ecclesiam Catholicam magis magisque labefactent. Orandum interim Deum Opt. Max. censeo, suam ut iram a Gallis ac nobis avertat et falsam illorum opinionem de medio tollat, qui specioso Regis inaugurandi praetextu, cum impiis Ecclesiae hostibus perniciose conspirant, seque participes illorum malorum faciunt, quae ex hoc funestissimo bello consequuntur. In Christo Iesu vale et quacunque ratione potes, afflictae Ecclesiae patriaeque fer opem, vir amicissime. Salutem ex me dices Reverendo Domino Praeposito[3]. Friburgi Helvetiorum postridie Calendarum Maji Anno 1590.

Servus in Christo Petrus Canisius.

Nobili et praestanti viro Domino Ioanni Iacobo a Staal Solodorensis Reipublicae Archigrammateo, amico singulari.

2275. CANISIUS **P. ARLUINO MADIO S. J.,** collegii coloniensis sodali. Friburgo Helvetiorum 3. Iunii 1590.

Ex apographo (2°; 1 1/4 pp.) saeculo XVIII. scripto, quod librarius, ut in summa pagina 1 affirmat, ex autographo exscripsit. Cod. colon. „I. A. 18" (antea „Epistt. ad Kessel. I"; v. *Can.* I LIII—LIV) f. 255. Epistulae particulam (ex autographo, ut videtur) P. *Hermannus Crombach* S. J. († 1680) transcripsit in suorum *„Annalium Metropolis Coloniae Agrippinensis", qui nunc asservantur Coloniae in archivo historico urbis. Tomum IV p. 600. Maximam epistulae partem ex apographo, quod dixi, typis exscripsit *Ios. Hansen,* Rheinische Akten zur Geschichte des Jesuitenordens 1542—1582. Bonn 1896, 8—9. Duas epistulae partes posuit *Reiffenbergius* I 8°. 11ᶜ (cf. 5ᶠ), ex autographo, quod tunc, ut ipse ait, in tabulario collegii coloniensis asservabatur. Epistulae partes ex Reiffenbergio et Hansen transcripserunt alii, velut *Riess* 29[2] 40[3] et editores operis „*Fabri* Monumenta", Matriti 1914, 198[10] 277[40].

Collegii coloniensis benefactores, patroni, prosperitas. Beati Petri Fabri in urbem coloniensem adventus. Socii eius. Prima Societatis colonia coloniensis. Res a Canisio Coloniae gestae.

Pax Christi nobis aeterna, Charissime frater.

Quae Novembri mense ad me dedisti, his diebus primum accepi, eoque legi libentius, quod sanctae urbis et collegii vestri jucundam mihi memoriam renovarent. Benedictus Deus, qui res vestras in hac

[1] Canisii „Notae in Evangelicas lectiones" dierum Dominicarum; v. infra, monum. 1502.

[2] Ligistas significat, qui hortante Caietano legato pontificio sub Carolo Guisio duce de Mayenne contra Henricum IV. et Calvinianos pugnabant.

[3] Urso Haeni; v. supra p. 301[2].

tanta temporum et annonae difficultate conservat, novosque vobis patronos in illustrissima principum Bavarorum familia suscitat [1], multosque penuriae vestrae compatientes passim ad charitatem pauperibus sublevandam benigne largitur. Ita nos in cruce probari et ad majora praeparari charismata necesse est. Non possunt vobis necessaria deesse subsidia, qui tot liberales ac faventes patronos in coelo habetis [2], et quibus nostri patres Romae et alibi ex animo cupiunt optime, utpote non ignari, quantum ex hoc vestro collegio pendeat, quantumque praesidii haec nostra societas hactenus ceperit [3]. Iam vero ut ad quaestiones vestras respondeam R. P. meus [a] Faber cui tam multum debemus, non venit Coloniam nisi a me rogatus, postquam societati me Moguntiae sub illo ipso Magistro dedidissem [4]. Habebat autem ex aula Imperatricis Sacerdotes duos hispanos, quorum alter P. Ioannes, alter P. Alvarus [b] est dictus [5], qui in bursa Montana non tamen diu est commoratus, mihi-

a) *Hoc v. deest in Reiff.* b) *Librarius in margine ascripsit:* Alphonsus eadem manu.

[1] In collegii coloniensis *Litteris* annuis annorum 1586 et 1587 de Ernesto Bavariae duce, qui tunc archiepiscopus coloniensis et imperii princeps elector erat, narratur: „Res domestica aucta et adiectis aedibus, et reditibus annuis: Serenissimi videlicet Principis . . . beneuolentia . . . Bonnae quoque, Archiepiscopi Coloniensis rogatu, datum non nihil temporis malis euellendis stirpibus“ etc. (*Litterae* Societatis Iesu duorum annorum M. D. LXXXVI et M. D. LXXXVII. Romae 1589, 249—250). Et in *Litteris* annuis a. 1589: „Serenissimi Archiepiscopi munificentia auxit rem familiarem, et vectigal domesticum“ (*Annuae* Litterae Societatis Iesu Anni .M. D. LXXXVIII, Romae 1590, 160). Et in *Litteris* annuis annorum 1590 et 1591: „In studiorum instauratione vtroque anno datum est drama, coram Apostolico Nuntio, et serenissimis Bauariae Principibus Philippo et Ferdinando“ filiis Guilielmi V. ducis Bavariae . . . „Apud Philippum et Ferdinandum Principes, eadem paene qua apud Serenissimos patrem Ducem, et Archiepiscopum patruum, caritate sumus: ij, dum hic fuerunt parentis iussu, nusquam, quam apud nos libentius · vnius e nostris opera in litteris vsi: et constitit profectus, cum in Sodalitio, Magnae Matris laudes soluta alter, alter adstricta numeris oratione celebrarunt: vectigalium nobis immunitatem et portoriorum a patruo obtinuerunt“ etc. (*Litterae* Societatis Iesu duorum annorum MDXC. et MDXCI., Romae 1594, 337—338).

[2] Sanctos dicit, quorum Coloniae et sacrae reliquiae asservantur et memoria singulari pietate colitur: Tres Reges Magos, S. Gereonem cum sociis, S. Ursulam cum sociis, S. Cunibertum, S. Severinum. Fortasse Canisii animo obversabantur etiam viri illi Societatis, qui, cum Coloniae egregie pro Dei gloria et animarum salute laborassent, iam laborum praemia aeterna adepti erant, inprimis Beatus Petrus Faber, P. Leonardus Kessel, P. Ioannes Rethius.

[3] „Von Köln gingen fast alle Neugründungen [der Gesellschaft Iesu] am Rhein und an der Mosel aus; nach Belgien, Oberdeutschland, ja bis in den Norden und Osten lieferte es Arbeiter“: *Duhr,* Jes. I 34.

[4] Canisium senem hic memoria fefellit. Nam Beatum Petrum Fabrum etiam rogatu Gerardi Kalckbrenner (Hammontani), prioris cartusiae coloniensis, Coloniam venisse patet ex epistulis a Fabro Moguntia 12. Aprilis 1543 ad eundem Gerardum et Moguntia 28. Maii 1543 ad Claudium Perisin priorem cartusiae Repausatorii datis, quae sunt in „*Fabri* Monumentis“ 198 202.

[5] Ioannes Aragonius et Alvarus Alphonsus (*Fabri* Monumenta 143 144 151; *Can.* I 98[2] 109; Memoriale Beati *Petri Fabri,* ed. a *Marc. Bouix* S. J., Lutetiae Parisiorum 1873, 337).

que causam praebuit Moguntiam proficiscendi. P. Ioannes aliquando Spira Coloniam usque peregrinatus est eodem Magistro authore ut in paupertate sanctam peregrinationem [?][a] experiretur · Neuter vero cum eodem P. Petro vixit Coloniae ac ni fallor, in Hispaniam suam ambo redierunt[1]. Crediderim eundem Alvarum anno 42 Coloniam primum accessisse, et in Montano Collegio vixisse privatim cum ego Moguntiam proficiscerer. Post hujus discessum venit P. Faber, cum ego apud D. Gereonem habitarem, ubi et charus fuit hospiti meo D. Andreae Barduick Canonico et Licentiato Theologiae[2]. Deinde hospitium illi obtinuimus apud bonum civem non procul ab aede[b] Apostolorum habitantem[3], nec multo post divertit ad aedes conductitias, in quibus antea Suffraganeus[4] vitam egerat, non ita procul a summo templo[c][5]. Cum illic haeret, multi Belgae partim ex Portugallia remissi partim Patris de strada concionibus apud Lovanienses conversi, praeter expectationem omnem accesserunt[6], quibus idem pater M.[d] Leonhardum Kessel praefecit, cum ipse jussus antwerpiam et Portugalliam peteret. Inter hos igitur domesticos fuere Ioannes[7] et Daniel[8], quos nominatis, sicut et Ambrosius, Iacobus, et M. Lambertus Leodiensis, qui vitam cum[e] morte Coloniae commutavit[9]. Sed fratrum horum, inter quos nullus erat sacerdos praeter P. Leonhardum, dispersio facta est ob Senatum Coloniensem qui graviter tulit novum hoc societatis seminarium in urbe sua excitari. Me veluti notiorem facilius ferre potuerunt, qui una cum P. Leonhardo in alias aedes prope aedem Dominicanorum commigravi, et sacris initiatus fui[10]. Ante hoc tempus partim in bursa montana

a) *Corrigendumne:* in peregrinatione sanctam paupertatem? b) templo *Reiff. et Hans.* c) *Librarius in margine:* burgmauer prope lysbysloos /lysloos? lysloch?/ d) *M.* = *Magistrum. Hans. habet:* meus. *Reiff.:* quibus idem P. N. e) iam *Hans.*

[1] At Alphonsus atque, ut videtur, etiam Aragonius aliquamdiu cum Fabro Coloniae fuerunt. Aragonius initio a. 1544 a Fabro in Lusitaniam missus est: Alphonsus a. 1545 in Hispaniam rediit (*Fabri* Monumenta 353 666; *Can.* I 161).

[2] De Andrea Heerl (Herll) de Baardwijk v. *Can.* I 17 94.

[3] Ioannem Speng (*Can.* I 99[8]). [4] Quirinus a Wilych.

[5] „Auf der Burgmaur" (*Can.* I 670; *Hansen* l. c. 8[6]).

[6] De his Societatis noviciis vel scholasticis v. *Can.* I 102 103, et „Cartas y otros escritos del B. P. *Pedro Fabro*" I, Bilbao 1894, 210–211; et „*Fabri* Monumenta" 233 463–464. Verbum „conversio" hic habet significationem olim usitatissimam: transitus ad vitam religiosam sive ingressio in ordinem religiosum: cf. v. g. S. *Gregorii M.* Epistt. l. 3, ep. 40, 60; S. *Salviani* Adversus Avaritiam l. 4, n. 5 (*Migne,* P. lat. LXXVII 637 666; LIII 232); *Thomae a Kempis* De imitatione Christi l. 1, c. 11, n. 5; c. 13, n. 6; c. 20, n. 5; c. 23, n. 2.

[7] Ioannes sacerdos (postea Birgittinus?). Cf. *Can.* I 93–94 125 161 167.

[8] Daniel (Paeybroeck S. J.?) sacerdos. Cf. *Can.* I 93–94 115 126 157 163 305; *Fabri* Monumenta 207–208 212 303.

[9] Ambrosius de Lyra, Iacobus Faber Duacensis, Lambertus de Castro (*Can.* I 103[2] 108[2] 121–123 212; *Epistolae Mixtae* ex variis Europae locis I, Matriti 1898, 239 385).

[10] Cf. *Can.* I 103–137; *Io. Alph. de Polanco* S. J., Vita Ignatii Loiolae et rerum Societatis Iesu Historia I, Matriti 1894, 155–156.

Evangelium, partim in schola Theologica Paulinam Epistolam ad Timotheum docui, et in Capitolio sum germanice concionatus, nonnunquam et in scholis artium declamavi, sed non frequenter, maxime post P. Fabri discessum [1]. Nuncius autem Apostolicus, quocum venit Coloniam P. Bobadilla, fuit D. Hieronymus Verallus Romanus, idemque factus postea Cardinalis. In Theologia nullum Coloniae gradum assequutus sum [2], rogatus autem a Clero legationem obii primum [a] apud Leodienses ac deinde apud Caesarem anno 45, contra haereticum Archiepiscopum agens [3]: nec redii postea Coloniam nisi ex colloquio Wormaciensi [4], et sub Pio IIIJ Pontifice qui me nuntium secretum miserat ad Electores [5] et in Westphaliam. Commendo me vestris omnium precibus, qui sane gaudeo me inter primos isthic vixisse cum P. Faber jam mortuus renuntiaretur [6]. Dominus nobiscum. Friburgi Helvetiorum [b] 3. Iunii. anno christi 1590. Servus in Christo pet. Canisius.

Salutem ex me R. P. Rectori [7] et amicis omnibus.

Charissimo in Christo Fratri Arluino Madio Societatis Iesu Sacerdoti Coloniae Agrippinae.

Huic Canisii epistulae manu P. *Bernardi Myron* luxemburgensis, qui ex Germania inferiore Friburgum Helvetiorum missus, ibi procuratorem collegii agebat, vel alius Socii friburgensis (Petri Michael rectoris?) haec ascripta sunt: „P. Bernardus Myron hinc R. V. salutat peramanter, cupitque similiter omnes reliquos PPRR et FR tam notos quam incognitos, praesertim vero P. Finenum, P. Engelinum ac P. Nun[?] salutari si isthic adhuc agunt omnes. Commendo me una Sanctis omnium et sacrificiis et precibus."

2276. IOANNES A LANTHEN-HEID praetor friburgensis CANISIO.
Friburgo Helvetiorum paullo ante 13. Iulii 1590.

Vide initium epistulae proximae.

a) primam *Hans.* b) Helveticorum *Hans.*

[1] Cf. *Can.* I 112 124 143 149 160—167 664—667.

[2] Factus est tamen Coloniae a. 1545 „baccalarius biblicus" (*Can.* I 160 666 ad 667). Memoria igitur senem Canisium fefellit.

[3] Constat, Canisium auxilii adversus Hermannum a Weda archiepiscopum, qui ab ecclesia defecerat, impetrandi causa missum esse a. 1546 ad Georgium Austriacum episcopum leodiensem eiusque capitulum, a. 1545 et 1547 ad Carolum V. imperatorem: v. *Can.* I 46 162 164 233—234 674—677. Fortasse igitur Leodium missus erat etiam a. 1544 vel 1545. *Scripsit certe P. *Ioannes Hasius* S. J. Embrica a. 1613 P. Matthaeo Radero: Mense Aprili 1545 Leodio Coloniam perlatas esse litteras episcopi clerique leodiensis, „quibus et Archiepiscopi factum damnabant, et Cleri Coloniensis academiaeque causam probabant, et opem promittebant." „Id", inquit Hasius, „testantur acta Decani facultatis artium" coloniensis (ex autogr.: Cod. „I 29", n. 54 VIII).

[4] Cf. *Can.* II 143—144 153—156 803—806.

[5] Ad Danielem Brendel et Ioannem von der Leyen archiepiscopos principesque electores moguntinum et treverensem. De hac Canisii legatione cf. *Can.* V 120 182 639—691.

[6] Mortuus est Romae Kalendis Augusti a. 1546 (*Can.* I 212).

[7] P. Ludovico Thouardo.

2277. CANISIUS **IOANNI A LANTHEN-HEID,** reipublicae friburgensis praetori sive sculteto. Friburgo Helvetiorum 12. Iulii 1590.

Ex apographo saeculo XVII. scripto. Cod. monac. „Lat. 1606" f. 113[a].

Praefatio editoris: Vallesiani (Wallis, respublica confoederationis helveticae) e vetere memoria patronum colunt Sanctum Theodorum sive Theodulum episcopum octoduranum Martinach in Valesia) saeculi IV. Quid de eo sentirent Vallesiani aliique fideles, *Petrus Franciscus Chifflet* S. J. († 1682) ad Guilielmum Cuperum hagiographum bollandianum rettulit his verbis: Eius „reliquiarum variae partes in Bisuntinam et Lugdunensem dioeceses translatae adversus tempestates ac caeli injurias praesidio sunt; sed et campanae ab eo benedictae sonitu suo veneficorum ac daemonum impios coetus solvere et maleficia discutere solent. Eamdem virtutem aliis quoque campanis inesse, compertum est, quibus immixtum fuerit frustulum metalli e quadam campana ab ipso benedicta, quae dudum inter pulsandum effracta est" [1] (*Acta Sanctorum* Augusti, Tom. III, Antverpiae 1737, 274).

Auctor autem * *Litterarum* annuarum collegii friburgensis Friburgo circa m. Novembrem a. 1590 datarum, postquam narravit, „primarium quendam ex senatu friburgensi virum" collegii sacellum compluribus donis ornasse, haec addidit: „Alius dignitate maiori annulum ex auro et aëre campano S. Theodoli (certa in tempestatibus malacia) fusum, cuidam ex patribus nostris animo liberali donavit" (ex apogr. eiusdem fere temp.: Cod. I 36 f. 47[a]). Anulum porro illum Canisio donatum esse ab eo reipublicae friburgensis praetore sive sculteto, qui collegii friburgensis primus et praecipuus habebatur „patronus", intellegitur ex litteris modo ponendis. Hic autem fuisse videtur Ioannes a Lanthen-Heid; cf. *Steffens-Reinhardt* II 114 et infra, monum. 1404.

Pro anulo theodoliano et plurimis beneficiis in se collatis gratias agit. Precationes promittit.

Hochgeachter Gestrenger Edler Herr schuldtheiß Pesonders gnediger Herr getreüer patron. E: gnaden sein mein guot willige dienst neben meinem demüetigen gebet, allezeit zuuor.

Eß ist ia billich, daß ich mit dißem kleinen schreiben meine schuldige diemüt vnd dankbarkeit erzeige, die weil E: gnaden mich vnwürdigen nit allein mit ihrem frindtlichen schreiben, sonder auch mit dem geistlichen vnd guldigen ring heütiges tags so herrlich ehret vnd zieret. Je weniger aber ich mich solcher empfangnen gnad würdig empfind vnd erkenne, ie mehr hab ich mich ietz vnd volgender zeit zu bedanken, daß E: gnaden sich von anfang vnsßers Colegij biß hie her gegen mir armen Capellan, allezeit so geneigt, guet willig vnd väterlich erzeigt haben, des ich mich billich vor Got vnd der weldt rhüemen solle.

Waß dan die herrliche schankung, des schönen, kostlichen vnd mir vast angenemen rings belangt, den will ich, ob Gott will fleissig vnd treülich die zeit meines lebenß bewaren, vnd dar bay seines schenkers dankbare gedechtnuß bhalten, auch darneben Gott den Allmechtigen sambt seiner lieben zarten muter Mariam treülich bitten

[1] De huiusmodi reliquiis S. Theoduli circa a. 1489 et 1490 a Lucernensibus et Basileensibus in campanis fundendis adhibitis scribit *E. A. Stückelberg*, Geschichte der Reliquien in der Schweiz I, Zürich 1902, 79. Ferebant, daemonem in Theoduli gratiam campanam quandam Roma Sedunum portare coactum esse (idem *E. A. Stückelberg*, Die schweizerischen Heiligen des Mittelalters, Zürich 1903, 115).

daß die woll bekandte krafft des herrlichen Metalls in vnßerem Colegio gar gewonliche vnd gewünschte wirkung erzeige, auch so wol der seelen alß dem leib zu guotem gerhate, sonderlich durch getreüe fürbitt deß heiligen würdigen Bischofs vnd beichtigers Theodol. Thue gegen E: gn. mich also nit allein von wegen sollichen ietz empfangnen schanckung, sonder auch für alle andere zuo vor erzeigte gnad, zum höchsten bedanken, derselben auch, alles vnßerem ersten vnd Obristen Hauptman vnd patron in diser stadt, mich sambt dem gantzen Collegio, vndertheniglich beuelhend, Jn Christo Jesu vnserem herren[1], der E: gnaden sambt den ihren an leib vnd seel lange Zeit, genedig bewahre:

Datum in der eil ausß vnsßeren Collegio den 12. Julij. Anno 1590.

E. V: guet vnd dienst williger Caplan.

Petrus Canisius.

2278. P. OLIVERIUS MANAREUS, provinciae belgicae Societatis Iesu praepositus, CANISIO. Aestate a. 1590.

Ex litterarum commentario, quod Manareus sua manu (ut videtur) scripsit in margine epistulae 9. Aprilis 1590 a Canisio ad se datae; de qua vide supra p. 305. In eiusdem epistulae pagina altera manu, ut videtur, alia scriptum est: „Responsum". Litterarum partem ex eodem commentario gallice vertit *Michel* 410.

Canisii „documenta salutaria". Provinciae belgicae disciplina, collegia, seminarium. Noviomagus.

Gratissimae fuerunt [litterae Reverentiae Vestrae][a 2], et semper spirant illum spiritum et odorem virtutum, quem ipsius conuersationes vbique mire excitauerunt cum aedificatione et consolatione bonorum omnium · continent et semper documenta salutaria; quae etsi pro sua modestia non faciat mihi expresse, prouide tamen et prudenter illa instillat, dum per ea quae mihi tribuit, innuit quid et quomodo agere deberem, vt permultas ad Christum sponsas belle ornatas adducerem[b 3]. Pro quo officio ago gratias, quantas possum maximas.

De rebus Prouinciae huius hoc tantum habeo quod dicam, Societatis, per Dei gratiam, disciplinam in tota bonam esse, et qualem ego desidero, ac amo in omnibus Prouincijs, non assequimur tamen (meo iudicio) solidam illam et masculam virtutem Germaniae Superioris.

Collegia desiderantur in varijs locis, sed neque operarios habemus, quos subministremus (fuit enim valde desolata tota prouincia et paucis annis pauci Theologiae dederunt operam). Spero tamen quod post duos vel 3. annos colligemus aliquod bonum ex seminario Theologico, in quo pauci videlicet 12 · sed optimi illi totius prouinciae, quoad eius fieri potest, collocantur[4].

a) *Haec vel similia supplenda esse res ipsa ostendit.* b) *Sic Manareus in commentario correxit ex* vt salutem animarum procurarem.

[1] Cf. supra p. 248[5]. [2] Has vide supra p. 305.

[3] Cf. Io 3, 29; 2 Cor 11, 2.

[4] Seminarium hoc erat in collegio S. J. lovaniensi (* *Catalogus* collegii lovaniensis Maio 1590 scriptus, in „Fl. Belg. 9" f. 135[b]–136[b]).

Quod ad res externas attinet. Neomagenses [?][a] valde premebantur et affligebantur nuper. sed succursum est illis. et caesi ex hostibus multi[1].

Et de alijs nouis Procurator [vos certiores faciet] [?][b]. Salutet quaeso P. Rectorem[2] amanter ex me, nam vereor me non posse [?][c] ad ipsum scribere quia [?][d] non ita pridem ad eum scripsi. — — —

Ex huius epistulae verbis „De alijs nouis Procurator" valde verisimile efficitur. Manareum eam Friburgum ad Canisium misisse per P. Georgium Duras, qui 18. Maii 1590 Tornaci in „congregatione provinciali" belgica electus erat „procurator" (Congr. 44 f. 182[b]), ut aliquanto post Romam ad praepositum generalem proficisceretur.

2279. IOANNES IACOBUS A STAAL archiscriba solodoranus CANISIO.

Solodoro circa aestatem a. 1590.

Vide Canisii litteras 4. Septembris 1590 datas (infra, ep. 2281), per quas ille Staalio respondit.

2280. CANISII litterae commendatitiae pro **SEBASTIANO VERRONIO** decano capituli friburgensis.

Friburgo Helvetiorum initio m. Septembris 1590.

Ex archetypo. manu P. Sigismundi Ilsung S. J. scripto. ab ipso Canisio subscripto (2°; 1/2 p.). sigillo collegii friburgensis munito, quod est in Can. 56, Fasc. Va. n. 4. Apographum saeculo XVII. scriptum exstat in cod. monac. „Lat. 1606" f. 112[a].

Verronium decanum, Romam petentem, laudat et commendat.

†

Pax Christi nobis et lectoribus omnibus perpetua.

Vt aequitati et charitati Christianae satisfaciamus. committere non potuimus quin amicissimo uiro hasce literas exhibituro, et in Italiam profecturo nostram operam praestaremus. eique testimonium hoc scriptum et consignatum, quo sit ille notior omnibus adiungeremus. Est autem idem Reuerendus uir, et colendus doctusque presbyter D. SEBASTIANVS WERRONIVS. ciuis et Decanus Canonicorum Ecclesiae Collegiatae D. Nicolao sacrae apud Friburgum. Heluetiorum oppidum. in quo multis ille abhinc annis cum publica laude parochum praestitit, et Catholicam religionem studiose defendit. Qui cum Romam cogitet. suaeque in Jtaliam profectionis causam honestam habeat. dignus est sane. quem boni et Catholici omnes, in quos forte incidet, de meliore nota sibi habeant commendatum, et de quo etiam. si opus fuerit, pro charitate sua ubique locorum benemereantur. Hoc enim officio rem se

a) *Obscurius scriptum.* b) *Haec vel similia suppleri debere verisimile est; vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.* c) *Vel* vereor manu propria? d) *Vel* et?

[1] Nescio an hic falsus fuerit rumor. Urbs m. Maio a. 1590 a Guilielmo principe Auriaco obsideri coepta est. Ad eam liberandam tandem m. Iunio 1591 ducis Parmensis exercitus venit. Qui tamen a Mauritii Auriaci equitibus victus. et multis militibus orbatus. recedere coactus est. Die 21. Octobris 1591 pactio facta est de urbe Mauritio tradenda. Qui pronuntiavit. in posterum solius religionis „reformatae" exercitium Noviomagi permissum iri (*G. A. Meijer* O. Pr., Katholiek Nijmegen I. Nijmegen 1904. 52—53; *Van Hoeck* 70—71).

[2] Petrum Michael.

cumprimis dignam, nec minus Christo gratam, ac ipsi peregrinanti commodam fecerint. Id uero ut faciant, ab omnibus et singulis etiam atque etiam amanter petimus ac rogamus. Datum in Collegio nostro eiusdem supradicti oppidi Friburgensis, Anno post Christum natum sesquimillesimo, nonagesimo, ad initium mensis Septembris.

Petrus Canisius
Locus sigilli de Societate Jesu subscripsit.

2281. CANISIUS **IOANNI IACOBO A STAAL,** patricio et archiscribae solodorano. Friburgo Helvetiorum 4. Septembris 1590.

Ex apographo circa medium saeculum XIX. (ex archetypo?) scripto. Can. 56. nº 5 f. 4b—5a.

Socii adulescenti sibi commendato, quantum per tempora licebit, providebunt.

Pax Christi nobis aeterna humanissime Domine!

Postremas litteras isthuc scriptas Praefecto nostro Domino Heydio [1] tradidi, et ad vos eas pervenisse confido, quibus de D. Ursi historia rationem reddidi. Allatae sunt interim aliae prudentiae tuae, quibus adolescens in schola nostra instituendus mihi commendabatur. Adfuit et mater pueri jam scholasticis aliis adscripti, et cujus rationem praeceptores, ut par est, habere pergent. Dolemus interim, externos et inopes tam multos confluere, ut in hac difficili rerum annona singulis consulere et egestatem illorum sublevare aut optatum eis Maecenatem reperire neutiquam liceat. Nam et ignotis minusque probatis minus confiditur, nec pauci utcunque provecti meliorem conditionem jam pridem expectant, atque ut novis hominibus praeponantur sibi deberi autumant. Verum, quod in nobis est, operam dabimus ut nostra benevolentia, nostrumque studium suo tempore commendatis illis non defuisse videatur. Opto ex animo, ut sapientia tua cum suis recte valeat, nostroque nomine Patronos et amicos officiose salutet. Datum Friburgi 4ta Septembris Anno 1590.

Servus in Christo Petrus Canisius.

Nobili et eximio viro Ioanni Iacobo a Staal supremo scribae apud Solodorenses, Domino et amico singulari.

2282. CANISIUS **P. IODOCO ITAEO** et **SOCIETATIS NOVICIIS** landsbergensibus. Friburgo Helvetiorum 17. Decembris 1590.

Ex autographo (2º; 3/4 p.; in p. 2 inscr. et sigill.). Inscriptioni manu antiqua adnotatum est: „ex archivo“ [provinciae Germaniae superioris?]. Folii pars infima, in qua Canisii nomen subscriptum erat, iam desecta est. Autographum hoc exstat Monachii in archivo maiore reipublicae, Jes. in gen., Fasc. 13 No. 214. Apographum autem saeculo XVII. vel XVIII. scriptum exstat in cod. monac. „Lat. 1606“ f. 114. Litterarum partem latine edidit *Python* 357; earundem partem germanice vertit *Riess* 504; particulam ex eo posuit *Duhr*, Jes. I 233. Gallice litterarum partem posuerunt *J. Dorigny* S. J., La vie du Révérend Père Pierre Canisius, A Paris 1707, 446—447, et *Michel* 403—404. Iisdem usus sum in „Petrus Canisius“ 293—294.

[1] Ioanni a Lanthen-Heid praetori sive sculteto friburgensi.

Iuvari cupit Sociorum precibus. Noviciis virtutes Christi parvuli ad imitandum proponit. Iaponia. Collegium bruntrutense. Deus pro Gallia et Italia orandus.

†

Pax Christi et felix annus Reverende Pater.

Gratus nobis fuit Philippi fratris[1] aduentus, quoniam et P. Bredanum concionatorem huc adduxit[2], et P. Augustinum[3] in Italiam missum secum Lucernam abduxit, resque nostras utcunque tranquillas inuenit: Sicut autem anno superiore feci, ita nunc etiam facere constitui, ut R. T. tamquam procuratoris utar opera ad mei memoriam isthic domesticis refricandam. Eget enim senex septuagenarius multorum praesidijs, ut se in tanta uitae imbecillitate sustentet, maioremque Christi gratiam impetret ad nouum, et fortassis extremum annum feliciter ordiendum. Hoc igitur nomine commendari uelim R. P. Rectori[4], P. Jacobo[5], et alijs siue notis siue ignotis patribus ac fratribus, quorum nomina in libro uitae conscripta esse[6] confido. Quid autem de chariss. nouitijs dicam? me quidem monitore non indigent, et habent quotidie quod audiant, discant, meditentur in schola Spiritus. Optarem illos omnes Christum infantem et paruulum loete complecti, immo ipsos uere paruulos effici[7] et alienae subijci uoluntati, nihil ut habere proprium uideantur, et crucis amatores ab initio esse contendant. Nullus infante Christo pauperior, magisque mundo uilior ac despicabilior: non patri tantum et matri, sed ethnico etiam Caesari, et Joseph fabro se ultro submittit, in stabulo et praesepi primam figit sedem, pastoribus rusticanis se primum exhibet familiarem[8], alijs clemens, sibi durus et seuerus esse gaudet, neque se continere potest, quin pro sontibus insons ipse profundat sanguinem[9], seque obedientiae filium[10] clam palamque declaret[11]. Hunc paruulum in carne natum, et ab Angelis manifestatum excipiant qui uere in Domino gloriantur[12], Deique filij secundum spiritum esse concupiscunt. Ab hoc praeceptore discant esse mites et humiles corde[13], omnisque simplicitatis et obedientiae formam assumant, ita ut in Jesu salutari suo prorsus exultent[14], et ad illius exemplum accedant proxime, qui paruulus natus est nobis, et filius datus est[15] omnibus, qui Dei filij esse desiderant. Amemus quaeso et amplectamur, si sapimus, hunc paruulum natum et circumcisum, eundem audiamus benigne clamantem: Deli-

[1] Philippi Cassan tirolensis, fratris laici collegii monacensis (*Catalogi* monacenses a. 1587 et 1590. G. Sup. 19 II f. 17a; III f. 42a).

[2] De P. Ioanne Bredano plura infra dicentur.

[3] Augustinum Putterer sive Purethum (*Catalogi* provinciae Germaniae superioris a. 1587 et 1590. G. Sup. 19 II f. 22a; III f. 69a).

[4] Rector et magister noviciorum erat P. Bonaventura Paradinas (*Duhr*, Jes. I 532).

[5] Lucio sive Luzio (*Catalogus* landsbergensis a. 1590. G. Sup. 19 III f. 77a).

[6] Apc 17, 8; Phil 4, 3. [7] Mt 18, 3; 1 Cor 14, 20.

[8] Cf. Lc 2, 1—20 51; 2 Cor 8, 9. [9] Cf. Lc 2, 21. [10] 1 Petr 1, 14.

[11] Cf. Lc 2, 1—5 21—24 51. [12] 1 Cor 1, 31; 2 Cor 10, 17. Cf. Ier 9, 23 24.

[13] Mt 11, 29. [14] Lc 1, 47; Hab 3, 18. [15] Is 9, 6.

tiae meae esse cum filijs hominum[1]. Ego sum uobiscum usque ad consummationem seculi[2].

Precemur Dominum pro Japonicis, ut sicuti coeperunt, ad Christi regnum turmatim concurrant, seque totos iugo Domini subijciant.

Bona est spes fore, ut Reuerendissimus Episcopus Basileensis nostris collegium erigat[3], et nouos ex illis operarios in messem suam extrudat[4]. Laborant Gallia et Italia uehementer[5], egentque multis intercessoribus, ut illarum prouintiarum nomine Dominum merito imploremus. Requirit sane hoc tempus non modo frequentes comprecatores, uerum etiam collachrymatores, qui praesentem ac impendentem iram Domini a nobis et uicinis nostris auertant. Meriti enim haec patimur, et inprimis religiosorum est proprium, offensum Deum peccanti populo reconciliare. Domestici nostri salutant plurimum R. T. cuius precibus me diligenter commendo in Domino, qui suam nobis benedictionem augere dignetur. Friburgi Heluetiorum 17 Decemb. 1590.

† Reuerendo in Christo Patri Judoco, societatis Jesu sacerdoti in domo nouitiorum Landspergae.

2283. CANISIUS **P. IOANNI HEIDELBERGER S. J.** in collegio monacensi degenti. Friburgo Helvetiorum 17. Decembris 1590.

Ex autographo (2°; ½ p.; in p. 2 inscr. et sigillum), quod est Monachii in archivo maiore reipublicae, Jesuitica in genere, Fasc. 13, No. 214. Inscriptioni manu antiqua ascriptum est: „Ex archivo" [provinciae S. J. Germaniae superioris?]. Apographum saeculo XVII. vel XVIII. scriptum exstat in cod. monac. „Lat. 1606" f. 115ª.

Petit, ut collegii monacensis Socii et iuvenes litterarum studiosi se precibus iuvent.

†

Pax Christi et felix annus chariss. frater.

Redit ad uos Philippus noster, quem eo chariorem habuimus, quod P. Bredanum P. Augustino substitutum nobis reliquerit[6], per illum ipsum non possum non aliquid scribere · ut ueteris amicitiae nostrae confirmetur memoria, et ego Xenium spirituale opera isthic uestra impetrem, sicut et anno superiore factum fuit. Itaque patres fratresque nostros in Domino salutabis plurimum, et petes, ut ad nouum annum rite ordiendum et transigendum conferant aliquid seni Canisio iam septuagenario. His enim praesidijs confido, meque alijs remedijs consolari non possum rectius in hac uitae breuitate simul et fragilitate. Nec dubito ex conuictoribus et studiosis fore, qui moniti, eodem charitatis affectu me licet indignum prosequi dignentur. Quicquid autem sponte

[1] Prv 8, 31. [2] Mt 28, 20.

[3] Iacobus Christophorus Blarer a Wartensee episcopus a. 1591 collegium Societatis Bruntruti (Porrentruy, Pruntrut, nunc urbs reipublicae bernensis), ubi sedem habebat, fundavit (*Duhr*, Jes. I 222). [4] Cf. Mt 9, 38; Lc 10, 2.

[5] De Galliae motibus v. supra p. 298 305 308. Quas autem Italiae calamitates Canisius significet, ignoro.

[6] De Fr. Philippo Cassan, P. Ioanne Bredano, P. Augustino Putterer v. supra p. 316.

donarint, erit id mihi sane gratissimum. Ego interim Monachiensis collegij, quod merito semper amabo, non obliuiscar, memor etiam P. Rectoris[1], P. Henrici, P. Dominici, P. Caspari, P. Reineri, P. Roseti, P. Lucae et reliquorum, quibus et P. Guilhelmum adiungo[2]. Vide ut ualetudinem tuam sedulo cures, et de multis bene merearis, meique crebro memineris in precibus tuis. Dominus JESVS suam nobis benedictionem augeat, ut nouo feruentique studio nostrae uocationi magis ac magis satisfaciamus. In Christo uale frater. Friburgi Heluetiorum 17 Decemb. 1590.

In Christo frater tuus P. Canisius m. ppr.

† Reuerendo in Christo Patri Joanni Heidelbergero, Societatis Jesu sacerdoti. Monachij.

2284. CANISIUS **CLAUDIO AQUAVIVAE** praeposito generali Societatis Iesu. Friburgo Helvetiorum 7. Ianuarii 1591.

Ex autographo (2°: $1^1/_4$ pp.; in p. 4 inscr.). Germ. 183 f. 297ª—298ᵇ.

Operarii neglígentiores. „Casus". Rector. Consultores. Aedificia. Helvetiorum discordiae. Visitator. „Notae". Provincialis contiones contra „Navarraeos". Collegia friburgense et lucernense melius per eum curanda. Eius socius.

Pax Jesu Christi et foelix annus,
Admodum reuerende Pater.

Quoniam anni tempus, ut aliquid de collegio nostro scribatur admonet, Christo inprimis gratias ago, qui hoc ipsum satis tranquille commodeque gubernandum curat, quantum ego quidem assequi possum. Doleo tamen peccari forte ab ipsis operarijs[3] suum offitium non facientibus in hac messe Friburgensi excolenda, quae ualde inculta, et grauius quam ante affecta iacere uidetur. Deest proh dolor, animarum zelus, frequentiaque et fructus confitentium, et exiguus est usus armorum spiritualium, quae Societati tribuit Deus ad multorum aedificationem. Suo interim muneri utcunque respondet P. Rector[4], quem redire cupio ad casus conscientiae explicandos, quia hi toto iam anno interquieuerunt, et partim politicis, partim Ecclesiasticis hominibus necessarij esse uidentur. Optarim insuper, Rectorem nostrum, qui hoc loco est gratus, et saepius et familiarius agere cum suis Consultoribus de his rebus, quae ad institutum nostrum praecipue spectant. Quoniam uero templi et collegij fabrica hic absoluenda est, quae nec uno quidem anno exaedificari potest, ualde cupimus hunc nobis Rectorem non adimi, sed

[1] Rector erat P. Simon Hiendl (*Duhr*, Jes. 188¹).

[2] Hi erant PP. Henricus Arboreus, Dominicus Menginus, Casparus Obergasser, Reinerus Fabricius, Christophorus Rosetus, Lucas Schoggler, Guilielmus Elderen. Dubium tamen est, an hi omnes eo tempore Monachii fuerint.

[3] „Operarios" significat evangelicos (Mt 9, 37 38; 10, 10; Lc 10, 2 7; 1 Tim 5, 18; 2 Tim 2, 15) sive illos collegii sacerdotes, qui neque scholis habendis neque rebus domesticis curandis sed contionibus catechesibusque habendis, confessionibus excipiendis, exercitiis spiritualibus tradendis, aegris invisendis similibusque ministeriis apostolicis exercendis destinati erant.

[4] Petrus Michael.

relinqui, quoad eius fieri queat, ut alias interim rationes omittam. P. V. sacrificijs ac precibus reuerenter commendo miserum Heluetiae statum, maxime ob Gallicum bellum, graues animorum distractiones adferens, et Catholicos quoque perturbans, dum alij Regij, alij Nauarraei esse contendunt[1], et mutuis interim odijs inter se magis magisque concertant. Equidem cupio adhuc illam nobis a Deo et P. T. dari gratiam, ut missus Visitator non solum Heluetiam, sed integram quoque prouintiam nostram inuisat, simulque huic frigidae Germaniae nouum calorem inijciat ad nostrorum saltem animos et illuminandos et inflammandos in hoc instituto. Nihil dicam de opere nouo, quod breui absoluetur, et a notis Euangelicis inscribitur, propediem in lucem edendum. Vtinam uero sicut nostrorum, ita et P. V. et aliorum isthic Patrum iudicio aliqua ex parte satisfaciat. Benedictus Dominus, qui has qualescumque uires ad lucubrandum seni septuagenario praebere dignatur, sed qui P. V. precibus etiam atque etiam sese commendat.

Liceat obsecro de Patre nostro Prouintiali[2] aliquid adiungere, quoniam ad huius quoque collegij rationem et utilitatem spectat. Jlle duobus his annis nos uisitans, coram Senatu et populo bis est publice concionatus, ac simul Nauaraeos, qui hoc loco multi, et magni sunt, odiose perstrinxit. Sic autem eos appello, qui Nauarrae Regis[3] partibus fauent non religionis quidem, sed praesentis belli gratia. Jamuero isthaec Patris admonitio uti sapientes amicos, ita et Senatores quosdam offendit, et nobis quidem obfuit in fabrica collegij, quae prorsus hoc anno ex eiusdem Senatus decreto cessauit. Quare P. V. iudicandum relinquo, expediatne dictum R. Patrem secreto admoneri, ut sibi deinceps caueat ab hoc publicae admonitionis genere, ex quo plus damni quam commodi capit Societas, et sapientes, hoc praesertim difficili tempore, non temere uidentur offendi. Optarim certe, maiorem ab hoc Patre operam dari tum Friburgi, tum Lucernae, ut Dominorum animos et sibi et nobis conciliaret. Habent enim et Lucernenses Patroni, quae de illo conquerantur, quod messi admodum copiosae plures ac potiores non tribuat operarios, et iuniores mittat Confessarios, nec maiorem illius collegij habeat rationem, quod multis nominibus debeat illi Reip. sicut probe nouit R. P. Hoffaeus. Verum isthaec ego ut insipiens, obiter indico, ut ad maiorem aedificationem Heluetijs consulatur, et nostri quidem minore laborent odio apud illos Dominos, quorum gratia et beneuolentia cumprimis egemus. Nec mihi displicet illorum sententia, qui desiderant aliquid in socio P. N. Prouintialis, ut is maiorem toti prouintiae utilitatem tempore uisitationis adferret, maxime si aliquam

[1] Hi, Henrico III. Galliae rege iam mortuo, Henrico Navarrae regi calviniano regiam Galliae coronam deberi dicebant; illi eam homini acatholico obvenire posse negabant; qui „Ligistae" vocabantur. [2] Ferdinando Alber.

[3] Henrici (IV.). Is iam spem praebuerat religionis catholicae amplectendae: cf. supra p. 276. Henricus postea Sociis friburgensibus ad templum S. Michaelis exstruendum 1000 thaleros donavit (*Genoud* 98).

offitij sui regulam sibi praescriptam haberet, qua monitus, et suo superiori, et sibi, et nostris rectius satisfaceret. Verum de his P. V. rectius iudicarit, cuius precibus et sacrificijs me senem[a] reuerenter commendo in Domino, simulque rogo, ut nouum hunc annum Ecclesiae et Societati felicem experiamur. Friburgi Heluetiorum 7 Januarij .1591.

Filius in Christo indignus

Petrus Canisius manu propria.

† Admodum reuerendo in Christo Patri nostro, P. Claudio Aquauiua, Societatis Jesu Praeposito generali ad manus proprias. Romae.

His litteris *Aquaviva* permotus esse videtur, ut Albero provinciali 9. Martii 1591 scriberet: „Occurrebat Dominos Lucernenses questos esse quod Collegium illud destitutum sit uiris doctis, et ad quos in dubijs confugere possint: Quare uidebatur nobis expediens ut eo mittatur P. Theodoricus Canisius qui iam liber est a gubernatione, et habet authoritatem. Sed cito mittendus esset ante electionem noui Episcopi Augustani, quia qui electus fuerit, facile posset repugnare, uel offendi" (ex comment.: G. Sup. 2 f. 56b). Theodoricum a. 1590 Dilingae, ubi episcopi augustani sedem habebant, fuisse intellegitur ex huius collegii catalogo a. 1590 scripto (G. Sup. 19 III p. 27).

Aquaviva Canisio respondit 13. Martii 1591.

2285. CANISIUS **PETRO SCHNEWLY** vicario generali episcopi lausannensis, **ERHARDO TORIN** praeposito capituli S. Nicolai, **RELIQUO CLERO FRIBURGENSI.**

Friburgo Helvetiorum m. Ianuario 1591.

Ex libro „Notae in Evangelicas Lectiones, quae per totum annum dominicis diebus in Ecclesia Catholica recitantur. Authore R. P. *Petro Canisio*". Friburgi Helvetiorum 1591, f. (?) 2a—(?) 5a (A). Eaedem omnino litterae sunt in huius operis altera editione, Friburgi Helvetiorum a. 1595 facta, f. non sign. 2a—4b, nisi quod in fine, omisso anno et mense, dicitur tantum: „Datum Friburgi Heluetiorum". Exstat in Can. 44 harum litterarum exemplum (B), mancum tamen, quod Canisius emendavit et „Notarum" harum editioni recognitae (quae tamen numquam in lucem prodiit) praeponi voluit. De editionibus annorum 1591 et 1595 vide plura infra, monum. 1502 1556.

„Notas" evangelicas dierum dominicorum eis dedicat. Eorum in se sociosque benevolentiam atque in fide constantiam laudat. Rationem exponit operis sui, ad meditandum, precandum, animos pietatis studio inflammandos accommodati.

ADMODVM REVERENDIS ET EXIMIIS VIRIS, DOMINO PETRO SCHNEVLINO, IN SPIRITVALIBVS REVERENDISsimi Episcopi Lausannensis Vicario, Dominis Erhardo Torino Praeposito, aliisque Ecclesiae Collegiatae Friburgi Heluetiorum Canonicis[1], ac reliquo ditionis Friburgens. Clero, PETRVS CANISIVS gratiam et pacem sincere a IESV CHRISTO[2] precatur.

a) *Sequuntur vv.* iam septuagenarium, *a C. oblitterata.*

[1] Capituli S. Nicolai decanus erat Sebastianus Verronius, Romam paullo ante profectus (v. supra p. 314). Canonici, quantum quidem sciri possit, tunc erant Iacobus Corpateur sive Corpataux Cantor, Ioannes Thomy (urbis parochus), Antonius Rollier, Ioannes Eckenthaler, Petrus Myrsing, Ioannes Curdinus sive Curdy, Petrus Ratzé (*Dellion* VI 328—334).

[2] Rom 1, 7; 1 Cor 1, 3; 2 Cor 1, 2; Gal 1, 3; Eph 1, 2; Phil 1, 2; Col 1, 3; 2 Thess 1, 2; 1 Tim 1, 2; 2 Tim 1, 2; Tit 1, 4; Phil 3.

EVOLVTVM[a] est iam decennium, Viri colendi et Ecclesiastica dignitate spectabiles, quum ego primum in Friburgensem hanc vrbem non sponte procurrens, sed authoritate maiorum impulsus perueni, vt me qualemcunque seu operarium, seu ecclesiasten in ista excolenda messe praestarem. Ita enim Deo Opt. Max. cuius est proprium in vineam suam operarios destinare[1], placuit, vt ego per legitimum ostium introductus[2], extremam aetatis meae quasi scenam hic agerem, ac militiam quam vocant emeritam inter Heluetios obtinerem. Neque vero me piget ac taedet in hoc ipso agro tamdiu versari, vbi reipsa comperio, vestram erga me et institutum hoc nostrum beneuolentiam esse singularem, simulque praeclara pietatis vestrae studia, quibus DEI summi verbum et cultum quotidie promouetis, permulti mecum animaduertunt. Vnde non possum perenni bonorum omnium authori non gratias agere, simulque gaudere, quod obedientia duce confisus, et caritate comite animatus, in hac aetate qualiscunque collega et cooperator hucusque vobiscum degam, et communem Christi Ecclesiaeque causam, qua nihil nobis debet esse antiquius, aliqua ex parte vestro incitatus exemplo confirmem ac proveham. Scio enim probe, qualem quantamque prouinciam religionis ergo tot annis sustineatis, et quam gnauiter pro Catholicae fidei sincera confessione, solidaque doctrina decertetis, praesertim tot monstris errorum ac haeresum vndique grassantibus, quae misere conuulsum, proh dolor, hunc Episcopatum magis magisque dilacerant. Vestra enim vigilantia, et simul incorrupti Senatus nostri autoritate constanti factum est, (dicto absit inuidia) vt multa Catholicorum millia, tanquam electae et dilectae reliquiae Israëlis[3], hactenus in Friburgensi ditione conseruentur, suaque genua coram Baal et idolis aliis recens erectis non incuruent[4], sed potius instar senioris Tobiae, Dominum Deum Israel in sancta Hierusalem veroque eius templo sincere quaerant, inuocent ac adorent[5]. Qui vero prudens vel ambigat, vel inficietur permagni referre, vt sanae et orthodoxae doctrinae depositum, quod Apostolus Paulus Timotheo suo commendauit[6], multis populis inseruiat, illisque integrum custodiatur, et semper Apostolicus ille obseruetur canon: Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci: optimum est enim gratia stabilire cor, et non escis[7]? Ament interim alij, sibique sumant antiqua nomina, et speciosis Pastorum, Doctorum et Praepositorum titulis glorientur. Vos rectius per Dei gratiam sapitis, qui vt Christi ministros, et mysteriorum Dei dispensatores[8], reipsa praestetis, ab omni haeresi et schismate alieni, nullis nouae falsaeque doctrinae ventis

a) *Omnia, quae sequuntur, paucis verbis exceptis, in libro typis italicis sive cursivis descripta sunt.*

[1] Cf. Mt 20, 1—7; 21, 28; Mc 12, 1; Lc 20, 9. [2] Cf. Io 10, 1—9.
[3] Ir 6, 9; Ez 9, 8; 11, 13; Mich 2, 12; Soph 3, 13 etc.
[4] 3 Rg 19, 18. [5] Cf. Tob 1, 6. [6] Cf. 1 Tim 6, 20; 2 Tim 1, 14.
[7] Hebr 13, 9. [8] 1 Cor 4, 1. Cf. Tit 1, 7; 1 Petr 4, 10.

circumacti[1], in Apostolicis Patrumque traditionibus probe fundati persistitis, idipsum omnes dicitis[2], in eadem permanetis regula[3], vnanimes vno ore Deum et Patrem Domini nostri IESV Christi cum subiectis ouibus honorificatis[4], semperque solliciti estis seruare vnitatem Spiritus in vinculo Catholicae et Ecclesiasticae pacis[5], quemadmodum iampridem ab electo diuinae gratiae vase[6] Paulo estis edocti. Eapropter quod ille ipse suis tribuit Philippensibus, id ego vobis vestrisque fratribus adscribere non verebor, bonorum nempe omnium authorem Deum in vobis collaudans, qui velut in medio nationis prauae et peruersae, non secus ac luminaria quaedam hucusque splendetis, verbumque vitae, quod saluat animas[7], haud sine multorum profectu, consolatione, et salute firmiter continetis.

Quae res mihi sane calcar addiderunt, vt meum erga vos animum ac studium hoc aperto scripto testarer, vestraeque omnium pietati, qui de magno Christi grege bene mereri pergitis, ex animo gratularer. Meministis enim procul dubio, quam diuinum, salutare, fructuosum et necessarium sit isthuc pascendi docendique munus, quod illo etiam encomio Daniel Propheta decorauit: Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae, in perpetuas aeternitates[8]. Accedit quod officio meo consentaneum esse duxerim, vt quae per aetatem apud vos viua voce praestare nequeo, praesenti saltem opere compensarem, meique desiderij et communis studij, quod formandis Christiani populi animis debemus, hoc qualecunque testimonium ac specimen adhiberem. Tractamus ergo Euangelicas Notas in illis fundatas lectionibus, quae festis diebus in Catholicis templis proponi, et ex more tum antiquissimo, tum probatissimo explanari publice consueuerunt. Quod argumentum sicut a mea professione non videtur alienum, ita vobis Orthodoxae doctrinae studiosis gratum, simulque ad pietatem populo instillandam non infrugiferum fore confido. Etenim hae Notae, nisi plane fallor, locos et capita suggerunt, quae cum saepe alias, tum diebus maxime Dominicis in mentem reuocari, et hoc quidem pestilenti tempore ad morbos animorum sanandos vix vnquam satis inculcari posse videntur. Quanquam non ignoro, multos et praestantes Theologos reperiri, qui de huiuscemodi lectionibus Euangelicis multa vtiliter et praeclare scripserint, vt illa non solum a doctoribus siue concionatoribus, sed etiam ab auditoribus Catholicis merito perlegantur. Nos vero, qui talibus coryphaeis ac ducibus libenter cedimus, paulo aliam docendi rationem sequi, et viam ab aliis nonnihil disparem ingredi decreuimus. Etenim quod aliis vsitatum est, circa sensum quem vocant literalem, non haeremus, sed historiam Euangelicam verborumque contextum

[1] Cf. Eph 4. 14; Hebr 13. 9; Iac 1. 6. [2] 1 Cor 1. 10.
[3] Phil 3. 16. [4] Rom 15. 6. [5] Eph 4. 3. [6] Act 9. 15.
[7] Phil 2. 15 16; Iac 1. 21. [8] Dan 12. 3.

anxie discutere vtplurimum supersedemus. Sat enim habemus, pauca et praecipua doctrinae salutaris capita ex propositis Euangeliorum lectionibus excerpere, eaque ad[a] meditandum simul et precandum accommodare : vt si non doctis, saltem bonis et candidis Lectoribus pro nostra tenuitate consulamus, neque tam ad intellectum illustrandum, quam ad affectus religiose concitandos in medium aliquid adferamus. Siquidem res ipsa loquitur, nimis veram esse multorum querelam de summa horum exulceratorum temporum iniquitate, quibus antiqua Orthodoxorum pietas in plurimorum animis vel iacet extincta, vel adeo quidem refrixit, vt ad vigorem pristini officij vix resuscitari posse videatur. Multis igitur et ingentibus stimulis indigemus, vt communis ille tepor ac torpor, qui nostros animos iampridem foede occupat, subinde discutiatur, vtque falsa reiecta securitate, quae fundi nostri est calamitas, ad diuinum timorem et amorem in nostris animis renouandum postliminio redeamus, ne alioquin in hac velut longa, saeua et rigente prorsus hyeme, quae agrum nostrum informem ac sterilem efficit, tam diu haerere et frigere[b] pergamus. Nimium est sane stupidus, qui non intelligit, Christi vaticinium ad haec nostra et postrema tempora pertinere. Multi pseudoprophetae, inquit, surgent, et seducent multos, et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit[1]. Nec dissentit Apostolus, cuius quidem sententiam indies magis ac magis videmus impleri. In nouissimis diebus, ait, instabunt tempora periculosa, et erunt homines seipsos amantes: habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes[2], vt caetera praeteream.

Igitur, vt vnde deflexit, eo redeat oratio, operae pretium facturus[c] videbar, si eiusmodi Euangeliorum lectionibus, quae singulari DEI spiritu selectae atque digestae, toties in Ecclesia repetuntur, quasdam notas adscriberem. Harum vero vsum et fructum in eo ponimus, vt si fieri queat, velut surdastris vellicentur aures, et dormitantibus torpor excutiatur, frigidaeque mentes incalescant, ac demum ociosi maleque feriati homines ad suum officium, quod Christo Ecclesiaeque cumprimis debent, propius reuocentur, maximeque ad precandi et meditandi studium, quod modo passim, et turpiter quidem neglectum cernimus, magis ac magis assuefiant. Etsi enim complures hodie reperimus, qui matris Ecclesiae praescriptum et ordinem in his ipsis lectionibus probent ac seruent : tamen qui fiat nescio, vt pauci ad festos dies Ecclesiasticosque ritus animum serio applicent, vtque germanorum filiorum instar, sanctissimae parentis sensus et affectus spirituales induant, illisque syncere ac pie delectentur. Nam quod iam olim Galliae lumen et decus Hilarius de suis ciuibus est questus, in nostros quoque Catholicos hoc seculo

a) *In B. Canisius huic v. addidit v.* docendum. b) et infrugiferi esse *B.* c) operae facturus pretium *B.*

[1] Mt 24, 11–13. [2] 2 Tim 3, 1 2 5.

competit, vt iure cum illo dicamus: Plerumque, immo semper, vitio nostro accidit, vt quae legi in Ecclesia audimus, auribus atque animis nostris longe ab his peregrinantibus negligamus, vt per audiendi incuriam vilescat apud nos coelestium dictorum dignitas. Locus est in explicatione Psalmi 135 [1]. Adeo nobis satis non est [a], Catholicum retinere nomen, et manere in Ecclesia, nisi legem etiam Ecclesiae obseruemus, quemadmodum illa sancti Spiritus confirmat sententia: Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuae [2], sicut hunc locum Epiphanius interpretatur [3]. Neque abs re quidem fore putauimus, si dum nostra sensa proferimus, quaedam etiam e sacris literis Patrumque monumentis testimonia commisceremus. Haec enim velut stellulae quaedam et gemmae lucentes, suam apud pios tenent gratiam, ac sicut profanam nouitatem [4] saepe coarguunt, ita Orthodoxam veritatem nunc maxime oppugnatam non parum illustrant ac roborant [b].

Demum quicquid isthuc est operis, de quo alios aliter sinimus iudicare, id nos ad summam summi DEI gloriam et singularem Lectorum vtilitatem euulgamus, vestroque cumprimis ordini, honorabiles viri, verbique diuini praecones, et ouium Christi pastores, reuerenter nuncupamus atque inscribimus. Quem sane laborem non solum vobis purae Catholicaeque doctrinae custodibus et assertoribus conferre, verumetiam per vos aliis fidei vestrae concreditis ouibus commendatiorem effici, maiorem in modum optamus. Quod si me vti seniorem, vestrique honoris amantem audire dignamini, fratres in Christo IESV dilectissimi, magnae id curae vobis semper erit, vt omnes et singuli auream vereque Apostolicam obseruetis normam, quae ad ordinis vestri dignitatem vindicandam plurimum valet, hodieque satis inculcari non potest. Sic autem habet Graece Paulus: ἔπεχε σεαυτῷ, καὶ τῇ διδασκαλίᾳ, ἐπίμενε αὐτοῖς· τοῦτο γὰρ ποιῶν, καὶ σεαυτὸν σώσεις, καὶ τοὺς ἀκούοντάς σου, hoc est, ATTENDE TIBI ET DOCTRINAE: insta vel persiste in illis: Hoc enim faciens, et teipsum saluum facies, et eos qui te audiunt [5]. Dominus IESVS princeps pastorum [6], et omnis Ecclesiae caput [7], qui vos velut operarios in messem suam excolendam euocauit [8], ac fideliter laborantibus immensa aeter-

a) *In B. Can. sua manu sic correxit:* Etenim haudquaquam satis est b) roberant *A.*

[1] In Psalmum 135 n. 1 (*Migne*, P. lat. IX 768). [2] Prv 1, 8.

[3] S. *Epiphanius* de commemoratione mortuorum in officiis divinis facienda loquens: Ἀναγκαίως ἡ Ἐκκλησία τοῦτο ἐπιτελεῖ, παράδοσιν λαβοῦσα παρὰ πατέρων. Τίς δὲ δυνήσεται θεσμὸν μητρὸς καταλύειν, ἢ νόμον πατρός; ὡς τὰ παρὰ τῷ Σολομῶντι εἰρημένα· Ἄκουε, υἱέ, λόγους πατρός σου, καὶ μὴ ἀπώσῃ θεσμοὺς μητρός σου· δείξας, ὅτι ἐγγράφως τε καὶ ἀγράφως ἐδίδασκεν ὁ Πατὴρ, τουτέστιν ὁ θεὸς ὁ μονογενὴς καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα· ἡ δὲ μήτηρ ἡμῶν ἡ Ἐκκλησία εἶχε θεσμοὺς ἐν αὐτῇ κειμένους, ἀλύτους, μὴ δυναμένους καταλυθῆναι: Adversus Haereses, haer. 75 (alias 55) n. 9 (*Migne* P. gr. XLII 515).

[4] Cf. 1 Tim 6, 20. [5] 1 Tim 4, 16. [6] 1 Petr 5, 4.

[7] Eph 1, 22; 5, 23; cf. Col 1, 18. [8] Cf. Mt 9, 38; 20, 1–8; Lc 10, 2.

naque praemia praeparauit, vestros omnium conatus ad sui nominis gloriam, multorumque salutem prouehendam etiam atque etiam prosperet, totique agro Friburgensi peculiariter benedicat. Datum Friburgi Heluetiorum, anno post Christum natum, M. D. XCI.[a] Mense Ianuario.

2286. IOANNES IACOBUS A STAAL, reipublicae solodoranae patricius et archigrammateus, CANISIO. Solodoro 10. Martii 1591.

Ex apographo, scripto manu ipsius Staalii, qui eidem inscripsit „D. Petro Canisio" et subscripsit „DD. Iodoco Pfiffero ac Petro Canisio, Societatis Jesu Theologo. 1591". Cod. solod. „Stal" p. 138 139.

Canisii opus evangelicum et historia S. Ursi. Milites solodorani in Gallia. Praepositi infirmitas.

Non obliuione ueteris nostrae amicitiae, quae apud me sacrosancta est, neque negotijs meis quantumuis magnis, factum est, quod R. V. P. mensibus iam aliquot, nihil literarum a nobis acceperit. Sed communes partim horum temporum calamitates, quae nobis optatam scribendi materiam ademerunt, partim etiam Operis tui Euangelici editio[1], quam nostris naenijs impedire ne per somnium quidem debuimus, a scribendo me deterruerunt. Ad prius impedimentum quod attinet, ne nunc quidem, pro uotis sese scribendi occasio offert, tam Galliae quam patriae rebus in eodem quasi luto haerentibus. Ad priuatum uero tuum otium quod attinet, tametsi non ignorem, te praeclaris cogitationibus nunquam non occupatum esse, spero tamen pietatem tuam post emensum Operis Euangelici laboriosum pelagus, ad tempus uela suspendisse, recreandisque debilitatis ingenij uiribus menseis aliquot consecrasse. Jnde factum est, ut non solum literis nostris, legendis, sed et Vrsinae historiae continuandae[2] uacare nunc te posse augurer. Si (ut uereor) ipsum argumentum per se ieiunum est, occasione SS. Thebeorum Martyrum Christianae militiae exemplar siue norma nostris hominibus proponj poterit, hoc praesertim tempore, quo nonnulli caussam belli non satis attendentes, animarum discrimen adeunt. Ex ijs literis quae 29 Januarij prope Syluanectum[3] siue Dammartinum[4] datae sunt, intelligitur Ariggerum nostrum[5] una cum sua legione post longam sollicitationem tandem ut dimittantur, a Rege impetrasse, sed ea conditione, ut adhuc unum aut alterum mensem differant, quo rationes iniri queant, modusque aliquis inueniatur, ne omnino nudi siue male contenti domum remittantur. Faxit Deus ut nobiscum Catholicum Pascha[6] celebrare possint. Praepositus noster[7], uir integerrimus et meliore fortuna dignus, ante

a) M. D. XCV. *B.*

[1] Notas in evangelicas lectiones dierum dominicorum significat, circa m. Ianuarium a. 1591 Friburgi editas, v. supra p. 320.
[2] Cf. supra p. 307. [3] Senlis in Gallia (Oise).
[4] Significari puto Dammartin-en-Seroe (Seine-et-Oise).
[5] Laurentius Aregger sive Arecker a. 1589 ab Henrico (IV) Navarraeo legioni militum helvetiorum in Gallia militantium praefectus erat. De quo plura infra, ep. 2362.
[6] Pascha futurum erat 14. Aprilis. [7] Ursus Haeni; v. supra p. 301[2].

duos tresue menseis, mirabilem metamorphosim passus, in rictu [?][a] oculi, loquendi ac uidendi, inprimis uero memoriae usum ita amiserat, ut de eodem actum esse arbitraremur, sed paulatim sese recolligit, quanquam uerear ut unquam officio suo fungj possit. Vtinam [ne][b] [?] θορυβοποῖος quidam minister illius uices obiret. Sed Deus patrum nostrorum[1] uiuit, qui potens est una cum tentatione dare prouentum[2]. Idem uenerabiles tuos canos ut aquilae reinnouescere[3] faciat, Salodoro Heluetiorum 10 die Martij .1591.

Salutetur nomine meo quam officiosissime D. Schneulius Episcopi Laussanensis Vicarius etc.

R. V. P.

obseruantissimus
Jo. Jac. v. Staal.

Ex verbis apographo huius epistulae ab ipso Staalio subscriptis, quae supra sunt posita, conicere licet, Staalium Canisio epistulam misisse interposita opera Iodoci Pfyffer patricii et consulis lucernensis.

Canisius Staalio respondit 24. Martii 1591.

2287. CLAUDIUS AQUAVIVA praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 13. Martii 1591.

Ex commentario sic inscripto: „Friburgi P. Petro Canisio." G. Sup. 2 f. 62[b].

Collegii prosperitas. Rector. Precationes pro Helvetia. P. Alberi contiones contra Navarraeos.

Gratae mihi, ut semper, fuere Reuerentiae V. litterae quas initio huius anni scripserat de Collegio isto, quae tamen ad nos nonnisi his diebus peruenerunt. Placuit autem quod omnia cum Dei gratia recte procederent, et P. Rector[4] prudenter officio suo fungeretur. Quod uero[c] proponebat ne officio isto amoueretur tum ob alia, tum ob fabricam perficiendam, certe iam tempus erat concedendi ei aliquam quietem post tot annos; isque ipse uehementer sane id a nobis postularat. Quare cogitabimus quid ad maiorem Dei gloriam futurum uideatur, idque cum Dei[d] gratia exequemur.

Ceterum quod ad statum Heluetiae attinet, quem Reuerentia V. Deo precibus commendari cupiebat, faciemus id quidem propter commune bonum, quod cum eo coniunctum est. Debemus autem sperare in Domini bonitate, qui omnia diriget ad suam maiorem gloriam.

Quod autem narrabat de Patre Prouinciali non dubito quin id ex zelo fecerit[5], et sperans etiam se aliquid profecturum; si tamen nullus est alius[e] fructus quam offensionis, sine dubio melius est abstinere.

a) *Sic; volebatne scribere:* ictu? b) *Nescio an hoc v. supplendum sit. Vocabulo enim* θορυβοποιός, *quod sequitur, significari solet homo turbulentus vel sediciosus.* c) *Sic in comm. correctum est ex* autem; *sequitur* magnopere, *oblitt.* d) ei *comm.* e) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

[1] Dt 26, 7; 1 Par 12. 17; 2 Par 14, 7: 20. 6; Tob 3, 13; 8, 7: Dn 2, 23 etc. [2] 1 Cor 10, 13. [3] Cf. Ps 102, 5. [4] Petrus Michael.
[5] Ferdinandus Alber Friburgi a. 1589 et 1590 e sacro suggestu „Navarraeos" vituperaverat; v. supra p. 319.

Nec aliud modo occurrit, nisi quod commendo me Reuerentiae V. precibus, et sanctis sacrificijs, egoque ei omnem gratiam et benedictionem in utroque homine precor. Romae 13 Martij. 1591.

2288. CANISIUS **IOANNI IACOBO A STAAL**, patricio et archigrammateo solodorano. Friburgo Helvetiorum 24. Martii 1591.

Ex apographo (A) saeculo XVII. scripto, quod est in Cod. monac. „Lat. 1606" f. 165. Apographum (B) circa medium saeculum XIX. (ex archetypo?) scriptum exstat in Can. 56, nº 5 f. 5ª—6ª.

Amici. Quid in Canisii „Notis" emendandum? Historiae S. Ursi impedimenta duo. Helvetii in Gallia militantes.

Pax Christi Jesu nobis aeterna.

Non potest mihi non esse iucundum, Eximie uir, quod ad scriptionem intermissam redeat humanitas tua, et suis amicis litteris ueterem erga me beneuolentiam renouet, stabiliatque, R: D: praepositum[1] cui multum debent Solodorenses conualescere gaudeo, ualdeque cupio ut integre nobis Christi gratia restituatur; officiose illum et Ecclesiasten[2] et Ludimagistrum[3] ex me cupio salutari. Vtinam saluus breui redeat miles Solodorensis[a] [4], et cum hoc ipso D: Balthasar Grisachius[b] [?], cui ego propter antiquam exhibiti hospitij gratiam et aliorum beneficiorum nomine permultum debeo[5]. Cum primum idem ex Gallia redierit, ex me amanter illum salutes, uelim, salua illi et familiae ex animo precor omnia, nec dubito quin idem iam pridem et Patriae[c] et suorum ardenti desiderio teneatur fortasse etiam pertaesus[d] uitae militaris. Meas notas[6] isthuc conuolasse scio, ex his munus confecit noster Typographus[7], meque praeuertit in offerendo illud atque donando. Quoniam uero[e] iudicium tuum ego magnifacio, exspecto sane quem gustum ceperis ex

a) Salodurensis *B.* b) *Vel* Grissachius, *ut est in B.* c) *B. haud recte:* patris. d) pertaessus etiam *B.* e) *Hoc v. deest in B.*

[1] Ursum Haeni, praepositum capituli S. Ursi; v. supra p. 301[2].

[2] Significari Nicolaum Feusium (Feusi, Föusin) colligitur ex Staalii litteris 6. Ianuarii 1597 ad Canisium datis; v. infra, ep. 2381.

[3] Franciscus Guillimannus (Guilliomens) Friburgi Helvetiorum circa a. 1568 natus, in Societatis scholis friburgensibus et dilinganis ac Mediolani litteris studuit et Friburgi sodalitati quoque marianae nomen dedit. Anno 1590—1595 Solodori scholae latinae capituli S. Ursi „provisorem", 1595—1605 Lucernae oratoris hispani secretarium egit. Anno 1606 Friburgi Brisgoviae in universitate factus est professor litterarum politiorum et historiae, quam etiam insignibus aliquot libris illustravit, mortuus a. 1612 (*Alex. Daguet,* Biographie de François Guillimann de Fribourg, Fribourg 1843,1—3; *J. Kälin,* Franz Guillimann, in „Freiburger Geschichtsblätter" XI 1—223).

[4] Milites dicit, qui in Gallia stipendia faciebant; v. supra p. 325.

[5] Anno 1581, quo Canisius Solodori fuit (v. infra, monum. 1286), ibidem „Balthasar von Grissach" capitaneus interpretem agebat legati regis Galliae. Quo is munere etiam a. 1586 functus est. Eodem anno subcenturio cohortis praetoriae („Gardelieutenant") regis Galliae vocatur (Eidgenössische *Abschiede* IV[2], 735 739 949 952 959).

[6] Notas in evangelicas lectiones dierum dominicorum; v. supra p. 320.

[7] Abraham Gemperlin.

prima lectione huius operis, quod vtinam Euangelicum dici mereatur. Nouit prudentia tua quam sit rarum atque difficile morosis nostri seculi hominibus in hoc scribendi genere satisfacere, pauci enim[a] candidi et aequi censores inueniuntur. Est autem amicitiae syncerae hoc proprium munus, ut amicus amicum libere moneat, imo et corrigat, praesertim ubi bono publico ad Christi gloriam inseruiendum est. Venio ad Vrsinam Historiam, quae mihi ut optabam, non succedit[b] feliciter, ob[c] duplex impedimentum. Vt enim virum[d] amicissimum nihil celem, amanuensis meus Bauarus in patriam profectus, contra fidem datam duobus mensibus abest, ut de illius reditu dubitare cogar. Tum Typographus noster queritur Solodorni[e] [?] nullum reperiri, qui dignetur, uel polliceri, uel conferre aliquid ad futuri operis editionem, uel ad editorum exemplarium distractionem. Peto igitur tuae prudentiae consilium, quid mihi faciendum uideatur, cum et scriba desit necessarius, quem hic reperire sit difficillimum, et typographus minime diues tergiuersetur, meque ad elucubrandum efficiat segniorem. Placet alioquin propositi argumenti dignitas, quae ad milites nostros admonendos multa suggerit, simulque ad Reipub: uestrae laudem facile potest accomodari. Optarim interim certius extare fundamentum cui superstruere liceat, ut firmius aliquid de mei laboris fructu sperare mihique polliceri possim. Haud sane putabam hoc molestiarum genus obuenturum, ut iam de progressu incepti operis, uelim nolim, ambigere cogar. Bone Deus, in quae nos tempora reseruasti? quibus tanta militum turba, in Galliam properat, nostramque scindit Heluetiam ac funesta multa portendit[1]. Mirum interim ac[f] miserandum est, praesentem simul et imminentem offensi Numinis iram a paucis agnosci, timeri[g], placari, perinde ac si prorsus insontes essemus, ac uicinae calamitatis nullo sensu tangeremur. Bene uale uir amicissime tuosque domesticos instruere perge, sacrum ut pascha cum fructu celebrent, uereque [?][h] cum Christo resurgant.

Datum Friburgi Heluetiorum 24 Martij .1591[i].

Jn Christo Seruus Petrus Canisius manu propria[k].

Nobili viro Dom. Ioanni Iacobo a Staal · Patritio et Archigrammateo Solodorensi, amico cumprimis observando.

2289. P. GEORGIUS SALBIUS S. J. CANISIO.

Dilinga exeunte m. Aprili 1591.

Ex apographo, de quo infra, ep. 2290.

Canisius Salbio 27. Maii 1591 scripsit: „Litteras vestras mihi Pater Theodoricus reddidit.“ Quae cum perisse videantur, vide de iis Canisii epistulam, quam modo dixi. Hac enim Canisius Salbio respondit.

a) *In B. sequitur* et. b) *Ita B.;* suaedit *A.* c) feliciter. Est *B.* d) *Hoc v. deest in A; suppleri ex B.* e) *Vel* Saloduri, *quod est in B.* f) et *B.* g) *In B. sequitur* et. h) *Vel* novique, *quod est in B.* i) *Hunc annum suppleri ex B.; nam in A. deest.* k) *Inscriptio sequens, quae deest in A., suppleta est ex B.*

[1] Anno 1591 denuo ex cantonibus catholicis milites auxilio venerunt Ligae; e protestantibus autem multi pro Henrico IV. pugnabant; cf. *Mayer* II 270.

P. Theodoricus Canisius cum Ferdinando Alber praeposito provinciali Dilinga in Helvetiam versus profectus est 24. Aprilis 1591 (Germ. 169 f. 118[a]). Georgius Salbius Ottobura (Ottobeuren, pagus Suebiae bavaricae) a. 1549 ortus, Dilingae a. 1570 in Societatem admissus, primum Monachii 10. Augusti 1572 Societatis vota simplicia nuncupavit (ex *Hoffaei* * Catalogo autogr. et *Salbii* testimonio autogr.; Codd. „VI 35" f. 52 et „II. 42" p. 74). Initio anni 1592 Dilingae „Praefectus Monachorum in Conuictu, Confessarius templi, Catechista in Parochia" erat (*„*Catalogus* Provinciae Germaniae Superioris ad initium Anni 1592": G. Sup. 44 f. 79[a]). *Adam Flotto* S. J., provinciae huius historiographus, haec, praeter alia, de eo memoriae prodidit: „Caritas et sui despicientia virum formaverant, deposcentem semper veluti propriam sibi curam eorum, quorum obsequia plurimum meriti, famae nihil haberent. Perpetuo terebat pauperum ac leprosorum domos, nunquam laetior, quam si quid ea causa incommodi ferret" (Historiae Provinciae Germaniae Superioris. Pars Tertia, Augustae Vindelicorum 1734, n. 509). Collegii dilingani * *Litterae* annuae anni 1605 (quo anno ibidem mortuus est) haec de eo habent: „Sacrae meditationi impense deditus, ex qua quotidie aliquid conceptum per plurimos annos in librum retulit. Docendae iuuentuti, populoque Catechesi plurimum studuit et profuit, ediditque in horum promotionem multa, quaesitis singulari diligentia patronis, qui huiusmodj libellos et imagines pauperibus dispertienda curarent" (ex exemplo archetypo., „Germ. Sup. Hist. 1600 1630").

2290. CANISIUS **P. GEORGIO SALBIO S. J.,** collegii dilingani sodali.
Friburgo Helvetiorum 27. Maii 1591.

Ex apographo, saeculo XVIII. ex archetypo descripto, in cuius pagina altera est testimonium authenticitatis, quod vocatur, Friburgi Helvetiorum a. 1730 datum. Exstat Monachii in archivo maiore reipublicae bavaricae, Jes. in gen. Fasc. 13 No. 214.

Praefatiuncula editoris: P. Theodoricum Canisium, Petri Canisii fratrem ex patre, Dilinga in collegium lucernense transmigrare ab Aquaviva praeposito generali iussum (v. supra p. 320), Ferdinandus Alber praepositus provincialis secum Friburgum Helvetiorum adduxit, ut et in huius collegii visitatione provincialis „socium" ageret, et Petrum fratrem reviseret. Aquavivae *Alber* * scripsit Friburgo 17. Maii 1591: „Valet cum alijs domesticis Senex P. Petrus Canisius, et fratris Theodorici complexu fuit recreatus." Et * Lucerna 2. Iunii 1591: „Lucernam heri cum P. Theodorico ex Friburgo Deo Duce adueni incolumis" (ex autographis; Germ. 169 f. 149[a] 159[a]). In * *Catalogo* provinciae S. J. Germaniae superioris initio a. 1592 Romam misso affirmatur, P. Theodoricum Canisium Lucernae esse „Praefectum spiritualem, et confessarium collegij, exhortatorem, lectorem Casuum conscientiae, Confessarium externorum" (G. Sup. 44 f. 81[b]).

Res a P. Theodorico Canisio gestae et gerendae. Socii cum militibus in Galliam profecturi. Haereticorum furores. Salbii labores. Simulacrum crucis.

†

Pax Christi nobis aeterna Charissime Frater.

Litteras vestras mihi Pater Theodoricus[1] reddidit, nobisque, et Helvetijs gratulor de tali operario, qui Lucernae haudquaquam otiosus erit, ac infructuosus, Domino auxiliante. Socium hactenus, et Comitem fidum praebuit Reuerendo Patri Provinciali[2], Reverendissimum Dominum Basiliensem[3], et Friburgum Brisgojae, sicut et Basileam invisit, multaque didicit de his Regionibus, quae in posterum usum, ac fructum adferre possint. Utiles hic habuit exhortationes coram domesticis, et Mariana sodalitate, multoque rectius valet, quam Dilingae ex hac ipsa

[1] Canisius; v. supra p. 320. [2] Ferdinando Alber.
[3] Iacobum Christophorum Blarer a Wartensee, qui Bruntruti sedem habebat.

peregrinatione. Orate Dominum, ut confirmet in illo, quod multis abhinc annis non sine magno multorum fructu coepit Dilingae, Ingolstadij, atque in hac tota Provincia. Orandum etiam nobis pro exercitu Helveticorum, quem Pontifex Maximus una cum Italorum Copijs mittit in Galliam, ut hoc nobile Regnum tamdiu afflictum, et oppressum ab Haereticis tandem aliquando restituatur [1]. Ex Nostris electi sunt duo P. Everardus, et P. Chunrardus, qui ut spirituales operarij suas dent operas Militibus, sicut S. D. N. et P. Generalis postularunt [2]. Habebunt illi abunde quod agant, atque sustineant in hac longa, et difficili expeditione, ut merito illos Domino commendare debeamus. Potens est quoque Sathan in Haereticis valde, et horribiliter grassantibus, et sacra passim profanantibus non sine miseranda, et deploranda multarum Ecclesiarum devastatione. Sic enim nostra, et multorum Catholicorum peccata merentur, ut iratus Deus multis, gravibusque flagellis Germaniam, et Galliam puniat, suamque Justitiam inobedientibus, ac ingratis evidenter ostendat. Caeterum divinae bonitati gratias ago, quod Elvangae bonam navaris operam in Dominica messe [3], quodque isthic una cum Religiosis libenter, ac tranquille verseris [4], ut jam iterum huic obedientiae tuae fructui ex animo gratuler · discamus ubique Dominum praesentem agnoscere, et sanctam ejus benedictionem nobis, operibusque nostris reddere salutarem.

Fortassis novus Antistes [5] tuam quoque postulabit operam, ut quod catechismo tradendo coepisti, progressum, et successum habeat in

[1] Gregorius XIV. his copiis Ligam adiuvabat contra Henricum (IV.) Navarraeum pugnantem; cf. *Mayer* l. c. II 270.

[2] Electi erant ex collegio lucernensi PP. Everardus Cremerius et Martinus Conradus; pro Cremerio tamen, ut *Alber* Lucerna 20. Iunii 1591 Aquavivae *scripsit, P. Georgius Heppius ex collegio ingolstadiensi milites comitari iussus est (ex autogr.: Germ. 169 f. 177[a]).

[3] „Rursum Elwangam nostri hoc anno bis terue sunt euocati a Principe illius loci vigilantissimo" Wolfgango a Hausen praeposito capituli elvacensis. . . . „Tempore supplicationum pro Gallia institutarum ciues pene omnes confessi sunt. . . . Principis sumptu elegans civib. excitatum Dominj sepulchrum, multis occasio magnae deuotionis. . . . In pagis quoque vicinis eodem tempore confessiones auditae plurimae. In alia quadam Elwacensj excursione iussu Illustrissimi Principis omnia templa eius ditioni subiecta a nostris visitata sunt, multorum hominum commodo spirituali et divini cultus instauratione": * *Litterae* annuae provinciae Germaniae superioris 7. Februarii 1591 datae, „Collegium Dilinganum" (Germ. 141 f. 278[a]). Elvangae a. 1591 „statis diebus poenitentiae, piaculare sacrum obiere mille quingenti quinquaginta septem: . . . in quotidiana Catechesi distributae institutiones pjae eiusdem Principis sumptu": Relatio de collegio dilingano, in „*Litteris* Societatis Iesu duorum annorum MDXC et MDXCI", Romae 1594, 294.

[4] Salbius praefectum agebat iuvenum religiosorum, qui ex variorum ordinum monasteriis, inprimis suebicis et helveticis, Dilingam in contubernium sive convictum S. Hieronymi mittebantur; v. supra p. 329. „Conuictorum Collegium adeo excreuit, vt (quod rarum alias) in solo Humanitatis Gymnasio triginta Monachi numerentur"; *Relatio,* de qua supra, adn. 3 (l. c. 291).

[5] Marquardo a Berg 28. Ianuarii 1591 mortuo, electus est episcopus augustanus 21. Martii 1591 Ioannes Otto a Gemmingen.

Episcopatu[1]. Ex me salutabis P. Rectorem, P. Julium, P. Carolum[2], caeterosque omnes Domesticos, quorum precibus me commendo, maxime vero tuis, ac tuorum in Christo Domino nostro, qui suam in nobis gratiam conseruet, atque ad multorum salutem augere dignetur. Salutatum etiam velim D. Hanss Rogel amicum veterem, cujus ego studium in erigenda, et ornanda cruce valde probo, nec dubito, quin fructum hujus laboris in terra, coeloque sentiet. Atque utinam plures habeamus, qui contra impios iconoclastas non verbis tantum, sed factis etiam pugnent, suamque in sacras imagines pietatem reipsa testentur. Doleo, quod in contributione praestare nequeam, quod ipse desiderat, et expectat hoc tempore. Dominus Jesus Dilinganos in medio pravae nationis[3] fortes, et ardentes verae fidei Professores custodiat, et pios eorum conatus magis, magisque prosperet. Friburgi Helvetiorum 27. Maij 1591. In Christo Frater Pet. Canisius.

Reverendo in Christo Patri Georgio Salbio Societatis Christi Sacerdoti valde dilecto Dilingae.

2291. CANISIUS **P. AUGUSTINO PUTTERER S. J.** Romae degenti.

Friburgo Helvetiorum vere vel aestate a. 1591.

Ex Canisii ad Roccam litteris archetypis, de quibus infra, ep. 2294.

Canisius in litteris Friburgo 25. Augusti 1591 Romam ad P. Franciscum a Rocca S. J. missis: „Salutabis ex me", inquit, „P. Augustinum, cui alias a me scriptum est." Epistula perisse videtur.

Augustinus Putterer sive Purethus, monacensis, a. 1551 natus, a. 1568 Monachii in Societatem admissus, a. 1587 in collegio lucernensi vixerat, a. 1589 Friburgi Helvetiorum „Consultor, Confessarius, Concionator, Praefectus Congregationis maioris externorum" fuerat; inde exeunte a. 1590 Romam vocatus erat; ubi a. 1593 in collegio germanico versabatur, a. 1595—1597 (quantum ex fontibus eiusdem temporis intellegere potui) in basilica S. Petri poenitentiarius pro Germanis erat (Cod. „VI 35" f. 53ª; G. Sup. 19 II f. 22ª; G. Sup. 44 f. 78ª; Rom. 53 f. 185ª 211ª 219ᵇ 303ª; et v. infra p. 334). Quo tamen munere postea quoque aliquamdiu functus esse videtur. Vir fuisse traditur et valde eloquens, et theologiae moralis iurisque canonici peritissimus. Lucernae a. 1605—1607 rector collegii fuit ibique a. 1617 vita cessit (*Seb. Grüter*, Das Kollegium von Luzern unter dem ersten Rektor P. Martin Leubenstain, Luzern 1905, 35[1]).

2292. CANISIUS **P. GREGORIO ROSEPHIO S. J.**, cathedralis ecclesiae augustanae contionatori.

Friburgo Helvetiorum 30. Maii 1591.

Ex apographo, quod circa a. 1860 a P. Floriano Riess S. J. exscriptum est ex autographo, quod erat Augustae Vindelicorum in archivo curiae episcopalis.

---

[1] Salbius catechista templi parochialis dilingani erat; v. supra p. 329. „Initia religionis Christianae, edito etiam Cathechismi compendio, traduntur de more tenerae aetati, rudique hominum generi, vtiliter: nec sine discentium alacritate, aucta munusculis, Episcopo praebente. Affigitur passim per domos tenuiorum vna aliqua imago elegantior, conspicuo loco, quam mane et vesperi sua quaeque familia veneratur, ad eam rationem, vt singulis paene hebdomadis domestici omnes Catechismi capita percurrant": *Relatio* dilingana, de qua supra, p. 330[3] (l. c. 292).

[2] Andream Sylvium, Iulium Priscianensem, Carolum Peuttinger vel Carolum Leopoldum. [3] Phil 2, 15.

Petrus et Theodoricus Canisius in Helvetia. „Notae" evangelicae. Canisii infirmitas. Amici augustani. Bellum gallicum. Novus episcopus augustanus.

Pax Christi nobis aeterna Reuerende Pater.

Non possum committere, quin ad chariss. P. Rossephium scribam aliquid, R. P. Provinciale hinc Lucernam proficiscente. Faxit Deus, ut ambo Canisii, senior ac junior, in Helvetia cum fructu versentur[1], et quod alibi neglexerunt, feliciter in hoc agro compensent, sive vivant, sive moriantur ac sepeliantur inter milites, quorum hic plena sunt omnia. Ego specimen aliquod mearum notarum[2] edidi, ut rusticanos pastores vicinos instruerem: nunc reliquam partem de Sanctis aggrediar sancta obedientia duce. Ignoscat R. T. senili imprudentiae meae, quod maiora et meliora non adferam ad pulcherrimum hoc argumentum expoliendum, quia Rossephianam industriam et eloquentiam praestare non possum, et careo Augustana bibliotheca. Totum hunc annum fere absque lucubratione consumpsi, quum veterem scriptorem expectem qui ne respondet quidem, an promissum reditum sit servaturus[3]. Verum in patientia senes ac juvenes probari convenit, ac interim d i l i g e n t i b u s D e u m c u n c t a i n b o n u m c o o p e r a n t u r[4]. Sat cito, si sat bene[5]. Laeti gratias agimus Domino, quod R. P. Provincialis bonam hic operam navarit, et cum nostra consolatione visitationem institutam absoluerit, quodque P. Theodorico non obfuerit, sed profuerit haec profectio, ut iam sibi quodammodo restitutus esse videatur, qui ante languebat. Speramus hunc operarium novum simul et veterem in messe Lucernica utilem ac frugiferum fore. Doleo me tantum non hoc loco inutilem esse, ut mihi potius quam aliis vivere videar, et senectutis incommoda paulatim in me augeri sentio, nisi quod mediocres adhuc vires ad tractanda studia Dominus largiatur. Tuis quaeso precibus effice pater, vt meum qualecunque ministerium rite conficiam, et vestrorum meritorum, quae in fertili vinea D. Udalrici quotidie colligitis, particeps reddar. Gratum erit, domesticos et amicos externos, praesertim D. Fuggeros et Welseros, ex me salutari. Helvetii ad bellum Gallicum se prorsus instruunt, Pont. Max. militaturi una cum Italicis copiis[6], nec dormiunt adversarij, qui Carnoti[7] Iesuitam suspendisse dicuntur, satisque vexant Catholicos passim. Brevi fortasse cum Parmensis vel Belgicus exercitus[8] accesserit, ad gravem conflictum venietur. Eoque magis orandus nobis est Deus Iunio et Iulio mensibus, ut regnum olim florentissimum nunc calamitosissimum Catholicis restituatur viresque Calvi-

[1] De P. Theodorico Canisio, collegio lucernensi destinato, v. supra p. 329.
[2] „Notas in evangelicas lectiones" dierum dominicorum dicit; v. supra p. 329.
[3] Cf. supra p. 328. [4] Rom 8, 28.
[5] De hoc proverbio v. Can. VI 459. [6] Vide supra p. 330.
[7] Chartres, urbs Galliae.
[8] Alexander Farnesius ex familia ducum parmensium Belgium pro Philippo II. regebat; Philippus autem Ligam adiuvabat contra Henricum IV. Navarraeum, qui Galliae coronam regiam appetebat, pugnantem.

nistarum frangantur, quibus tam prospere succedunt impii conatus ob nostras et communes populi iniquitates. Gratulor autem Ecclesiae Augustanae, cui tam praeclarus obtigit antistes[1], de quo multa liceat bene sperare, et qui gentem nostram diligit[2] ut audio. Demum R. T. valde rogo, ut sicut hactenus fecit, ita pergat Augustanam ornare cathedram, et de suis auditoribus bene mereri, et quod a me antea praetermissum fuit officium, sedulitate sua in viuendo et docendo supplere[3] in Christo Iesu Domino nostro[4], qui suam nobis gratiam augeat, ut ad auream justitiae coronam[5] consequendam digne in hac aetate provecta praeparemur. Bene vale Pater, et Canisium amantem redama. Friburgi Helvetiorum 30. Maij 1591.

In Christo servus Pet. Canisius.

2293. P. ALEXANDER HÖLLER S. J., parochialis templi oenipontani contionator, CANISIO.

Oeniponte aestate vel autumno a. 1591.

Ex apographo, de quo dicetur infra, ep. 2295.

Canisius 28. Novembris 1591 Höllero scripsit: „Serius respondeo literis tuae charitatis, quae propter ueterem coniunctionem, amicitiamque nostram mihi pergratae fuerunt.“ Plura de his litteris, quae iam non exstant, vide in epistula Canisii, quam modo dixi.

Alexander Höller (Heller, Haller) vindobonensis (*Can.* II 596[2]), circa a. 1540 natus (G. Sup. 19, II f. 19a; III p. 45). Romae eo ipso die, quo S. Ignatius mortuus est, in Societatem admissus, cum hanc ad Canisium epistulam dedit, iam Vindobonae philosophiam et controversias theologicas explicuerat, compluribus locis contionator fuerat, Pragae magistrum noviciorum egerat, collegiis brunnensi, olomucensi, oenipontano rector praefuerat (*Kroess*, Böhm. Prov. I 76 137 296 367 506; *Duhr*, Jes. I 190[4]; *Kropf* IV, Dec. 8, n. 17—19). In * *Catalogis* provinciae Germaniae superioris a. 1589 et initio a. 1592 Romam missis legitur, eum Oeniponte contionatorem in parochia esse; praeterea erat a. 1589 „Consultor“ rectoris, „Confessarius Collegij et Templi, Praefectus rerum spiritualium“, a. 1592 „Monitor“ rectoris et eiusdem „Consultor“, „Confessarius Collegij et templi“ (G. Sup. 44 f. 77a 80b). Anno 1592 Constantiam missus est, ubi a. 1611 vita cessit, cum primus Sociorum constantiensium superior fuisset, collegii fundamenta iecisset, cathedralis ecclesiae contionatorem egisset, orandi diligentia, poenitentiae studio, animi demissione, immensis in animarum cura exantlatis laboribus magnam adeptus sanctitatis famam (*Duhr*, Jes. I 407—411; *Konr. Gröber*, Geschichte des Jesuitenkollegs und -Gymnasiums in Konstanz, Konstanz 1904, 21 23 27 63 196—197; *Jo. Nadasi* S. J., Annus dierum memorabilium Societatis Jesu, Antverpiae 1665, 199—200).

2294. CANISIUS **P. FRANCISCO A ROCCA S. J.** Romae degenti.

Friburgo Helvetiorum 25. Augusti 1591.

Ex litteris archetypis (2°; 3/4 p.; in p. 2 inscr. et sigillum), ab ipso Canisio subscriptis („Seruus“ etc.). Germ. 183 f. 300.

De valetudine et scriptione sua, Theodorico Canisio, calamitatibus publicis. Precationes pro se et aliis petit.

---

[1] Ioannes Otto a Gemmingen. [2] Lc 7, 5.
[3] Canisius a. 1559—1566 cathedralis ecclesiae augustanae contionator fuerat.
[4] Rom 6, 23 etc.; v. supra p. 248[5]. [5] 2 Tim 4, 8.

†

Pax Christi nobis aeterna Reuerende pater.

Ex multis quos antea Romae cognoscebam, nunc pauci superesse uidentur, inter quos charitatem tuam mihi salutandam putaui. Ego iam toto decennio apud Heluetios dego, et magis magisque cum senili imbecillitate conflictor, ut merito ad nouissima mea praeparem uias meas. Et quia non licet alijs concionari, scribo aliquid quod nonnullis concionaturis ad Dei gloriam seruiat, quoad aetas sanitasque permittunt[1]. P. Theodoricus frater meus Lucernae uersatur, fortassis ut et ipse suam aetatem apud Heluetios tandem absoluat, suumque talentum utiliter illic expendat in Domino. Dolemus tam multos Romae ut audimus, ex hac migrare uita, magnamque caritatem apud Jtalos inualescere, qua multi passim extinguantur. Dominus Deus uarijs nos flagellis in Jtalia, Gallia et Germania uisitat. Vtinam uisitationis nostrae tempus cognoscamus[2], et ad percutientem[a] serio redeamus[3]. Opto sane ubicunque uersaris, te laete Domino seruire in hac uocatione sancta, et saepe pro nobis orare atque sacrificare, ut ueteri tuae in nos beneuolentiae satisfacias. Salutabis ex me Patrem Ximenez[4], P. Augustinum[5], cui alias a me scriptum est, et amicos alios. Vide Pater ut recte habeas, et Germaniae tuae ob Luteranum militem satis afflictae non obliuiscaris[6]. Oramus Deum, ut exercitum Catholicum in Gallia tueatur, hoc praesertim tempore, quo cruentum conflictum complures expectant[7]. Pergratum erit, si uel semel meo nomine septem inuisas Ecclesias[8], et in locis tam sacris pro Canisio tuo Deum et sanctos eius implores, ut felicem peregrinationis huius exitum aliquando consequi liceat. Dominus Deus in utroque nos homine ad sui nominis gloriam tueatur. Datum Friburgi 25. Augusti. 1591.

Seruus in Christo Pet. Canisius manu propria.

† Reuerendo patri in Christo Francisco a Rocca Societatis JESV Sacerdoti charissimo · Romae.

2295. CANISIUS **P. ALEXANDRO HÖLLER S. J.**, parochialis ecclesiae oenipontanae contionatori.

Friburgo Helvetiorum 28. Novembris 1591.

Ex apographo saeculo XVII. scripto et a librario sic inscripto: „1591. Ad R. P. Alexandrum Haller Concionatorem Oeniponti.“ Cod. monac. „Lat. 1606“ f. 161a–162a.

a) *Sic omnino censeo corrigendum esse autographum, quod habet* perficientem; *v. infra, adnot. 3.*

[1] „Notas in Evangelicas lectiones“ significat; v. supra p. 320 et infra p. 340.
[2] Lc 19, 44. [3] Is 9, 13.
[4] Didacum sive Iacobum Ximenez (Jimenéz); de quo v. *Can.* IV 802; V 187.
[5] Putterer; v. supra p. 331.
[6] Mense Augusto a. 1591 prope Hochhemium (Hochheim) collecti erant plus 6000 equitum et 9000 peditum, qui sub Christiano principe anhaltino (eoque calviniano) Henrico IV. Navarraeo subvenirent (*Janssen* V[1–12] 88).
[7] Cf. supra p. 332. [8] De hoc pietatis exercitio v. supra p. 186[4].

Oenipontanorum pietas. Societas in Austria florens. Vindobonenses. Fr. Sekler. Sacra facienda. Collegia bohemica. Canisius subsidia sacra petit. „Notae".

Pax Christi et felix annus Reuerende Pater.

Serius respondeo literis tuae charitatis, quae propter ueterem coniunctionem, amicitiamque nostram mihi pergratae fuerunt. Scio graues occupationes tuas et assiduas fere conciones, quae tuum silentium facile excusare possunt [1]. Gaudeo Oenipontanos in pietate proficere magis, quam deficere, et nostros amanter complecti pro sua humanitate. Confirmet Deus religiosiores, suasque conscientias saepius confessione Sancta purgantes, quibus ex me salutem dices praesertim Domino Dreyling [a] [2] ualetudinario.

Perlibenter accepi scripta de bono statu Collegiorum in Austria et Bohemia [3], Deoque gratias ago, qui nouos nobis amicos et Patronos suppeditat, ad fidem uindicandam, et Societatem propagandam, hoc tempore malo. Agnoscent, ut spero Viennenses tempus suae visitationis [4], quam terrificam experti sunt [5], fortassis uelut praesagium grauioris calamitatis quae Austriacis imminet. Sit illis ac nobis propitius Deus, ac suam iram ab iis Prouincijs clementer avertat, praesertim ob peccatum discessionis et inobedientiae. In pace requiescat bonus Jacobus Viennae Sacristanus, quem hoc anno defunctum esse audio, et cuius operam in meis peregrinationibus aliquando utiliter expertus sum [6].

Habeo quod scribam de R. P. Prouinciali Austriaco [7], mihi quidem ignoto, sed uobis familiari, quem ut amanter ex me salutes quaeso. Valde optarim ut is me Rectori Pragensi [8], licet illum ignorem, commendet, meoque nomine sacra duo recitari procuret, alterum in Cathedrali templo, apud D. Venceslaum totius Bohemiae Patronum, alterum in templo domestico [9], nimirum, pro conseruatione et augmento Pragensis Collegij, cuius non possum non meminisse [10]; et pro felici anno

a) *Sic omnino censeo corrigendum esse ex* Preyling, *quod est in apogr.; v. infra, adnot. 2.*

[1] Vide supra p. 333.

[2] Significari videtur Ioannes Dreyling a Wagrain, ex clara Tirolensium familia ortus, qui de Ferdinandi II. archiducis „consilio aulico" fuerat; v. *Can.* VI 713.

[3] Missae sunt Canisio, puto, litterae annuae provinciae austriacae S. J.: quae, nonnihil tamen contractae, exstant in „*Litteris* Societatis Iesu duorum annorum MDXC et MDXCI". Romae 1594, 227—284.

[4] Lc 19, 44.

[5] Significatur fortasse irruptio, quam Turcae aestate a. 1591 in Hungariam et in Stiriam versus fecerant. Qui tamen haud multo post repulsi sunt (*P. *Bartholomaeus Villerius* Aquavivae praeposito generali, Vindobona 18. Augusti et 7. Septembris 1591: Germ. 169 f. 226[a] 246[a]).

[6] Mortuus est Iacobus Sekler sive Seckler 22. Decembris 1590 in coenobio S. Bernardi, Mosaviae propinquo et paullo ante collegio vindobonensi attributo; v. *Can.* II 843; III 133.

[7] Bartholomaeo Villerio (Willer).

[8] P. Paulo Neukirch (*Kroess,* Böhm. Prov. I 490).

[9] S. Clementis.

[10] Canisius huius collegii fundamenta iecerat; v. *Can.* I 545—648 762—773.

mihi utcunque debilitato feliciter impetrando. Pergratum esset de hoc ipso Collegio aliquid accipere, quod certe Sanctis et Praecipuis afflictae Bohemiae Patronis[1] libenter commendo, praesertim in Festis quibusdam peculiaribus. Et quia Deus auget nobis Bohemica Collegia[2] ualde rogo eundem P. Prouincialem, ut illa suae paternae curae habeat commendata, meque iam Septuagenarium Senem in uita et morte illorum precibus participem faciat propter nomen et amorem JESV Christi Domini nostri.

Idipsum de alijs Austriacae Prouinciae Collegiis dixerim, quoniam tribulationis et patientiae et probationis illorum consors esse[3] cupio. Hoc unum super est, ut R. T. mihi procuratorem agat, in hoc negotio transigendo, non minus Canisium suum utrique Collegio Halae una cum domo Reginali et Oeniponti commendet ad spiritualem strenam obtinendam. Nescio quando u e n i e t D o m i n u s a d i u d i c a n d u m[4]; uires paulatim deficiunt et me admonent de colligendis sarcinis, eoque magis uestris egeo praesidijs in hac imbecillitate. Pergo tamen ut possum, reliquam partem de notis Euangelicis absoluere[5], ut Sancti etiam honorentur, et bonorum desiderio satisfiat. Alij maiora et meliora edant: senectuti meae in hoc opere, ut spero, candidi Lectores ignoscent. Vide interim, pater, ut tuam quoque ualetudinem cures, et ueteris nostri foederis, quod est perpetuum, non obliuiscaris[6]. Officiose P. Rectorem[7] una cum Domesticis, D. Haidenreich[8], D. Sotum[9] una cum matre ac amicis alijs quaeso salutes, meo nomine, precor illis omnibus nouum, felicem, et salutiferum annum in Christo Domino Nostro.

Friburgi Heluetiorum 28 Nouemb.

Seruus in Christo Pet: Canisius.

2296. CANISIUS **CLAUDIO AQUAVIVAE** praeposito generali Societatis Iesu. Friburgo Helvetiorum initio a. 1592.

Vide Aquavivae epistulam proximam. Nam hae Canisii litterae perierunt.

[1] SS. Vito, Wenceslao, Sigismundo, Adalberto, Procopio: v. *Can.* I 553.

[2] Societatis collegia, praeter pragense, exstabant Brunae (Brünn), Comotoviae (Komotau), Crumloviae (Krumau, Krumlov).

[3] Cf. Apc 1, 9. [4] Is 3, 14. [5] Cf. infra p. 340.

[6] Pepigisse eos conicio, ut, qui prius moriturus esset, a superstite certis suffragiis iuvaretur; cf. *Can.* VII 122.

[7] Ioannem Fabrum (*Duhr*, Jes. I 190[4]).

[8] P. *Theodoricus Canisius* S. J. in *litteris Dilinga 19. Februarii 1576 Romam ad P. Nicolaum Lanoium datis: „Cenati nobiscum sunt", inquit, in refectorio oenipontano „D. Cancellarius Klöcklerus, D. Cyriacus Haidenreich et quidam doctor, cuius nomen excidit propemodum, Dreyling ni fallor vocabatur, vir nostri amantissimus" (ex autogr.; Germ. 137 f. 101[a]). Cyriacus Heidenreich Oeniponte a. 1567 consiliarius regiminis (Regierungsrat) erat et postea camerae praeses factus est (*Jos. Hirn*, Erzherzog Ferdinand II. von Tirol, Vol. I, Innsbruck 1885, 240 463[4] 522[1]; Vol. II., Innsbruck 1888, 248 252 466 498[3]). Collegium halense prope Oenipontem situm a. 1605 insigni beneficio affecit „vir nobilis Cyrjacus Heidenreich a Pidenegg" praefectus aulae Guilielmi V. Bavariae ducis (*Flotto* III 223).

[9] Godefridum Zott; cf. *Can.* VI 335 491 497.

2297. CLAUDIUS AQUAVIVA praepositus generalis Societatis Iesu CANISIO. Roma 25. Februarii 1592.

Ex commentario sic inscripto: „Friburgi P. Petro Canisio." G. Sup. 2 f. 76ᵃ.

Canisii monita. Visitator. Canisii infirmi constantia in laboribus.

Valde mihi probata sunt quae R. Vestra pro suo zelo nos monuit de rebus istis, vt animaduersione certe digna sunt, ad commune bonum istius Collegij, ac reliquae Prouinciae [1], ideoque recte facit R. Vestra cum eadem subinde suggerit P. Prouinciali [2] · quem spero etiam nobiscum diligentem omnium rationem habiturum. Mihi vero idem quoque iudicium quod Reuerentiae Vestrae vtilem Prouinciae futurum Visitatorem · atque in eam curam nunc incumbitur, vt aliquem deligamus maxime idoneum. Caeterum de valetudine R. Vestrae etsi compatior incommodis senectutis, et corporis infirmitati; gratulor tamen et gratias Deo ago, quod istum animum conseruet semper erectum et constantem in assiduis pro eius obsequio laboribus · ipsumque precor vt R. Vestram ita semper protegat et consoletur sua diuina gratia, quoad Sponsi vocem [3] audiat vocantis ad coronam. Atque ego vicissim eius precibus et ss. [4] me plurimum commendo. Romae 25. Februarij.

Anno 1592 has litteras datas esse intellegitur ex epistulis, quae in registro eas antecedunt et sequuntur; his enim annus 1592 ascriptus est.

2298. CANISIUS **FERDINANDO**, filio natu maximo Caroli archiducis, principis Stiriae, Carinthiae etc.

Friburgo Helvetiorum 1. Octobris 1592.

Ex harum litterarum latine a Canisio scriptarum versione germanica, a *Blasio Laubich*, Ferdinandi capellano aulico, facta, quae est Vindobonae in bibliothecae palatinae Codice 11,758 („Hanndtbüechlein . . . von Petro Canisio") f. 3ᵃ—7ᵇ. Litterae latinae iam penitus perisse videntur. De qua re v. infra, monum. 1517.

Dedicat ei Enchiridion pietatis in usum principum compositum. Ferdinandi Ingolstadii litteris operam dantis virtus. Gloria maiorum eius. Laudes praeceptorum eius. Canisius ex theologis ingolstadiensibus vetustissimus. Precatio omnibus, principibus maxime, necessaria. Canisius Austriae principibus ex multis annis addictus.

Es wirdt villeicht E: F: D: [5] wunder nemmen, daß ich mit betagtem Alter beladener, der ich ietzo in Schweitzerlandt mein leben füere, diß geringfüegige büechlein, von so fern von einannder gelegenen orten zuschickhe, vnnd solch ein hoche berschon vnd herren der mir vnbekandt, vnd mit ernstlichen angelegenem studio der freuen künsten, bemühet

[1] Provinciae S. J. Germaniae superioris. [2] Ferdinando Alber.

[3] Io 3, 29; cf. Ier 33, 11. [4] I. e. sacrificiis.

[5] I. e. Ewer Fürstliche Dürchleücht · Ferdinandus (1572—1637), Caroli archiducis principisque Stiriae, Carinthiae, Carniolae, et Mariae Bavarae, sororis Guilielmi V. Bavariae ducis, filius natu maximus, a. 1590 Ingolstadium missus erat, ubi etiam Maximilianus I, et Philippus Guilielmi V. filii litteris studebant. Ferdinandus primis tribus annis litteris humanioribus, quas vocant, operam dabat in paedagogio universitati coniuncto, quod Societatis sodales regebant (*Friedr. Hurter*, Geschichte Kaiser Ferdinands II und seiner Eltern II, Schaffhausen 1850, 253; III, Schaffhausen 1851, 201). Notum est, eum a. 1619 cum nomine Ferdinandi II. imperatorem romanum factum esse.

vnnd beschefftiget ist keglichen darf ansprechen, Iedoch vnuerhollen, vnd warhafftig daruon zureden, So komen mir so vilfaltige vnd ruhmwürdige ding von E. F: Dürchleücht vnnd von deroselben sonderbarem vnnd Hochadelichen Natur vnd füertrefflichem Ingenio zue Ehrn, daß ich dieselbe auch abwesendt zulüeben vnd zu Ehren nit vnderlassen mag, auch darneben mich zuerfreuen, daß dieselb dise Jre schön blüendte Jugendt mit freüen künsten, sonnderlichen in einen waren Catholischen Gymnasio in guter vnderweisung vbet vnd züeret[1].

ICH SPüre vnd erkenne zwar wiebillich, die weisse fürsehung der ewügen Prouidentz vnnd weißheit Gottes, welche vnns, vnnd dem heilligen Römischen Reich disen glückseligen Samen darreichet, welcher (:[a] allß der von den Durchleuchtigisten seinen Anherren, vnnd Uranherren hergebracht, vnnd von seinem hoch hochfüertrefflichen vnnd alles ruhms würdigisten Vattern disen Zeitten verlassen ist :) beij allen wolgesinten in grossem verlangen vnd Hoffnung stehet, So bitte ich auch eben denselben güettigisten Gott, den quel vnnd vrheber alles guetten, auß meines hertzens grunndt daß er dise hochfürtreffliche vnd herliche Tugenden vnd gaben deß leibes vnnd deß gemüets E. F: D: darob sich Jrer vil ehrerbiettigcklich verwundern, gnedigclichen erhalten vnnd mehren, vnd zu der Ehr seines heilligen göttlichen Nammens, auch zu gemeinem nutz seiner heiligen kürchen, mehr vnd mehr glückhseligen vnnd segnen wölle.

Vnnd ist mir auch hieneben wolbewust, daß dieselbe E: F: D: vil Hochgelerte vnnd zugleich hochuerstendige vnnd frome Männer vnd praeceptores haben, Welche einen solchen hochadelich gebornen jungen Fürssten vnnd Herrn zu allem gottseligen wandel vnnd vbung aller tugendten von tag zu tag erweckhen vnd anflammen[2], Jedoch so wüderet es nichts zuachten, solches meinem alter vnnd beruef, nichts vngebürlichs vnnd vngemeß zusein, daß ich mich vnder den Ingolstetterischen Theologen, welchen E: F: D: mit allen Fürstlichen gnaden wolgewogen

a) *Haec signa, quae non sunt in codice, ponenda esse videntur, ut respondeant signis post* verlassen ist *positis*.

[1] Die 25. Ianuarii 1594 P. *Richardus Haller* S. J. rector collegii ingolstadiensis P. Simoni Hiendl S. J. rectori collegii monacensis de Ferdinando scripsit: „Iam 4um annum hic absoluit in studio, fructu plane non penitendo, siue pietatem, siue literas spectes . . . Nihil perit, quicquid in hoc tam fertili agro seras. . . . Mens sane optimi Principis, modo uirilitas quaedam accedat et robur corporis, eius modi est, ut melior optari uix queat. Et saepe mecum ipse tacitus miror tam maturam pietatem in iuuenili corpore" (*Hurter* III 534; ibidem 211—213 testimonia similia).

[2] Cum Ferdinando ab eius parentibus Ingolstadium missi erant aulae magister Balthasar liber baro a Schrattenbach, praeceptor Ioannes Wagenring (Bogenrin) Stiriae inferioris archidiaconus et paullo post episcopus tergestinus, capellanus aulicus Laurentius Sonnenwender, cubicularii Eustachius ab Offenheim et Ioannes Albertus a Zernatza (*Hurter* II 236—237). „Praefectus studiorum Humanitatis" et „professor Rhetoricae" erat a. 1592 P. Reynerus Fabricius S. J. Mathematicam tradebat P. Christophorus Silberhorn S. J. ex **Catalogo* initio a. 1592 scripto. G. Sup. 44 f. 79a.

seindt, mich itzo, Inmassen es auch wahr vnnd wissenlich ist, für den Eltisten ausprecheⁱ[1], vnnd diß mein neues werckhlein deroselben offeriere vnnd aufopfere welches eben zwar, von nichten annders, Jedoch die würdigkeit deß hierin begriffenen inhalts, zum theil commendirn vnnd rühmen würdt, dan es wirdt darinnen gehandelt von einer solchen sachen, die zu allen zeiten bewert, gelobet vnd heilig ist, (· darfür es zu jeden Zeiten die H: kürch Gotes erkennet hat ·) nemblichen von dem gebet zu Gott dessen v̈bung vnnd nutz, niemahl mehr, meines bedunckhens, dan zu disen bessen vnnd geferlichen zeiten, notwendig gewesen · derowegen winsche ich auß grundt vnd Innigkeit meines hertzens, vnd gelanget hiebeneben meine ernstliche mannung, nit allein an den gemeinen Man, vnnd an die geistlichen sonndern auch an die hochen Pottentaten vnd herren sonnderlichen aber an die gotseligkeit E: F: D: daß sie in außgüessung Jres gebets, zu dem allmechtigen, stet vnnd emsig sein sollen inmassen es die itzige armsellige vnnd geferliche zeit nit allein erfordert, sonndern auch allenthalben notdrenglich darzue zwinget vnnd treibet.

Vnnd zwar keines anndern mittels (· von dem Gebet zureden ·) seindt wir also hoch vnnd noturfftig, so wir den schweren vnnd ergrimten Zorn Gottes versönnen vnnd vnnsere abgesagte feindt vnnd dero hinderlistige vnnderwündung vnnd nachstöllung, von vnns abtreiben, vnd die genadt der himblischen gaben erlangen mögen,

Souil nun aber in disem kleinem vnnd geringfertigen werckhlein ist. welches denen in hochen Ehren vnnd würden stehenden personen ein form vnnd weiß ertheillet, dasselbe, gueter getrösster zuuersicht, wirdt E: F: D: Jr vmb souil angenemer sein lassen, Je mehr mir der von Natur wolgenaigte willen E: F: D: gegen den gelerten, vnnd die sonnderbare genadt weliche sie gegen den Vnnsern tragen. bewusst ist,

Vnnd soll es zwar niemandt wunder nemen, daß ich dem Hochlöblichen Hauß von Össterreich, darüber nichts adelichers ist, geflissen vnnd ergeben bin, dieweil ich schon vorlangsten demselben bey lebenszeitten deß hochberüembten Gottseligen Keysers. eben des Namens Ferdinandi da ich an seinem Hoff daß bredigambt verwaldet gedient habe[2], Aber ein sattes benügen soll mir widerfahren da ich merckhen vnnd spüren wurdt, daß diß geringe werckhlein, in welichem in dem gebett, so zu Gott beschicht, ein Fürst vnnd Herr vnderwissen würdt, von E: F: Dürchleücht in gnaden wurde auf vnnd angenomen werden.

Beschließlichen bitte ich hoch vnnd flehenlich die ewüge güetigkeit Gottes, dero wir alles zuemessen, vnnd mit Danckhsagung zu-

---

[1] Canisius a. 1549 in universitate ingolstadiensi theologiam tradere coeperat. Primus quidem ex Societatis hominibus anno 1543 Ingolstadii docuerat P. Claudius Iaius; sed hic tunc brevi tantum tempore; et iam mortuus erat a. 1552 (*Can.* I 406 691; *Polancus*, Vita etc. [v. supra p. 310[10]] I 113).

[2] Canisius ab a. 1553 ad 1556 Vindobonae coram Ferdinando I Romanorum rege, qui postea imperator fuit, contionatus est (*Can.* I 438 602 747).

schreiben sollen, damit nit allain dise Christliche Catholische vnderweissung, sonndern auch die daselbsten mit höchstem lob angefangene studia ein glückseligen fortgang vnnd außganng gewinnen, vnnd dem verlanngen vnnd geschöpfften Hoffnung aller treuhertzigen zu hail vnnd nutz der Erwürdigen allgemeinen Christenheit ein Benüegen thuen möge. Datum zu Freyburg im Schweitzerlandt den .1. Oct: Anno 1.5.92.

2299. CANISIUS **IOANNI MEIER** et **LUDOVICO AB AFFRY** praetoribus ac toti **SENATUI FRIBURGENSI.**

Friburgo Helvetiorum 1. Februarii 1593.

Ex libro: „Notae in Evangelicas Lectiones, quae per totum annum festis Sanctorum diebus in Ecclesia Catholica recitantur. Authore R. P. *Petro Canisio*", Friburgi Helvetiorum 1593, f. non sign. (:) 2ª — (:) (:) 2.ª (A). Exstat in Cod. „Can. 46" harum litterarum exemplum (B), quod Canisius paucissimis locis emendavit et a. 1597 „Notarum" harum editioni recognitae (quae, „Notis" in lectiones Dominicarum in duos tomos divisis, totius operis tomus tertius futurus erat, neque tamen unquam in lucem prodiit) praeponi voluit.

Notas evangelicas dierum festorum iis dedicat. Sanctorum animas iam frui beatitudine coelesti et pro hominibus apud Deum intercedere, nec quicquam inde de gloria Christi mediatoris detrahi. Recte et dominicos dies et dies festos Sanctorum celebrari. Novatoribus haec immutandi nullam competere potestatem. De dierum Sanctis consecratorum antiquitate et utilitate. Friburgensibus gratias agit pro beneficiis, quae in Societatem conferant, eosque laudat, quod fidei conservandae et haeresum arcendarum studiosissimi sint.

MAGNIFICIS NOBILIBVS, RARAQVE SAPIENTIA ET VIRTVTE PRAEstantibus viris, DN. IOANNI MEIER [1], et DN. LVDOVICO AB AFRI [2], PRAETORIBVS, totique spectabili SENATVI FRIBVRGENSIS vrbis in Neutonia, Dominis et Patronis admodum obseruandis, PETRVS CANISIVS in CHRISTO IESV S. D. P. [a]

NON ME PVDET SANE, nec poenitet, Ornatissimi viri, priorem Tomum nostrum de Notis Euangelicis inscriptum, et in Republica vestra confectum, haud ita pridem in lucem prodijsse [3], praesertim vt votis Cleri vestri Friburgensis, quem honoris gratia nomino, ac simul officio meo collegis iuuandis debito, vtcunque facerem satis. Quod si conatus ille, vt ferunt, gratus fuit lectoribus, habeo certe cur aeterno Parenti, a quo tanquam fonte bonum omne dimanat, ex animo gratias agam, et simul mihi gratuler de praesenti Lectorum beneuolentia ac humanitate. Nunc accedit eiusdem Operis Tomus alter [b], non minus quam prior [c], a multis desideratus, in quo sacrae Lectiones Euangeliorum, quae Diuorum festis diebus de more in Ecclesia proponuntur, suas etiam Notas habent vel explicationes, quibus nonnihil illustrentur, annexas. Ego

a) *Quae sequuntur, in libro, paucis verbis exceptis, typis cursivis sive italicis descripta sunt.*
b) Tertius *B*. c) priores duo *B*.

[1] Meieri (Meyer, Meier) eo tempore ex primis reipublicae friburgensis familiis erant. Ioannem Meier ab a. 1591 usque ad a. 1612 consulem (avoyer, Schultheiß) friburgensem fuisse asserit *Alex. Daguet*, Jost Alex ou Histoire des souffrances etc., Genève 1864, 36². [2] Cf. supra p. 38. [3] Vide supra p. 320.

vero antequam ad praesentis Operis dedicationem accedam, committere non possum, quin tempori seruiam, et aliquid ijs respondeam, qui noua Fidei dogmata consectantes, veteris Ecclesiae nostrae instituto etiam in illo aduersantur, quod iampridem decretas et hucusque obseruatas Diuorum ferias inuidiose tractant, acerbe conuellunt, ac prorsus abolere conantur.

SVNT quippe morosi censores plurimi, qui Ecclesiae Sanctos (vt recepto et vulgato vtar vocabulo) vix dignantur agnoscere, multoque minus reuerenter salutare, et Ferijs eorum memoriae consecratis nullam tribuunt venerationem. Etenim perinde ac si cum Iuliano apostata, et impijs prorsus Ethnicis in eadem sedeant naui, eiusmodi Sanctos, electa vtique Spiritus sancti organa [1], et splendentia Ecclesiae lumina [2], tantum habent pro mortuis, ac disputare audent, an illorum animae vitam in coelis beatam degant. Hos enim ipsos tam altum vel dormire, vel stertere, omnique sensu destitui, planeque coecos ac surdos fingere non metuunt, ac si a longo et pergraui somno ad supremum vsque iudicij diem non expergefiant, tum demum vitae officio, simul animo et corpore restituendi, quum mortui omnes ad vitam immortalem excitabuntur. Quis vero vel modice in fide institutus non demiretur, Christianos de re tanta tam absurde sentire, ac futiliter loqui? nec animaduertere, inter homines a summo Deo conditos, locum primarium deberi Sanctis, eosque ex hac corruptibili vita ad coelestem translatos patriam, ad quam vna cum Paulo [3] electi omnes adspirant, authori suo perfecte viuere, vitamque cum Augustiss. Redemptore coniunctissimam agere, vt certa illa promissio impleatur: Vbi sum ego, illic et minister meus erit [4]. Quibus et illud plane consonat: Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, et illi sint mecum, vt videant claritatem meam quam dedisti mihi [5]. Quamobrem Apostolus de Testamenti veteris patribus loquens asserit, eos qui operati sunt iustitiam, adeptos iam esse repromissiones [6]. Eadem vero aliorum, qui perfecte in Domino moriuntur [7], est conditio, eo quod non in spe tantum, sed sicut in scholis vocant, in re, omnibusque numeris felicitatis dicantur et sint filij excelsi [8], haeredes Dei, Christique cohaeredes [9], quos inde ab aeterno praedestinatos Deus gratiose vocauit, et vocatos iustificauit, ac iustificatos etiam glorificauit [10], tantis quidem coelestis gloriae opibus illorum animos complens, vt licet stolam vnam acceperint [11], tamen cunctis mortalibus quamlibet praepotentibus ac florentibus in immensum antecellant. De his ipsis inter alia Iohannes Apostolus refert: Sunt ante thronum Dei, et seruiunt ei die ac nocte in templo eius: et qui sedet in throno, habitabit super illos, et de-

[1] Cf. 1 Cor 12, 3—11; Rom 8, 14; Mt 10, 20 etc.
[2] Cf. Dn 12, 3; Sap 3, 7 etc. [3] Cf. Phil 1, 21—23. [4] Io 12, 26.
[5] Io 17, 24. [6] Hebr 11, 33. [7] Apc 14, 13. [8] Ps 81, 6.
[9] Rom 8, 17. [10] Rom 8, 30. [11] Cf. Apc 6, 11.

ducet eos ad vitae fontes aquarum[1]. Videntur illi quidem oculis insipientium esse mortui plane, sed quorum corporea mors felix est transitus ad vitam praestantiorem atque Angelicam: vnde sunt in pace[2], et secundum animam in perpetuum viuunt, et apud Dominum tanta est merces eorum[3], quantam oculus non vidit, nec auris audiuit, neque cor hominis assequi potest[4], quemadmodum sacris literis edocemur. Neque solum illi cum Christo perbeate regnant[5], sed ardenti etiam erga nos fratres suos charitate flagrant, eaque duce de salute nostra cogitant et curant, communemque dominum pro nobis deprecantur, ac bona multa immerentibus obtinent; sed et[a] apud Deum suo quidem modo, sicut Basilius Magnus et Gregorius Nazianzenus vocant[b], mediatores quosdam in coelis exhibent[6]. Neque tamen idcirco Christi summi et incomparabilis Mediatoris excellenti dignitati derogant, quem sane vnum inter Deum et homines noui Testamenti mediatorem esse[7], semperque futurum ingenue profitemur, vt qui semetipsum in redemptionem pro om-

a) *Hoc v. in A. quidem deest, sed in „erratis" in fine libri positis iubetur suppleri.* b) nuncupant *B.*

[1] Apc 7, 15 17. [2] Sap 3, 2 3. [3] Sap 5, 16.
[4] 1 Cor 2, 9; Is 64, 4. [5] Apc 20, 4, 6.
[6] Planius *Canisius* in „Altero Tomo Commentariorum de Verbi Dei corruptelis", Ingolstadii 1583, l. 5, c. 12, p. 675: „Basilius et Cyrillus Apostolos et Martyres mediatores agnoscunt, sicut et Bernardus de sanctis Petro, Paulo et Victore disserens, eandem phrasin vsurpat, imo multo ante illum Gregor. Nazianze. quod Martyres μεσιτεύουσι, hoc est, mediatores sint, vt Nicetas exponit, euidenter affirmat." Ac quod ad Basilium attinet, Canisius in margine notat. „In actis concil. 2. Nicen.": de Gregorio autem (de Cyrillo et Bernardo disserere non est huius loci) ibidem ait: „Oratio ad Gregorium Nyssen. Hom. in Hypapanten Domini". In secundae synodi nicaenae (quae in numero conciliorum oecumenicorum est VII), a. 787 habitae, actionibus II. et IV. recitatus est hic locus, qui ex S. *Basilii Magni* epistula ad Iulianum Apostatam exscriptus esse dicebatur: „Δέχομαι δὲ καὶ τοὺς ἁγίους ἀποστόλους, προφήτας, καὶ μάρτυρας, καὶ εἰς τὴν πρὸς Θεὸν ἱκεσίαν τούτους ἐπικαλοῦμαι, τοῦ δι' αὐτῶν, ἤγουν διὰ τῆς μεσιτείας αὐτῶν, ἵλεών μοι γενέσθαι τὸν φιλάνθρωπον Θεόν, καὶ λύτρον μοι τῶν πταισμάτων γενέσθαι καὶ δοθῆναι" (*Migne,* P. gr. XXXII 1100). Hanc epistulam tunc quidem revera Basilii esse censuerunt, ideoque verba, quae modo posui, cum Basilii nomine, latine tamen, posita sunt in *Hadriani I.* papae litteris ad Constantinum imperatorem et Irenem eius uxorem datis et in concilio illo nicaeno recitatis (*J. D. Mansi,* Sacrorum Conciliorum Collectio XII, Florentiae 1766, 1065—1068). Postea vero maurini operum S. Basilii editores eam spuriam esse affirmarunt (*Migne,* P. gr. XXIX, CLIX—CLX). S. *Gregorius Nazianzenus* in oratione ad S. Gregorium Nissenum habita mentionem fecit „ἀναβάσεως ἢ θεώσεως, ἵν' οὕτως εἰπεῖν τολμήσω, ἧς οἱ μάρτυρες μεσιτεύουσι" (Oratio XI, alias VI, n. 5. *Migne,* P. gr. XXXV 837). Quod autem ad homiliam „in Hypapanten Domini" attinet, olim quidem aliqui, velut Iacobus Pamelius, existimabant, homiliam „in sancta lumina" inscriptam (*Migne* l. c. XXXVI 335—360) die Hypapantes sive Purificationis (2. Februarii) habitam esse; sed iam constat, eam die baptismi Christi sive 6. Ianuarii habitam esse; neque in ea intercessio Sanctorum memoratur (D. Gregorii Nazienzeni opera, ed. a *Iac. Billio,* Parisiis 1582, 825). In oratione autem in laudem S. Cypriani Martyris *Nazianzenus* hanc planis verbis invocat (*Migne* l. c. XXXV 1193).
[7] Hebr 9, 15; 12, 24; 1 Tim 2, 5.

nibus dedit[1], sicut Paulus affirmat, qui praeterea nullius alterius indigens, propter semetipsum Patri placet aeterno[2], et sicut vnicum Caput[3] pro membris, omnium et singulorum nomine perpetuo interpellat[4], cui denique supremum religionis cultum, vt nulli alteri, a nobis adscribi atque praestari fas est. Neque in hoc obscuramus, sed potius eiusdem Christi gloriam illustramus, cum Sanctos, hoc est, praecipuos eius amicos et fratres, adeoque praestantiora eius membra, quae cum illo in eodem throno sedere[5] a Iohanne dicuntur, ad Ecclesiae sensum ac morem honoramus et colimus, nihil quidem ab illis, nisi per Christum et propter Christum ipsorum ac nostrum Dominum hic expetentes. Fatemur item, Sanctos eosdem per se ac de suo petentibus nihil in coelo largiri, qui tamen rogati, suas preces nostris libenter adiungunt, eas reddunt efficaciores, coelesti Patri offerunt, et ab eodem Patre libenter audiuntur, quandoquidem ille coniunctis multorum precibus mirifice delectatur[6]. Verum his relictis, quae late patent, et alibi commodius explanantur, ad Sanctorum Ferias propius accedamus.

SVNT non pauci male feriati homines, qui Dominicos dies tantopere laudant ac vrgent, nullum vt locum Sanctorum Ferijs reliquum faciant, sed eas prorsus in Ecclesia velint antiquari. Alij Christo Redemptori tam parum tribuunt, vt festos dies eidem dicatos fastidiant, atque vbi possunt, e medio tollere nihil vereantur. Molestum illis ac odiosum est, quod Christi Redemptoris natiuitatem, resurrectionem et in coelos ascensionem sanctam quotannis stato tempore, et solenniter celebramus, vt reliqua interim Domini nostri opera cardinalia, sicut a Cypriano dicuntur[7], volens praeteream. Quid isti quaeso Sanctorum ferijs concedant, aut concedendum putent, qui suum et praecellentem honorem inuident ac adimunt Christo Sancto sanctorum[8], et Capiti totius Ecclesiae[9] siue in coelis triumphantis, siue in terris militantis?

---

[1] 1 Tim 2, 6.

[2] Cf. Is 42, 1; Mt 3, 17; 12, 18; 17, 5; Mc 1, 11; Lc 3, 22 etc.

[3] Cf. Eph 4, 15; 5, 23; Col 1, 18. [4] Rom 8 34; Hebr 7, 25.

[5] Apc 3, 21. [6] Cf. Mt 18, 19 20.

[7] Hoc neque in veris, neque, puto, in spuriis Cypriani operibus legitur; sed a Canisio, nisi fallor, in manu scripto aliquo codice operum Cypriani inventum est. Scribit quidem *C. Du Cange:* „Cardinalia Christi opera, apud Cyprianum" (Glossarium ad Scriptores mediae et infimae Latinitatis I, Francofurti ad Moenum 1710, 925); sed cum aliorum auctorum nominibus, in quo eorum libro et capite ita ab iis dictum sit, adnotat, de Cypriano nihil tale dicit. Unde eum haec ex Canisio mutuatum esse censeo. Silent de Cypriano, cum verbo „cardinalis" interdum „principalis" vel simile quid significari dicunt, *Aegidii Forcellini* „Totius Latinitatis Lexicon", et „*Thesaurus* linguae latinae editus auctoritate et consilio Academiarum quinque Germanicarum" (III, Lipsiae 1906—1912, col. 442). Ne commemoratur quidem verbum „cardinalis" neque in „Verbis peculiaribus Cypriano" collectis in Cypriani Operibus Basileae 1558 editis, quae etiam plurima opera eius spuria complectuntur (f. H 6a), neque in „Indice verborum et locutionum" operum Cypriani, qui exstat in „Cypriani operibus omnibus" a *Guil. Hartel* editis (P. III, Vindobonae 1871, 407—460).

[8] Dn 9, 24. [9] Eph 5 23; Col 1, 18.

Annon sese disiungunt isti ab vniuersis recte Credentibus, qui complures dies festos sui Saluatoris memoriae consecratos tot seculis vbique gentium religiose receperunt, et constanter hactenus obseruarunt? Nec desunt hodie, a quibus non leuiter disceptetur, sit ne Dominicus dies[1], cuius etiam meminit Iohannes Euangelista, perpetuo et solemni ritu palam sanctificandus. Etenim rebus in religione nouandis addicti, hoc nunc proprium tenent, vt cultum fere omnem externum, qui sacris ferijs ac templis adhibetur, hostiliter insectentur. Quanquam non possunt inficiari, expresso Dei verbo esse consentaneum, vt sicuti tertium Decalogi praeceptum requirit[2], non modo Iudaeorum synagoga vetus, sed et Christianus populus in exteriore cultu ad summi Dei gloriam exerceatur, Christique Domini et Capitis sui conformetur exemplo[3]. Tolerabiliores illi censores videntur, qui vt aliquid veteri concedant Ecclesiae, illorum Sanctorum celebrandas ferias excipiunt, qui in Euangelicis literis praedicantur, quemadmodum beatissimae Virginis Deiparae, laudatissimi Prophetae Iohannis Baptistae, lectissimorum Apostolorum, percelebris Magdalenae, eximijque protomartyris Stephani. Quod porro ad reliquas Diuorum ferias attinet, eas isti non religiose, sed politice tantum, vt ipsi loquuntur, a populo seruari posse contendunt. Quasi vero penes hos et politicos sit authoritas sacra profanis permiscendi, et certas praescribendi leges matri Ecclesiae cum graui plurimorum offensione atque perturbatione. Postremo ex nouis legislatoribus prodeunt quidam adeo lenes atque clementes, vt ea Diuorum Festa recipienda putent, quae venerandae antiquitatis testimonio commendantur, et magno vtriusque Magistratus consensu stabilita huc vsque perseuerant: quum alia quae inferioris classis et minoris ponderis ab ipsis deputantur, mutanda et abolenda esse censeant. Fatemur quidem nos Orthodoxi, inter huiusmodi Ferias haud exiguum esse discrimen, et quasdam alijs antecellere, sed simul asserimus, iniquum ab illis postulari, qui quod Magistratibus Ecclesiasticis per vim auferunt, sibi arrogant, de Ferijs nempe mutandis atque imminuendis, idque ab illis fieri praeter morem, et contra exemplum optimorum Principum, et spectatissimorum Imperatorum.

EApropter in his alijsque adversarijs haud leuiter viros prudentes offendit, quod sese tum Pontificibus, tum Episcopis insolenter exaequent, adeoque impudenter anteponant, velut ex ipsorum praescripto causa de sacris et religione decidenda sit. Peccant praeterea, quod in proposito argumento multis modis, vt diximus, inter se ipsi dissideant, et subinde nouas leges figant atque refigant, sed qui fere ad deteriora hodie prolabuntur. Posuerunt enim os suum in coelum[4], vt Vates diuinus loquitur, et quasi cum Atheis impie conspirantes, illud nobis occinere videntur: Quiescere faciamus omnes dies festos a terra[5]. Illud multo est insulsius atque damnabilius, quod hi noua-

[1] Apoc 1, 10. [2] Cf. Ex 20, 8—11; Dt 5, 12–15.
[3] Cf. Mc 1, 21; Lc 2, 42–43; 4, 16; Io 2, 13; 5, 1; 7, 2–10; 10, 22–23.
[4] Ps 72, 9. [5] Ps 73, 8.

tores velut censoriam sibi virgulam sumunt in Sanctos, quum eorum dicta, facta, scripta siue omni candore denigrant, et maligne corrumpunt, adeoque tetrae superstitioni, et horrendae idolomaniae palam adscribere non dubitant[a]. Ita demum Iohannis Euangelistae complent vaticinium, quo praedictum est fore, vt complures ab impurissimo blasphemiae spiritu agitati, Apocalypticam sectentur bestiam, suaque maledicentia Deum, eiusque Tabernaculum et Sanctos in coelo habitantes[1] impugnent atque proscindant. Quando enim vnquam Europa tot blasphemis linguis, et virulentis calamis magis abundauit, totque insanos rerum sacrarum illusores, ac impios profanatores extrusit? Quodsi detestandum istorum morem sequimur, qui sectas inter se dissectas ardenter fouent atque defendunt, leuiter profecto aestimabimus, facileque rescindemus omnem veteris Ecclesiae authoritatem, disciplinam, traditionem, atque concordem in doctrina pia consensum, sed et eo vesaniae redigemur, vt de primis quae vocant, Theologiae principijs multorum exemplo, velut Andabatarum more pestilentissime digladiemur[2]. Etenim incertus erit diuinae Scripturae canon, incerta omnis eius interpretatio: quod cuique libebit, id licebit Dei verbum ac purum Euangelium iactitare. Apostolorum symbolum in dubium reuocabimus, de Sacramentorum numero, vi et forma nullus erit finis altercandi, demum quicquid iam olim recte pieque sancitum est, a contentiosis et fanaticis, quorum plena nunc sunt omnia, subinde in controuersiam rapietur.

QUANTVM vero ad veterum Festorum originem attinet, Ecclesiae Catholicae hostes non possunt diffiteri, hanc ipsam adeo vetustam, receptam, tritam, probatam ac solennem esse, vt principium eius demonstrari nequeat: neque ignorant multorum sententiam, quibus visum est, huius institutionis caput ad Christianae fidei nostrae principes Apostolos referendum esse. Illud sane in confesso est, Apostolicos plane et celeberrimos in Ecclesia viros suam his Ferijs autoritatem iampridem adiunxisse, quas et sacra Concilia receperint atque comprobarint. Siquidem de illis non obscure scribunt Clemens Romanus, Origines Adamantius, Cyprianus Martyr, Eusebius Caesareensis, Basilius Magnus et Gregorius Nazianzenus[3]. Quid igitur est, cur nos moueat istorum

a) uerentur *B*.

---

[1] Apc 13, 6.

[2] Gladiatores hi romani (*Cicero,* Epistolae ad familiares l. 7, ep. 10, n. 2) oculis clausis vel tectis pugnabant, ideoque ictus plerumque iis deerrabant. „Melius est", inquit *Hieronymus* adversus Iovinianum haereticum scribens (l. 1, n. 36), „clausis, quod dicitur, oculis Andabatarum more pugnare, quam directa spicula clypeo non repellere veritatis" (*Migne,* P. lat. XXIII 272).

[3] *Constitutiones* Apostolicae (quae olim putabantur esse S. Clementis Romani) l. 5, c. 13; *Origenes,* Contra Celsum l. 8, n. 22 23; S. *Cyprianus,* Epistolae 37 (al. 12 et 36) n. 2, et 53 (al. 52 et 56) n. 3; *Eusebius Caesareensis,* Historia Ecclesiastica l. 4, c. 15; De vita Constantini l. 3, c. 5; S. *Basilius Magnus,* De Spiritu Sancto n. 66; Epistolae 95 (al. 241); 176 (al. 394); 252 (al. 291); 282 (al. 336); S. *Gre-*

supercilium has Ferias insectantium, quas tot saeculis irrefutabilis Ecclesiae commendauit autoritas, et pia recepit vetustas, tantoque consensu et fructu Christiana posteritas passim complexa est? Certe vbi illae obseruantur Catholice, et aduigilant Magistratus, illic Diuinus cultus decenter a populo exercetur, et varij ordines Fidelium ad verbum Dei audiendum[1], ad pios conuentus publice celebrandos, et ad communes preces religiose fundendas in Christi nomine congregantur[2]: illic praeterea bonorum omnium autor Deus in Sanctis suis quos ipse honorat, praedicatur, praesertim dum certae illorum historiae, et salutaria exempla, ingentiaque certamina, et augusta in coelis praemia vtiliter exponuntur, decantantur, audiuntur atque considerantur. Rursus illic vere praestari cernimus, quod clarissimus Ecclesiae doctor Augustinus ante annos fere mille ducentos his verbis tradidit: Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solennitate concelebrat, et ad excitandam imitationem, et vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur[3]. Tum ex eodem Augustino fit euidens, inter cultum Deo Sanctisque praestandum permultum interesse: Latriam enim dici servitutem qua nos Deum solum, vtpote summum aeternumque bonum, honoremus, eumque cultum fide, spe et charitate proprie perfici: Sanctos vero non vti Deum, sed sicut veros Dei amicos et intercessores, patronosque nostros agnosci, coli ac inuocari[4]. Demus autem istis, si placet, vt quod lubet, etiam liceat eis in eiusmodi Ferijs abolendis; an non caecis perfidisque Iudaeis vel stultiores, vel impudentiores merito videbuntur? Etenim hi tametsi Ferias in Moysi lege praescriptas, et a Deo ipso constitutas habeant, ac obseruent, tamen alia quoque Festa veluti per manus a suis maioribus accepta, et a summis Pontificibus comprobata non sinunt antiquari, sed illa mordicus retinent, ac suis retinenda commendant. Viget igitur apud illos Festum quod vocant, Sortium propter Esther reginam[5], et aliud ob nobilem Iudith viduae victoriam institutum[6]. Eodem spectat Festum dedicati Templi, quod Salomonis tempore inchoatum, et ab Esdra Scriba, Ducibusque Machabaeis postea renouatum[7], ad Christi peruenit aetatem, sicut Iohannes meminit Euan-

---

gorius Nazianzenus, Orationes 4 (al. 3) n. 69; 11 (al. 6) n. 4—6; 38; 39; 15 (al. 22); 41 (al. 44); 45 (al. 42) (*Migne,* P. gr. I 857—868; XI 1549—1551; P. lat. IV 337 357—358; P. gr. XX 360—361; 1057—1059; XXXII 191 489 653 939 1017; XXXV 589; 835—840; 911—933; XXXVI 311—360 428—452 625—664). Multa concilia, in quibus dies festi et eos celebrandi ratio constituebantur, commemorat *Heinr. Kellner,* Heortologie, 2. Aufl., Freiburg i. Br. 1906, 15 16 18 21.

[1] Ez 25, 3; Lc 5, 1; 8, 21; Act 13, 44 etc.

[2] Mt 18, 20.

[3] Contra Faustum l. 20, c. 21 (*Migne,* P. lat. XLII 384).

[4] De Civitate Dei l. 10, c. 1 4; l. 8, c. 27; l. 22, c. 10; Contra Faustum l. 20, c. 21. Enchiridion c. 3. Retractationum l. 2, c. 63 (*Migne,* P. lat. XLI 277 281 255 772; XLII 384; XL 232; XXXII 655).

[5] Cf. Est 9, 20—26. [6] Cf. Idt 16, 31.

[7] Cf 3 Rg 6, 1—38; 8, 1—66; 2 Par 3, 1—17; 4, 1—22; 1 Esr 3, 1—9; 6, 3—17; 1 Mach 4, 41—59; 2 Mach 1, 18; 2, 16.

gelista[1]. Quod ergo Iudaeis in sua licuit Synagoga, et cum laude ab illis factum est in augendo feriarum numero, id vetitum erit modo scilicet Christianis, nullaque constabit autoritas Ecclesiae, sicut Dominicum diem, sic alia etiam festa pie instituendi atque celebrandi? Verumenimuero si apud nos hodie, sicut maiorum aetate, sua Ecclesiae fides et autoritas inconcussa duraret, certe a praesentibus contentionum incommodis, perniciosis opinionum fluctibus, haeresumque scopulis certum naufragium minitantibus facilius expediremur, tum profana et seditiosa cessaret, aut certe langueret libido tam multa in religione nouandi, ad scissae insuper fidei vnitatem reparandam propior adesset facultas, et optatus demum pijs fructus in statis Diuorum Ferijs celebrandis ac reformandis longe citius maturesceret ac floreret. Nam et Christo Redemptori suus ab omnibus honos inprimis haberetur, vt is in omnibus ac prae omnibus sincere coleretur atque inuocaretur, et Sanctis itidem debita reuerentia tribueretur, quibus nos ob summa Christi in eos collata munera ex animo gratularemur, quorum praeterea virtutes et exempla studiose sectanda nobis proponeremus, et quorum preces item solicite ac sedulo efflagitaremus. Fac autem permultos esse passim, sicut negare non possumus, qui Sanctorum Ferijs, immo et Sacramentis omnibus, turpiter abutantur: ergone laude vel excusatione dignos illos putabimus, qui prauorum potius quam piorum habent rationem, quique non sine Dei, Sanctorum et Ecclesiae iniuria, in munus alienum inuolant, et sacro receptoque cultui suum pretium improbe suffurantur? Reijciunt ipsi quidem leges tum Ecclesiasticas tum Caesareas, licet inter se pulchre consentientes, quas orbis Christianus non solum amplexus est, sed multorum etiam annorum perpetuitate pacifica comprobauit. Qua fronte autem in animum inducunt sibi, vt relictis Magistratibus ordinarijs, eorumque legibus et exemplis repudiatis, vnum sectentur Constantinum Copronymum Caesarem, quo nihil fere vnquam scelestius in numero Caesarum fuit? Is rebus magicis ex professo deditus, aduersus religionem et aequitatem omnem ita se gessit, ut monstrum Africanum[2], adeoque bellua merito a sapientibus omnibus diceretur. Idem Deiparae Virginis omniumque Sanctorum intercessioni, Reliquijs et imaginibus hostem se capitalem ac furiosum praebuit, horumque omnium sacro cultu subiectis sibi populis nefarie interdixit: quinetiam vt haereticam augeret barbariem, multorum vere piorum et innocentum, qui veteri more suam in Diuos pietatem essent testati, profundere

---

[1] Io 2, 20; 10, 22 23. Locum Io 2, 20 nunc de templo sub Herode instaurato interpretantur; multi autem veteres eum de templo sub Esdra renovato explicuerunt; ita e. g. S. *Ioannes Chrysostomus,* In Ioannem homilia 23 (alias 22); *Eusebius Caesareensis,* Demonstratio Evangelica l. 8; S. *Beda Venerabilis,* Expositio in Ioannis Evangelium c. 2, v. 20 (*Migne,* P. gr. LIX 141; XXII 613; P. lat. XCII 666). Cum his Canisii aetate sensit, praeter alios, *Ioannes Maldonatus* S. J., Commentarii in quatuor Evangelistas, in Io 2, 20.

[2] De hac loquendi ratione cf. *Can.* V 19[5].

sanguinem veritus non est[1]. Verum praesenti loco non congruit, siue veteribus siue nouis Copronymis, Eustathianis, Vigilantianis[2] atque Hagiomachis iampridem damnatis, et nostro etiam saeculo saepe confutatis, litem nouam intendere, et sicut nos alibi facimus[3], genuinum Sanctorum cultum vindicare, quem Ecclesia quidem Catholica cum in Oriente, tum in Occidente hactenus religiose complexa est, quem venerandi Patres vti scriptis sic et exemplis insigniter decorarunt, nec minus Synodorum grauis autoritas luculenter comprobauit[4], quin et Sanctorum fidissimus propugnator ac vindex DEVS tot tantisque miraculis, quae in orbe vniuerso gesta non nisi ab impudentissimis hominibus negari possunt, mirifice collustrauit.

RELIQVVM est ea subijcere, quae meum impulerunt animum, sapientissimi viri, ad alteram huius Operis partem, quae de notis Euangelicis nunc primum prodit in lucem, nulli alteri nisi Amplitudini vestrae, quae cum huius vrbis Clero coniunctissime viuit, reuerenter nuncupandam atque dedicandam. Huc me sane gratitudinis debitae officium excitat, et quodammodo adigit, cum animo mecum reputo, vti par est, vos secundum Deum Opt. Max. qui bonorum omnium fons perennis existit, Collegij nostri primarios patronos, ac tutores perpetuos agere. Quotquot enim hoc loco aduenae, vel vt quidam dicere malunt, conuenae sumus, et institutum Societatis IESV profitemur, ante annos non multos[5] ad vestram insignem Rempublicam, non secus quam ad electam Christi vineam[6] excolendam, venimus accersiti, vestroque beneficio in illa ipsa versamur inquilini. Vbi de me nihil dicere attinet, quem inde ab initio tam amanter estis amplexi, cum duodecim abhinc annis accederem, aduentantium mox fratrum quasi anteambulo, et dum per aetatem liceret, vobis non inuitis qualiscunque Ecclesiastes. Certe quamdiu nos in vrbe vestra coniuncti degimus, tam humanos Dominos

---

[1] Constantinus hic Copronymus, qui a. 741—775 Graecorum imperator fuit, ab aequalibus quam maxime nigris pingitur coloribus. Ita S. *Theophanes* Abbas: „Αὐτὸς γὰρ ὁ πανώλης καὶ ἐμβρόντητος αἱμοβόρος τε καὶ ἀγριώτατος θήρ, τυραννικῶς καὶ οὐκ ἐννόμως τῷ κράτει χρησάμενος, πρῶτον μὲν ἐκ τοῦ Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τῆς ἀχράντου καὶ παναγίας Μητρὸς αὐτοῦ καὶ πάντων τῶν ἁγίων διίσταται, μαγείαις δὲ καὶ ἀσελγείαις καὶ αἱμοθυσίαις καβαλλίαις τε κόπροις καὶ οὔροις ἀπατώμενος, μαλακίαις τε μὴν καὶ δαιμόνων ἐπικλήσεσι χαίρων, καὶ πᾶσιν ἁπλῶς ψυχοφθόροις ἐπιτηδεύμασιν ἐκ νεαρᾶς ἡλικίας συζήσας" etc.: Chronographia A. C. 731 (*Migne*, P. gr. CVIII 833).

[2] De Vigilantianis v. *Can.* I 218[1]; II 245[3]. Eustathiani, ab Eustathio archiepiscopo sebastiano (saec. IV.) nomen tenentes, coniugia et dominia despiciebant et varios usus probatos, velut ieiunia ecclesiastica, reiciebant.

[3] *Canisius* id fecit in Summa Doctrinae Christianae c. 3, qu. 8 et (ut de variis locis operis „De Verbi Dei corruptelis" nil dicam) valde accurate in amplo illo commentario „Erklärung vnd beuestigung Christlicher bekantnuss von den Heyligen", quem Martyrologio germanico primum a. 1562 Dilingae edito praeposuit (*Can.* III 792—793).

[4] Imprimis id praestitit Synodus Tridentina, Sess. XXV., decr. de invocatione Sanctorum. [5] Anno 1580; v. *Can.* VII 858. [6] Ier 2, 21.

quam beneficos Patronos reipsa comperimus, vt ob praecellentem vestram autoritatem, paremque beneuolentiam, et quasi paternam tutelam nobis ipsi merito gratulari, Christoque redemptori, quem vos in minimis etiam diligitis[1], nunquam non vota facere debeamus. Iam vero inter alia liberalitatis vestrae in nos collata munera, quae difficile sit omnia numerando persequi, exiguum sane non fuit, quod vestram iuuentutem, praeclarum profecto et plus quam aureum depositum, quo nihil in fortunis vestris antiquius asseruatis, bonis literis ac liberalibus artibus informandam, omnique virtute ac pietate perpoliendam, nostrae disciplinae libenter consignastis atque tradidistis. Tum vt egregia Studiosorum cohors, quae indies augescit, tanquam in selecta palaestra commodius exercitaretur, non sine graui sumptu nouae Scholae fundandae, nouoque Collegio ex quadrato lapide nobis a fundamento exsuscitando dedistis operam: quicquid autem insigni huic deest structurae, id prima quaque data occasione supplere, ac Deo bene fauente perficere in animo statuistis. Neque vero sat fore vobis visum est, si eiusmodi studia literarum in his scholae classibus per nos florerent, multisque prodessent adolescentibus probe ac gratis instituendis, nisi nobis etiam in templis, velut certis DEI viui domicilijs, omnisque pietatis officinis laborandi ac ministrandi locum pulcherrimum assignaretis. Nullum enim grauius ac spectabilius exercetur in templo munus, quam Ecclesiastarum, qui vt professioni suae satisfaciant, electas Christi oues habent pascere, et sacrum DEI verbum legitime debent interpretari. Hinc praeclari ac speciosi tituli, quibus Concionatores Ecclesiastici in sacris literis decorantur, vt iam Angeli Domini exercituum[2], iam sal terrae[3] et lux mundi[4], iam ministri CHRISTI, et dispensatores mysteriorum DEI[5], iam animarum pastores[6], populique doctores[7] appellentur. Quare magnam vobis, vestroque populo Friburgensi debemus gratiam, cum semen illud et manna coeleste, quod per nos dispensat DEVS, sic excipitis, vt vestram singularem in audiendo alacritatem, promptumque studium reipsa praestetis, siue Catechesin, lac nempe paruulorum[8] Christi porrigimus, siue sanctum Euangelium, vti solidam escam[9] animorum, panemque benedictum filiorum DEI, e suggestu administramus.

HIS omnibus accedit, ac ordini vestro laudem eximiam creat, nosque vobis inprimis deuincit, ardens nempe zelus in tutanda religione Catholica, quam in hac vrbe, totaque ditione haud sine perpetua vigilantia puram et integram conseruatis. Cauetis enim et prouidetis sedulo, vt ne nouae falsaeque doctrinae mortifera venena, quae hodie tam late sparguntur, huc facile penetrent, ac sanos bonorum animos turbent atque corrumpant. Quod enim Apostolus dixit: Sermo eorum

[1] Cf. Mt 25, 40. [2] Mal 2, 7. [3] Mt 5, 13.
[4] Mt 5, 14. [5] 1 Cor 4, 1. [6] Ier 3, 15; Eph 4, 11; 1 Petr 5, 4 etc.
[7] Act 13, 1; 1 Cor 12, 28 29; Eph 4, 11; 1 Tim 3, 2.
[8] 1 Cor 3, 1 2; Hebr 5, 12. [9] Hebr 5, 12; 1 Cor 3, 2.

serpit vt cancer[1], ad eos maxime pertinet, qui rebus in religione nouandis sese dedunt, ac adulterino dogmate morbos animorum pestilentes et immedicabiles inuehunt ac propagant. Cum enim dormit paterfamilias, accurrunt submissi ab hoste vicino operarij, ac tetra zizania tritico[a] superseminant[2], vt illud saepenumero suffocetur. Credo certe, vestris auribus et mentibus vocem illam Diuinam, quae apud Prophetam Ieremiam personat, continenter intonare: State super vias et videte, et interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona, et ambulate in ea: et inuenietis refrigerium animabus vestris[3]. Quo magis ego vestram probo, semperque probabo vigilantiam atque industriam, qui ad verum animarum refrigerium subditis comparandum, de nouis semitis fugiendis, atque antiquis consectandis nunquam non intentos habetis oculos et animos, vestraeque Reipublicae praesidium et ornamentum in eo maximum collocatis, vt sicut hactenus factum est, optimorum patrum, maiorumque vestrorum pijs vestigijs imitandis fideliter insistatis. Hinc nec studium, neque sumptus defugitis ad auitam et aeque sinceram, quam cum lacte materno imbibistis, religionem vindicandam: cuius etiam gratia diligentem rationem ab vrbanis et paganis exposcitis, templa religiose conseruanda curatis, ministros et magistros vere Catholicos conquiritis, conquisitos amatis, ornatis, defenditis, Anabaptistis et alijs id genus pestibus aditum omnem praecluditis, nullumque illis conceditis ministerium, qui vt vocem in quaestum conferant, non missi neque vocati currunt[4], et profani seipsos in sacra ingerunt, nec de ore Domini, sed visionem cordis sui loquuntur[5], pacemque nuntiant vbi non est pax[6], vt Propheticis verbis vtamur. Legistis opinor, aut certe a doctis alijs accepistis, quod Constantini Magni Caesaris institutor, idemque vir celebris Lactantius Firmianus[7] olim grauissime scripsit. Quoniam, inquit, multae haereses extiterunt, et instinctibus Daemonum populus Dei scissus est, determinanda nobius breuis est veritas, ac in suo proprio domicilio collocanda, vt si quis aquam vitae cupit haurire, non ad detritos lacus deferatur, qui non habent venam, sed vberrimum Dei fontem nouerit, quo irrigatus perenni luce potiatur. Atque ne roget forte quispiam, quae sit ista breuis et compendiosa veritas, quod proprium domicilium, quae aqua vitae haurienda, quis fons ad perennem lucem assequendam requiri debeat, idem Lactantius sapienter sane hoc modo respondet: Sola Catholica Ecclesia, quae verum cultum retinet: hic est fons veritatis; hoc est domicilium Fidei; hoc templum Dei: quo

a) *In B. sequitur* salutari.

[1] 2 Tim 2, 17. [2] Cf. Mt 13, 24–30.
[3] Ier 6, 16. [4] Ier 23, 21.
[5] Ier 23, 16. [6] Ier 6, 14; 8, 11; Ez 13, 10.
[7] Lactantius non Constantini institutor, sed „magister Caesaris Crispi, filii Constantini“ Magni, fuit, ut scribit S. *Hieronymus*, De viris illustribus c. 80 (*Migne*, P. lat. XXIII 726).

si quis non intrauerit, vel a quo si quis exiuerit, a spe vitae ac salutis aeternae alienus est. Libro 4. de vera sapient. cap. vlt.[1]

PROINDE quidquid noui demum obstrepant Aristarchi, haud inuitus ego illorum subscribo sententiae, Grauissimi viri, qui suspiciunt ac praedicant vt superiorem, ita praesentem Reipublicae vestrae gubernationem, in qua comperiunt Fidei cessare contentiones, doctrinae dissidia conticescere, inter vtrumque conuenire Magistratum, magnam legum atque ordinum concordiam ac tranquillitatem tot annis persistere, nec minus quidem laetum et felicem durare successum totius politiae, summo nimirum Deo haec constantis vestrae pietatis studia, quae mirantur etiam aduersarij, mirifice fortunante. Missas interim facitis, et exploditis stultas, vt Paulus appellat, quaestiones et contentiones, pugnasque legis[2], quae non praestant auditoribus aedificationem, sed rixas potius implacabiles pariunt[3], ac passim vulgi animos tam misere quam perniciose distrahunt, maxime dum litigantes ipsi neque inter se, neque cum alijs conuenire possunt, quasi noua semper praelia meditantes atque parturientes. Vos mirum dictu, vna veteris Ecclesiae fide contenti, non modo sicut columbae simplices[4], rixis omissis, et decore modestiae pudicitiaeque conseruato, candorem veterem retinetis, verum etiam vt pulli fidae matri nunquam non adhaerentes, sub alis eius secure conquiescitis[5], neque multo aliter, quam qui turbidi maris procellas superarunt, secundo quasi vento in portu nauigatis. Quare cum inclyto Rege Dauide qui commissum sibi populum generose gubernauit, vobis etiam Reip. moderatoribus merito canticum illud repetere licet: ECCE quam bonum, et quam iucundum habitare fratres in vnum: quoniam illic mandauit Dominus benedictionem[6].

Caeterum vt cauendi taedij causa, hanc siue praefationem, siue dedicationem semel absoluam, Viri amplissimi, quanto maior est vestrae pietatis constantiaeque claritas, dum non solum inuicti pro veteri pietate et orthodoxa fide certatis, sed etiam potenter in hac ditione longe lateque floretis, nec minus literarum ac literatorum, quam pietatis ac virtutis amatores atque fautores esse contenditis, tanto rectius mihi conuenire duxi, vt praesens opus, qualecunque hoc fuerit, vestro dicatum nomini appareat in publico, ac meae in vos obseruantiae apertum praebeat symbolum: quod munus vt aequi bonique consulatis omnes, etiam atque etiam rogo. Bona interim conscientia testari possum, me nullum suscepti laboris, ac editi operis praemium a vobis praestolari ac petere: quin et cupiditate quadam rapior maius et melius donum, si possim, offerendi tam honorato et ornato consessui vestro, quem diuina bonitas hactenus in tantis periculis ac tempestatibus mirabiliter

[1] I. e. cap. 30 (*Migne*, P. lat. VI, 540–543).
[2] Tit 3, 9; 2 Tim 2, 23. [3] Cf. 1 Tim 1, 4; 2 Tim 2, 4. [4] Mt 10, 66.
[5] Cf. Mt 23, 37; Lc 13, 34. [6] Ps 132, 1 3.

conseruauit. Mihi abunde satisfactum fuerit, si solita beneuolentia vestra me complectamini, et hoc praecipue concedatis, vt nostro, immo vestro Collegio tuendo et promouendo vos praestetis Maecenates, atque toti Reipublicae vestrae Nicolaos, id est, popularis victoriae duces, et perbenigno in coelis Patrono vestro [vos][a] conformetis[1]. DEVS Opt. Max. quod in vobis vestraque prouida gubernatione praeclare coepit, id ad sempiternam suae Maiestatis gloriam, et certum Ecclesiae Catholicae commodum, laetumque prouinciae vestrae successum magis ac magis prosperare dignetur. Hoc vnum demum ex diuo Paulo adijcere, vestrisque Catholicis animis fidenter infigere vestra bona omnium venia mihi liceat seniori: IDEM SAPITE; PACEM HABETE; et DEVS pacis et dilectionis erit vobiscum[2]. Datum in vrbe vestra Friburgensi, anno a Virgine puerpera M. D. XCIII.[b] ferijs D. Ignatij praenobilis Martyris, et Episcopi Antiocheni[3].

Die 4. Martii 1593 consilium siye senatus maior reipublicae friburgensis congregatus est. In huius consessus **Monumentis* haec de Canisio et de P. Petro Michael collegii friburgensis rectore a senatus scriba dicuntur: „Iesuiter · Allsodann der Eerwürdig herr P. Canisius etliche Jar in myner herren Statt gewont, vnd letstlich ein werck geschriben Notas Euangelicas de diebus festis, habe er dasselbig mijnen g: Herren alls ein gedächtnuß vnnd memorial vor synem Tod dediciret, hatt der Herr Rector selbender dasselbig praesentiret mit eräferung der drijen fürnembsten puncten Epistolae Dedicatoriae oder präfation". Die autem 10. Martii 1593 senatus minor decrevit, ut Canisio gratiae pro dedicatione illa referendae causa „Opera D: August:" donarentur; et in eiusdem senatus consessu 17. Martii 1593 habito P. Michael rector gratias egit pro „die gab die sy dem Patri Canisio verordnet" (Cod. „Rathsmanual Nr. 143" in dd. 4., 10., 17. Martii 1593. Friburgi, in archivo reipublicae). *Udalricus Wildt* reipublicae quaestor in *Codice dati et accepti ab 24. Junii 1593 ad 24. Iunii 1594 notavit: „H. Houptman Willdt vmb verehrte bücher S. Augustinj so H. Patri Canisio von Lyon beschickt worden · vmb Furlon vnnd alles 152 librae" („Erste Rechnüng. Deſs Herrn Vlrichen Wildt", „Gemein Vſsgeben" in a. 1594. Friburgi in archivo reipublicae). In duobus antiquissimis **Catalogis* bibliothecae collegii friburgensis, exeunte saeculo XVI et anno 1627 incohatis, nulla memoratur editio „Operum omnium" S. Augustini nisi illa, quae „ex emendatione DD. Lovaniensiam" Parisiis a. 1586 tomis 10 in 2° facta est. Quare dubitari nequit, quin haec editio, quae tunc omnium et novissima et optima erat, Canisio data sit. Perperam igitur, puto, in veteri illa **Historia* collegii friburgensis, postquam aliqua de Ludovico Pfyffer consule lucernensi narrata sunt, haec adduntur: „Jdem etiam propter alteram partem Notarum Euangelicarum sibi dicatam Bibliothecam nostram D. Augustini operibus locupletauit" (Cod. frib. „Hist. coll. Frib." p. 25). Eodem modo corrigenda sunt, quae de hac donatione (ex Historia illa, ut videtur) scripsit *B. Fleischlin*, Aus den Annalen des Gymnasiums in Luzern, in „Monat-Rosen" XXVI 260.

P. Petro Michael rectori *Claudius Aquaviva* Societatis praepositus generalis *scripsit Roma 8. Maii 1593: „Accepi cum litteris R. Vestrae alteram partem Notarum P. Canisij, quae mihi pergrata fuit vtriusque nomine, quod ipsi quoque meis verbis significabit, salutemque impertietur bono, et in Christo carissimo seni". Et *Roma

a) *Hoc v. ut suppleatur, res ipsa exigere videtur. B. sic habet:* Nicolao, id est perbenigno in coelis Patrono vestro charitate conformes. b) MDXCVII *B.*

[1] S. Nicolaus episcopus myrensis patronus est urbis totiusque reipublicae friburgensis. [2] 2 Cor 13, 11. [3] I. e. Kalendis Februariis.

17. Iulii 1593: „P. Canisium caritati R. Vestrae semper commendatum cupio · quem nunc etiam meis verbis salutabit" (ex commentariis; G. Sup. 2 f. 94ᵇ 97ᵇ).

De rebus a Sociis Friburgi a. 1581—1597 gestis scribit *Jos. Ehret:* „daß die Jesuiten auf allen Gebieten der Kirche eine unerhörte Arbeit verrichteten, so daß ihnen in kurzer Zeit nicht nur die große Menge des Volkes, sondern auch des Rates ergeben war." Sie waren „eine streitende Truppe, . . . die unbestechlich und mit unverminderter Kraft zielbewußt ihren Weg ging": Das Jesuitentheater zu Freiburg in der Schweiz, Freiburg i. Br. 1921, 17.

2300. IOANNES IACOBUS A STAAL patricius et archigrammateus solodoranus CANISIO. Solodoro m. Februario (post d. 6.?) 1593.

Epistula perisse videtur. Vide litteras 7. Martii 1593 datas, per quas Canisius Staalio respondit, infra, ep. 2301.

Valde probabile est, Staalium per has litteras cum Canisio communicasse ea, quae 6. Februarii 1593 a senatu solodurano constituta erant. In cuius * *Tabulis* haec sunt notata: „Gerathen, diewyl m. h. hieuor Herren Seckhel meyster [1], Herren Stattschryber [2], Herren Obrist zur Matten [3], vnnd herren P. Brunner, bevolchen daß sij mit Herren Pater Canisio zu fryburg reden wöllten, daß Jr Ehrwürde die Legendam Sancti Ursi, beschrijben wöllte vnd nun Jr Ehrwürde solliche vßgemacht vnd es nur alls daran stoht, daß es Jn truck · gevertiget werde, da so ist gerathen, daß dem Buchtruckher zu fryburg [4] sollich opus zu truckhen vbergeben vnnd Jme zugelassen werden solle, selbige ze verkhouffen, vnd diewijl die dedication an m. Herren beschicht · sol Jme hienach ein Verehrung gethan werden" (ex apographo a. 1888 scripto ex Cod. „Ratsprotokoll Band 97" f. 82, qui est Soloduri in archivo reipublicae).

2301. CANISIUS **IOANNI IACOBO A STAAL**, patricio et archigrammateo solodurano. Friburgo Helvetiorum 7. Martii 1593.

Ex apographo circa medium saeculum XIX. (ex archetypo?) scripto. Can. 56, nº 5 f. 6ᵇ—7ᵃ.

Vita martyrum thebaeorum. Senatus liberalitas. Temporis angustiae. Notae evangelicae.

Pax Christi nobis aeterna · vir nobilis et erudite.

Benigne et candide facit humanitas tua, quod bonam in partem accipit diuturnum silentium meum et velut dormientem revocat ad Thebaicae legionis historiam semel absolvendam. Cupio sane liberare fidem, et Dominis Solodorensibus tandem satisfacere, si vitae necisque princeps Deus hanc vitam seni mihi prorogarit. Nunc novum, nescio quo pacto, incommodum experimur, ut ante paschales ferias ad prelum ipsum nequeat perveniri. Etenim compositor literarum, cujus opera indigebamus, in patriam suam Basiliensem revocatur, sicut Gemperlinus [5] noster coram exponet. Cum primum autem ille domum redierit ex mercatu Francfordiano [6], ad Thebaicam historiam excudendam

---

[1] Hoc munus tunc administrasse videtur Wolfgangus Degenscher.

[2] Iohanni Iacobo a Staal.

[3] In „Recessibus" (Abschiede) confoederationis helveticae a. 1567 et 1573 „Urs zur Matten" solodoranus „capitaneus" vocatur (*Abschiede* IV², 373 1038).

[4] Abrahamo Gemperlin.

[5] Abraham Gemperlin typographus friburgensis.

[6] Francofurti ad Moenum mercatus vernus 15 diebus, qui Pascha proxime antecedebant, habebatur (*Can.* VI 376²).

accedere poterit ut suis promissis et expectationi vestrae faciat satis. Ago interim gratias diligentiae vestrae. per quam Senatus illi ipsi se munificum ac liberalem ostendit, aliqua pecuniae summa illi constituta. Vere adesse festinant tempora[1], sicut prudenter admones, ut, si sapimus, Deum Opt. Max. implorare conveniat et in gravi conflictu contra hostes pugnare constanter, si nobis et patriae bene consultum esse cupiamus[2]. In lucem exierunt notae nostrae[3], quas mitterem, nisi Abrahamus noster hoc munus donare et offerre coram statuisset. Faxit Deus, ut meus ad fulciendam Ecclesiam labor optatum fructum adferat, et saltem Catholicis lectoribus placeat. Salutatum ex me cupio D. Praepositum[4], Ecclesiastem[5], Ludimagistrum[6], et amicos reliquos, quibus ex animo precor sanctam Quadragesimam et felicem Christi Domini resurrectionem[7].

Friburgi Helvetiorum 7 Martii 1593.

Servus in Christo Petrus Canisius.

Nobili praestanti viro, Domino Ioanni Iacobo a Staal, Reip. Salodorensis Archigrammateo, amico singulari.

2302. P. GEORGIUS SALBIUS S. J., collegii dilingani sodalis. CANISIO. Dilinga aestate a. 1593.

Vide litteras 26. Septembris 1593 datas, per quas Canisius Salbio respondit, infra, ep. 2304.

2303. CANISIUS **SOCIETATIS SACERDOTI ALICUI** (P. Francisco a Rocca?) Romae degenti. Friburgo Helvetiorum a. 1593.

Ex codice „Vitae 123", Canisiana 256.

De valetudine sua.

In monumentis canisianis, quae P. Franciscus Sacchinus S. J. († 1625), insignis ille Societatis historicus et Canisii biographus, Romae sua manu scripsit, haec exstat litterarum pars, cui Sacchinus „ex 1593" inscripsit: Nihil dicam de ualetudine mea quae cum senili imbecillitate coniuncta est. meque paulatim ad uarios labores ineptum reddit, atque inutilem operarium. licet quotidiano sacrificio per Dei gratiam inseruire possim. Dies adhuc pauci, et mali in hoc tristi exilio exigendi supersunt, quos ut recte conficiam etiam atque etiam iuues quaeso.

Canisium Romam ad Socium aliquem hanc misisse epistulam colligitur ex eo, quod Sachinus eam in manibus habuit. Pauci autem tunc vivebant Romae, quibus Canisius familiariter uteretur (cf. supra p. 334). Fortasse is scripsit P. Augustino Putterer, de quo dictum est supra p. 331. Mihi vero, cum epistulas, quas Canisium ad P. Franciscum a Rocca dedisse constat, eam maxime, quae 25. Augusti 1591 data est (v. supra p. 334), cum hac litterarum parte confero, valde probabile est, has quoque litteras ad Roccam esse datas.

[1] Dt 32, 35. [2] Canisius bellum significat hugonotticum; v. supra p. 332.
[3] Notae in Evangelicas Lectiones dierum festorum; v. supra p. 340.
[4] Ursum Häni. [5] Nicolaum Feusi; v. supra p. 337[2].
[6] Franciscum Guillimannum; v. supra p. 337[3].
[7] Pascha futurum erat d. 18. Aprilis.

2304. CANISIUS **P. GEORGIO SALBIO S. J.,** collegii dilingani sodali.
Friburgo Helvetiorum 26. Septembris 1593.

Ex apographo (A) saeculo XVII, ut videtur, scripto (2°; 1 p.; in p. 2 inscr.), quod est Monachii in archivo maiore reip., Jes. in gen. Fasc. 13, No 214, in folio separato. Ibidem in eiusdem fasciculi et numeri libello in 4°, non conglutinato, (p. 7—9 non sign.), exstat alterum apographum (B), quod et ipsum saeculo XVII. scriptum esse videtur. Tertium eiusdem saeculi apographum (C), cui deest pars prior, usque ad „verbum Domini dictum Apostolis" incl., est in Cod. monac. „Lat. 1606" f. 163.

Eum ad iuventutis institutionem et ministeria sacra alacriorem reddit. Gaudet, libellos pios a Sociis edi. Iuvenem prodigum Friburgum revocari.

†

Pax Christi nobis aeterna dilectissime frater.

Grata mihi fuit epistola, quae iucundam facit mentionem veteris inter nos necessitudinis[1], eamque Christo authore et conseruatore perpetuam hic et in coelis fore confido. Fratres enim semper erimus, ex eodem velut Patre Ignatio geniti, et eidem Obedientiae sanctae iugo subiecti in hac praeclara sanctaque sodalitate. Bene habet quod annum Dilingae iam decimum exigas, et partim in schola, partim cum pueris et puellis in Catechismo erudiendis, partim cum religiosis in officio continendis Domino seruias, tuamque declares et obedientiam et charitatem[2]. A Domino factum est[3], qui suos milites illis muneribus applicat quae nouit illorum ingenijs ac talentis esse consentanea. Recte et illud, quod excipiendis multorum vacas confessionibus, et subinde assistis ex hac vita migrantibus, qui procul dubio pietatis tuae non desinent in altero saeculo meminisse. Quapropter Diuinae bonitati gratias ago qui [?][a] tam suauiter vias tuas disponit[4], ac praeclaram de multis bene merendi suggerit occasionem, vt nesciam possisne rectius ac laudabilius alibi tuae satisfacere vocationi. Subrepat interim qualiscunque vel tristitia, vel animi molestia, maiorem vt profectum in patientia colligamus, et seruos nos inutiles[5], vt vere sumus, ex animo agnoscamus. Haec pars illius est crucis, quae Christi discipulos affligit necessario saepe, et auget eorum merita quandiu inter hostes viuitur, et difficile percurritur stadium; in quo fortes quoque victores subinde labuntur. Nihil autem ambigo, quin tibi negotium adferant, tot capitum non optime institutorum religiosi, et in quibus educandis valde inequalis solet esse successus, etiamsi tentes omnia, quae ad immoderatos eorum affectus comprimendos ac probe dirigendos pertinere iudicas. Hic proderit crebro meminisse illius, In patientia vestra

a) *Sic A B. Corrigendumne* quae?

[1] Vide supra p. 329.

[2] „In Collegio Conuictorum S. Hieronymj . . . P. Georgius Salbius, Praefectus inferiorum studiorum, Confessarius templi, Catechista in Parochia, Praefectus Monachorum, Procurator Academiae": * *Catalogus* collegii dilingani circa initium a. 1594 Romam missus (G. Sup. 44 f. 94b).

[3] Ps 117, 23; Mt 21, 42; Mc 12, 11. [4] Sap 8, 1. [5] Lc 17, 10.

possidebitis animas vestras[1]. A teneris plantulis vsu nondum confirmatis mediocria sunt exigenda, paulatim coalescunt et robustiores illae[a] fiunt, nonnunquam laude potius quam increpatione iuuantur, et per illas, quae tarde succrescunt, nos ipsos agnoscere possumus ac debemus. Nosti verbum Domini dictum Apostolis, quum acriores essent in aliorum vitijs iudicandis, Nescitis inquit cuius spiritus sitis[?][b][2]. Discite a me quia mitis sum et humilis corde[3]. Ego sum in medio vestrum[c] sicut ministrator[4]. Vnius qui bene monenti paret, profectus, plus apud nos valere debet, quam aliorum multorum torpor ac tarditas. Bonum habemus Dominum, cuius fidam opem et efficacem gratiam imploremus, et qui facile pro sua supplet clementia, quod minus a nobis perfici[d] potest in alijs corrigendis atque prouehendis. Disciplina interim et zelus non praetermittantur, sed vt minus perturbemur, nihilque immoderate geramus ob delictum alienum. Colligamus nos libenter, atque comittamus cursum et ventum illi, de quo scriptum est, Omnem solicitudinem vestram proijcientes in eum: quoniam ipsi cura est de vobis[5]. Verum admonere sapientem desino, et dabit intellectum Dominus de omnibus[6] quae huc spectant, sicut hactenus dedit cum fructu audientium, nec desunt multi magistri, quos adhibeatis. Placent authores quos ad manum habetis, placent collecti libelli, quos frequenter editis[7], tantum videre cupio Todten ordnung[8]. Gaudeo distrahi uarios ex Ioannis officina[9] libellos pios, quorum vsus in Sueuia et Bauaria Heluetiaque nostra sit frequens ac vtilis. Willerus paulatim nos deseret[10], cui successorem

a) *Hoc v. non est in B.* b) *Ita A B;* estis *C.; et sic nunc quidem versio quoque vulgata.* c) uestri *C.* d) *Ita recte, ut omnino videtur, C.:* perferri *A B.*

[1] Lc 21, 19. [2] Lc 9, 55. [3] Mt 11, 29. [4] Lc 22, 27.
[5] 1 Petr 5, 7. [6] 2 Tim 2, 7.

[7] Salbius Canisio retulisse videtur, quibusnam libris Socii in scholis uterentur. Hos, v. g. Catechismum, Alvari Grammaticam, orationes aliquot Ciceronis, illi in scholasticorum commodum ita edere solebant, ut in unum volumen collecti unum quasi librum constituerent. Ceterum ex Sociorum typographia dilingana alii quoque libri, inprimis pii haud pauci, prodibant, v. g. a. 1583 *Ludovici Granatensis* O. Pr. „Deß Sünders Geleidsman“ ab *Adamo Walasser* germanice redditus, et a. 1584 *Philippi Dobereiner* „Güldine Schatzkammer, voller schöner . . Gebet“, et a. 1585 „Seelen Trost, new andäctig Betbuch“ (*Catalogi* nundinarum francofurtensium habitarum autumno a. 1583 [f. T], vere a. 1584 [f. E II[b]] et a. 1585 [f. E III[b]]).

[8] Anno 1584 Ingolstadii editus est liber: „Andächtige Christliche Gebet, welche die Catholischen bey den Besingnussen, ersten, sibenden, dreissigsten, Jartägen, Vigilien vnd Seelmessen, den verstorbnen Gläubigen zu trost vnd hilff, fruchtbarlich gebrauchen können, durch H. *Martinum Eisengrein* der H. Schrifft Doctor, sampt angehenckten Regeln deß geistlichen Lebens, durch Herrn *Ludwig Bloseum* Abbatem Laetiensem beschrieben“: *Catalogus* novus nundinarum vernalium Francofurti ad Moenum, Anno M. D. LXXXIIII celebratarum, Franckfurt am Mayn 1584, f. E IJ[a]. Fortasse similis liber Dilingae quoque editus est.

[9] Officinam typographicam dicit collegii dilingani, quam Ioannes Mayer (Maier), filius Sebaldi Mayer, administrabat; cf. *Can.* VI 574.

[10] Quam plurimi libri venales erant Augustae Vindelicorum apud Georgium Willer bibliopolam. Qui ut in omnium notitiam venirent, Willer bis singulis annis

idoneum vobis opto contingere, ne Ioanni quod Edero[1] euenire cernamus.

Salutem ex me dici velim Ioanni, Oeconomo[2] et amicis alijs. Christo viuat consul Vulmannus [?][a]. Dolemus vicem studiosi Friburgensis, qui suos parentes offendit grauiter, maleque sibi et alijs consuluit velut[b] filius prodigus[3]. Reuocatur in patriam miser, vtinam serio meditetur poenitentiam, vt relictis studijs, ad pium vitae institutum totus in Domino conuertatur. Frustra somniat, hic ignotas esse artes quibus vtitur hactenus in patris pecunia dilapidanda, tot tantisque contractis iam debitis. Vide vt pro Canisio tuo saepe preceris, eique Xenium spirituale procures in vtroque collegio[4]. Pergratum illud fuit, quod mei memoriam perpetuam in tuis precibus pollicearis. Friburgi 26. Septemb. 1593. Salutant te domestici.

Frater in Christo Petrus Canisius.

Reuerendo in Christo Patri M. Georgio Saluio [?][c], de societate Iesv sacerdoti charissimo.

2305. CANISIUS **SEBASTIANO VERRONIO**, capituli S. Nicolai friburgensis decano, Romae versanti (?).

Friburgo Helvetiorum m. Novembri 1593 (?).

Ex commentario vel regesto autographo (A), quod est in Can. 50 II f. 5[b]. Ibidem f. 6[a] est eiusdem epistulae aliud commentarium Canisii autographum (B), quod tamen ab eo, lineis transmissis, deletum est.

De valetudine, episcopo, libris, reformatione, oratione, monasterio.

1 De ualetudine et spe conualescentiae[5].

2 De uita Hosij[6] *et libro Episcopali*[d 7], *De Episcopi reditu*[8].

3 De fine operis conscribendi.

a) *Sic A B; sed C habet:* Vlmannus. b) ut *C.* c) *Vel:* Salbio, *ut rectius habet B.*
d) *Tria vv. sqq. a C. postea addita sunt.*

---

res ea aetate nova — catalogum librorum vulgabat. Praeterea complures ex libris, qui Dilingae typis exscribebantur, Willeri sumptibus exscripti esse videntur; v. *Can.* VI 438. Willer mortuus est a. 1593 vel 1594 (*K. Steiff,* Willer in „Allgem. Deutsche Biographie" XLIII 269).

[1] Wolfgangus Eder typographus ingolstadiensis iam inde ab a. 1580 aere alieno obrutus erat et a. 1593 fortunarum omnium naufragium fecit (*C. Prantl,* Geschichte der Ludwig-Maximilians-Universität in Ingolstadt, Landshut, München I, München 1872, 300 396).

[2] Augustino oeconomo contubernii hieronymiani? Cf. *Can.* V 65.

[3] Cf. Lc 15, 11—32.

[4] In collegio Societatis et in contubernio S. Hieronymi.

[5] In commentario *B* scriptum erat: „Vt ualeat, quid speret, sitne molesta mora?

[6] Cardinalis Stanislai Hosii, a. 1579 mortui, vitam Stanislaus Rescius Romae a. 1587 edidit.

[7] Significanturne „Instructiones" S. Caroli Borromaei, cardinalis et episcopi mediolanensis († 1584)? In B Canisius scripsit: „De libro utriusque Cardinalis".

[8] *B*: „De reditu Episcopi nostri". P. *Petrus Michael* collegii friburgensis rector Friburgo 29. Ianuarii 1594 Aquavivae praeposito generali de Antonio a Gorrevod episcopo *scripsit: Reuerendissimus Lausanensis, relicto suo Episcopatu parat iterum reditum in Burgundiam Philippicam" (ex autogr.; Germ. 172 f. 38[a]).

4 Causam explicare, quod putent[a] *per longam scriptionem negligi quaedam circa uisitationem et reformationem cleri et populi. Quidam tribuunt causam tepori et torpori ratione morbi*[1] *· putant maiorem habendam esse curam scandalorum et abusuum quae contingunt Friburgi et in ditione tota · 2° circa orationem communem hoc periculoso tempore ob graues calamitates undique imminentes*[2]. *De uicino monasterio*[3]. *De instante Aduentu, de uisitatione oppidi. De concipienda forma reformandi senatus et totius ditionis*[4].

Ex his commentariis colligi potest, Canisium hanc epistulam dedisse ad virum ecclesiasticum eumque friburgensem, qui erat magnae auctoritatis, Canisio familiaris, scriptioni deditus, Friburgo absens. Scripsisse autem eum m. Novembri a. 1593 ostendunt, nisi fallor, ea, quae de reditu episcopi et de instante Adventu dicuntur. Haec omnia convenire videntur in Verronium, qui autumno a. 1590 Romam abiit ibique tres annos degisse traditur (*Werro* 19—21). Accedunt, quae in commentario B de „Decano" et „de horis canonicis" dicuntur. Verronius iam a. 1581 Romae de his horis reformandis egerat: v. supra p. 24[1]. Cf. etiam supra p. 275.

2306. P. FRANCISCUS A ROCCA S. J. CANISIO.

Roma m. Decembri 1593.

Vide epistulam 13. Iunii 1594 datam, qua Canisius Roccae respondit, infra, ep. 2313.

2307. P. LUDOVICUS MANSONIUS S. J., rector collegii germanici, CANISIO. Roma inter medium a. 1593 et ineuntem a. 1594.

Vide de hac epistula, quae iam non exstare videtur, Mansonii litteras 21. Maii 1594 ad Canisium datas, infra, ep. 2310.

P. Ludovicus Mansoni (Mansone) panormitanus († 1610) ab anno fere 1593 ad a. 1595 Romae collegii germanici rectorem egit (*Steinhuber* I 195—196). Erat is vir insignis: Philosophiam et theologiam Panormi, Romae, Mediolani docuit, rector collegiorum romani et mediolanensis fuit. Societatis provinciis neapolitanae et mediolanensi praefuit. Visitavit Sardiniam (*Alegambe*, Bibliotheca 314).

2308. CANISIUS **P. LUDOVICO MANSONIO S. J.**, rectori, et **ALUMNIS COLLEGII GERMANICI.**

Friburgo Helvetiorum circa initium a. 1594.

De insigni hac epistula, quam perisse valde dolendum est, vide litteras 21. Maii 1594 datas, per quas Mansonius Canisio respondit, infra, ep. 2310.

2309. CANISIUS **STEPHANO SCHWALLER** praetori ac reliquis **SENATORIBUS SOLODORANIS.**

Friburgo Helvetiorum 1. Maii 1594.

Ex libro: „Warhafte Christliche Histori von Sanct Moritzen, auch von Sanct Vrso. Durch *Petrum Canisium*", Freiburg im Vchtland 1594, f. 2—8 in initio non

a) *Tria vv. sqq. supra versum scripta sunt.*

[1] *B:* „putant Decanum [?] tepescere."

[2] De serpente morbo et bello . . . De publica oratione. De horis canonicis: *B.*

[3] Alta ripa (Hauterive) ordinis cisterciensis.

[4] „De uoto bonorum, ut scribantur alia non minus necessaria de reformatione Senatus, oppidi ac ditionis": *B.*

sign. (A). Eaedem litterae, inscriptione compluribusque aliis verbis immutatis, positae sunt in libro: „Kriegsleüt Spiegel . . . Durch Herrn *Petrum Canisium*", Freyburg in Vchtland 1596, f. a 2a—[b 4b] (B). Cf. infra, monum. 1542 1571.

Historiam SS. Mauritii et Ursi eis dedicat. Ab ipsis rogatus, ut S. Ursi patroni historiam scriberet, huic historiam S. Mauritii et legionis thebaicae adiungendam esse censuit. Huiusmodi historiis fides catholica confirmatur. Veteres quoque christiani Sanctorum memorias celebrarunt. Vulgus inde morum doctrinam haurit. Perperam quidam historiis ecclesiasticis credere nolunt. Carendum a libris novas falsasque historias proponentibus. Historia Mauritii et Ursi fide digna, ecclesiae gloriosa, militibus utilis. Solodoranis fides catholica constanter tenenda.

Den Edlen, Gestrengen, Eerenhaften, Fürsichtigen vnd Weisen Herren, Herrn Steffan Schwaller, Schuldhaissen[1], vnd[a] anderen des Raths in der alten Statt Soloturn, meinen günstigen gebietenden Herren,

Gnad vnd Frid Gottes durch JESVM Christum vnseren Hailand.

EVwere Herrlichkait vnd Weishait, Großgünstige liebe Herren, waißt sich on zweifel noch wol zuerinneren, das Sie vorlangst von mir begert habe, ich wolt doch auf papyr bringen, vnd im Druck verfertigen die löbliche Geschichten des hochberüemten Gottseligen Martyrers S. VRSJ weiland Thebaischen Hauptmanns, als der nit allain mit iårlicher gedechtnus[b] von der ganzen[c] Catholischen Kirchen offenlich geehret wirdt[2], sonder auch eüerer Statt und des ganzen[c] vmligenden[d] Lands sonderer Patron vil hundert iar gewesen, vnd noch heütigs tags mit seinen wirdigen Soldaten in eüwerem[e] ansehenlichem Gestifft leiblich ruwet[f 3]. Nachdem ich nun mich zu söllichem schreiben bewilliget vnd versprochen hab, vnd meiner gethanen zuesagung anfieng nachzusetzen, sein mir zwar meererlai hindernussen für die hand kommen, gleichsam hetten sie mich von fürgenommener arbait wöllen abtreiben. Jch rede hie von meinem hohen beschwärlichem alter, von zuefelliger leiblicher schwachhait, von anhaimischen geschäfften, wie auch von vollendung meines ausgegangenen Werks über die Feiertägigen Euangeli.

a) Den Edlen, Gestrengen, Ehrenhafften, Fürsichtigen vnd Weisen Herrn, Herrn Lorentz Arecker. vnd Herrn Wolffgang Dägescher, beiden Schuldhaissen, auch *B*. b) gedächtnus *B*. c) gantzen *B*. d) vmbligenden *B*. e) ewerem *B*. f) ruowet *B*. *Similes lectiones variantes in B. occurrunt quam plurimae. Quas hic ponere non vacat.*

[1] Stephanus Schwaller a. 1552 capitaneus in exercitu Henrici II. Galliae regis, a. 1560 Solodori unus de senatu maiore, a. 1570 ibidem quaestor („Seckelmeister") fuit; compluribus gravibusque patriae legationibus functus, a. 1584 reipublicae praetor factus est, a. 1594 vita cessit (*Hans Jakob Leu,* Allgemeines Helvetisches Lexicon XVI. Zürich 1760, 523—524).

[2] „Pridie Kalendas Octobris. Solodori in Gallia passio sanctorum Martyrum Victoris et Vrsi ex gloriosa legione Thebaeorum, qui primo sub Maximiano Imperatore diris supplicijs excruciati, sed coelesti super eos lumine coruscante, ruentibus in terram ministris, erepti, deinde in ignem missi, sed in nullo penitus laesi, nouissime gladio consummati sunt": „*Martyrologium* Romanum", Gregorii XIII. iussu editum, cum notationibus Caesaris Baronii, Coloniae Agrippinae 1603, 625. Ita etiam novissima *Martyrologii* Romani editio, Romae a. 1914 typis vaticanis facta (p. 293).

[3] De 37 sacris corporibus, quae sociorum S. Ursi esse credebantur, a. 1473 Solodori inventis et in templo collegiali S. Ursi positis scripsit *Io. Cleus* S. J. in Actis Sanctorum Septembris, T. VIII, Antverpiae 1762, 277—282.

vnd letstlich von vnsers hieigen Buechdruckers langwerendem abwesen[a]. Neben disem allem ist mir nit ain geringer zweifel fürgefallen, ob es auch rathsam vnd füeglich seie, das ich mit der angefangenen Beschreibung S. VRSJ fortfüere, vnd nit auch darbei innsonderhait handlete von dem fürtrefflichen Mann Gottes dem wolbekannten Hauptmann S. MAVRJTJO, als wellicher die Oberhauptmannschafft über ·ain Thebaische Legion im Römischen Krieg verwaltet, vnd darumm ainn ewigen ruem erlanget hat[1]. Aber sollichen gesagten zweifel abzuschaffen hab ich mit guetem rath gelerter vnd verständiger freünden mich entschlossen, dise baide vast sälige Hauptleut Mauritium vnd Vrsum, gleich wie sie in jren lebzeiten mitainander vast verainiget gewesen sein[2], also in meinem schreiben nit vonainander zuschaiden : domit sie sambt jhren vnd der ganzen Legion geschicht beisamen gesetzt wurden, vnd sollicher gestallt aus zwaien Historien aine herfür käme. Dan warlich dise Thebaische Histori dem gemainen Mann wenig bekannt, vnd darumb ringer geschätzt wirdt, vnangesehen das sie gar merckliche stuck in sich beschleußt, auch sich weit ausstreckt, vnd zugleich ainer ausfüerlichen beschreibung wol wirdig ist: deßhalben ich von herzen begert, das solliche Geschichten dem Christlichen Leser zu guetem allenthalben gefunden, vnd jme mitgethailt werden möchten.

Hie wöllen wir vns aber nit zuweit auslassen mit anzaigung, wie hoch zuwünschen, vnd vns Catholischen wol ansteen wurde, das man rechtgegründter Christlicher Historien vil an das liecht brächte, vnd menigklich dieselben fleissig läse. Dan solliche beschreibung möchte zwar durch jren innhalt nit wenig erfrewen fromme Christliche gemüeter, auch denselben ain sondere lieb vnd naigung machen gegen den auserwehleten, vnd jezt im Himmel gekröneten freunden des Allmechtigen. Der ist in allen seinen erschaffenen Creaturn[b], fürnemlich aber in seinen lieben Hailigen groß, herrlich vnd wunderbarlich, will auch sonderlich in denselben gelobt vnd geehret werden.

Zum andern, solliche Historien möchten gar dienstlich vnd fürderlich sein zu erhaltung vnd sterkung des rainen Catholischen glaubens, dieweil die widerwertige, gefärliche zeiten vorhanden, in wellichen derselbe Glaub (das teüere Klenod der Christenhait) so hart angefochten, vnd das noch erger ist, in vilen stucken iämerlich vnd schändlich zerrissen wirdt, dermassen, das jhrer vil vnter so mancherlai iezt schwe-

a) Buchtruckers zuuor angefangner Arbeit. so jme zuuollenden nöttig sein wöllen *B*.
b) seinen Creaturn oder Geschöpfen *B*.

[1] De S. Mauritio cf. infra p. 363[2].

[2] S. Ursum quoque de thebaica legione fuisse nunc aliqui in dubium vocant: sed in „Passione Augunensium Martyrum“ (n. 6) a S. *Eucherio* Lugdunensi, ut videtur, scripta affirmatur: „Ex hac eadem legione fuisse dicuntur etiam illi martyres Ursus et Victor, quos Salodoro passos fama confirmat“ (*Migne*, P. lat. L 831); et hac in re „Passionis“ huius auctoritas magni aestimanda est, etiamsi *B. Krusch* eam parvi faciendam esse censet (Monumenta Germaniae Historica, Scriptorum rerum Merovingicarum Tom. III., Hannoverae 1896, 21—22).

benden Rotten gar nit wissen, welliche für die seligmachende vnd notdürftige Religion zuhalten seie. Desto meer vonnöten ist, das ietzund die schwachen vnd zweifelhaftigen, so wol durch lebendige exempel der alten Christen, als durch die mündliche Leer der Predigern aufgerichtet, getröstet vnd bevestiget werden. Dan es auch der art hailiger Schrift gemäß ist, das die exempel der frommen gelobten Patriarchen, Propheten vnd anderer Hailigen, so vnder dem Mosaischen Gesatz, vnd im anfang des Euangelij gelebt, oftermals angezaigt werden.

Zum dritten gehört hieher der vralte löbliche brauch vnserer Vätter vnd tugentreicher Vorfaren, welliche fleissiglich auffgemerckt vnd verzaichnet haben die Namen, das Absterben vnd gedechtnus der Gottseligen Bluetzeügen Christi vnd fürtreffenlichen Männer, die mit jhrem thuen, lassen vnd leiden in dem gaistlichen weingarten des Herren also gearbaitet haben, das sie wol wirdig wåren, aine ewige herrliche gedechtnus in der Kirchen Gottes zubehalten. Derhalben dan geschehen ist, das die Christglaubige vor Tauset iaren die Tåg, daran die Hailigen aus diser Welt verschiden, haben Natalitia oder Geburtstäg genennet, vnd eerlich begangen mit andächtiger versamlung des Volks, mit frölichem Gottsdienst, mit offenlichem singen, loben vnd preisen, domit der Allmechtig Gott in seinen getreüen[a] Dienern, deren hailigkait bekannt war, von iedermann gelobt vnd geprisen wurde : darumb dan auch die Prediger derselbigen Geschichten vnd Wunderzaichen dem Volk offenlich zuverkündigen pflegten. Solliches ist beweislich aus der Alten Kirchenleerern Homilijs vnd Ermanungen, insonderhait des grossen Basilij, Chrysostomi, Ambrosij, Augustini[b], vnd anderer, so in der Griechischen vnd Lateinischen Kirchen gewaltige Prediger vnd Bischôff gewesen.

Zum vierten kan nit gelaugnet werden, das solliche Historien gelesen vnd wol beherziget, mercklichen nutz vnd nachtruck bringen bei den Gottliebenden Christen, ia etwa kreftiger wirken, als vil lange vnd weitleuffige Leerstuck vnd gehörte Predigen. Dan aus sollichen Historischen erzeelungen schöpft der gemaine Mann, was jm dient zu rechter erkanntnus sein selbsten, zu verachtung der bösen Welt, vnd zum haß alles sündlichen wesens: wirdt auch desto behuetsamer im Glauben, Hoffen, Lieben, vnd in andern Christlichen Tugenten, trachtet ernstlicher nach hunger vnd durst Gottseliger Gerechtighait[1], ergibt sich dapferer zum hailsamen streitt, domit er wider Gottes feind, vnd wider alle sünd vnd schand desto gewisser möge den sig erlangen: mueß ia sich selbsten darumb schämen vnd verwunderen, das er von dem gelobten exempel der lieben Hailigen in seiner vocation[c], vnd in allem seinem thuen vnd lassen, so weit hinden bleibt, vnd sich mit sollichen vnüberwindlichen Maistern vnd Helden in der Schuel Christi

a) *In B. sequitur:* Freunden vnd. b) *In B. sequuntur ev.:* Maximi, Leonis. c) seinem Berueff *B.*

[1] Cf. Mt 5, 6.

nit kan vergleichen. Jtem alle Soldaten vnd Kriegsleüt finden hie scheinbarlich, was löbliche disciplin, zucht vnd erbarkait jhrem Kriegsstand gebüre, vnd was jhnen als recht dapferen Rittern Christi verhilfflich seie, domit sie in fürgenommenem Krieg vnsträfflich, in dem Glauben beståndig, im streitten großmüetig, im leiden vnverdrossen verharren, vnd dessenwegen vor Gott vnd der Welt mögen billich gerüemet werden.

Was soll ich dan sagen vnd klagen von den nasweisen Christen, welliche sich vnmässiglich ergetzen vnd vertieffen in den Haidnischen, Türkischen, weltlichen, ia auch erdichteten Historien, vil halten auf die Abgöttische widerwertige Scribenten Berosum[1], Herodotum, Xenophontem, Plutarchum: håftig gern lesen von den wüetterischen Königen, Fürsten, Feldherren vnd Rottmaistern, so meererstails lose Teufels Trabanten, bluetgirige Tyrannen, blinde Götzendiener, vnd grausame Leütfresser gewesen. Hergegen gelten nichts bei vilen solchen fürwitzigen Lesern, was die alten recht Christliche vnd wolgegründte Kirchische Historien fürgeben, wenn sie schon vom Eusebio, Orosio, Palladio, Theodoreto, Evagrio, Prospero, Cassiodoro, Beda, vnd von derer gleichen glaubwirdigen vnd bewärten Autoribus treülich verzaichnet worden sein, vnd bis anher allzeit in der Kirchen Gottes ain grosses ansehen gehabt haben. Sie müessen mir ia selzame vnd gar vnbeschaidene Censores oder Richter sein, welliche schier alles in ainn zweifel ziehen, vnd für verdächtlich vnd wurmstichig achten wöllen, was sich nit mit jhrer neüen Schwermerei vergleicht: wenn es schon von den hochberüemten hailigen Kirchenleerern vor tauset iaren angezaigt vnd bestättiget worden. Es schmöckt disen hägklichen Lesern nit was da bezeügt Athanasius von S. Antonio dem Ainsidler, Ambrosius von Lorenz dem Ertzdiacon, vnd S. Agnete der Jungfrauen, Basilius von den Vierzig Martyrern den Patronen in Cappadocia, Hieronymus von[a] Hilarione dem Mönch, vnd von S. Paula der Römischen Witfraw, Severus von S. Martino dem Bischof vnd seinem Kloster, auch Gregorius Magnus von S. Benedicto dem Abbt[2]: das ich vil

a) *In B. sequitur* S.

[1] *Berosus* babylonius sive chaldaeus (circa 300 a. Chr.) historias Chaldaeorum scripsit, quarum partes a Flavio Iosepho, Eusebio etc. conservatas collegit atque edidit *J. D. G. Richter* Lipsiae a. 1825. Canisii tamen animo obversatam esse puto spuriam illam „Deflorationem Berosi Chaldaicam" libris quinque comprehensam, quae ab *Ioanne Annio* (Nannio) O. Pr. († 1502) cum aliis suppositis „Antiquitatibus" primum Romae a. 1497 edita, iterum vulgata est Venetiis 1498, Parisiis 1512 et 1515. Basileae 1530, Antverpiae 1545 et 1552, Lugduni 1554 et 1591 (*Quetif-Echard* l. c. II 4–7; *Richter* l. c. 44–46).

[2] S. *Athanasius,* Vita et Conversatio S. P. N. Antonii; S. *Ambrosius,* De officiis ministrorum l. 1, c. 41; l. 2, c. 28; De virginibus l. 1, c. 2; S. *Basilius Magnus* Homilia (XIX) in sanctos quadraginta Martyres; S. *Hieronymus,* Vita S. Hilarionis; Epistola 108 (alias 27) ad Eustochium; *Sulpicius Severus,* De Vita Beati Martini; Dialogi tres; Epistolae ad Eusebium, ad Aurelium Diaconum, ad Bassulam; S. *Gre-*

andere warhaffte ansehenliche Zeügen Kirchischer Historien dises orts vngemeldet lasse. Summa, die Welt, wie man pfleget zu sagen, will betrogen sein, liebt nur das jhre, vnd gedenkt nit, das ain ieder also glaube, rede vnd vrtaile, nachdem er gesinnet seie. Das neüe Euangelium hat die Leüt dahin gebracht, ia verzauberet, das sie mainen, die Geschichten der frommen alten Welt seien halb fabelwerck, aberglauben vnd Teufelsgespenst gewesen. So wöllen auch die neüen Sectierer mit gwalt vns Catholische bereden, das wir von den lieben Hailigen nit meer dan die verdammeten Vigilantianer halten, vnd den Gottlosen Arianern volgen solten, welliche die beschribene Wunderzaichen der Hailigen nit dem Lebendigen Gott, sonder den verfluecheten Teuflen zueschriben, ia das wir auch Hailigenfeind, Bildstürmer vnd Kirchenreuber wurden, vnd in sollicher gestallt vnsern Gottesdienst verbråchten.

Welliches alles ich deßwegen ausfüerlicher beibringe, domit die bestendige vnd Catholische Christen, als lieb jhnen Gott vnd die ewige säligkait ist, ernstlich vnd freundlich gewarnet seien, bei disen argen verfüerischen zeiten zuwachen, vnd auf jhr schantz wol zusehen, sonderlich das sich kainer betrüegen lasse durch die neüwe, geschmückte, erdichtete Historien, die nun mit hauffen aus allerlai Drukereien herfür kriechen, vnd den gemainen mann iämerlich verblenden. Dan warlich der laidig Satan, aller lugen, vnd listigen betrugs maister, nie durch Büecher sovil schadens vnd verderbens angerichtet hat, als eben zu vnsern zeiten, darinnen er allerlai strick vnd schein fürstellt, domit er alle Christliche ainfeltigkait iedermann aus dem hertze reiß, vnd dieselbe in warer Religion vnd Gaistlichen sachen ie stölzer vnd vermessener, ie närrischer vnd blinder mache. Wirdt also laider erfüllet, was S. Petrus der Apostel durch den hailigen Gaist erleuchtet, geweissaget hat, das nemlich in den letsten zeiten kommen werden lugenhaftige, betrüegige Spötter, welliche nach jhren lüsten wandlen, vnd verdörbliche Secten einfüeren, auch den rechten weg der Warhait lästern werden[1].

Domit ich aber widerkere zu vnserer Mauritischer vnd Vrsischer Historien, hat ain liebhaber der warhait nit zuzweiflen, das solliche Beschreibung vngefelscht vnd lauter seie[2], welliche aus Griechischen vnd Lateinischen bewårten Scribenten, als aus rainen Bronnen herfleüsst : mag auch dieselbe von allerlai Christlichen Stånden vnd Personen on alle gefar gelesen, vnd wie ich hoff, nutzlich gebrauchet werden. Dan daraus wirdt klärlich erscheinen, wie die Christliche

gorius Magnus, Dialogorum l. 2 (*Migne,* P. gr. XXVI 837—976; P. lat. XVI 90—92: 149—150 200—202; P. gr. XXXI 507—525; P. lat. XXIII 29—54; XXII 878—906: XX 159—222; LXVI 216—204). [1] 2 Petr 1, 1 2.

[2] Hoc certe dici debet de mauritianae historiae capitibus praecipuis sive de eius nucleo quem vocant. Neque tamen huius loci est, de his quaestionibus copiosius disserere.

Catholische Kirch vonaltersher vil grausamer verfolgungen vberstanden, vnd iedoch durch jre bluetgirige todfeind nichts verloren, sonder an jhren angefochtenen Kindern im rechten Glauben, Hoffnung, Liebe, vnd andern f r ü c h t e n d e s G a i s t e s[1] bewärter vnd sterker seie worden. Zwar Diocletianus vnd Maximianus, allbaid des Rômischen Reichs mâchtige Kaiser, waren aller Christen geschworne giftige feind, triben wider dise allenthalben vnaussprechlichen trutz vnd wüetten, erwirgten vil tauset Christen ohn alle gnad, versuechten harte vnd scharffe mittel gegen Auf vnd Nidergang der Sonnen, das Schifflein Petri in abgrund zusenken vnd aus der welt zutilgen. Was erlangten sie aber mit allen jhren Tyrannischen practiken vnd anschlegen? Nur sovil, das sie baide sich selbste beraubten jhres höchsten gewalts, weil sie an dem vnmenschlichen wüeten wider die Christen vrdrüessig warden: vnd sie darneben ainen schândlichen abzug aus disem leben gewannen[2]. Vber dises alles vervrsachten sie auch wider jhren willen, das die ware Kirch Christi, als durch ain eingenommene bittere arznei meer gerainiget wurde, vnd zu grôsserem zunemen geraichte, auch das vnzelbare Martyrer, insonderhait vnsere bestendige Thebeer desto herrlichere Sigkronen erlangeten, vnd iezund allenthalben scheinbarlicher leuchten. Darneben dient auch dise Histori vast allen Kriegshauptleüten, vnd jhren Bevelchshabern, mit anzaigung, wie dieselbe ainen Christlichen Krieg recht anfahen, treiben vnd enden sollen, nemlich das sie gemainen nutz vnd frid vil meer dan jhren aignen gewinn vnd besoldung bedenken vnd suechen, auch vor allen dingen des Ewigen Gottes vnd der Hailigen Religion sachen fürdern, eben wie S. Moritz, S. Secundus vnd S. Vrsus, nach anzaigung dises Buechs, mit ewigem ruem gethan, auch sollichen Christlichen eifer bis in den bitteren tod bestendiglich erzaiget haben.

Zum letsten, domit die red sich nit zulang ausstrecke, was dises ganzen meines Wercks Dedication vnd Eerenzueschreibung antrifft, langt an E. Herrlichhaiten, Großgünstige liebe Herren, mein vnderthânige bitt, sie wôllen doch mein verbrachte arbait vnd verfertigung diser Histori im bessten von mir aufnemmen, vnd Jhr Christlich wolgefallen lassen. Dan wie vormals ist gemeldet worden, ich hab dise schwäre Burd auf meine alte schwache schultern darumb lassen auflegen, domit dem freündlichen anlangen Eüerer Weis. vnd Günsten von mir gnueg geschehe. So geet auch warlich mein mainung dahin,

---

[1] Gal 5, 22.

[2] Ambo a. 305 imperio se abdicarunt. Canisii animo obversata esse videntur ea, quae de iis *Lactantius* narravit: Diocletianum „ad humilem vitam deiectum a Deo et proculcatum iniuriis atque in odium vitae deductum postremo fame atque angore confectum esse“, Maximianum autem „eliso et fracto superbissimo gutture, vitam detestabilem turpi et ignominiosa morte finivisse“: De mortibus persecutorum c. 30 42. *L. Caeli Firmiani Lactanti* Opera omnia, P. II, Fasc. 2, edd. *S. Brandt* et *Georg. Laubmann*, Vindobonae 1897, 208 222 (CSEL XXVII; *Migne*, P. lat. VII 243 259).

das Gott der Allmechtig durch dises Schreiben in seinen lieben Bluetzeügen S. Moritz vnd S. Vrsen meer geprisen, auch dem gemainen Mann sonderlich bei eüeren Vnderthanen füeglicher geholffen werde. Jm fall aber das ich anderswo meer vndancks als gunsts vnd lobs bei etlichen mißgünstigen mit disem buech einlegte, so kan vnd wil ich dennoch mich trösten durch das fein exempel diser hailiger beschribener Hauptleüten, welliche zu jhrer Leidenszeit wenig Dancks einnamen, da sie mit jhrem schwårem treüem kriegen ohn alle jre schuld leib vnd leben vmb Gottes willen gern haben verloren. So ist mir auch nit vnbekannt der alte gemaine brauch diser schnöden Welt, so empfangene Wolthaten bald in vergessen stellt, vilmals auch das guete mit bősem bezalt, wie es dan Christo vnserm lieben Herren vnd seinen auserwehleten Aposteln ist widerfaren. Jch verhoff aber gäntzlich, das Eüere Gnaden vnd Günsten gern vnd frei werden den Autorem vertädigen, seitemal Sie, als meine getreüe Patronen, disem jrem vnd meinem Werck gueten schutz vnd schirm zuhalten wissen.

Ferrners danck ich nit vnbillich Gott dem Vatter aller barmherzigkait, der Eüch Herren durch seinen hailigen Gaist bisanher stercket vnd waffnet, das Jhr nit geringe, sonder vast gefårliche nachstellungen vnd anstöß, wegen der waren alten Catholischen Religion mannlich aussteet vnd vberwindet[1]. Dan jhr je mit Gottes gnad entschlossen seit, von Sanct VRSJ eüeres ersten Euangelischen Predigers vraltem vnfalbarem Glauben vnd starkem eifer nie zuweichen, sonder demselben getreülich vnd bestendiglich nachzukommen, fürnemlich domit Jhr euch vnd eüere Gewissen vor Gott vnd der Welt entschlaget der sträfflichen vnd verdamlichen leichtfertighait der alten Galatern, welliche zu S. Pauli des Apostels zeit das immerwerende, raine vnd vnbefleckte Euangelium, vonwegen etlicher neueinreissender Predicanten verliessen, vnd derselben widerwertiger Sect thür vnd thor aufthaten[2]. Dan ob wir schon iezund vor augen nit sehen Diocletianum vnd Maximianum, die mit allem gewalt vns von dem waren Euangelio abtriben : manglet vns doch nit an jhrer gleichen Kirchenfeinden, wie vorzeiten Hirtacus, Lysias vnd Dacianus gewesen[3]. Zu sollichem hauffen schlahen sich die falschen Brüeder[4], so etwa schådlicher sind als offenliche bluetgirige Verfolger des hailigen Euangelij, von wellichen S. Paulus

---

[1] Quantam operam senatus solodoranus inter a. 1580 et 1594 dederit decretis concilii tridentini exsequendis et imprimis concubinatui clericorum tollendo, ostendit *Schmidlin,* Solothurns Glaubenskampf 381—387.

[2] Cf. Gal 1, 6 7; 3, 1.

[3] Ab Hirtaco praeside solodorano SS. Ursum et Victorem tortos esse, et sub Daciano praeside S. Vincentium in Hispania passum esse iam in Martyrologio S. *Adonis Viennensis* narratur (*Migne,* P. lat. CXXIII 369—370 219). Lysiae nomine significari videtur non Lysias ille belli dux syrus, qui Machabaeos persecutus est (1 Mach. 6, 6 55; 2 Mach. 13, 2; 14, 2 etc.), sed Lysias praeses, sub quo SS. Sarbelium et Barbeam Edessae passos esse traditur in *Martyrologio Romano,* in d. 29. Ianuarii.

[4] 2 Cor 11, 26; Gal 2, 4.

schreibt, das sie die alte raine Leer trennen, vnd ergernus anrichten[1], auch die Herzen der vnschuldigen verfüeren durch süesse geschmuckete wort, vnd schmaichlerische reden[2]. Demnach Liebe Herren (bitt ich vmb Gottes willen) sehet zue, das Jhr nit schlaffet bei disem grossen vngewitter, vnd nach ermanung ieztgedachten Apostels, wandlet fürsichtig[3] vnd behuetsamlich, ergreiffet auch den harnisch Gottes, domit jhr samt eüeren Vnderthanen bestehn möget gegen den listigen anleuffen des böshaften Gaistes[4], der sich auch in ainen Engel des Liechts verstellen[5] kan.

Der liebe getreue Gott beware gnediglich eüere löbliche Statt samt ganzer vmbligender Landschafft, das alle Burger vnd Hindersässen nach bevelch vnd ebenbild jhrer Oberherren wie bisher, also forthin bei Catholischer Kirch vnd Warhait vnbeweglich vnd vnwandelbar verharren. Darneben bedörfet jhr der Göttlichen gnad, nit allain ainfeltiglich vnd steiff zubesteen im Catholischen Glauben, sonder auch in allem anligen eüch zutrösten, mit ainem gueten wandel andern vorzuleüchten, vnd allen Feinden eüerer Seelen ritterlich obzusigen. Darzue helfe allen Soloturnern die hochhailigiste Dreifaltighait, domit sie an leib vnd seel hie vnd dort tailhaftig werden der krefftigen vnd hailsamen fürbitt S. MORJTZEN, S. VRSEN vnd aller jhrer wirdigen Thebaischen Gesellschafft. Datum zu Freiburg im Vchtland, an dem Fest der hochwirdigen Zwölf Botten Sanct Philippi vnd Jacobi[6], im iar vnseres Hailands Fünfzehenhundert vier vndneünzig[a].

E. Gn. vnd Gün.

Dienstwilliger

PETRVS CANISIVS.

2310. P. LUDOVICUS MANSONIUS S. J., rector collegii germanici, CANISIO. Roma 21. Maii 1594.

Ex apographo eodem tempore scripto et „R. Patri Petro Canisio“ inscripto, quod est in Cod. „Epistolae datae a Rectoribus Collegii Germanici et Hungarici ab anno 1592 ad annum 1595“ p. 104—105.

Gratias agit pro litteris, quibus Canisius, collegii „alter parens“, iuvenum animos inflammarit. Curabit, ut Ioannes Canisius in collegium admittatur.

Acceptis litteris a V. R. et amoris in nostrum Collegium et charitatis notis insignibus, nihil mihi fuit antiquius quam ut quam primum uni ex alumnis caeteris audientibus legendas darem quod sane factum est maximo omnium animi sensu, dum Vestram R. de fraterna[b] in semet ipsos charitate, de Germaniae calamitatibus, de praesentissimis periculis eidem prouinciae imminentibus extremumque iam exitium nisi Deus eam respexerit minitantibus, ac denique de ratione diuinae opis

a) *Ita etiam in B.* b) *Sic ut corrigatur ex* paterna, *quod est in apogr., vv. proxime sequentia exigunt.*

[1] Cf. Rom 16, 17. [2] Rom 16, 18. [3] Eph 5, 15.
[4] Eph 6, 11 13. [5] 2 Cor 11, 14. [6] Kalendis Maiis.

implorandae, iustique eius furoris placandi, pie pariter atque efficaciter disputantem audiebant. Ipse quidem certe ut uerum fatear nihil magis optarem quam ut huiusmodi suae charitatis fructibus saepius dignaremur. Collegium enim hoc nostrum quod Vestram R. iure quidem optimo ut parentem alterum colit, tanti facit sua monita et praecepta salutaria, quanti prorsus parentis optimi et ueneranda canitie magnae inter omnes auctoritatis fieri debeant. Ac melius profecto ageretur cum hac Germana iuuentute si V. R. praesentem intueri, et uocem ipsam audire posset, non enim dubito quin eiusmodi praecepta omnium animis facilius instillarentur et tenacius etiam inhaererent, quo fieret ut maiori postea studio suum quisque munus obire et ad christianam uirtutem ardentius aspirare contenderet. Cuius quidem rei desiderium cuiusmodi sit uel ex eo facile V. R. potest intelligere, quod ei prius illud significauerim quam de officio quod iam praestitit gratias egerim. quamquam non me fugit a V. R. non gratiarum actiones potius quam ipsos monitorum effectus auide expectari · qui si quando extabunt quod fore confido, instar erunt gratiarum omnium, quas utique agere.aut habere possimus.

quod quidem ut a nobis praestetur meae erit curae prouidere, et faciam certe maxima mea, et ut spero alumnorum etiam uoluntate, quorum praecipue his temporibus res agitur et suae prouinciae salus in tantum discrimen adducitur. Deus opt. max. qui orbi dominatur nostras preces benignus exaudiat, quibus aliquando placatus Christianam constituat remp. et cognoscant omnes ipsum esse regem[a] et dominum dominantium[1], et eum qui suo arbitratu, prout suis fidelibus uidet expedire uel dat uel adimit potestates.

Egit mecum P. Busaeus[2] antequam ex urbe discederet de nepote V. R. in collegium admittendo[3], quin etiam nuper eadem de re litteras ad me dedit, cui statim rescripsi et illud ipsum quod praesenti pollicitus eram absenti etiam confirmaui, tum quod illi cupio satisfacere, tum etiam in gratiam R. V. et Ioannis etiam nepotis, qui cum sit ut iam ex multis audiui, et optimae indolis et maximae spei adolescens, facit ut nulla habita ratione aeris alieni, et multarum praeterea dif-

a) *Supplendumne* regum? *Cf. 1 Tim 6, 15; Apc 17, 14; 19, 16.*

[1] Dt 10, 17; 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16.

[2] Significari P. Ioannem Busaeum (de quo infra, ep. 2339, plura dicentur) intellegitur ex *litteris Roma 30. Aprilis 1594 ad hunc a *Mansonio* datis, quarum apographum est in Codice „Epistolae datae a Rectoribus" etc., quem supra dixi, p. 100—101.

[3] Hunc fuisse Ioannem Canisium patet ex *litteris a *Mansonio* Roma 30. Aprilis 1594 ad P. Simonem Hiendl rectorem collegii monacensis datis, quarum apographum est in Codice, quem supra, p. 366, dixi, p. 101. Antiquissimus collegii **Catalogus* habet: „Jo: Canisius Nouiomagensis Dioecesis Ruremundensis legitimo matrimonio natus parentibus patritijs semper catholicis, ipse quoque semper catholicus. Jnchoauit Logicam Monachij. Promotus a P. Simone et Patribus Canisijs": Cod. „All. coll. germ." p. 178. Eratne is filius Gerardi Kanis, qui Petri Canisii frater ex patre erat?

ficultatum quibus cogimur hoc ipsum denegare quam plurimis, [eum][a] apud nos uelim esse quam primum. Quamobrem statim atque P. noster Generalis[1] per summum Pont.[2] difficultatem quae obstat superauerit (ea autem credo V. R. non ignorare cuiusmodi sit[3]) ipse reliqua persequar diligenter. Jnterim bene ualeat V. R. et munus hoc quod mihi a patribus impositum est huius regendae iuuentutis, hoc praecipue nomine quod Vestrae Germaniae qua possum ratione, summa certe animi mei uoluntate deseruio, in suis precibus ac sacrificijs Deo offerat atque commendet. Romae 21 Maij 1594.

Mansonius, quae in his litteris de Ioanne Canisio promiserat, praestitit. In Collegii * *Catalogo* antiquissimo de Ioanne notatum est: „Venit ad Collegium 6. Nouembris 1594 . . . Destinatus ad Philosophiam. . . . Discessit 22 Septembris Anno 596 Mediolanum vt Societatem ingrederetur" (Cod. „All. coll. Germ." p. 178.)

Ioannes Canisius ex primis collegii luxemburgensis praeceptoribus (a. 1603) fuit (*M. d'Huart,* La fondation de l'ancien Collège des Jésuites à Luxembourg p. 62, in „Histoire de l'instruction publique dans le grand-duché de Luxembourg", Luxembourg 1904). *Ioannes Yseryn* S. J. Bergis S. Winoci (Bergues-de-St.-Vinox, Vinoxbergen) 8. Octobris 1613 * scripsit, eodem illo die ibi mortuum esse P. Ioannem Canisium anno aetatis 42., ingressus in Societatem 16., a suscepto coadiutoris formati gradu primo. „Spiritum", ait Yseryn, „hausisse bonae memoriae Reuerendi P. Canisij propatris sui, et eo plenius eundem imitatus esse victetur" (ex litteris mortuariis provinciae belgicae S. J., quae sunt in Cod. 4038 [654] regiae bibliothecae bruxellensis, f. 104). Hic igitur distinguendus est ab illo P. Ioanne Canisio S. J., qui Insulis ortus et in collegio bethuniensi (Béthune, in Gallia) a. 1641 mortuus esse traditur (*Alfr. Poncelet* S. J., Nécrologe des Jésuites de la province Gallo-Belge, Louvain 1908, 52).

2311. CANISIUS **IOANNI IACOBO A STAAL,** patricio solodorano.

Friburgo Helvetiorum 25. Maii 1594.

Ex apographo recenti (A) epistulae archetypae, a Canisio ipso subscriptae („Seruus" etc.), quae est Romae in collegio germanico et hungarico. Apographum (B) saeculo XVII. scriptum et „Ad nobilem Dominum Ioann: Iacobum a Staal Solodorensem" a librario inscriptum exstat in Cod. monac. „Lat. 1606" f. 166.

Commendat ei librum de martyribus thebaeis, dominis solodoranis offerendum. Helvetiorum gloriam militarem celebrat. Officium praefecti militum lugdunensis ei gratulatur.

† Pax Christi nobis aeterna
Humanissime Domine.

Aeterno Deo gratias ago, quod noster typographus[4] absolverit tandem opus a me jam pridem confectum de Martyribus Thebaeis, ut semel in lucem prodeat. Mihi certe sat fuit liberare fidem, ut constet, senem autorem promisso suo ac Dominorum Solodorensium expectationi utcumque satisfecisse. Quanquam non ambigo[b], futuros nonnullos hoc praeser-

a) *Hoc v. supplendum esse res ipsa ostendit.* b) *In B. sequitur:* fateor.

[1] Claudius Aquaviva. [2] Clementem VIII.

[3] Difficultas, ut *Mansonius* P. Simoni Hiendl (v. supra p. 367[3]) scripsit, inde oriebatur, quod Ioannes ex provincia ortus erat, quae ad „circulum imperii burgundicum" pertinebat. Nam Gregorius XIII. collegii fundator constituerat, ne ex eo circulo iuvenes admitterentur, nisi aliquando singulari ex causa aliter agendum esse videretur (*Steinhuber* I 158). [4] Abraham Gemperlin.

tim nasuto saeculo, quibus a me per omnia in hoc argumento difficili non fuerit satisfactum. Quidquid autem illos offenderit, libenter audiam, et si opus erit, monitus corrigam quae recte mutanda videbuntur. Ad calcem Rhythmos a Ioanne Carpentario conscriptos sed nonnihil illustratos adjunxi, quod existimarem illius boni viri memoriam plerisque Solodorensibus non ingratam fore[1]. Gratissimum sane mihi fecerit humanitas tua, si autoris nomine hoc qualecunque opus amanter et officiose illis obtulerit et commendarit, quibus candide nuncupatur, quique hoc tanquam onus meis humeris imponere voluerunt[2]. Ab hisce patronis nihil ego desidero magis, quam ut scriptionem hanc boni consulant, atque ut divum Vrsum libro tertio descriptum sibi tutelarem ac familiarem patronum esse fide opereque declarent. Admiscui non pauca quae ad rem militarem pertinent, ut historica narratio nostris hominibus et jucundior et utilior foret, praesertim quod Helvetij ab usu et arte militiae ingentem apud omnes sibi gloriam pariant. Typographus noster facile ut spero efficiet, ut multa Saloduri[a] huius libri exemplaria distrahantur. Ex his unum offerri velim ac meo nomine donari Canonicis, si legere dignabuntur.

Audio Dignitatem tuam ex Archigrammateo Praefectum militum Lugdunensium creatum esse. Hoc si verum est, electo sane patrono gratulor, nec ei solum sed etiam Reipublicae a Deo precor salutarem novi muneris administrationem. — Scio enim, quam sit hoc aevo difficile, ad clauum sedere et in media tempestate navem[b] ita dirigere, ut propitio Christo, et salva conscientia feliciter ad portum perveniatur. Bene vale, vir amicissime, qui me ad hunc scribendi laborem excitasti: si quid vero possis, quaeso ut Collegio nostro Lugdunensi fideliter patrocineris. Friburgi Helvetiorum 25 Maij. 1594.

Qui has perfert, tipographi nostri est filius probatae fidei vir[3], quem Dominis Salodorensibus cupio commendatum esse.

Seruus in Christo Pet. Canisius[c].

Excellentissimo viro Domino Ioanni Iacobo a Staal Archigrammateo Salodorensi, patrono singularj. Salodori.

Inscriptioni (manu Staalii, puto) verba aliqua obscura ascripta sunt, quibus fortasse Staal significabat, hanc epistulam Calendis Iuniis Lugduni sibi traditam esse, vel se eo die Canisio respondisse. *Staal* librum a Canisio de SS. Mauritio et Urso scriptum hoc disticho celebravit:

„In coelo, Urse, nites Christi fulgore coruscus:
At jubar in terris dat tibi Canisius."
(*Solothurnisches Wochenblatt*, 25. Sept. 1824, Nr. 39.)

a) Solodori *B*. b) nauim *B*. c) *Sequens inscriptio non est in B.*

[1] Significatur Ioannes Wagner bremgartensis, qui paene 50 annos, usque ad a. 1585, Solodori scholam latinam capituli S. Ursi rexerat (*Kälin*, Guillimann 26).

[2] Stephano Schwaller consuli totique senatui reipublicae soloduranae. Canisii litteras dedicatorias v. supra p. 359—366.

[3] Ioannes Strasser; v. infra p. 370.

2312. CANISIUS **STEPHANO SCHWALLER** praetori reliquisque **SENATORIBUS SOLODORANIS.**

Friburgo Helvetiorum 26. Maii 1594.

Ex apographo, a. 1892 Soloduri in archivo reipublicae exscripto ex archetypo, quod est ibidem, „Nr. 47. Schreiben und Curiosa von a° 1571 biß 1600". Epistula primum edita est in „*Solothurnisches Wochenblatt* für 1818. Herausgegeben von Freunden der vaterländischen Geschichte", Solothurn 1818, 78—79.

Mittit librum de SS. Mauritio et Urso ipsorum rogatu scriptum ipsisque dedicatum. Cur iam fieri non potuerit, ut canonicis quoque eum dedicaret. Typographi filium commendat.

†

Edle Gestrenge, Notveste Fromme Fürsichtige, Großgünstige gnedige Herren,

Neben erbietung meiner pflichtigen, schuldigen Diensten, samt meinem gleichwol geringem gebett zu Gott dem Allmechtigen, Erfrewe ich mich, das die lang gewünschete Zeit von mir ist erlebt worden, damit ich Ewer Gnaden verlangen und begern, auch meinem gethanen verhaißen nach, die Mauritianische vnd Vrsische Histori an das liecht bringe, wiewol die verlengerung des Drukens ohn mein schuld sich zuegetragen.

Was nun die Dedication dises getruckten Werks antrifft, wäre mir nit zuwider gewest, das dieselbe einsteils auch an die Wirdige Herren des Capitels gestellet wurde, wann man mich nur, dessen hette Zeitlicher ermanet, ehe dan dieselbe Dedication schon in allen exemplaren in dem druck gefertiget worden. Bitte derhalben Ewere Herrlikeit vnd Gnaden, sie wöllen von mir im beßten aufnemen ieztgemeldte gedruckte Dedication [1] samt dem Exemplar des Werkes, welliches ich gebunden hiemit Eweren Genaden vndertheniglich überschieke.

Der dises Buech Eweren Gnaden presentiert, Heist Hanns Straßer, des Buchdrukers abraham Gemperlins Sohn, vnd wirdt von dem abwesen seines Vatters red vnd antwort zugeben wissen. Er ist ein frummer iunger Haußmann, hat sich auch bemüent, das dises Werk, ehe es iemand anderem in die Hand käme, zubinden, vnd erstlich zu Soloturn sehen zulassen: ist darneben willig vnd bereitt Ewere Gnaden wo möglich zudienen: Hiemit thue ich E. G. mich samt unserm ganzen Collegio als vnsern günstigen Patronen demüetiglich bevelhen. Und bitt Gott den Allmechtig, wöll E. G. vnd Jhr löbliche Landschafft vätterlich bewaren. Datum Freiburg im Vchtland, am 26. Maij 1594

E. G.

Vnderthenig Dienstwillig Caplan

Petrus Canisius.

†

Den Edlen, Gestrengen, Eersamen Fürsichtigen Herrn, Herrn Schultheis vnd andern Rathsverwandten, meinen großgünstigen gnedigen Herrn. Soloturn.

[1] Hanc dedicationem vide supra p. 359—366.

In *Udalrici Wildt* quaestoris friburgensis *Codice dati et accepti a 24. Iunii 1593 ad 24. Iunii 1594 pertingente notatum est: „Dem buchtrucker zur verehrung Vitarum S. S. Mauritij et Vrsi 20 librae" datae sunt (Cod. „Erste Rechnung Vlrichen Wildts" Gemein Vßgeben, in a. 1594: Friburgi in archivo reipublicae).

2313. CANISIUS **P. FRANCISCO A ROCCA S. J.,** Romae degenti.
Friburgo Helvetiorum 13. Iunii 1594.

Ex autographo (2°; 1 p.; in p. 2 inscr. et sigillum integrum). Germ. 183 f. 303. Maiorem epistulae partem ex eodem autographo posuit *Sacchinus,* Can. 343–344.

Pro precibus gratias agit novasque petit. Gaudet de successu congregationis generalis. Aquavivae praepositi generalis virtus. Sociorum concordia.

†

Pax Christi Jesu nobis aeterna dilectiss. frater.

Quas mense Decembri ad me dedisti, ualetudinarius ego senex perlibenter accepi, quod multa synceri amoris in me tui officia declararent. Gratum fecisti, solemnes illas Ecclesias [1] uisitando, et incruentum pro me sacrificium diuinae maiestati offerendo. Laudo diligentiam, qua et Canisios et Germaniam nostram ter miseram Deo saepe commendas. Jucunda mihi fuit Patrum memoria, qui me salutare dignati sunt. Conseruet eos Christus feliciter, uti P. Chimenesium, P. Magium [a], P. Benedictum [2]. Reliquos praetereo, quos praeclara et a Deo benedicta congregatio tamdiu Romae complexa est, nec sine communi societatis nostrae bono dimisit, ut per illos ipsos gratiae nouae thesauri in multas prouintias distribuerentur [3]. Magnum Dei beneficium fuit, tot talesque patres insolito tempore tam feliciter conuenire. Maius tamdiu manere collectos, ac grauissimis de rebus unanimiter definire, ut et praesentibus et absentibus in beati Patris Jgnatij familia optime consuleretur. A Domino utique factum est istud [4], Roma etiam obstupescente,

a) Maium *autogr.; cf. infra, adnot. 2.*

[1] Septem basilicas, de quibus v. supra p. 186.

[2] P. Didacum Ximenez (Jiménez), de quo *Can.* V 187; PP. Laurentium Magium et Benedictum Palmium, qui m. Decembri 1593 congregationi generali Societatis intererant (*Institutum* S. J. II 263 272), vel P. Benedictum Iustinianum, qui tunc una cum Rocca in Poenitentiaria S. Petri degebat (Cod. „Rom. 53" f. 178b).

[3] Usque ad a. 1593 Societatis congregationes generales habitae non erant nisi cum praeposito generali mortuo novus praepositus eligendus erat. Quinta vero congregatio superstite Claudio Aquaviva praeposito generali a d. 3. Novembris 1593 ad 18. Ianuarii 1594 Romae habita est. Cuius rei causa haec fuit: In Lusitania et Hispania turbulenti aliqui Societatis homines iuvantibus proceribus quibusdam varia graviaque capita instituti Societatis immutare et Aquavivam, cum ille acriter iis obsisteret, loco movere conati sunt. Cui malo ut remedium afferretur, Clemens VIII. congregationem generalem haberi iussit. In qua Aquaviva postulavit, ut de sua agendi ratione quaestio institueretur. Pronuntiatus est innocens. Praeterea magnis laboribus invictaque animi fortitudine id assecutus est, ut, quae perturbatores apud pontificem aliosque patronos tentaverant, ad irritum caderent, Societatis leges in nullo fere capite, quod maioris momenti esset, immutarentur, Socii congregati strenue cum praeposito et pro instituto starent et magna concordia multa salubriter confirmarent atque decernerent (*Iuvencius* 4–36; *Astrain* III 554–605).

[4] Ps 117, 23; Mt 21, 42; Mc 12, 11.

et non minus fauente Pont. Maximo, cui hoc quidem aeuo debemus plurimum. Quantum uero laborum, uigiliarum, sollicitudinum R. P. Generalis noster sustinuit ac pertulit, ut susceptum ingens onus absolueret, gregemque sibi concreditum pasceret in iudicio et ueritate[1]? Mirabilis ergo Deus in seruis suis[2], qui noua submisit praesidia, confirmando corpori societatis ualde salutaria, nouamque praebuit lucem et infirmis et robustis, paruis et magnis conuenientem atque peropportunam. Pugnet interim aduersus immanes Turcas Germania: tumultuetur cum suspecto Rege[3] Gallia, furiant ac frendeant insani haeretici, ut se perfidos Ecclesiae desertores esse demonstrent. Nos uelut in portu nauigantes, in salutari nostro IESV respiremus[4], et ad coelestem quae non procul abest patriam fidenter[a] aspiremus. Quo maioribus diuinae bonitatis muneribus cumulamur, eo laetius oculos attollentes, ex animo decantemus illud, Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum[5]. Quae fratrum coniunctio supra petram fundata[6], et cum maiorum authoritate copulata, nullis humanis uiribus, sed neque diabolicis machinis potest labefactari, Christo vincente semper in filijs obedientiae[7] et crucis amatoribus ab eo ipso sanctificatis. Haec ego quam sit opus, persequor fusius, tui amore captus, quem in Germania nostra pergratum olim socium habui[8]. Jgnosco P. Augustino[9], quod nihil respondeat, curis et negotijs Germanicis impeditus. Abs te frater duo petam, si ea praestare uelis ac possis: alterum ut ueteres amicos Romae salutes nomine meo: inter hos P. Chimenez[b] non est postremus: alterum[c] ut[d] me inutilam pene senem Christo et Sanctis eius saepe commendes, et ab alijs[e] commendari procures, quae tua in me non uulgaris est beneuolentia. In Christo viue et uale frater, qui pijs munusculis me recreasti, tuisque precibus Canisios adiuuare perge[f]. Friburgi Heluetiorum 13 Junij anno post Christum natum 1594.

Seruus in Christo Pet. Canisius
manu propria.

† Reuerendo in Christo patri, Francisco a Rocca, societatis Jesu sacerdoti charissimo. Romae.

2314. CANISIUS **SOCIIS COLLEGII OENIPONTANI S. J.**

Friburgo Helvetiorum aestate a. 1594.

Ex apographo, de quo infra, ep. 2321.

Canisius Kalendis Novembribus a. 1594 Oenipontem ad P. Iodocum Itaeum S. J. litteras misit, in quibus scribebat: „Accepistis meas, ut arbitror, non ita dudum

a) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.* b) Chimenesez *autogr.; cf. supra p. 371*[2]. c) *Super hoc v. scriptum est* peto, *idque, ut omnino videtur, manu aliqua posteriore.* d) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.* e) *Sequitur* procure, *oblitt.* f) *Sic C. ipse correxit ex* adiuua.

[1] Dn 3, 28; cf. Eccli 45, 12; Zach 8, 16. [2] Cf. Ps 67, 36.
[3] Henrico IV. Navarraeo; cf. supra p. 298[1].
[4] Cf. Ps 34, 9; Is 25, 9; Lc 1, 47 etc. [5] Ps 132, 1.
[6] Mt 7, 25; Lc 6, 48, et cf. Mt 16, 18. [7] 1 Petr 1, 14.
[8] Cf. *Can.* VI 722 731. [9] Putterer; cf. supra p. 331.

scriptas, quibus meo more monui de xenio spirituali: nec dubito veterem charitatem erga me vestram expectationi nostrae satisfacturam." *Hae litterae perisse videntur.*

2315. P. GEORGIUS SALBIUS S. J. CANISIO.

Dilinga m. Augusto vel Septembri 1594.

Vide Canisii epistulam 30. Septembris datam, qua hic Salbio respondit, infra, ep. 2317.

2316. CANISIUS **GUILIELMO V.** Bavariae duci.

Friburgo Helvetiorum aestate vel autumno a. 1594.

Librum de SS. Mauritio, Urso, legione thebaica a se scriptum (v. supra p. 358) Guilielmo mittit. Ei pro beneficiis in se et Societatem Iesu collatis gratias agit. Se pro Guilielmo et tota domo bavarica Deum orare affirmat. Plura de his litteris, quae perisse videntur, vide in Guilielmi V. epistula 6. Novembris 1594 ad Canisium data, infra, ep. 2323.

2317. CANISIUS **P. GEORGIO SALBIO S. J.**, Dilingae in contubernio S. Hieronymi degenti. Friburgo Helvetiorum 30. Septembris 1594.

Ex autographo (2°; 1 p.; in p. 2 inscr.), quod est Monachii in archivo maiore reip. bavaricae, Jesuitica in genere Fasc. 13 No 214. Inscripto alia manu posita est; cui tertia manu antiqua ascriptum est „Ex archivo" [provinciae Germaniae superioris?], et quarta: „Est Manus B. P. Canisij, quae est in ipsis literis, non uero haec superscriptio." In eiusdem fasciculi numerique libello in 4° non conglutinato (p. 5—6) exstat huius epistulae apographum saeculo XVII scriptum; alterum apographum est ibidem in folio quodam duplici eoque separato.

Pestilentia. Laudes P. Obergasser. Deus orandus pro Canisio. Universitatis collegiique dilingani prosperitas et fructus.

†

Pax Christi nobis aeterna dilecte frater.

Accipio purgationem tuam, quod uarijs curis impeditus, ad me scribere uix pauca possis. Ego itidem me purgatum uolo, quod in scribendo sim breuior, quam fortasse cupias. Deum precemur pro peste uitiatis, quorum ingens est passim numerus in Germania Heluetiaque. Non enim bello tandem[?][a] Hungarico et Belgico[1], sed et morbis et fame affligi debemus ingrati atque inobedientes hoc ferreo seculo. Aeternum Christo uiuat bonus Pater Obergasser[2], cuius memoria in benedictione est[3], quod pro sua sancta simplicitate circa simplices et pauperes sit laboriose uersatus, magnamque curam habuerit docendi Catechismi. Salutabis ex me coquum[4], Philippum[5] et alios

a) *Sic autogr.; sed vv. sqq. exigere videntur, ut dicas, Canisium scribere voluisse:* tantum.

[1] In Hungaria Austriaci cum Turcis, in Belgio exercitus Philippi II. cum copiis Mauritii ducis arausiaci pugnabant.

[2] P. Caspar Obergasser (de quo *Can.* VI 116[5]) a. 1594 in collegio monacensi fuerat „Confessarius templi, Catechista, Visitator infirmorum" (G. Sup. 44 f. 88[b]; 99[b]). De eo P. *Otto Eisenreich* praepositus provincialis Aquavivae generali Augusta 18. Augusti 1594 *scripsit: „Vndecimo huius Monachij pie ac ualde in domino religiose obijt, uere pater pauperum et egenorum" (autogr.; Germ. 173 f. 37[a]).

[3] Eccli 45, 1. [4] Fratrem laicum Ioannem Kress (G. Sup. 44 f. 94[b] 102[b]).

[5] Hunc de Societate non fuisse colligendum esse videtur ex catalogis huius temporis.

fratres, tum praeter P. Rectorem et P. Julium[1] sacerdotes omnes: eorum sacrificijs et precibus ualde cupio commendari. Nec dubito de charitate tua, quae datura sit operam, ut suo tempore impetrem optatum Xenium, utpote tali seni et ualetudinario, uobisque confidenti necessarium. Bene uale cum religiosis tuis fratribus ac filijs, quos in utroque homine per sanctiss. Doctoris Hieronymi intercessionem diuina bonitas tueatur. ferijs eiusdem Doctoris atque Patroni[2], 1594.

In Christo frater Pet. Canisius m. pp.

Vidi nunc primum alteras fratri[3] abs te scriptas, quae nuntiant plaerosque Dilingae morbis uexari et emori. [Sit uobis] propitius Deus, uestramque iuuentutem incolumem seruet.

Probo quod uineolam Dilinganam diligas, ubi multa Dei summi beneficia percepisti, ac de compluribus bene meruisti. Mirabilis uere Deus in Sanctis suis[4] et praesertim in B. Hieronymo, cui hic dies est sacer, et per quem Deus tot beneficia in fundatorem utriusque collegij[5] clementer contulit, tot professores et discipulos aluit, ac praeclaros omnino fructus in Sueviam, Bauariam, Heluetiam hucusque transfudit. Hinc pro te et Dilinganis omnibus fonti bonorum ago gratias, quod uos in medio uelut haereticorum in pace consueruat, uobisque tum spiritualia, tum temporalia bona tribuit abundanter. Ipsi gloria sempiterna[6].

† Reuerendo Patri in Christo P. Georgio Salbio Societ. JESV Dilingae.

2318. VIR QUIDAM ERUDITUS CANISIO.

Autumno a. 1594.

Vide epistulam 2325, qua Canisius circa m. Novembrem vel Decembrem a. 1594 huic viro respondit.

2319. CANISIUS P. IOANNI BARGIO S. J., magistro noviciorum in domo probationis tornacensi.

Friburgo Helvetiorum 1. Octobris 1594.

Ex libello periodico „Analecta Bollandiana“ tom. XVI, Bruxelles 1897, 78—79: ubi P. *J.-F. Kieckens* S. J. hanc epistulam edidit, inventam a se Bruxellis in archivo generali regni belgici, „Varia“ de Societate Iesu, fasc. (carton) 19.

Officium magistri noviciorum ei gratulatur. Deo confidendum esse. De libro suo precatorio et „Notis“ suis Antverpiae typis exscribendis.

Pax Christi nobis aeterna, Reverende Pater Bargi[7].

Legi tuae charitatis litteras ad fratrem Theodoricum datas, ac libenter cognovi vestram erga me benevolentiam, iam ante notam, novo pioque

[1] PP. Matthiam Mayrhofer et Iulium Priscianensem (G. Sup. 44 f. 94a 102a).

[2] Die 30. Septembris. S. Hieronymus Dilingae patronus erat et universitatis et contubernii iuvenum litteris studentium.

[3] P. Theodorico Canisio; v. supra p. 329. [4] Ps 67, 36.

[5] Cardinalem Ottonem Truchsess de Waldburg. [6] Cf. Eccl. 49, 14.

[7] „P. Joannes Bargius Amstelodamensis natus anno 1555. 21. sept. . . . Admissus in Soc. Louanij 5. sept. 1578, studuit . . . in Soc. Ingolstadij Theologiae Scholasticae

munusculo confirmari[1]. Benedictus Deus, quo favente sustines praeclarum hoc munus novitios instituendi, ut hac institutione, quae R. P. N. Generali[2] grata est, de tota provincia Belgica bene merearis. Pergas, quaeso, fidos praeparare operarios, qui paulatim in messem valde turbulentam et afflictam possint extrudi, et plura complere collegia, Domino messis[3] auxiliante. Vere miserandus est Belgii status, ut prorsus dubitem, peiusne agatur cum inferiore Germania quam superiore. Sed in misericordiam se convertet ira Domini, quando ingens populus in catholica fide persistit, et plurimi ante Baal sua genua non curvaverunt[4]. Terribilis interim virga Dei nos percutit[5], et partim per immanes Turcas in Ungariam saevientes, partim per haereticos perfidos in utraque Germania et Gallia potenter grassantes, ad meliorem nos mentem revocat, ut vel coacti resipiscamus.

Quoniam vero Antwerpiae nullum ex nostris agnosco, tuum et consilium et praesidium implorare statui, veteri necessitudine nostra confisus.

Misi ad Plantini haeredes ante annum correcta quaedam in libello precatorio, ut idem una cum parvo catechismo recuderetur, et publico serviret commodo[6]. Nihil autem hactenus intelligo, an libellus ad nostrorum pervenerit manus, quos optabam praeesse huic recognitioni. Deinde cupiebam *Notas* meas[7] in tres tomos distribui, et ad eam fere formam redigi, quam Granatae conciones Plantinianis[a] typis excusae

a) *Epistula habet:* Plantianis.

---

an. 4 et simul casibus conscientiae an. 3, sesquianno Hebraicae linguae quam docuit ibidem an. 2, philosophiam ad breue tempus . . . mag. Nouitiorum Tornaci annis 11. cum medio. Exhortationes habuit in monasterijs an. 6. . . factus Sacerdos Ingolstadij vltimo martij 1584": Ita * *Catalogus* provinciae belgicae S. J. anni 1597. In eiusdem autem provinciae * *Catalogis* ad a. 1598 et 1599 pertinentibus affirmatur, Bargium in „missione hollandica" versari (Fl. Belg. 9 f. 258 322[b]; Fl. Belg. 43 II f. 45[a]). Bargius (Bergius) a. 1584—1596 Tornaci magister noviciorum et „instructor tertiae probationis", 1597—1600 Harlemii (Haarlem) superior missionis Hollandiae septentrionalis fuit atque in hac urbe, cum in variis Hollandiae partibus multum laborasset et multa perpessus esset ac plurimos protestantes ad ecclesiam reduxisset, 16. Iunii 1600 vita cessit (*K. J. Derks* [S. J.] in *P. C. Molhuysen* en *P. J. Block,* Nieuw Nederlandsch biografisch Woordenboek III, Leiden 1914, 64—65; *Litterae* annuae S. J. anni MDC, Antverpiae 1618, 532—533; *Robert Fruin's* Verspreide geschriften III, s' Gravenhage 1901, 323—326).

[1] Theodoricum Canisium dicit, in collegio lucernensi degentem; v. supra p. 329 332.

[2] Claudio Aquavivae.

[3] Mt 9, 38; Lc 10, 2. [4] Rom 11, 4; 3 Rg 19, 18.

[5] Is 10, 24.

[6] Puto, Canisium Antverpiam ad viduam Christophori Plantini († 1. Iunii 1589) et Ioannem Moretum (Moerentorf) eius generum misisse „Institutiones et Exercitamenta Christianae pietatis", quae ex officina plantiniana postremum prodierant a. 1592: v. infra, mon. 1514.

[7] Notas in Evangelicas Lectiones, quae diebus dominicis et festis Sanctorum recitantur, duobus tomis Friburgi Helvetiorum 1591 et 1593 primum editas; v. infra, mon. 1502 1527.

prae se ferunt[1], totumque opus absolutum et recognitum habeo, libenterque mittam Antverpiam, si putetis et typographo gratum, et regio privilegio dignum fore. Quod enim ad priorem Germanumque typographum[2] spectat, efficiam fortasse ut ipso non invito, qui Caesaris privilegio[3] munitus est, Antwerpiensis editio progrediatur.

Vide, Pater, quid hic mihi faciundum putes, ne quid pernitiosum ex imprudentia consequatur. Ac nostri quidem Antwerpienses mihi gratissimum fecerint, quicquid in censendo et corrigendo sibi sumpserint, quandoquidem illis iudicium omne permitto. Salutem ex me omnem dici velim R. P. Oliverio[4], ubicunque fuerit, et aliis charissimis patribus ac fratribus, valdeque cupio et peto, me valetudinarium senem illorum sacrificiis ac precibus, tuis vero inprimis, Domino commendari. Bene in Christo vale, Pater, qui cum novitiis tuis ut senioris Canisii crebro memineris, etiam atque etiam rogo.

Raptim, Friburgi Helvetiorum, calendis Octobris, anno Christi 1594.

In Christo servus

Petrus Canisius S. J.

Reverendo in Christo Patri M. Ioanni Bargio, magistro novitiorum Societatis Iesu. In provincia Germaniae inferioris. Tornacum.

Quae Canisius de „Notis" suis Antverpiae edendis scribit, ad effectum deducta non sunt. Dubito etiam, num editio illa emendata „Institutionum" Antverpiae in lucem emissa sit.

Supersunt adhuc in Can. 44, 45, 46 tres tomi, in quos Canisius „Notas" distribuit, iique prelo plene parati. In iis non solum multa verba vel Canisii vel aliena manu immutata sunt, sed etiam multa, eaque fere omnia manu P. Sigismundi Ilsung, ex Scriptura, Patribus, doctoribus addita sunt. Titulus totius operis hic erat futurus: „Notae in Evangelicas Lectiones, quas Dominicis et aliis diebus festis proponit Ecclesia, recognitae, ac iam in tres Tomos digestae, uti pagina inuersa docebit. Opus ad pie meditandum, docendum atque precandum probe accommodatum. Auctore" etc. Primus tomus futurus erat de Dominicis ab Aduentu Domini usque ad Pentecosten, secundus de Dominicis post Pentecosten, tertius de diebus festis Sanctorum. Neque tamen umquam recognita haec editio in lucem prodisse videtur.

2320. MARCUS VELSERUS IUNIOR, consul augustanus, CANISIO.

Augusta Vindelicorum circa m. Octobrem 1594.

Ex apographo, de quo infra, ep. 2322.

Canisius Friburgo Helvetiorum 2. Novembris 1594 Marco Velsero iuniori scripsit: „Literas tuas libenter accepi, cum quibus munus nobis periucundum pro summa in me tua beneuolentia coniunxeras". Velseri litterae iam non exstant. De quibus vide Canisii epistulam, quam modo dixi.

Marcus Velserus sive Welser „iunior" (1558–1614), ortus ex familia illa patricia, quae Augustae Vindelicorum magnam tabernam argentariam habebat, filius

[1] Ludovici Granatensis O. Pr. Sermones „de Tempore" et de Sanctis Antverpiae ex officina plantiniana sex tomis in 8° prodierunt a. 1577–1582 et iterum a. 1588 (*Quetif-Echard* II 286).

[2] Abrahamum Gemperlin. [3] Hoc vide infra, mon. 1502.

[4] Manareo, provinciae belgicae S. J. praeposito.

Matthaei Velseri, in Italia egregiam rerum antiquarum notitiam sibi comparavit. Anno 1594 consul (Bürgermeister) creatus, a. 1598 in sanctius urbis consilium ascitus, a. 1600 duumvir (Stadtpfleger) factus est; hoc officium, quod in republica augustana summum erat, ad mortem usque tenuit. Religionis catholicae studiosissimus erat. Auctore Davide Höschel viro doctissimo Augustae cum amicis typographiam „ad insigne pinus" condidit, ex qua multae pulchraeque scriptorum latinorum et graecorum editiones prodierunt. Ipse varia opera composuit, ut „Inscriptiones antiquas Augustae Vindelicorum cum notis" (1590), „Fragmenta Tabulae antiquae" sive pretiosam illam „Tabulam Peutingerianam" (1591), „Rerum Augustanarum libros octo" (1594), imprimis autem „Rerum boicarum libros octo", qui Augustae a. 1602 in lucem prodierunt. Sanctorum quoque historiam scriptis illustravit. Neque dubium est, quin Canisio aut cum his litteris, aut paullo ante miserit librum a. 1591 Venetiis apud Aldum editum: „Conversio et passio S. S. Martyrum Afrae, Hilariae, Dignae, Eunomiae, Eutropiae quae ante annos paulo minus MCCC. Augustae Vindelicorum passae sunt, cum Comment. *Marci Velseri,* Matthaei Fil. Aug. Vind." (*Ant. Veith,* Bibliotheca Augustana II, Augustae Vindelicae 1786, 159—228; VI, ibidem 1790, 183—186; *Paul von Stetten,* Geschichte der Heil. Röm. Reichs Freyen Stadt Augspurg, Frankfurt u. Leipzig 1743, f. (e)[a]; *Paul von Stetten, jünger,* Geschichte der adelichen Geschlechter in der freyen Reichs-Stadt Augsburg, Augsburg 1762, 99; *F. Roth,* Welser, in Allg. Deutsche Biogr. XLI 687—690). *Velserus* Augusta 21. Maii 1614 P. Matthaeo Radero S. J., qui ei, ut videtur, Vitam Canisii ipso hoc anno a se editam miserat, *scripsit: „Pro pio et litterato munusculo tibi quas debeo gratias habeo · profecto P. Canisij memoria, apud me semper non honorata modo, sed sancta etiam erit. Eum ego primum ex patribus puer, et propemodum infans, in paternis aedibus uenerari et colere didici, satis enim ab illa usque aetate memini, quo loco a parentibus et tota familia iam tum haberetur, quem nobis nunc in coelo patronum adesse, uti opto, sic spero quoque. Quamquam ille non in unam aut alteram familiam beneficus, sed uniuersam ciuitatem admirabili quadam charitate complexus est · prorsus de rebus nostris pronunciare uere possumus, P. Canisius plantauit, P. Roseffius rigauit, incrementum autem Deus dedit[1], et ut porro det precamur" (ex autographo, quod est Monachii in bibliotheca nationali, Cod. lat. 1611, n. 20.

2321. CANISIUS **P. IODOCO ITAEO S. J.,** praefecto rerum spiritualium in collegio oenipontano.

Friburgo Helvetiorum 1. Novembris 1594.

Ex apographo (A), circa a. 1730 ex archetypo exscripto, quod testimonio authenticitatis quod vocant publico a. 1730 Friburgi Helvetiorum munitum, nunc exstat Monachii in archivo maiore reipublicae bavaricae, Jes. in gen. Fasc. 13, No. 214. Alterum apographum (B), circa medium saeculum XVII. a P. Petro Hugone S. J. scriptum, est in Cod. monac. „Lat. 1606" f. 116[a].

Socios ad laborandum excitat. De calamitatibus publicis. Sacras preces petit. Patronos commendat.

†

Pax Christi nobis[a] aeterna

Reverende Pater.

Aulicus[b] vestri Principis Sacellanus[2] apud nos fuit, per quem non potui non aliquid scribere, quod Collegij vestri, et mei[3] memoria

a) *Hoc v. deest in B.* b) *Sic B.* Aulinus *A.*

[1] Cf. 1 Cor. 3, 6.

[2] Ioannes a Cavaleriis? Cf. *Hirn* l. c. II 368 384.

[3] Canisius, cum Germaniae superioris praepositus provincialis esset, a. 1562 collegium oenipontanum incohaverat; cf. *Can.* III 707—708.

recreer in Domino, atque[a] delecter. Opto sane Patres, ac Fratres isthic omnes non solum bene valere, sed multum etiam prodesse proximo, sive Domi, sive in schola, sive in templo ex obedientiae praescripto sit laborandum, ut panem non otiosi edere[1] videamini[b]. Pestis Helvetiam, et vicina loca corripuit, ac multos extinguere pergit, a qua contagione Friburgenses nostri prorsus immunes non sunt. Tumultus Gallici, et Belgici, et Germanici durant etiamnum[2], ut ad orandum, et plorandum merito excitemur ob publicas calamitates, quae justo Dei judicio passim infliguntur. Accepistis meas, ut arbitror, non ita dudum scriptas, quibus meo more monui de Xenio spirituali: nec dubito veterem charitatem erga me vestram expectationi nostrae satisfacturam. Decet enim juniores senum sive praesentium, sive absentium rationem habere, et afflictorum incommodis compati, aegrisque imprecari salutaria, ut magis, magisque placeant Domino · salutem ex me dici velim nostris Halensibus, quos desidero laetos progredi in officio suae vocationis, et de civibus nec solum de suis scholasticis bene mereri. Reverenter etiam nomine meo salutabitis[c] Dominum Magnificum Praesidentem Heidenreich[3], quem scio, et gaudeo beneficum esse Patronum Collegij sub multis Rectoribus, ut idcirco illi multum debeatis, quia velut alter Centurio gentem nostram multis invisam diligit[4], et Nominis IESV occultus discipulus[5] non est, sicut olim Nicodemus fuit. Tales amicos, et protectores vobis fideliter commendatos habete. Dominus conservet, augeatque conatus vestros ad gloriam suam. Friburgi Helvetiorum Kal. Nov. Commendo me vestrum omnium sacrificijs, precibusque, praesertim Caspari Senioris[6] 1594.

In Christo servus Pet. Canisius manu propria.

Adjunctas literas quamprimum in Vrbem transmitti[d] peto, et alias Augustam, si scripserim. Dominus Jesus nobiscum.

Reverendo in Christo P. Patri Judoco Iteo Rectori, sive Superiori Societatis JESV OEniponti[7].

a) recreer. et delecter in Domino *B.* b) otiose . . . uideamtur *B.* c) salutabis *B.* d) mitti *B.*

[1] Prov 31. 27. [2] Cf. supra p. 352 373. [3] Vide supra p. 336[8].
[4] Lc 7, 5. [5] Io 19, 38.

[6] Casparis Zelosi, fratris laici (cf. *Can.* VI 116[3]); qui ineunte a. 1595 erat „Custos eorum quae pertinent ad calceamenta. Socius patrum qui euocantur“ (* *Catalogus,* G. Sup. 44 f. 95[b]).

[7] Collegio a. 1589—1601 praeerat P. Ioannes Faber (*Duhr,* Jes. I 190[4]). Itaeus a. 1594 Oeniponte erat „Confessarius domesticus et templi, Praefectus rerum spiritualium“, praeses „collationis casuum, Catechista nostri templi, Praefectus domus pauperum S. Nicolaj, Consultor et Admonitor Rectoris“; initio vero anni 1595 erat Lucernae „Concionator in parochia et nostro Templo, consultor et admonitor p. Rectoris, praefectus casuum, censor librorum, confessarius in Templo“ (ex * *Catalogis;* G. Sup. 44 f. 95[a] 106[a]).

2322. CANISIUS **MARCO VELSERO IUNIORI,** consuli augustano.
Friburgo Helvetiorum 2. Novembris 1594.

Ex apographo, quod sub a. 1611 Augustae Vindelicorum scriptum et a P. Matthaeo Radero S. J. in biographiam illam canisianam sive biographiae adumbrationem insertum est, quae manu scripta exstat Romae in bibliotheca nationali, „MSS. Gesuit. 1355“ p. 54—55. In qua biographia etiam planis verbis affirmatur, epistulam hanc ad Marcum Velserum datam esse.

Consulatum ei gratulatur. Libros eius laudat. Eum, ut de S. Udalrici vita aliisque rebus patriis scribat, hortatur. Familiae velserianae recolit memoriam.

Pax Christi nobis aeterna,
Magnifice Domine Consul.

Ex animo gratulor tuae praestantiae, non ita dudum ad consulatum[a] Augustae obeundum electae[1]: quod munus et ipsi salutare, et patriae frugiferum fore confido desideroque. Literas uero tuas libenter accepi, cum quibus munus nobis periucundum pro summa in me tua beneuolentia coniunxeras[2], quemadmodum et antea per nobilem patruum[3] honorarium quoque munus ad me mittere dignatus es. Vtrumque donum ingenij iudicijque tui specimen luculentum exhibet, neque caret ingenti labore haec tota descriptio, quae singularem nobis peperit uoluptatem[4]. Valde opto ut pergas diui Vdalrici[5] uitam quae apud te latet, suis depingere coloribus, patriaeque tuae patronum excellentem illustrare[6]. Libenter accepi quae mones de Antuerpiensibus, quod Belgij sanctos describere et in lucem edere cogitent[7]. Rem te prorsus dignam feceris, si quemadmodum praeclare coepisti, uir doctissime, ueterum monumenta studueris perquirere, atque historijs lucem adferre, resque patrias tuis

a) consolatum *apogr.*

[1] Augustani ea aetate 6 consules („Bürgermeister“) habebant, e quibus bini 4 per annum menses rempublicam administrabant. Supremam tamen potestatem non ipsi, sed 2 duumviri sive praetores („Stadtpfleger“) habebant (*Dav. Langenmantel*, Historie des Regiments in der Stadt Augsburg, Frankfurt u. Leipzig 1752, 161—163).

[2] De his litteris hocque munere v. supra p. 376.

[3] Marcum Velserum seniorem?

[4] Significantur fortasse „Rerum Augustanarum libri“ hoc anno a Marco editi; v. supra p. 377.

[5] Episcopi et patroni augustani.

[6] Velserus id praestitit a. 1595; v. infra, ep. 2337.

[7] Heribertus Roswey sive Rosweyde, Ultraiecti a. 1569 natus, Societatem Iesu a. 1588 ingressus, in universitate duacensi a. 1591 magister artium liberalium factus, Antverpiae a. 1629 mortuus, iam eo tempore, quo Societatis frater scholasticus erat, in bibliothecis belgicis vitas Sanctorum perquirebat. Idem „Vitis Patrum“ Antverpiae a. 1615 editis fundamenta iecit grandis illius operis, quod Antverpiae a. 1643 a Ioanne Bollando S. J. cum nomine „Acta Sanctorum“ edi coeptum est. Quod autem ad Sanctos Belgii attinet, anno tandem 1783 Ioseph Ghesquière, qui usque ad Societatis suppressionem unus ex eiusdem hagiographis bollandianis fuerat, operis „Acta Sanctorum Belgii selecta“ Bruxellis primum in lucem emisit tomum, cui usque ad a. 1794 quinque tomos Bruxellis et Tongerloae, ab aliis adiutus, adiunxit. Duos eiusdem operis tomos a. 1911 vulgaturus erat Albertus Poncelet S. J. hagiographus bollandianus, cum repentina morte abreptus est (*Sommervogel* VII 193—195; III 1372 ad 1373; *Hippol. Delehaye* S. J., Les „Acta Sanctorum“ des Bollandistes, in „Études“ T. 158, Paris 1919, 662—663; T. 160, Paris 1919, 164—168).

honestis laboribus adornare. Amaui ego semper et amabo uestram familiam, nec obliuisci possum insignis humanitatis, qua uir eximius pater tuus, qui Christo uiuat [1], tuusque patruus Dominus Marcus [2], una cum Domino Joanne nunc praetore [3] me quondam cum istic uiuerem sunt studiose complexi. Quoniam uero exiguitas mea uetat, ut uestris in me beneficijs gratiam referam, DEVM OPT. MAX. precari pergam, ut uos omnes non solum in Catholica fide constantes firmosque conseruet, uerum etiam inter Augustanos patricios omni pietate ac uirtute florentes, atque de tali Republica bene merentes magis magisque prosperet. Ego ut senex ualetudinarius ualere pergo, summumque Deum et mihi et Augustanis propitium esse precor in hac imbecillitate. Diuina bonitas in utroque nos homine ad sui nominis gloriam gubernet ac tueatur. Bene in Christo uale uir humanissime, cui sane uicissim cupio per omnem occasionem gratificari. Salutem ex me dici reuerenter cupio illis quos dixi dominis meis obseruandis Fratribus tuis, et amicis alijs. Friburgi Neutonum postridie Calend. Nouembrium. An. MDXCIV.

Dignitatis tuae

Valde studiosus

Petrus Canisius.

2323. GUILIELMUS V. Bavariae dux CANISIO.

Monachio 6. Novembris 1594.

Ex commentario autographo, a Guilielmo „An P. Canisium" inscripto (2°; 1 fol. separatum, 2 pp.), quod est Monachii in archivo provinciae Bavariae superioris („Oberbayerisches Kreisarchiv"), Universitaet Ingolstadt, Fasc. 6.

Deo gratias agit, quod Canisium servat incolumem. Huius vita S. Mauritii utilissima erit. Utinam huius generis plura scribat! Quae Guilielmus in Societatem contulit, eidem debita erant. Libenter Canisio gratificabitur.

†

Wilhelm etc. [4]

W. hoch. etc. bes. l. etc. [5] Wir dankhen Gott, das Euch seine gütte das leben [a], vnd die khrafft verleiht, das Ir seiner heyligen khirch so lange Zeit, vnd noch bis dato, dienen khünndt. Sein Allmacht wöll Euch noch länger also erhalten vnd vns geben. S. Mauritij histori [b], von Euch beschriben [6], wöllen wir mit begird [c] durchlesen: vnd zweiflen

a) *Sic Guil. correxit ex* so langes leben. b) *Tria vv. sqq. a Guil. in margine ascripta sunt.*
c) *Guil. primum scripserat:* lust; *dein correxit:* frejden; *posuit denique:* begird.

[1] P. *Gregorius Roseffius* S. J. Augusta 27. Ianuarii 1578 Everardo Mercuriano praeposito generali *scripsit: „Obijt nudius quartus columna catholicorum primarius vir huius vrbis, dominus Matthaeus Welserus" (ex autogr.; Germ. 156 f. 259[a]).

[2] De Marco Velsero seniore v. *Can.* II 623 625 655 912; III 38 etc.

[3] Ioannes Velserus, reipublicae augustanae duumvir (1589—1597) (Stadtpfleger), pater erat Antonii Velseri Societatem ingressi, de quo dicetur infra, mon. 1519 (*Raderus* 192; *Langenmantel*, Anh. 1).

[4] I. e. Pfaltzgraue bey Rhein, Hertzog in Obern vnd Niedern Bayern etc.

[5] I. e. Wurdiger hochgelerter besonders lieber andechtiger; cf. *Can.* II 247.

[6] Vide supra p. 358 et infra, mon. 1542.

nit, dieselb seye also beschaffen, das sie, alle guethertzige fursten, vnd sonderlich[a] khriegsherrn[b] vnd khriegsleüt, lesen, vnd behertzigen sollen[c], beuorab, zudiser gefehrlichen Zeit, deß Güothen halber, welches dann verhoffenlich durch verleihung der Gnaden Gottes beschechen würdt · wir wollen[d] gern sehen vnd seher wünschen, das Ir noch meher dergleichen sachen vnd buecher, alls Ir sovil Iar, vnd mit so grossem nutz der Christenheit gethon, in drukh ausgehen liesset. Jr sollet gleichwol nunmeher billich[?][e] rhuen[f] das Ir vnß dankht vmb das Ienig so wir Euch vnd der würdigen[g] Societet bisher erwisen, das war vnvonnötten, dann wir das wenige, so wir gethon[h], zethun schuldig gewest[i], weil wir gesehen, wie wol es angeleget[k]. Gedenckht vnser, vnd vnsers hauses, in Euerm gebett noch verner, vnd wist Ir etwas, so Euch in disem Euerm alter, von vns angenem weer, so verseht Euchs zu vns, vnd forderets: dann wir Euch mit sondern genaden genaigt · Munchen den 6. 9^bris etc.[1]

2324. CANISIUS **ABRAHAMO GEMPERLIN** typographo.

Friburgo Helvetiorum circa m. Novembrem vel Decembrem 1594.

Vide epistulam sequentem.

2325. CANISIUS **VIRO CUIDAM ERUDITO** Friburgi Brisgoviae degenti.

Friburgo Helvetiorum circa m. Novembrem vel Decembrem 1594.

Ex commentario autographo, eoque festinantius et obscurius scripto, ut infra accuratius notabitur. Can. 50, II f. 5^b–7^a.

De „Notis" suis recognitis et Friburgi Brisgoviae edendis.

Gratum fuit mihi studium tuum uir humaniss. : quandoquidem typographi Martini[l][2] causam[m] in meis Notis[n][3] apud uos recudendis officiose procuras atque commendas[o]. Ego uero ab hoc nouo[p] typographo[q] non sum alienus, quem confido pro officij sui ratione talem fore, qualem ipse praedicas, nimirum[r] in excudendo[s] fidum ac sedulum. Ac notas quidem nostras[t] toto fere anno[u] recognoui[v] et multis in locis auxi, sed in tres tomos, cum antea duo essent distribui reseruato in secundum tomum indice qui nondum est confectus, neque confici potest.

a) *A G. corr. ex* beuorab. b) *Duo vv. sqq. a G. supra versum scripta sunt.* c) *Quae sequuntur, usque ad* halber *incl., a G. in margine addita sunt.* d) *Quattuor vv. sqq. a G. supra versum scripta sunt.* e) *Hoc v. obscurius scriptum est.* f) *Sic G. corr. ex:* Jst Euch aber gleichwol numeher zu rhuen. g) *Hoc v. a G. supra versum scriptum est.* h) *Sequitur* Gott, *oblitt.* i) *Sequuntur vv.* vnd send, *oblitt.* k) *A G. corr. ex* wol wirs anlegten. l) *Sic a C. correctum est ex* uestri *vel simili v.* m) *Sequuntur vv.* offers in excud, *oblitterata.* n) *Sequitur* recudendo, *correctum est ex* excudendo, *dein oblitteratum.* o) *Sequuntur vv., de quibus sub ipsas has litteras dicetur, oblitterata.* p) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.* q) *Sequitur* Martino, *oblitt.* r) *Hoc v. supra versum scriptum est.* s) *Sequitur* sedulum, *oblitt.* t) *Sequitur* in duos tomos antea distinctas, *oblitt.* u) *Sequitur* correxi, *oblitt.* v) *A C. correctum ex* relego.

[1] I. e. 1594; v. supra p. 358.

[2] Böckler; vide quae sub ipsas has litteras dicentur.

[3] „Notas in Evangelicas Lectiones", quae diebus dominicis et festis Sanctorum recitantur, significat; quarum tomus prior a. 1591, alter 1593 Friburgi Helvetiorum ex officina typographica Gemperlini prodierant; v. infra, mon. 1502 1527.

nisi primus et tertius tomus antea[a] in prelo fuerit absolutus. Verum habeo quae tota de re conferam cum Abrahamo[1] mihi amicissimo, ad quem scripsi, et cuius aduentum una cum filio eius[2] in singulos dies expecto[b], eius uoluntatem iudiciumque perfecte[c] cognoscam[d], ut in re graui[e] praecipitem[f] ferre sententiam non[g] uidear. Bene in Christo uale uir erudite et candide, meoque nomine Martinum isthic amanter saluta[h]. festinanti autem[i] illud inculca, Sat cito, si sat bene[k] sapientis est dicere[3]. Nec [?] protraham [?][l] · Friburgi — —

Canisius in hoc commentario post primam sententiam, quae verbis „procuras atque commendas" terminatur, haec posuerat, quae dein oblitteravit, in eorum locum substituens ea, quae supra posita sunt: „Miramur Abrahamum nostrum quem quotidie expectamus tam tarde huc accedere · habeo sane quod cum illo coram tranigam de totius operis absoluta ferme recognitione. Hoc ipsum in tomos tres separatim excudendos distribui ac multis in locis auxi, secundo tomo index rerum nondum confectus reseruatur. Cogitabam tamen interim ipsas notas Antuerpiam destinare, ut in officina Plantiniana recuderentur, eamque formam acciperent quam Granatae conciones praeseferunt[4]. ac breui, ut spero literis meis hac de re scriptis Antuerpia respondebitur. Vbi uero dictus Abrahamus accesserit, certius aliquid de re tota statuam, non alienus quidem a uestro typographo, quem pro officio suo fidum ac diligentem fore confido sicut et ipse promittis. Verum nunc primum de consilio nouo admonitus praecipitem ferre sententiam non audeo · qui adhuc in opere corrigendo uersor, et sicut dixi, Abrahamio meo explicare consilia eiusque iudicium audire cupio. Bene in Christo uale uir erudite, meoque nomine typographum isthic amanter saluta." Litterae, ad quas Canisius scribit brevi Antverpia responsum iri, 1. Octobris 1594 datae sunt. Hanc igitur epistulam ad eruditum hunc virum circa m. Novembrem vel Decembrem a. 1594 eum dedisse dixeris. Huic autem viro Abraham Gemperlin notus fuisse videtur.

Anno 1595 Canisii Notas evangelicas dierum dominicorum „Martinus Böcklerus" Friburgi Brisgoviae „impensis Abrahami Gemperlini" typis exscripsit; v. infra, monum. 1556. Martinus Böckler ingolstadiensis a. 1592 Friburgi ab universitate et urbis senatu constitutus erat typographus. Qui a. 1592—1599, praeter alia opera, complures libros Iodoci Lorichii et Ioachimi Landolt (de quo v. infra, mon. 1518) typis descripsit. Fortasse horum alter Canisio Böcklerum commendavit (*Pfaff* [v. supra p. 214[1]], 19 33—34).

2326. CANISIUS **SOCIIS COLLEGII INGOLSTADIENSIS** Societatis Iesu. Friburgo Helvetiorum circa a. 1595.

Ex apographo (A) a P. *Iacobo Bidermann* († 1639) S. J. scripto et „AD COLLEGIVM INGOLSTAdianum Societatis IESV" inscripto, quod est in Cod. monac. „Keller, Can. 1" f. 53[a]—54[a]. Alterum apographum (B) saeculo XVII. scriptum exstat in Cod. monac. „Keller, Can. 3" f. 37. Epistulae particulam posui germanice in „Petrus Canisius" 294.

Collegium ab Ignatio per Canisium incohatum, dein in mediis difficultatibus per Bavariae principes mire amplificatum. Sociis eius curandum, ut et litterarum et pietatis studiis universitatem omnemque Bavariam adiuvent. Canisius Deo commendandus.

a) an *autogr.; 2 vv. sqq. sub versu addita sunt.* b) *Sequuntur vv.:* Nec diffitebor mihi propositum fuisse, ut opus uniuersum mitterem Antuerpiam; *quae C. oblitterasse vel oblitterare voluisse videtur. Sequitur* ut, *oblitt.* c) *Hoc v. supra versum scriptum est.* d) *Sequitur* nec praecipitem, *oblitt.* e) *Sequitur* non, *oblitt.* f) *Sequitur* ferre, *oblitt.* g) *Sic correctum est ex* ferre. h) *Sequitur* et illud inculca, *oblitt.* i) *Hoc v. supra versum scriptum est.* k) *Sequuntur 2 vv. obscurius scripta.* l) *Haec 2 vv. obscurius scripta sunt.*

[1] Gemperlin. [2] Ioanne Strasser: v. supra p. 370.
[3] Cf. supra p. 301. [4] Vide supra p. 375.

Immortali DEO summa sit gratia, cuius beneficio uestrum hoc Collegium fratres, ac idem totius prouinciae nostrae primarium seminarium[1] me uiuo ita coepit atque profecit, ut iusta plerisque nascatur admiratio, mihi uero singularis animi consolatio sentiatur. Non ignoro uarias in eo fundando mutationes, mirasque uicissitudines accidisse, donec a minimis ad maiora, et ab inferioribus ad altiora, quae nunc tandem apparent, paulatim perueniretur. Memini ego quae fuerit ueteris domus uestrae simplicitas, qui primi incolae ex urbe Romana missi, cum adhuc in uiuis esset, totius instituti nostri princeps et Author Ignatius, immortali etiam idcirco memoria dignus quod in IESV nomine[2] Collegij huius prima iecerit fundamenta[3]. Fateor me inter primos tres ab illo ipso delectos et missos fuisse Ingolstadium, ut uelut domicilij huius praecursores et anteambulones ac idcirco Theologiae Professores post insignem et celebrem Theologum Ioannem Eckium exhiberemus. Ego cum post Reuerendos Patres Claudium Iaium et Alphonsum Salmeronem alio missos istic diutius retinerer, multam saepe percepi consolationem spiritus indigno mihi promittentis, quod ea sequeretur optata benedictio quam deinde ac in uobis maxime completam esse res ipsa declarauit. Rogo igitur, Charissimi Fratres, ut bonorum authori omnium DEO de tanto rerum successu laudem et gloriam una mecum ex animo tribuatis. Ac primorum quoque Professorum gratam qualemcunque memoriam subinde renouetis. Meministis praeterea et semper memorare [?][a] debetis, quos quantosque Patronos et Fundatores Deus excitarit atque in hunc diem usque seruauerit, tres nempe inclytos uereque Catholicos Bauariae duces[4], qui de Nostris introducendis, alendis, atque promouendis fidam suscepere curam, suasque operas atque impensas non modicas ad condendum et augendum hoc ingens collegium munifice contulerunt. Viuant illi, ac perpetuo uiuant Christo Opt. Max. per quos procuratum factumque cernitis, ut collegium hoc maiorem in modum excreuerit, iamque confirmatum et ornatum maneat praeclaris aedificijs, scholis nouis, amplis prouentibus, neque paucis Professoribus et studiosorum[b] classibus, ac singularibus praeterea scriptoribus, Theologis atque concionatoribus. Vt hinc sane tum amicorum, tum aemulorum oculi nouo, et insolito uelut apparente[c] splendore non parum perstringi uideantur. An non mirabilis in uobis est Deus[5], quos humiliat et exaltat[6] dum priores et uarias collegij oppugnationes[7] tam specioso fine concludit, ut depulsis tenebris meridianam uelut

a) *Sic; corrigendumne* meminisse? b) *Sic recte B; A:* studiorum. c) a parente *A*.

[1] Annis 1596 et 1597 fratrum scholasticorum Societatis, qui theologiam audire debebant, magna pars Ingolstadii (reliqui Dilingae) degebant; qui philosophiam audire debebant, paene omnes Ingolstadii erant (* *Catalogi* Germaniae superioris a. 1596 et 1597. G. Sup. 44 f. 111[b] 113[a] 121[a]—122[a]).

[2] Act 3, 6; 16, 18; Phil 2, 10 etc.

[3] Cf. *Can.* I 297—398 563—598 686—727, et *Duhr*, Jes. I 53—65.

[4] Guilielmum IV., Albertum V., Guilielmum V.

[5] Ps 67, 36.

[6] Eccli 7, 12.

[7] De his cf. *Duhr* l. c. 56—62.

lucem habeatis, et uos sicut socij passionum aliquando fuistis, ita nunc laetae consolationis[1] participes esse pergatis, Christo nimirum in uobis uincente, qui per paupertatem et crucem ad tempus probat electos, et more suo humilia respicit in coelo et in terra[2]. Proinde si me seniorem audire dignamini, multiplicem collegij uestri profectum, uelut singulare coelestis Patris munus per serenissimos Bauariae Principes .D. Guilielmum .D. Albertum .D. Guilielmum iuniorem et D. Maximilianum[3] uobis commendatum ac traditum reuerenter conseruabitis, nec minus gratis ac indefessis studijs hoc coeptum opus exornare pergetis nihil intermissuri, quod ad Academiam istam prouehendam, et Ingolstadienses in spiritu adiuuandos, totamque Bauariam in fide ac pietate confirmandam spectare animaduertetis. Liberales artes, et sacra studia sollerter coniungite, alijsque coniunctim bona fide tradite, illud inprimis prouidentes ut pij ac religiosi non minus esse, quam periti ac docti ab alijs uideri studeatis. Sublimem perfectamque uocationem esse uestram etiam me non admonente intelligitis: precor autem ut in ea strenue[a] et constanter uos ipsos uincere, ac multis prodesse proximis non desinatis[b], alios quidem (ut ille dixit) de igne rapientes[4], et alios qui stant in uia regia[5] corroborantes, nec solum uerbo ueritatis[6], sed integritatis etiam exemplo praesentibus et absentibus propter nomen Domini praelucentes. Superest, ut me seniorem, ac iam inutilem fere senem uobis accurate commendem: quandoquidem crebris collegij uestri sacrificijs, precibus ac meritis me apud Dominum adiuuari, magisque in coelesti patria cum beatis glorificari plane confido in Christo IESV Domino nostro[7].

Ex extremis his litteris cognoscitur, eas datas esse eo tempore, quo Canisius viribus iam destitutus erat, neque tamen adeo male valebat, ut mortem sibi imminere sentiret. Quare eas circa a. 1595 datas esse censeo. Ex mediis litteris collegeris eo tempore Bavariam iam administrari coeptam esse a Maximiliano I.; quam administrationem ille circa initium a. 1595 suscepit.

2327. CANISIUS **SOCIIS COLLEGII S. J. MONACENSIS.**

Friburgo Helvetiorum circa a. 1595.

Ex apographo (A) a P. *Iacobo Bidermann* S. J. scripto, quod est in Cod. monac. „Keller, Can. 1" f. 55b—57b. Apographum aliud (B) idque saeculo XVII scriptum exstat in Cod. monac. „Keller, Can. 3" f. 38b—39b. Tertium (C), quod et ipsum est saeculi XVII et „Ad Collegium Monacense Societatis Jesu" a librario inscriptum est et ex Radero (de quo infra) exscriptum esse videtur, exstat in Cod. monac. „Lat. 1606" f. 175a—176b. Quartum, quod cum reliquis non contuli, est in P. *Matthaei Raderi* S. J. Historia bavarica, quae manu scripta asservatur Monachii in bibliotheca nationali, Cod. lat. 1220 p. 65—71. Epistulam primus edidit *Raderus* (R) 100—105.

a) *A perperam:* strenui. b) destinatis *A*.

[1] 2 Cor 1, 7. [2] Ps 112, 6.
[3] Maximilianum I., qui postea imperii princeps elector factus est.
[4] Iud 23. [5] Num 21, 22.
[6] Ps 118, 43; Eccli 4, 30; 2 Cor 6, 7; Eph 1, 13; Col 1, 5 etc.
[7] Rom 6, 23 etc.; v. supra p. 248[5].

Paullo post magna eius pars edita est a *Sacchino* S., Can. 316 318. Eandem posuit *Agricola* II 218 219. Gallice epistulam reddidit *Alet* 299 304. Partes eius posuerunt gallice *Michel* 402, italice *Giac. Fuligatti* S. J., Vita del P. Pietro Canisio, Roma 1649, 130 131, germanice *Riess* 505 506, *Duhr*, Jes. I 235, *Braunsberger*, Petr. Can. 294.

Collegii initia. Beneficia a Bavariae principibus collata et per Socios gratis animis recolenda. Guilielmi V. munificentia immerito vituperata. Collegii prosper successus Canisio a Deo promissus. Religio in Bavaria per Societatem instaurata. Ager bavaricus a Sociis diligenter excolendus.

Quoties anniuersarius dies recurrit, quem praesentatae in Templo Virgini Matri dicauit Ecclesia, equidem non possum uestri Collegij fratres non meminisse, quod eodem die per summam[a] summi DEI gratiam feliciter est incohatum[1]. Mihi sane iucundum est meminisse, quod illis initijs atque primitijs adfuerim coram, praesente tunc etiam patre Nicolao Lanoio primo Rectore, cuius uenerandi senis gratiosam charamque memoriam multis nominibus retinere debetis[2]. Nec sine uoluptate cogito huic collegio inde ab initio fauisse, multumque studuisse serenissimum[b] principem qui tunc florebat[c] Albertum[3] eiusque cancellarium insignem Dn. D. Simonem Eckium[d][4]. Per hos ambos[e][5] factum est, ut primi Collegae ac ueluti columnae ad hoc erigendum opus in urbe Romana expeterentur, ac uelut prima domus huius fundamenta suo loco posita publice parerent [?][f]. Proinde summo DEO gratias immortales ago, et a uobis itidem haberi par est, cuius egregio spiritu idem princeps afflatus hoc suum et uestrum collegium paterne complectens, haud modicis sumptibus et uarijs collatis beneficijs illud sibi curae esse monstrauit. Semel igitur ac iterum nouas construxit scholas[g] in quibus ampla studiosorum turba cum in literis bonis tum in uera pietate per nostros institueretur[6]. Curauit insuper apud D. Augustinum[7] nostrorum institui conciones et Sacramenta per illos populo administrari, ut Societatis nostrae munia Monachiensibus familiaria redderentur. Multum profecto debetis laudatissimo duci seniori Guilielmo[8], qui e nostris Theologos tres Ingolstadium ex urbe primum accitos clementer excepit. Plus debetis optimo eius filio et lectissimo quem dixi principi Alberto, utriusque collegij nostri Ingolstadiensis et Monachiensis egregio fundatori. Plurimum uero simul debetis eiusdem[h]

a) *Hoc v. non est apud R.* b) Illustrissimum *C R.* c) *In C R sequitur* Dominum. d) Dominum, Dominum Simeonem Thadaeum Eckium, Ioannis Theologi germanum *C R.* e) *In C R sequitur:* et maxime per Dominum Suicardum Guilielmo IV. ab intimis secretis, societati addictissimum. f) *Corrigendum esse videtur* apparerent, *quod est in C R.* g) classes siue scholas *C R.* h) *In C R sequitur* Domini.

[1] Incohatum est 21. Novembris 1559 *Can.* II 871.

[2] De hoc v. supra p. 51. [3] Albertum V. Bavariae ducem.

[4] Simonem Thaddaeum Eckium, iuris doctorem, praeclari illius Ioannis Eckii, qui praecipuus Lutheri adversarius fuit, fratrem ex patre.

[5] His accessit Henricus Schweicker, Alberti secretarius; cf. *Can.* II 9 15 110 902 etc. [6] Cf. *Can.* II 869 876; *Duhr*, Jes. I 183 185.

[7] In templo Patrum Eremitarum Ordinis S. Augustini *Can.* II 867 876.

[8] Guilielmo IV. Cf. *Can.* I 686 691; *Duhr*, Jes. I 53.

Alberti spectatissimo filio, et paternae pietatis simulque liberalitatis haeredi, eximioque Moecenati nostro[a] Guilielmo iuniori[1], qui in rebus uestris augendis et ornandis tot annis tam multa tentauit atque perfecit, ut complures non admirentur modo, uerum etiam ingenti eiusdem erga nos munificentia offendi quodammodo uideantur[2], quandoquidem nec suspiciunt neque cognoscunt[b] quod sit ingenium quae uis Christianae charitatis in optimo principe, quantamque ualeat zelus ardens domus DEI[3] in illis qui Constantinos, Theodosios, Carolos[4], Henricos[5] et similes Heroes alios ex animo aemulantur. Sed enim his relictis quae persequi odiosum est magis quam frugiferum, nostri profecto est muneris proprium Charissimi fratres ut hos praestantes Catholicorum principum animos, et coniuncta simul sacrarum rerum studia, raraque beneficia ex DEI spiritu et amore profecta, persaepe in mentem reuocemus, bonorumque omnium fontem Deum in illis et eorum inclyta familia praedicemus, tum nostra uota et studia eo strenue dirigamus, ut sanctis illorum desideriis magis magisque satisfaciamus, ac in primis ut quacumque ratione possumus de Bauarica messe excolenda domi ac foris bene mereamur. Siquidem qui tantos Heroas nobis adeo clementes ac propitios experimur, modis omnibus procurare debemus ut in Officijs nostris ac spiritualibus rebus in ipsorum agro seminandis nullum aut modum aut finem faciamus. Ego certe, ut hoc obiter addam clementissimo DEO gratias ago qui ante inchoatum uestrum Collegium me indignum[c] precantem singulari consolatione perfudit, et gratiose promisit, rerum uestrarum[d] successum fore felicem, hunc exitus postea comprobauit. dictusque[e] princeps Albertus uiua uoce simul et scripto testatus est cum affirmaret Societatem IESV in Bauaria sua ad Fidem Catholicam restaurandam ac promouendam plurimum contulisse[6]. Norunt et alij sapientes, publiceque fatentur post nostrorum aduentum, Diuinum cultum in Bauaria passim reflorescere, Ecclesiastica Sacramenta saepius ac religiosius exercitari[f], Religionem nouam obsolescere, ueterem uero magis magisque confirmari · Poenitentiae et Charitatis opera studiosius coli, maiorem studiorum bonorum curam in scholis haberi rectiusque passim iuuentutem Bauaricam, in fide et pietate catholica prouehi.

a) *In C R sequitur* Domino. b) nec agnoscunt *C R.* c) qui me . . . Collegium indignum *C R S.* d) nostrarum *C R S.* e) comprobauit. Dictus *C R S.* f) *Ita A B;* exerceri *S; C R minus recte:* excitari.

[1] Guilielmo V.

[2] Ita ordines Bavariae querebantur, aedificationes templi et collegii Societatis nimis esse sumptuosas. Atque Socii ipsi Guilielmum, frustra tamen, rogabant, ne collegium exstrueret tam magnificum (*Agricola* I 315—319; *C. M. v. Aretin,* Geschichte des bayerischen Herzogs und Kurfürsten Maximilian des Ersten I, Passau 1842, 305—310; *Sigm. Riezler,* Geschichte Baierns IV, Gotha 1899, 631 670—672).

[3] Ps 68, 10; Io 2, 17. [4] Carolum Magnum imperatorem.

[5] Henricum II. sive Sanctum, imperatorem.

[6] Albertus V. id testatus est v. g. in litteris Monachio 27. Iunii 1560 ad Iacobum Lainium praepositum generalem Societatis datis; quae sunt apud *Raderum* 96—99 et in „*Lainii* Monumentis" V, Matriti 1915, 113—115.

Haec ego citra ullam arrogantiam scripta sic dici et accipi uelim, soli ut Deo, et ueritati suus constet locus et gloria debita tribuatur utque magis fidum aliorum probatorum hominum testimonium comprobetur. Benedictus bonorum author Deus quod ego senex iamque[a] inter nostros omnes senior factus[1], non modo uideam, sed quodammodo gustem praesentes dulcesque fructus uestrarum manuum quos quotannis ex Monachiensi horto collectos depromitis, et compluribus fidelibus uere salutares esse monstratis[2]. Confirmet in uobis quod coepit princeps benefactorum Christus, ac proprium Societatis nostrae spiritum in uisceribus uestris augeat, ut non uestram quidem utilitatem, sed communem Bauarorum salutem ac profectum animarum, praesertim in Clero, populoque Monachiensi promouere pergatis. Quanto autem clementiores et[b] munificentiores erga uos habetis principes, tanto maiorem illorum meritis, eorumque praeclarae ditioni gratitudinem per uos exhiberi conuenit[c], ita ut Bauarorum animis in fide et uirtute prouehendis nihil anteponatis, Diuinae gloriae propagandae sedulo inseruientes. Charitatis legem auream Christus vobis eximie commendauit, sed et Paulus frequenter inculcauit : hanc ipsam Monachij et in reliqua Bauaria sic porro excolite, ut uiuenti[d] Deo multorum animas magis magisque lucrifaciatis, ac simul oues errantes[3] ad suum reducatis ouile. De me hoc unum reticere non possum et ualde uobis commendatum esse[e] cupio ut quamdiu nouum Collegium ac templum Diuo Michaeli sacrum durabit, senioris Canisij uestri non obliuiscamini talemque primum siue Fabrum siue architectum uestris sacrificijs et precibus Domino commendetis, ipsi laus et gloria sempiterna.

Tempus huic epistulae non est ascriptum. *Raderus* (99) tantum dicit, Canisium eam ad Socios monacenses „extremis vitae annis" dedisse. Quia autem Canisius infirmitatis et appropinquantis mortis suae, quam in epistulis annorum 1596 et 1597 saepe commemorat, in his litteris nullam facit mentionem, has circa a. 1595 datas esse conicio.

De Sociorum monacensium ecclesia S. Michaeli sacra testatur *Adalbertus Schulz*: Sie war „eine Hauptstätte des kirchlichen Lebens im älteren München": Die St. Michaels-Hofkirche in München. München 1897, 65.

2328. CANISIUS **SOCIIS COLLEGII S. J. PRAGENSIS.**

Friburgo Helvetiorum a. 1595.

Ex apographo (A) a P. *Iacobo Bidermann* S. J. († 1639) scripto et „AD PRAGENSE COLLEGIVM societatis IESV" inscripto, quod est in Cod. monac. „Keller, Can. 1" (de quo *Can.* I LVI—LVII) f. 54ª—55ᵇ. Alterum apographum (B), idque fere initio saeculi XVII. scriptum est, in Cod. monac. „Keller, Can. 3" (v. *Can.* I LV) f. 37ᵇ ad 38ᵇ. Tertium, saeculo XVII. scriptum, in Cod. monac. „Lat. 1606" f. 118ª—119ª est; quod cum ceteris non contuli. Epistulam primus a. 1614 edidit *Raderus* (R

a) atque *S.* b) ac *B C R S.* c) congruit *C R S.* d) inuante *C R S.* e) *Hoc v. non est in C R S.*

[1] Se Societatis provinciae Germaniae superioris „seniorem" esse scripsit Canisius Friburgensibus circa a. 1597; v. infra, ep. 2374.

[2] Hos Canisius imprimis ex collegii litteris annuis cognoscebat.

[3] 1 Petr 2, 25. Cf. Ps 118, 176; Is 53, 6.

71—75. Deinde a. 1616 magnam partem eius posuit *Sacchinus* (Sacch., Can. 314—315. Item has litteras vulgavit, contractas tamen et aliquantulum immutatas, *Python* 113 ad 116, et ex eo (iterum aliquantulum immutatas) *Io. Schmidl* S. J., Historiae Societatis Iesu Provinciae Bohemiae Pars II. Pragae 1749, 73—74. Gallice epistulam reddidit *Alet* 295—299. Epistulae partes ediderunt gallice *Michel* 402, italice *Fuligatti* 129—130, germanice *Riess* 505, *Kroess*, Can. 210, *Braunsberger*, Petr. Can. 294.

Praefatiuncula editoris: Cod. „Keller. Can. 1", quo ad has litteras edendas praecipue usus sum, vitam Canisii continet a P. *Iacobo Keller* S. J. circa a. 1612 compositam. In hac (lib. II, cap. „Gratitudo Canisii") *Keller* scribit: „Aiunt dantem obliuisci debere beneficia, accipientem semper meminisse. Canisius certe id enixe praestitit: neque enim sibj visus est vnquam satis gratus, etiam cum paria aut potiora redderet. Hinc in Bauaricam domum, primam Societatis nostrae in Germania susceptricem, atque Austriacam maximas stirpium, effusissimus eius calamus ad Socios, quos ad memoriam meritorum, abs tantis principibus profectorum, memorabilj facundia excitat, datis ad aliquot Collegia epistulis, quas ipsas animus est ad finem operis adscribere, vt lector per horrida mea fessus, sacra suauique eloquentia conquiescat, fiatque liber, si suo fine non potest saltem alieno bonus" (Can. 47 p. 33). *Raderus* praefatur: „Reperi in chartis Canisij Epistolam ad Socios Pragenses" etc. (f. 71[a]). Schmidl autem litteras, ut ipse ait, edidit transcriptas ex libro Petri Python: qui pro libertate, quam illius temporis scriptores sibi sumebant, litteras contraxerat earumque verba nonnulla immutaverat. Cum autem Keller, Rader, Sacchinus, quo anno Canisius scripserit, non dicant, *Python* (quem sequitur Schmidl) ait (p. 113), eum „duobus ante mortem annis" scripsisse; id quod ex fontibus domesticis haustum esse potest.

Socios pragenses hortatur, ut principibus austriacis reliquisque benefactoribus atque etiam sanctis ecclesiae pragensis collegiique sui patronis se gratos praestent, et ut vitae exemplis et animarum studio etiam de adversariis bene mereantur.

In IESV Christo saluete fratres[a], quotquot Pragae coniuncti degitis, ac in posterum degetis eodem Societatis uinculo colligati, ut meo desiderio atque uocationi uestrae satisfaciatis. Ac iusta quidem est ratio ut uos moneam de bonitate diuina praedicanda, qua mirabiliter effectum est, ut felicis memoriae Caesar Catholicus Ferdinandus, idemque Bohemiae rex inclytus hanc uestri collegij sedem posuerit, et per me indignum uoluerit aedificari[1]. Precor eundem fontem bonorum omnium, ut quotquot istic agitis, gratis animis agnoscatis, saepeque perpendatis istius accepti beneficij magnitudinem nullis uerbis explicabilem. Etenim haudquaquam leuis res est, Regium fundare et conseruare collegium in primaria Regni Bohemici vrbe, locoque commodo et celebri sumptibus non paruis extructum[b] illo tempore, quo Hussitarum, Lutheranorum, aliarumque sectarum uires in Bohemia immaniter desaeuierunt, nihilque minus, quam auitam pietatem, et Romanam Ecclesiam approbare uoluerunt. Peto igitur a uobis enixe fratres, ut siue uiuam ego, siue moriar, diu autem uiuere non possum in hac senili imbecillitate, uos gratam, et constantem patronorum et amicorum memoriam intime conseruetis, et eorum maxime, quorum praesidio, fauore, et studio collegium hoc

a) Patres *R.* b) *A perperam:* extructo.

[1] De collegio pragensi, a Ferdinando I, Romanorum rege (qui a. 1558 imperator electus est) a. 1555—1556 Canisii opera incohato cf. *Can.* I 545—650 762—773; *Kroess*, Can. 80—133; Böhm. Prov. I 13—223.

uestrum praeclare inchoatum, et huc usque defensum fuit[1], quicquid demum aduersarij molirentur, qui rerum uestrarum successibus multis modis inuidere et hostiliter obstrepere non dubitarunt. Potissimum uero Austriacae domus ac familiae regiae, qua uix ulla hodie in Europa splendet illustrior, memoriam uobis ac posteris ualde commendatam habetote, utpote per quam summo DEO uisum est, hanc exiguam Societatem nostram in Austriam et Bohemiam clementer inducere, et in ea humaniter sustentare, ut nouos in messe amplissima operarios exhiberemus, cum noxia zizania electum triticum passim suffocarent[2]. Bene sit Austriacis fundatoribus, quorum excellenti pietati, ac perpetuae munificentiae tam multa debemus[3]. Aeternum Christo uiuant omnes, qui suis consilijs ac subsidijs hoc uestrum non obscurum seminarium instituere, prouehere, atque confirmare difficillimo tempore dignati[a] sunt, et dignantur etiamnum. Quanquam[b] non minus gratitudinis illis vos decet rependere qui omni sunt exceptione maiores in[c] coelo patroni et amici, fidisque suffragijs res uestras stare hactenus, atque durare certissimum habeo. Quare gratiosa et frequens apud vos memoria uigeat Diui Alberti[d] primi apud Bohemos Apostoli, Diui Wenceslai Principis ac Martyris, Diui Clementis patroni uestri Apostolici, Diui Sigismundi regis Burgundici[4], ac aliorum quoque sanctorum, quorum nomina et merita, ut sane iustum est, in Pragensi Ecclesia tot saeculis celebrantur, et quorum efficaci intercessione multa uobis uestrisque conatibus diuinae gratiae munera, mihi credite, subinde communicantur. Postremo etiam atque etiam rogo, ut quotquot apud D. Clementem habitatis, vocationis uestrae memores concreditam uobis vineam Bohemicam magni faciatis, uestramque messem illustri loco Pragae sitam indefesso studio pergatis excolere Christo auxiliante. Vita sit uobis irreprehensibilis, in qua praeclarum luceat specimen sanctae paupertatis, perpetuae continentiae, obedientiaeque religiosae. Peculiariter autem patientiam et charitatem uestram non catholici modo, sed etiam catholicorum hostes, f a l s i q u e f r a t r e s[5] re ipsa comperiant, nomen IESV uidelicet per uos magis magisque glorificari. Etenim non solum

a) *Sic B R; A minus recte:* conati. b) *Sic A B;* Quamobrem *R.* c) ex *R.* d) *R ad v.* Alberti *notat in margine:* Adelberti; *Sacch.:* Adalberti.

[1] Ex horum numero fuisse imprimis Henricum Scribonium (Pišek) archiepiscopatus pragensis administratorem ecclesiaeque metropolitanae praepositum, Antonium Brus de Muglitz, Crucigerorum pragensium magistrum (qui postea episcopus vindobonensis et archiepiscopus pragensis fuit), Ferdinandum archiducem regni bohemici administratorem (qui postea cum nomine Ferdinandi II. princeps Austriae superioris fuit) cognoscitur ex fontibus supra (p. 388[1]) indicatis.

[2] Cf. Mt 9, 38; 13, 24–30; Lc 10, 2.

[3] Ferdinandus I. etiam collegia vindobonense et oenipontanum, Carolus archidux princepsque Stiriae collegium graecense, Magdalena archiducissa cum Helena sorore halense fundaverant.

[4] De SS. Adalberto, Wenceslao, Sigismundo v. *Can.* I 553[3]. Collegium pragense institutum erat in monasterio ecclesiaque S. Clementi I († 101) Romano pontifici, Petri et Pauli apostolorum discipulo, sacris. [5] 2 Cor 11, 26; Gal 2, 4.

ad docendum et concionandum, sed etiam ad crucem ferendam et ad bene merendum de omnibus uos istuc uocatos ac missos esse nunquam non meminisse debetis. Vigeat igitur in omnibus ille quem Pater noster Ignatius inprimis postulat, uigeat inquam zelus feruens animarum, quo praediti ea quae Christi sunt, sinceris procuretis animis in hoc diligenter intenti, ut oues errantes ouili suo, ueroque pastori quoad eius fieri potest in agro Bohemico restituantur[1]. Amen. Amen. Seniorem Canisium qui primum Collegij uestri[a] lapidem iecit, in Christi nomine uestris et sacrificijs et precibus Domino commendetis quaeso.

2329. MICHAEL EBERLIN, Societatis frater scholasticus, CANISIO. Monachio initio a. 1595.

De duabus epistulis ab Eberio ad Canisium datis vide Canisii litteras 8. Maii 1595 datas, per quas hic Eberio respondit.

Michael Eberlin (Eberle, Eberius) Svacio (Schwaz, urbs tirolensis) ortus, in Societatem, cum 21 annos natus esset, intraverat. Annis 1591—1593 Friburgi Helvetiorum praeceptorem in collegio egerat. Anno 1594—1595 Monachii casibus conscientiae studebat. Postea singularem sibi laudem comparavit diligentia in sacramento poenitentiae administrando. Ita unico fere triennio Ottingae Veteris (Altötting) 20,030 confessiones, Oeniponte quinque annis plus 80,000 excepit. Mortuus est Oeniponte 26. Februarii 1618 (* *Catalogi* Germaniae superioris, in G. Sup. 44 f. 78[b] 81[b], 91[b] 95[a]; „Elogia", in Cod. „Iesuitica, Fasc. 11 No 196 1/2", qui est Monachii in archivo maiore reipublicae bavaricae, p. 39).

2330. P. IOANNES HEIDELBERGER S. J., praeceptor in contubernio S. Michaelis monacensi, CANISIO. Monachio m. Ianuario 1595.

Vide litteras 8. Maii 1595 ad Heidelbergerum datas, per quas ei Canisius respondit.

Ex his litteris colligi potest, *Heidelbergerum* Canisio praeter alia haec scripsisse, quae in collegii monacensis * *Litteris* annuis anni 1595 narrantur: A discipulis Societatis „supplicatio inusitata ad Sepulchrum Domini in Aede nostra exstructum hoc anno feliciter inchoata: singulis scholis ordine per uices redituro hora conueniens assignata. Exibant a suo quisque loco saccis atratis tecti, quod ante Congregationum fuit proprium, ne agnoscerentur de facie, praelatis facibus, ibique tempus sibi attributum uel genuflexi, uel in terram proni, uel in Crucis formam expansi religiose admodum consumpserunt, donec recentes fessis succederent. Et quo facilius, maioreque cum fructu morarentur, argumenta meditationum ex pio quodam libello praelegebantur". Quod ad sodales marianos attinet, „vespere Parasceues cenotaphia in honorem Christi erigi solita de more in multam vsque noctem inuisa, longissima serie eorum qui grauissimas cruces humeris, nudis plerique pedibus, et alta niue circumtulere, uia tota innumeris facibus illustrata. Ad sepulchrum nostrum continuae pene diuerberationes" (ex apogr. eiusd. fere temp.: Cod. „I 45" p. 35—36).

2331. MARCUS VELSERUS IUNIOR, reipublicae augustanae consul, CANISIO. Augusta Vindelicorum circa m. Aprilem 1595.

Epistula perisse videtur. De qua vide litteras 13. Iunii 1595 datas, per quas Canisius Velsero respondit.

a) *R et Sacch. minus recte:* nostri.

[1] Cf. Ps 118, 176; Is 53, 6; Io 10, 16; 1 Petr 2, 25.

Una cum hac epistula Velserus, ut ex Canisii litteris, quas dixi, intellegitur, Canisio misit librum a se sine nomine suo elegantissime editum et clero augustanae ecclesiae dedicatum: „DE VITA | S. VDALRICI | AVGVSTANORVM VINDELICORVM EPI- | scopi quæ exstant. | *Pleraque antehac nunquam edita.* | AVGVSTÆ VINDELICORVM | *ad insigne pinus.* | Cum priuilegio Cæsaris. | Anno MDXCV." [1] Item Canisio misit „effigiem" Sancti Gualfardi Augusta Vindelicorum orti, ephippiorum artificis, qui per multos annos modo Veronae, modo in solitudine prope Veronam orationis assiduitate fervoreque, poenitentiae operibus, miraculis clarus vixerat et Veronae a. 1127 vita cesserat. Velserus vitae huius Sancti notitiam consecutus esse videtur codice aliquo bibliothecae suae, qui illam ex codice aliquo veronensi acceptam continebat (*Acta* Sanctorum Aprilis, Tomus III. Antverpiae 1675, 828).

2332. CANISIUS MICHAELI EBERLIN, Societatis fratri scholastico in collegio monacensi degenti. Friburgo Helvetiorum 8. Maii 1595.

Ex apographo (A) saeculo, ut videtur, XVI. exeunte vel XVII. scripto, quod est Monachii in archivo maiore reipublicae bavaricae, Jes. in gen. Fasc. 13, No. 214. In eodem fasciculo numeroque, p. 14—15 libelli non conglutinati, est alterum apographum (B), saeculo XVII. scriptum. Tertium apographum (C), et ipsum saeculi XVII., est in Cod. monac. „Lat. 1606" f. 163b—164b.

Socii in Gallia alibique vexati. Calamitates publicae. Bavari poenitentiam agentes. Valesiani. Collegium friburgense. Eberlini studia litterarum.

†

Pax Christi nobis aeterna dilecte frater Michaël.

Binas abs te [2] litteras mihi gratas accepi, quibus veterem erga me amorem tuum declaras, et de vestro collegio alijsque rebus nos certiores reddis. Benedictus Deus, qui seruos suos non solum prosperis, sed etiam aduersis exercet, nostramque patientiam domi ac foris ad salutem nostram vtiliter [a] probat [b]. [Quam quam in Gallia nostri sunt magis miserandi, qui e suis eiecti sedibus exulare coguntur, nec satis norunt quo se recipiant tandem.] Sed et cum Burgundionibus nunc seuere agitur, vt Burgundica collegia se tueri nequeant: hinc e nostris alij Bruntrutum, Lucernam, Friburgum, et in alias ditiones confugiunt, vbi sese alant atque consolentur in his aerumnis publicis [3]. Atque vtinam haec malorum initia non maiores calamitates trahant secum. Flagellat nos Deus vti commeruimus, iubetque omnes prudentes vocationi suae viciniora sectari, ac poenas meritas amoliri, quae non sinunt nos vllo certo in loco consistere. Terrent nos multis in locis daemones visibiliter. Irruunt magno impetu crudeles Turcae, seditiosi contra principes insurgunt subditi, aduersus nostros Caluinistae conspirant, nullus aut modus aut finis est haereticorum in bona et iura Ecclesiastica desaeuientium. Et miramur adhuc, Deum tot modis offensum, nobis et Europaeis [omnibus] [?] [c] aduersari, et horrenda iracundiae suae inditia

a) uiriliter *B*. b) *Sententia sequens, quae in A B deest, suppleta est ex C*. c) *Ut hoc v. vel simile, velut* reliquis *vel* aliis, *suppleatur, ipsa haec sententia exigere videtur.*

[1] Librum vidi Romae in bibliotheca collegii graeci (I. 4 XX).

[2] Vide supra p. 390.

[3] Anno 1595 Societatis sodales abire coacti sunt Lugduno, Biturigo (Bourges), Niverno (Nevers), Auga (Eu), Billomo (Billom), Rotomago (Rouen), Divione (Dijon); *v. Fouqueray* II 412—427.

terra marique prodere? Gaudeo interim non paucos in Bauaria comperiri, quibus oculos aperuit Deus, vt se suaque peccata videant ac deplorent, vtque Niniuitas[1] veris susceptae poenitentiae fructibus aemulentur. Nostrum erit verbo et exemplo alios incitare, vt greges perfecte poenitentium augeantur, qui diuinam offensam Germanis[a] auertere et singularem impetrare gratiam possint. Quod ad Valesianos attinet, praecipui e schola nostra in patriam redierunt, et haud scio, an reuera sint nobis conciliati[2]. Satis multi se nobis adiungunt, litteras et cantum amant, Marianam Sodalitatem exornant, et Magistrum Ferdinandum concionantem vtiliter audiunt[3]. Speramus noui collegij fabricam hoc anno complendam, nouaeque scholae primordia[b] fore felicia: neque solum Germanicae, sed et Gallicae linguae concionatores diu desideratos exhibemus[4]. Vide igitur, vt pergas frater, huic fauere collegio, et fausta illi cuncta precari, vt benedictionem Domini vberem sentiamus. Ignoscat p a t e r m i s e r i c o r d i a r u m[5], quod mihi potius viuere, quam seruire alijs queam in hac aetate prouecta: quamobrem vt pro Canisio tuo saepe Dominum inuoces rogo. In studijs tuis velim te versari sedulo, vt ad sanctum sacerdotium idoneus accedas, ac de multis postea confessuris bene merearis. Nec dissuaderem, si D. Hieronimi ac Ciceronis epistolas tibi familiares redderes, tuumque in scribendo stilum libenter exerceres. Bene vale frater, et salutem ex me imperti R. P. Rectori, P. Peutingero[c], P. Vendelino, P. Torrentino, P. Phedero[d], alijsque sacerdotibus ac fratribus, et in his Bartholomaeo Weldensi[e 6], quorum ego precibus me accurate commendo.

Friburgi Heluetiorum .8. Maij. Post Christum natum Anno 1595.

In Christo tuus Petrus Canisius.

Charissimo in Christo Fratri Michaeli Eberio Societatis Iesv Dilingae[f].

a) a Germanis *C.* b) exordia *B.* c) *Sic recte C.*; Pentingero *A B.* d) *A B C haud recte:* Rhedero; *v. infra, adnot. 6.* e) *Ita C; A B minus recte:* et in his Bartholomaeo Weldensi, alijsque sacerdotibus ac fratribus. f) *Lapsu calami vel memoriae Canisius hoc v. (quod est in A B C) pro* Monachii *posuisse videtur; certe Socii omnes, quos C. in extrema hac epistula iubet salutari, Monachii habitabant; cf. infra, adnot. 6.*

[1] Cf. Ion 3, 4—10; Mt 12, 41; Lc 11, 32.

[2] In **Litteris* annuis collegii friburgensis 25. Novembris 1595 datis narratur: „Lues oborta, praesertim cum tres, e Scholis, intercepisset, et latius, longiusque in ditiorum vico serpens, grassaretur, non modo Ciuium filios, sed etiam Conuenas celeri fuga dissipauit. Spes etiam, cum Gymnasij noui, tum professionis Rhetoricae et conscientiae casuum, ut spargebatur, plerosque allexerat eminus, cominus allexerat, verum operarum fabrilium tarditas et procrastinatio, ut nostram in Collegium immigrationem, sic istorum inhibuit expectationem" (ex apogr. eiusdem temp.: Cod. „I. 36" f. 67).

[3] „P. Ferdinandus Crendelius · professor humanitatis · concionator in aula scholarum · corrector [lectionis] mensae": *Catalogus* friburgensis anni 1595 (G. Sup. 44 f. 106ᵃ).

[4] Gallicas contiones Socii „in templo S. Francisci, absente et rogante Monasterij Praefecto", habuerunt: *Litterae* annuae, de quibus supra, adnot. 2 (l. c. f. 68ᵃ).

[5] 2 Cor 1, 3.

[6] PP. Simoni Hiendl, Carolo Peutinger, Wendelino Völck, Caspari Torrentino, Georgio Phaedero, Bartholomaeo Weldensi (**Catalogus* monacensis a. 1594 [exeunte, ut videtur] scriptus, G. Sup. 44 f. 94ᵇ—95ᵃ).

2333. CANISIUS **P. IOANNI HEIDELBERGER S. J.**, in collegio monacensi praeceptori. Friburgo Helvetiorum 8. Maii 1595.

Ex autographo (2°; 1 p.; in p. 2 inscr.), quod est Monachii in archivo maiore reipublicae bavaricae. Jesuitica in gen. Fasc. 13. No. 214. Inscriptio alia manu posita est; cui tertia manu antiqua ascriptum est: „Ex Archivo" provinciae Germaniae superioris?). Apographum saeculo XVII. vel XVIII. scriptum exstat in Cod. monac. „Lat. 1606" f. 122.

P. Menginum laudat. Heidelbergerum infirmum consolatur. Monacensium pietas. „Xenia" Canisio oblata. Variae Sociorum res. Supellex sacra a Guilielmo V. donata. Landishutani. Canisius morti se parat.

†

Pax Christi nobis aeterna dilectiss. frater.

Tarde sunt mihi redditae, quas Januario mense dedisti. Christo aeternum uiuat bonus Pater Dominicus praeclare meritus de nouitijs, collegio, principibus atque aulicis, ac tandem ante obitum suum repuerascens [1]. Reddat diuina pietas collegio uestro fidos operarios, quoniam P. Guilhelmum, P. Casparum, P. Dominicum his annis amisistis [2], ac peritis idoneisque illorum successoribus indigetis. Ego sane illorum felicitati possum inuidere, quod in hoc luto relinquar inutilis et miserabilis senex, illique iuniores mihi praeripiant optandam benedictionem [3]. Verum inscrutabilia sunt iudicia Domini [4] siue uiuamus, siue moriamur [5]: hoc unum exquiramus, ut aduentus Domini [6] nos paratos offendat. Doleo sane uicem tuam, qui tanto gratior esse pergis coelestibus spiritibus, quanto maiores molestias subinde sustines cum aerumnosis Adae filijs [7] in hac ualle miseriae. Benedictus Deus, qui hac diuturna et graui cruce tuam exercet patientiam, et purgat animam, spiritumque praeparat ad beatam immortalitatem. Diuina illius uoluntas fiat [8], quae semper sancta est, et agemus aliquando gratias tam fido et clementi medico ad profectum nostrum omnia dispensanti. Non leue tibi certamen adferunt excussi dentes, premunt articulorum dolores, nec desunt acerbae distillationes capitis, ut nec manus, nec pedes officium facere possint. Deum certe precor, et per alios imploro, ut suam afflicto tribuat consolationem, tuamque acerbitatem in hoc morbo mitiget ac superet. Fiat tibi frater secundum fidem tuam [9], quandoquidem nostris precibus tantopere fidis. Valde nobis placuerunt, quas scribis de Monachiensibus in Quadragesima et post pascha se praeclare gerentibus: confirmet

---

[1] P. Dominicus Menginus (cf. *Can.* II 151[3]), qui Monachii rector collegii, magister noviciorum, confessarius Guilielmi V. ducis, Annae Austriacae matris eius, Renatae Lotharingae uxoris eius etc. fuerat, Monachii 12. Aprilis 1595 mortuus est (G. Sup. 44 f. 109[b]).

[2] P. Guilielmus Elderen (cf. *Can.* II 607[2]; VII 612) 21. Octobris 1592 Monachii vita functus est („Defuncti in Collegio Monacensi Societatis Iesu", Cod. lat. 1973 bibliothecae nation. monacensis, f. 1[a]). De P. Gasparo Obergasser v. supra p. 373[2].

[3] Cf. Gn 27, 36. [4] Cf. Iob 5, 9; 37, 5; Ps 35, 7; Rom 11, 33.

[5] Rom 14, 18. [6] 1 Cor 1, 8; 1 Thess 4, 14; 1 Tim 6, 14; Iac 5, 7 8 etc.

[7] Gn 11, 5; Dt 32, 8; Eccle 3, 21; Eccli 40, 1; Ier 32, 19.

[8] Cf. 1 Mach 3, 60; Mt 6, 10; Act 21, 14 etc. [9] Mt 9, 29.

Deus hanc singularem illorum pietatem, quam Lanshutani, ut spero, magis magisque pergent aemulari, praesertim talem Principem[1] et Decanum[2] adepti. Tuis uero studiosis ingentes ago gratias, quod me suis xenijs honorarint, meamque causam Deo Opt. Max. pro sua pietate commendarint[3]: fuit hoc quidem illorum officium mihi pergratum, praesertim in hac aetate prouecta, quae me ad mensam priuatam extrudit. Ex me saluere iubeas quaeso P. Peutingerum, cuius repetitis concionibus ex animo gratulor[4], P. Torentinum, P. Vendelinum, P. Baptistam[a][5], Patresque alios omnes collegij uestri, ac inprimis R. P. Rectorem[6]. Quoniam uero Gallia et Burgundia inter se misere conflictantur, et praesens annus non leues aerumnas toti Europae interminatur, Diuinam iram nobis placare nitamur. Exspectamus hoc loco non solum R. P. Prouintialis, sed et P. Visitatoris[7] aduentum, pluresque venturos fratres ex Burgundia, licet in hospitio satis angusto versemur. Altaris ornamenta, quae nobis gratiose donauit Sereniss. Princeps[8], Constantiae multo iam tempore asseruantur: nescio quando huc adferenda, ijsque acceptis iustas tanto Patrono gratias agemus. Tueatur Deus optimam Ducissam Renatam, et Principem Maximilianum, ut felix iaciat fundamentum collegij Landtsutani, quod loco salutari et abundante messe in Domino perfruatur. Salutant Charitatem tuam P. Rector, P. Ilsingus[9] et reliqui domestici, seque uestris commendant precibus in Domino. Impedit me sane prouecta senectus, ut inutilis fere redditus alijs, mihi seruire cogar, ingressus hodie annum uitae meae 74, in quo vtinam collectis totius aetatis sarcinis, me digne praeparem ad Christi aduentum, tuis et aliorum precibus cooperantibus. Bene in Christo uale frater. Friburgi 8 Maij 1595.

Adiunctum imagunculum boni consulas rogo.

Tuus in Christo frater P. Canisius manu propria.

a) *Huius nomen a C. in margine additum est.*

[1] Ex Canisii verbis, quae paullo inferius ponentur, aliisque rationibus conicio, Maximilianum Guilielmi V. ducis filium natu maximum, qui m. Februario a. 1595 Elisabetham Lotharingam duxerat uxorem, Landishuti (Landshut), quae Bavariae inferioris caput erat, sedem fixisse vel figere voluisse, perinde ac Guilielmus eius pater, antequam regnare coepisset, cum Renata uxore in arce illa landishutana, quae Trausnitz vocatur, habitaverat.

[2] Nescio num significetur Georgius Riedel, capituli SS. Martini et Castuli decanus, qui constanti industria sua effecit, ut anno tandem 1629 collegium landishutanum inchoari posset (*Kropf* IV 480, n. 692).

[3] Heidelberger erat „professor syntaxeos maioris et praefectus" in „conuictorio S. Michaëlis" (G. Sup. 44 f. 95ª 103ᵇ).

[4] P. Carolus Peutinger in novo illo magnificoque Societatis templo S. Michaelis contionatorem agebat (G. Sup. 44 f. 94ᵇ 103ª).

[5] Caspar Torrentinus confessarius Guilielmi V. ducis et Renatae coniugis, Wendelinus Voelck „regens" convictorum, Io. Baptista Confluentinus, „praefectus pauperum studiosorum" erat (G. Sup. 44 f. 94ᵇ 104 109ᵇ).

[6] Simonem Hiendl. [7] Ottonis Eisenreich et Pauli Hoffaei.

[8] De sacra hac supellectili, a Guilielmo V. Canisio missa, v. infra, monum. 1550.

[9] Petrus Michael et Sigismundus Ilsung.

† Reuerendo Patri in Christo, Johanni Heidelbergero, Societ. Jesv. Monachij.

2334. MICHAEL EBERLIN, Societatis frater scholasticus, CANISIO.
Dilinga circa m. Maium 1595.

Vide Canisii litteras 13. Iunii 1595 ad Eberlinum datas, per quas Canisius illi respondit (infra, ep. 2338).

„In Conuictorio: . . . Michael Eberlin · praefectus Minimorum · studiosus casuum conscientiae": * *Catalogus* dilinganus anni 1595 (G. Sup. 44 f. 102[b]).

2335. CANISIUS **MAXIMILIANO I.** Bavariae duci.
Friburgo Helvetiorum circa m. Maium 1595.

Vide Maximiliani litteras 8. Iulii 1595 datas, per quas hic Canisio respondit (infra, ep. 2340).

Maximilianus I. (v. supra p. 256[5]) sodalitati marianae non solum nomen dederat, sed etiam omnium congregationum per Germaniam conditarum „praefecturam generalem" susceperat. Patriam is ingenti aeris alieni mole levavit et exercitu insigni munivit. A „Liga" catholica Germaniae electus est dux. Ferdinandum II. imperatorem in funesto illo „bello triginta annorum" strenue adiuvit. Magnam Palatinatus partem imperio suo subiecit. Id assecutus est, ut principis electoris dignitas a Palatinis ad domum suam transferretur. Societati complura constituit collegia.

2336. CANISIUS **OCTAVIANO SECUNDO FUGGERO** comiti kirchbergensi, caesaris consiliario, reipublicae augustanae duumviro.
Friburgo Helvetiorum 8. Iunii 1595.

Ex libro: „Briefe aus allen Jahrhunderten der christlichen Zeitrechnung. Gewählt, übersetzt und zur Belehrung und Erbauung seiner Mitchristen herausgegeben von *J. M. Sailer.* Fünfte Sammlung", München 1804, 119—120.

Praefatiuncula editoris: Ioannes Michael Sailer (1751—1832), Societatis Iesu usque ad eius suppressionem sodalis (1770—1773), deinde philosophiae et theologiae in academiis ingolstadiensi, landishutana, dilingana professor, episcopus denique ratisbonensis, vir pietate, effusa in omnes charitate, plurimis libris ad fidem defendendam et illustrandam editis clarus, a. 1804 in corpore epistularum a se selectarum et germanice redditarum posuit litterarum canisianarum partem, quae infra ponetur, atque sic ei praefatus est: „Fragment aus einem Briefe des Petrus Canisius, S. J., an den Octavianus Secundus Fugger, Baron in Kirchberg und Weissenhorn, Duumvir der Stadt Augsburg. Dieses Fragment ist in einem geschriebenen lateinischen Gebetbuche dieses Octavianus Fugger vom Jahre 1598, auf dem ersten Blatte desselben Gebetbuches eingeschrieben. Graf Joseph Fugger, von Glött, der itzt regierende Graf, bekam es im Jahre 1796 als ein Andenken von dem Bischofe zu Speyer, der unlängst in Passau starb. Der Brief ist datirt vom 8 Junius 1595 zu Freyburg in der Schweiz." Canisius Fuggero latine, non germanice scripsit. Id et ex Saileri verbis, quae posui, colligi potest, et ex germanici sermonis genere, quod in litteris infra ponendis apparet, intellegitur. Octavianus II. Fugger, Canisio iam dudum notus (cf. *Can.* V 342; VI 386) *litteris Roma Kalendis Octobribus 1585 datis a *Claudio Aquaviva* Societatis praeposito generali propter „perpetuam in Societatem nostram voluntatem et merita cum alia, tum quod erectionem istius Collegij nostri Augustani tam studiose promouerit et adiuuerit", omnium bonorum spiritualium Societatis particeps effectus erat (ex litteris archetypis, quae sunt Augustae in archivo fuggerico, Urkunden 90, 6). Anno 1594 constitutus erat alter ex duumviris („Stadtpfleger"), penes quos summa reipublicae augustanae administratio erat (*A. Stauber,* Das Haus Fugger, Augsburg 1900, 140; *Langenmantel* Anh. 1).

Fuggerum hortatur, ut rempublicam augustanam iuste et religiose administret atque in angustiis Dei auxilium imploret.

— — Eure Weisheit fahren indeß, wie ich zuversichtlich hoffe, fort, das Regierungsamt, das Sie auf sich genommen haben, mit unbesiegtem, frohthätigem Gemüthe zu verwalten; den Eifer für Gerechtigkeit gegen alle offenbar darzuthun; die Frommen wider die Anfälle der Bösen zu schützen; die katholische Religion überall zu fördern; dem, was geistlich und ewig ist, vor allen eiteln und zeitlichen Dingen den Vorzug zu geben — das heißt — in seinen Amtsgeschäften Gott mehr, als die Welt zu respectiren.

Wenn große Leiden zwischen ein kommen, wie denn dieser Acker dem, der ihn bauet, solche Dörner zu bringen pflegt: so wird es am beßten gethan seyn, mit dem Könige David seine Zuflucht zum Gebete zu nehmen, und sich vor dem Hocherhabnen, der auf die Niedern herabsieht[1], in aller Glaubensfülle zu erniedrigen. Auch uns sollen wir es gesagt seyn lassen, was dort gesagt ist: „Habe deine Lust an dem Herrn, und Er wird dir thun, was dein Herz begehrt: empfiehl Gott deine Wege, und hoffe auf Jhn, und Er wird es wohl machen[2]: die Gerechten haben viel zu leiden, aber der Herr wird sie aus allen Leiden erlösen:[3] denn Er ist der treue, mächtige Hüter und Schützer aller Bedrängten[4]." — —

Canisium Octaviano huic Secundo litteras misisse testatur etiam *Raderus* 189.

2337. CANISIUS **MARCO VELSERO IUNIORI**, reipublicae augustanae consuli. Friburgo Helvetiorum 13. Iunii 1595.

Ex apographo saeculo XVII. scripto et „1595. Ad Marcum Welserum Consulem Augustanum" inscripto. Cod. monac. „Lat. 1606" f. 167. Epistulam primus edidit *Raderus* 190—193. Gallice eam reddidit *Alet*, scribens eam „à Jacques Rembold, magistrat d'Augsbourg" datam esse.

Eum laudat, quod S. Udalrici vitam e tenebris eruerit. Baronii Annalibus progressum faustum precatur. Velseros monet, ut patriae saluti consulant. Marcum ad cultum S. Gualphardi augendum excitat.

Pax Iesu Christi nobis aeterna.
magnifice Domine Consul.

Prudenter factum arbitror, quod sit uisum Augustano Senatui, ut ad consularem dignitatem deligereris, eamque tibi et huic inclitae Reipublicae salutarem fore confido[5]. De literis tuis ad me humaniter scriptis gratias ago, quibus et munus egregium adiunxisti uitam nouam uiri Sanctissimi Vdalrici[6] eamque typis excusam eleganter Augustae, ubi antea nullus, uel exiguus erat usus chalcographiae[7]. Ea res auget

[1] Cf. Dt 26, 7; Ps 30, 8; 137, 6. [2] Ps 36, 4 5. [3] Ps 33, 19.
[4] Cf. Ps 17, 3; 26, 1; 32, 20; 36, 39.
[5] Cf. supra p. 377 379. [6] Vide supra p. 391.
[7] Augustae ars typographica exeunte saeculo XV. et ineunte XVI. valde floruerat, a tertio vero decennio saeculi XVI. magnopere defecerat lapsaque erat (*Janssen* I[19 20] 13 17; VII[1 12] 617 618; *Friedr. Kapp*, Geschichte des deutschen Buchhandels bis in das siebzehnte Jahrhundert, Leipzig 1886, 126 134).

nobis fiduciam fore, ut Catholicismus paulatim istic efflorescat, Deo Opt: Max: auxiliante. Nec dubito fructum ex hac hystoria prodituram, quae non Augustanos modo, sed exteros etiam uarijs de rebus utiliter moneat ac instruat. Suo palato seruiant homines delicati, tuum ego iudicium probo, quod ueterem uitae huius editionem bona fide seruaris, nimirum ut uenerandae antiquitati suus locus honosque constaret, ac uera potius, quam diserta in lucem prodirent[1]. Atque utinam plures id genus historiae de Sanctis et Antiquis Germaniae nostrae pastoribus ac Episcopis euulgarentur. Optamus Antuerpiae typis excudi, quod promissum fuit opus de Diuis Belgicis[2], multoque magis desideramus absolui, non modo sextum tomum, sed integrum quoque opus C. Baronij uenerandi Senis, quem diuina bonitas nobis et Ecclesiae diu sospitem conseruare dignetur[3]. Quum ad illum Romam scripseris, reuerenter ex me salutetur, quaeso. In illo, et per illum perficiat Christus quod egregie coepit ad communem aedificationem Ecclesiae[4] suae. Verum auguror fore, ut posterior Annalium pars tanto illi plus negotij adferat, quanto frequentius tractandae fuerint controversiae non leues, quas petulanter satis inijciunt aduersarij pro suis Caesaribus pugnantes mordicus, et ad Pontificum inuidiam cuncta detorquentes.

Rogo iterum ut Magnificum Dominum Joannem Velserum et Dominum Marcum[5], aliosque uestrae familiae Patricios, amanter ex me salutare digneris. Amaui et amabo in illis praeclaram catholicae fidei constantiam: agnosco simul ueterem illorum erga me beneuolentiam et humanitatem, quae gratam et iucundam memoriam, illorum refricat mihi, simulque ad Deum pro iis inuocandum calcar addit. Pergant obsecro, suae uocationi in timore Diuino satisfacere, suaeque Patriae hominibus[a] opitulari, tum de Augustanis hoc difficili tempore, quo Deus iratus peccata nostra castigat, bene mereri contendant. In Christo Jesu bene uale, Magnifice Domine, cum tota familia tua et me senem

a) hominibusque *apogr.*

[1] Laudem, quam Canisius Velsero tribuit, postea *Caesar* quoque *Baronius* cardinalis (Annales Ecclesiastici tom. X, Coloniae Agrippinae 1603, 799, in a. 924) et *Ioannes Pinius* S. J. hagiographus bollandianus (Acta SS. Iulii tom. II, Antverpiae 1721, 97) ei tribuerunt et historici recentes confirmarunt (ut *G. Waitz,* Monumenta Germaniae historica, ed. *Georg. Pertz.* Scriptorum Tomus IV, Hannoverae 1841, 378—381, et *Alfr. Schröder* in „Kirchenlexikon" XII 218). Velserus enim scriptum illud, quod praecipuus fons est vitae S. Udalrici, vitam dico cum narratione miraculorum a Gerardo clerico augustano (quem ipse „auctorem incerti nominis" vocavit) rudi quidem sermone, sed historica fide inter a. 982 et 992 scriptam, e tenebris eruit, tribus usus codicibus monasterii benedictini SS. Udalrici et Afrae; addidit vitas a Gebhardo episcopo augustano (996—1000) et Bernone augiensi (circa 1030) scriptas, sagaciter notans, hos duos primam illam vitam prae manibus habuisse et eius interpretum quodammodo vice fungi posse.

[2] Vide supra p. 379.

[3] Baronii (1538—1607) Annalium Ecclesiasticorum Tomus VI. anno 1596 Antverpiae ex officina plantiniana in lucem prodiit.

[4] 1 Cor 14, 12. [5] De his v. supra p. 380.

tibi tuisque commendatum habe semper. Friburgi Heluetiorum 13. Junij[a] [anno salutis nostrae 1595].

Praeterieram fere Sanctum Virum et perpetua memoria dignum, licet saeculo nostro incognitum, uereque Catholicum Confessorem Gualdfardum, cuius praeclaram effigiem abs te missam libenter accepi[1]. Dignus est sane, qui reliquis Ecclesiae Augustanae Patronis adiungatur, et quot annis die certo in Ecclesia celebretur: potissimum uero ab Augustanis Catholicis in pretio habeatur. Deo gratia, quod hunc nobilem Christi militem uelut e tenebris in lucem protrudis, tuamque Patriam hoc Illustri Ciue proposito, spectabiliorem efficis.

Quod Canisius in hoc „Postscripto" monuit, brevi post effectum est. S. Gualfardi vita a Marco Velsero composita a. 1596 una cum opusculis Beati Davidis ab Augusta O. Min. in lucem prodiit. Eiusdem Velseri opera pars corporis S. Gualfardi Verona Augustam missa et a. 1602 in templo PP. Capucinorum deposita est, apud quos nunc quoque asservatur. Ab eo tempore in episcopatu augustano dies festus S. Gualfardi 27. Octobris agitur (*Acta* SS. Aprilis III [cf. supra p. 391] 828—832; *I. Ev. Stadler*, Heiligen-Lexikon II, Augsburg 1861, 531—532).

Affirmat *Raderus* qui Augustae diu versatus, familiam velserianam optime noverat, Canisium „frequentibus literis" Velserum „ad scribendum, et sanctos viros olimque Augustae florentes e tenebris eruendos pro honore et tutela patriae cohortatum esse" (190).

2338. CANISIUS **MICHAELI EBERLIN,** Societatis fratri scholastico, in collegio dilingano degenti. Friburgo Helvetiorum 13. Iunii 1595.

Ex apographo (A) saeculo XVI. exeunte vel saeculo XVII scripto (2°; 1 p.; in p. 2 inscr.), quod est Monachii in archivo maiore reipublicae bavaricae, Jes. in gen., Fasc. 13, No 214. Alterum apographum (B), quod saeculo XVII. ex priore illo exscriptum esse videtur, exstat in eiusdem fasciculi et numeri libello in 4°, non conglutinato, p. 15—16. Tertium apographum (C) est in Cod. monac. „Lat. 1606" f. 164[b]—169.

Hortatur eum ad oboedientiam, animi demissionem, in virtute proficiendi studium. De rebus collegiorum friburgensis et dilingani. Preces sacras petit.

† Pax Christi Iesv nobis aeterna perchare frater.

Gratum est mihi tuum in scribendo studium: nec dubito quin pro veteri more Dominum pro me subinde preceris. Bene habet, quod in mutando collegio[2] illis pareas, qui loco summi principis Christi praesunt tibi nobisque omnibus: ex illorum praescripto institue et perfice, quae tibi velis esse salutaria. Aeternum Christo valeant P. Dominicus et P. Baptista[3]: properemus et nos ad metam, quae illis feliciter obtigit in hac sancta vocatione. Meminerimus, nos Christi potius tyrunculos quam milites esse recensendos[b], sicut in Dei cognitione, amore et cultu quotidie habemus proficere: ita in vitae nostrae correctione magnos progressus instituamus, saepeque nouum quasi[c] nouitiatum ag-

a) *Tria vv. sqq. et numerum suppleri ex Radero.* b) censendos C. c) ueluti C.

[1] Vide supra p. 391.

[2] Monachio Dilingam missus erat; cf. supra p. 390—395.

[3] De Mengino v. supra p. 393[1]; Confluentinus 16. Maii 1595 mortuus est (G. Sup. 44 f. 94[b]—109[b]).

grediamur. Paruulorum est regnum Dei[1], quibus intellectum dat[2] aeterna sapientia. Ascendant alij quousque volunt et possunt: nostrum est infima sectari et petere, ac prorsus repuerascere: sic tandem in spirituales viros euademus. Qui putat se aliquid esse, hic nihil est Apostolo teste[3]. Ex ore infantium et lactentium, qui parui [?][a] contenti viuunt, laudem Domini perficiamus[4].

Domesticorum numerum auxerunt hic Galli, qui et cum laude multorum Gallice concionantur: faxit Deus, vt exules aliquando suis sedibus restituantur[5]. Noui Collegij fabrica pene hoc anno, si voluerit Dominus, absoluetur. Valesij hinc sese subducunt, nostrisque non admodum fauere dicuntur, quos insignis calamitas per aquarum inundationem afflixit. Orate Dominum pro Burgundia, Gallia, Hungaria, vt suae asperae visitationis tempus agnoscant[6], et ad mentem meliorem redeant poenitentes. Pergrata mihi fuit Patrum non Monachij modo, sed etiam Dilingae salutatio, quos vellem ex me amanter modo resalutari[b], illorum sacrificia et preces exaudiat Deus pro seniore Canisio, vt aduentum Domini sui vigilanter expectet[7]. Peculiariter meo nomine salutabis P. Saluium, quem ex graui morbo conualuisse gaudeo: iuuerunt illum credo non tam pharmaca quam preces tot Religiosorum, quos gubernat[8]. Benedictus Deus, qui Dilingae iuuentutem praeclare florentem ostendit, et studia multorum egregie prosperat in sui nominis gloriam[9]. Salutant vos domestici omnes, bonumque progressum studijs tuis exoptant, vt ad sanctum sacerdotium probe paratus accedas. Bene in Christo valeas[c] frater, et pro me seniore Dominum precari non desinas[d]. Datum Friburgi 13. Iunij 1595.

Frater in Christo Petrus Canisius.

† Charissimo in Christo fratri Michaeli Eberio Societatis Iesv. Dilingae.

2339. P. IOANNES BUSAEUS S. J., theologiae professor in universitate moguntina, CANISIO. Moguntia circa aestatem a. 1595.

Ex Busaei ad Raderum epistula autographa. Cod. „I. 29" n. 32.

Busaeus Moguntia 3. Ianuarii 1611 P. Matthaeo Radero S. J. scripsit: „Scripsit ad me Friburgo ipse R. P. Petrus Canisius anno 1596 · ante rogatus a me ut breuiter quid hic egerit sub annum 1542 et 1543 · cum esset 22. annorum Baccalaureus Theologiae Coloniensis describeret." Epistula haec a Busaeo ad Canisium data perisse videtur. Canisius ei respondit 2. Ianuarii 1596.

Busaeus in litteris ad Raderum datis haec quoque notavit: „Petrus Canisius cognomentum accepit ex familia notissima Nouimagij. Canis, non enim vocantur

a) *Ita A B; corrigendumne* paruo, *quod est in C.?* b) resalutares *C.* c) uale *C.* d) desine *C.*

[1] Mc 10, 14; cf. Mt 19, 14. [2] Ps 118, 130. [3] Gal 6, 3. [4] Ps 8, 3; Mt 21, 16. [5] Cf. supra p. 391[3]. [6] Lc 19, 44. [7] Cf. Mt 24, 42–44; 25, 13; Mc 13, 33; Lc 12, 35–40; Tit 2, 13. [8] Cf. supra p. 355 374. [9] Cf. Ps 28, 2; 78, 9; 95, 8; 113b, 1.

Hundt, sicut in Germania, sed, Canis, die Canisen · licet in insignibus suis habeant canem."

Ioannes Busaeus sive Buys 1547–1611 noviomagus, Canisio generis propinquitate iunctus, anno 1563 Societati nomen dedit. Romae theologiae scientia imbutus, Moguntiae per plus quam 20 annos theologiam dogmaticam, moralem, exegeticam docuit. Ibidem, mirum animi candorem et ardens desiderium salutis animarum cum rara doctrina iungens, et Socios, quorum „patrem spiritualem" agebat, et iuvenes externos, sodales maxime marianos, ad pietatem instituit. Multos libros a Sociis italice scriptos, qui vel de sacris expeditionibus indicis erant, vel sacras preces et praecepta virtutis continebant, latine reddidit. Praeclarorum virorum scripta, velut Petri Blesensis et Ioannis Trithemii, edidit. Ipse et de fidei controversiis et maxime de rebus ad pietatem spectantibus libros composuit, in quibus eminet eius „Enchiridion piarum meditationum" fere octuagies variis linguis editum (*Sotvellus* 428–429; *Iuvencius* 866; Sommervogel II 416–439; IX 1949–1951; *Duhr*, Ies. II² 111–183.

2340. MAXIMILIANUS I. Bavariae dux CANISIO.

Monachio 8. Iulii 1595.

Ex apographo eiusdem temporis, quod est Monachii in bibliothecae nation. Codice lat. 715ᵃ, sic inscripto: „Joannis Baptistae Fikleri[1] legum Ciuilium Doctoris Domini Archiepiscopi Salisburgensis Consiliarij etc. hodie Maximiliano Principi Bauariae a Consilijs epistolae, quas *[sic]* partim pro . . . Principib. partim pro alijs magnis et mediocribus Viris in serijs alijsque negotijs exaratae sunt": Epistula, quae infra ponetur, est in f. 240, atque sic est inscripta: „Idem [i. e. I. B. Fiklerus] Ad P. Petrum Canisium Societatis Jesu Theologum .etc. pro Serenissimo Bauariae Duce Maximiliano".

Operam a Canisio Bavariae impensam laudat. Societati, Christi rem acturae, favebit.

Accepimus gratulatoriam tuam[2] plenam pietate ac submisso studio erga nos Domumque nostram, eoque nomine gratissima nobis uenit. Agnoscimus et tam utilem quam fidelem operam, studium atque diligentiam quae in repurganda, excolenda, et propaganda religione Catholica in hac nostra Prouincia ex tuae Societatis hominibus, quasi primus, impendisti, inque u i n e a D o m i n i[3] fructus non contemnendos fecisti, tuisque in eodem studio religionis ansam praebuisti. Qua de causa et te, et totam Societatem tuam tam nobis quam Auo, inclytae recordationis[4], et Serenissimo Domino Parenti nostro, commendatiores reddidisti. Studebimus et nos, Auitum atque Paternum animum imitantes, simili uos benignitate et fauore complecti atque prosequi ea spe freti uos in pietatis et amplificandae Religionis Catholicae studio nihil remissuros. Nam quo maiori ardentiorique conatu negotium Christi et Ecclesiae, semotis omnibus quae studio tam sancto et commodo officere[a] poterunt, promouebitis, tanto maiorem gratiam apud Deum, et nos, et omnes bonos fauorem et existimationem comparabitis. Deus Opt: Max: te senem florentem diuque superstitem, esse uelit, tibique nostrum fauorem et benignitatem pollicere. Monachio .8. Julij · 1595.

a) efficere *apogr.*

[1] De Canisii cum Ficlero amicitia v. *Can.* VII 662.

[2] Maximilianus circa initium a. 1595 a Guilielmo V., patre imperii pertaeso, regni socius constitutus erat, idque ita, ut paene omnia ipse solus administrare deberet (*Aretin* I 444–447; *Riezler* IV 674; V 11).

[3] Is 5, 7; cf. Ier 2, 21; Mt 20, 1–19; Mc 12, 1–9 etc. [4] Alberto V. duci.

2341. SANCTUS FRANCISCUS SALESIUS, cathedralis ecclesiae gebennensis praepositus, CANISIO. Tonone 21. Iulii 1595.

Ex apographo epistulae a *B. Mackey* (Ma) in „Œuvres de Saint *François de Sales*", Tome XI, Annecy 1900, 140—144, edito, de quo plura infra dicentur, et ex apographis commentarii eiusdem epistulae, de quibus in praefatione accuratius agetur. *Mackey* epistulae latinae versionem subiecit gallicam, et commentarium, quod modo dixi, typis exscripsit ex autographo l. c. 145—148. Commentarium idem cum versione gallica editum est in „Œuvres complètes de S. François de Sales", édition publiée par M. l'Abbé *Migne*, Tome VI., Paris 1862, 485—492 (Mi), et in „Œuvres complètes de Saint François de Sales", 7me édition, Paris (L. Vivès) 1885, 72—77 (V). Utrobique tamen haud recte dicitur, editionem haustam esse ex archetypo („l'original"). Commentarium positum est italice in „*La Civiltà Cattolica*" S. V. Vol. XII., Roma 1864, 393—394 (ubi tamen haud recte dicitur archetypum [„originale"] et nondum editum). Idem hispanice reddidit *Ram. Garcia* S. J., Vida del Beato Pedro Canisio, Madrid 1865, 318—322. Partem (ex Civiltà) germanice reddidit *Rieß* 482. Gallice totum paene commentarium reddidit *Raemy de Bertigny* 97—100 (cf. etiam p. 196). Particulae positae sunt gallice a *Genoud* 108, germanice a *Braunsberger*, Kat. 171—172 et Petr. Can. 285—286. Ceterum ex editionibus vivesiana (p. 72[1]) et mackeyana (p. xv—xvii) inter se collatis colligi potest, hanc epistulam vel potius eius commentarium primum editum esse in libro „Nouvelles Lettres inédites de saint François de Sales, publiées par M. le Ch. *P.-L. Datta*", Paris, Blaise, 1835, nr. 29. Cum tamen *Mackey* testetur: „Cette publication se ressent de la rapidité avec laquelle elle fut exécutée: les textes latins et italiens fourmillent d'inexactitudes", eam hic neglegi posse censui.

Praefatio editoris. Sanctissimus ille ac clarissimus episcopus gebennensis (Genève) et doctor ecclesiae Franciscus Salesius (1567—1622), anno 1595, cum cathedralis ecclesiae gebennensis praepositus esset, versabatur in terra Chaballicensium (le Chablais), quam saeculo XVI. per Bernates et Gebennenses semel atque iterum ab imperio ducum Sabaudiae abstractam et ad Calvinianismum amplectendum vi doloque adactam Carolus I. Emmanuel Sabaudiae dux a. 1593 ita recuperaverat, ut in posterum eius possessio ei constare videretur. Ad Chaballicenses doctrina veritatis et exemplis vitae ecclesiae catholicae reconciliandos operam Claudio Garnerio (Garnier) episcopo gebennensi obtulit Franciscus, et huius auctoritate atque unico comite Ludovico Salesio canonico suoque propinquo circa medium m. Septembrem a. 1594 sedem fixit Tonone (Thonon), quae urbs et illius regionis caput erat et templum catholicum ac 14—15 homines catholicos habebat ([Hammon], Vie de Saint François de Sales, 4e éd., T. I., Paris 1862, 145—149; *Am. de Margerie*, Saint François de Sales, 3e éd., Paris 1899, 22). Inde ad Canisium dedit litteras infra ponendas.

Huius epistulae duo supersunt exempla: Unum servatur Annesii (Annecy in Sabaudia) in archivo ordinis Visitationis B. Mariae V. a Francisco instituti, et est epistulae commentarium ipsius Francisci manu scriptum. Eius mihi praesto erant duo apographa circa a. 1860 a P. *Iosepho Boero S. J.* (de quo v. *Can.* I xxiv[5]) scripta; quorum textus nonnullis locis cum textu in „Œuvres" etc. posito discrepat, idque fortasse quod commentarium ipsum, ut fit, festinantius scriptum et antiquitate obscurius factum est. Alterum exemplum exstat Romae et est ipsius epistulae apographum notarii testimonio munitum et — id quod litteris Annesio 25. Octobris 1899 datis mihi significavit R. P. *B. Mackey* O. S. B., qui epistulam in „Œuvres" etc. edidit — insertum monumentis processus beatificationis S. Francisci, quae sub Innocentio X. (1644—1655) parari coepta et ab Alexandro VII. a. 1661 perfecta est. Apographum hoc videre non potui.

Duo haec exempla multum inter se differunt. Commentarium multa habet, quae in epistula ipsa, si apographum eam integram, non decurtatam exhibet, non dicuntur. Ponetur igitur hic, minoribus tamen typis, sub ipsa epistula eius commentarium, cum propter diversitatem hanc, tum quia ipsius Sancti manu scriptum est.

Difficultas haud spernenda haec est: Franciscus in epistula ipsa: „Nonum iam ago mensem“, inquit, „inter haereticos“. Et commentarium haec habet: „Dei beneficio factum est, ut aliquot animae, octo nimirum, his novem mensibus Christo nomen reddiderint.“ Quare, cum Franciscum medio fere m. Septembri a. 1594 ad Chaballicenses advenisse aliunde constet, dicendum esse videtur, eum m. Maio vel Iunio a. 1595 hanc epistulam scripsisse. Verum apographo processus illius ascriptus est dies XII. calend. Augusti = 21. Iulii. Fortasse res sic se habet: Franciscus commentarium quidem m. Maio vel Iunio scripsit, sed vel quia occupatissimus erat, vel quia litterarum Friburgum mittendarum opportunitas praeter eius exspectationem dilata est, litteras ipsas ante exeuntem m. Iulium non dedit. In quibus, ut multa alia commentarii verba immutata sunt, numerus quoque 9 immutari debuit, sed aut librarii, cuius opera Franciscus fortasse utebatur, vitio aut lapsu quodam ipsius Francisci immutatus non est. Quomodocumque tandem difficultas haec solvi debet, et testimonia externa et epistulae rationes internae eiusmodi sunt, ut dici possit, epistulam reapse ad Canisium datam esse.

Canisius Christianis omnibus notus. Salesius cum eo per epistulas agere cupit. Calvinianos ad ecclesiam reduxit. Quomodo interpretatio quaedam Scripturae a Calvino facta refutari debet?

Virtutis is est splendor[a], quod tu omnium minime ignoras, Pater observandissime, nullis ut locorum intervallis impediri possit quominus et videatur ipsa, et eos a quibus possidetur suo lumine reddat omnibus qui vel virtutis nomen tantum honorant conspicuos et amabiles. Quo minus excusatione indigere nunc me reor quod, ignotus et obscurus homuncio, litteras ad te dare non verear. Non enim tu ignotus es vicissim aut obscurus, qui tot recte (ut modestissime dicam) factis, dictis, scriptis pro Christo universis Christi fidelibus innotuisti, ut mirandum non sit eum qui omnibus toties scripsit Christianis, a multis hoc solum nomine quod Christiani sint, litteras item accipere[i].

Cum ergo non longo multum intervallo, et solo fere quod aiunt Lemano[1] lacu a te cognovissem me abesse, rem quidem tibi non in-

Virtutis[a] quidem[b] is est splendor, ea est praestantia, Pater observandissime, ut quod tu minime[c] ignoras, nullis terrarum, aut locorum intervallis impediri possit, quominus et videatur, et eos, a quibus possidetur, iis etiam reddat conspicuos et amabiles, qui, quamvis quid ipsa sit virtus ignorant[d], virtutis tamen nomen honorant[e]. Quo minus excusatione nunc indigere me reor, quod ignotus et obscurus homuncio litteras ad te[f] dare non verear. Non enim tu vicissim ignotus es aut obscurus: sed qui[g] tot rebus, ut modestissime[h] loquar, hactenus pro Christo gestis, dictis, scriptis, universis Christi fidelibus innotuisti, ut mirandum non sit, eum, qui universis toties scripsit Christianis, a multis, hoc solum nomine quod Christiani sint, epistolas item accipere[i].

Cum ergo non longo admodum intervallo et solo propemodum Lemano[k 1] lacu a te me abesse cognovissem, rem tibi quidem non ingratam, mihi vero

a) *Prius scriptum erat:* Miraberis forsitan . . . *Deinde:* Haesi aliquantulum dubius animo, consentaneumne esset modestiae legibus si litteras ad te, ignotus et obscurus homuncio . . . b) *Tria vv. sqq. non posuit Mackey.* c) omnium minime *Ma.* d) ignorent *Ma.* e) *Primum erat scriptum:* qui vel ipsi a virtute possidentur, vel virtutis desiderio teneantur. f) *Primum scriptum erat:* hisce litteris tuam humanitatem . . . g) *Hoc v. non posuit Ma.* h) moderatissime *Migne, Vivès.* i) accipiat *Ma.* *Primum haec addita erant verba:* Accedit quod peculiare jus mihi scribendi fuit . . . k) quod aiunt, Lemanno *Ma.*

[1] Lac de Genève.

gratam, mihi vero in posterum longe utilissimam facturum existimaverim si qui praesens nequeo, absens per litteras, commodum aliquando de rebus et dubitationibus theologicis interrogarem, et docentem te per litteras item interdum accedirem. Scriptum est enim: Interroga generationem pristinam et diligenter investiga patrum memoriam, et ipsi docebunt te; loquentur tibi, et de corde suo proferent eloquia[1].

En igitur nonum jam ago mensem inter haereticos, et in tanta messe octo tantum spicas in arcam[?][c] Dominicam inferre potui; summo Dei beneficio, quippe qui non tam sim operarius[2] quam operariorum prodromus. In iis Petrus Poncetus, jurisconsultus eruditus sane, et quod ad haeresim spectat etiam Calviniano ministro loci[4] longe doctior.

in posterum longe utilissimam facturum existimari, si qui praesens nequeo familiarius, per litteras absens interrogarem, et docentem te per litteras item interdum audirem pro tua in proximos charitate. Sic enim scriptum est: Interroga generationem pristinam et diligenter investiga patrum memoriam, et ipsi docebunt te, loquentur tibi, et de corde suo proferent eloquia[a][1]. Job 8, v. 8[b].

En igitur nonus agitur hic mensis, quo sum inter haereticos hos Thononienses, iussu Reverendissimi Gebennensis[d], ut, quia[e] nulla vi ad caulas Ecclesiae eos reduci vult Serennissimus Allobrogus[f] Princeps, pro pacto cum Bernensibus eam in sententiam facto, videam etiam atque etiam num iis[g] ad Christum convertendis verbo et colloquiis sit aliquis locus, quem ubi nactus fuero, immittet in messem hanc idoneos plerosque, tum alios quidem, tum etiam ex vestra Societate operarios[h][2]. Haec[i] [?] vero rem omnino in multos hos dies protrahunt[k]. Princeps[l], cuius tamen auctoritate res incoepta[m], quod aliis rebus [sit][n] impeditus, nullam huic rei dat operam. Inter rumores bellicos metuunt incolae, ne si iterum Bernensium aut Gebennensium in nos explicentur arma, et non solum[o] ad Ecclesiam redeat[p] aliquis (quod se nunquam facturos pollicentur omnes), sed tantum aures catholicis theologis dederit, is pessime et crudelissime[q] ab iis excipiatur.

Non commisi tamen quin pro mea tenuitate conciones singulis dominicis diebus bis saltem haberem, et quidem in templo publice, quo veluti[r] prodromus aliis verbo et opere[s] potentioribus[t][3] viam aperirem. Pauci tantum qui supersunt catholici ea re[u] recreati [sunt][v]: haereticorum nullus propemodum accessit unquam, nisi videndi me potius (est enim genus hominum curiosum), quam audiendi gratia. Dei interim beneficio factum est, ut aliquot animae, octo nimirum, his[w] novem mensibus Christo nomen reddiderint. In his[w] Petrus Poncetus, Jurisconsultus eruditus sane, et quod ad haeresim spectat, etiam ministro[4]

a) *Quae sequuntur, usque ad* v. 8 *incl., non sunt apud Mi. V.* b) *Ma. non hic, sed in margine posuit:* Job. VIII, 8, 10. c) *Sic Ma.; corrigendum esse puto:* aream. d) R.[mi] Antistitis Gebenensis *Ma.* e) quando *Ma.* f) *Rectius Ma. Mi. V.:* Allobrogum. g) eis *Mi. V.* h) *Ma. in margine:* Matt., IX, ult. i) *Ita recte, puto, Ma.; Boero in uno apogr.:* Nec; *in altero:* Nunc; *Mi. V.:* nec. k) protrahent *Mi. V.* l) *Primum scriptum erat:* Princeps, cum absit. m) inceptae *Mi. V.* n) *Hoc v. suppleri ex Ma. Mi. V.* o) modo *Ma.* p) veniat *Mi. V.* q) *Duo vv. sqq. desunt apud Ma.* r) velut *Mi. V.* s) opere et verbo *Mi. V.* t) *Ma. in margine:* Cf. Lucae, ult., 19. u) *Hoc v. deest apud Mi.* v) *Hoc v. suppletum est, idque recte, a Ma.* w) iis *Ma. Mi. V.*

[1] Iob 8, 8 10. [2] Cf. Mt 9, 37 38; Lc 10, 2; 1 Tim 5, 18.
[3] Cf. Lc 24, 19. [4] Ludovico Viret *Hammon* I 186.

Quem cum antiquitatis authoritate non nihil moveri viderem inter familiaria colloquia, porrexi tuum illud Opus Cathechisticum, cum sententiis Patrum a Busaeo fuse descriptis[1]; cujus lectione abduci se ab errore in tritam veteris Ecclesiae viam passus est, ac manus tandem dedit: quo etiam tibi nomine plurimum plurimum uterque debemus.

Cum vero nuper pro libero hominis arbitrio illud urgerem Genes., 4: S u b t e e r i t a p p e t i t u s e j u s, e t t u d o m i n a b e r i s i l l i u s[2], objecit ex Calvino voces (e j u s et i l l i u s) referri ad Abelem, nimirum ut dicatur d o m i n a b e r i s fratris, non peccati. Rationemque reddebat eorum, Calvino authore, quod relativa illa apud Hebraeos sint masculina, vocem autem Haebraicam qua peccatum exprimitur esse foemininam[3]. Huic nimirum rationi refellendae, etiam adhibita Bellarmini opera, satis

longe doctior. Quem cum antiquitatis auctoritate nonnihil moveri viderem et saltem torqueri, explicavi opus tuum illud Catechisticum cum auctoritatibus, sententiisque Patrum a Busaeo descriptis[1], cuius lectione sensim ab errore abduci se in tritam veteris Ecclesiae viam passus est, manusque tandem dedit: quo etiam nomine plurimum uterque tibi debemus.

Is autem, cum nuper pro libero hominis arbitrio urgerem locum Genes. 4[a], S u b t e e r i t a p p e t i t u s e i u s e t t u d o m i n a b e r i s i l l i u s[2], obiecit referri voces eius et illius ad Abelem, nimirum dominaberis fratris, non peccati. Rationemque ex Calvino reddebat, quod in hebraeo relativa illa sint masculina, peccatum vero apud hebraeos foeminina voce exprimatur[3]. Ego vero interpretationem catholicam satis confirmavi, sed obiectionem clare refellere non potui, quippe qui libris hic caream necessariis. Advexi namque pauca tantum[b], ut fit, praecipua de huius sectae[c] controversiis volumina: inter caetera quidem[d] Bellarmini opus illud illustre Controversiarum, quem dum hac in difficultate consulo, non satis loci nodum explicuisse[e] comperio, dum de cohaerentia rela-

a) *Ma. in margine:* Vers. 7. *Apud Mi. V. deest 4.* b) tantummodo *Ma.* c) seculi *Ma.* d) *Hoc v. non est apud Mi. V.* e) locis nodum explicasse *Mi.;* loci nodum explicasse *V.*

[1] Cf. *Can.* VII 326 766. [2] Gn 4, 7.

[3] *Calvinus* in „Institutione Religionis Christianae" a. 1559 a se recognita l. 2, n. 16: „Citant ex Genesi sententiam illam 4, 7: sub te erit appetitus eius, et tu dominaberis illi: quam de peccato interpretantur, ac si Cain promitteret Dominus, non fore in animo eius vim superiorem peccati, si in eo perdomando laborare vellet. Nos autem magis congruere dicimus ordini orationis, ut de Abele accipiatur hoc dictum. Illic enim iniquitatem invidiae quam in fratrem Cain conceperat, arguere propositum est Deo. Id facit duplici ratione: quod frustra meditabatur scelus quo fratrem praecelleret apud Deum, apud quem nullus est honor nisi iustitiae: deinde quod nimium ingratus esset iam accepto Dei beneficio, qui ne subiectum quidem suo imperio fratrem ferre posset. . . . Et res ipsa et ratio grammaticae postulant, comparationem fieri Caini et Abelis: quia primogenitus frater minori posthabitus non fuisset, nisi proprio scelere deterior": *Ioannis Calvini* Institutio Religionis Christianae (Opera, edd. *G. Baum, E. Cunitz, E. Reuss,* Vol. II, Brunsvigae 1869, 244). Similiter *Calvinus* loquitur in „Commentariis in quinque libros Mosis" P. I, in Gen. 4, 7: ubi etiam planis verbis scribit: „In hebraico peccati nomine, apponitur feminei generis nota: haec autem relativa duo [i. e. eius, illi] masculina sunt" (Opera l. c. XXIII 90).

esse non potui[1]. libris autem in id necessariis hic careo, quod paucos tantum de controversiis hujus saeculi, ut fit, mecum attulerim. Hujus ergo phrasis Haebraicae interpretationem, a peritissimo nimirum et humanissimo doctore, rudis et incultus tirunculus postulo, et tua in proximos omnes adjuvandos propensione fretus expecto[2].

Quodque reliquum est, Deus optimus maximus venerandam tuam canitiem quam diutissime reipublicae Christianae servet incolumem: at[?][f] tu me, quod e vestra societate jampridem fecit Antonius Possevinus[3], in humillimum, quaeso, et addictissimum servum habeto et filium in Christo.

Humillimus servus
FRANCISCVS DE SALES,
Ecclesiae Cathedralis S.[ti] Petri Gebennen.
Praepositus indignus.

Tononi, 12 calend. Augusti, anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto[h].

Observandissimo et plurimum Reverendo in Christo Patri.
Patri Petro Canisio
Societatis Jesu Theologo meritissimo.
Friburgi.

tivi masculini ad nomen foemineum[a] nihil tangit[b] [1]. Quare cum bonum hunc virum et ex auditoribus meis catholicum ad vos discedentem et mox[c] rediturum cognovissem, huius obiectionis solutionem a te peritissimo[d] et humanissimo doctore rudis ego[e] tirunculus petere constitui, tua in proximos omnes iuvandos fretus propensione[2].

Quod reliquum est, Deus Opt. Max. venerandam canitiem tuam quam diutissime reipublicae christianae servet incolumem, et tu me, quod e vestra societate Antonius Possevinus iam pridem fecit[3], in humillimum habeto servum in Christo et filium[g]. Iunii 1595[?][i]. Franciscus Salesius Praepositus Ecclesiae Gebennensis.

a) femininum *Mi.*; foemininum *V.* b) relativi foeminini ad nomen masculinum nihil agit *Ma.* c) moxque *Ma. Mi. V.* d) huius a te quaestionis solutionem, a peritissimo nimirum magistro *Ma.* e) *Hoc v. non posuit Ma.* f) *Sic Ma.; dixerim tamen, S. Franciscum aut* et, *aut* ac *scripsisse.* g) *Quae sequuntur, a Ma. non sunt posita, praeter:* FRANCIS . . . *Apud Mi. V. omnino non sunt.* h) *Haec ita posui, quia in „Œuvres" ita scripta sunt. Ceterum vidi epistulam autographam S. Francisci Salesii et Facsimile, quod vocatur, alius epistulae eius manu scriptae. Utrobique eius nomen litteris minusculis, praeter litteras initiales, scriptum et annus numeris, non verbis indicatus est (Cod. „Epp. Ext. 1" f. 127 194).* i) *Hoc tempus est in utroque apographo boeriano. Mackey vero commentario nullum tempus ascriptum esse significat; neque duae illae editiones parisienses tempus habent. Fortasse Boero ex ipsis rebus, quas Franciscus scripsit, collegit, eum m. Iunio a. 1595 scripsisse ideoque hoc tempus commentario addidit.*

[1] Bellarminus in „Controversiis", ubi „de gratia et libero arbitrio" agebat, l. 5, c. 22, commemoravit quidem et refellit Calvinum hunc locum de Abele interpretatum, sed argumenti, quod ex verbi hebraici „peccatum" genere feminino ducitur, nullam fecit mentionem, quamquam linguae hebraicae valde peritus erat: cuius etiam edidit institutiones grammaticas (*Rob. Bellarmini* S. J. Disputationum de Controversiis Christianae Fidei adversus huius temporis haereticos Tomus tertius, Ingolstadii 1593, 829—831). [2] Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.

[3] Possevinus Francisco in universitate patavina disciplinae iuris et theologiae operam danti a sacris confessionibus fuerat: Leben des heiligen Franz von Sales, aus dem Französischen übersetzt von *J. C. Lager*, I. Regensburg 1871, 49—50.

Quid Canisius responderit, ignotum est. De loco autem illo sacrae Scripturae haec potuit respondere: In textu hebraico ita legitur (Gen. 4, 6 7): „Et dixit Dominus ad Cain: Quare irasceris et quare cecidit (= prae tristitia demissa est) facies tua? Nonne, si bene agis, est erectio (= erecto capite incedis)? si vero non bene agis, ad ianuam peccatum cubat, et versus te est appetitus eius, sed tu dominaberis eius." Verba „versus te est appetitus eius, sed tu dominaberis eius" (אֵלֶיךָ תְּשׁוּקָתוֹ וְאַתָּה תִּמְשָׁל־בּוֹ) a plerisque interpretibus ad peccatum seu concupiscentiam referuntur, quod ad nullum aliud nomen apte referri posse videantur. Imprimis multi catholici, postquam cum heterodoxis de hominum libero arbitrio disputari coeptum erat, huic interpretationi favebant. Proferuntur eius patroni ex Patribus Ss. Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, ex interpretibus posterioribus S. Rhabanus Maurus, Rupertus Tuitiensis, S. Beda, Alcuinus, ex recentioribus Sa, Estius, Mariana, Malvenda, Menochius, Tirinus, Gordon, Smits O. F. M., Wouters O. S. Aug., Tappehorn, Neteler, Hoberg, Crampon, Murillo, alii, ex protestantibus Rosenmüller, Delitzsch, Keil, Tuch-Arnold, Knobel, alii, ex Hebraeis Targum Hierosolymitanum et Pseudo-Jonathani, Raschi, alii multi. Inest tamen in textu hebraico difficultas quaedam, quae alteram loci interpretationem peperit, atque haec quoque semper suos, pauciores tamen, defensores habebat. Quia enim vox hebraica „chattâth" peccatum est generis feminini, pronomina vero illa (appetitus „eius", dominaberis „eius") generis sunt masculini, haec haud ita facile ad peccatum referuntur. Exstant igitur duae loci explicationes: Qui pronomina illa ad peccatum referunt, affirmant, „praedicatum", quod de „subiecto" („chattâth" sive „peccatum") enuntiatur, esse generis masculini et significare bestiam cubantem (rôbéç; est nomen arabicum eiusdem radicis „râbiç" sive „rabbâç", quod leonem significat), atque ad hoc nomen masculinum pronomina illa masculina referri, ita ut dicatur: „Peccatum est bestia ad ianuam cubans, cuius cupido est ad te (vorandum), sed quam tu potes et debes domare." Alii vero pronomina illa referunt ad Abel, dicentes, verbis illis Caino confirmari a Deo iura primogeniturae et excellentiae super Abel fratrem, ita ut Caino de Abel dicatur: „Desiderium (vel: amor) eius erit versus te, et tu dominaberis eius." Ita e. g. S. *Ioannes Chrysostomus* hom. 18 in Genesim (*Migne*, P. gr. LIII 157), *Aug. Calmet* O. S. B. („Relativum ‚eius' optime refertur ad Abelem, quamquam in propositione nomen Abelis nequaquam exprimatur; facile enim intelligimus, dicta haec omnia occasione Abelis, nec de aliquo alio accepisse Cainum": In Gen. l. c.), *Fr. de Hummelauer* S. J., *Hugo Grotius* (Annotationes in V. T., ed. G. I. L. Vogel, Halae 1775, I 15a: „Si bene egeris, Abelis voluntas tuo imperio subiecta erit, ut fratris minoris"), *Versiones Anglicanae, Browne*, alii.

2342. MICHAEL EBERLIN, Societatis frater scholasticus, CANISIO.

Dilinga aestate a. 1595.

Vide epistulam proximam, qua Canisius Eberlino respondit.

2343. CANISIUS **MICHAELI EBERLIN,** Societatis fratri scholastico, in collegio dilingano degenti.

Friburgo Helvetiorum 8. Octobris 1595.

Ex apographo (A), ab Hippolyto Guarinonio medico clarissimo scripto et sic inscripto: „Exemplar salutaris et antipestiferae: sanctisque item doctrinis refertissimae Epistolae, a Beato Patre Petro Canisio, ultimo senio scriptae." Idem Guarinonius apographo adnotavit: „Epistolae exemplar fideliter ab autographa exscriptum, cumque illa examussim collatum, et par et aequum esse: Ego infrascriptus attestor, et Caesarea Palatinatus fide atque authoritate confirmo, eiusdemque sigillo munio. Halae ad Oenum .XV. Maij · Anno Sancto .1650." Deinde, sigillo maiore apposito, subscripsit: „Hippolytus Guarinonius ab Hoffberg et Folderturn, Caesareus, Regijque Parthenonis Halensis Medicus, Pontificius Eques Auratus, Comes Palatinus, atque

Archiducalis Consiliarius manu propria". [1] Cod. „Can. 63" f. 151. Monachii in archivo maiore reipublicae bavaricae, Jesuitica in genere, Fasc. 13, No. 214, exstant eiusdem epistulae apographa tria saeculo, puto, XVII. scripta: unum (B) in libello in 4°, quod habet ff. 10 paginarum numeris signata, p. 13—17; alterum (C) in alio libello in 4°, quod habet 8 ff. signata, f. 6b—8b; tertium (D) in libello in 4°, quod habet 10 ff. non signata, f. 7b—10a. Epistulam commemoraverunt *Agricola* II, n. 803 et *Kropf* IV, p. 160. Eiusdem partem germanice reddidit *Janssen* V[1-12] 198—199. Item germanice posui epistulae partem in „Petrus Canisius" 294.

De Mansfeldii in bello turcico mortui fausta sorte. Omnem spem in Deo collocandam esse. Laudibus extollit Socios militibus operam praestantes.

†

Pax Christi nobis aeterna dilecte frater.

Recreas me literis et imaginibus, huc transmissis: placent et frequentes patrum, fratrumque salutationes quas denuntias · gaudeo nostros in Transyluaniam incolumes peruenisse, ac eorum aduentum laete a multis exceptum fuisse[2]. Cur uero Mansfeldij siue Comitis, siue Ducis mortem acerbe deploras?[3] cum huius animae feliciter actum esse putemus · quoniam Catholicus: et sacramentis Ecclesiae munitus e uiuis[a] decessit, meliore, coelestique uita dignus, quod se totum Christo Ecclesiaeque deuouisset, paratus et suum fundere[b] sanguinem, si Deo summo ita uisum fuisset. Morte sua nobis consuluit, ut salutem Imperij, non homini, sed Reip. authori uindicique Christo feramus acceptam. Si ex huius[i] aut illius Principis uirtute pendere consultum esset, Rex inclytus ille non caneret: Nolite confidere in principibus neque in filijs hominum, in quibus non est salus[4]. DEo igitur humanae uitae ac mortis Principi confidamus, totius belli quod geritur.

a) vita *B D*. b) effundere *B D*.

[1] Hippolytus Guarinoni (1571—1654) tridentinus, in Societatis collegio pragensi et in familia S. Caroli Borromaei institutus, ex clarioribus sui temporis medicis fuit. Libro „Die Grewel der Verwüstung menschlichen Geschlechts" a. 1610 Ingolstadii edito publicam valetudinis curam egregie iuvit. Idem opus magnam laudem assecutum est eo, quod ad mores aetatis illius cognoscendos utilissimum est. De herbaria quoque re Guarinonus bene est meritus. Halae congregationi marianae civium, cuius praefectum agebat, gloriae fuit. Nam sacramenta et rosarium frequentabat. Ieiunium sacrae Quadragesimae usque ad aetatis annum octogesimum tertium, quo vita excessit, religiose servabat. Pestilentiae tempore aegrotos forti animo magnaque diligentia curabat. Canisium adeo colebat, ut quotannis diem, quo ille mortuus erat, cum suis ageret festum (*Jak. Schmid* S. J., Heiliger Ehren-Glantz der Gefürstetem Graffschafft Tyrol IV. Augsburg 1732, 54—66; *Janssen* V[1-12] 192—193; VII[1-12] 353 363—367; Der *Sendbote* des göttlichen Herzens Jesu, 21. Jahrg., Innsbruck 1885, 334—337).

[2] Socii circa m. Maium a. 1595 in Transsilvaniam, unde aliquot annis ante eiecti erant, a Sigismundo Bathorio principe reducti sunt (*Iuvencius* I. 12, n. 133).

[3] Carolus comes Mansfeldius, summus dux exercitus caesarei in Hungaria contra Turcas pugnantis, cum Strigonium expugnasset et insignem victoriam reportasset, morbo ex proelii defatigatione collecto circa medium m. Augustum exstinctus erat (*Nic. Isthuanffius*, Regni Hungarici Historia, Coloniae Agrippinae 1685, 426—429).

[4] Ps 145, 2 3. Psalmo huic in Vulgata Aggaei et Zachariae nomina inscripta sunt: quare horum tempore conscriptus, non a Davide compositus esse videtur.

uictoriam illi committamus, qui suauiter cuncta disponit[1], et cum fide rogatus a multis, libenter exaudit orantes. Quid Juda Machabaeo et inter fratres maximo, fortius, ac admirabilius? Nonne gladio extinctus perijt? Sed statim substituti sunt illi fratres ad populum Dei propugnandum[2]. Laude sua neutiquam fraudandi sunt siue Germani, siue Jtali milites, qui sincere et animose pro Imperio pugnant, seque totos opponunt impio Machumetismo, et ueram defendunt religionem[3]. Ego uero nostros inprimis commendo, qui sacra obedientia duce uersantur inter medios milites, omnemque illis humanitatem impendunt. Habent sane praeclaram exercendae uirtutis occasionem, potissimum uero patientiae, siue cibum, siue lectum, siue hospitium spectes: non sibi sed alijs die nocteque uiuunt et uacant, omnia bona sua secum portant[4], in crastinum solliciti non sunt[5], et pro benefactis saepe probra reportant, nec desinunt tamen de maledicis bene mereri. Quare scholam philosophiae et Christianae uirtutis non in Collegijs tantum, sed etiam in bellis offerri nobis existimemus, Christumque ipsum in miseris homuncionibus, frequenter et inimicis Crucis Domini[6] discamus amplecti. Properent alij cupidi ad choraeas, nuptias, epulas, et uoluptates: nos pro beneficio magno ducamus ad calamitosos milites extrudi, et spiculis gladijsque Turcarum obijci, ut neglecta Sanctae Religionis officia, quae in collegijs non raro praetermittimus, loquacitatem silentio, intemperantiam abstinentia, torporem alacritate diluamus: praecipue autem charitatis legem antea uiolatam, hac ratione minimis Christi membris declarare conemur[7]. Doleo mihi per aetatem non licere, ut ad speciosam, et salutarem hanc messem colendam extrudar, partemque aliquam cum nostris in Vngarico bello certantibus adipiscar. Quod si sapitis, et secundum spiritum, non autem iuxta carnem iudicatis, ad hoc nouum, nostrisque fratribus inusitatum[a] militiae genus audacter adspirate, ut studiorum uestrorum[b], quae tot annos absumunt, fructus apud illos appareat, qui praesentem charitatis uestrae operam, uelut necessariam suis morbis, ac uulneribus expetunt medicinam. Verum isthaec ego pluribus persequor, non ut doceam imperitos, sed ut sapientes, et scientes moneam uti foro, sicut uulgo inquiunt, nostramque uocationem cum solida uirtutum exercitatione coniungere in Christo IESV Domino nostro[8]. Bene ualete fratres.

a) *A B C D:* usitatum; *sed tota sententia exigit, ut ponatur* inusitatum. b) nostrorum *D*.

[1] Sap 8, 1. [2] Cf. 1 Mach 9, 18 28 33; 14, 17 18.

[3] Clemens VIII. 10000 militum in Hungariam miserat, quibus, praeter aliorum ordinum religiosos, 14 Socios addiderat. Etiam Ferdinandus I. magnus dux Etruriae eodem copias cum Sociis aliquot miserat (*Iuvencius* l. 16, n. 24).

[4] Bias, unus ex septem sapientibus, apud *Ciceronem:* „Omnia mecum porto mea" (Paradoxa l. 1, 8); et apud *Valerium Maximum:* „Ego vero bona mea mecum porto" (Factorum ac dictorum mirabilium l. 7, c. 2 externa).

[5] Mt 6, 34. [6] Phil 3, 18. [7] Cf. Mt 25, 40.

[8] Rom 6, 23; 8, 39; 1 Cor 15, 31; Eph 3, 11.

et pro seniore rogate Dominum, ut desinam inutilis esse senex. Friburgi Heluetiorum .8. octobris 1595. Salutabis ex me P. Saluium.

Seruus in Christo Pet. Canisius manu propria.

Chariss. in Christo fratri Michaeli Eberio Societatis IESV.

Dilingae.

Guarinonius apographo, quo modo usus sum, sua manu praeposuit: „Fidelem Gratiarum Actionem" pro beneficiis Canisii intercessione a Deo acceptis, in qua de ipsa hac epistula haec narrat: „Cum binae pestes totam Oeniuallem: sed fere atrocius hanc vrbem haberent, ciuibus et populo enormiter depopulatam. In his quippe utriusque: cum Anni 1611mi, tum tricesimi quarti: ut nullo me titulo vrbi obstrictum, sed liberum, pro illius et oppidi Suacensis, et conterminorum pagorum salute, obtulissem: muniui me Epistola Beati Patris Petri Canisij dextere universim et integre scripta, eaque pectori pro lorica appensa, trucem me, truci pesti cordatum obieci: nil uirulentum eius habitum, nil Lazaretum indies ad fores uisitatum, nil chyrurgorum ibidem degentium: nil singula infectorum extra urbem tuguria: multoque minus duorum perillustrium heroica uirtute et charitate RR. Patrum, e collegio in hortum proxime suburbanum, in pestiferorum sacra obsequia proscriptorum: R. Patris Georgij Winkhler, et N. Nidermayr, consortia ueritus: cum R. Pater Winkhler, meus a confessionibus Pater spiritualis, decliuibus in hortum gradibus pro confessionali ad me audiendum uteretur: his utrisque a prima peste in eadem horti domo: Hoc in inferiori: R. Patre Nidermayr in superiori contignatione, uita gloriose functis. Eadem armatura, ut praedictum est, truculentae me pesti anni 1634.ti intrepidum obieci, adeoque audacter, ut temeritatis a nonnullis arguerer, muniminis mei, nimirum ignaris. Accepi tantae uirtutis Epistolam dono, ab eodem praenominato R. Patre Michaele[a] Eberio, ad quem eam scripsit (conscripto postea eiusdem B. Patris senectae administro) et hoc maiori uirtute pollentem, quo ad uitae sanctae epilogum, uidelicet anno 1595.to abs eo scripta est" (Can. 63 f. 150).

2344. CANISIUS **P. IOANNI BUSAEO S. J.,** theologiae professori in universitate moguntina.

Friburgo Helvetiorum circa autumnum a. 1595.

Vide exordium litterarum 2. Ianuarii 1596 a Canisio ad Busaeum datarum (infra, ep. 2350).

2345. MICHAEL EBERLIN, Societatis frater scholasticus, CANISIO.

Dilinga circa m. Novembrem 1595.

Vide litteras 2. Ianuarii 1596 datas, per quas Canisius Eberlino respondit (infra, ep. 2349).

2346. CANISIUS **P. IACOBO LUCIO S. J.,** parochiae landsbergensis contionatori [1].

Friburgo Helvetiorum m. Decembri 1595.

Ex apographo (A) ante a. 1631 scripto, cuius inscriptioni alia manu saeculi XVII. adnotatum est: „† Copia literarum P. N. Petri Canisij, quarum autographum est

a) Michaelele *autogr.*

[1] „P. Jacobus Luzius Ziegelbachensis [Ziegelbach, vicus prope Memmingam situs, nunc wurttembergensis] an. 45, fuit in Societate 21. an., Praefectus fuit scholae grammatices, minister, et concionator": * *Catalogus* landsbergensis anni 1587 (G. Sup. 19, II f. 36b). „P. Iacobus Lucius · concionator in Templo parochiali · praefectus templi, et confessarius · admonitor": * *Catalogus* landsbergensis anni 1595 (G. Sup. 44 f. 107a). Lucius (Lutz) Halae 8, Landsbergae 18 annos contionatoris munus obivit. Mortuus est Landsbergae a. 1600. „Inter continuos aggestosque labores, suorum

penes R. P. Rupertum Reindel Ingolstadij. Datae sunt in Decembri, quatenus colligi potest ex superstitibus literarum partibus". Apographum est Monachii in archivo maiore reipublicae bavaricae, Jes. in gen., Fasc. 13, No. 214, in folio in 2°, separato. In eiusdem fasciculi numerique libello in 4° non conglutinato, p. 9—11, est alterum apographum (B). Tertium (C), saeculo XVII. scriptum, exstat in Cod. monac. „Lat. 1606" f. 168.

Noviciorum magistrum vita functum laudat. Salutat magistrum novum et eius novicios. Hos ad crucis amorem excitat. Preces sacras petit. De Hoffaeo visitatore scribit.

— — — Nihil[a] dicam de venerando Patre Bonauentura, quem apud vos tandem sepultum esse audio[1], ut praesentibus ac futuris nouitijs talis tantique Patris obliuio nulla subrepat, sed iucunda potius ac immortalis memoria identidem reuirescat. Benedictus Deus, qui semen serui sui Landspergae tot annis prosperauit, et praeclaros eius conatus tam felici fine conclusit, ut uiuens ac moriens rarae pietatis ediderit specimen. Scribo nunc ad veterem amicum, imo Fratrem, per quem ex animo gratulor nouo Rectori atque Magistro P. Roberto Reindelio[2], Deumque rogo, ut susceptum onus ac munus benedicente domino feliciter administret. Pergratum est mihi, tam frequentem apud vos numerum esse tyronum JESV[b][3], quos omnes percupio non solum dici, sed reipsa esse religiosos mundo mortuos, solique Christo uiuentes, ac obedientiae sanctae deuotos, ut illum Doctorem gentium aemulentur, cuius vox propria fuit, Viuo iam non ego, uiuit uero in me christus[4], Mihi absit gloriari nisi in cruce domini nostri IESV christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo[5]. Gratissimum feceris Pater, si meo nomine salutes vniuersos, illisque nouum et felicem preceris annum, quem in propria sui abnegatione et sancta circumcisione ordiantur atque consumant[6]. Tot

a) *Hoc r. et quae sequuntur, usque ad* Pergratum est *excl., in C desunt.* b) *Hoc r. non est in C.*

commodorum osor acerrimus, posthabita per hyemem privati cubiculi opportunitate, eodem cum Tyronibus nostris hypocausto est usus. Quantumcunque per quadragesimam Concionum habendarum accresceret numerus; nihil unquam admittens edulii, communem omnibus toleravit inediam": *Agricola* II n. 1063.

[1] P. Bonaventura Paradinas (de quo *Can.* VI 229—230), rector tirocinii landsbergensis et magister noviciorum, Monachii, quo valetudinis recuperandae causa deductus erat, 5. Octobris 1595 cum sanctitatis opinione mortuus, Landsbergae sepultus est (G. Sup. 44 f. 109b. *Agricola* II n. 367—378).

[2] „P. Rupertus Reindl Passauiensis [Passau, urbs Bavariae] 30. an. in Martio; 8. an. in Societate in Decemb. Studuit iuri 4. an., Philosophiae 3. an., Theol. 3. an.": **Catalogus* ingolstadiensis anni 1590 (G. Sup. 19, III p. 5). „P. Robertus Reindelius, Socius P. Rectoris quoad Nouitios, eorum praecipue qui latine nesciunt · Consultor · Confessarius templi · Praefectus lectorum ad mensam": **Catalogus* landsbergensis anni 1594 (G. Sup. 44 f. 97a). Noviciorum magister 7—8 annos, deinde socius praepositi provincialis 5 annos, postea „praefectus rerum spiritualium" in collegio ingolstadiensi per 16 annos fuit; mortuus est Ingolstadii a. 1630. Eius praeclaras virtutes enarrarunt *Kropf* IV, Dec. 9 n. 284—292, et *J. C. Cordara* S. J., Historiae Societatis Iesu Pars sexta, T. II, Romae 1859, p. 380—381.

[3] Landsbergae a. 1594 admissos esse 24, et totidem a. 1595 affirmatur in „*Litteris* Societatis Iesu duorum annorum M. D. XCIIII et M. D. XCV", Neapoli 1604, 481.

[4] Gal 2, 20. [5] Gal 6, 14.

[6] Kalendis Ianuariis agitur dies festus Circumcisionis Domini.

uitae superioris annos et sibi, et mundo, veterique homini tribuerunt, carni potius quam spiritui seruientes. Nunc tempus plane[a] postulat, ut liberati a peccato, serui autem facti DEo, fructum suum habeant et faciant in sanctificationem, suaque membra exhibeant ad Justitiae seruitutem[1], vt cum D. Paulo loquamur. Pergant duntaxat uti coeperunt, seipsos abnegare, ac uincere, et relictis retibus[2] crucifixum pro ipsis[b] Dominum studiose sectentur, nihilque antiquius habeant, quam cum germanis DEI filijs crucifigere carnem suam cum vitijs et concupiscentijs[3]. Vide Pater, vt me seniorem imbecillum, tuis, illorumque precibus accurate commendes, ut nomen IESV in me quoque glorificetur, siue ad futurum annum uita, siue mors mihi subeunda sit. Solebam antea, vti nosti, Xenia spiritualia cum[c] alibi, tum isthic emendicare, quae si nunc impetres Canisio tuo, charitati et beneuolentiae in me tuae gratias agam sedulo. Praeterea ex me salutatum uelim Iacobum seniorem[4], cuius precibus domino commendari desidero; nec minus Illustrem Dominum Comitem, eiusque Generosam coniugem[5]: utrique prospera precor omnia. Verum de statu Collegij uestri, et de Concionum fructibus, cupio per litteras admoneri. R. P. Visitator[6] munus hic suum obiuit[d], et de toto collegio meritus est optime, ut ei plurimum debeamus. Nunc idem Oenipontum properat duce Christo, Landspergam quoque venturus, ut suis Filijs recte[e] consulat, suamque paternam charitatem declaret singulis. Ora Dominum pro Friburgensibus[f], et messem spiritualem quae vobis obtigit, excole[g]. — — —

.† Reuerendo in Christo Patri P. Iacobo Lucio, Societatis JESV Concionatori. Landspergae[h].

2347. CANISIUS **SOCIO ALICUI** collegii coloniensis.

Friburgo Helvetiorum exeunte a. 1595.

De Hoffaeo visitatore, protestantium in doctrina inconstantia, precibus pro se faciendis.

In codicem quendam P. Claudii Iaii S. J. (sign. „V. 67"), quo Canisius per multum tempus usque ad annum 1595 usus est, impositus est ab ipso, ut videtur, Canisio pars litterarum, per quas ipse Friburgo Heluetiorum a. 1595 ad epistulam a Socio aliquo collegii coloniensis ad se datam vel respondit vel saltem respondere voluit; id quod

a) sane *C.* b) illis *C.* c) tum *C.* d) obijt *C.* e) rite *C.* f) *In C sequitur:* in medio . . . uersantibus · *Supplendum fuerit:* luporum, *vel:* haereticorum, *vel:* sectariorum. g) *In A B C sequitur:* Decemb. 1595. *Haec, etsi versa esse videntur, non a Canisio, sed ab eo, qui exemplum A scripsit, addita esse ostendunt ea, quae, ut supra notatum est, inscriptioni huius exempli ascripta sunt.* h) *In C haec inscriptio deest.*

[1] Rom 6, 19 22. [2] Mt 4, 22; Mc 1, 18. [3] Gal 5, 24.

[4] „Coadiutores Temporales · Iacobus Biruua · subminister · Infirmarius, manuducit etiam Nouitios ad exercitia corporalia": * *Catalogus* landsbergensis anni 1595 G. Sup. 44 f. 107ª. De hoc fratre laico v. *Can.* IV 460 461.

[5] Swicardum ab Helfenstein et Mariam a Zollern, tirocinii landsbergensis fundatores: v. *Can.* VII 795. [6] Paulus Hoffaeus *Duhr*, Jes. I 789.

ex ipsa illa parte cognoscitur; est autem haec litterarum illarum, quae unius paginae in 2° fuerant, pars fere dimidia eaque inferior, et singulorum versuum fere dimidias tantum partes easque priores exhibet. Has modo ponam ita, ut singulorum versuum initio lineolam | praeponam.
— — | sui nominis gloriam prou[ehere][?] — | paulatim constabilire. Jn D[omino] — | suos inimicos ad nihilum — | inde ab aeterno paratum — | Ad literas porro tuas — | ut multorum nomine mi — | quidem instituti est, ac sem[per][?] — | Diuinae sententiae, Sinite [paruulos uenire ad me][?][1] — | tuis respondeo, quod co — | cum R. P. Nostro[2] et uestr — | singulari omnium conso[latione] — | plures id genus Hoffaei in u — | fratres confirmarent, ac ia — | restituerent disciplinae[3]. Le — | ex adiuncto scripto intellig[es][?] — | mutentur tot iam annis edi[tiones] — | ac inuertant sectarij sua so[mnia][?] — | instabilius: nos Catholicos — | tenere constantiam, ut infe — | uidero, an dictae rationes — | in principio editionis nouae — | ago gratias, quod suam dede[rit operam][?] — | spero sane, illum expectatio[ni][?] — | Gratissimum feceris, si pro [Canisio tuo?] — | uestro collegio uniuerso. — | Vrsulam, D. Gereonem, et i—[anti-] | quis amicis salutatis omnib[us] — | 1595.

2348. CANISIUS SOCIIS COLLEGII S. J. OENIPONTANI.

Friburgo Helvetiorum circa a. 1596.

Ex apographo (A) a P. Iacobo Bidermann S. J. scripto et „CANISIVS AD COLLEGIVM Oenipontanum Societatis IESV" inscripto, quod est in Cod. monac. „Keller. Can. 1" f. 57ª—58ª. Aliud apographum (B) idque saeculo XVII. scriptum exstat in Cod. monac. „Keller. Can. 3" f. 39ᵇ—40ᵇ. Tertium (C), saeculo XVII. scriptum et „1596. Ad Collegium Oenipontanum Societatis Jesu" a librario inscriptum, quod ex Radero (de quo infra) exscriptum esse videtur, est in Cod. monac. „Lat. 1606" f. 172ª ad 173ª. Epistulam primus a. 1614 edidit *Raderus* (R) 108—111. Deinde magnam eius partem a. 1616 posuit *Sacchinus* (S), Can. 318—319. Eandem typis exscripserunt *Python* 314—316 et *Agricola* II 219, et germanice reddidit *Kroess*, Can. 209—210 ac gallice *Alet* 309—312. Epistulae partes posuerunt italice *Fuligatti* 131—132, gallice *Michel* 400—402, germanice *Duhr*, Jes. I 234—235.

Beneficia a principibus austriacis in collegia oenipontanum et halense collata eis in memoriam revocat. Eos monet, ut illis se praestent gratos, agrum tirolensem diligenter colant, pro se Deum orent.

Postremas ad uos daturus Charissimi fratres, a prophetico illo dicto ordiar: Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam[4]: hoc enim nomen fortis et inexpugnabilis arx est: loquor autem de singulari beneficio uobis diuinitus praestito quando catholicus perpetuo princeps et ualde laudatus Ferdinandus Austriacus[5] non modo Viennense et Pragense, sed uestrum etiam Oeniponti collegium pro sua

---

[1] Mc 10, 14; cf. Mt 19, 14.
[2] Claudio Aquavivae praeposito generali.
[3] Visitationem collegii friburgensis significat, m. Septembri et Octobri a. 1595 a P. Paulo Hoffaeo magna cum Sociorum consolatione habitam: cf. supra p. 411.
[4] Ps 113 2, 1. [5] Ferdinandus I. imperator.

singulari pietate fundauit construxit atque dotauit[a]. Ad eam rem conficiendam, ego licet indignus, non nihil contuli cum eiusdem Caesaris essem aliquando concionator: sed et coadiutor meus et collega fuit R. P. Nicolaus Lanoius, qui mecum ad locum collegij deligendum atque constituendum istuc profectus est[1]. Quod institutum sane multum auxerunt illustres Reginae praedicti Caesaris filiae · quae tum Oeniponti magna cum pietatis, pudicitiae et uirtutis laude florebant[2]. Nec solum suo parenti[b], sed et germano fratri Archiduci Ferdinando[3] addiderunt animos, ut coeptum hoc opus quod bonis concionatoribus non caruit[4], magis magisque stabiliretur. Aeternum Christo uiuant Margareta, Helena et Magdalena sorores simul et Reginae ex uoto uirgines pudicissimae, nostroque saeculo rarissimae principes quarum beneficentiae non Hallense modo, sed uestrum quoque collegium permultum sane debet[5]. Proinde uestram admoneo charitatem, ut bene precemini huic eximiae, regiaeque Austriacorum familiae, quae domum uobis non modicis sumptibus aedificauit et hortum commodum adiunxit, nihilque deesse sustinuit, quod ad[c] utrumque Tirolense collegium et templum uobis promouendum conseruandumque pertinet. Excolite porro ut coepistis messem Tirolensem, ac in ea cum prospera Domini benedictione pergite laborare. Commendo uobis quoad possum debitae gratitudinis officium quod non solum supradictis fundatoribus Austriacis, verum alijs quoque[d] patronis et amicis quos Christus non paucos tribuit, sedulo et fideliter[e] exhibere debeatis. Egregium uobis patet ostium ad multos nobiles et ignobiles, ad magnos et paruos utriusque sexus homines Christo lucrifaciendos, atque in omni pietatis et uirtutis studio magis magisque confirmandos. Igitur paratam uobis messem, eamque uberem libenter amate et prouehite apud Tirolenses, nec uerbo solum sed etiam exemplo ad maiora[f] aemulanda charismata[6] multorum informate animos, quemadmodum Christus Dominus messis[7] et Societatis nostrae institutum, iustaque amicorum expectatio sancte[g] a uobis exigunt, et deposcunt. Mihi uero iam emerito uelut seni, ac inutili operario haud parum beneficij contuleritis, fratres, si Canisij uestri senioris memoriam uestris et sacrificijs et precibus, quae uestra est in me beneuolentia crebro interposueritis, illud ut[h] spero procuraturi, ut uiui

a) ditauit *C R*. b) *R haud recte:* parente. c) *Ita recte C R; A B:* uel. d) uerum etiam alijs quoque *C R S*. e) feliciter *S*. f) meliora *S*. g) *Minus recte C R S:* sancta. h) *Hoc v. deest apud S*.

[1] Vide *Kroess*, Can. 141–151; *Duhr*, Jes. I 188–190; *Can.* III 106–759; IV 8–1040.

[2] Magdalena, Margarita, Barbara, Helena, Ioanna *Can.* III 36[1] 309 715 etc.

[3] Ferdinando II., principi Tirolis etc.

[4] Optimus contionator certe erat ipse Canisius, qui annis 1571–1575 primum contionatorem principis, deinde contionatorem templi parochialis et templi collegii egit. Hoc vero loco Canisius, sui immemor, significasse videtur imprimis PP. Hermetem Halbpaur et Ioannem Merquitium; cf. *Can.* III 339 340; V 403–404 473.

[5] Cf. *Kroess*, Can. 177–183 193–195; *Can.* VI 3 15 120 250 408[1] 434 etc.

[6] 1 Cor 12, 31. [7] Mt 9, 38; Lc 10, 2.

et defuncti[a] primi patris apud uos memoria non intermoriatur. Bene in Christo ualete Patres fratresque charissimi,[b] ac eam praeclarae uocationis uestrae rationem semper habete ut professione pauperes, obedientia simplices, spiritu feruentes[1] et animarum zelo flagrantes multos in Christo filios generetis atque[a] nutriatis. — —

Epistulam hanc a. 1596 vel 1597 datam esse suadent tum prima eius verba, tum eius pars extrema, in qua Canisius se „emeritum senem" et „inutilem operarium" vocat.

2349. CANISIUS **MICHAELI EBERLIN**, Societatis fratri scholastico, in collegio dilingano degenti. Friburgo Helvetiorum 2. Ianuarii 1596.

Ex apographo (A) saeculo XVI. exeunte vel saeculo XVII. scripto (2°; 1 p.; in p. 2 inscr.), quod est Monachii in archivo maiore reipublicae bavaricae, Jes. in gen., Fasc. 13, No. 214. In eiusdem fasciculi et numeri libello in 4° non conglutinato, p. 17—18, est alterum epistulae apographum (B), saeculo XVII. scriptum. Tertium apographum (C), saeculo XVII. scriptum, exstat in Cod. monac. „Lat. 1606" f. 169ª ad 170ª. Epistulae particula germanice posita est in „Entstehung und erste Entwicklung der Katechismen des seligen Petrus Canisius", von *Otto Braunsberger* S. J., Freiburg i. Br. 1893, 112.

Afflictae res Hungariae et Germaniae. Bathorius princeps. Deus placandus. „Xenia". Catechismus. Convictus dilinganus. Litterarum et virtutum studia.

†

Pax Iesu et felix annus chariss. Michaël.

Quae ad me scribis de Hungaricis rebus[2], vtinam vera non essent, minus quidem et mala imminentia metueremus, et meliora bona speraremus. Experimur satis, quantum veneni adferat secum haeresis, quae bonos conatus Catholicorum perturbat, et Imperium deuastat, ac vires confirmat Turcicas. Misereatur summus[c] Deus afflictae non solum Hungariae, verum etiam Austriae atque Germaniae in tot sectas distractae, vt plurimi nesciant, quae sit religio salutaris. Consolatur nos pius et strenuus Transyluaniae[d] Princeps, qui proelia Domini[3] tam feliciter gerit, vt Catholicis admirationem, impijs autem hostibus terrorem non leuem pariat[4]. Optamus communem populum ad precandum Deum esse ardentiorem, et Concionatores de timore Dei et poenitentia diligenter docere: tum Ecclesiasticos et Religiosos vestigijs insistere Prophetarum, praesertim Hieremiae ac Ioannis Baptistae ad placandum nobis Deum vehementer offensum. Expecto vestra Xenia, mihi seni valde grata futura, quum sentiam corporis vires paulatim labascere.

a) *Hoc v., quod deest in A, suppletum est ex B C R S.* b) ac *C R S.* c) bonus *C.* d) Transyluanus *C.*

[1] Rom 12, 11. Cf. Act 18, 25.

[2] Stephanus Resuanus, Moldaviae princeps, a Polonis victus atque occisus est (*Isthuanffius* 438—439). Murado III. Turcarum imperatore Ianuario a. 1595 mortuo, Mahometes (Mohammed III.), qui in eius locum successit, novam in Hungariam irruptionem parabat. [3] 1 Rg 25, 28.

[4] Sigismundus Bathorius Transilvaniae princeps aperte ad Rudolphi II. caesaris partes transgressus Turcas vicerat et in fugam converterat ac multa Christianorum milia e servitute liberaverat.

vestrisque precibus valde confidam. Salutem ex me dices nostris omnibus et inprimis P. Saluio, qui nescio an Catechismum recudendum a me missum acceperit. Recte valeat P. Regens cum tota familia sua, quam percupio cum in litteris, tum in Catholica pietate, a uobis instrui diligenter[1]. Vide vt studia tua[b] non frigide prouehas: in conscientiae casibus te probe exerceas, simulque valetudinis curam geras quaeso. Vtrique nostrum optauerim[c] nouum et ardentem spiritum ad virtutes Religioso dignas hoc anno complectendas, maxime cordis humilitatem et obedientiae sanctae simplicitatem. Moriamur huic mundo tot periculis et aerumnis obnoxio, occlusas illi geramus aures, solique Christo viuamus, et sedulos fidosque illi praebeamus milites, qui se ipsos vincere, et diuina magis quam humanâ curare velint et possint. Bene vale frater, et pro me Dominum precare, vt vocationi sanctae rectius[d] faciam satis. Friburgi Heluetiorum, postridie Kal. Ianuarij 1596.

Frater in Christo tuus Petrus Canisius.

† Chariss. in Christo fratri Michaëli Eberio Societatis Iesv. Dilingae.

2350. CANISIUS **P. IOANNI BUSAEO S. J.,** theologiae professori in universitate moguntina. Friburgo Helvetiorum 2. Ianuarii 1596.

Ex apographo (A) (2°; 2½ pp. manu saeculi, ut videtur, XVII. scripto et alia quadam manu antiqua emendato, qua subscripto Canisii nomini adnotatum est: „Has litteras scripserat P. Johanni Busaeo Moguntinam". Cod. colon. I. A. 17 f. 5 6. Apographum hoc ex autographo exscriptum esse colligi potest ex *Reiffenbergio*, qui I 7¹ de his litteris scribit: „Extat Autographum in Cod. Ms. Coll. Colon." Alterum apographum (B), saeculo XVII., ut videtur, scriptum, in quo tamen complura omissa sunt, exstat in Cod. „Germ. 118" f. 351ᵇ–352ᵇ; tertium (C) idque saeculo XVI. vel XVII. scriptum in „Cod. Epp. NN. 90" f. 187; quod ab ipso librario inscriptum est: „Ex autographo Reuerendj P. Petrj Canisij ad Reuerendum P. Joannem Busaeum." Pars (R) epistulae („De me nescio" usque ad „fecit in Germania" incl.) ab ipso Busaeo ex autographo transcripta est in litteras P. Radero destinatas, de quibus dictum est supra p. 399. Item P. *Nicolaus Serarius* S. J. historicus moguntinus in „Mogvntiacarvm rervm libris quinque", Moguntiae 1604, 894–895, complures harum litterarum partes ex autographo edidit (S). Integras litteras ex apographo A edidit *Hansen*, Akten 10–12; eaedem ex apographo C editae sunt in „*Fabri* Monumentis", 484–488. Epistulae partes posuerunt *Raderus* 231; *Reiffenbergius* I 7; *Riess* 30 (germanice); *Rud. Cornely* et *H. Scheid* S. J., Leben des seligen Petrus Faber², Freiburg i. Br. 1900, 128–129. Litteris usus est *Eb. Gothein*, Ignatius von Loyola, Halle 1895, 670.

Res a Petro Fabro in Germania gestae (ministeria sacra, pietas, amor paupertatis). Canisii cum Fabro congressio, vocatio ad Societatem, labores. Vaticinium de Societate. Primi Socii in Germania. Canisii contiones.

† Pax JESV et felix annus Reuerende Pater.

Doleo perijsse, quae vestris rescripsi litteris, et quaestionibus. Et satis quidem copiose responderam. Nunc, quae in mentem veniunt, largiente Domino, repetam in gratiam Moguntinorum.

a) *In C sequitur* et. b) *Hoc v. deest in B.* c) optarim *C.* d) certius *C.*

[1] In „Conuictorio" S. Hieronymi P. Antonius Kaut „Regens", P. Georgius Salbius „praefectus Monachorum et praefectus studiorum inferiorum", Eberlin „praefectus Minimorum" erant (*Catalogus* dilinganus exeuntis a. 1595. G. Sup. 44 f. 102ᵇ).

R. P. meus Faber, cum esset annorum circiter 36, a praestanti Cardinale, et Archiepiscopo Alberto Brandeburgensi expetitus, Moguntiam, habitandi causa peruenit, anno 42[a], quum[b] antea Spirae, ac Ratisbonae vixisset, in Comicijs Imperij, bonamque dedisset operam multorum Magnatum confessionibus excipiendis, et iam Germanis quoque familiaris esse coepisset, qui religiosa simul, et iucunda illius consuetudine oblectabantur. Vixit idem Moguntiae, in aedibus D. Conradi[c], parochi apud D. Christophorum, quem ex concubinario Carthusianum effecit, idemque vt puto, in Carthusia Coloniensi diem clausit extremum. In huius aedibus versabar et ego, quum[d] solus ad invisendum dictum Patrem Fabrum, venissem Moguntiam[e], mihique persuaderi passus sum, vt spiritualibus meditationibus statim exercerer. Eo[f] tempore Psalterium Dauidicum ab eodem Patre in schola Theologica praelegebatur: atque vtinam scripti ab eo commentarij reperirentur, quos Carmelitanus quidam sic satis illi familiaris exceperat. Vitae sumptus illi praebuit dictus Archiepiscopus, qui boni Patris colloquijs recreabatur, eumque mittere statuerat ad synodum Tridentinam, vna cum D. Suffraganeo suo, creato postea[g] Episcopo Mersbergensi[h] [1], qui P. Fabro etiam de peccatis confitebatur. Et consenserat quidem Pater, vt Tridentum abiret, sed noua inciderunt impedimenta, visumque fuit P. Ignatio sanctae mem:, vt ex Germania in Portugaliam iter institueret, sicut postea factum fuit. Habuit idem Pater Moguntiae alteram habitationem, domumque propriam, in cuius vicinia, non satis pudice viuebatur, ac ni fallar, ex illis aedibus Coloniam venit, vbi me apud D. Gereonem [?][i] Canonicos [?][k] commorantem, offendit[2]. Moguntiae libenter inuisit[l] Ecclesiam Cathedralem, praesertim cum thesaurus ingens Reliquiarum, quas nominatus Archiepiscopus collegerat, ac exornarat, in maioribus Ecclesiae festis publice proponeretur. Ex tali conspectu praesens Pater mirifice mouebatur, multasque fundebat lacrymas ex ardenti pectore, sicut itidem factum fuit in die Corporis Christi, cum sanctissimum Sacramentum religiose per vicos circumferebatur. Sacrificium subinde obtulit Deo non solum in summa aede, verum etiam apud D. Christophorum, et in templo ad gradus Deiparae Virginis, tum apud Carmelitas, et extra muros ad D. Albanum. Singularem illi attulit pietatem, conspecta imago Crucis, in quam dire homo nequam saeuierat, et altera vetustior Christum Crucifixum exhibens. In more habuit valde modeste per vicos ambulare; horam post vesperas meditando, genuaque flectendo in templo consumere, in quotidiano sacro saepe lacrymari, defunctorum fidelium

a) 1542 *B S.* b) cum *C.* c) Chunradi *S.* d) cum *C.* e) Cum solus ad inuisendum dictum Patrem venissem, in eiusque aedibus versarer *B.* f) Eodem *S.* g) *Hoc v. deest apud S.* h) Mersburgensi *B.* *In C* Mersburgensi *correctum est (ex Mersbergensi, puto).* i) *Sic A C; corrigendum esse videtur* Gereonis. *Ita etiam Ha.* k) canonico *C.* *Corrigendumne est* canonicum? *Cf infra, adnot. 2.* l) inuisebat *B.*

[1] Michaele Helding, qui postea fuit episcopus merseburgensis.

[2] Commorabatur apud Andream Heerl de Baardwijk canonicum ecclesiae collegialis S. Gereonis *Can.* I 94 101.

afflictis in purgatorio animabus compati, inter edendum apud externos[a] sacra miscere colloquia, et ad praesentium aedificationem se componere diligenter solebat [?][b]. Attulerat illi Cancellarius[1] non exile munus ab Archiepiscopo destinatum, fortasse 50. fuere Daleri, quos omnes ille donauit xenodochij pauperibus, Cancellario valde repugnante, atque dissuadente. Moguntia porro discessit anno, 1543 · postquam ego me totum Societati, in aedibus supradicti Parochi tradidissem, et Coloniam redijssem[2]. Venit et ipse Coloniam, atque in scholis artium, vti vocant, latine festis est diebus concionatus, ibique curam familiae habere caepit[c] ex Lusitania missae, quoniam Belgas a P. Francisco de Strada Louanij conuersos in Belgium remiserant[3]. Huic familiae discedens, praefecit P. Leonardum[4] Louaniensem. Verum quoniam Romanae vrgebant litterae, diu Coloniae manere non potuit, sed Louanium, et Antuerpiam discessit, vt ad iter Lusitanicum se[d] componeret: vbi aliquot mensibus decubuit, febribus impeditus, et inde rursus Coloniam nobis redijt, praeter expectationem, ac non diu restitit.

De me nescio quid scribam, nisi quod magno Dei beneficio excitatus, Moguntiae quaesiui, et inueni thesaurum absconditum[5], quem vt assequerer, relictis retibus[e][6], Christum elegi pauperem, ac duobus inde [?][f], ni fallor [?][g], annis, ex obedientiae praescripto Coloniae substiti[7], nostris[h] alendis operam dedi, et sacris initiatus, Leodium, et deinde[i] castra Caesaris[8] petij, vt Cleri Coloniensis ab haeretico suo Archiepiscopo[k][9] afflicti causam agerem, eaque legatio non infeliciter cessit[l] Dei benignitate. Longum esset adscribere, quomodo Cardinalis Augustanus[10] in causa fuerit, vt Concilium peterem Tridentinum, in quo RR. PP. Claudium[11], Laynez, et Salmeronem offendi. Romam perueni anno 48. vocatus a R. P. Ignatio[12], qui anno sequenti me reducem e Sicilia professorum classi adscripsit[13], et deinde misit in Bauariam ac Austriam, primumque Prouincialem fecit in Germania · Benedictus Deus, cuius gratia mihi videre licuit sanctam uiduam

a) exteros *C.* b) *Hoc r. non est in B C.* c) Labere coepit familiae *C.* d) sese *C.* e) *Haec 2 vr. desunt in R.* f) *Legendumne* deinde? *Hoc certe est in C R.* g) *Legendum fortasse* fallar; *quod est in C R.* h) *In B. sequuntur vv.:* Patribus, qui eo venerant. i) deindeque *R.* k) *In B. sequitur:* Hermanno. l) successit *B.*

[1] Anno 1545 Alberti cancellarius erat Dr. Zacharias Pirer (*I. H. Hennes*, Albrecht von Brandenburg. Mainz 1858. 330).

[2] Cf. *Can.* I 74—78. [3] De his v. supra p. 310.

[4] Kessel; v. supra p. 310. [5] Is 45, 3; Mt 13, 44.

[6] Mt 4, 20 22; Mc 1, 18.

[7] Canisius, 8. Maii 1543 Moguntiae in Societatem admissus et paullo post inde Coloniam reversus, ibi mansit fere usque ad initium anni 1547; cf. *Can.* I 44—46 75—234. [8] Caroli V. [9] Hermanno a Veda (Wied).

[10] Otto Truchsess a Waldburg. [11] Iaium.

[12] Canisius Romam venit m. Septembri a. 1547 (*Can.* I 47 250 252).

[13] Canisius a m. Aprili a. 1548 ad Iunium a. 1549 in collegio messanensi versatus, 4. Septembris 1549 Romae coram S. Ignatio quattuor sollemnia Societatis vota nuncupavit (*Can.* I 48 54—55 272—295).

Arnhemij[a], qua monente didici[b] de nouo Sacerdotum ordine, ad reformationem Ecclesiae instituendo, cui et ego adscribendus essem[1]. In Germania conspexi ex primis Patribus P. Petrum Fabrum, cui perdifficile uisum fuit, lapsam in fide Germaniam, ad Romanae Ecclesiae vnionem reducere: P. quoque Nicolaum[c] Bobadillam, qui primus e nostris exul factus est Augustae[2], et P. Claudium Jaium, qui annos aliquot adhaesit Cardinali et Episcopo Augustano[3]. Jdem Wormatiae coram Ferdinando Rege Romanorum Jtalice fuit concionatus, et magno quidem cum applausu auditorum, et praeterea docuit sacra in scholis, Ingolstadij, et Viennae, pergratus Theologus eidem Regi, qui postea Caesar declaratus est[4]. Ego nescio, qua ductus fiducia, cum nondum Sacris initiatus essem, et huc inuitarer, ad concionandum prosilij, in Brabantia, et Coloniae[5], post acceptum autem Sacerdotium Ingolstadij, Viennae, Pragae, Augustae, Argentinae, Wormatiae, Nouiomagij[d], Eluangae, Oeniponti, meo more verba profudi, non magnus quidem qui docerem et facerem[6], sed minimus in regno coelorum[7] [*etc.*[e] Bene in CHRISTO vale Pater *etc.*]. Friburgi[f] postridie Calend. Januarij. A.[g] 1596.

Seruus in Christo

Petrus Canisius[h].

Busaeus in *litteris Moguntia 3. Ianuarii 1611 ad P. Matthaeum Raderum S. J., qui Canisii biographiam parabat, datis de hac Canisii epistula scripsit: „Mearum litterarum exemplar coactus sum Romam mittere, vt ex ijs cognoscerent omnia, quae P. Canisius ad me de P. Petro Fabro scripsisset, a quo hic ad Societatem receptus [est], postquam per octiduum in Carthusia illum excoluisset nostris exercitijs. Paratus sum idem exemplar ad R. T. mittere, si volet."

Quoniam Canisius in his litteris affirmat, Beatum Petrum Fabrum „defunctorum fidelium afflictis in purgatorio animabus cōpati" consuevisse, iuverit hic addere, quae *Canisius* in codice quodam suo (*Can.* 50 P. II f. 38[b]), tempore non ascripto, sua manu *scripsit: „Ex P. Fabri scriptis. Ad bene orandum pro defunctis opus est spiritu mouente ad compassionem habendam pro illis, ex quo spiritu sentiebat idem Pater magnam abundantiam lachrymarum faciendo discursum circa parentes et consanguineos, circa benefactores et fratres, eorumque progenitores, quorum animae torquentur in purgatorio, et maximis contritionibus affliguntur. Sensit etiam ac scripsit optimum esse, ut animae purgatorij a nobis inuocarentur apud Deum, quatenus detur nobis peccatorum uera cognitio uerusque sensus, tum[i] [?] diligentia et

a)) *In B. sequitur:* in Geldria. b) iam olim didiceram *B.* c) Jn Germania praeter P. Petrum Fabrum, uidi P. Nicolaum *B.* d) Nouimagij *B.* e) *Quae uncis inclusa sunt, suppleri ex C.* f) *Hoc v. non est in C.* g) *Hoc* A. *non est in C.* h) Pet. Canisius manu propria *C.* i) *Vel:* cum.

[1] Vide, quae de hac praedictione notata sunt *Can.* I 37.

[2] Bobadilla, quia infaustam illam legem „Interim" a Carolo V. ordinibus imperii propositam vehementius impugnabat, eius iussu in Italiam amandatus est (*Bobadillae* Monumenta, Matriti 1913, 137—147 622; *B. Duhr* S. J., Die Thätigkeit des Jesuiten Nicolas Bobadilla in Deutschland, in „Römische Quartalschrift" XI, Rom 1897, 580—581). [3] Ottoni Truchsess de Waldburg. [4] Ferdinando I.

[5] Quando Canisius subdiaconatu, qui primus est ex ordinibus sacris, initiatus sit, ignotum est. Diaconus factus est 20. Decembris 1544. Die 31. Octobris 1543 Coloniae orationem latinam ad clerum habuit. Die 27. Septembris 1544 Colonia Fabro scripsit, se modo germanice contionari coepisse (*Can.* I 112 124 664).

[6] Cf. Mt 5, 19; Act 1, 1. [7] Mt 5, 19.

cura bene operandi, sed et sollicitudo faciendi fructus poenitentiae[1] ac demum cauendi defectus omnes, quorum gratia tantas paenas animae in purgatorio patiuntur. Praeterea notabat P. Faber, et a nobis notari uolebat nuditatem animae ac spiritus in purgatorio ad maiorem compassionem exhibendam afflictis, qui omnia mala quae patiuntur, in proprio spiritu et sine corpore sustinent, unde dolor sequitur profundior penetrans animam intimius, quam mediante corpore mortali sentirj posset." Haec ostendunt, Canisio „Memoriale" illud B. Petri Fabri (v. *Can.* I 4[1]) praesto fuisse; in hoc enim notata illa Canisii maximam partem reperiuntur (Memoriale n. 164 168 169, in „*Fabri* Monumentis" 576—579).

2351. CANISIUS P. PAULO HOFFAEO S. J., visitatori provinciae Germaniae superioris. Friburgo Helvetiorum a. 1596.

Ex commentario vel apographo ab ipso Canisio scripto. Can. 50, II f. 74[a].

In collegio friburgensi sacerdotes versari nimis multos. Eos reformatione indigere in rebus ad ministeria sacra, litterarum studia, mores pertinentibus.

— — De sacerdotibus nostris.

Dubito, expediatne sacerdotes tam multos (sumus enim 11) in hoc ali collegio, qui parum exercentur in spiritualibus, uno et [?][a] paucis exceptis, et alibi commodius ponerentur, ac utiliores esse fortasse possent, minusque otiosi.

Jndigent reformatione, ut in quotidiana conuersatione non ita contendant ac disputent. 2 ut in caeremonijs Missae non adeo uarient, sed sint inter se uniformiores[2]. 3 ut in studijs magis proficiant et libentius uersentur. 4 ut saepius exeant ad aegrotos et miseros et hoc sanctum negotium uni et alteri non committatur. 5 ut melius mereantur de coadiutoribus[3] egentibus bona et crebra exhortatione. 6 ad maiorem grauitatem domi forisque praestandum. 7 ut in conuiuijs apud externos[4] non respondeant ad aequales haustus, neque conforment se alijs ad mensam post prandium cantantibus, ut praeterea oblatos uini cyathos refutent aut modice gustent intra prandium et coenam, domi uero propter exemplum raro bibant extraordinarie: neque Minister in hoc consentiat petentibus, nisi Rectore postea monito.

Jtem egent plaerique lectione spirituali, atque ut peritiores fiant in usu nostrorum exercitiorum quae a paucis tradi possent externis[5].

a) *Sic. Sed res ipsa exigere videtur, ut corrigatur* uel.

[1] Mt 3, 8; Lc 3, 8.

[2] „[Missae] ceremoniis eisdem omnis Societas, quantum fieri potest, utatur: in quibus usum romanum. . . . . quantum patietur regionum varietas, sequetur": *Constitutiones* S. J. P. 4, c. 8, n. 2. „Caerimonias Missae ex vsu Romano accurate vnus quisque obseruet": Regulae Sacerdotum n. 4 (*Regulae* Societatis Iesu, Romae 1582, 160).

[3] Exstant adhuc *Canisii* manu scripta „Puncta inter fratres Coadiutores tractata" (Can. 51 f. 376[a]). Haec „de sanctificatione" B. Mariae Virginis sunt, et a Canisio fratribus illis laicis Societatis proposita esse videntur aut Oeniponte aut Friburgi.

[4] A parochis rusticanis saepe arcessebantur ad ministeria sacra obeunda.

[5] „Ad Exercitia Spiritualia aliis tradenda . . . assuescant; et dent operam omnes, ut et eorum reddere rationem, et in hoc armorum spiritualium genere tractando (quod Dei gratia ad ipsius obsequium tantopere conferre cernitur) dexteritatem habere possint": *Constitutiones* S. J., P. 4, c. 8, n. 5. Sacerdotes Societatis „intelligant sibi

Pauci loquuntur bene latine et accurate, sicut exigunt nouae studiorum regulae, immo frequenter impingunt in regulas Grammaticorum, et offendunt exteros barbarie uerborum, male consulentes et suo et Societatis honori [1].

Quidam relictis studijs nimium dediti sunt cantui, et studiosos ad cantum incitant, parum solliciti ut in literis et moribus proficiant studiosi [2].

Expediret modum et frenum illis imponere, qui ad crebras excursiones ualde propendent, ut externi quidam offendantur, et iuniores alij non sacerdotes ad saepius exeundum domi prouocentur. Optandum esset uicinum nobis hortum obtingere uel praedium, in quo se nostri subinde recrearent, neque passim in pagis circumcursarent · eaque res minuit potius quam auget illis autoritatem apud caeteros [a], ciues et studiosos. — —

Quo tempore haec scripta sint, colligi potest inde, quod Canisius ait, in collegio friburgensi modo 11 sacerdotes habitare. Annis 1583 1594 6—9 sacerdotes ibi erant (* *Litterae* annuae collegii, Cod. I 36 f. 13ᵃ—63ᵃ). Ibidem 9 sacerdotes versari affirmatur in * *Litteris* annuis collegii 25. Novembris 1595 datis (l. c. f. 67ᵃ). In * *Catalogo* friburgensi anni 1595, qui circa initium a. 1596 scriptus esse videtur, comparent sacerdotes 12; in * *Catalogis* proximorum duorum annorum, qui ineuntibus a. 1597 (quo Canisius mortuus est) et a. 1598 scripti esse videntur, noveni comparent (G. Sup. 44 f. 105ᵇ 106ᵃ 116ᵇ 124ᵃ). Collegium friburgense 12 sacerdotes habere affirmatur in „*Annuis* Litteris Societatis Iesu Anni M. D. XCVI", Neapoli 1605, 185. Canisius igitur haec scripserit anno 1596. Scripsit autem, ut ex ipsius verbis cognoscitur, alicui ex maioribus Societatis moderatoribus; ac cum hoc tempore P. Paulus Hoffaeus auctoritate praepositi generalis provinciam Germaniae superioris visitaverit (*Duhr*, Jes. I 789 et Zeitschrift für katholische Theologie XXIII, 619 623), eum huic scripsisse valde verisimile est.

2352. CANISIUS **IOANNI IACOBO A STAAL**, patricio et senatori reipublicae solodoranae. Friburgo Helvetiorum 24. Martii 1596.

Ex apographo saeculo XVII. scripto. Cod. monac. „Lat. 1606" f. 178.

Ei reditum ac valetudinem gratulatur, et ut quiete Deo vacet, commendat.

a) *Sequitur* et, *oblitt.*

ratione peculiari incumbere, vt exercitiorum spiritualium quae tantopere ad Dei obsequium conferre cernuntur, vsum valde familiarem habeant; quo, et alios ad ea suscipienda adducere, et in eo tam vtili armorum spiritualium genere tractando dexteritatem habere possint": Regulae Sacerdotum n. 7 (*Regulae* [ut supra p. 419²] 161).

¹ „In sermone quoque domestico Nostrorum inter se incumbendum sedulo esset in restituendo retinendoque vsu linguae Latinae, quem tantopere commendant Constitutiones, et quo indigent admodum ministeria Societatis et nationum communio. Instituendi videntur eius rei Censores et poenitentiae, vt earum frequentia prope quotidiana Nostros in officio contineat, eosque non solum a sermone vulgari auocet, sed a barbara quoque latinitate, quam affectare videntur interdum": Ita „*Ratio* Studiorum" Societatis a. 1586 a Claudio Aquaviva praeposito generali in eius provincias, ut ab iis examinaretur, missa (Exercitationum genera n. 7; *Pachtler*, Ratio Studiorum II 169).

² P. *Paulus Hoffaeus* visitator Friburgo Helvetiorum 26. Octobris 1596 Aquavivae * scripsit: „In hac Schola Friburgensi . . . institutam reperi Scholam Musicae, cui tamen nostri non praesunt, sed externus aliquis noster Scholaris pretio ad hoc conductus; . . . [est] hoc exercitium Clero gratissimum" (ex autogr.; Germ. 175 f. 201ᵇ).

Pax Christi nobis aeterna Magnifice Domine.

Vidi literas humanitatis tuae ad obseruandum nostrae Reipub: Praesidem [1] nuper datas, in quibus quum Canisij tui mentionem nimis honorificam facias, iure me pudet tantae commendationis, qua prorsus indignum ac miserum senem exornas. Illud inprimis placuit, quod ueterem in me amorem studiumque tuum renouare digneris, quodque post longam intermissionem ad scribendum redeas, nec solum ex Gallia Patriae, uerum etiam post longum languorem ualetudini pristinae sis utcunque restitutus. Summo Deo gratia quo Duce militarem expeditionem absoluisti [2], ac nunc optata et domestica quiete frueris, ut uel reiectis uel [a] imminutis mundi negotijs non necessarijs, tibi simul et Christo commodius inseruias, et quoniam uelut umbra et fumus [3] cuncta sub sole transeunt [4], ad Sublimioris Philosophiae partem solidam excolendam te totum transferre uidearis. Quod si porro de me aliquid dicendum est, uiuo equidem ut possum non ut uolo, in hac aetate prouecta et fastidiosa, cuius angores et aerumnas quotidie sustinere pergo, alijs quidem iuuandis impar, mihi uero et senilibus studijs subinde uacans eoque libenter aspirans, ut aduentanti Domino quem in horas exspectare debeo, uigilantem ac fidum exhibeam Simeonem [5]. Nec tamen obliuisci possum mihi percharae Reipublicae uestrae quam opto et spero sub tanto Patrono Diuo Vrso in Catholica fide et pace constantem Deo propitio perseuerare. Bene in Christo uale Charissime Vir, cum tota familia tua, et amicis omnibus ex me salutem precare plurimam. Datum Friburgi Heluetiorum pridie Annuntiatae Deiparae [6] 1596.

Seruus in Christo

Petrus Canisius.

Librarius in codice, praeter consuetudinem, huic epistulae nullam addidit inscriptionem. Hac ipsa ratione significasse videtur, inscriptionem, quam epistulae proxime praecedenti inscripserat, ad hanc quoque pertinere; ea autem sic se habet: „Ad Nobilem D: Joannem Jacobum a Staal Solodorensem“. Atque huic scripsisse Canisium satis certum redditur rebus, quae in epistula dicuntur.

Staal Canisio respondit 20. Aprilis 1596.

2353. CANISIUS **P. IACOBO RYSWICK S. J.**, nepoti, Monasterii Westphalorum in collegio Societatis degenti.

Friburgo Helvetiorum 24. Martii 1596.

Ex autographo (2° min.: 1 p.; in p. 2 inscr. et sig.), quod est Treviris in bibliotheca urbis. Inscriptioni alia manu adnotatum est: „23. Aprilis 1596. P. Petri Canis. manu propria.“

Gaudet, eum eiusque fratrem Societati nomen dedisse in eaque optime se gerere. Excitat eum, ut in perfectionis religiosae studio perseveret. Preces pro patria et se ipso petit.

a) *In apogr. sequitur* non; *quod delendum esse tota haec oratio ostendit.*

[1] Antonium a Montenach significare videtur.
[2] Vide supra p. 369.
[3] Cf. Ps 101, 4; Sap 5, 15; Os 13, 3.
[4] Sap 5, 9; Ps 143, 4; Eccle 7, 1; 8, 13.
[5] Cf. Lc 2, 25–35.
[6] 24. Martii.

† Pax Christi nobis aeterna. Nepos chariss.[1]

Laetus Christo domino gratias ago, quod ex R. P. Hoffeo nostrae prouintiae collegia modo uisitante intelligam[2], te in uocatione tua constantem, et ad sacerdotalem ordinem, aliaque propria instituti nostri munia delectum ea praestare, quae sanctae obedientiae filio[3] congruunt. Benedictus pater misericordiarum[4], quo duce gratiam tibi concessam auges et ornas, mundo uere mortuus, et cum ardenti Christi spiritu ita coniunctus, ut in sancta et perfecta illius uoluntate[5] totus acquiescas. Optimam sane partem elegisti[6], quicquid mundus uere immundus ac insanus iudicet: perge obsecro uti coepisti, contemptis omnibus, ac abnegato teipso, maiora et meliora charismata aemulari[7], atque Crucifixum Dominum, qui se nobis redimendis libenter impendit, ardenter toto pectore redamare, Adfuit diuina bonitas conatibus tuis, quos hactenus in erudienda iuuentute et formandis concionibus in schola et templo adhibuisti. Jdem bonorum fons omnium aderit porro, ut fructum non uulgarem colligas ex ijs functionibus, quas ex praescripto maiorum domi ac foris obibis. Nosti proculdubio, Deum amanti, et in obedientiae uia regia[8] progredienti nihil esse difficile, nobisque diuinae gratiae cooperantibus feliciter cedere uniuersa. Gaudeo sane tum tuo, tum fratris Embricae habitantis[9] nomine, quod eodem spiritu ac desiderio impulsi, uos totos Christo et societati nostrae consecraueritis, tantosque in illa progressus feceritis, ut prudentibus maioribus haud parum satisfactum esse uideatur[10]. Non repetam de

[1] Iacobus Ryswick (Ryswijck) filius erat Aegidiae Canisiae, quae Petri Canisii soror ex Patre erat et secundis nuptiis Theodorico a Ryswick se iunxerat (*H. Allard* S. J., in „Studiën" D. XLI, 160). Iacobus hoc tempore Monasterii Westphalorum (Münster in Westfalen) in Societatis collegio a. 1588 incohato versabatur; unde excursiones apostolicas in varias regiones, velut in Frisiam orientalem, fecit. Imprimis comitem rietbergensem (Rietberg, in Westfalia) et eius uxorem atque totam terram eius imperio subiectam quinque annorum labore ad ecclesiam catholicam reduxit. Anno autem 1606 in bello brunsvicensi comitem illum comitatus, dum eius milites pestilentia correptos curat, ipse victima caritatis occubuit (*Reiffenbergius* I 426—427; *Duhr*, Ies. II[1] 46—47 62—63; II[2] 301 499).

[2] Ante provinciam Germaniae superioris provincia rhenana, ad quam collegium monasteriense pertinebat, ab Hoffaeo visitata erat; cf. supra p. 412.

[3] 1 Petr 1, 14. [4] 2 Cor 1, 3. [5] Rom 12, 2.

[6] Lc 10, 42. [7] 1 Cor 12, 31. [8] Nm 21, 22.

[9] Collegium embricense (Emmerich, urbs ad Rhenum inferiorem sita) a. 1592 incohatum erat.

[10] Theodoricus Ryswick, a. 1565, ut fertur (*Allard* l. c.), natus, a. 1582 Societatem ingressus, cum Meppenae, Cliviae, Xanti (Meppen, Cleve, Xanten) protestantibus ad ecclesiam reducendis egregiam operam navasset, Gochiae (Goch), ubi praesidem missionis agebat, a militibus batavis captus et Noviomagum ductus est; atque ibi, falsis insimulatus criminibus, sexto fere mense postquam in carcerem descenderat, aerumnis confectus est 4. Iulii 1625 (*Reiffenbergius* I 592—593; *Duhr*, Jes. II[1] 57—58 69—70 72—73; II[2] 37—38; *Math. Tanner* S. J., Societas Iesu usque ad sanguinis et vitae profusionem militans, Pragae 1675, 98—99; *R. Scholten* in „Niederrheinischer Geschichts- und Altertumsfreund", 8. Jahrg., Cleve 1910, 21—23).

patriae miseranda conditione [1], in qua nihil iustius quam inobedientiae crimen deplorandum est, nec dicam de matris tuae et sororis meae multiplici orbitate. Nostrum est afflictis propter iustitiam cunctis ex animo compati, et opem Dei praesentem amicis comprecari, multo magis autem contendere, ut quae retro sunt obliuiscentes, ad anteriora et perfectiora nos totos extendamus [2], et propositum nobis brauium [3] ardenter expetamus. Verum imprudenter ago, quod charitatem tuam in rebus notis atque vulgaribus detineam, cum certe hac admonitione non indigeas, ipsaque vnctio te doceat [4] satis. Vide frater, ut senioris Canisij tui non obliuiscare: sum etenim senex ualetudinarius, et iuuandis alijs impar, qui fratrum precibus atque praesidijs egeo uehementer. Faxit dominus, ut de necessitate uirtutem facere, et in patientia meam possidere animam [5] possim, utque aduentantem Dominum excipiam uigilanter [6]. Gratissimum feceris, si residuam uitae meae partem ter oblato sacrificio beatissimae Trinitati commendaris. R. P. Rectori [7] et collegio uestro salutem ex me plurimam dicas uelim. Sanctum et foelix pascha ex animo precor omnibus. Friburgi Heluetiorum pridie sanctiss. virginis annuntiatae [8]. 1596.

Tuus in Christo Petrus Canisius manu propria.

† Reuerendo in Christo Patri Jacobo Risuichio sacerdoti Societatis JESV in collegio eiusdem Societatis,

Monasterij in Westphalia.

2354. IOANNES IACOBUS A STAAL, patricius et senator solodoranus. CANISIO. Solodoro 20. Aprilis 1596.

Ex apographo eiusdem temporis, manu ignota scripto, quod Staal sua manu inscripsit: „D. Petro Canisio." Cod. solodur. „Stal" p. 204 205.

Cur praefecturam lugdunensem susceperit, cur ea se abdicarerit. De editionibus Hieronymi et Ambrosii. De amicis.

Jnter alios praestanteis et amicos uiros, qui de expetito in patriam reditu nobis congratulati sunt, scriptis et uerbis, ita me Deus amet uix quisquam ita propositum meum confirmauit, atque tuae nostrique honorandj Cognati Domini uidelicet Iodoci Pfifferj prudentissimi Consulis Lucernensis [9] literae, quae licet non eodem tempore, ita tamen in eandem sententiam scriptae sunt, ut ex eadem officina prodijsse aut eodem ouo prognatae esse uideantur. Non dubito, Venerande Pater quin tibj alijsque pijs uiris quibus hic mundus crucifixus est [10], et qui eiusdem honores, pompas ac diuitias, ad quas auide [?] [a] anhelat [?] [a], ueluti abiectamenta ac stercora [11] contemnitis, infrequens et alienum uisum

a) auidj anhelatis *apogr.; id quod certe falsum est* · auidj homines anhelant?

[1] Anno 1592 Batavi calviniani sub Mauritio principe Auriaco Noviomagum ceperant.
[2] Phil 3. 13. [3] Phil 3. 14. [4] 1 Io 2, 27. [5] Lc 21. 19.
[6] Cf. Mt 24. 42 44; Lc 12. 35 40.
[7] Gisberto Nirbach *Duhr*, Jes. I 149. [8] Die 24. Martii.
[9] Estne hic idem ac Ludovicus ille Pfyffer, de quo supra p. 284 [1]?
[10] Gal 6. 14. [11] Cf. Phil 3. 8.

sit, quod homo Musis, quieti, ac Reipubl: natus in tali Dignitate et aetate, nomen militiae dederim, cuius miserias, intemperiem, et Deo deuotis conscientijs penitus auersandum statum secundis bellis Ciuilibus quum plausibiliore titulo, pro focis et aris Gallorum ter pugnatum, nec tamen depugnatum est, ad nauseam usque expertus fuit, ex eoque tempore iterum iterumque oblatas ad summa perueniendi occasiones pacis ac tranquillitatis studio, respuit. Sed ut huiusce admirationis scrupulum tibi eximam: quae me caussae eo impulerint, paucis accipe:

Impia non praedae me traxit in arma cupido.
Innocuae uolui nec grauis esse plebi.

Cum periculosis et arduis Reipublicae nostrae negotijs (dum scrinijs praefui et Nomophylacis officio fungerer) consumptus et attritus, ob debilitatum intempestiuis ac perpetuis scriptionibus uidendi sensum, me tunc ferendo oneri iamiam imparem fore praeuiderem, nec tamen otio meipsum tradere cuperem, occasione dimissarum Cohortium uestrarum, de impetranda tunc temporis uacante Praefectura praesidij Lugdunensis cogitare coepi, non quidem eo consilio, quod ipsus talem prouinciam semper administrare uellem, sed ut hinc quidem filiorum natu maximo locum ad eandem praepararem, inde uero eos qui adhuc sub ferula degunt, iuniores filios, illic uestrae Societatis in Collegio ea commoditate sustentare et minore cum sumptu enutrire possem. Sed cum hominis sit proponere, Dei uero disponere[1], dispares admodum uota nostra habuerunt exitus, et propter insecutam omnium rerum perturbationem, non solum liberi speratae institutionis fructu caruere (P.P. Societatis uestrae solum uertere iussis)[2] sed ego ipse etiam, compellente morbo, alijsque ab archetypo tui Mauritij[3] discrepantibus caussis, nisi de corporis et animae salute periclitari uellem, de alteri tradenda lampade, consilium inire, coactus sum. Cuius quidem resignationis eo minus me poenitet, quod tuo etiam calculo eandem confirmari uideo. Multae uiae uidentur hominibus rectae, nouissima uero earum deducunt ad mortem[4]. Admodum difficile est, corruptissimo hoc rerum statu, Principum nutibus inseruire simul et auitas Maiorum obseruare leges, qui[a] maiorem, quam hodie apud multos in usu sit, ciuium suorum rationem habendam esse censuerunt. Alij transmisso Rubicone aleam iacere, aut aureis piscari hamis possunt[5]. Equidem propter uindictae obnoxios male pacatorum Principum animos, et corruptam ob insoluta stipendia disciplinam militarem (ne quid dicam de

a) quae *apogr.*

[1] Cf. Prv 16, 9. [2] De Societatis hominibus e Gallia eiectis v. supra p. 391.
[3] Librum significat a Canisio de vitis SS. Mauritii et Ursi scriptum: v. supra p. 358.
[4] Prv 14, 12.
[5] *Suetonius* Caesarem, cum Rubiconem transgreditur, clamantem facit: „Iacta alea est“: De vitis Caesarum l. 1, c. 32. *Idem* de Augusto imperatore scribit: „Minima commoda non minimo sectantes discrimine similes aiebat esse aureo hamo piscantibus, cuius abrupti damnum nulla captura pensari posset“: L. c. l. 2, c. 25.

immenso aere alieno, quo seipsos obruunt, ac perdunt miseri Capitanei) satius esse duco, in tempore recurrere, quam male currere. VELA contrahens antequam in altum fragilis cymba uehatur, aut decumanis fluctibus urgeatur. D. Hieronymi Plantinianae impressionis Opera sunt in procinctu [1], sed Ambrosium eodem praelo excusum, nondum potuimus nancisci, dubij, an unquam ab eodem editus sit. Quod si a Parisiensj uolumine [2] non abhorres, significare mihj poteris, et una cum Hieronymianis operibus compactori librorum committetur. Rogarat me per literas prudens ac conspicuus uir Blasius Leymerus pro quodam suo amico in praesidium Lugdunense recipiendo. Sed ex superiore huius epistolae parte liquet, quod alteri tradita Prouincia integrum mihi non sit amplius quicquam in eadem statuere, alioqui non solum cuperem sed et deberem tali amico gratificari, id quod per occasionem eidem indicare uelis. Jnterea uenerandos Canisij mei canos Deo Opt. Max. quam deuotissime commendo. Salutatis obiter salutandis, nominatim D.D. COSS. [3] Quaestoribusque [4] et Archigrammateis [5], nec non R. R. D.D. Vicarijs [6], et Rectore uestro [7]. Salodoro Heluetiorum Sabatho ante Dominicam in Albis [8]. 1596.

R. P. T.

Obseruantiss. — — —

Canisius Staalio respondit 28. Aprilis 1596.

2355. CANISIUS **IOANNI IACOBO A STAAL**, reipublicae solodoranae patricio et consiliario. Friburgo Helvetiorum 28. Aprilis 1596.

Ex apographo (A) saeculo XVII. scripto et sic inscripto: „Ad Nobilem D: Joannem Jacobum a Staal Solodorensem." Cod. monac. „Lat. 1606" f. 177ᵃ—178ᵃ. Apographum (B) circa medium saeculum XIX. ex archetypo (?) scriptum exstat in „Can. 56", nº 5 f. 7ᵃ—8ᵃ.

Staalium optime egisse, quod praefectura militum lugdunensi se abdicarit. De operibus SS. Hieronymi et Ambrosii. De amicis.

Pax Christi nobis aeterna
obseruande Domine.

Humanitati tuae iure gratiam habeo, quod arcana sua committat amico, seque illi totum aperiat in literis proxime datis [9], dum susceptae

[1] Inter editiones operum S. Hieronymi tunc optima erat illa, quam Marianus Victorius, presbyter amerinus, deinde episcopus reatinus, primum 1565—1572 Romae vulgarat. Eadem, ab ipso Victorio recognita, 9 tomis in folio a. 1579—1580 et Antverpiae ex officina Christophori Plantini, et Parisiis apud Sebastianum Nivellium prodiit (*C. Tr. G. Schoenemann*, Bibliotheca historico-literaria Patrum Latinorum I, Lipsiae 1792, 506—507).

[2] Inter editiones operum S. Ambrosii eminebat ea, quam cardinalis Felix de Montealto O. Min. Conv., qui postea Sixtus V. papa fuit, primum Romae 1580—1585 quinque voluminibus vulgavit. Prima eius editio parisina a. 1586 in lucem emissa est (*Migne*, P. lat. XIV, 17—20). Plantiniana S. Ambrosii editio hoc quidem tempore non videtur exstitisse (*Schoenemann* l. c. 400—408; *Car. Schenkl*, Sancti Ambrosii Opera. Pars prima. Vindobonae 1897, p. LXXVIII).

[3] Ioanni Meier et Ludovico ab Affry? [4] Udalrico Wildt.

[5] Antonio a Montenach. [6] Petro Schnewly, vicario generali episcopi lausannensis.

[7] P. Petro Michael. [8] Die 20. Aprilis. [9] Vide supra p. 423.

et postea renuntiatae Lugduni dignitatis causam fidenter exponit. Benedictus ille bonorum omnium fons, qui prudentiae tuae consilia prosperat, eaque suggerit, quae hanc prouectam decent aetatem, ac simul animo, corpori et oculis prodesse possunt. Non queo sane non laudare, quod Praefecturam Praesidij Lugdunensis, quae non parum oneris adferebat atque periculi, in aliorum humeros reieceris quodque arridentis fortunae blandimenta, quae se prima fronte offerebant, masculo animo respueris, ac demum redire domum malueris, quam inter Magnates et Aulicos florere, ducemque praestare militarem. Etenim haudquaquam ignorabas, quam sit minime tutum Principibus, horumque Vicarijs fidere, in quibus nec salus neque constantia firma est[1], et recte iudicabas, ancipitem et fallacem huius mundi fauorem, fastum et applausum esse, ut merito cum Sapientissimo Rege fateamur · Vanitas uanitatum et omnia uanitas[2]. Nec temere scripsit Jacobus Apostolus, Amicitia huius mundi inimica est Dei, Quicunque uoluerit esse amicus huius mundi [?][a], inimicus Dei constituitur[3]. Probo igitur uehementer, quod ad me scribis, admodum difficile esse ut corruptissimo hoc rerum statu Principum nutibus homines inseruiant, simul et auitas Maiorum leges obseruent. Ac sapientissime habes tibi propositum, quidquid demum alij sentiant relicta militia, et seposito mundi strepitu ad maiorem animi tranquillitatem contendere, teque nouo studio colligere, ut[b] rem domesticam, simulque conscientiam probe componas. Tot iam annos Reipb: pace belloque seruiuisti, et aliorum potius quam propriae salutis rationem habuisti. Quid mirum igitur si cum Marco Tullio ad tusculanam quietem secedas, et exoptatis grauioris magisque necessariae Philosophiae studijs uaces[4]. An non Christus Dominus Magdalenae otium laudat, illudque Sororis Marthae honestis etiam curis et occupationibus anteponit[5]? Perge igitur obsecro, vir nobilis ut coepisti tecum habitare, et sicut scriptura loquitur redire ad cor[6], ut magis magisque mundo mortuus illi uiuas cui soli seruire, regnare est. Non quod horter, aut suadeam ut cum Joanne Baptista, et Antonio Magno relictis omnibus eremum petamus, uitamque horridam instituamus, sed cum Pythagora Philosopho dicere[c] non uerebor, optimam uitae rationem [?][d] elige, eam iucundam reddet consuetudo[7], per uiam publicam ne

a) *B:* saeculi hujus, *idque fortasse rectius; nam ita habet Vulgata, Iac. 4, 4.* b) *Ita recte B:* et *A.* c) docere *B.* d) *Sic vel simi iter legendum esse conicio ex ratione, quae ponetur infra, adnot. 7. Nisi forte legendum sit:* uitae rationem solitudinem. *A B habent:* consuetudinem*; id quod falsum esse patet ex verbis sequentibus.*

[1] Ps 145, 3. [2] Eccle 1, 2; 12, 8. [3] Iac 4, 4.

[4] *Cicero* de „Tusculana villa" sua, in qua „Disputationes Tusculanas" composuit, scripsit in „Epistolis ad Atticum" l. 4, ep. 2, n. 5.

[5] Cf. Lc 10, 38–42. [6] Is 46, 8.

[7] Hoc dictum neque *Hieronymus* commemorat (v. infra p. 427[1]), neque *Erasmus Roterodamus* ponit, cum „symbola" sive sententias recenset, quae cum Pythagorae nomine circumferuntur (Adagiorum Chiliades quatuor cum dimidia, Basileae 1551, p. 15–23). „Ἑλοῦ βίον τὸν ἄριστον, ἡδὺν δ' αὐτὸν ἡ συνήθεια ποιήσει": *Plutarchus Chaeronensis,*

ambules[1], ut sementem feceris ita et metes[2]. Verum quo demum calamus meus procurrit? ignosce liberius exspatianti.

Quae mones porro[a] de libris Hieronymianis et Ambrosianis, aliquem mihi pudorem offundunt cum cogito, quid quantumque uiri boni offerunt, et quantulum[b] Senex ego merear, tantorum hominum liberalitate prorsus indignus[3]. Si de Ambrosij editione quaeritur laudant sane Mediolanensem uel Parisiensem[4], de Blasio Leimero[c] Senatore nihil addam aliud, quam quod pro sua prudentia in honesta purgatione uestra libenter acquiescit[d]. Quos per me salutatos uoluisti, te officiose resalutant, ac felicia uobis precantur omnia. Bene uale cum domesticis et amicis in Christo Jesu Domino nostro[5]. Friburgi XXVJJJ Aprilis MD:XCVI.

Seruus in Christo

Petrus Canisius.

Nobili et praestanti viro Domino Joanni Jacobo a Staal Solodorensis Reipublicae Consiliario, amico valde colendo[e].

2356. P. GEORGIUS SALBIUS S. J. CANISIO.

Dilinga vere vel aestate a. 1596.

Vide Canisii litteras 18. Augusti 1596 ad Salbium datas (infra, ep. 2361).

2357. CANISIUS **P. PAULO HOFFAEO S. J.,** visitatori provinciae Germaniae superioris.

Friburgo Helvetiorum circa m. Maium vel Iunium 1596.

Ex commentario autographo, quod est in Can. 50, II f. 75[a]. Ibidem f. 91[a] est aliud eiusdem epistulae commentarium autographum idque brevius et a priore illo in rebus nonnullis discrepans.

Difficultates de novo collegio friburgensi occurrentes. Aedium splendor. Fenestrae a principibus aliisque petitae. Senatus angustiae pecuniariae. Defectus. Onera. Hortus. Convictores. Rhetorica. Casus conscientiae. Oratio.

a) *Hoc v. non est in B.* b) *Ita B., idque tota ratio exigere videtur. A.:* quantum. c) Lemero *B.* d) acquiescet *B.* e) *Haec inscriptio in A deest.*

De tuenda sanitate praecepta. cap. 3. et De exilio cap. 8: atque secundo hoc loco Plutarchus sententiam hanc attribuit Pythagoraeis („Τὸ γὰρ καλὸν ἐκεῖνο παράγγελμα τῶν Πυθαγορείων"): Plutarchi Chaeronensis Moralia. recogn. *Greg. N. Bernadakis,* I. Lipsiae 1888. 302; III, Lipsiae 1891. 558. Eandem sententiam habet S. *Maximus Confessor* in „Capitibus Theologicis" sive „Locis communibus", serm. 62. Qui eam Epicteto attribuisse videtur (*Migne,* P. gr. XCI 992).

[1] „Pythagorica et illa praecepta sunt . . . Per viam publicam ne ambules, id est, ne multorum sequaris errores": *S. Hieronymus*, Apologia adversus libros Rufini l. 3. n. 39 (*Migne,* P. lat. XXIII, 425—426).

[2] „Ut sementem feceris, ita metes": M. Pinarius Rufus apud *Ciceronem,* De Oratore l. 2. c. 65. n. 261. Ceterum cf. Gal 6, 8.

[3] Hoc et ex his verbis intellegitur, et ex epistulis paullo posterioribus etiam clarius patefiet: Solodurani, ut Canisio pro vita S. Ursi in ipsorum gratiam scripta gratiam referrent, opera SS. Hieronymi et Ambrosii ei donare constituerant.

[4] Haec exstitisse non videtur: cf. supra p. 425[2].

[5] Rom 6, 23 etc.: v. supra p. 408[8].

— — Incommoda quaedam[a] et grauamina circa nouam fabricam[b] occurrentia.

Dicunt multi in tota Gallia nullam extare collegij fabricam adeo magnificam et sumptuose paratam. Videmur ergo nonnihil hic declinare ab humili[c] sancta et promissa paupertate[1].

2 Quorsum aedes tam illustres, in quibus[d] 30 uel 40 commorari queant, quum ex nostris quidem prouentibus aegre 16 sustentari possint, et nisi Deus faciat miraculum, perexigua sit[e] spes[f], ut isthaec gens[g] tenax et inops ad maiorem dotationem adijciat animos.

3 Fortasse non decet, Senatum curasse nostro nomine apud Praelatos et Dominos Heluetios, immo etiam apud haereticos, ut Tigurinos, Basilienses, Bernates et alios, curasse inquam, ut singuli suis sumptibus faciant nouas fenestras[h] parari, et huic nouae fabricae inseri[2]. Curatur etiam ut praefecti complures Friburgensis ditionis, et Senatores, uirique nobiles et ciues huius oppidi similes faciant sumptus, sicut bona ex parte promiserunt. Petitum est etiam, ut Rex Catholicus, Princeps Sabaudiae, Episcopus Basiliensis[3] et alij magnates suas fenestras instrui curent. Constat autem quaelibet fenestra 10 uel 15 ducatis.

a) *Duo vv. sqq. a C. supra versum scripta sunt.* b) *Sequuntur vv.* se offerunt, *oblitterata.* c) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.* d) qua *autogr.* e) *V. supra versum scriptum.* f) *Sequitur* est, *oblitt.* g) *Tria vv. sqq. supra versum scripta sunt.* h) *Sequitur* cum, *oblitt.*

[1] „Modus imponatur aedificiis Domorum et Collegiorum, quod in nobis est, ut sint ad habitandum et officia nostra exercendum utilia, sana et fortia: in quibus tamen paupertatis memores esse videamur. Unde nec sumptuosa sint, nec curiosa": Canon 11 Congregationis generalis S. J. primae, a. 1558 habitae (*Institutum* S. J. II 526).

[2] Supersunt *Litterae a *Consule et senatu* reipublicae friburgensis d. 10. Novembris (vel Decembris) 1594 datae, eorum sigillo munitae, ab Antonio a Montenach (archigrammateo?) subscriptae, in quibus illi scribunt: Wir „wünschen vnnd begeren, das vnnserer getrüwen lieben Eydtgnossen, Mittburgern vnnd wolvertrawten Brüedern der zwölff ordten, auch anderer mitt vns in Eydtgnossischer pundtspflicht wäsender; oder sonst mitt gutter Nachpurschafft zugethaner, Geistlicher vnnd weltlicher Stännden vnnd personen, Ehrenzeichen vnnd wapen, wie wir die Jn einem sonnderbaren Buch verzeichnen vnnd anmalen lassen, zu mehrer Zierd, neben dem vnnsern an Fenstern desselbigen Collegij (deren Jedweders in der höhe 7, vnnd an der breitte 5. werckschuch halttet) auch gesächen vnnd angeordnet wurdend". Se iam a. 1593 in totius confoederationis comitiis Thermipoli (Baden) habitis per legatos eam rem petisse eiusque impetrandae bonam spem adeptos esse. Modo autem se Ioanni Bätz civi suo commisisse, ut pecunias, quibus insignia illa una cum fenestris ipsis confici possent, colligeret (ex archetypo, Cod. I 36 f. 147). In commentario illo breviore, quem supra dixi, Canisius scribit: „An conueniat permittere uel dissimulare, ut nobiles et ciues pergant nouas fenestras uitreas collegio inserere cum suis insignibus". P. *Sigismundus Ilsung,* collegii friburgensis procurator, in suo *Codice dati et accepti notavit inter 1. Septembris 1596 et 1. Septembris 1597: „Debemus Vitriarijs Bugnieto et Kesselero 120 cor." (i. e. coronatos). Item inter 1. Septembris 1597 et 31. Iulii 1598: Debemus „Vitripictoribus tribus, et pro labore insererendi insignia 100 cor." (Cod. bibliothecae cantonalis friburgensis „Rationes Accepti et Expensi Collegii S. J. Friburgi . . . ab a. 1580" p. 40 44).

[3] Philippus II., Carolus I. Emmanuel, Iacobus Christophorus Blarer a Wartensee.

4 Fortasse non est Societatis nostrae proprius mos[a], emendicare hoc modo fenestras, et praesertim cum additis insignibus Catholicorum simul et haereticorum. Jta uidemur de libertate nostra quiddam amittere, et in quandam redigi seruitutem erga donantes, quorum filij et haeredes accedent frequentius ad sua insignia contemplanda in collegio Jesuitarum · quidam hinc arrogare sibi possent nescio [quem][b] patronatum; uelut illis multum debeamus.

5 Experientia comprobatur, quod Senatus uelut taedio quodam affectus paulatim se subtrahit et excusat sumptuum magnitudinem, quum reuera nobis nihil obligetur[1], et aere alieno sit satis obstrictus, multique contra nos murmurent[2]. Verendum est igitur, ne grauius offendantur, si pergamus illis esse molesti in pluribus expetendis ratione fabricae perficiendae, in qua non pauca desiderantur, nimirum ut collegium totum sit muro circumdatum, ut in horto fons constituatur et aqua decurrat in culinam usque, ut complanetur terra et arboribus, horto, stabulo instruatur, ut ligna sufficiant multis ac magnis hypocaustis, ut duo sacella superius pro scholasticis et inferius pro populo instruantur cum suis scamnis et ornamentis[3]. Quo magis ista similiaque petimus a Senatu, eo minus obsequentur nobis in templo nouo aedificando, quod fortasse[c] in tempus aliud reijci posset, quoad collegio sit bene prospectum in hac tanta caritate.

6 Haec omnia difficiliora uideri possunt, si ad calculum reuocentur debita collegij, et quantum suppetat ad nostros alendos, et ad satisfaciendum externis fabris, ac ad[d] residuam fabricam promouendam. Putant quidam extraordinariam pecuniam alicunde corradi, et nobis applicari posse: sed optarim certiorem inueniri rationem ad collegium hoc sustentandum, quod adhuc Senatui debet 500 ducatos et aegre dissoluet ut uereor, debita sua.

7 Jncommodum est carere nos horto uicino, quem diues quidam possidet, et saepe molestare ciues ut mittant domesticos, qui gratis laborent et exportent terram in horto collegioque nostro[4].

a) *Sic C. correxit ex* consuetudo mod. b) *Ut hoc r. suppleatur, exigere ipsa res videtur.* c) *Sequitur* in, *oblitt.* d) *V. supra versum scriptum.*

[1] Cf. supra p. 20.

[2] In commentario breviore: „Sitne consultum urgere modo Senatum satis obaeratum et toedio affectum, ut se obliget ad sumptus omnes faciendos, ac simul ad templum ex fundamento extruendum. Pauci fauent nobis in Senatu."

[3] Commentarium brevius: „Sitne consultum usque ad pascha differre nostrorum migrationem, et interea procurare quantum fieri potest, euacuationem aquae in penu residentis, fontem, duo sacella superius et inferius cum suis scamnis et ornamentis, ingressum ad scholam, ad culinam et domum spectantia, aliaque plura, quae ante hyemem instantem aegre conficientur, etiamsi praesentem pecuniam in manibus teneremus."

[4] *Canisius* in commentario breviore: „Sitne grauandus populus, ad exportandam gratis terram, et ad alia onera sustinenda in atrio collegij, multi enim conqueruntur ob hanc frequentem uexationem."

7[a] [?] Quomodo sit honeste respondendum Senatui et Clero, si urgeant, ut curam aliquam suscipiamus conuictorum externorum quos uellent in hac ueteri domo collocare[1], An petenda sit nobis domus extrema horti, ut deijciatur. Jtem deceat ne gratitudinis aliquod specimen exhibere, ut ingressi nouum collegium, Rhetoricen expectatam profiteamur in noua schola. 2 ut Casus conscientiae, praesertim Clero petente et auditores offerente legantur 3 ut Missa cantetur initio, et oratio recitetur. — — —

Ex huius epistulae duobus commentariis intellegitur, Canisium eam scripsisse paullo, antequam Socii friburgenses in novum collegium a senatu sibi exstructum essent ingressi. Ingressi autem sunt 5. Augusti 1596 (v. infra, mon. 1577). Canisium alicui ex maioribus Societatis moderatoribus scripsisse cognoscitur ex ipsis rebus, quae ab eo dicuntur. Hoc autem tempore P. Paulus Hoffaeus auctoritate Claudii Aquavivae praepositi provincialis domus Germaniae superioris visitabat (cf. supra p. 420). Ac cum praepositi provinciales rarius et brevius collegium friburgense visitassent, ipse m. Septembri et Octobri a. 1595 quinque hebdomadas in eius visitationem impenderat (v. infra, mon. 1559), et ita eius res accurate cognoverat. Quare valde verisimile est, Canisium Hoffaeo scripsisse.

2358. CANISIUS **IOANNI MAYER** typographo dilingano.
Friburgo Helvetiorum circa initium m. Augusti 1596.

Ex apographo, de quo dicetur infra, ep. 2360.

Canisius Friburgo 18. Augusti 1596 Dilingam ad P. Georgium Salbium litteras misit, in quibus ait: „Scripsi nuper ad typographum Joannem, ut me illi gratum ostendam, et amicum sincere moneam." Cf. supra p. 107. Ioannes Mayer a. 1595 Canisii librum precationum germanicum cum eiusdem catechismo iterum typis exscripserat; v. infra, mon. 1553.

2359. MARCUS VELSERUS IUNIOR, patricius et consul augustanus, CANISIO. Augusta Vindelicorum circa m. Augustum 1596.

Vide Canisii litteras 9. Octobris 1596 datas, per quas is Velsero respondit (infra, ep. 2368).

2360. CANISIUS **CLAUDIO AQUAVIVAE,** praeposito generali Societatis Iesu. Friburgo Helvetiorum 1. Augusti 1596.

Ex *Sacchino*, Can. 376—378; cui autographum praesto fuisse certum est. Epistulam posuit etiam *Agricola* II p. 214—215, qui fortasse et ipse autographum vidit, et ex parte *Python* 319—321. Eandem vel totam vel ex parte reddiderunt gallice *Dorigny* 375—377, *Alet* 312—315, *Raemy de Bertigny* 114—116, *Séguin* 315—317, *Michel* 421—423, *Genoud* 158—160, *Daurignac* 378—380; hispanice *Garcia* 329—331; italice *Boero*, Can. 425—426; germanice *Riess* 519—521; neerlandice *Allard (Séguin-Allard)* 278—280. Eius summas breves posuerunt *Kröss*, Can. 212, et *Braunsberger*, Petr. Canisius 294—295.

Gaudet, sibi „pacem integram cum superioribus" esse. Valde se demittit et accusat. Paenitentiam et gratias petit.

a) *Sic; sed corrigendum esse videtur: 8.*

[1] Commentarium brevius: „De conuictoribus in uicinia collocandis et alendis ab hospite externo."

Pax Christi Iesu nobis aeterna.

Admodum reuerende in Christo Pater.

Inter alias consolationes, quae mihi decrepito fere seni suppetunt, ea vel maxima videtur, quod pacem integram sentiam cum superioribus, quos in hac Societate summus Deus loco suo mihi praefixit. Ego igitur, qui iam pridem, vt pote anno 1549. meam Romae professionem sanctae memoriae P. Nostro Ignatio obtuli, iamque natus annos 75. ad cuncta pene bona inutilis fio, praesenti scripto ea complecti cupiebam, quae ad veram pacem cum P. V. R. vt instituti huius primario Antistite ineundam ac stabiliendam haud parum facere videbantur. Ex his primum statuo, quod et cordis, et corporis mei flexis genibus oro supplex indigno mihi condonari quacunque ratione non modo Deum optimum Maximum, sed et ipsum Christi Redemptoris quintum[a] [?] Vicarium[1] clam, palamue offendi in hac sublimi vocatione. Offendi autem saepe numero, et grauiter, proh dolor, quod suscepto ante muneri multis ab hinc annis male responderim: maxime cum inter Professos agerem Prouincialem, concionatorem, et scriptorem multis de causis reprehensibilem. Meam quoque culpam agnosco, quod in Collegiis velut alij non professi habitarim hactenus[2], multasque commoditates, quae religioso pauperi non congruunt, admiserim ex indulgentia superiorum. Tandem ab officiis Societatis nostrae propriis[3] liberatus, in cubiculo cibum capere, et in priuato sacello sacrificare coepi, iamque nec domesticis, neque externis fraternum auxilium praebeo. Ita piger, otiosus, et socors ego velut arborem sterilem, quae proxima est ruinae, prae me fero: indignus et pane, quo vescor, et fratrum subsidiis, qui suam Caritatem ingrato exhibent · Fateor haec officia mihi valetudinario, vel seni, vel omnino seniori gratiose concedi, vt senectutis onus in hac molesta aetate lenius[b] feram: sed iure doleo, veniamque precor, obseruande Pater, quod eiusmodi priuilegiis ad Dei gloriam, meaeque salutis, et debitae gratitudinis vsum non vtar diligentius, praesertim, vt ad iter proximum meas colligam sarcinas, ac

a) *Agricola hoc v. non posuit. Revera Canisius ignosci sibi cupit non ea tantum, quae sub Aquaviva se peccasse opinatur, sed etiam, quae sub praepositis superioribus commisit.* b) *Ita et Sacch., et Agr.*

[1] Aquavivam in officio praepositi generalis antecesserant S. Ignatius, Iacobus Lainius, S. Franciscus Borgias, Everardus Mercurianus.

[2] Societatis collegia reditus habent vel saltem habere possunt. „Professi vivunt ex eleemosynis in Domibus": *Constitutiones* S. J. P. 6, c. 2, n. 3. „[Prouincialis] constituat iuxta Constitutiones, vt Professi . . . suae prouinciae in Domibus Professis, quantum fieri potest, commorentur": *Regulae* Prouincialis, n. 74 (Regulae Societatis Iesu. Romae 1582, 39). Provincia Germaniae superioris, cui Canisius ascriptus erat, ea aetate nullam habebat „domum professam" (*Duhr*, Jes. I 399 411).

[3] Haec sunt imprimis: Sacramenta confessionis et communionis administrare, verbum Dei concionibus, lectionibus, doctrina christiana proponere, exercitia spiritualia tradere, aegrotos et carceribus inclusos et pauperes iuvare, dissidentes inter se reconciliare, iuventutem docere, „libros communi bono utiles conscribere": *Constitutiones* S. J. P. 7, c. 4.

mundo mortuus nouissima mea[1] recogitem accuratius, vt vocante me Domino, vere paratus, et seruus vigilans deprehendar[2]. Quapropter etiam atque etiam precor P. V. vt pro eximia pietate sua me vilem, ac infrugiferum siue filium, siue palmitem[3] aeterno Creatori, praesertim inter sacrificandum aliquando commendet: ac deinde vt me, licet indignum, participem faciat priuilegiorum, et gratiarum spiritualium, quarum potestatem ad suorum filiorum consolationem accepit a sancta sede Apostolica traditam: ac demum vt aliquam impuro mihi poenitentiam iniungat ad vberiorem paternae benedictionis gratiam per qualemcunque substitutum misero elargiendam. Datum Friburgi[a] Heluetiorum. Kal. Augusti, 1596.

R. P. V. inutilis filius Petrus Canisius.

Merito *Sacchinus* l. c. 375—376 has litteras laudat „tanquam sincerissimae mentis speculum, et consummatae prope vltimum sapientiae documentum". *Agricola* l. c. eas „vacillante dextra, ut ex autographo videre est", scriptas esse affirmat, et haec monet: „Qui quidem anteactam Canisij vitam norunt, si sanctae humilitatis linguam callent, ab hac sola prodijsse agnoscent, quidquid vir sui despicientissimus proprium in vituperium attulit, [et] in ejusdem laudes recte interpretandum putabunt".

Aquaviva Canisio respondit 5. Octobris 1596.

2361. CANISIUS **P. GEORGIO SALBIO S. J.,** praefecto in contubernio studiosorum dilingano. Friburgo Helvetiorum 18. Augusti 1596.

Ex apographo A. Dilingae m. Iunio a. 1625 a Ioanne Sigersreitter S. J. ex autographo exscripto et P. Gualtero Mundbrott Germaniae superioris praeposito provinciali misso; id quod ex Sigersreitteri litteris huic apographo p[illegible]positis cognoscitur. Apographum exstat Monachii in archivo maiore reip. bavaricae, [illegible]es. in gen. Fasc. 13, No. 214. In eiusdem fasciculi numerique libello in 4°, non conglutinato, p. 6—7, exstat alterum apographum B. saeculo XVII. scriptum. Epistulae particulam germanice posuit *Braunsberger*, Katech. [v. supra p. 414] 112.

Typographus. Religiosi. Universitas. Turcae. Amici.

Pax Christi nobis aeterna, Charissime Frater.

Redditae mihi sunt litterae tuae perbreues, ac diu satis expectatae, ut optarem tuam erga me charitatem efficaciorem esse. Habes non paucas nec uulgares ut arbitror occupationes[4]; sed his omnibus commendatior est Charitas patiens et benigna[5], in qua cupio nos praecipue uigilare. Scripsi nuper ad typographum Joannem[6], ut me illi gratum ostendam, et amicum sincere moneam. Vide ut oblatam tibi messem excolas diligenter, ac de Religiosis tuis bene merearis,

a) Friburgij *Agr.*

[1] Eccli 7, 40; 28, 6; 38, 21.

[2] Cf. Mt 24, 42—44; Lc 12, 35—40. [3] Cf. Io 15, 2—6.

[4] „In Conuictorio" S. Hieronymi dilingano erat „P. Georgius Salbius. Praefectus Monachorum. Item pauperum studiosorum. Infirmorum in nostro Collegio et apud Conuictores. Confessarius templi ordinarius": *Catalogus* dilinganus a. 1596 G. Sup. 44 f. 113[a]. In universitate „ex diversis Religiosorum familijs plus septuaginta versantur . . . Conuictorum Collegium . . . ad tantam excreuit multitudinem, vt triginta supra ducentos aliquando numerati sint": *Annuae* Litterae Societatis Iesu Anni M.D.XCVI. Neapoli 1605, 136—137. [5] 1 Cor 13, 4. [6] Mayer: v. supra p. 356.

nec obliuiscaris Canisij tuj uelut decrepitj senis, ac emeritj prope militis. Bene habet quod in postrema processione gymnasium uestrum[1] suam pietatem egregie declarauit, atque uicinis etiam admirationem salutarem attulit.

Tueatur DEVS quod coepit in uobis, nostramque Germaniam aduersus Turcas immanes tueatur. Bene uale in Christo Frater, et ex me saluta P. Kautt[a], R. P. Rectorem, P. Julium[2] ac reliquos · quorum et sacrificijs et precibus me commendo maxime. Friburgi Heluetorum 18 Augusti 96.

Frater in Christo Petrus Canisius.

Reuerendo Patri in Christo P. Georgio Salbio Soc. JESV etc. Dilingam.

In extrema epistula manu P. *Sigismundi Ilsung* scriptum est: „Saluto T. R. Ilsungus, cum fratre Hoegel et notis alijs". In **Catalogo* friburgensi anni 1595 in „Coadiutoribus Temporalibus" „Sebastianus Hugel Socius P. Canisij infirmarius" comparet.

2362. CANISIUS **LAURENTIO ARECKER** et **WOLFGANGO DÄGESCHER** praetoribus ac **RELIQUIS SENATORIBUS** reipublicae solodoranae.

Friburgo Helvetiorum a. 1596 medio vel exeunte?.

Ex libro „Kriegsleut Spiegel . . . Durch Herrn Petrum Canisium", Freyburg in Uchtland 1596, f. a 2a—[b 4b].

Canisius, cum a. 1596 Friburgi Helvetiorum librum „Kriegsleut Spiegel" (v. infra, mon. 1571) ederet, ei praeposuit ipsas illas litteras, quibus 1. Maii 1594 librum „Warhafte Christliche Histori von Sanct Moritzen, auch von Sanct Vrso" Stephano Schwaller praetori ac reliquis reipublicae solodoranae senatoribus dedicaverat (v. supra p. 358); attamen prima litterarum verba sic immutavit: Den Edlen, Gestrengen, Ehrenhafften, Fürsichtigen vnd Weisen Herrn, Herrn Lorentz Arecker, vnd Herrn Wolffgang Dägescher, beiden Schuldhaissen, auch: *complura quoque alia verba mutavit; quae posita sunt supra p. 359—366; nec tamen litterarum tempus, quod erat Kalendarum Maii a. 1594, immutavit; quod utrum typographi vitio, an ipsius senis Canisii lapsu quodam factum sit, ignoro.*

Laurentius Arecker sive Aregger solodoranus in Gallia sub Henrico III. militavit. Henricus IV. eum a. 1589 legioni militum helvetiorum praefecit et a. 1591 nobilium ordini ascripsit. In patria a. 1585 quaestor „Seckelmeister", a. 1586 tribunus plebis „Venner", a. 1594 praetor fuit; a. 1606 vita cessit. Wolfgangus Dägescher sive Degenscher solodoranus in Gallia sub Carolo IX., Henrico III., Henrico IV. militavit. Anno 1586 patriae nomine cum reliquis cantonibus catholicis societatis foedus illud „aureum" iniit. Anno 1587 quaestor, a. 1596 praetor urbis solodoranae factus, a. 1603 vita functus est *Leu* l. c. I 334; VI 46.

a) Kaut *B*.

[1] Universitatem dilinganam significat.

[2] P. Antonium Kaut, regentem convictorii; P. Matthiam Maierhofer, rectorem universitatis et collegii Societatis; P. Iulium Priscianensem, universitatis cancellarium **Catalogus* dilinganus l. c. f. 113.

2363. P. ANTONIUS VELSERUS S. J. CANISIO.

Ingolstadio circa initium m. Septembris 1596.

Vidi exordium epistulae a Canisio 9. Octobris 1596 ad Marcum Velserum datae (infra, ep. 2368).

2364. IACOBUS CANISIUS litterarum studiosus CANISIO patruo.

Fulda 29. Septembris 1596.

Vide litteras 2. Ianuarii 1597 datas, per quas Canisius Iacobo respondit (infra, ep. 2379).

Distinguendus certe hic est ab illo „Iacobo Canisio", qui a. 1618 parochus montfortensis (Montfort) erat, antea autem Ruraemundae capellanum egerat (*Inventaris* van het Oud Archief der Gemeente Roermond I, Roermond 1912, 383). Iacobum autem illum, qui Canisio scripsit, Calcariae (Kalkar, pagus provinciae rhenanae) a. 1584 natum esse inter omnes constat. Erant qui eum ortum esse dicerent ex Iacobo Canisio, filio Gerardi Canisii, qui Petri Canisii frater ex patre erat (*Klejntjens* l. c. [v. supra p. 268[1]] 196—198). At rectius dicitur, eum ex ipso illo Gerardo secundis nuptiis ortum esse (*L. van Miert* S. J., Canisiana VII, in „Studiën" 74, D., Amsterdam 1910, 200[1]). P. *Ioannes Hasius* S. J., qui Canisii cognatos optime noverat (cf. *Can.* V 662), Embrica 5. Novembris 1614 P. Matthaeo Radero *scripsit: „Salutem plurimam opto . . . P. Jacobo Canisio nepoti R. P. Theodori Canisij ex fratre germano" (autogr.: Cod. „I 29" nr. 49). Fuldae Iacobus litteris studebat in collegio Societatis; fortasse admissus erat in seminarium pontificium Fuldae institutum (de quo *Duhr*, Jes. I 304—307).

2365. P. FRANCISCUS A ROCCA S. J., basilicae S. Petri poenitentiarius, CANISIO.

Roma circa autumnum a. 1596.

Vide Canisii litteras circa initium a. 1597 datas, per quas is Roccae respondit (infra, ep. 2375).

2366. CANISIUS **P. IOANNI MELLINO S. J.,** collegii mediolanensis vicerectori.

Friburgo Helvetiorum circa m. Octobrem 1596.

Ex apographo, quod circa medium saeculum XVII. P. Petrus Hugo S. J. ex tabulis archetypis exscripsit. Can. 63 f. 132[a]. Eadem, indirecto tamen quem vocant sive obliquo sermone posita sunt in „*Positione* super dubio, An et quomodo sit signanda Commissio" in causa Beatificationis Canisii, Romae 1734, Summ. p. 10, et in „*Positione* . . . super virtutibus" eiusdem, Romae 1833, Summ. p. 11.

In „processu beatificationis" quem vocant Canisii a. 1627 Friburgi Helvetiorum instituto Pancratius Gerner (qui erat eques militiae auratae, senator et commissarius generalis reipublicae friburgensis), haec, praeter alia, testatus est de Canisio Friburgi versato: „Novi eum ibidem commorantem ab anno 1580 usque ad 96 · eique generaliter confessus sum, priusquam in album Sodalitatis Beatissimae Virginis Annunciatae admitterer; cumque Friburgo Mediolanum discederem peractis humanioribus studijs, epistolam traditam a R. P. Canisio ad P. Rectorem Collegij Breidani[1] *detuli, quam is, ob summam, quam habebat opinionem de*

[1] S. Carolus Borromaeus a. 1572 Mediolani loco, quem Braidam vetustiores tabulae, Breram vulgus vocat, collegium Societatis instituerat. Collegii rectorem a. 1594 et 1596 fuisse P. Tobiam Bastonum constat ex illorum annorum **Catalogis*. In **Catalogo* vero „exeuntis anni 1596" eius loco positus est „P. Joannes Mellinus" Vicerector (Cod. „Med. 47"). Atque eum hoc officium iam m. Octobri a. 1596 habuisse intellegitur ex *litteris 2. Novembris 1596 Roma ad eum datis (Med. 22, I f. 97[b]).

sanctitate et doctrina eiusdem Patris Canisij magno cum honore, reuerentia et osculo excepit anno 1596 · mense Octobri."

2367. CLAUDIUS AQUAVIVA, praepositus generalis Societatis Iesu, CANISIO. Roma 5. Octobris 1596.

Ex commentario a P. Iacobo Sirmondo scripto et sic inscripto: „Friburgj. P. Petro Canisio." G. Sup. 2 f. 133ᵇ. Epistulam primus edidit *Sacchinus*, Can. 378 379. Eandem posuerunt gallice *Séguin* 317 318, *Alet* (d. 1. Octobris ascripto) 315 316, *Daurignac* 382 383, *Michel* 423 424; italice *Boero*, Can. 426 427; germanice *Riess* 521; neerlandice *Allard (Séguin-Allard)* 280. Litterarum brevem summam posuit *Kröss*, Can. 212. Earum pars est in „*Positione*" a. 1734, Summ. p. 42, et in „*Positione*" a. 1833, Summ. p. 79.

Canisium laudat et, ut fratrum obsequia admittat, monet.

Summa cum animi voluptate ac laetitia legi literas R. Vestrae, in quibus videbam, quo ipsa sensu de se scribat, et[a] qua cura Domini aduentum[1], melioremque vitam expectet. Benedictus Deus, qui haec inspirat R. Vestrae, vt ita[b] sui similis perseueret, fratresque nostros, quos hactenus laborando aedificauit, nunc etiam[c] in hac quiete virtutis suae exemplo, et humilitate, patientiaque confirmet. In quo quidem et nos ipsi absentes plurimum recreamur[d], ac gaudemus simul exhiberi ab ipsis, quod R. Vestrae debent, officium et caritatem, quam ita velim in omnibus admittat, eaque libere vtatur, vti persuadere sibi debet, nobis id semper fore gratissimum. De caetero Christum Dominum obtestor, vt R. Vestrae cursum hunc iuxta voluntatem suam consummare[2], et anteactos labores nouis in dies meritorum[e] cumulis augere tribuat; egoque vicissim ipsius precibus et SS. me[f] ac Societatem plurimum commendo · Romae 5. oct. 96ᵐᵒ.

2368. CANISIUS **MARCO VELSERO IUNIORI,** patricio et consuli reipublicae augustanae. Friburgo Helvetiorum 9. Octobris 1596.

Ex apographo saeculo XVII., ut videtur, scripto et sic inscripto: „Primum Exemplar Litterarum R. P. Petri Canisij ex Autographo, quod Ingolstadij habetur." Cod. monac. „Lat. 1606" f. 103ᵃ. Particulam epistulae posuit *Aretin* I 316⁵ et ex eo *Theod. Wiedemann*, Johann Turmair, genannt Aventinus, Freising 1858, 304¹⁵.

Duorum Velserorum mortem deplorat. Marcum laudat, quod opera Daridis ab Augusta et ritam S. Gualfardi ediderit. Eum hortatur, ut Arentini historiam Bavariae expurget. Eius fratres salutat.

Pax Christi nobis aeterna Humaniss. Domine Patrone.

Commode accidit litteras uestras ad me deferri, quum P. Antonij nostri Welseri[3] scriptum, licet tardius Ingolstadij datum, acciperem ad finem nempe Septembris. Tum primum intellexi, amicos et Dominos duos insignes, uestrae quidem familiae lumina, e medio nobis ereptos, ad meliorem transijsse uitam, suique desiderium amicis et patriae re-

a) *Duo vv. sqq. in comm. supra versum scripta sunt.* b) *Hoc v. supra versum scriptum est.* c) *Sequitur* his *vel* hic, *oblitt.* d) *Sequitur* et qui a, *oblitt.* e) *Hoc v. supra versum scriptum est.* f) *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.*

[1] 1 Cor 1, 8; 1 Thess 3, 13; 5, 23; 1 Tim 6, 14; Iac 5, 7 etc.
[2] 2 Tim 4, 7. [3] De hoc vide infra, monum. 1519 1609.

liquisse. Vtrique sit propitius DEVS, ut partem felicem habeant in resurrectione[1] iustorum, qui ad uitae suae finem usque fidem Catholicam sincere professi sunt. Quare libenter ego debitum illis officium exsoluo, ut eximios uiros Diuinae commendem gratiae, eisque perpetuam quietem exoptem, quorum singularis pietas tam multis Augustae praeluxit.

Pergratum fuit mihi munus alterum, illudque copiosius religiosi viri Dauidis Augustani, qui sui ordinis Tyrones tot instruxit opusculis, seque non doctum minus quam pium Theologum aetate sua praebuit. Meminerit ille procul dubio uestri laboris ac studij, quandoquidem recudendis eius libellis operam datis, simulque communem celebratis Patriam, quae Doctorem Euangelicum tunc protulit, quum primi sanctique Franciscani in Germania nostra florerent[2]. Redundat nunc etiam Augusta Euangelicis, quos appellant, sed hi ab ijs, quos dixi, Augustanis uita doctrinaque dissident plurimum. Mihi quidem perplacet Sapientia tua, quod in hac editione suam quoque laudem assignes uiro perenni memoria digno et poenitentium exemplari D. Qualfardo, quem uelut de tenebris uindicatum nobis in lucem reuocatis. Vterque Augustanis Catholicis maxime spectandus proponitur, ut suos maiores pietate mirabiles aemulentur, utque uelut in sinu gaudeant tam praeclaros apud DEVM intercessores sibi superesse.

Atque utinam rationes curaeque tuae ferrent, uir ornatissime, ut Joanni Auentino repurgando dares operam quod huius Authoris Bauaria multis fraudibus foedisque sordibus referta circumferatur, quando libuit illi non modo Catholicae fidei desertorem hostemque praestare, uerum etiam historicis rebus uim apertam inferre, et mala fide citare plurima.

---

[1] Apc 20, 6.

[2] Beatus David ab Augusta, ordinis Minorum eximium decus, circa a. 1200 Augustae Vindelicorum, ut ferunt, natus est. Ibidem a. 1271 vel 1272 mortuus et sepultus est. Pietate et sacrarum litterarum scientia insignis, magistrum noviciorum Ratisbonae egit et contionibus varias terras una cum Beato Bertholdo a Ratisbona sodali suo excoluit. Libros ad theologiam mysticam pertinentes scripsit: de quibus v. *Em. Michael* S. J., Geschichte des deutschen Volkes vom dreizehnten Jahrhundert bis zum Ausgang des Mittelalters III[1 3], Freiburg i. Br. 1903, 134—143, et *Carl Richstätter* S. J., Die Herz-Jesu-Verehrung des deutschen Mittelalters I, Paderborn 1919, 80—86. *Velserus* autem Augustae Davidis „Formulam novitiorum", quae in prima parte „de exterioris hominis compositione", in secunda „de interioris hominis reformatione" est, et eiusdem librum „De septem processibus religiosi" quod opus tripartitum iam a. 1487 Venetiis et 1495 Brixiae atque ex parte etiam 1591 Antverpiae et 1595 Romae editum erat una cum vita S. Gualfardi civis augustani a se composita (v. supra p. 398) a. 1596 Augustae edidit cum hac inscriptione: „Beati Fr. *David de Augusta* Ordinis Minorum pia et devota opuscula. Pleraque post trecentos amplius annos, ex quo scripta sunt, nunc primum edita", et cum litteris dedicatoriis ad „Io. Antonium Velserum S. J. presbyterum" datis. Fr. *David ab Augusta* O. F. M. De exterioris et interioris hominis compositione libri tres, castigati et denuo editi a *PP. Collegii S. Bonaventurae*, Ad Aquas Claras [Quaracchi] 1899, p. XVIII—XIX; *I. W. Preger*, Allgemeine Deutsche Biographie IV 782—784; *Dagob. Stöckerl* O. F. M., Bruder David von Augsburg, München 1914, 190—202.

sicut haud dubie iam pridem obseruasti[1]. DEVM ex animo precor, ut et animum et ocium praebeat ad eiuscemodi lucubrationem te dignam, et aetati nostrae congruam Lectoribus exhibendam. Bene in Christo uale cum charissimis Fratribus, quos, amanter ut ex me ualere iubeas, uelim[2]. Quam ego necessitudinem pridem cum Patruo tuo[3] coniunctissime fidissimeque seruaui, eandem tecum inire et colere non desistam, si me senem Amicorum tuorum Albo inscribere non graueris. Friburgi Heluetiorum .9. Octobr. Anno post Christum natum M.D.XCVI.[a]

In Christo tuus Petrus Canisius.

Magnifico ac Nobili viro, Dn. Marco Welsero, Consuli Augustano etc. Amico singulari. Augustae.

Aug. Kluckhohn affirmat, Guilielmum V. Michaeli Arrodenio sacellano archivistaeque suo mandasse, ut Aventini „Chronicam" expurgaret (Die Jesuiten in Baiern, in „Historische Zeitschrift" XXXI, München 1874, 364—365). Rectius autem *Wiedemann* l. c. 303—304 scribit, ipsum Arrodenio commisisse, ut et „Annales" et „Chronicam" in gratiam iuventutis litterarum studiosae retractaret atque corrigeret. Arrodenius opus aggressus est; quod tamen numquam in lucem prodiit.

Velserus, quae Canisius de Aventino „repurgando" ei proponebat, ad effectum non adduxit; attamen, cum et eruditione et artis criticae usu Aventinum longe superaret, alia ratione eum correxit: Maximiliano I. Bavariae principe monente et multum adiuvante a. 1602 Augustae edidit praeclarum opus, quod inscribitur: „Rerum boicarum libri quinque, historiam a gentis origine ad Carolum Magnum complexi."

Canisium ad Velserum hunc „frequentes literas" dedisse scribit *Raderus* 189 ad 190. Earum autem, quae supersunt, haec, quam modo posui, ultima est. Quare iuverit hic ascribi ea, quae P. *Georgius Mayr* S. J. Augusta 27. Aprilis 1620 cum sacerdote quodam Societatis *communicavit: „Ad extremum unum dicam in aurem: Selectam Bibliothecam D. Marci Velseri nostri, 1800. minimum florenis aestimatam, nos pro Collegio Leopoliensi[4] in Poloniae provincia impetravimus per 1400. fl. ita

a) *Hunc annum a Canisio ascriptum esse ostendunt ea, quae hic de libris Davidis Augustani sibi missis scripsit. In apographo primum, ut videtur, scriptum erat* M. D. LXVI; *deinde correctum est*: M. D. LXVI.

[1] Ioannes Turmair, a. 1477 Aventini (Abensberg, Bavariae inferioris urbs) natus, mandatu Guilielmi IV. et Ludovici ducum Bavariae „Annales Boiorum" composuit; quos deinde, nonnihil immutatos et „Bayerische Chronica" inscriptos, germanice reddidit. In his libris post eius mortem († 1534) typis exscriptis plurima, ex bibliothecis maxime canonicorum et monachorum, protulit, quae usque ad id tempus ignota fuerant, ita tamen protulit, ut partium studio et scribendi festinatione leges artis criticae saepe violaret et summo ecclesiae catholicae odio — clam Lutheri doctrinam sequebatur — episcopos, sacerdotes, monachos contumeliis et calumniis obrueret. Cf. *Janssen* V[1—12] 317[2]; *Janssen-Pastor* VII[1—12] 279—285. Utrumque opus iterum editum est ab Academia scientiarum monacensi (*Johann Turmair*'s genannt Aventinus Sämmtliche Werke II—V, München 1882—1886).

[2] Marci fratres erant Antonius, Matthaeus, Euphrosius, Paulus, Iulius. Antonius canonicus erat frisingensis, consiliarius Ernesti Bavari archiepiscopi coloniensis et episcopi frisingensis etc. Matthaeus et Paulus mercaturae tabernaeque argentariae a maioribus acceptae operam navabant. Simul tres illi litteras diligenter colebant. Paulus urbis consul, Iulius centurio factus est (*F. Roth*, Welser, in Allg. Deutsche Biographie XLI 690; *Gabr. Bucelinus* O. S. B., Germania topo-chrono-stemmato-graphica III, Ulmae 1662, f. [Aa 4[a]]).

[3] Marco Velsero seniore (*Raderus* 112, et v. supra p. 380).

[4] Lwów (Lemberg).

nobis favente D. Vidua [1], quae omnibus modis etiam cum suo damno impedire conata est, ne tantus thesaurus veniret in manus hostium Ecclesiae, sicut venerunt libri Domni Pauli Velseri Consulis" (ex apographo saeculo XVIII. scripto, quod est Monachii in archivo curiae archiepiscopalis, „Kloester, Jesuiten, Jesuitenbriefe", Nr. 1).

2369. CANISIUS **P. IACOBO LUCIO S. J.**, parochiae landsbergensis contionatori. Friburgo Helvetiorum 2. Novembris 1596.

Ex apographo (A) saeculo XVII. scripto et „Literae P. Petri Canisij, ad P. Iacobum Luzium Landspergam datae" inscripto, quod est Monachii in archivo maiore reipublicae bavaricae, Jesuitica in gen., Fasc. 13, No 214, in libello in 4_0 non conglutinato neque per paginarum vel foliorum numeros distincto f. 2^a—3^a. Aliud apographum (B) eiusdem fere temporis est in eiusdem fasciculi et numeri libello in 4° non conglutinato, quod paginas habet numeris signatas, p. 11—12. Tertium apographum (C), saeculo XVII. scriptum et „1596. Ad P. Iacobum Lucium etc." inscriptum, exstat in Cod. monac. „Lat. 1606" f. 171.

Magistri noviciorum. Lucii prosperitas. Comes de Helfenstein. Canisius preces petit. Res domesticae. Codicem contionum mittit. Novicios ad virtutis studium excitat.

Pax Christi nobis aeterna dilectissime Frater.

Sustulit Uobis Diuina Prouidentia bonum patremfamilias [2], cuius memoria in benedictione est [3] eritque posteris: pro illo dedit alterum Nouitiorum institutorem [4], non parum mihi commendatum, quem confido suo muneri, ac Domus Uestrae gubernationi satisfacturum ex uirtute Omnipotentis illius Uirtutis, quae Obedientia nuncupatur.

Ago Diuinae Bonitati gratias, quod rectius isthic quam Halae valeas, totque iam annis cum fructu seruias messi Landspergensi. Bene habet, quod suum Concionatorem ament Auditores, eiusque monitis pareant Ecclesiae Catholicae [a] Filij obtemperantes. Gratum est mihi praeterea, Illustrem Dominum Comitem una cum Generosa Domina Comitissa [5] beneualere, et uestris aedibus fauere, quia gentem nostram diligunt [6], et de Catholicis operarijs praeclare more suo merentur. Opto illos ex me amanter salutari, quia multum illis debet senior Canisius, idemque prospera [b] illis precatur omnia. Pergo interim ad portum nauigare, et ualetudinarium miserumque senem agere, ut uerear peregrinationis meae tempus non fore diuturnum. Quocirca tuam Charitatem imploro, ut meam agas causam apud Domesticos, qui si antehac unquam, nunc uel maxime Dominum pro suo Seniore precentur, annumque mihi felicem impetrent ad recte uiuendum simul et moriendum. Versamur inter pestilenticos, et quod est luctuosius, manus Domini tetigit [7] Rectorem nostrum [8], ut grauiter laborare coeperit.

a) Sanctae C. b) prospere C.

[1] Anna Bimlin.

[2] P. Bonaventuram Paradinas, rectorem tirocinii landsbergensis et magistrum noviciorum; v. supra p. 410[1].

[3] Eccli 45, 1; cf. Eccli 46, 14; 1 Mach 3, 7.

[4] P. Rupertum Reindl; v. supra p. 410[2].

[5] Swicardum ab Helfenstein praefectum (Pfleger) landsbergensem et Mariam comitissam a Zollern, tirocinii fundatores.

[6] Lc 7, 5. [7] Iob 19, 21. [8] P. Petrum Michael.

et sanguinem expuat. Propitius illi ac nobis omnibus sanis ac aegrotis DEVS esse dignetur. R. P. Prouincialis[1] Lucernam properat. Memini Charitatem tuam aliquando scripsisse, ut librum aliquem ex meis antiquis grallis [?][a] [2] mitterem, ut inde suas conciones instrueret et adornaret. Mitto igitur ex mea senili et male instructa Officina, nescio quam[b] ineptum Codicem: remittet eum suo tempore. Discesserunt hinc P. Ferdinandus et P. Georgius[3], Dilingam fortasse missi. Nouum et felicem annum Charitati tuae, ac pijs eius laboribus ex animo precor, sicut et Charissimo Fratri Iacobo Seniori[4], et fratribus omnibus in Novitiatu. Optarim illos in humilitate Christi magis magisque crescere, ac cum IESV paruulo plane paruulos[5] uereque simplices esse, nihil autem ardentius expetere, quam ut se totos exuant, uereque nouae in Christo IESV creaturae[6] efficiantur, in quorum animis, uelut electis organis, integre operetur et regat Spiritus Sanctus[7]. Merito illis gratulor, quod ex ingenti gratia DEI uocantis Mundo et Carni abrenuntiauerint, ut suaue Domini sui iugum inde ab adolescentia sua portarent[8]; Multoque magis gratulor illis, quod optimam elegerint partem[9], suas uoluntates obedientiae sanctae consecrantes, et meliora aemulantes charismata[10], quae in hoc Societatis praeclaro instituto reconduntur. Tantum firmi ac fideles ad mortem usque[11] persistant, ut cum[c] diligentibus DEVM[12] promissam gloriam consequantur. Horum precibus ego meam senectam extremum[d] ualde commendo. Dominus IESVS vobiscum[e]. Friburgi Heluetiorum postridie Kalend. Nouemb. 1596.

Frater in Christo tuus

Pet. Canisius.

2370. CANISIUS **P. IOANNI BARGIO S. J.**

Friburgo Helvetiorum sub d. 10. Novembris 1596.

Vide Canisii litteras 10. Novembris 1596 ad P. Barth. Weldensem datas (infra, ep. 2371).

2371. CANISIUS **P. BARTHOLOMAEO WELDENSI S. J.**, rectori collegii bruntrutani.

Friburgo Helvetiorum 10. Novembris 1596.

Ex autographo (2°; 1/2 p.; in pagina altera manu saeculi XVII. scriptum est: „litterae Reuerendi P. Petrj Canisij". Ex eodem haec epistula edita est a P. *P. Bongaerts* S. J. in libello „Stamlijst van de familie Canis en de daaraan verwante geslachten", quae addita est libro „Leven van den Gelukzaligen Petrus Canisius . . .

a) *Sic corrigendum esse censeo ex* grollis, *quod est in A B C. Vide infra, adnot. 2.* b) quem C. c) *Hoc v. deest in C.* d) extremam C. e) nobiscum C.

[1] Otto Eisenreich.

[2] Grallae = ligneae perticae furculas habentes, quibus innituntur, qui iis incedunt (Krücken, béquilles).

[3] Ferdinandus Crendelius et Georgius Nidermayer (*Catalogus friburgensis a. 1595. G. Sup. 44 f. 106a). [4] Biruvae: v. supra p. 411[4]. [5] Cf. Mt 18, 3.

[6] 2 Cor 5, 17; Gal 6, 15. [7] Cf. 1 Cor 12, 3–11.

[8] Mt 11, 30; Thr 3, 27. [9] Lc 10, 42. [10] 1 Cor 12, 31.

[11] Apc 2, 10. [12] Rom 8, 28.

door pater *E. Séguin* S. J., in 't hollandsch overgezet", 's Gravenhage 1865, et deinde, aucta et amplificata, adiuncta libro „De zalige Petrus Canisius", Amsterdam 1865. Eaedem tabulae genealogicae seorsim quoque evulgatae sunt.

Praefatiuncula editoris: Quia aliae quoque litterae a Canisio ad P. Bartholomaeum Weldensem datae supersunt, iuverit de viro hoc parum noto haec praefari: Eum Antverpia ortum, a. 1580, cum 23 annorum esset, Societatem ingressum, Landsbergae novicium fuisse affirmatur in **Catalogo* quodam sodalium a. 1563—1766 provinciam Germaniae superioris ingressorum, qui exstat Monachii in bibliotheca societatis historicae Bavariae superioris. In **Catalogo* autem collegii ingolstadiensis a. 1584 scripto comparet „Bartholomaeus Weldensis, Weldensis, an. 26 . . . in Societate fuit 4 an., docet in Syntaxios classe". In eiusdem collegii *Catalogo a. 1590 scripto de „P. Bartholomaeo Weldensi Brabantino" notatum est, eum „docuisse Gram. Synt. et humanit. 8. an." et „praefectum in Conuictu 4. an." fuisse (G. Sup. 19 I. f. 4ª; III p. 6). Eum Ingolstadii annis 1589 et 1590 Philippi principis Bavariae episcopique ratisbonensis (v. supra p. 255) „praeceptorem humanitatis" fuisse intellegitur ex nation. bibliothecae monacensis Codd. lat. 1813ᶜ f. 46ª et 1813ᵈ f. 1ᵃᵇ 99ª. Anno 1594 in collegio monacensi „Minister, Confessarius, Praefectus sanitatis", a. 1595 in collegio bruntrutano (Pruntrut, Porrentruy; cf. supra p. 317) „praefectus studiorum, consultor et monitor P. Rectoris, confessarius templi" fuit (**Catalogi* a. 1594 et 1595, G. Sup. 44 f. 94ᵇ 106ᵇ). In **Catalogo* bruntrutensi anni 1596, initio anni 1597, ut videtur, scripto, vocatur „Rector, Confessarius Germanorum et Latinorum, Catechista in 2ª Grammatices" (l. c. f. 117ª). Circa a. 1613 vicerector collegii friburgensis fuit (*Duhr*, Jes. II¹ 292¹). In **Litteris* annuis collegii monacensis ad a. 1627 pertinentibus narratur, eum eo anno in huius collegii sede eberspergensi (Ebersberg) mortuum esse. „Sub extremum iam biennium soli Deo sibique intentus, . . . sese quamdiu per vires licuit, quotidiano verbere multauit. Si quid delicatioris obsonij Cocus apponeret aegrotanti, religiosa confestim modestia in Culinam remisit, crimen interpretatus, si admisisset. Triduum cum morte luctatus, Christum in cruce pendentem tam arcte fuit amplexus, ut illum ante animam ei extorqueret nemo" (ex apogr. eiusdem fere temp.: Cod. „I 45" p. 239). Litterarum harum inscriptio non exstat. Sed ex ipsis intellegitur, eas datas esse ad sacerdotem provinciae Germaniae superioris, qui paullo ante collegii alicuius rector constitutus erat. Quod collegium friburgensi collegio vicinum erat. Nam Canisius 10. Novembris 1596 scribens, sic de P. Petro Michael 4. Novembris Friburgi mortuo loquitur: „Rectoris nostri mortem intellexistis". In iisdem litteris Canisius „salutem ex se dici vult Christophoro", uni ex collegii fratribus. In epistula porro, quam 19. Februarii 1597 ad P. Bartholomaeum Weldensem ab eo datam esse constat, scribit: „Officiose salutabitis . . . dilectum Fratrem Christophorum Offnerum". Hic autem a. 1595—1597 in collegio bruntrutano morabatur (**Catalogi*, G. Sup. 44 f. 107ª 117ᵇ 124ᵇ). Quare certum est, Canisium has litteras ad P. Weldensem dedisse.

„Rectoratum" ei gratulatur. De episcopo basileensi, morte rectoris friburgensis, Deo pro se orando.

†

Pax Christi nobis aeterna Reuerende Pater.

Ex animo gratulor T. R. quod in suos humeros exceperit Rectoratum ut sanctae obedientiae, fratrumque charitati satisfaciat. Aderit diuina bonitas ministro suo probe confidenti, et in hac praeclara vinea egregie laboranti. Nec deest indefessus Patronus, qui uestro collegio et gymnasio successum omnem syncere procuret [1], ut ea demum quae

[1] Iacobus Christophorus Blarer a Wartensee episcopus princepsque basileensis, collegii fundator; qui Bruntruti sedem habebat; v. supra p. 317. Mirum est, quod de eo scribit Dr. *E. Bloesch*, historiae ecclesiasticae in universitate bernensi professor: Eum Bruntruti Societati sedem constituisse, „an deren Spitze der gelehrteste

Christi sunt, ardenti studio quaerat [1]. Adiunxi literas meas P. Bargio [2] scriptas, ualdeque rogo, ut eas ad illum perferendas cures per occasionem: erit hoc [o]fficium mihi sa[ne] pergratum. Non repetam de Rectoris nostri [3] morte, quam intellexistis, et quae multis luctum creauit, exequiasque tum a Clero, tum a populo impetrauit singulares. Dei prouidentiae tribuimus, R. P. Prouintialem [4] adfuisse nobis, quum praeter omnium expectationem bonus Pater corrueret, ac immodica ui sanguinis praefocaretur. Requiescat ille in sancta pace, cuius quidem successorem breui cernemus [5] Deo propitio. Commendari uelim R. T. ac totius collegij sacrificijs et precibus, praesertim ad initium noui anni, ut ualetudinarius ego senex impositam mihi crucem maiore cum fructu perferam, utque incertum aduentum Domini [6] uigilanter expectem [7]. Salutem ex me dici uelim Christophoro [8] cunctisque fratribus, quos Christus in utroque homine saluos tueatur. Datum Friburgi Heluetiorum 10 Nouemb. 1596.

Seruus in Christo Pet. Canisius manu propria.

2372. P. THEODORICUS CANISIUS, collegii ingolstadiensis vicerector, PETRO CANISIO fratri. Ingolstadio circa finem a. 1596.

Ex Cod. „Vitae 123", Canisiana 256.

De Ioanne Canisio in Societatem ingresso.

P. Franciscus Sacchinus S. J., praeclarus ille historicus, „ex literis P. Teodorici Canisij 1598" haec exscripsit, quae pertinent ad Ioannem Canisium, Petri Canisii nepotem, qui m. Septembri 1596 ex collegio germanico Mediolanum profectus erat, ut in Societatem ingrederetur (v. supra p. 367), etc.: „Mi piacque molto che questo Jo. Canisio Nipote intrasse nella Compagnia inanzi la morte del P. Pietro, perche scriuendo io questa nuoua al detto Padre, li fù di gran consolatione, come di poi mi scrisse. Li Friburgensi hanno dato al Padre un luogho honoratissimo per sepoltura in suo principal choro, et messo un marmo pretioso sopra il corpo con inscrittione: etc."

P. *Ioannes Hasius* S. J. in *litteris Embrica (Emmerich) 1. Aprilis 1613 Monachium ad P. Matthaeum Raderum S. J. missis: „Multos habuit et habet Societas nostra nepotes et pronepotes ex fratribus et sororibus B. P. Canisi, et omnes insignes" (ex autogr. Cod. „I 29" f. 52[a]).

a) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

und energischste aller damaligen Schweizer Jesuiten, Petrus Canisius, der Vorsteher des Ordenshauses in Freiburg, gestellt wurde": Geschichte der Schweizerisch-reformierten Kirchen I, Bern 1898, 359. [1] Phil 2, 21.

[2] De P. Ioanne Bargio v. supra p. 374.

[3] P. Petri Michael: quem 4. Novembris 1596 mortuum esse affirmatur in eius „elogio" paullo post, ut videtur, scripto (Cod. „Elogia", qui est Monachii in archivo maiore reipublicae, Jes. Fasc. 11, No 196 1/2, p. 7—8; item in *Historia* collegii (Cod. frib. „Hist. coll. Frib." p. 31—32). [4] Ottonem Eisenreich.

[5] Successit paucis post diebus P. Martinus Licius (Cod. „Hist. coll. Frib." l. c.).

[6] 1 Cor 1, 8 etc.; v. supra p. 435[1]. [7] Cf. Mt 24, 42—44; Lc 12, 35—40.

[8] „Christophorus Ofner: Sacristanus: Sartor: Custos uestium": *Catalogus* bruntrutanus a. 1596 (G. Sup. 44 f. 117[b]).

2373. P. IOANNES HEIDELBERGER S. J., praefectus convictorum in collegio monacensi, CANISIO. Monachio exeunte a. 1596.

Vide litteras 28. Februarii 1597 datas, per quas Canisius Heidelbergero respondit (infra, ep. 2391).

2374. CANISIUS **SOCIIS COLLEGII SOCIETATIS FRIBURGI HELVETIORUM** constituti. Friburgo Helvetiorum circa a. 1597.

Ex apographo (A) a P. Iacobo Bidermann S. J. († 1639) scripto et „AD COLLEGIVM FRIBVRgense Societatis IESV" inscripto, quod est in Cod. monac. „Keller. Can. 1" f. 58^a—59^b. Alterum apographum (B), saeculo XVII. scriptum, exstat in Cod. monac. „Keller. Can. 3" f. 40^b—41^a. Integram epistulam primus edidit *Sacchinus* S. Can. 319—323. Ex hoc eam exscripsit *Agricola* II 219—220: de quo vide quae sub ipsam hanc epistolam dicentur. Gallice eam integram posuerunt *Séguin* 311—312 et *Genoud* 161—165, ex parte autem *Dorigny* 372—373 et *Alet* 104—105. Latine epistulae partem posuit *Python* 317—318.

Se collegium incohosse, contionatum, iam ad vitam privatam adactum esse. Bonhomium nuntium optime de Friburgensibus esse meritum. Sociis in eleganti collegio habitantibus diligenter laborandum, Canisium post mortem Deo commendandum esse.

Diuinae maiestati, uti par est, gratias ago, atque per uos charissimi fratres agi quoque percupio quandoquidem coelesti praesidio factum est, ut indignus ego huic collegio[a] uelut postremo in terris exstruendo pietatis domicilio reseruarer[1] primumque illi praeficerer in hac mea ultima peregrinatione. Anni plures sedecim abierunt, quod obedientia duce Friburgum accesserim, illicque manserim factus uelut praecursor aliorum, ut partim uiua uoce, partim calamo et scripto in hoc agro Dominico laborarem, ac praesertim in spectabili templo D. Nicolai euangelizarem. Agnosco sane ingens beneficium Domini, cui uisum est me senem hoc praestanti inter pagos Helueticos loco, tam diu alere[b] ac benigne tantisper fouere, donec aetas ingrauescens inutilem fere operarium reddidit, ut palam in Ecclesia docere, ac DEI populo[2] seruire prohibear. Igitur confectis aliquot annorum laboribus, ad maiorem senilis uitae tranquillitatem adspirare debui, meque multorum hominum conuictui atque[c] familiaritati, necessitate magis quam uoluntate coactus ita subduxi, ut uitam priuatam agerem uelut sarcinas meas collecturus, ac peregrinationi huic finem impositurus, ne alioquin uocatus a Deo in patriam imparatus proficiscar. Atque utinam licuisset mihi in ministerio meo Friburgensibus ita praelucere, sicuti collegij et prouinciae nostrae seniorem facere oportebat. Vt charitate et uigilantia me cunctis praesentibus et absentibus accommodarem, uitaeque perfectioris exemplar iunioribus declararem. Igitur domesticos fratres amanter moneo, simulque rogo ut quod a me domi ac foris hac in parte neglectum fuit, uirtute illi sua suppleant, suisque laboribus in Christo compensent. Excubias agite non solum ut hoc oppidum eiusque di-

a) *Haec duo vv. non sunt apud S.* b) *Sic recte B S;* agere *A.* c) et *B.*

[1] Antea Canisius condiderat collegia pragense, ingolstadiense, monacense, oenipontanum et ad complures alias Societatis domos instituendas operam contulerat.

[2] Idc 20, 2; Idt 8, 21; Sap 18, 13; Bar 4, 5; Hebr 11, 25; 1 Petr 2, 10.

tionem in fide sana confirmetis, uerum etiam ut uicinos lupos et ursos [1] perpetuo insidiantes gladio spiritus [2] arceatis. Praesentem hic clerum et senatum reuerenter obseruate, et iuuentutem uobis concreditam tum in studijs, tum in catechismo omnique uirtute prouehere pergite: nec minus adultis quam iunioribus ad catholicam pietatem instaurandam, uerbo, exemplo et sacramentis [a] simul operam date. Praeterea nequaquam uos obliuio capiat eximij patroni, cuius memoria in benedictione est [3], uenerandi [b] Domini Francisci Bonhomij Vercellensis Episcopi, Legatique Apostolici [4], ut de praesente Heluetia ita et de Societate nostra optime meriti. Huius quidem singularis prudentia et integritas in reformanda Ecclesia, tum fauor et amor mirificus erga Friburgenses effecit, ut Gregorius XIII Pontifex maximus nostros huc iusserit destinari, cum nihil tale cuperemus; iudicauit enim operae pretium ut insignis haec Resp. Societatis nostrae industria et studio uelut inuictum extaret Domini propugnaculum, seque fortiter aduersus imminentes aduersarios in pietate catholica tueretur. Quare nostrum est, fratres sancto dicti Episcopi proposito iustoque desiderio, simulque praeclarae Friburgensis senatus ac populi exspectationi facere satis ut quotquot in collegio nouo sumptuose nobis et eleganter fabricato, cuius fundamenta ego benedixi [5], per DEI gratiam unquam commorabuntur, se talibus fundatoribus ac patronis gratos, et in hac ampla messe fidos operarios praebeant qui pacis bellique tempore factis potius quam uerbis se officij sui memores esse declarent. Cum uero caducum corpus meum, quod uermium cibus esse debet, terrae mandaueritis, si apud uos quidem de uita migrauero, animam quaeso [c] inprimis immortali DEO commendare non desinatis: ut ego per diuinam misericordiam emaculatus electorum Sacerdotum consortio aggreger, ac itidem pro uobis uestroque Collegio et oppido Dominum precer in regione uiuorum [6]. Fiat, fiat.

Canisium epistulam hanc inter medium m. Decembrem a. 1596 et exeuntem Decembrem a. 1597 dedisse ostendunt haec verba exordii eius: „Anni plures sedecim abierunt quod Friburgum accesserim". Accessit enim 10. Decembris 1580 (*Can.* VII 853). Ac verisimile est, eum haud multo ante mortem († 21. Decembris 1597) eam dedisse.

Agricola (l. c.) perperam, ut videtur, intellectis verbis Sacchini, hanc non epistulam esse censet, sed „exhortationem domesticam ultimam" ad Socios friburgenses a Canisio habitam. Quem hac in re secuti sunt Dorigny, Python, Alet, Séguin, Genoud. At si quis cum ea ex una parte commentaria exhortationum domesticarum Canisii, quae plurima supersunt, et ex altera litteras ultimis hisce annis a Canisio ad collegia ingolstadiense, monacense, oenipontanum, pragense datas contulerit, videbit totum dicendi genus cum his litteris convenire et ab exhortationibus illis discrepare. Poteris tamen, si ita magis placebit, dicere, hoc testamentum quoddam esse Sociis friburgensibus relictum.

a) *Sic rectius S.; A.:* Sacramento. b) *Hoc r. non est apud S.*

[1] Hoc verbo denotari videntur protestantes bernenses: in insignibus enim reipublicae bernensis ursus cernitur.
[2] Eph 6, 17. [3] Eccli 45, 1; cf. Eccli 46, 14; 1 Mach 3, 7.
[4] Vide supra p. 2—45. [5] Vide infra, monum. 1413. [6] Ps 114, 9.

2375. CANISIUS **P. FRANCISCO A ROCCA S. J.**, Romae degenti.
Friburgo Helvetiorum circa finem a. 1596.

Ex litteris vel potius folio priore litterarum archetyparum (2°; 2 pp.; in p. ultima [6? 8?] inscr. et sigillum): pars enim posterior perisse videtur. Inscriptioni antiqua manu romana (Roccae?) ascriptum est: „dittata dal Reuerendo Padre Pietro Canisio". Canisius eam P. Sigismundo Ilsung S. J. dictavit: subscripsisse autem videtur sua manu. Germ. 183 f. 301ᵃ—302ᵇ. Litterarum particulam ex archetypo posuit *Sacchinus*, Can. 374—375. Eandem ex Sacchino exscripsit circa medium saec. XVII. P. *Petrus Hugo* S. J.; quam sic inscripsit: „1595. Ad Anonymum Patrem Societatis Romam." Cod. monac. „Lat. 1606" f. 117ᵃ.

Praepositi generalis valetudo. Scripta Polanci. Canonizatio PP. Ignatii et Xaverii. Litterae indicae. Socii galli. Gaudet, quod Societas angustiis premitur Sociique honores fugiunt. „Iebusaeus exterminandus". Scriptorum editio. Deus pro Canisio et pro Germania orandus. Collegium germanicum.

†

Pax Christi nobis aeterna Charissime frater.

Redditae mihi sunt litterae tuae iampridem desideratae [1], in quibus multa te digna et mihi grata pro charitate in me tua notasti. Laetus equidem, Deo gratias ago, quod intelligam Patrem nostrum Generalem [2] longa vita dignum, nobisque necessarium recte valere, ac superesse quoque saluum P. Ximenes, quem amo sane, vt senem de Societate nostra bene meritum, et sicut plerisque Patribus, ita et Patri Hieronymo Natali et Joanni Polanco valde familiarem [3]. Eundem amanter meo nomine resalutabis, ac simul interroges quaeso, extetne aliquid a bono P. Polanco conscriptum ac relictum ut arbitror, quod prodesse possit huic prouinciae ac piae posteritati. Salutem quoque dices ex me charissimis fratribus Joanni Paulo [4] et seniori Auilae [5], mihique placeo quod utrumque habeam Domino pro me supplicantem. Vtinam in nostris animis vigeat et quotidie crescat futurae et immortalis vitae cupido, vt rebus humanis exempti, cum primis illis Patribus, qui nos cupide praestolantur, visione Diuina laete perfruamur. Patrem Augustinum [6] mihi quoque salutabis, qui si Nostros amaret, non minus illos quam externos suis litteris consolaretur. Perge tu frater, ut coepisti, tuum in me amorem non modo scriptis litteris, sed fusis etiam ad DEVM precibus testificari, ac mei meminisse, cum sacras aedes inuises. Optarim sane, eiusmodi comprecatores mihi plures obtingere, qui sua pietate tam aerumnosum senem subinde fulcirent atque sustentarent.

[1] Rocca m. Iulio a. 1596 Romae in basilica S. Petri poenitentiarius pro Gallis erat (*Catalogus* provinciae romanae, Rom. 53 f. 219ᵇ).

[2] Claudium Aquavivam.

[3] De P. Didaco Jiménez sive Ximenez v. supra p. 371.

[4] Significari puto Ioannem Paulum de Hieronymo perusinum, fratrem laicum, a. 1562 natum, a. 1580 in Societatem admissum. Is certe a. 1593 in Poenitentiaria S. Petri, in qua Rocca quoque degebat, „sutor, dispensator, coquus, infirmarius" erat (*Catalogi* provinciae romanae, Rom. 53 f. 154ᵃ 180ᵇ 183).

[5] Hunc non novi.

[6] Putterer, confessarium Germanorum in basilica S. Petri (*Catalogus*, ut supra, adn. 1 f. 219ᵇ). De hoc v. supra p. 331.

Exaudiat DEVS multorum vota, vt ex nostris Patribus, quorum nomina in libro vitae scripta sunt[1], breui duo Sanctorum catalogo adscribantur[2]. Miramur ex Jndia aliisque Prouinciis hoc anno nihil nobis adferri[3]. Dolemus Gallos nostros tam tarde ad sedes veteres reuocari. O Dei gratiam singularem, ut cum alij emergunt ac florent, Nostros in Religiosa simplicitate et patientia exerceri[4], accedente hoc etiam sancto desiderio, vt magnos honores perinde ac onera grauia et periculosa exhorreant[5]. Norunt etenim, quid sanctae vocationi suae debeant, ut nempe non mundo et carni, sed paupertati et cruci Redemptoris viciniora sectentur. Existimemus plane, nos mundo et veteri homini mortuos, soli Deo viuere in sanctificatione et renouatione spiritus[6], quem pridem hausimus ex facta visitatione[7]. Tantum obseruandus, et quoad fieri potest, exterminandus est ille Jebusaeus, qui in terra nostra moratur, nec parum negotij facessit dormitantibus[8]. Salutatum ex me velim P. Laurentium Magium, si rediit Romam, qui fructum non exiguum ex profectione sua collegit[9]. P. Lucio[10] dici velim, mihi pergratum illius fuisse salutationem; et pium

---

[1] Phil 4, 3. Cf. Lc 10, 20; Apc 17, 8; 21, 27.

[2] Canonizationem Ignatii urgebant imprimis doctissimi et sanctissimi illi viri, Caesar Baronius et Robertus Bellarminus (*Ch. Clair* S. J., La Vie de Saint Ignace de Loyola, Paris 1891, 421). Anno 1595 variis Hispaniae locis de Ignatii virtutibus quaesitum est (*Astrain* III 676). De Francisco Xaverio Sanctorum honoribus ornando iam a. 1556—1557 prima actio instituta erat (*A. Brou*, Saint François Xavier II, Paris 1912, 391—395). Ignatius a. 1609, Xaverius a. 1619 in Beatorum album relati sunt. Sanctorum honores ambobus solenniter decreti sunt a. 1622. Plura vide in opere pulchris imaginibus illustrato „*La Canonizzazione* dei Santi Ignazio di Loiola e Francisco Saverio“, Roma 1922, 15—49.

[3] „Litteras annuas“ Societatis significare videtur.

[4] Praeter gallicam persecutionem (v. supra p. 391[3]) Canisius fortasse hoc quoque significat et indicat: Sodales aliqui hispani ordinis Praedicatorum Socios et ad inquisitores hispanos et ad Clementem VIII. detulerant, quod de divina gratia falsam spargerent doctrinam; unde gravissimae illae ortae sunt „controversiae de auxiliis gratiae divinae“, quas Clemens VIII. a. 1594 a tribunalibus hispanicis ad romanum suum tribunal avocavit (*Astrain* l. c. IV. 129—200).

[5] Clemens VIII., cui aliqui persuadere conati erat, Societatis praepositos generales non debere esse perpetuos, sed certo annorum numero astrictos, sub finem a. 1595 in animum induxit, ut Aquavivam praepositum generalem constitueret archiepiscopum neapolitanum atque ita a Societatis administratione removeret. Quod consilium ut pontifex deponeret, et ipse Aquaviva et, praeter homines aliquot inquietos et Aquavivae inimicos, Socii omnes, imprimis Aquavivae „Patres assistentes“, instabant (*Astrain* l. c. III 629—632). Eodem tempore P. Robertus Bellarminus serio laborabat, ne a pontifice, cui carissimus erat, cardinalis crearetur (*Couderc* 256—257).

[6] 2 Thess 2, 12; 1 Petr 1, 2; Eph 4, 23.

[7] Aut visitationem collegii friburgensis dicere videtur, a. 1595 a P. Hoffaeo mandatu praepositi generalis factam (v. supra p. 420), aut similem visitationem Romae factam.

[8] Cf. Ios 9, 1 2; 15, 63; Iud 1, 21; 2 Rg 5, 7 8 etc.

[9] Magius ab Aquaviva iussus erat provinciam Societatis austriacam visitare (*Schmidl* II 27; *Kroess*, Böhm. Prov. I 422).

[10] Bernardino Lucio (Luzzi), rectori collegii germanici (* *Catalogus* romanus, Rom. 53 f. 212[a]; *Steinhuber* I[2] 195—196).

eius studium laudo, quod suas colligat sarcinas, vt summo Deo placeat in regione viuorum[1], ad quam senes omnes aspirare decebat. Bene habet, nobis patere viam ad edenda Scripta, quae aliquando per censores tardos impedirentur. Denique nostrum et vestrum est, praesentem opem adferre Germanicis rebus sic satis afflictis, quoniam ab immanibus hostibus Turcis ac Tartaris haud leuiter oppugnantur. Auertat summus Deus meritas poenas, ac piorum ardentia vota exaudiat, ut Jmperium rectius conseruetur, et ad cor redeant praeuaricatores[2]. Quid si Germani apud diuum Apollinarem[3] ita se comparent, ut se nostrarum Scholarum instituto conforment, atque ad iram Dei placandam quotidie recitent sacram litaniam[4]? Audistis opinor de morte Laurentij nostri Romani, quem a piae[5] — —

† Reuerendo Patri in Christo, Francisco Rocca, Sacerdoti Societ. JESV cariss. Romae.

Epistulam hanc circa finem anni 1596 datam esse colligi potest (nisi fallor) ex postremis illis verbis, quibus Laurentii Romani mors commemoratur.

2376. CANISIUS **MICHAELI EBERLIN,** Societatis fratri scholastico in collegio dilingano degenti.

Friburgo Helvetiorum inter m. Maium 1595 et Decembrem 1597.

Ex codice „Iesuitica. Fasc. 11 No 196½" p. 39, qui est Monachii in archivo maiore reipublicae bavaricae.

In „Elogiis Hominum Illustrium qui in Prouincia Superioris Germaniae vixerunt et obierunt cum existimatione perfectionis et sanctitatis religiosae" (quae sunt 245 hominum et ab a. 1581 ad 1649 perveniunt) saeculo XVII. scriptis est etiam elogium P. Michaelis Eberlin sive Eberii (v. supra p. 390); in quo hoc narratur: „Magna ipsi cum R. P. Petro Canisio familiaritas intercessit, et epistolarum ultro citroque missitatio. In harum una Canisius sibi eum cauere iussit, ne immodice Dilingam amet, erat enim ibi tunc P. Eberius, aut aliam Prouinciae partem, sed sincere aspiret ad locum illum, quemcunque sancta Obedientia designarit; ut ex animo dicere possit, Paratum cor meum[6]; et Vt iumentum factus sum apud te[7] etc."

2377. RESPUBLICA SOLODORANA CANISIO.

Solodoro 1. Ianuarii 1597.

Ex autographo, de quo infra dicetur.

Dedicatio operum S. Hieronymi. Laudes Canisii.

In primo folio voluminis primi editionis Operum omnium S. Hieronymi, quam a Mariano Victorio Reatino curatam (v. supra p.) et a

[1] Ps 114, 9. [2] Is 46, 8.

[3] Gregorius XIII. a. 1574 et 1575 collegio germanico aedes atque ecclesiam S. Apollinaris donaverat (*Steinhuber* I² 108 211).

[4] Litanias Omnium Sanctorum: cf. *Can.* VII 88.

[5] Laurentius Casalius (Cassalius) romanus, frater laicus, 10. Iunii 1596 in collegio monacensi mortuus erat (*Can.* VI 235²).

[6] Ps 56, 8; 107, 2. [7] Ps 72, 23.

Christophoro Plantino Antverpiae novem voluminibus in folio a. 1579 typis exscriptam respublica solodorana Canisio donarit, hae litterae dedicatoriae scriptae sunt manu Ioannis Iacobo a Staal patricii senatorisque solodorani; quem earundem litterarum auctorem fuisse ex Canisii epistula 8. Ianuarii 1597 ad eum data intellegitur:

IHESVS.

Singulari pietate, incomparabili doctrina, et Veneranda | canitie Reuerendo Patri ac D. Petro Canisio, honorandae | ac doctae SOCIETATIS IESV sacerdoti ac Th. profundissimo | QVÒD | Memorabilem SS. Thebaeorum Martyrum, nominatim | verò VRSI patroni ac numinis sui tutelaris historiam, | in sui gratiam doctissimis literarum monumentis, | aeternae memoriae consecrârit; nomini suo dicârit | et eadem opera nostris hominibus naturâ et consue | tudine militiae addictis, secundum Deum et con- | scientiam absolutissimam militandi normam | ad exemplar Patroni sui praescripserit, | S. P. Q. Salodoren. | Hocce D. Hieronymi Stridonensis opus, | id est. | Orthodoxum orthodoxo, trilinguem[1] trilingui, theologum | theologo, presbyterum presbytero, grandaeuum grandaeuo, | polygraphum polygrapho, haereticorum malleum, haereticomastigi, nec non Bethlehemiticj Stabuli cultorem, Apostath: | mij[2] amico intimo optimo maximo, | Amoris, observantiae, ac gratitvdinis ergò | Libens Meritò. D.D. | Calendis Januarij M. D. XCVII.°"

Canisius Staalio respondit 8. Ianuarii 1597.

In pagina altera eiusdem folii cernitur imago S. Ursi coloribus aquaticis picta, cui *Staal* haec subscripsit:

„In coelo, Vrse, nites, Christi fvlgore corvscvs,
At ivbar in terris dat tibi Canisivs."

Magnifica haec volumina, Canisio olim donata, nunc asservantur Friburgi Helvetiorum in bibliotheca reipublicae.

2378. RESPUBLICA SOLODORANA CANISIO.

Solodoro initio m. Ianuarii 1597.

Ex autographo, de quo infra dicetur. Litterae primum typis exscriptae sunt in „*Solothurnisches Wochenblatt* für 1818", Solothurn 1818, 81–82.

Dedicatio operum S. Ambrosii. Laudes vitae S. Ursi a Canisio scriptae.

In primo folio voluminis primi operum S. Ambrosii („Divi Ambrosii Mediolanensis Episcopi Opera") Parisiis a. 1586 4 tomis in 2° in lucem emissorum (editionis a cardinali Felice de Montalto, postea Sixto V. papa, curatae) et initio a. 1597 a republica solodorana Canisio donatorum hae litterae dedicatoriae scriptae sunt manu Ioannis Iacobi a Staal patricii senatorisque solodorani, quem earundem auctorem fuisse intellegitur ex Canisii epistula 8. Ianuarii 1597 ad eum data:

Reuerendo D. Petro Canisio .S.

Accipe IESVIDVM decus immortale cohortis,
Exiguum magnae pignus amicitiae.

---

[1] Linguarum latinae, graecae, hebraicae peritum.

[2] Ἀποσταθμᾶν = pensare, pensitare, examinare.

Quae Vetus à SOLA gerit urbs cognomina TVRRE[1]
Structa, uelut perhibent, tempore Thuriadae[2],
Quâ iuga Leucolithi[3] et salebrosa cacumina JVRAE
Spectant maeandros, ARELA curue[4], tuos.
Tresque Dioecoeseis torrens ubi Siccara iungit,
Ni pluuijs crescat, Siccara siccus, aquis[5].
VRSVM tutelam patriae, urbicumque patronum
Dignatus scriptis quòd celebrare tuis,
Officij meritique tui non immemor, offert
Hoc tibi, CANISI, muneris instar opus.
Si hinc donum spectes, sudatos inde labores,
Haud operae pretium tàm leue munus erit.
Jngenij monumenta tui, maiora reposcunt,
Et sunt haec meritis inferiora tuis.
Non ebore aut gemmis, non fuluo soluier aere,
Quae tribuis nobis mystica dona queunt.
Sed pia si adspicias Sanctorum scripta uirorum,
Forsan erunt studijs munera digna tuis.
Et licet haud ualeant uestros pensare labores,
(Id nostris maius uiribus esset opus)
Signa tamen monstrant gratam testantia mentem,
Et facti cupiunt posse tenere locum.
Interea per te ornatus Thebeijus herôs
Pro meritis reddat praemia digna tibi.

Litteras hasce initio m. Ianuarii a. 1597 datas esse intellegitur ex litteris 6. Ianuarii 1597 a senatu solodorano ad Canisium datis.

Pulcherrima haec operum S. Ambrosii volumina, Canisio olim donata, adhuc exstant Friburgi Helvetiorum in bibliotheca reipublicae.

Canisius Staalio respondit 8. Ianuarii 1597.

2379. CANISIUS **IACOBO CANISIO** nepoti. Fuldae litteris operam danti.
Friburgo Helvetiorum 2. Ianuarii 1597.

Ex apographo saeculo XVII. scripto. Cod. monac. „Lat. 1606" f. 185. Epistulam primus (ex eodem apographo, ut videtur) edidit *Python* 312; qui tamen complura omisit et aliqua immutavit. Gallice eam ex Pythone reddidit *Alet* 305—306. Epistulae

[1] Ferebant, Solodorum vicum Heliogabali imperatoris tempore et paullo ante a Romanis adversus barbaros in Helvetiam irruentes munitionibus firmatum esse. Saeculo XVI. ibi conspiciebatur turris magna, qua urbis arx protegebatur (*Franc. Guillimannus,* De rebus Helvetiorum. Friburgi Aventinorum 1598, 376).

[2] Tradebant, Solodurum sive Salodurum tempore Abrahae, filii Thare (Gn 11, 26 31), exstructum esse (*Franz Haffner,* Der klein Solothurner Allgemeine Schaw-Platz; 2. Theil. Solothurn 1666, 4 7). [3] Weissenstein, mons in terra solodorana situs.

[4] Arola, Aar sive Aare fluvius.

[5] Siggern sive Siggernbach fluvius solodoranus interdum fere nullas habet aquas; a qua siccitate eum nomen sortitum esse putant. Idem olim eo loco, quo in Arolam effunditur, dioeceses basileensem, constantiensem, lausannensem iungebat (*Ch. Knapp, Maur. Borel, V. Attinger,* Geographisches Lexikon der Schweiz. Deutsche Ausg. v. *H. Brunner,* V. Neuenburg 1908, 529—530).

partem posuerunt *Michel* (gallice) 408 409, *Riess* (germanice) 501 502, *Allard* (Séguin-Allard, neerlandice) 270.

Ei gratulatur, quod e patria haeresi infecta exiverit. Eum ad fidei constantiam et ad virtutum litterarumque studium adhortatur.

Pax Christi Jesu nobis aeterna Nepos Charissime.

Quae Sacris D. Michaeli ferijs[1] ad me Fuldae dedisti, ea sub finem anni proximi libenter accepi, quoniam hae primae ac diu exoptatae literae mihi abs te sunt redditae. Gaudeo sane te sanum, et inter Catholicos Catholicum uersari, nulloque reuisendae corruptae Patriae desiderio tangi. Ex Haereticorum elapsus es manibus: caue igitur, ne commune quicquam cum illis habeas, quos Christus Dominus perinde ac impios, ethnicosque iubet deuitari[2]. Tum Catholicos omnes Doctor ille gentium Paulus obtestatur, ut non solum [non][a] obseruent, sed fugiant etiam eos, qui offensiones [?][b], et offendicula praeter doctrinam iam ante in Ecclesia receptam ac traditam faciunt[3]. Diuinae bonitati age gratias, quod Patriam pestifera lue infectam deserueris, ne audire eos cogaris qui s e d e n t ac docent in C a t h e d r a p e s t i l e n t i a e[4], quique p e r d u l c e s s e r m o n e s, e t b e n e d i c t i o n e s ut Apostolus loquitur, s e d u c u n t c o r d a i n n o c e n t i u m[5]. Deum Opt: Max: saepe et ardenter implora, ut in te amicisque tuis Catholicae fidei lumen confirmet, nullumque scelus magis nefandum puta, quam ueteris, ac Orthodoxae Religionis corrumpere puritatem, et a Confessione Sanctae Matris Ecclesiae uel unguem latum discedere. Perge autem dilecte Nepos, ut in Mariana Sodalitate pie, et in tertia classe studiose uerseris, utque Collegis alijs modestia, integritate, ac diligentia praeluceas quotidiana. Jacobus haud temere diceris, ut mei quoque parentis[6] uestigia tibi sectanda proponas, in quo sicut nosti, rarae et praeclarae uirtutes quum floreret, eluxerunt. Reliquum est, ut relictis nucibus ad illa, quae tuo genere et ingenio digna sunt, serio te componas, teque in Catholica Religione, quae sola decet hominem, ubique constantem ostendas. Vide ut hanc docilem, omnisque uirtutis capacem aetatem rite transigas, memor dicti Prophetici: B o n u m e s t u i r o, q u u m p o r t a u e r i t i u g u m a b a d o l e s c e n t i a s u a[7]. Magnam exigendi temporis habe rationem, ut in liberalibus artibus progressum non poenitendum facias, quemadmodum praesens quae gratis offertur studiorum occasio postulat, tuique parentes, amici, et Praeceptores una mecum desiderant uehementer. Gratum sane mihi feceris, si crebro scripseris, tuorumque studiorum specimen praebueris, simulque tuos praeceptores amanter meo nomine salutaris. Bene in Christo uale, mi

a) *Ut hoc v. suppleatur, vv. sqq. prorsus exigunt.* b) *Sic etiam Python; sed corrigendum esse puto:* dissensiones. *Paulus enim habet (Rom 16, 17):* dissensiones et offendicula.

[1] 29. Septembris. [2] Cf. Mt 18, 17. [3] Cf. Rom 16, 17.
[4] Ps 1, 1. [5] Rom 16, 18.
[6] Huic quoque nomen fuerat Iacobo. Cf. *Can.* I 7 9.
[7] Thren 3, 27.

Jacobe, Deumque sedulo precare, ut ad singularem ipsius gloriam et aliorum commodum studia tua rite procedant.

Friburgi Heluetiorum. Postridie Kal: Januarij.

Petrus Canisius patruus tuus.

Librarius apographum huius epistulae sic inscripsit: „1597 · Copia Literarum R. P. Petri Canisij, ad Jacobum Canisium Nepotem, cuius asseueratione, complura per eas Deus mira patrauit."

De Iacobo Canisio v. supra p. 434. In * *Catalogo* antiquissimo collegii germanici notatum est: „Jacobus Canisius Calcariensis parentibus patritijs Catholicis. Studuit humanioribus Calcariae. Fuit ex Cong. B. V. Fuldae . . . Promotus a P. Prouinciali ad Rhenum [1] uenit 12. Nouembris 1603 . . . annorum XX. ad Logicam destinatus". Alia deinde manu additum est „Discessit jngressus Societatem 14 Septembris 1606 Modestiae et uirtutum omnium singulare exemplum" (Cod. rom. „All. coll. Germ." p. 259). Postea Dilingae philosophiam moralem docuit et Henrico a Knöringen episcopo principi augustano a sacris contionibus fuit (Cod. „Acta Acad. Diling. Vol. I." p. 246 251; Dilingae in bibliotheca lycei). Anno 1634. cum pestilentia urbem monacensem vehementer ureret, totum infirmorum curae se dedit (*Kropf* V, n. 160). Complures libros homileticos et asceticos vel ipse composuit, vel ex linguis italica et hispanica (ut Ribadeneirae „Florem Sanctorum") in latinam transtulit (*Sommervogel* II 614—617). Mortuus est Ingolstadii a. 1647.

2380. CONSUL ET SENATUS REIPUBLICAE SOLODORANAE CANISIO. Solodoro 6. Ianuarii 1597.

Ex apographo eiusdem temporis, quod est Solodori in archivo reipublicae, Cod. „Copiae Missiven 1594—1598" p. 482—483. Epistula, verbis ad nostram loquendi et scribendi rationem accommodatis, primum edita est in „*Solothurnisches Wochenblatt* für 1818", Solothurn 1818, 79—80.

Pro vita SS. Mauritii et Ursi sibi missa gratias agunt et opera SS. Hieronymi et Ambrosii mittunt. De iis tarde missis se purgant.

Eerwürdiger Hochgelehrter her

E. Eherwürden neben wünschung eines gutenn gluhäfftigen Nuwen Jars seyen vnser fründtlich willig Dienst ouch was wir Ehren Liebs vnd guts vermogen zuuor. DEmnach Ehrwürdiger H. thundt wir E. Ew. gantz frundtlich bedanckhen Der Eheren, so die selb E. E. jn dedicatione der beschrybnen Legend oder Historj SS. Thebeorum Mauritij et Vrsi sociorumque eorum vns zugestadtet [2], vnd das sy jn beschrybung derselbigen souil müe vnd flijß angewenndet. Got den allmechtigen Pidtende, das er E. Ew., den Ewigen Lohnn darum geben wolle.

Damit nun aber E. Ew. nicht gedenckehen mochten wir wöllten gegen E. Ew. vndanckbar sinn so haben wir nach den Buechern, die wir allß hieuor D. Guilimanus [3] vns anzeigt vch angenem zesin ferstanden gestellt, welliche wir E. Ew. vorlangest gern zugeschicket so wir die selben ehe bekhomen mogen dan an ernstlichen nachfragen by uns nit ermanglet, aber wohl das die Buchhendler denen wir solliche

[1] Theodoro Busaeo. [2] Vide supra p. 433.

[3] Franciscus Guillimannus, oratoris hispani Lucernae habitantis secretarius; v. supra p. 327 [3].

zekhouffen beuolchen etwas langsam vnd sumig gesin ferhofendt aber E. Ew. werde vnß den langen ferzug, nit verargen, sondern dise buecher als die opera D. Hieronimij vnd Ambrosij[1] von vns zu einem wartzeichen das wir uns deß Lasters der vndanckhbarkeit gern entladen wolten, für gudt vffnemmen, vnd vns jeder Zyt jn E. Ew. andachtigem gepät für bevolchen haben vns ouch fertruwen wo wir E. Ew. gefallens vnd angenemen Dienst khonnen bewysen wir es mit guttem hertzen thun wellen hilfft Got dem wir E. Ew. vnd vns all wohl bevelchen. Datum ipso festo trium Regum Anno 1597.

Schullts vnd Rath
Der Statt Solothurn.

Canisius senatui respondit 8. Ianuarii 1597.

2381. IOANNES IACOBUS A STAAL, patricius et senator solodoranus, CANISIO. Solodoro 6. Ianuarii 1597.

Ex apographo, quod ipse Staal scripsit et „Domino Petro Canisio" inscripsit. Cod. solod. „Stal" p. 365–367.

Cur opera Patrum tam tarde miserit. Adulescentem litterarum studiosum commendat. Dolet de cladibus hungaricis et de principum inter se bellantium furore.

Negligentia librarij siue bibliopolae Basiliensis accidit. Reuerende in Christo pater, Domine et amice omni honoris et officiorum genere prosequende, quod toties promissa, promerita, et expectata tuorum laborum, quos in illustrando Ciuitatis nostrae sanctissimo Patrono D. VRSO, in extrema illa tua senectute (cygneam canendo cantionem) precibus euictus nostris, suscepisti, non dico remuneratione digna (posteaquam animi dona et ingenij dotes nullis opibus compensari ualent) hactenus carueris. Nam cum inclytus Reipubl. huius Senatus, officij meritique tui non immemor, mihi simul et piae memoriae D. Nicolao Feusio, Ecclesiastae nostro nunquam satis desyderato[2], declarandae erga te gratitudinis prouinciam nobis tradidisset, Claudio Mugio librario Basiliensi in mandatis dederamus, ut eos ex S.S. Patribus et Orthodoxis Ecclesiae Catholicae Doctoribus authenticis in tui gratiam nostro sumptu et nomine coëmeret, quos pietati tuae inprimis gratos fore cognoueramus. Jnterea accidit, ut ego quidem inconsulto Conso.[3] et inuita Pallade[4], contra uxoris et optimorum quorumque uoluntatem trecenariam militum Helueticorum Cohortem in Praesidium Lugdunense ducerem, Ecclesiastes uero ille noster, supremum uitae diem, absente me, obiret, eaque ratione librarius ille necessarium ἐργοδιώκτην non habuerit, donec tandem D. Jo. Georgius Wagnerus meus et affinis, et in resignata archigrammaturae

[1] Vide supra p. 425 446–448.

[2] Feusius, capituli S. Ursi contionator, mortuus esse traditur 5. Iunii 1594 (*Kälin*, Guillimann 54).

[3] Olim „consul" saepe scribebatur per o: „consol", et per notas scribebatur: „cos.", „conss.", „consl." etc. (*Thesaurus* linguae latinae [cf. supra p. 343[7]] IV, Lipsiae 1906–1909, 562).

[4] „Nec quisquam invita faciet bene vincula plantae
Pallade: (*Ovidius*, Fastorum l. 3, v. 823 824.)

Dignitate successor, hocipsum saxum uoluere coepit. Sed, siue librarius ille data opera rem differre ac procrastinare uoluerit (ut tales homines. in procurandis Catholicorum negotijs raro sunt prompti et alacres) siue reipsa petitos libros comparare nequiuerit, ad hanc usque diem, alias atque alias caussando nundinas, uelut moras nectendo, suspensos nos tenuit · Nunc uero tandem improbis et importunis nostris pulsus efflagitationibus, haec S.S. Hieronymi et Ambrosij Opera (qualia scilicet desyderare uisus es) magistratui nostro transmisit, quae per harum latorem iuratum Vrbis nostrae tabellarium recipies[1].

Tuum nunc fuerit, Reuerende Domine CANISI, uti tarditatem in soluendo debito nostram, aequanimiter, proüt speramus, tulisti, ita etiam leuidense hoc munus aequi bonique consulere, et magis donantium deuotos animos quam ipsum donum consyderare.

Praemia terrenae mentis terrena reposcunt.
Praemia, Canisi, te meliora manent,
Fors olim maiora tibi et meliora dabuntur,
Pro facto capias nunc pia uota. Vale.

Nobilis Thomas a Viuiaco[2], affinis noster amantissimus habet isthic filium Joannem nomine, sub disciplina Patrum Societatis Iesu bonis literis nauantem operam, quem meis literis Paternitati tuae, et eadem opera adolescentis praeceptori, authoritate tua iterum iterumque commendarj expetit. Oro et obsecro, ut eundem cum patris sui (qui uir est et egregie Catholicus et nominis uestri studiosissimus), tum etiam mei caussa, quem plurimum apud uos ualere credit, commendatum habeatis, quo patrj innotescat, hanc meam commendationem non parum uirium apud uos habuisse. Et si qua in re uicissim gratificari uobis potero, ad aras usque opellam nostram inuenietis paratissimam.

Noua (praeter ea quae ex Hungaria nimium tristia et confirmata audiuntur) apud nos in praesentia non habemus[3]. Perhibent quidem nonnulli Magnanimum illum Jazygum Principem[4] acceptam Christianorum cladem ultum, omnia quae isti amiserant in suam redegisse potestatem, sed equidem eiusmodi Stratagematum ex historiarum lectione et aliqua[a] experientia rei militaris non ignarus, facilius crediderim, nouissimam hanc Transyluani uictoriam ad reconfirmandos Germanorum animos excogitatam esse[5], qui hac suorum intellecta clade, non parum consternatj atque adeo contra Jmperij polemarchum[6] irritati esse uide-

a) *Sic Staal correxit ex* longa.

[1] Vide supra p. 425 446 448.

[2] Viviacum vel Vibiscum = Vevey, urbs vadiana (Canton de Vaud).

[3] Anno 1596 Mahometes III. Agriam (Eger, Erlau) cepit eiusque incolas trucidavit. Apud Crestesum (Keresztes) Christiani primum vicerunt; deinde, cum praedationi incumberent, victi eorumque multa milia caesa sunt.

[4] Sigismundum Bathorium, principem Transsilvaniae.

[5] Recte indicavit Staal.

[6] Nomine Rudolphi II. caesaris Maximilianus archidux christiano exercitui imperabat.

bantur. Hi scilicet sunt fructus nostrorum bellorum Ciuilium, quae Christiani Principes ambitionis Oistro ac furijs perciti tot iam annis inter se gerunt, uiribus et uiris Orbem Christianum exhaurientes. Necdum finis adparet, si uera sunt, quae de nouo belli adparatu et clandestinis ultro citroque quaesitis molitionibus a quibusdam nuntiantur [1]. Deus Sabaoth [2] Principum furorem compescere et Ecclesiae suae pacem impartiri dignetur. Salod. ipsa die Theophaniae [3] 1597.

R. P. T. etc.

Io. Iacobus Staal.

Canisius Staalio respondit 8. Ianuarii 1597.

2382. CANISIUS COLLEGII S. J. LUCERNENSIS SODALIBUS.

Friburgo Helvetiorum 6. Ianuarii 1597.

Ex autographo Canisii (2°; pp. 2; in p. 4 inscr. et sig.), quod est Monachii in archivo maiore reipublicae bavaricae, „Jes. in gen., Fasc. 13, No 214". Canisii nomen non est subscriptum. Inscriptio alia manu posita est; cui adnotatum est altera manu antiqua „Ex archivo" (provinciae S. J. Germaniae superioris?), et tertia manu antiqua: „Literae R. P. Petri Canisij". Apographum saeculo XVII. vel XVIII. scriptum exstat in eodem illo fasciculo et numero. Aliud apographum, saeculo XVIII., ut videtur, scriptum, exstat in Cod. monac. „Lat. 1606" f. 120ᵃ—121ᵃ. Epistulam ex autographo integram, paucis verbis mutatis, typis exscripsit *Agricola* II p. 141—144. Magnam eius partem germanice reddidit *Duhr*, Jes. I 219—220. Epistulae summam posuit *Bernh. Fleischlin*, Aus den Annalen des Gymnasiums zu Luzern in „Monat-Rosen" XXVI 13.

Socios lucernenes de morte P. Leubenstain rectoris consolatur. Huius virtutes et res praeclare ab eo gestas eis in exemplum proponit.

† Pax Jesu et annus felix dilectiss. Fratres.

CHRISTO uiuat, et certe uiuit ille pater, cuius mortem inopinatam subtristes nobis denuntiastis [4]. Mirabilis profecto est, eritque semper Dominus Deus noster in seruis suis electis [5], siue primam, siue secundam, siue postremam illorum vocationem rite consideremus [6]. Quid uero mirum, moerorem uobis acerbum ex illius morte creari, qui totius Collegij uestri fuit princeps, et primus e nostris operarius [a] in Lucernensi messe laborans [7], quique tot annis suis ipse humeris tantum sustinuit onus.

a) *Agric. correxit:* Operarijs.

[1] Circa hoc tempus Henricus IV. Galliae rex cum Elisabetha Angliae regina et Mauritio Auriaco sediciosorum in Hollandia duce foedus ad Philippum II. Hispaniae regem impugnandum iniit.

[2] Cf. Ier 11, 20; Rom 9, 29; Iac 5, 4.

[3] Die 6. Ianuarii.

[4] P. Martinus Leubenstain (Leibenstain), ex „Oberndorf" Algoviae a. 1533 ortus, Societatem a. 1556 ingressus (*Polanco* VI 345), in collegio lucernensi Kalendis Decembribus a. 1595 munus rectoris, quod iam antea ibi diu administraverat, iterum susceperat. Proximo anno, cum homines in urbe pestilentia laborantes omni studio iuvaret, ipse pestilentia absumptus est 29. Decembris 1596 (*Agricola* II p. 141; *Duhr*, Jes. I 219). De eius meritis et virtutibus scripserunt etiam *Fleischlin* l. c. 12—13 et *Gräter* l. c. [cf. supra p. 331] 50—51.

[5] Cf. Ps 67, 36; Mt 21, 42; Mc 12, 11.

[6] Canisius significare videtur ingressum in ecclesiam (per baptismum), in ordinem religiosum, in beatam aeternitatem.

[7] Anno 1574 cum P. Vito Liner et fratre laico eo missus erat (*Duhr* l. c. 212).

quantum alij non iniuria reformidant? Agrum incultum et spinis obsitum reperit, et messem ex illo uberem ac foecundam effecit, noua et praeclara uerae pietatis disciplina passim efflorescente[1]. A Domino factum est isthuc[2] quod mirantur adhuc Lucernenses, meritoque gaudent, se uelut ex tenebris in praesentem lucem huius inprimis Jesuitae opera fuisse pertractos. Etsi uero mea consolatione non indigeatis, quae luctum uestrum in optimi parentis obitu leniat ac imminuat: tamen pro mea in uos charitate committere non possum, quin de hoc ipso rectore uestro, et collega meo aliquid in medium feram. Agnoscit Lusitania[3], et P. Baderus[4] confirmat, quantum hic Martinus in literis et spiritu profecerit, priusquam sacris ordinibus initiaretur. Vidit mecum Ingolstadium, quanta idem fide et industria primum suum obiuerit Rectoratum[5], ut exemplo haud minus quam uerbo sibi subiectos pasceret. Meminit Augusta Vindelicorum, quod insignem praestiterit in illa Rep. Ecclesiasten, nulli molestum quidem, sed bene gratum auditoribus[6]. Vos Lucerij testes oculatos facile praestabitis, quantis illi laboribus constiterit, inde ab initio Dei uerbum serere, populares animos ad frequentem Sacramentorum usum adducere, multorum calumniantium inuidiam superare, neque pauca et leuia domi et foris conficere, quae ad noui collegij et scholae structuram, incrementum, et ordinem desiderabantur. In tanta rerum et consiliorum uarietate semper sibi consitit, et aequalis perstitit hic Rector, sibi quidem durus ac rigidus, alijs uero blandus et facilis, non quaerens quae sua sunt[7], sed quae ad Christi gloriam et salutem animarum uel maxime spectare uidebantur. Vos ego fortunatos dixerim fratres, si quemadmodum decet, tanti patris haeredes ac filij esse pergatis: ab illis nempe uitijs alieni, a quibus ille semper fuit immunis, nimirum otio, desidia, philautia, fastu, intemperantia et simulatione. Sic enim sese comparauerat, ut paucis contentus frugaliter uiueret, corporis commoditati multa subduceret, secretam amaret poenitentiam, flagrantem in pauperes, et aegrotos charitatem exercitaret, modestiam et submissionem non fictam praeseferret, et qui a suis obedientiae perfectae officium uel maxime postularet, dignus profecto qui huius prouintiae nostrae primarijs senioribus annumeretur.

Proinde non lugeamus, sed laeti summo Deo agamus gratias, qui sanctificando nomini suo[8] seruum hunc delegit fidelem at-

[1] Haec vere dicta esse testatur *Ant. Phil. v. Segesser*, Rechtsgeschichte der Stadt und Republik Lucern IV. Lucern 1858, 571—572. [2] Ps 117, 23.

[3] Circa a. 1559 Conimbricam proficisci iussus erat, ut inde mitteretur in Indias. Conimbricae primum per breve tempus magistrum egit, dein litteris et humanitati studuit et (a. 1561) dialecticam audivit (*Duhr* l. c. 220 559).

[4] Georgius Bader; cf. supra p. 78.

[5] Ab a. 1565 ad 1570 (*Can.* V 110; *Duhr* I 64[3]).

[6] Anno 1573 per sacram Quadragesimam binas singulis hebdomadis contiones habuit in templo S. Mauritii (*Duhr* l. c. 450).

[7] 1 Cor 13, 5; cf. 1 Cor 10, 24; Phil 2, 21. [8] Is 29, 23; Mt 6, 9; Lc 11, 2.

que prudentem, quem tot modis ornatum constitueret Lucerij super nouam familiam suam[1], vt lucernam ardentem ac lucentem[2] ultro citroque praestaret. Non potuit ille mori perperam, qui singularis mundi suique contemptor usque fuit, totque uirtutum edidit specimina, homo sine querela[3], uerus et syncerus Dei cultor[4], indefessus Ecclesiae minister, in gubernanda domo paterfamilias impiger, in amicis et aemulis recte tractandis mire dexter atque industrius, ubicunque uersaretur.

Cur obsecro indolescamus, talem patrem nobis non ereptum, sed ad ueram[a], immortalemque uitam translatum, et lectissimis nostris Patribus cum Rege suo Christo regnantibus aggregatum esse? Suum ille pensum absoluit, longum ac difficile iter confecit prospere, ut lauream propositam nobis praeripienti quodammodo inuidere debeamus. Non dispendiosa, sed fructuosa uobis ea fuit mors, quae forti militi coronam diu exoptatam imposuit, et frugiferam horti uestri oliuam[5] in paradisum coelestem transplantauit, fidumque patronum effecit, qui uestri, imo sui collegij apud summum Deum numquam obliuiscatur. Quamdiu stabit domus et schola et Ecclesia uestra, celebris uiri huius memoria uigebit, suosque inprimis fratres, haeredes ac filios admonebit, ut charitate fraterna nihil habeant antiquius, illamque suis pectoribus infixam diligenter asseruent. Quid enim nisi synceram et ardentem charitatem fuisse dicemus, quod ille domesticis curis impeditus, tam frequens et serius fuerit in confessionibus poenitentium excipiendis? Aegrotis aeque ac sanis iuuandis libenter adfuit, illorum saluti prospexit maxime, et quod ego cumprimis admiror, praesentis [?][b] uitae periculo se uitamque suam exposuit, grassantis pestis contempsit contagium, et propter Christum tantopere dilexit proximum, ut mori maluerit, quam deesse proximo laboranti. An isthuc est aliud quaeso, quam Christum ducem imitari, qui animam suam pro nobis posuit[6], et charitatem perfectam reipsa testari, siue sicut ille dixit, diligere non uerbo et lingua, sed opere et ueritate[7]? Benedictus igitur bonorum omnium fons et princeps Christus, qui tam fidum, pium ac prudentem operarium extrusit, ut messis Lucerica excoleretur[8], nihil ut ego mirer, lugere totam illam Remp. tali Theologo, medico, Ecclesiaste et Rectore destitutam. Vobis autem gaudendum opinor in Domino, quod cum parente spirituali praeclare actum intelligatis, quodque praecedens ille uiam uobis calcandam ostenderit, ut ad beatam immortalitatem recta sequamini. Verum ut loquacitati meae modum imponam, nihil enim refert instruere sapientes, concludam haec omnia repetitis magni Apostoli uerbis, quae mihi obseruatione digna

a) *Agric. hic addidit:* ut spes est. *Quae non sunt in autographo.* b) *Corrigendumne est:* praesenti?

[1] Mt 24, 45; cf. Lc 12, 42.
[2] Io 5, 35. [3] Sap 18, 21. [4] Io 9, 31. [5] Ps 51, 10; Ir 11, 16.
[6] Io 10, 15; 15, 13. [7] 1 Io 3, 18. [8] Cf. Mt 9, 38; Lc 10, 2. —

uidentur. Consolamini ait, inuicem, et aedificate alterutrum, semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite: haec est enim uoluntas Dei in Christo Jesu in omnibus uobis[1]. Pro scriptore Dominum rogetis quaeso dilectiss. fratres. Friburgi Heluetiorum 6 Januarij · anno Christi 1597.

† Charissimis Patribus et Fratribus Collegij Lucernensis.

In pagina tertia epistulae P. *Martinus Licius* collegii friburgensis rector scripsit: „Cum has scriberet bonus Pater, Nondum, ut colligo, de Xenio a vobis sibi transmisso, intellexit quidquam. Non nisi Pater Richardus[2] in causa est, cui tamen Vestri Patris Richardi[3] literas statim tradidi. Curabo ut hodie cum Regibus uestrum munus offerat[4]. Inter alias preces, Ingolstadienses illi 20 Sacra obtulerunt. Vt laetatur et exultat? Ist nach gstalt der sach wol vff."

Merito *Fleischlin* l. c. 13 de hac Canisii epistula scribit: „Ein herrlicher Neujahrsbrief".

2383. CANISIUS **CONSULIBUS**[5] et **SENATUI REIPUBLICAE SOLODORANAE.** Friburgo Helvetiorum 8. Ianuarii 1597.

Ex apographo a. 1892 exscripto ex archetypo, quod est Solodori in archivo reipublicae, „Freiburg: Schreiben von anno 1584 biß 1599" Nr. 4.

Pro operibus Patrum gratias agit et se collegiumque suum commendat.

Edele, Gestrenge, Ehrenveste, Fürsichtige, Genedige, und günstige Herren.

Neben wündschung eines frewdenreichen neüwen Jares, und erbietung meines gebetts zu Gott dem Allmechtigen, umb glückliche regierung E. G. etc., thue ich E. G. zuwissen, das Jch, gleichwol ein unwirdiger, an stat eines kleinen, Eüweren Gnaden zuegeschribenen Büechlins[6], so vil großer und teüerer Büecher der fürnemmen Kirchenleerer Ambrosij und Hieronÿmmi[7] wol gebunden iezund empfangen habe. Wellicher stattlicher und löblicher Schankung, Jch sammt unserem ganz Collegio, wie billich, nit wird vergessen. Ferners wöllen wir auch den güetigen ewigen Gott anrüeffen, das Er, dise an Uns bewisene freigebigkeit, mit seinen himmelischen güettern miltiglich vergelte. Bedanken uns auch zumhöchsten, das E. G. nit allein unsere beschribene Histori von Sanct Moritzen, und S. Urß etc., den lobwirdigen Märtÿrern, günstig und gnediglich hat angenommen, und Jhr wolgefallen lassen, sondrn auch, zu gewisser anzeigung diser Jhrer geneigter anmuetung, dises unseres arme Collegium mit obengemeldeter schankung verehret hat.

[1] 1 Thess 5, 11 16—18.

[2] Richardus Fildius *Catalogus lucernensis anni 1596: G. Sup. 44 f. 117ª.

[3] Richardi Eustathii *Catalogus friburgensis anni 1596 l. c. f. 116ᵇ.

[4] Die 6. Ianuarii ecclesia memoriam colit magorum vel regum, qui Christo parvulo munera obtulerunt Mt 2, 1—12.

[5] Significari videntur Laurentius Arecker et Wolfgangus Dägescher; vide supra p. 433.

[6] Librum significat de SS. Mauritio et Urso eorumque sociis a se scriptam, v. supra p. 358—359.

[7] Vide supra p. 446—448.

Dises mals weiß Jch E. G. und Herrlichkeiten nichtes andres zuschreiben, dan das Jch, sammt meinen Mitgenossen, Gott den Allmechtigen treülich bitten will, das E. G. und Gunsten, unserer Societet gnedige Herren und schirmer bleiben, und das der hohe fromme Gott Euwerer Gnaden Jedem, an Leib und Seel, ein fridliches und glückliches Jar, mit seinem reichen segen verleihe. Datum zu Freiburg in der Eidgenoßschaft, an dem 8ten Tag Jenners Anno 1597.

E. G. ganz geflissener
und dienstwilliger

Petrus Canisius.

Den Edeln, Gestrengen, Ehrenvesten und hochweisen Herren, Herrn Schuldtheissen und Rathsverwandten, der löblichen Statt Soloturn, meinen gnedigen Herrn.

2384. CANISIUS **IOANNI IACOBO A STAAL,** patricio et senatori solodorano. Friburgo Helvetiorum 8. Ianuarii 1597.

Ex apographo circa medium saeculum XIX. (ex archetypo?) scripto. (Can. 56. nº 5 f. 8a—9a. Epistula primum edita est in „*Solothurnisches Wochenblatt* für 1818". Solothurn 1818, 85—87.

Gratias agit pro operibus Patrum litterisque dedicatoriis. De temporibus turbulentis. De adulescente litterarum studioso.

Pax Christi et annus felix Dignitati tuae totique
Reipublicae Solodorensi.

Nobilis et Magnifice Domine. Nihil sane erat opus tam accurata purgatione, cur jam ante promissa et nobis benigne destinata duorum insignium Patrum[1] opera submitti tandem tardius videbantur. Si quid peccatum est, non vestra quidem voluntate, sed aliorum culpa peccatum est, ac difficilia fere sunt quae pulchra, vetus habet proverbium[2]. Clementissimum Deum precabimur, ut singularem hanc Senatus amplissimi erga nos munificentiam ac raram liberalitatem respiciat, imo et solidis aeternisque praemiis abunde compenset. Fateor equidem laborem ac munus in Divis Mauritio et Urso, fortissimis Patronis atque Martyribus, describendis ac Senatui vestro dedicandis a me consumi accuratius potuisse. Gaudeo interim, quidquid hoc studii ac officii mei fuit, vestro et aliorum Senatorum gravi judicio, magnoque consensu humaniter excipi, et me, quamvis indignum Theologum, tam insigni et honorario munere cohonestari. Agnosco mirificam erga me benevolentiam tuam, quod his ipsis Doctorum monumentis eas laudes adscripseris[3], quae mihi certe neutiquam debentur, sed vestrum erga nostros amorem palam declarant, ac posteris quoque nostris haud obscure testabuntur. Vide, obsecro, ut nostro omnium nomine, quem-

[1] SS. Hieronymi et Ambrosii: v. supra p. 425 446—448.

[2] „Παλαιὰ παροιμία, ὅτι χαλεπὰ τὰ καλά ἐστιν": *Plato*, Cratylus c. 1. „Τὴν γὰρ παροιμίαν ὅ τί ποτε λέγει, τὸ χαλεπὰ τὰ καλά, δοκῶ μοι εἰδέναι": *Plato*, Hippias maior c. 30. „Κατὰ τὴν παροιμίαν ‚χαλεπὰ τὰ καλά'": *Plutarchus*, De liberis educandis c. 9. „Difficilia quae pulchra": *Erasmus* l. c. 359.

[3] Vide supra p. 446—448.

admodum decet, vestro Senatui gratias agas nostramque observantiam illis debitam verbis tuis testatam facias, quandoquidem hujus accepti beneficii nostra exiguitas nunquam obliviscetur. Tuae vero humanitati visum est, rei difficilis fidum agere procuratorem, sicut et Dominus Ioannes Gregorius[1] Wagnerus Archigramataeus, cui salutem plurimam dici cupimus, toti negotio felicem imposuit colophonem. Veremur sane novas gravesque turbas, quae hactenus Reipublicae Christianae tumultuanti non defuerunt, hoc etiam anno passim exorituras, praesertim apud Hungaros, et Austriacos, qui sibi ac suis merito timent ab hostibus barbaris imminentibus. Propitium Deum precamur Europaeis, quos Principes inter se conflictantes haud parum affligunt[2]. Studiosus ille Ioannes, Domini Thomae a Viviaco[3] filius, bene habet, et a suo praeceptore ob diligentiam consuetam commendatur, eritque idem nobis valde commendatus. Praestantiam tuam una cum sua familia recte valere plurimum desideramus. Friburgi Helvetiorum 8 die Ianuarii 1597.

Servus in Christo

Petrus Canisius.

Nobili et excellenti viro Domino Ioanni Iacobo a Staal Senatori Solodorensi, patrono et amico.

Staal Canisio respondit 12. Ianuarii 1597.

2385. P. BARTHOLOMAEUS WELDENSIS S. J., rector collegii bruntrutani, CANISIO. Bruntruto m. Ianuario a. 1597.

Vide Canisii litteras 19. Februarii 1597 datas, per quas is Weldensi respondit (infra, ep. 2390).

2386. CANISIUS **P. THEODORICO CANISIO S. J.,** vicerectori collegii ingolstadiensis. Friburgo Helvetiorum circa initium a. 1597.

Vide supra, ep. 2372.

2387. CANISIUS **SEBASTIANO VERRONIO,** capituli S. Nicolai friburgensis praeposito (?).

Friburgo Helvetiorum circa initium a. 1597.

Ex apographo (A) saeculo, ut videtur, XVI. exeunte vel XVII. ante medium scripto, quod est Monachii in archivo maiore reipublicae bavaricae, Jes. in gen. Fasc. 13, No 214, in libello in 4° non conglutinato, ff. non signatis 3a—5b. Apographo in initio manu alia, eaque antiqua, adnotatum est: „Autographum huius consilij habetur apud P. Weldensem“[4]. Alterum apographum (B), idque saeculo XVII. vel XVIII. scriptum, exstat in cod. monac. „Lat. 1606“ f. 155a—156b. Quod a librario ipso sic inscriptum est: „Consilium R. P. Petri Canisij“.

Non expedire, ut modo numerus dierum festorum minuatur. Quomodo eiusmodi negotia tractari debeant. Prius magis necessaria, imprimis correctionem Breviarii, curanda esse.

---

[1] Sic; sed vocabatur ille Ioannes Georgius; v. supra p. 451.

[2] Adversus Philippum II. Hispaniae regem et Carolum I. Emmanuelem Sabaudiae ducem et Henricus IV. Galliae rex et Elisabetha Anglica et Mauritius Auriacus bellabant. [3] Vide supra p. 453.

[4] Apud P. Bartholomaeum Weldensem; de quo v. supra p. 440.

Vtrum expediat publicum edictum proponi populo de Sanctorum quorundam festis abrogandis?

Res uidetur ardua, et singulari consideratione digna ob multiplices quae hic se offerunt difficultates. Primum enim si Domini Vicarij[1] personam spectemus, securius ille facturus uidetur, re primum collata cum Reuerendissimo Domino Lausanensi[a], et eo suum praebente consensum. Alioquin fieri posset, ut ille de publicato edicto queratur, qui putatur abhorrere satis ab huiusmodi[b] innouatione. Deinde Reuerendissimi Domini Nuntij Apostolici modo praesentis[2] Authoritas et consensus requiri debere uidetur, et probabile est illum difficulter assensurum. Tertio aliquid futuri scandali metui potest ob plerosque simplices, et ueteris pietatis tenaces, qui pro sancto zelo suo contra Haereticos obijcere solent, se quia Catholici sint, ex obedientia Ecclesiae festa Sanctorum Maiora et minora more Maiorum suorum celebrare, nec minorem inde successum percipere, quam nouos Sectarios festorum fere omnium abrogatores [?][c]. Cessaret autem haec pia et procul dubio uera gloriatio Catholicorum, si magna fieret festorum mutatio, cum plurimi sint ita persuasi, ueterem illam festorum obseruationem, notam esse quandam uerae et Catholicae religionis. Daretur insuper ansa Haereticis vicinis ad ridendos et subsannandos Catholicos in sua religione uarios et instabiles, qui hac in parte tandem se conformarent ipsis aduersarijs, et paulatim in rebus alijs nouas istas Ecclesiarum ordinationes amplexuri essent.

Quarto quod ad multorum licentiam attinet qui recepta festorum multitudine abutuntur, licet hoc praecipuam causam ad mutationem hic faciendam praeseferre uideatur, tamen nihil solidi continet; sicut enim multi ferijs turpiter abutuntur, et semper abusi fuerunt: ita nec[d] pauci ijsdem ferijs cum fructu et laude uti comperiuntur. Etenim ex laudabili consuetudine et obedientia sancta complures in festis hactenus loca sacra uisitant, orant coram altaribus, Missas[e] audiunt, si possunt, pro uiuis ac[f] defunctis precantur; nec dubium, quin saepe hunc illumue sanctum, cui dies est sacer, Catholice inuocent; alicubi et sacram concionem audiunt. Haec aliaque multa id genus opera pia tollimus, si festa tollimus, et profanos homines, ut sic loquar, magis profanos, minusque deuotos uel religiosos reddimus. Atqui melior est uir unus timens DEVM quam mille filij impij[3]. Tollantur abusus, quoad eius fieri potest, sed sine hac dira praecisione, quae bonos offendere, et malis tantum ad profana curanda prodesse potest. Alijs

a) Losanensi *B.* b) eiusmodi *B.* c) abrogatione *B*, *idque fortasse rectius.* d) non *B.* e) *B. minus recte:* missam; *nam singulis diebus sacris unam missam audire officium est omnium Catholicorum; Canisius vero hic ea effert, quae pietatis singularis et liberae sunt.* f) et *B.*

[1] Petri Schnewly vicarii generalis Antonii de Gorrevod, episcopi lausannensis, ad cuius dioecesim respublica friburgensis pertinebat.

[2] Significari videtur Ioannes comes de Torre, episcopus veglensis (*Mayer* I 330 ad 345).

[3] Eccli 16, 3.

et lenioribus pharmacis tentanda est prius curatio, ut populus tam licenter et turpiter non abutatur solennibus festis, sicut passim fieri cernimus. Quinto sit ita, sicut dictitant multi, festa quaedam paulatim irrepsisse, et ex priuata quorundam deuotione recepta, multisque in locis probata et usurpata fuisse: hinc iam multorum nasci querelas et obmurmurationes de tot festorum in hoc Episcopatu multitudine, quae Nobilibus et secularibus etiam Magistratibus intolerabilis uideatur[1]. Respondeo causam huius incommodi ad Ecclesiasticos maxime pertinere, qui sua dormitantia et indulgentia nobis tot morbos fouent et alunt, quibus initio mature occurrere poterant ac[a] debebant. Quod ad festorum multitudinem resecandam spectat, multa solerter obseruanda sunt, ne fiat illud quod uulgo dici solet, Qui nimium emungit elicit sanguinem. Videndum inprimis quae festa in Episcopatu solennia et duplicia hucusque fuerunt, sicut fortasse festum Conceptionis et Visitationis B. Mariae Virginis, festum D. Marci et D. Lucae, festum D. Mauritij, et id genus consimilia. Non enim Ecclesiasticae grauitati uidetur consentaneum, ut quae longo tempore, magnoque consensu Episcoporum instituta uel confirmata fuerunt, ea leuiter nunc suum, amittant precium, et omnino[b] relaxentur uel aboleantur. Hic opus est, ut uidetur, plena ordinarij Antistitis authoritate, qui rem totam cum suo Capitulo uel in Synodo conferat, ac deliberet de festis abrogandis in choro uel foro[2], sicut in

a) et *B*. b) continuo *B*.

[1] Statutis dioecesanis episcopatus lausannensis dierum festorum „de praecepto" duo distinguebantur ordines: alii dies erant solennes; alii minus sive ex parte solennes; his enim opera aliqua servilia facere fidelibus licebat. Primi ordinis erant dies festi Christi Domini, B. Mariae V., SS. Apostolorum, Stephani, Innocentium, Sylvestri, feria VI. in Parasceve, feria II. Paschatis, Inventio S. Crucis, dies Ioannis ante portam latinam, Ioannis Baptistae, Magdalenae, Petri ad Vincula, Laurentii, Mauritii, Michaelis, Dedicationis ecclesiae cathedralis, Omnium Sanctorum, Commemorationis fidelium defunctorum, S. Martini, S. Nicolai, Patrocinii ecclesiae propriae, Dedicationis eiusdem. Secundi ordinis erant dies SS. Thomae Cantuariensis, Hilarii, Fabiani et Sebastiani, Vincentii, Cathedra Petri Antiochena, feria III. Paschatis, dies SS. Georgii, Ioannis et Pauli, feria II. et III. Pentecostes, dies S. Theoduli, Decollationis S. Ioannis Baptistae, Exaltationis S. Crucis, SS. Clementis et Catharinae. Anno 1506 Haymo de Montefalcone (Montfaucon) episcopus fidelibus permisit, ut, postquam officiis divinis interfuissent, opera servilia facerent diebus Conversionis S. Pauli, Ioannis ante portam latinam, Ioannis et Pauli, Udalrici, Petri ad Vincula, Inventionis S. Stephani, Decollationis Ioannis Baptistae, Galli, Clementis, Thomae Cantuariensis. Officia autem divina, quibus fideles diebus illis sacris interesse debebant, haec erant: Missa sollennis, contiones matutina et vespertina, Vesperae, Completorium: Ita quidem *Carolus Holder*, Quelques renseignements sur les Fêtes religieuses et leur sanctification à Fribourg, Fribourg 1896, 6–9. Ceterum in catalogo illo nomine SS. Apostolorum etiam SS. Marcum et Lucam Evangelistas comprehendi colligitur ex ipsius hisce Canisii litteris.

[2] Dies aliquis festus „in choro" tantum agi dicitur, cum in templis quidem missae, vesperae, alia officia divina solenniter peraguntur (cantando etc.), neque tamen fideles praecepto audiendi missam, abstinendi a laboribus servilibus etc. tenentur. Quodsi hoc praecepto tenentur, dies ille „in foro" quoque agitur festus.

synodo quidem Constantiensi aetate nostra factum legimus[1]. Nunc quamdiu Lausanensis Episcopatus adeo convulsus et dissectus manet, et Vicarius una cum suo Episcopo uix quartam partem diocoesis sibi subiectam tenet, caute et mature hic agendum suaserim, ut alia quae ad Cleri uisitationem et reformationem faciunt, maiorisque momenti sunt, inprimis[a] curentur. Prodesset fortasse leges magis necessarias conscriptas post Pascha uel alio tempore, cum Decani et Parochi omnes conuocati adsunt, velut[b] in Synodo proponere, et hinc illis legibus, si ab omnibus approbentur, majorem authoritatem comparare, easdemque[c] leges uel Archiepiscopo Bisuntino[2], uel Ordinario Lausanensi, aut saltem Illustriss. Nuntio Apostolico commendare non unius quidem, sed totius Congregationis praesentis nomine, ut firmiorem habeant authoritatem in posterum; Hoc enim est, ni fallar secundum viam antiquam[3], receptam, tritam[4], ordinariam procedere, cum et secundum Paulum honeste, decenter, et secundum ordinem in Ecclesia fieri debeant omnia[5]. Hoc est tempus redimere, quoniam dies mali sunt[6].

Postremo ualde optandum uidetur, ut Friburgensis Clerus, qui fere solus Vicario[d] Lausanensi subiectus est, certum aliquod Breuiarium, et praesertim in Bisuntino Archiepiscopatu iam editum, et reformatum[7], amplectatur. Quod si neque cum illo, neque cum Romano conuenire possunt Breuiario, ut uereor sane, misere quidem[d] agetur cum sacerdotibus siue in choro, siue extra illum horas Canonicas persoluentibus, et semper in eodem uelut luto haerentibus, quoniam nullam certam precandi formam retinent et obseruant, praesertim qui recens ad sacros accedunt ordines[8]. Quod si de corrigendo Breuiario (idem vero de

a) *Hoc v. deest in B.* b) *B. minus recte:* uel. c) easdem *B.* d) *Hoc v. deest in B.*

[1] Cf. librum „*Constitutiones* et Decreta Synodalia Civitatis et Dioecesis Constantiensis Anno Domini M. D. LXVII. statuta", Dilingae 1569, f. 141 (Tit. XVII c. 1). Complures dies festi in ea synodo abrogati sunt, ita tamen, ut „sacro audito" unusquisque ad labores suos redire posset.

[2] Dioecesis lausannensis tunc ad provinciam ecclesiasticam bisuntinam (Besançon) pertinebat. Archiepiscopus erat 1586—1636 Ferdinandus de Rye.

[3] Cf. Prv 22, 28; Ir 6, 16. [4] Cf. Nm 20, 19; Ir 18, 15.

[5] 1 Cor 14, 40. [6] Eph 5, 16; cf. Col 4, 5.

[7] Breviarium bisuntinum, circa a. 1062 stabilitum, primum a. 1480, deinde a. 1560 et 1563 (vel 1565) typis exscriptum erat. Quod etsi propter antiquitatem etiam post breviarium romanum a. 1568 editum retineri poterat, anno tamen 1589 a Ferdinando de Rye archiepiscopo ita reformatum est, ut rebus aliquibus exceptis cum breviario romano conveniret (*Richard*, Histoire des diocèses de Besançon et de Saint-Claude, Besançon 1847 1851. II 229 278 551; *Loye*, Histoire de l'Église de Besançon, Besançon 1901—1903, III 237 305).

[8] S. Pius V. a. 1568 Breviarium Romanum et a. 1570 Missale Romanum ediderat et ecclesiae praescripserat, ita tamen, ut, qui aliis Breviariis et Missalibus iam plus quam 200 annos usi essent, ea retinere possent. Proinde lausannensis quoque episcopatus librorum illorum romanorum usui non astringebatur. Ut tamen Friburgenses eos admitterent, *Bonhomius* nuntius apostolicus multum instabat. Quod nisi feceritis, ait

Lausanensi Missali est iudicandum [1]) agendum videbitur, qua in re omnis mora mihi periculosa videtur, tum demum et de contrahendis festis commode tractabitur, salua semper Authoritate ac Reuerentia ijs, ex quibus pendere debet Clerus Lausanensis secundum sacros Canones.

Saluo sapientum judicio

[P. Canisius.][a]

Commentarium hunc a Canisio compositum esse is, qui apographum B scripsit, planis verbis asseruit. Idem censuit scriptor ille Canisii temporibus vicinus, qui apographum A scripsit: id ostendunt ea, quae in codice illo apographum hoc antecedunt et sequuntur. Revera et dicendi ratio, et ea quae dicuntur, canisiana sunt. Ex iisdem rebus colligitur, Canisium Friburgi Helvetiorum scripsisse, postquam breviarium bisuntinum a. 1589 reformatum est. Quaerentibus denique, cuinam commentarius hic a Canisio destinatus sit, primum quidem occurrit capitulum S. Nicolai friburgense: hoc enim totius cleri illius caput erat. Verum huic Canisius, puto, maiore cum venerationis significatione et minus familiariter scripsisset. Neque Petro Schnewly episcopi lausannensis vicario Canisius scripsit: is enim in tertia persona, ut dicere solemus, a Canisio commemoratur. Hoc patet: Is, cui Canisius loquitur, et de clero erat et Friburgi plurimum valebat et Canisio erat familiaris. Haec optime conveniunt in Verronium sub exeuntem a. 1596 officium praepositi friburgensis assecutum (*Werro* 21, et infra, mon. 1576). Exeunte autem a. 1597 Canisius mortuus est. Qui cum in his litteris de legibus quibusdam clero reipublicae „post Pascha" (quod 6. Aprilis futurum erat) scripserit, dicendum est, eum circa initium a. 1597 scripsisse.

2388. IOANNES IACOBUS A STAAL, patricius et senator solodoranus, CANISIO. Solodoro 12. Ianuarii 1597.

Ex apographo ab ipso Staal scripto et „D. Petro Canisio" inscripto. Cod. solod. „Stal" p. 248—249.

Locum quendam epistulae superioris emendat. Gratum testatur animum pro Canisii libro de Martyribus Thebaicis. De principum discordia dolet.

Quanquam nostrae ad amicos literae non sint eius generis, nec eo scribantur animo, ut accuratam quis in ijs dictionem requirere, uel easdem (officium ubi praestitere suum) asseruare ulterius debeat, quia tamen accidere potest interdum, ut amicorum scripta Vulcano uel

a) *Haec suppleri ex B. Vide supra p. 458.*

10. Ianuarii 1580 Schnewlio vicario generali scribens, „ferme dici potest certum vos Officium non habere, neque habituros sperandum esse. Nostis quippe quot apocryphae historiae in Breviario vestro legantur: tum vero nisi praelo tradatur imprimendum, satisfieri non posse Clericis, qui illud recitare debent: nam nec venale uspiam est Lausanense jam Breviarium, nec imprimi rursus potest sine gravi impensa, quam si quis forte esset subministraturus, qui corrigetur aut reformabitur? Non enim paucorum mensium labor, aut unius alteriusve theologi studium ad hujusmodi negocium conficiendum sufficit." Friburgenses vero canonici malebant antiquos libros suos retinere (*Berthier*, Bonh. 18 35—36). Egerat quidem a. 1581 Romae ipse Verronius de breviario lausannensi corrigendo cum Gregorio XIII., et hic cardinali Guilielmo Sirleto eam correctionem commiserat (*Wymann*, Zehn Briefe etc. [v. supra p. 9[1]] 122 127 131). Nec tamen ea res ad effectum deducta esse videtur (*Mayer* II 73).

[1] Missale Lausannense a. 1522 Genevae typis exscriptum erat (*Mayer* II 71[1]).

Cloacinae Deae consecranda, alienas in manus perueniant, nisi in ipso puncto temporis, quod aiunt, tali sacrificio destinata fuerint, intermittere non potuj, quin hac oblata occasione cuiusdam te admoneam erroris siue incongruitatis, quae, dum ad lucernam, contra meam et consuetudinem et sanitatem, nuper ad te scribo, imprudentj mihi accidit[a], nec (si ea epistola adhuc extat) dissimulari debet. Ex apographo literarum nuper ad te missarum agnosco, me (dum oro et obsecro, ut rei missae tenuitatem aequi bonique consulas, dictionem illam TENVITATEM omisisse · quamobrem uelim, ut ea epistola uel corrigeretur, uel opprimeretur, si forte nondum soluisset fato debita iura suo. Ad gratiarum actionem quod attinet, quemadmodum nulla opus erat (posteaquam uobis nullae satis dignae agj, nedum referri possunt) ita declarata uestra erga Magistratum nostrum constans ac syncera uoluntas, non potuit eidem non esse gratissima. Et fatemur etiamnum immortalibus ingenij tui monumentis, quibus Ciuitatem hanc antiquitate et gloria belli iam olim claram, SS. Thebaeorum Martyrum Venerandae historiae editione illustrare dignatus es, (Reuerende Canisj) nullam satis dignam compensationem retribuj posse. Sed is, qui, ut nostris precibus id dares, uoluit ut erga te similiter grati esse ualeamus, precibus nostris condonare uelit. Debuissem ac uoluissem cum publicae tum priuatae nostrae erga te beneuolentiae testificandae gratia, aliquid te dignum ipsi[b] praefixisse operj, sed cum ingenij mei uaena per se sterilis sit, et uarijs domi militiaeque curis ac laboribus, una cum oculorum acie perpetuis tam lectionibus, quam scriptionibus contusa, uehementer hebetata sit, oro et obsecro, ut ingenuam hanc grati animi significationem, prout literae tuae prae se ferunt, factj loco suscipias, et potius animi candorem, quam barbarorum uersuum stridorem respicere digneris.

Quae de formidata et Europaeis gentibus ob Principum abominandam discordiam, imminente scribis calamitate, eiusmodi sunt, ut merito nos omnis ad uota SALVTI [?][c] facienda, ne quid Respubl. Christianorum detrimenti capiat, impellere debebant, sed Endimionis somno grauati[1], quae prae foribus sunt, et ceruicibus nostris iamdudum imminent mala, prospicere miserj nequjmus. Is qui solus cuncta seruare nouit, iustitiae sol[2] Christus Jesus, omnis calamitatis Austrum de coelo transferre, et in uirtute sua Africum inducere[3] dignetur, quo optata in quiete, et animorum tranquillitate uera, eiusdem legib: obedire heic, et tandem gaudia permansura obtinere ualeamus. Datum Salodorj Heluetiorum pridie Jdus Januarij · 1597.

a) *Sic St. correxit ex* excidit. b) ipso *apogr.* c) *Sic. Volebatne scribere:* SALVATORI?

[1] Ἐνδυμίων iuvenis pulcher apud Graecos et Romanos personam agebat somni gravis et diuturni hominibus obrepentis. „Ne si iucundissimis quidem nos somniis usuros putemus, Endymionis somnum nobis velimus dari: idque si accidat, mortis instar putemus“: *Cicero,* De finibus l. 5. c. 20. n. 55.

[2] Mal 4. 2. [3] Ps 77. 26.

2389. CANISIUS **P. IODOCO ITAEO S. J.**, rectori collegii lucernensis.
Friburgo Helvetiorum 12. Februarii 1597.

Ex apographo saeculo XVII. scripto et a librario inscripto: „Ad P. Jodocum Itaeum Soc: Jesu Lucernae V. Rectorem." Cod. monac. „Lat. 1606" f. 179a—180a.

Nova officia ei gratulatur. De sacris exercitiis, Quadragesima, confessario uxoris legati hispani, infirmo, xenio. Nova de Turcis, Stiriae duce, Bohemiae prorege. De iubilaeo Societati concesso. „Pusillanimitas" vitanda, „naeri" dissimulandi.

Pax Christi nobis aeterna
Reuerende Pater.

Hac hora primum intelligo, et diuinae prouidentiae per Superiores nostros operanti gratias ago, uestroque Collegio simul gratulor, de instituto Rectore [1] et misso Concionatore, qualem exoptastis [2]. Confirmet in uobis ille qui coepit ut cum spiritualibus exercitijs nouum spiritum cuncti coniungatis, et felicem sanctamque quadragesimam [3], cum emolumento multorum Lucernae celebretis. Quotidie hic exspectamus aduentum D.[a] Legati Regij [4], dolemus autem deesse illius uxori apud nos confessarium, quandoquidem ego sum Surdaster et Italicae linguae satis imperitus. Pater autem Richardus [5] pergit esse ualetudinarius, et tentatur a febricula, ut eius uitae periculum timeri possit, cum nullum hic mèdicum habeamus. Orandus est nobis Deus, ut uestro nostroque Collegio suppetat efficax gratia, quae hoc Sacro Jeiunij tempore domesticis et externis est maxime necessaria. Valde mihi iucundum fuit xenium quod Charitas uestra in me Senem contulit haud sine ingenti liberalitate [6]. Vtinam liceat mihi aliquod uerae gratitudinis specimen exhibere, quandoquidem immerentem trepidumque senem uestro precandi studio recreatis.

Dilinga scribunt Turcarum Caesarem e uiuis sublatum esse, cui Octennis filius successit [7]: Janitscharos in Palatium irrupisse, et ex eius incendio bonam Vrbis Constantinop: partem conflagrasse [8]. Pontif: Max: [9] et Florentinorum Princjpem [10] aliquot bonorum militum millia Caesari [11] promisisse, idem ab Electoribus imperij factum esse, ut bellum Turcis inferendum prorogetur. Conspirant insuper Poloni, Transyluani, Moldaui, Walachi, ut aduersus Turcicam Tyrannidem noua ineant foedera.

a) P. *apogr.*

[1] Iodoco Itaeo.

[2] „P. Bartholomaeus Schrenck Contionator nostri Temp. Praefectus et Confessar. eiusdem. Consultor Rec. Praeses Congregationis B. V." : * *Catalogus* lucernensis a. 1597 (G. Sup. 44 f. 124a). [3] Haec incohanda erat 10. Februarii.

[4] Alphonsus Casate vel Casati, ex patriciis mediolanensibus ortus, Philipp II. Hispaniae regis apud Helvetios orator a m. Septembri 1594, Lucernae habitare solebat (*Kälin*, Guillimann 63). [5] Eustathius: v. supra p. 456[3]. [6] Vide supra p. 456.

[7] Hic certe rumor erat falsus. Mahometes III. a. 1603 mortuus est.

[8] Nescio num significetur sedicio, qua a. 1589 Ianitschari armatis manibus adversus Divanum in Seraio exsurrexerunt et in ipsa domo caesarea in Vesirum invaserunt. Secuta sunt incendia in urbe Constantinopoli (*Ios. v. Hammer*, Geschichte des Osmanischen Reiches II[2]. Pesth 1834. 567—568). Haec fortasse fama exasperavit et corrupit. [9] Clementem VIII. [10] Ferdinandum I. Mediceum.

[11] Rudolpho II.

Archidux Ferdinandus Graecij feliciter est inauguratus, nihilque concessit haereticis licentiam religionis postulantibus[1]. Boëmorum Prorex, qui Nouidomense[a] Collegium nostris attribuit, diem clausit extremum[2], uerum de his alijsque pluribus procul dubio intellexistis. Gaudeo Jubilaeum nouum Romae impetratum ad nos quoque peruenire[3]. Orate pro nobis Patres et fratres in Christo Charissimi, ut oblatae indulgentiae gratiam uobiscum habere possimus. Non fuerit abs re, si nos moneatis de uentura coniuge D. Legati, et de Reuerendissimo D. Nuntio[4] secuturo, cum redierit Constantia.

In Christo ualete, Canisij uestri memores.

Datum Friburgi Hel: 12 Feb: 1597.

Precor T. R. singularem animi fortitudinem aduersus omnem pusillanimitatem et anxiam sollicitudinem, quae nonnullos torquet in Rectoratu, ut sibi uix unquam satisfaciant. Neque fuerit inconsultum fratrum naeuos initio dissimulare, ut ament magis, quam uereantur Superiorem, quum eius facilitatem et suauitatem experiuntur. Verum de his alijsque obseruandis constitutiones et regulae satis admonebunt. Sapienti pauca. Dominus in nobis[b] augeat gratiam Sanctae discretionis, ut ex necessitate uirtutem oneri imposito parem faciamus.

Ora pro me Pater.

Seruus in Christo

Petrus Canisius.

2390. CANISIUS **P. BARTHOLOMAEO WELDENSI S. J.**, rectori collegii bruntrutani[5]. Friburgo Helvetiorum 19. Februarii 1597.

Ex apographo saeculo XVII. scripto et „Ad P. Bartholomaeum Weldensem Bruntrutanum Rectorem" inscripto, quod est Monachii in archivo maiore reip. bavaricae. Jes. in gen. Fasc. 13. No. 214, in libello in 4° non conglutinato, p. 12—13. Alterum eiusdem fere temporis apographum est in eiusdem fasciculi numerique libello in 4°, f. 1.

Gratios agit. Fausta precatur. De infirmitate sua. Sodales salutat. De bellis. De legato hispano. Preces petit.

Pax Christi nobis aeterna Reuerende Pater.

Gratae mihi fuerunt literae tuae Ianuario mense conscriptae, tum quod ueterem erga me beneuolentiam Landspergae coeptam, amanter declararent, tum quod singulari xenio me inopem ac ualetudinarium

a) Nouidonense *apogr.; v. infra, adnot. 2.* b) *Correxi ex* uobis; *sequitur enim* faciamus.

[1] Significatur Ferdinandus, Caroli archiducis Austriae et ducis Stiriae, Carinthiae, Carniolae filius, qui postea Ferdinandus II. imperator fuit. Stiriae ordines 12. Decembris 1596 Graecii (Graz) in eius obsequium iurarunt (*Hurter* III 381—382).

[2] Die 24. Novembris 1596 mortuus est Pragae Adamus II. de Nova Domu, supremus regni Bohemiae Burggravius sive Bohemiae prorex, qui a. 1594 in oppido Nova Domu (Hradéc Jindrichuv, Neuhaus) collegium condiderat (*Kroess*, Böhm. I 677—681).

[3] Clemens VIII. 8. Aprilis 1596 concesserat, ut omnes Societatis sodales die per praepositum generalem aut per singularum provinciarum praepositos designando indulgentiam plenariam „in forma iubilaei" consequi possent (*Synopsis* Actorum S. Sedis in causa Societatis Iesu I. Florentiae 1887, 194).

[4] Ioanne comite a Turri (della Torre) episcopo veglensi (Veglia); cf. *Mayer* I 330—346.

[5] Vide supra p. 440.

senem reficerent. Faxit Diuina Bonitas ut Bisantinum[1] uestrumque Collegium rite habeat solideque fundetur et exaedificetur, praesertim hoc difficili tempore, quo tanta uiget inter summos Principes discordia, et Ecclesia non minus ab Haereticis quam Barbaris hostibus tyrannice oppugnatur. Salutabis ex me, cum scripseris, P. Bargium, cuius ego responsum expecto, et quem in Belgio fidelem Christi operarium esse gaudeo[2]. Ac quoniam Deo et Maioribus ita uisum est, ut Rectoratus munere fungereris, pergas obsecro, quam spartam nactus es, pro uirili adornare, deque nouo isto Collegio, quod humanissimus Antistes[3] excitauit, domi forisque bene mereri in Christo Domino nostro. Rector noster[4] de suo Collegio scribet: languet in illo P. Richardus[5] Hibernus, et ueremur, ne morbo lethali laboret. Praeclare feceritis, si aegrotum Collegij uestri Sacrificijs et precibus Domino commendaueritis. Pedes officium mihi negant, et in publicum exire prohibent: tantum abest, ut ad uos queam excurrere, et uestrum inuisere Collegium, quod optarim cito exstrui superstite insigni Maecenate[6]. Officiose salutabitis meo nomine P. Syluium, in colenda uinea uestra neutiquam otiosum[7], et dilectum Fratrem Christophorum Offnerum, multis abhinc annis mihi familiarem[8], cui ob donatum xenium gratias ago. Gaudemus uestram in schola iuuentutem esse frequentem, et populum alacrem ad fidem Catholicam passim amplectendam. Precemur Dominum ut hic annus nostris Principibus aduersus impios pugnaturis terra marique sit salutaris, praesertim in Hungaria et Belgio. Nunc adest nobis nuncius Regius Philippi una cum sua coniuge, qui hactenus Lucernae uixit. Nihil gratius mihi feceris Charissime Frater, quam si me imbecillum ac uelut emeritum militem fulseris ac sustentaris precibus tuis ac totius Collegij, cui me ualde in Christo commendo. Bene uale cum Patribus et Fratribus uniuersis. Friburgi Heluet. 19 Febr. 1597.

In Christo Seruus Pet. Canisius.

[1] Initio m. Ianuarii a. 1597 magistratus urbis Vesontionis Bisuntium, Besançon de Societatis collegio, quod iamdiu desiderabant, proxime incohando agere coeperunt (*Fouqueray* II, 470—471). Bruntrutum ciuili quidem imperio episcoporum basileensium subiectum erat, in ecclesiasticis autem rebus archiepiscopis bisuntinis parebat.

[2] Cf. supra p. 374.

[3] Iacobus Christophorus Blarer a Wartensee episcopus basileensis.

[4] Martinus Licius. [5] Eustathius.

[6] Episcopus 27. Augusti 1597 primum collegio ecclesiaeque aedificandis lapidem solenniter posuit (*Duhr*, Jes. I 225).

[7] „P. Andreas Sylvius, Concionator aulae Reuerendissimi Principis, eiusdemque Confessarius et templi. Praeses casuum conferentiarum. Admonitor et Consultor Rectoris. Confessarius fratrum Germanorum. Censor librorum. Examinator ordinandorum": * *Catalogus* bruntrutanus a. 1596 (G. Sup. 44 f. 117b).

[8] Cf. *Can.* VII 418 426.

2391. CANISIUS **P. IOANNI HEIDELBERGER S. J.**, in collegio monacensi degenti. Friburgo Helvetiorum 28. Februarii 1597.

Ex autographo 2°: 1 p.; in p. 2 inscr. et sig., quod est Monachii in archivo maiore reipublicae bavaricae. Jesuitica in genere. Fasc. 13. No. 214.

Gratias agit pro precibus et a Sociis et ab adulescentibus litterarum studiosis pro se factis. Hos hortatur, ut institutionem, qua fruantur, magni faciant et disciplinae colla submittant. Heidelbergerum blasphemiae tentatione vexatum solatur.

†

Pax Christi nobis aeterna dilecte frater [1].

Ita persuadeas tibi uelim, pergratas mihi fuisse litteras tuas, quibus tuum in me amorem comprobas, et quibus fidum mihi procuratorem reipsa testaris. Quid enim charius ac optabilius nuntiare posses, quam fratres nostros, simulque studiosos adolescentes adeo mihi seni deditos esse, ut multa et ingentia Xenia pollicerentur, meoque nomine summo Deo nuncuparent? Tu uicissim illis ex me salutem dicas plurimum [?] [a], et agas gratias omnibus, quod singulari comitate procul absentem prosequantur, meque ualetudinarium in hac aetate prouecta suis munusculis recreent atque confirment. Ego uero Deum ex animo precor, ut etiam ac etiam cogitent secum, quantum suis tum parentibus, tum praeceptoribus debeant, utpote quorum excellenti beneficio non solum liberales artes isthic addiscunt, uerum etiam ad bene beateque uiuendum continenter adspirant. Vtantur ac fruantur quaeso tot praesentibus commodis, ut iuuenilia colla iugo sanctae disciplinae submittant, et in praeclaro cum studiorum, tum uirtutum campo loete procurrant. Meminerint crebro, tot egregia bonorum adolescentum perire ingenia, quandoquidem nullis honestis legibus in officio continentur, sed quod libet, id etiam sibi licere falso arbitrantur, Diuini timoris ac amoris expertes. Gaudeo equidem, coelesti illis munere contigisse, ut a sodalitio prauo seiuncti, ad scholam domumque uestram confugerint, ubi suos animos uobis traderent excolendos, ac seipsos duce Christo egregie superarent, quantumuis mundus insanus illorum conatibus obstrepat, et effrenis caro spiritui petulanter aduersetur. Verum his omissis ad te uenio frater, tuamque uicem doleo, quod asperam crucem ferre pergas, tibique displiceas uehementer ob blasfemiae spiritum infestantem. Petis igitur a me, ut precando te adiuuem. Ego uicissim abs te postulo, ut quoties mane surgis a lecto et cubitum abis uesperi, nouum renoues propositum, in hoc tentationis genus nunquam te consensurum, nisi me [b] uel Confessario aut superiore conscio. Deinde in terram expuens animose profer, Vade retro me satan [2]. Contemne uexantem spiritum sanctae Crucis facto in fronte signaculo, et reiecta pusillanimitate, ad quam uideris propensior, subinde illud repete, In Domino faciemus uirtutem, et ipse ad nihilum rediget inimicos nostros [3]. Exurgat Deus, et dissipentur inimici eius [4]. Dominus

a) *Sic; corrigendum esse uidetur:* plurimam. b) *Quattuor vv. sqq. a Can. in margine addita sunt.*

[1] Heidelberger (de quo v. supra p. 296) vocatur in collegii monacensis * *Catalogo* a. 1596 „Praefectus Conuictorum", in * *Catalogo* a. 1597 „socius Praefecti Scholarum" (G. Sup. 44 f. 114[a] 122[a]).

[2] Mc 8, 33. [3] Ps 107, 14; cf. Ps 59, 14; Idt 13, 22.

[4] Ps 67, 2; cf. Nm 10, 35.

mihi adiutor, et ego despiciam inimicos meos[1]. Dominus uirtus et fortitudo mea[2]. Non est sane cur tantopere uerearis, sed potius ut in tuis infirmitatibus glorieris[3]: teque totum offeras atque committas immensae bonitati eius, qui quem diligit, probat, purgat atque castigat[4]. Fili mi, ait ille, noli negligere disciplinam Domini neque fatigeris dum ab eo argueris[a][5]. Non ad perniciem, sed ad salutem tuam spectat diuina isthaec permissio, cuius fructum senties inaestimabilem, si tantum illius fiduciam serues, qui nos docuit ita dicere. Jn Domino speraui, non confundar in aeternum[6]. Et sicut meas ad Deum clementissimum preces exigis, ita pro Canisio inutili sene Dominum quoque inuoces quaeso. Salutabis ex me P. Vendelinum, P. Arboreum, P. Michaelem[7] podagricum, quem dominus Jesus in suorum dolorum aculeis consoletur. Orate itidem pro P. Richardo[8] Hiberno, quem heri sepeliuimus. Bene uale frater chariss. Friburgi Heluetiorum 28 Februarij 1597.

Tuus in Christo frater Pet. Canisius manu propria.

Reuerendo in Christo patri p. Joanni Heidelbergo Societatis Iesu sacerdoti chariss.

P. *Martinus Licius* collegii friburgensis rector extremis hisce litteris haec ascripsit: „Salue mi Pat. Sebastianus Strang ante biduum huc venit futurus Sacristanus meus[9]. Ora pro me meisque .9. Martij. Licius".

2392. NOBILIS FEMINA BAVARA, a daemone obsessa. CANISIO.

Sub ineuntem vel medium a. 1597.

Ex codicibus „Can. 63" f. 30[a] et „Vitae 123", f. non sign.

Rogat eum, ut sibi a daemone obsessae opem ferat.

In relatione a Sebastiano Strang, fratre laico Societatis Iesu, qui Canisio aegrotanti novem postremis vitae eius mensibus famulatus erat, inter a. 1626 et 1637 facta (plura v. infra, monum. 1595—1597) haec a Strangio de Canisio narrantur: „Memorabile est quod sequitur. In graui aetate constituto, et emeritam iam uitam Friburgi agenti, tabellarius Straubinga[10] aduenit, litterasque a nobili quadam matrona (quas ipse et ego legi) daemone iam dudum possessa et uexata obtulit, quibus rogabatur, ut quando communi fama tam potens apud Deum esset, malo

a) argue *autogr.*

[1] Ps 117, 6 7.

[2] Ex 15, 2; Ps 17, 2; 117, 14; 139, 8; Is 12, 2; Hab 3, 19 etc.

[3] 2 Cor 12, 9. [4] Hebr 12, 6; cf. Apc 3, 19. [5] Hebr 12, 5.

[6] Ps 70, 1.

[7] PP. Vendelinum Völckium, Henricum Arboreum, Michaelem Marium.

[8] Eustathio. „Et genere et virtutibus", ait *Historia* collegii, „patientia inprimis et animi submissione clarus" Cod. frib. „Hist. coll. Frib.".

[9] Sebastianus Strang frater laicus, de quo infra multa dicentur, in *Catalogo* lucernensi a. 1596 vocatur „Custos vestium. Excitator. Socius Sacristani", in *Catalogo* friburgensi a. 1597 „Sacristanus. Infirmarius" G. Sup. 44 f. 117[a] 124[a].

[10] Straubing, Bavariae inferioris urbs, cui ad ecclesiam reducendae Canisius a. 1558 operam navaverat; v. *Can.* II 262 265 807 819.

remedium afferret. Venturam eam ipsam fuisse, si certo scire potuisset eum etiamnum superesse. Ingemuit Bonus Pater perlecta epistola, et cum suspirio, o, inquit, me miserum! quem tandem me homines faciunt! dixit, suoque quem a cubiculis habebat, seuere inhibuit, ne quidquam refectionis afferret prius quam nuncium dimisisset. Calamo itaque arrepto, duabus circiter horis ea complexus est, quae bonam foeminam iuuare possent[1]. *Rei totius exitus mihi est ignotus · istud satis liquet, opinionem sanctitatis [eius] longe lateque peruagatam esse.*" *Item in commentario, quem „De vita et morte P. Petri Canisij" Socius aliquis isque, ut omnino videtur, friburgensis paullo post eius mortem ad Societatis homines scripsit, haec de Canisio narrantur: „Nobilis persona a malo genio diuexata uel ex inferiori Bauaria Friburgum pro consilio ad Patrem scripserat, uenireque coram paratam se indicarat, si modo Patrem uiuere intelligeret. Mox ille resolutis lectisque litteris ad fratrem conuersus · DEVS bone, inquit, qualem me ista persona existimat, tot in Bauaria reperiuntur hac in re experientissimi, et de me tam procul auxilium petit. Eo die, qui erat ieiunij, nec comedit, nec prius bibit, quam rationes et media in chartam coniecisset, quibus illa persona suum posset fugare uexatorem · nec scripsisse sat fuit, sed postea rem totam DEO commisit.*"

Rem brevius narravit *Sacchinus*, Can. 383—384.

2393. IOANNES IACOBUS A STAAL, patricius senatorque solodoranus, CANISIO. Solodoro 13. Aprilis 1597.

Ex apographo manu ignota scripto et ab ipso Staalio „D. Petro Canisio" inscripto. Cod. solod. „Stal" p. 296—297.

Adulescentem commendat, cui magistratus solodoranus pecuniam praebet, ut Friburgi litteris studere queat. Canisium in album fraternitatis S. Ursi relatum esse.

Quia singularis qua Pietatem uestram cordialiter prosequor beneuolentia, multis est cognita, ideo fit ut multi quoque quod alia ratione obtinere se posse diffidunt intercessione nostra apud Pietatem tuam sese assecuturos sperent. Exposuit mihi harum lator. . . . Küng (prout etiam ante fides mihi facta fuit) se a magistratu nostro obtinuisse, ut in singulas angarias pro commodiore sustentatione sibi $3^1/_2$ coronatos nostrae monetae pollicitus sit, sed eam pecuniam non sufficere ad uarios longi anni sumptus perferendos. Quamobrem, cum in praesenti Patrum Societatis uestrae praesidio, quod hactenus sibi adiumento fuisse, admodum fida ac grata commemoratione retulit, plurimum spei ponat, obnixe et instanter a nobis petijt, ut mea tibi opera, et per consequens, ipsis Patribus, quanta fieri posset, maxima diligentia commendetur, id quod ne longa uerborum ambage morer uos tribus hisce uerbis effectum cupio, sed ea cautione ut si quid spei prae se fert, qui aliquando, si non exquisita doctrina (cum obtusioris ingenij esse uideatur, prout Domini Rectoris[2] literae indicant) saltem uitae sanctimonia et morum

[1] Quae remedia indicaverit, colligi potest ex *Can.* VI 715—717.

[2] P. Martini Licii rectoris collegii friburgensis.

integritate in uinea Domini patriae suae inseruire possit. Senatus cum isto piscatore sapiens factus, nollet, quemadmodum antehac in multis alijs, oleum et operam male impendere, eamque ob caussam praedictam pecuniam in quatuor angarias partiri iussit, quo fraenum et necessitas adolescenti inijciatur pecuniae optime impendendae, prout hanc locare uisus fuerit, stipendium uel abrogabitur, uel augebitur, scilicet prout merebitur, aut Magistratui placuerit: Equidem priuato nomine ipsum in spem aliquam erigere, aut eius caussa alterius [?][a] cuiusquam augmentum [?][b] aliquid polliceri nec possum nec debeo. Sed id quod Senatus per literas pollicitus est, certo certius persoluetur, si modo Patres Societatis ex una angaria ad aliam fidem suam pro praefata summa apud eum interposuerint, qui panem eidem subministraturus erit. Cum Sancti Vrsi fraternitas, nouissime in eiusdem Reuelationis festo[1] quod quinta Martij die solenni more celebratum fuit, Procuratorum rationes audiret, et eos qui societati nomina dabant, in album referret, Reuerendus in Christo Pater ac D. Petrus Canisius, debitae gratitudinis ac beneuolentiae ergo, communibus Fratrum suffragijs immatriculatus, et in numerum Fratrum cooptatus fuit, idque maximo suo MERITO.

Cupio Reuerendam Pietatem uestram corpore et anima quam optime ualere. Salutantur [?][c] salutandi nominatim uero utriusque id est, Ecclesiasticj[d] et politici Ordinis Proceres[2], quibus uniuersis ac singulis nomine nostro laetum Pascha imprecari digneris. Salodoro Dominica in Albis[3] 1597.

Canisius Staalio rescripsit 20. Aprilis 1597.

2394. CANISIUS **P. GEORGIO SCHRETELIO**, rectori collegii augustani[4]. Friburgo Helvetiorum ineunte vel medio a. 1597.

Ex apographo litterarum Aquavivae, quod est in G. Sup. 2 f. 136[a], et ex *Radero* 215—216.

De digito S. Polycarpi Friburgum transferendo vel translato.

Claudius Aquaviva praepositus generalis Societatis Roma 14. Decembris 1596 P. Ottoni Eisenreich S. J. praeposito provinciali Germaniae

a) *Legendumne* ulterius *vel* ulterioris? b) *Sic; corrigendum esse videtur:* augmenti. c) *Legendumne* Salutentur? d) Ecclesiastj *apogr.*

[1] Traditum est, Bertham uxorem Rudolphi Burgundionum et Romanorum regis saeculo X. fere medio? Soloduri divina revelatione corpora SS. Ursi et Sociorum eius repperisse (*Acta Sanctorum* Septembris. Tomus VIII. Antverpiae 1762, 265 269 282).

[2] Ex horum numero erant Petrus Schnewly vicarius generalis episcopi lausannensis et Sebastianus Verronius praepositus capituli S. Nicolai.

[3] 13. Aprilis.

[4] „P. Georgius Schretelius, Donawerdanus (Donauwörth, urbs Suebiae bavaricae) 29 an. in Aprilj; 11 an. in Societate mense Martio": (*Catalogus* ingolstadiensis a. 1590, G. Sup. 19. III p. 4). Anno 1579 Ingolstadii in Societatem admissus, a. 1589 sacerdotio initiatus et Ingolstadii professor philosophiae constitutus est (Cod. eistett. „Hist. coll. Ing." p. 47 58). Schretelius (Schrötelius, Schrötl) postea rector fuit collegiorum augustani (1594—1599), ratisbonensis, eistettensis. Donawerdae aliquamdiu

superioris scripsit: „De reliquijs S. Polycarpi permittitur R. Vestrae, et e Monachiensi collegio, quod alias plures habet, Friburgum transferantur.“ Matthaeus Raderus autem in Vita Canisii de digito S. Polycarpi episcopi et martyris, quem is a. 1558 a cathedrali capitulo argentoratensi impetraverat (cf. Can. II 190), haec narrat: Digitum „Monachij relictum, Augustanum post Collegium accepit. Interim Canisius Friburgi consenuerat, et memor sui Polycarpi, articulum de digito reposcebat. Visum Othoni Eisenreichio Prouinciae Praefecto, totum illi et Collegio Friburgensi, ad nouam illic aedem cohonestandam transmittere, tutelam urbi et contubernio nostro praesidium. Quae res mirifice Canisium affecit, quod ipse datis ad praesidem Collegij Augustani literis declarauit.“

Fortasse, ut de sacris reliquiis saepe fit, articulus digiti S. Polycarpi Augustam missus erat. Ac similis particula fortasse Monachii relicta est, cum digitus Friburgum transferendus esset. *Agricola* certe a. 1727 scribit, illic in templo Michaëlis reliquias S. Polycarpi coli (I Dec. 2, n. 75).

Friburgi in archivo curiae episcopalis exstat sacrarum reliquiarum templi Societatis S. Michaeli archangelo sacri (quod a. 1610 perfectum est) **Catalogus* quidam a sodali aliquo huius collegii saeculo XVII. vel XVIII. compositus: in quo primo loco ponitur: „Os S. Polycarpi Episcopi et Martyris longitudinis palmi, inclusum reliquiario oblongo ex ebeno argenteis laminis ornato, cum figura Sancti argentea supra, dono datum [?][a] ab Illustrissimo Bavariae duce Wilhelmo, 1599[b], ut constat ex invent. templi nostri, celebratur 26. Ianuarii sub duplici[1] a nobis“ (ex apographo a. 1910 a R. D. *Frid. Speiser* universitatis friburgensis professore scripto). In **Historia* autem collegii refertur, Martinum Licium rectorem a. 1599, cum ex congregatione provinciali reverteretur, reliquiarium illud in pyramidis modum iussu Guilielmi V. pro Sociis friburgensibus confectum, secum Friburgum attulisse (Cod. frib. „Hist. coll. Frib.“ p. 48). Nec dubitari potest, quin „ossis“ verbo, quod etiam in * Historia hac comparet, digitus ille, qui Canisio missus est, significetur. Anno 1919 Friburgi in templo S. Michaelis, quod usque ad Societatis suppressionem a. 1773 factam et iterum per complures saeculi XIX. annos templum collegii Societatis fuerat, comperi, reliquiarium illud ibi iam non exstare. Cernuntur adhuc in altaris maioris parte illa, quae latus Evangelii vocatur, plurimae reliquiae sacrae et in his duo ossa „S. Polycarpi“: quae tamen eius figurae et magnitudinis sunt, ut digiti haberi non possint. Fortasse autem — id quod haud ita inusitatum erat — particulae digiti ossibus illis inserta sunt.

2395. CANISIUS **P. THEODORICO CANISIO S. J.,** vicerectori collegii ingolstadiensis. Friburgo Helvetiorum 20. Aprilis 1597.

Ex apographo, eoque satis manco et obscuro, quod P. *Iacobus Kritzradt* († 1672) scripsit. Cod. colon. „I. A. 17“ f. 218[b].

Valetudo adversa. Angustiae temporis. Socii Gallia pulsi. Martyrologium. Supplicatio ingolstadiensis. Congregatio provincialis. Codex P. Iaii.

a) *Sic; sed corrigendum esse videtur:* dato. b) *Correxi ex* 1596; *vide, quae ex Historia collegii mox proferentur.*

civibus ad ecclesiam catholicam reducendis diligentem operam navavit. Bonnae per aliquod tempus sedem Societatis rexit. Ibidem a. 1642 mortuus est. Pios aliquot libros conscripsit (*Duhr*, Jes. I 203[1] 210[2]; II[1] 125[3] 235[1]; II[2] 335; *Sotrellus* 294; *Sommervogel* VII 926).

[1] Significatur ritus ille solennior, quo multi dies festi celebrantur.

Rarius ad te scribo[1] valetudine imbecillior pedibusque laborans ut nonnunquam a sacrificio sit abstinendum. Deo summas gratias qui auget nostrae senectutis molestias, ut meminerimus scilicet nos in tabernaculis habitare[2], et ad vitam meliorem nobis abeundum esse. Audio charitatem tuam quoque non optime valere, et — — utinam — —[a] iratum deum precemur pro — — Hungaria, Germania, Gallia: passim enim — — semina iraeque diuinae flagella magis ac magis apparent — — — ac impendentes grauium criminum poenas [portendunt] [?] · de nostris Galliae restituendis exigua spes[3] · — expectamus [nouam] [?] Martyrologij editionem[4]. Vdalrico qui feliciter apud vos [obdormiuit] [?] in domino, iure gratulamur[5] sicut et P. Emmanueli [religiose] [?] sancteque professo[6]. Audire cupimus de publica supplicatione [aliisque] [?] [solennitatibus] [?] in die Parasceues[7] Ingolstadij celebratis[8]. Ex inferiori Germania nihil accipimus. Commendo me totum sacrificijs et precibus R. Tuae, P. Gregorij, P. Ioannis, P. Welseri[9] aliorumque [Patrum et fratrum], quibus precamur salutarem aestatem. [Congregationem, quam] [?] Patres primarij celebrabunt, [Deus fortunet] [?], ut de magnis rebus Prouinciae aliquid tandem definiatur[10]. Ego de lecto et sepulchro [inscendendo] [?][b] proxime cogito, utinam in coelestem patriam recta proficiscar. Opus Mariale nondum accepi[11]. Ora pro misero sene frater, ut quidquid superest viae, quod exiguum esse puto, Christo duce rite conficiatur, Ingolstadianis pro me comprecantibus. Est mihi scriptus codex R. P. Claudij Jaij, cupio illum Collegio vestro esse donatum, et eam donationem R. P. Visitator quum adesset nobis, approbauit · mittam hoc munus primo quoque tempore[12] · dominus JESUS

a) *Hic desunt plus quam* $1^1/_2$ *versus.* b) *Vel:* subeundo.

---

[1] Theodoricus Canisius collegii ingolstadiensis rector (vel potius vicerector) fuit fere ab a. 1595 ad aestatem vel autumnum a. 1587 (G. Sup. 44 f. 101[a] 111[a] 121[a]; *Duhr*, Jes. I 64[3] 790). [2] Lv 23, 43; Ier 35, 10.

[3] Cf. supra p. 391. Henricus IV. rex, Sociorum innocentia cognita, eos a. 1603 ad 1604 regno restituit (*Iuvencius* l. 12, n. 13—69; *Fouqueray* II 379—690).

[4] Martyrologii germanici cum Canisii nomine a. 1562, 1573, 1583 editi nova editio facta est a. 1599 Dilingae (*Sommervogel* II 670).

[5] Udalricus Frembd Societatis frater scholasticus 23. Martii 1597 Ingolstadii mortuus est (Provinciae Germaniae superioris * *Catalogus* a. 1597. G. Sup. 44 f. 125[a]).

[6] Hic utrum de Societate fuerit, necne, non constat. Fortasse in alio ordine religioso (apud Franciscanos ingolstadienses?) professionem religiosam emiserat.

[7] 4. Aprilis.

[8] Ingolstadii nocturna haec supplicatio singulari cum sollennitate a Societatis discipulis institui solebat.

[9] PP. Gregorii de Valentia, Ioannis Bredani, Antonii Welser (G. Sup. 44 f. 121[a]).

[10] Congregatio haec provincialis Monachii a d. 9. ad 16. Iulii 1597 habita est, ut ex „Actis" harum congregationum intellegitur (Cod. „B 10" p. 89—90).

[11] Canisius novam huius operis editionem meditabatur: v. infra, ep. 2400.

[12] Dubitari vix potest, quin significetur codex ille, de quo dictum est *Can.* I 416. Hoffaeus, a. 1591 Roma, ubi ei in „assistentis" officio cum Aquaviva praeposito generali non conveniebat, ab eodem in Germaniam remissus, a. 1594—1597 Aquavivae mandatu Societatis provincias Rheni et Germaniae superioris visitavit

nos benigne tueatur · salutem ex me domesticis et Ioanni Christophoro Friburgensi[1] · datum Friburgi Heluetiorum 20 aprilis 1597[a].

Frater in carne et spiritu

Petrus Canisius.

Reuerendo Patri in christo P. Theodorico Canisio Rectori · Collegij Soc. JEsu Ingolstadij.

In apographo litteris hisce ascriptus est annus 1591. Quo anno nec Theodoricus Canisius collegio ingolstadiensi praeerat, nec Societatis homines Gallia exulabant. Scribendum fuisse „1597" ostendunt ea, quae de Canisii valetudine, de Udalrici morte, de congregatione provinciali dicuntur.

2396. CANISIUS **IOANNI IACOBO A STAAL**, patricio et senatori solodorensi. Friburgo Helvetiorum 20. Aprilis 1597.

Ex apographo recenti, exscripto ex autographo, quod est Romae in collegio germanico.

De adulescente in litterarum studiis parum proficiente. De se in sodalitatem S. Ursi recepto. De infirmitate sua.

Pax Christi Domini aeterna nobiscum

Humaniss. et amicissime Domine.

Praeclare facit sapientia tua, quod sicut alias, ita nunc etiam fidum se intercessorem et patronum praebeat studiosis; eorumque causam nobis accurate commendet. Charus est nostris adolescens, quo de agitur[2], et de illo cupiunt bene mereri, quoniam Solodorensis est, et gravi Senatus uestri sententia nobis commendatur.

Est interim aetati lubricae aliquid concedendum, et seipsum ille fortasse superabit, ut obtusior ingenio esse desinat, et in litteris proficiat magis quam nonnulli arbitrentur. Probo egregiam eius voluntatem, ut justae Dominorum Salodorensium expectationi satisfaciat, et in studiis incoeptis quotidianam augeat diligentiam. Curabimus et nos partim blandiendo, partim interminando subdere illi calcaria, ut rectius uaga mens in offitio retineatur. Patienter queso feramus, quod frangi potius quam corrigi solet, si acrius urgeatur, et disciplinae [?][b] modum excedat. Monebimus et hospitem pueri, ut vigilet domi, nec sinat studiorum tempus ab eo vane conteri, aut sumptus male collocari. Crescit interim studiosorum munerus, quos pestis timor dissipaverat, nostraeque scholae nova suppetunt incrementa summo Deo auxiliante.

Equidem singularis beneficij loco duxi, me nihil tale cogitantem albo illorum adscribi, qui ex veteri more Solodori sua dant nomina Divi

a) *Vide, quae sub ipsas has litteras dicentur.* b) *Autogr. habere videtur* disciplinae; *sed corrigendum esse videtur:* disciplina.

Duhr, Jes. I 788—790). Friburgi Helvetiorum fuit m. Octobri a. 1595: v. supra p. 411. Ac tunc quidem codex ille, ut ex cartula ab ipso Canisio ei inserta colligi potest, „domui professae superioris Germaniae" destinatus est, quam Hoffaeus Ottingae Veteris (Altötting) vel Constantiae constituere volebat (*Duhr*, Jes. I 399 411). Quae consilia cum ad irritum cecidissent, codex collegio ingolstadiensi datus est.

[1] Hic Ingolstadii, puto, litteris studebat.

[2] Huic nomen erat „Küng": v. supra p. 469.

Ursi Mart. praeclarae sodalitati [1]. Hic ego nullum prorsus meritum arrogo mihi, sed vestram agnosco gratiam, quandoquidem senis absentis et immerentis, quae vestra est in me benevolentia, rationem habere voluistis. Ego mihi tum viventi tum morienti ex animo gratulor, talibus me amicis et in Christo fratribus aggregari, a quibus in aeterna accipiar tabernacula [2], vestraeque sanctae communionis particeps fiam. Non attinet de mea senili valetudine hoc loco testari. Pedes offitium non faciunt, mihi potius quam aliis vivo, cum torpore, frigore et otio pugno, nonnunquam in sylvam Hieronymianam et Ambrosianam excurro [3]. Illud Christi dictum vel maxime consolatur. In patientia vestra possidebitis animas vestras [4]. Bene in Christo vale uir humanissime et salutem ex me dic plurimam Dominis meis Solodorensibus, quibus laetum sanctumque pascha ex animo precor [5]. Friburgi Helvetiorum 20 Aprilis 1597.

Seruus in Christo Pet. Canisius manu propria.

† Eximiae prudentiae ac nobili viro, Domino Ioanni Iacobo a Staal, Senatori Salodorensi, amico cariss. Soloturae.

Staal Canisio rescripsit inter m. Maium et Iulium a. 1597.

2397. CANISIUS **P. GREGORIO ROSEPHIO S. J.**, cathedralis ecclesiae augustanae contionatori.

Friburgo Helvetiorum 20. Aprilis 1597.

Ex *Radero* (R) 196—198; qui has litteras a Canisio ad Gregorium Rosephium a. 1597 „tremente iam dextra" scriptas esse affirmat. Apographum B saeculo XVII. scriptum exstat in Cod. monac. „Lat. 1606" f. 186ᵇ—187ᵃ. Epistulam gallice reddidit *Alet* 307—309. Eius partes posuerunt latine *Python* 321; gallice *Dorigny* 378, *Séguin* 319, *Michel*, Can. 400, *Genoud* 165; germanice *Riess* 522 et *Duhr*, Jes. I 235.

Canisii infirmitas. Collegii augustani prosperitas. Strenue laborandum.

En rudis charta senili manui prope respondet: ignoscat quaeso charitas tua imperitiae et inciuilitati meae. Labores quadragesimales vti confido feliciter confecisti [6] et ad Paschalem quietem cunctis gratam emersisti, in qua cupio te recte valere: Sensi ego et sentio, pedes meos officium suum non facere, vt aliquando sit difficile sacrificare, fortassis non dispar imbecillitas Ingolstadij quoque prosternit fratrem atque Rectorem [7]. Benedictus fons ille bonorum, per quem augentur senibus torpor, fastidium, obliuio, incuria [a], molestia, et reliqua id genus incommoda, quae nos in fragili tabernaculo habitare [8], et ad meliorem vitam tendere hortantur. Age pater, communes illi agamus

a) *R B:* iniuria.

[1] Vide supra p. 470. [2] Lc 16, 9.

[3] SS. Hieronymi et Ambrosii opera Canisio a republica solodorana paullo ante donata erant; v. supra p. 446—452. [4] Lc 21, 19.

[5] Canisius haec scripsit „tempore paschali", quod usque ad d. 31. Maii futurum erat. Dominica Paschatis fuerat 6. Aprilis.

[6] Per Quadragesimam Rosephio, praeter plurimarum confessionum exceptionem, quater singulis hebdomadis contionandum erat; cf. *Can.* III 615.

[7] P. Theodoricum Canisium. [8] Cf. Lc 23, 43; Ier 35, 10.

gratias, in cuius manu sortes nostrae[1] versantur, et cuius opera florentem Augustam tot iam annis experimur: Vidimus Trucksessios[a], Fuggeros, Rellingeros[b], Welseros[2], aliosque patronos insignes et amicos, quorum beneficentiae multa debemus. Praeclaris horum vestigiis imitandis insistamus, vt de tanta Repub. bene mereamur, ad quam subleuandam mirabiliter sumus cooptati[3]. Tam commode habitatis, fauentes ac laeti auditores discipulique suppetunt, augetur et piorum numerus ad nomen Domini in vero Ecclesiae spiritu collaudandum[4]. Igitur singularem Dei gratiam agnoscamus, quo duce inter impios laeti conuiuimus, pueros et senes instituimus, Ecclesiae Sacramenta dispensamus, libros tali emporio dignos conscribimus[5], Clerum ac populum de pietatis officio admonemus, ac demum hanc Vindelicorum Augustam Deo summo magis magisque lucrifacimus. Vestri Collegii sacerdotes ac fratres, quorum chara est mihi memoria, optime valeant cum patronis et amicis vniuersis. Tuam salutem cura diligenter, nullum vt locum tribuas tristi pusillanimitati: meique memoriam tuis precibus interponere non graueris, oro. Friburgi Heluetiorum 20. April. 1597.

Rosephius haec Canisii monita secutus et de Augustanis optime meritus est. Quare *Marcus Velserus* 21. Maii 1614 (erat tunc urbis augustanae duumvir), verba Pauli Apostoli (1 Cor. 3, 6) ei accommodans, P. Matthaeo Radero S. J. scripsit: „Canisius plantavit: Roseffius rigavit: Deus incrementum dedit" (*Kropf* IV Dec. IX n. 236).

2398. IOANNES IACOBUS A STAAL, patricius solodoranus, CANISIO.
Solodoro inter m. Maium et Iulium 1597.

Epistula perisse videtur. De qua vide Canisii litteras 2. Augusti 1597 datas, per quas Canisius Staalio respondit (infra, ep. 2408).

2399. CANISIUS **P. IOANNI RADUCIO S. J.,** praefecto scholarum collegii lucernensis[6]. Friburgo Helvetiorum 7. Iulii 1597.

Ex apographo (A) saeculo XVIII. ex archetypo exscripto et testimonio authenticitatis quod vocatur munito, quod a. 1730 Friburgi Helvetiorum scriptum et tribus sigillis confirmatum est. Exstat Monachii in archivo maiore reipublicae bavaricae, Jes. in gen. Fasc. 13, No. 214. Alterum apographum (B) idque saeculo XVII. scriptum exstat in Cod. monac. „Lat. 1606" f. 188. Epistulae partem ex apographo A germanice reddidit *Duhr*, Jes. I 234.

Infirmum solatur. Praeparatio ad mortem. Curandi homines pestilentia laborantes. Congregatio provincialis.

a) Trucksesios *B*. b) Rechlingeros *B*.

[1] Ps 30, 16.

[2] De cardinali Ottone Truchsess et de Georgio, Ioanne, Marco, Octaviano Fuggeris eorumque uxoribus in superioribus huius operis voluminibus multa dicta sunt. In Gebhardi Truchsess (qui postea a fide catholica defecit) aedibus Socii augustani aliquamdiu habitarunt (*Can.* VI 516 519). De Antonio Christophoro, Leonardo Christophoro, Henrico de Rehlingen cf. *Can.* IV 607[6] 615; VI 336[1]. De Welseris v. supra p. 379—380. [3] Vide *Can.* VII 536. [4] Eccli 51, 15.

[5] De Rosephii libris v. *Sommervogel* VII 135—137; de operibus P. Theodori Peltani, qui ultimis vitae annis Augustae versatus est, *Sommervogel* VI 463—465.

[6] „Ioannes Raducius ex Hertzogenrot in Brabantia ortus" (Herzogenrath, urbs Borussiae rhenanae): * *Catalogus* lucernensis a. 1590. „P. Ioannes Raducius Roti-

Pax Christi nobis aeterna Reverende Pater.

Non possum committere, quin scribam aliquid charitati tuae, quam febricula correptam fuisse nuper cognoui, quod fortassis in corpore afflicto quaedam haereant reliquiae veteris imbecillitatis. Agamus autem viriliter, et in Domino, qui est fortitudo nostra, confortemur[a] [1]; sed et gaudeamus paterne ab illo visitari, qui suos dilectos filios more suo corripit, ac velut aurum in fornace purgat, atque probat[2], ut eosdem praeparet ad beatam immortalitatem. Salutem ex me dici velim domesticis, quos velut in medio ignis versari, et de morte, pesteque vicinorum admoneri intelligo. Verum nihil hoc novi est Lucernae, quae morbis frequentibus est obnoxia, et abunde didicistis, proprium hoc esse servorum Dei, ut si sapiant, mortem quotidie sibi propositam habeant, seque totos componant ad illum humanae vitae finem paratis et libentibus animis excipiendum, vigilemus igitur, qui postremum diem nunquam non exspectare debemus, parumque referre existimemus, ubi, quando, et quo modo ex hac vita migremus, perinde ac si vocati discedamus ex hospitio, et ad portum[b] coelestis Patriae laeti proficiscamur. Beati enim, qui in Domino moriuntur[3], postquam in sanctae obedientiae schola fuerint instituti, easque sordes et sarcinas abiecerint[c], quae tam multis mortem acerbam, ac molestam reddere consueverunt. Deum precor, suam ut consolationem et opem illis impertiat, qui charitatis ergo aegrotos invisunt, et cibum illis porrigunt spiritualem. Beati certe dicuntur, et sunt, qui super egenos et Pauperes intelligunt: vicissim hos in die mala Dominus liberabit[4]. Nostrum est ex animo compati, et subvenire miseris, ut aliquando mereamur vocem illam audire: Infirmus fui, et visitastis me[5]. Sed enim adhortatione mea virtus vestra non indiget: ultro currentes impellere non debeo: pergite duntaxat, uti coepistis, de sanis et aegris bene mereri, quemadmodum praeclari Patres Martinus Rector et Antonius Flander suis vos docuerunt exemplis[6].

a) conformemur *A*. b) portam *B*. c) *Quae sequuntur, usque ad* consueuerunt *incl., in B. desunt.*

---

ducensis Germanus inferior annorum est 34 . . . fuit in Societate annis 11 . . Magister est philosophiae, confessarius et professor philosophiae." Ita *Petrus Michael* rector collegii friburgensis in collegii sui **Catalogo* „pro anno 1587" scripto („G. Sup. 19" II f. 30a; III p. 63). Raducius a. 1579 Colonia in provinciam Germaniae superioris missus erat (*Franciscus Costerus* S. J. *Mercuriano praeposito generali, m. Aprili 1579; Germ. 157 f. 232). Anno 1597 Lucernae erat „Praefectus Scholarum, Bibliothecae, Lectorum mensae, Monitor et Consultor Rect., Confessarius". Annis superioribus ibidem, praeter alia munera (ut praefecti scholarum), haec habuerat: Anno 1595 „concionatoris scholarum Dominicis diebus"; a. 1596 „concionatoris festis diebus in templo nostro" (**Catalogi* lucernenses, G. Sup. 44 f. 106b 117a 124a).

[1] Ex 15, 2; Dt 31, 6; 1 Par 21, 20; 2 Par 32, 7; Ps 17, 2; 30, 25; 117, 14; 1 Cor 16, 13 etc. [2] Sap 3, 6; cf. Prv 27, 21.

[3] Apc 14, 13. [4] Ps 40, 2. [5] Mt 25, 36.

[6] PP. Martinus Leubenstain et Antonius Balduinus Lucernae, cum pestilentia laborantibus operam navarent, pestilentia ipsi exstincti sunt; v. supra p. 218 453[4].

nihil dicam de Patrum praesenti coetu [1], quos precibus nostris Domino tanto studiosius commendare debemus, quanto magis et nostra, et totius Provinciae causa suas conferunt operas, non sua, sed quae Christi sunt, sincere promoventes. Ego ut senex valetudinarius, et inutilis domi haero, meque sacrificijs et precibus vestris accurate commendo in Christo IESU Domino nostro [2], qui nos in utroque homine ad sui nominis gloriam propitius tueatur.

Friburgi Helvetiorum 7 Julij 1597.

Servus in Christo Pet. Canisius manu propria.

Reverendo in Christo Patri P. Joanni Raducio Societatis JESU Sacerdoti chariss. Lucernae.

2400. CANISIUS **SACERDOTI ALICUI** collegii S. J. coloniensis.
Friburgo Helvetiorum 12. Iulii 1597.

Ex apographo saeculo XVII. scripto, quod librarius sic inscripsit: „1597 Literae Ad Patrem quendam Anonymum Rhenanum Coloniam datae." Cod. monac. „Lat. 1606" f. 186. Epistulae particulas germanice reddidit *Riess* 522; particulam neerlandice posuit *Allard* (Séguin-Allard) 269—270. Epistula usus est *Duhr*, Jes. I 235. Particulae huius epistulae a. 1627 Friburgi Helvetiorum in processu beatificationis Canisii prolatae sunt a *Pancratio Gerner* senatore; qui affirmavit, eam manu ipsius Canisii a. 1597 „ad Patrem quemdam" datam esse (*Positio* a. 1734, Summ. p. 14; *Positio* a. 1833, Summ. p. 118—119).

De operibus suis Coloniae edendis, Deo precando, pestilentia Helvetios urente, valetudine sua, martyrum coloniensium memoria, nepote.

Habeo, quod cum charitate tua conferam de libris meis recudendis, utpote de D: Joanne Baptista, de Virgine Deipara, et notis Euangelicis. Etenim Sartorius Ingolstadiensis Typographus e medio mihi sublatus est, et Abraham [3] Friburgensis nescio quo se contulit, ut opera utriusque uti non possim amplius. Proinde ueniebat in mentem, an Coloniae liceret reperire Typographum, qui suo praelo subijceret dictos modo libros multis in locis recognitos, atque locupletatos. Pergratum feceris, si hac de re tuum scripseris iudicium, ut sciam, quid mihi ueniat exspectandum, et cupio sane postremam horum operum editionem apud illos prodire, quos uti uere Orthodoxos amo et colo plurimum. Optamus Deum esse propitium, Illustrissimo Domino Coadiutori [4], uestroque et Embricensi Collegio [5], ut egregie utrumque floreat, et res Catholica uicinis in locis promoueatur. Pugnandum est interim aduersus infensos et infestos Caluinistas, qui Hollandiam, Geldriam et Belgium scelerate

[1] „Congregatio provincialis" Germaniae superioris a d. 9. ad 16. Iulii 1597 Monachii habita est; v. supra p. 472[10]. [2] Rom 6, 23 etc.; v. supra p. 248[5].

[3] Gemperlin. Magister Guilielmus Mäß, cum iam a. 1595 a senatu friburgensi typographiam gemperlinianam petisset, eandem m. Septembri a. 1597 iterum petiit (*Rathsmanual nr. 146 et nr. 148; Friburgi Helvetiorum in archivo reipublicae).

[4] Ferdinandus, Guilielmi V. Bavariae principis filius, a. 1595 constitutus erat coadiutor Ernesti archiepiscopi coloniensis, patrui sui.

[5] Embricae (Emmerich) ad Rhenum inferiorem collegium incohatum erat a. 1592 (*Duhr*, Jes. I 154—160).

corrumpunt. Precemur Dominum ut Germaniam utramque contra Haereticorum insidias, et Turcarum impetum propitius hoc tempore tueatur. Pestifera lues grassatur apud Heluetios, neque paucos extinguit. Juuari cupimus et sacrificijs et precibus uestris, adeoque totius Collegij, quod praepotentes in coelo Patronos habet[1], atque uti confido, semper habiturum est.

Ego in hac aetate prouecta sic ualeo, ut corpusculum paulatim frangi sentiam, senex nempe ualetudinarius, qui tamen sacrum quotidianum et studia non intermitto. Recreor subinde dulci memoria Thebaeorum, Maurorum, et Vrsulanorum Martyrum, quos Coloniae libenter colui, ac nunc etiam absens inuocare non cesso. Vnum pro me Sacrum recitari percupio apud D: Gereonem, quoniam frequentem Dei gratiam eo loco persensi[2], sicut et apud Carthusianos[3]. Bene in Christo uale Pater, et saluta mihi amanter domesticos, unaque nepotem Godefridum Tristium[4], si apud vos degit. Consoletur illum, et exules alios Christus, ut crucem, quam sustinent temporaneam, propter fidem et iustitiam, alacriter ad finem usque perferant. Dominus Jesus in utroque nos homine clementer custodiat. Datum Friburgi Heluetiorum. 12 Julij s. a.

Seruus in Christo

Petrus Canisius.

Epistulam hanc ad P. Ioannem Hasium, qui et ad „Opus catechisticum“ Coloniae edendum operam contulit, et collegium embricense incohavit primusque rector administravit et cum Canisio commercium quoddam litterarum habuit (cf. *Can.* VII 271), datam esse dicerem, nisi constaret, Hasium a. 1595–1598 provinciae rhenanae S. J. praepositum fuisse; id quod Canisium latere non potuit. Hoc autem tempore Hasium per varias terras discurrere oportebat, et Canisius vix ausus esset ad virum tantis negotiis occupatum huiusmodi litteras dare.

Canisius typographum coloniensem, quem operibus suis edendis quaerebat, tunc quidem non invenit. Postea tamen Notae Evangelicae Coloniae germanice editae sunt cum inscriptione „Postilla durchs gantze Jahr“ (*Sommervogel* II 680). Opera de Ioanne Baptista et de B. Maria V. Coloniae numquam in lucem prodierunt.

2401. P. PAULUS HOFFAEUS S. J. CANISIO.

Aestate a. 1597.

Vide exordium epistulae Canisii 30. Septembris 1597 ad Schretelium datae (infra, ep. 2411).

2402. P. RICHARDUS HALLER S. J. CANISIO.

Aestate a. 1597.

Vide exordium litterarum 30. Septembris 1597 a Canisio ad P. Schretelium datarum (infra, ep. 2411).

Haller a. 1595–1597 „socius“ fuerat P. Pauli Hoffaei visitatoris provinciae Germaniae superioris. Anno 1597 Graecium (Graz) missus ibique rector collegii constitutus est (* *Catalogi* in G. Sup. 44 f. 101ª 111ª; *Duhr*, Jes. I 168⁷).

[1] De his v. supra p. 309.

[2] S. Mauritii, SS. Gereonis et Sociorum eius, quos de legione illa thebaica (cf. infra, monum. 1571) fuisse tradunt, SS. Ursulae et Sociarum eius.

[3] Cf. *Can.* I 37.

[4] Filium Godefridi vom Triest consulis noviomagi et Wendelinae sororis Canisii; cf. *Can.* VII 32².

2403. P. GREGORIUS ROSEPHIUS S. J., cathedralis ecclesiae augustanae contionator, CANISIO.

Inter m. Iunium et Septembrem 1597.

Vide exordium litterarum 30. Septembris 1597 a Canisio ad P. Schretelium datarum (infra, ep. 2411).

2404. CANISIUS **NOBILI FEMINAE BAVARAE** a daemone obsessae.

Friburgo Helvetiorum inter m. Martium et Decembrem 1597.

Vide supra, ep. 2392.

2405. P. GREGORIUS A VALENTIA S. J. CANISIO.

Aestate a. 1597.

Vide initium litterarum 30. Septembris 1597 a Canisio ad P. Schretelium datarum (infra, ep. 2411).

Gregorius a Valentia, insignis ille theologus (cf. *Can.* VII 678), hoc tempore in collegio ingolstadiensi „praefectus studiorum maiorum“ et „consultor praepositi provincialis“ erat (*Catalogi* ingolstadienses annorum 1596 et 1597. G. Sup. 44 f. 111ᵃ 121ᵃ).

2406. MARCUS VELSERUS IUNIOR, consul augustanus, CANISIO.

Augusta Vindelicorum aestate a. 1597.

Vide exordium epistulae 30. Septembris 1597 a Canisio ad P. Schretelium datae (infra, ep. 2411).

2407. P. IULIUS PRISCIANENSIS S. J. CANISIO.

Aestate a. 1597.

Vide initium litterarum 30. Septembris 1597 a Canisio ad P. Schretelium datarum (infra, ep. 2411).

Jn collegii dilingani *Catalogo* a. 1597 Priscianensis vocatur „Cancellarius Academiae, Praeses Congregationis Monachorum et eorum Pater spiritualis, Consultor et Monitor Prouincialis“ (G. Sup. 44 f. 121ᵇ).

2408. CANISIUS **IOANNI IACOBO A STAAL** patricio et senatori solodorano.

Friburgi Helvetiorum 2. Augusti 1597.

Ex apographo saeculo XVII. scripto, quod librarius inscripsit: „Ad Nobilem et Magnificum Dominum Joan: Jacobum a Staal Solodorensem.“ Cod. monac. „Lat. 1606“ f. 181ᵃ—182ᵇ. Maiorem epistulae partem edidit *Python* 324—326. Particulam gallice reddidit *Michel* 428[1]. Epistula usus est *Duhr*, Jes. I 235.

Eum laudat, quod litterarum studiosos adulescentes iuvet et „Notas Evangelicas“ legat. Morte Petri Schneuly afflictus huius laudes dicit. De aliis amicis mortuis. Gratias agit, quod in fraternitatem S. Ursi cooptatus sit.

Pax Christi nobis aeterna.

Nobilis ac Magnifice Domine.

Laudavi antea, ac etiamnum laudo singularem pietatis tuae curam, ac industriam in studiosis adolescentibus promouendis. Vtinam uero plures tui similes habeamus qui de studiosis adolescentibus quos ubique iacere cernimus, uelint ac possint bene mereri. Ad signa militaria undique concurritur, et uix pauci admodum sacro et neceśsario studio, praesertim qui ingenio ualeant, addicuntur.

Caeterum tuam erga me beneuolentiam lubens agnosco, quod cum uidendi sensum continua scribendi legendique necessitate haud parum

debilitaris, tametsi a studijs alijs animum abducere cogeris tamen notas nostras[1] relegere non graueris, atque sic aliquam otij tui partem Theologica nostra respiciendo consumas. Quanquam scio classicos Authores, humanitati tuae non deesse, in quibus doctiora, tuoque iudicio digniora tradantur: Perge tantum ut praeclare coepisti ea siue alimenta siue pharmaca subinde capere, quae animo tuo et huic aetati saluberrima esse iudicabis.

Quid autem ego tristis repetam ac dignitati tuae perscribam de funesta morte Domini Petri Schneuli dilecti affinis uestri et singularis Patroni nostri quem ueluti Patrem Patriae, ac totius Cleri caput tota coluit Ditio Friburgensis? Is diebus quinque uix decubuerat pestifera lue correptus, rebusque non solum domesticis sed etiam Conscientiae suae probe constitutis, ad ueram aeternamque uitam euocante Domino, euolavit[2].

Verbis ego nullis facile consequar quantopere mors illa inexspectata commouerit populum, quamque dirum et acerbum uulnus inflixerit oppido, in quo penes omnes tanto Viro Summa constabat Autoritas, qui annis fere triginta tribus de Patria et ditione Friburgensi optime meruerat. An quisquam digne commemoret, quantos ille labores Clero populoque iuuando impenderit, quam in omni conuictu fuerit suauis et acceptus, quantam praeterea uerae prudentiae constantiaeque laudem in Senatu et Republica sibi compararit? De lucro et augendis opibus nulla illum sollicitudo tenebat, gratis tam multa scripsit, confecit, instituit, absque sumptu Lausannensis Episcopi[3] et Canonicorum Friburgensium. Flagrabat zelo Catholicae Religionis uindicandae, incredibili ualebat iudicio grauibus in rebus rite conficiendis, ut homines etiam prudentissimos in sui admirationem raperet, nec illi quisquam facile contradiceret. Vt paucis multa complectar, praeclare perfunctus est Episcopi munere, utiliter pro Concione ciues docuit[4] et confirmauit in Religione, uigilantem egit Praepositum[5], Sacerdotibus et Popularibus se prudenter accomodauit, demum ad omnia officiorum genera quibuscunque praestanda se paratum ac promptum ostendit.

Nostri quidem Collegij uel Primus ille uel Secundarius Fundator ac Princeps extitit, suamque Nostris paternam beneuolentiam bona fide semper conseruauit, nullum ut illo candidiorem amicum et integriorem propugnatorem inueniremus. Paulo ante mortem cum suum testamentum domi conderet, diserte mandauit ut Rectori nostro hac hieme pie de-

[1] Notas in evangelia dierum sacrorum a Canisio conscriptas.

[2] Schnewly, cum pestilentia laborantibus opem ferre non cessaret, ipse pestilentia correptus, 28. Iuliii 1597 mortuus est (*Berthier*, Bonh. XXI).

[3] Antonii de Gorrevod, cuius vicarium generalem per multos annos ad mortem usque egit.

[4] Munus contionatoris in templo primario S. Nicolai fere ab a. 1566 usque ad mortem administravit (*Dellion* VI 328—329).

[5] Ab a. 1577 ad a. 1587 praepositus erat capituli S. Nicolai (*Dellion* l. c.).

functo adiungeretur et commune cum illo sepulchrum haberet [1], tanta illi et tam fida Nostrorum fuit memoria a quibus ne mortuus quidem ante resurrectionem ultimam uellet separari. Ita demum uir incomparabilis uelut ex hospitio decessit, quem extinctum uiri magni et parui, diuites ac pauperes nouo et peracerbo luctu sunt prosecuti, quandoquidem cunctorum animos ille iam pridem sibi deuinxerat, tot ingenij, judicij uirtutumque dotibus cumulatus, ut illi parem aut similem alterum reperire nos quidem hoc tempore difficillimum existimemus. Etenim quotumquemque nouum Schneulium inuenias, qui egregium agat populi Ecclesiasten, morum integritate praecellat, studiosis exhibeat Moecenatem, Diuini cultus in templo peragendi curam habeat singularem, in rebus agendis litibusque dirimendis aequum iudicem gerat, Catholicae fidei propugnatorem exhibeat strenuum, ac demum totius Cleri Friburgensis, qui late patet gubernator ac reformator tot annis constantissime perseueret? Etsi autem uereor mea loquacitate Lectorem offendere, tamen concepto dolori tribuendum est aliquid, ubi Petrus Petrum sibi semper amicissimum iuste deplorat, nec tam illius, quam praesentis Reipublicae nostrae casum iure lugendum depingit, ac secum animo reputat diligenter, Christum Jesum viuorum ac mortuorum principem ex animo precor, ut si non multos, at certe paucos Schneulios hoc est, nullis molestos suisque ouibus gratos et utiles Antistites miserandae Heluetiae largiatur, utque non modo fidis amicis ut Ratzio [2] et Quenzio [3] quos amisimus, uerum etiam eximio Vicario nostro [4] pro sua immensa clementia propitius esse dignetur. Ipsi laus et gloria sempiterna. Vale in Christo, Vir amicissime, atque ita nobiscum uiue, ut hinc quoque nos breui decessuros ac mundo uere morituros esse saepius in animum reuocemus.

Datum Friburgi Heluetiorum postridie Calendarum Augusti 1597.

Diuinae bonitati ac simul Vrsinae Sodalitati ingentes ago gratias, quod meum nomen in Catalogum tot fratrum ac sororum adscribere uolueritis, meque uestrae pietatis et Charitatis, quae in Sanctorum Communione fundata est participem efficere pergatis, in Christo Jesu Domino nostro [5].

Seruus in Christo Petrus Canisius.

---

[1] P. Petrus Michael in aede S. Nicolai sepultus erat (*Annuae* Litterae Societatis Iesu Anni M. D. XCVI., Neapoli 1605, 192).

[2] Ioannes Raze (*Agricola*) II 197 a. 1580 in reipublicae senatum minorem receptus erat (*Berthier*, Bonh. 218). In *Litteris* annuis collegii friburgensis a. 1597 narratur: „Vir primarius, et militari gloria in primis clarus, . . . D. Razius, nostro nomini addictissimus, nostrorumque commodorum procurator studiosissimus, multis nominibus de collegio hoc optime meritus; vt in militaribus artibus praestans, ita in studio pietatis ardens, digno tantis laudibus fine hoc anno vitam conclusit" (*Annuae* Litterae Societatis Iesu. Anni M. DXCVII. Neapoli 1607, 186).

[3] De Petro Küntzli sive Quentzi, medicinae doctore, a. 1596 in ministerio hominum pestilentia laborantium vita functo, v. supra p. 20 211.

[4] Sebastianum Verronium dicere videtur; cf. *Berthier*, Bonh. LXVI.

[5] Rom 6, 23 etc.: v. supra p. 248[5].

2409. IOANNES IACOBUS A STAAL, patricius et senator solodoranus, CANISIO.

Solodoro inter m. Augustum et Septembrem 1597.

Vide epistulam 26. Octobris 1597 datam, qua Canisius Staalio respondit (infra, ep. 2412).

2410. CANISIUS **SODALI ALICUI S. J.** (P. Gregorio Rosephio?)

Friburgo Helvetiorum circa aestatem vel autumnum a. 1597.

Ex *Pythone* 321—322.

Se libenti fidentique animo mori.

Python, de Canisio morte appropinquante scribens, postquam particulam litterarum ad P. Gregorium Rosephium a Canisio 20. Aprilis 1597 datarum (v. supra p. 474) posuit, haec de illo addit: „In alia epistola laetitiam explicat, quam ex imminente morte percipiat: Post longae, *inquit,* navigationis taedia, metuendos praetervecti scopulos, procellosis jactati tempestatibus, nunc demum e propinquo portum spectamus. In JEsu, salute nostra, cogitatione defigamur. In hoc nomine fiduciam habentes, ad coelestem Patriam anhelemus, ut terrenis a rebus aliquando expediti, primis nostris Patribus in coelo jungamur, et cum ipsis sempiterna felicitate fruamur.

2411. CANISIUS **P. GEORGIO SCHRETELIO S. J.,** rectori collegii augustani. Friburgo Helvetiorum 30. Septembris 1597.

Ex apographo, quod insertum est Canisii Vitae manu scriptae, quam P. *Matthaeus Raderus* S. J. a. 1611 Augustae Vindelicorum perfecit; ubi etiam affirmatur, epistulam datam esse ad rectorem collegii augustani. Exstat haec Romae in bibliotheca nationali, MS Gesuit. 1355 p. 57. Brevem epistulae mentionem fecit idem *Raderus* in Vita Canisii primum typis exscripta Monachii a. 1614. p. 198. Particulam gallice reddidit *Genoud* 166.

Epistulae multae. Canisius, aquae intercutis morbo laborans, Deo commendandus. Sociorum amicorumque augustanorum grata apud eum memoria. Procurator. Scripta Velseri.

Pax Christi nobis aeterna Reuerende Pater. Multi ad me scripserunt, P. Hoffaeus, P. Richardus[1], P. uterque Gregorius[2], D. Marcus Welserus[3], P. Iulius[4], alijque plures, apud quos excusari per uos cupio silentium meum. Benedictus pater miserationum[5], qui nouo grauique languore his mensibus uisitat senem suum, ut uere discam precari. Bonum mihi quia humiliasti me[6]. Accessit molesta Idropisia, nec sinit me aris assistere, domum aut cubiculum egredi, et alijs inseruire: adeo male frugi iumentum esse pergo in domo DEI splendida[7], quam tot tantique Fratres diligenter exornant. Libenter legi hoc anno Augustae gesta in annalibus[8], et singulares fonti bonorum DEO egi gratias, qui uestris laboribus uineam hanc magis ac magis excolit, ut in uasto mari non frustra piscari uideamini. Eoque magis doleo, me ab imitandis pietatis uestrae uestigijs abesse procul, ac uelut

[1] Haller. [2] Rosephius et Valentia. [3] Vide supra p. 376.
[4] Priscianensis. [5] 2 Cor 1, 3. [6] Ps 118, 71.
[7] Cf. Ps 72, 23. [8] In „Litteris annuis".

inutile praestare mancipium in hac aetate prouecta, quae forsitan breui me traducet ad tremendum Christi tribunal nulli prorsus effugiendum. Vnde satis colligi potest, quantopere sacrificijs et precibus uestris, totiusque Marianae Congregationis egeam, ut extremam scenam meam absoluam feliciter, Christumque Iudicem mihi propitium habeam, quandocunque seruum suum ex hac uita euocarit. Amaui et amabo Augustanos multis magnisque DEI beneficijs illustratos, et si quid operae in illos contuli, ex animo feci, licet cum alijs collegis qui mihi successerunt, minime conferendus. Superest ut primi Fratris atque concionatoris, quamuis indigni, non obliuiscamini, utque non modo uiuum, sed moribundum etiam diuinae gratiae commendetis, quamdiu uestra florebit uinea, Sanctorum patrocinijs non uulgariter cohonestata. Dici uelim salutem amanter domesticis omnibus siue cognitis, siue ignotis. Restituat nobis DEVS incolumem procuratorem, confectis rebus in Italia, quae sunt Prouinciae nostrae, ac Societatis totius propriae [1]. Reuerenter itidem ex me salutatos uelim amicos et patronos ueteres, in quibus primas tenere nostis Magn. Dominos Fuggeros et Welseros, quibus nostri multis sane modis adstricti sunt. Verum de scriptis Domini Marci Welseri piae mem. reuidendis minus laborandum censeo, quamdiu senilis aegritudo me tantum non opprimit, et a studijs alienum reddit. Bene in Christo ualete Chariss: Patres, ac Fratres, neque pro me solum, sed etiam pro Heluetijs nostris, quos pestifera lues multis in locis infestat, DEI bonitatem inuocare pergite · Friburgi Heluetiorum pridie Kal: Octob. 1597. Seruus in Christo Petrus Canisius.

Quod Canisius Schretelio scripsit de pestilentia Helvetios urente, id per alios Socios *Claudio Aquavivae* praeposito generali nuntiatum est. Qui Roma 1. Novembris 1597 P. Ottoni Eisenreich praeposito generali *scripsit: „Doluimus ob Lucernensium dispersionem, ac Friburgensium quoque causa, sed potissimum boni P. Canisii, cui dubium non est, quin in illa communi Ciuitatis lue, grauiora futura sint, quam priuati morbi, quo tenetur incommoda" (ex apogr. a P. Iacobo Sirmondo scripto. G. Sup. 2 f. 153a).

2412. CANISIUS **IOANNI IACOBO A STAAL**, patricio et senatori solodorano. Friburgo Helvetiorum 26. Octobris 1597.

Ex apographo (A) saeculo XVII. scripto, quod librarius inscripsit: „Ad Nobilem et Magnificum Dominum Joan: Jacobum a staal Solodorensem". Cod. monac. „Lat. 1606" f. 183a-184a. Praeterea Friburgi Helvetiorum in archivo episcopali („Acta Beatificat. et Canonisat. V. P. Canisii") exstat huius epistulae exemplum (B), quod 28. Decembris 1740 a „Iacobo Vonderueit" notario friburgensi scriptum et cum „suo originali" collatum atque 29. Decembris 1740 reipublicae friburgensis sigillo munitum est. Epistulae particulas posuerunt latine *Python* 140, germanice *Riess* 523, gallice *Genoud* 166.

Staalii litterae doctae. Canisii morbus. Principum dissensio. Clementis VIII. exempla virtutis. Fraternitas S. Ursulae pacis studiosa. Reliquiae S. Ursi Friburgensibus dandae. Libelli.

---

[1] D. 12. Iulii Monachii in congregatione provinciali Sociorum Germaniae superioris electus erat procurator P. Gregorius Rosephius (*Acta Congregationum, Cod. „B. 10" p. 90).

Pax Christi nobis aeterna
Humanissime Domine

Demirabitur fortasse sapientia tua, me post acceptas doctissimas et copiosissimas literas, adeo in respondendo lentum, segnem, et quodam modo ingratum incuriumque uideri. Dabit autem ut spero ueniam seni decumbenti, iamque duobus mensibus cum permolesto hydrope ita conflictanti, ut non e cubiculo egredi, non sacris operari, non usui et commodo cuiquam esse possim. Agnosco interim singulares immortalis Dei gratias, qui hoc inutile domus suae sacrae iumentum[1] benigne respicit, paterne uisitat, ac fortassis [ad postremam quoque scenam peragendam instruit. Etenim obliuisci non debeo sententiae, Beatus qui manducabit panem in regno Dei[2], et illius, Beati qui in Domino moriuntur[3]. Quanquam[a] id mihi non leuem consolationem praebet, permultos hoc tempore reperiri, qui meae tum indignitatis, tum ignauiae uicem suppleant suumque officium faciant, in agro Domini excolendo. Caeterum in literis tuis obseruo, quae mihi et aliis iustum moerorem adferunt, cum secum expendunt, quae scribis, de flagranti Nostrorum Principum dissensione[b], deque miseranda distractione Gallorum[4]. Sed hic quoque locum habet illa sententia. Merito haec patimur (dira nempe uirga percussi) quia peccauimus[5], iustitia eleuat gentem, miseros autem facit populos peccatum[6]. Vtinam uel paucos hac reperiamus aetate, qui asperum Diuinae Visitationis tempus agnoscant[7], et Sanctissimum Dominum N.[8] aemulentur, eiusque similes qui Diuino terrore commoti, perpetuis expallescant ieiunijs ac precationibus Christianae poenitentiae operibus immorantes[9]. Illud mihi gratissimum fuit intelligere, quod Vrsinae Sodalitatis Fratres mihi praeclare commendas, utpote qui Sancte conspirent in Sanctae concordiae negotio inter hos Principes tandem aliquando prospere conficiendo. Deinde mihi perplacuit quod efficacis Patrocinij tui fructum ut saepe alias, ita nunc etiam nobis reipsa declares praestanti ac Venerando munere nobis oblato, ut e Sacris Reliquijs uestris partem aliquam[10] consequi mereamur. Profecto intelliget

a) *B. perperam:* Quanque. b) dissentione *B.*

[1] Cf. Ps 72, 23. [2] Lc 14, 15. [3] Apc 14, 13.

[4] Cf. supra p. 453[1]. Ambianum (Amiens) Hispani ceperant. In Britannia minore (Bretagne) Philippus Emmanuel dux Lotharingus (Mercœur) regnum sibi condere conabatur.

[5] Gn 42, 21. [6] Prv 14, 34. [7] Lc 19, 44. [8] Clementem VIII.

[9] Clemens VIII. „quartam quamque feriam celebrabat ieiunio, Sabathis panem tantum, et aquam, et vini modicum deinde, ad victum adhibebat; cilicino amiculo subuculo senilia membra torquebat; paleis, pro lana, aut pluma, in lecto, vti voluit; nudis pedibus interdum, sacra supplicatione, nonnulla Vrbis loca lustrauit, et tunc praecipue, cum de Henrico Gallorum Rege Ecclesiae gremio restituendo ageretur. . . . In cubiculo eleemosynas Christi Vicario dignas distribuebat": *Andreas Victorellus* in opere „Vitae et res gestae Pontificum Romanorum et S. R. E. Cardinalium", ed. ab *Alph. Ciaconio* et *Aug. Oldoino,* tom. IV, Romae 1677, 262.

[10] Reliquias significat S. Ursi martyris et Sociorum eius; v. infra p. 487.

Clerus, Senatus PQ.[a] [1] Friburgensis hoc minime uulgare et temporarium[b] pietatis beneuolentiaeque erga nos uestrae testimonium hic elucere, ac iure gaudebunt, tam insignes opes, quae Rempublicam uestram tot saeculis exornabant, in nostram Aediculam aliqua ex parte immigrasse. Cogitamus interim quamprimum fieri poterit, unum aut alterum e Nostris Sacerdotibus isthuc destinare, qui pretiosum hoc pondus religiose susceptum, duce Christo huc transferat, si tuae sapientiae iudicium accesserit. Cathechismum figuris nouis[c] illustratum, cuius mentionem fecisti non grauatim si reperiri posset istuc mitteremus[2], sed illius loco submittam precatorium libellum, si non adultis at saltem pueris non inutilem[3], Christum Dominum humanitati tuae Sanctaeque Sodalitati uestrae et per eandem aegro mihi Seni propitium esse desidero uehementer.

Friburgi XXVI Octobris XCVII.

Senex Valetudinarius tibi[d] semper
addictus Petrus Canisius.

Nobili, ac Sapientiae, litterarumque laude claro, Dn. Jo. Jac. Vom Staal, Domino et amico. Soloturn[e].

Epistula haec proposita et examinata est in processu apostolico a. 1740—1743 de Canisii virtutibus et miraculis in specie instituto (Cod.: „S. R. C. Petri Canisii. Copia Processus Apost. Rom. Rem. et Comp. super sanctitate etc. in specie" P. I f. 17ᵇ—19ᵃ).

2413. CANISIUS **P. ANTONIO VELSERO S. J.**, philosophiae professori in universitate ingolstadiensi.

Friburgo Helvetiorum a. 1597 (autumno, ut videtur).

Ex processus apographo eodem fere tempore scripto et notarii publici sigillo confirmato. Can. 63 f. 35ᵃ.

In actione sive „processu" Canisii in album Beatorum referendi gratia Dilingae 1. Septembris 1626 ab Henrico a Knöringen episcopo augustano instituto P. Antonius Velserus sive Welser S. J. (de quo plura dicentur infra, mon. 1519) testatus est de „acceptis ab eodem [Canisio] postremo anno uitae suae pijssimis literis, quibus se, ultimum diem uitae suae praestolantem, precibus et sacrificijs Jesuitarum Jngolstadiensium pie commendabat, et auxilium spirituale per eum petebat."

Velserus tunc erat professor philosophiae in universitate ingolstadiensi et praeses maioris congregationis B. Mariae Virginis (* *Catalogi* ingolstadienses a. 1596 et 1597. G. Sup. 44 f. 111ᵃ 121ᵃ).

a) *B. haud recte:* pro Q. b) temporalium *B.* c) nostris *B.* d) tibique *B.* e) *Haec inscriptio deest in A; in B. epistulae praeposita est.*

[1] I. e. Populusque.

[2] „Institutiones Christianas" Canisii Antverpiae a. 1589 aeneis formis expressas dicere videtur; v. infra, monum. 1472.

[3] Misitne suum „Catholisch Handbüchlein" Friburgi Helvetiorum a. 1594 editum (v. infra, monum. 1541), an suum „Bettbuch" Dilingae a. 1595 iterum editum (v. infra, monum. 1553)?

2414. CANISIUS **CLAUDIO AQUAVIVAE** praeposito generali Societatis Iesu. Friburgo Helvetiorum m. Octobri vel Novembri a. 1597.

Ex monumentorum frisingensium apographo saeculo XVII. scripto, quod est in Can. 63 f. 19^b. et ex relatione, quae est in Cod. „Vitae 123", et ex „*Analectis* Bollandianis" XVI, Bruxelles 1897, 82. Testimonium frisingense typis exscriptum est in „*Positione*" a. 1833, Summ. p. 269.

De morte sua proxima.

In monumentis actionis, quae Frisingae iussu Viti Adami de Gebeck episcopi 13. Ianii 1626 Canisii in album Beatorum referendi gratia instituta est, refertur, Sebastianum Strang, Societatis fratrem laicum, qui Canisio ultimis nouem mensibus vitae eius famulatus erat, haec, praeter alia, de eo testatum esse: „Octauum circiter diem ante obitum, cum nec dum tam periculose aegrotare alijs uideretur, petijt ad se uocari praefectum sanitatis[1] *eique aduenienti dixit, resolutionem corporis sui prope adesse, curaret itaque ne ingruente necessitate Sanctissimo Sacramento*[a] *et inter Socios consueta administratione destituatur. Antea etiam Generali et Prouinciali propinquam mortem suas*[b] *per litteras patefecit et benedictionem ab ijsdem expetijt."*

In enarratione quadam „virtutum" Canisii ex eiusdem Sebastiani Strang relationibus confecta et in „Analectis Bollandianis" vulgata affirmatur de Canisio: „De morte instante saepius loquebatur, et libenter per litteras uno aut altero mense ante obitum petiit benedictionem a P. nostro Generali et a P. Provinciali."[2] *In relatione denique „De vita et morte P. Petri Canisij", supra (p. 469) commemorata, haec sunt: „Ad notos scriptitabat, his ualedicebat, quod et fecit P. N. Generali et R. P. Prouinciali, a quibus cum flagitatam recepisset benedictionem multo quam ante confirmatior mortem sibi tandem in notis esse dixit."*

2415. CANISIUS **P. OTTONI EISENREICH S. J.**, praeposito provinciali Germaniae superioris.

Friburgo Helvetiorum m. Octobri vel Novembri 1597.

Vide epistulam superiorem (2414).

Otto Eysenreich sive Eisenreich (1550—1609) monacensis, cum annos aliquot Romae in collegio germanico litteris operam dedisset, Romae quoque Societatis tirocinium peregit. Ingolstadii convictui albertino praefuit; collegia monacense (1582 ad 1589) et augustanum (1590—1594), totam denique Germaniae superioris provinciam rexit (1594—1600).

2416. CANISIUS **IOANNI IACOBO A STAAL**, patricio et senatori solodorano. Friburgo Helvetiorum m. Novembri 1597.

Ex apographo circa medium saeculum XIX. (ex archetypo?) scripto. Can. 56 nr. 5 f. 9^a—10^a.

De Solodoranorum, imprimis Staalii, munificentia. Sacras reliquias ab iis donatas Friburgi diligenter honoratum iri. Se mortem meditari.

a) Sanctissimorum Sacramentorum salutari *Pos.* b) suam *Pos.*

[1] Is erat P. Othmarus Schönauer (*Catalogi* friburgenses a. 1596 et 1597. G. Sup. 44 f. 116^b 124^a).

[2] Claudio Aquaviva et Ottone Eisenreich.

Pax Christi nobis aeterna. Nobilis ac
Magnifice Domine Patrone.

Non me sane poenitet laboris quem in praeclari Martyris Ursi historia utcunque describenda consumpsi, te tali praesertim hujus operis autore me ad scribendum impellente ac permovente. Siquidem ea commentatio fructum non vulgarem peperit missis huc duobus eximiis Patrum voluminibus [1] iisque nitide colligatis, et quibus docta non desunt carmina, quae perpetuam tantae donationis memoriam nobis refricarent [2]. Accessit et illa sive humanitas sive hospitalitas, quae communi vestro consensu me aliis fratribus Divi Ursi Societati [?] [a] confederatis libenter adscripsit, et sancti veterisque instituti participem fecit. Denique cum nuper nostri collegae duo, licet ignoti vestris in aedibus comiter tractarentur, summa munificentia eos pretioso vereque sancto munere cumulatos dimisistis [3]. Ingratus igitur essem profecto, si Deum boni omnis fontem in his aliisque beneficiis receptis non agnoscerem ac praedicarem, qui tot modis de indigno Belga mereri, eumque vobis amicum gratis conciliare voluistis, cum nihil illi tale deberetur. Vere igitur cum sapiente dixerim: Amicus fidelis protectio fortis: qui autem invenit illum invenit thesaurum, amico fideli nulla est comparatio, medicamentum est vitae et immortalitatis [4].

Nostrum erit interim sedulo curare, si Deus immortalis annuat, ut non modo vestrae nobili familiae per nos constet celebris memoria, verum etiam ut apud Friburgenses Divini honoris atque cultus fiat accessio, ita ut accepti hujus doni praestantia multis ad bene beateque vivendum magis ac magis praebeat emolumentum. Postremo dabimus operam, ut sacra haec ossa non solum Friburgi ornentur ac publice honorentur, verum etiam ut insignis haec Respublica per tales Patronos commendata atque munita, in rebus adversis magis magisque domi ac foris corroboretur.

Quod ad meam senilem aegritudinem attinet, parum omnino refert, eam aut diu protrahi, aut cito quidem exstingui: habet enim Dominus novos saepeque meliores stipites, quos veteribus excisis cum fructu substituat: tum ad pie moriendum pios omnes adspirare convenit, ut mundo mortui cum Christo ipso capite integre conjungantur. Bene valeat Magnificentia tua ac totum hoc nostrum Collegium de meliore

a) *Corrigendumne* Societate?

[1] Sic; sed Canisius scribere voluisse videtur: „duorum eximiorum Patrum voluminibus“: missa enim sunt 9 volumina operum S. Hieronymi et 4 volumina operum S. Ambrosii; v. supra p. 447. [2] Haec v. supra p. 447—448.

[3] In **Litteris* annuis collegii friburgensis, Friburgo 2. Decembris 1597 datis, de republica solodorana haec, praeter alia, narrantur: Donatus nobis est „thesaurus Reliquiarum S. Vrsi Martyris aliorumque ex Sacra Legione Thebaeorum, quas dictae Reipub. vterque Magistratus non ita pridem, ut singulare ac perpetuum sui in nos amoris ac beneuolentiae monumentum transmisit“ ex archetypo, quod est in Cod. „Germ. Sup. Hist. 1592“. Plura de hac re sub ipsas has litteras dicentur.

[4] Eccli 6, 14—16.

nota sibi commendatum habeat, et imbecillem oculorum aciem tum sibi tum aliis magis ac magis, quaeso, conseruet. Friburgi Helvetiorum Novembri[a] 1597.

Servus in Christo

Petrus Canisius.

Nobili ac Spectabili viro Domino Ioanni Iacobo a Staal Senatori Solodorensi amico colendissimo.

Quod Canisius in his litteris promisit: Curatum iri, ut sacrae reliquiae solodoranae Friburgensibus donatae Friburgi honorarentur ac colerentur: id effectum est. Primo enim Socii friburgenses curarunt, ut de veritate reliquiarum ac donationis earum publice constaret. En testimonia:

1. „Nos Praepositus et Capitulum Ecclesiae collegiatae S. Ursi martyris apud Salodorum, a Reverendo, piae memoriae Patre Domino Petro Canisio, Societatis Iesu Theologo, morante Friburgi Nuithonum, Singulari Relligione ac Devotione permoto, rogati quatenus illi ex Ecclesiae nostrae Thesauro, videlicet ex Reliquiis Sanctorum Patronorum nostrorum nonnihil impertiri velimus. Perpendentes igitur, cum singularem, quem dictus D. in Sanctos Dei semper habuit, affectum, tum copiam laborum, quos idem in colligendis deque [?] praedictorum nostrorum Thebaeorum historiis conscribendis pertulit. Praesentes reliquias sacras attamen cum licentia Senatus consulti saepe dicto D. promptissimo elargiti sumus animo. Quarum maiorem partem ex S. Ursi, reliquas vero ex Sociorum suorum veris ossibus desumptas, praesentibus testamur. In cuius rei evidens testimonium, praesentes sigillo nostro solito subsignatas, Reverendis Patribus Iesuitis ibidem morantibus communicare non recusamus. Actum Salodori feria tertia Paschae[1]. Anno reparatae Salutis millesimo quingentesimo nonagesimo octavo" (ex apographo, quod a. 1910 Friburgi Helvetiorum R. D. Dr. Fridericus Speiser, theologiae in universitate illa professor, exscripsit ex archetypo sigillo reipublicae munito, quod est ibidem in archivo curiae episcopalis).

2. „Nos CONSVLES ac Senatus Catholicae Salodorensium Ciuitatis apud Heluetios. Vniuersis ac singulis praesentes literas inspecturis. Salutem a Deo Opt: Max: praecamur, simulque notum esse cupimus.

Quia interdum usu uenit ut falsa pro ueris et adultera pro genuinis uenditentur, talis error non solum in mercibus accidit, sed etiam circa res sacras aliquando deprachenditur, idcirco prudenter admodum et merito postulatum fuit, a Reuerendis uenerabilibus ac doctissimis D. D. Rectore[2] ac Patribus Venerandae Societatis Jesu, Friburgi Nuithonum commorantibus, ut Sanctarum relliquiarum, quas in gratiam et honorem piae memoriae Reuerendi Patris Canisij paulo ante ipsius hoc ex mundo transitum, ob conscriptam ab eodem in decrepita sua senecta Patroni nostri Sancti Vrsi, reliquorumque S.S. Thebaeorum Martyrum sacram historiam debitae gratitudinis ergo, Friburgum misimus, certitudinem ac testimonium quod posteris relinquere et et huic rei fidem indubiam facere possent dare sibi dignaremur. Quam ob rem harum tenore fatemur, quod nostro consensu et authoritate, praedictae Diui Vrsi et Sociorum eius relliquiae, ex Thesauro sacro Ecclesiae Collegiatae S. Vrsi huius nostrae Ciuitatis ipsis Patrum Iesuitarum legatis, quos hanc solum ob causam huc miserant, inspicientibus, desumptae, et, prout praefati Collegij diploma expressius testatur, saepedictae Societati in usum noui sui Sacelli impartitae fuerunt: et quod pro talibus, quales tot seculis deuota ac relligiosa antiquitas, apud nos semper coluit et etiamnum certis persuasa monumentis ac miraculis ciuitas nostra honorat et in pretio habet, ipsis alacri promptoque animo communicauimus. Jn cuius rei euidens testimonium praesentes impresso Vrbis nostrae Sigillo muniri fecimus. Actum feria

a) Novembris *apogr.*

[1] 24. Martii. [2] P. Martino Licio.

quinta Paschatorum[1]. Anno salutis 1598" ex apographo eiusdem temporis, quod est Soloduri in bibliotheca urbis, Cod. „Epistolae I. I. a Stal · ab A° 1598 usque ad 1614" p. 25 26. Apographo ipse *Staal* haec inscripsit: „Testimonium de Relliquijs S. Vrsi Societati Iesu apud Friburg. communicatis".

Deinde etiam curatum est, ut sacrae illae reliquiae decenter ornarentur. In **Litteris* annuis provinciae S. J. Germaniae superioris ad a. 1600 pertinentibus haec de collegio friburgensi ac de Guilielmo V. Bavariae duce narrantur: „Serenissimus Guilielmus Dux Bauariae lipsanothecam misit ex ebeno clauiculis argenteis multifariam distincto: eius fastigio insidet argentea D. Vrsi imago, ad excitandam reliquiarum memoriam, quae chrystallino orbiculo custodiuntur. Audiuerat scilicet R. P. Petrum Canisium eo quo defunctus est anno a Solodorensi ciuitate his S. martyris reliquijs honoratum, sed pro dignitate non satis exornatis. Senatus Friburgensis per litteras illi gratias egit" (ex archetypo, quod est in Cod. „German. Sup. Hist. 1600 1630").

In **Catalogo* reliquiarum templi Societatis friburgensis, de quo dictum est supra p. 471, comparet: „S. Ursi Martyris os simile alteri [i. e. S. Polycarpi, v. supra p. 471] ab eodem Principe [Guilielmo V.] donatum eodem ornatu. Os vero ipsum a Collegiato Capitulo Solodorano datum est ubi reliqua martyris ossa sunt. De hac donatione habemus authentica instrumenta tum vener. Capituli Solodor. tum Illustrissimi Senatus eiusdem urbis" (ex apographo, de quo supra p. 488).

Reliquiarium illud S. Ursi, similiter atque reliquiarium S. Polycarpi (v. supra p. 471), a. 1919 Friburgi in templo S. Michaelis repertum non est. In sex illis reliquiariis, quibus altare maius ibi ornatum est, maius illud, quod in latere Epistolae cernitur, praeter multas alias reliquias longum quoddam os S. Ursi continet.

2417. **IOANNES IACOBUS A STAAL**, patricius et senator solodoranus, CANISIO. Soloduro m. Novembri 1597.

Vide litteras 14. Decembris 1597 datas, per quas Canisius Staalio respondit (infra, ep. 2419).

2418. CANISIUS **P. THEODORICO CANISIO S. J.**, fratri ex patre. Friburgo Helvetiorum circa initium m. Decembris 1597.

Ex *Radero* 198.

P. Matthaeus Raderus in vita Canisii Monachii a. 1614 edita, postquam epistulam Friburgo 20. Aprilis 1597 ad P. Rosephium datam, in qua Canisius se senectutis incommodis affligi scribit, posuit et Canisium „in eandem fere sententiam" 30. Septembris 1597 ad P. Schretelium litteras dedisse notavit, haec addit: „Idem queritur in Epistola ad Theodoricum Canisium non toto mense ante mortem data." Mortuus autem est 21. Decembris 1597.

Theodoricus aestate vel autumno a. 1597 Ingolstadio redierat Lucernam; ubi a. 1597 erat „Praeses Casuum Domj. Confessar. ordinarius Collegij. Praefectus rerum Spiritualium" (**Catalogus* lucernensis a. 1597. G. Sup. 44 f. 124ª).

2419. CANISIUS **IOANNI IACOBO A STAAL**, patricio et senatori solodorano. Friburgo Helvetiorum 14. Decembris 1597.

Ex apographo saeculo XVII. scripto, quod librarius inscripsit: „Ad Nobilem et Magnificum D: Joan: Jacobum a Staal Solodorensem." Cod. monac. „Lat. 1606" f. 184. Epistulae partem germanice reddidit *Riess* 523.

De temperantia imprimis ecclesiasticis servanda, die Nativitatis Christi, valetudine sua.

---

[1] 26. Martii.

Pax Christi nobis aeterna Amice
Honoratissime.

Certe mihi persuadeo, literas meas postremas istuc peruenisse, quibus meam erga te gratitudinem utcunque significaui. Ab eodem fere tempore tua scripta mihi sunt reddita, quae ut libere dicam Verecunde [?][a] notata misisti, cum uereris, Nostros duos istuc missos[1], qui apud te coenam et prandium sumpserant, rustice magis quam laute fuisse tractatos. Eiusmodi suspiciosa existimatio, si ullos Ecclesiasticos homines, certe nostros etiam ad peculiarem sobrietatem obseruandam, cumprimis adstringit, ut parco uictui se se passim assuefaciant. Huc enim spectat illa Christi Sententia non temere dicta. Attendite ne grauentur corda uestra in crapula et ebrietate[2], et quod magnus praecepit Apostolus. Habentes uictum, et quibus tegamur, his contenti simus[3]. Caeterum uulgo ad omnem intemperantiam procliui permittamus, ut sibi suoque luxui indulgeant[b] ac sicut idem Paulus appellat, carnales[4] egregie praestent. Est sua interim laus, eritque semper uere piorum in colenda abstinentia atque temperantia, quae homines quidem Ecclesiasticos et ex instituto pauperes ornat uel maxime ut Canon ille Apostolicus seruetur, Sobrij estote[5]. Verumtamen quia Solennes Jeiuniorum dies imminent[6], ad seueriorem uitae disciplinam meus sermo delabitur, et ueram potius quam uulgarem ad festum Christi Natalitium praeparationem exigit. In Christo Jesu bene uale, Vir amicissime, et ambabus ulnis Paruulum nobis natum[7] laetus amplectere cum familia vniuersa. Ego ueteri more ualeo, ut ualetudinarium senem agnoscas, sed si de manu Domini bona suscepimus, mala cur non sustineamus[8]? Vestris ac totius Vrsianae Sodalitatis communibus precibus me ualde commendo.

Datum Friburgi Heluet: XIIII Decembris 1597.

Seruus in Christo Petrus Canisius.

2420. CANISIUS **P. THEODORICO CANISIO S. J.**, fratri ex patre
Friburgo Helvetiorum 20. Decembris 1597.

Ex monumentorum actionis frisingensis apographo saeculo XVII. scripto. Can. 63 f. 19[b]. Eadem sunt in *„Positione“* a. 1833, Summ. p. 269.

Sebastianus Strang Societatis frater laicus in actione a. 1626 Frisingae instituta (v. supra p. 486) haec quoque de Canisio testatus est: „Propridie mortis suae dictauit litteras ualedictorias ad Fratrem Theod[c]*: quas cum ipse*[d] *perperam excepisset, ille eas altero mane propria manu descripsit.“*

a) *Sic apogr.; corrigendumne* verecundia? b) *Correxi ex* indulgeat; *sequitur enim* carnales praestent. c) Theodoricum *Pos.* d) *Pos. haud recte:* iste.

[1] Vide supra p. 487. [2] Lc 21, 34. [3] 1 Tim 5, 8.
[4] 1 Cor 3, 1—3. [5] 1 Petr 5, 8; 2 Tim 4, 5.
[6] Diebus 17. 19. 20. Decembris futura erant ieiunia quattuor temporum.
[7] Is 9, 6. [8] Iob 2, 10.

VIII.

MONUMENTA CANISIANA.

1271. Circa a. 1579–1586.

Ex archivi ecclesiae S. Michaëlis, quae Monachii est, Codice „Nr. 4. I. Tom." p. 30–32.

Canisius auctor est, ut Societatis templa monacense et friburgense S. Michaeli Archangelo dedicentur.

P. Jacobus Canisius S. J., Petri Canisii nepos, qui in collegio S. J. monacensi diu vixit et ibidem, ut ipse scribit, annos „non paucos" templi S. Michaelis „sacellanum egit" (plura de eo v. supra p. 434–450), in „praefatiuncula" primae partis operis manu scripti, quod „Michaelium S. Michaeli Archangelo dicatum" ab eo inscriptum est, Ebersbergae Boiorum a. 1642 absolutae haec narrat: Inter maiores meos S. Michaeli Archangelo devotissimos „eminuit Petrus Canisius .P. M. patruus meus, a .S. Jgnatio Loiola Fundatore Societatis JESV primus e Germanis in eandem Societatem cooptatus, Friburgi Heluetiorum, non sine sanctitatis opinione defunctus, multis et[a] paene[b] quotidianis ibidem miraculis coruscans. Is quia festo quoque S. MICHAELI die, fuit magno Christianae Catholicae Reipublicae, et in Germania praesertim Societatis JESV bono natus[1], ideo .(.sicut et Serenissimus Michaëliae Monachiensis Basilicae Fundator[2] eodem .S. MICHÄELIS die natus.). fuit oppido S. MICHÄELI deuotus. Quin imo Serenissimo Fundatori Michaëliae Monachiensis Basilicae, auctor fuit, vt hanc eandem, quam pro Societatis JESV Patrum commodo, vsuque moliri Regio sumptu decreuerat .S. MICHAELI dedicaret.

Porro Basilicam qualem Monachij Boiorum Metropoli, talem quoque in Heluetia Friburgi, S. MICHÄELIS honori, Petrus idem procurauit. Nam cum Friburgensis Respub. Collegium et Basilicam pro Societate IESV .(.cuius coloniam primus eo Petrus duxerat.). moliretur, Petrumque percontaretur, quisnam fabricae eius omnis e coelo patronus esset adsciscendus .S. MICHAELEM nominauit."

Pulcherrimum templum S. Michaelis monacense a Guilielmo V., qui 1579 regnare coepit, a. 1583–1597 aedificatum est (*Duhr*, Jes. I 625–629). Friburgenses iam

a) *Sequitur* quo, *oblitt.* b) *Sequitur* quidem, *oblitt.*

[1] Die 8. Maii, quo „Apparitionis S. Michaelis in monte Gargano" memoria agitur, a. 1521. [2] Guilielmus V. Bavariae dux.

a. 1581 statuerunt Societati collegium et templum aedificare; Socii a. 1596 in collegium a. 1586 exstrui coeptum (l. c. 624), a. 1610 in ecclesiam S. Michaelis immigrarunt (*Flotto* III 432). Monacensis illa ecclesia 6. Iulii 1597, Canisio vivo, S. Michaeli solennissime sacrata est (*Leop. Gmelin,* Die St. Michaelskirche in München und ihr Kirchenschatz, Bamberg 1890, 31—33).

1272. 1580—1582.

Num Canisius Bruntruti apud Iacobum Christophorum episcopum basileensem fuerit, eum ad synodum delsbergensem congregandam et eius „statuta" condenda iuverit, synodo interfuerit, catechismum dioecesanum scripserit, libros liturgicos reformarit. Catechismi canisiani pro episcopatu basileensi excusi.

Anno 1852 *I. Trouillat,* bibliothecarius et archivista bruntrutensis (Porrentruy, oppidum cantonis bernensis), de Iacobo Christophoro Blarer a Wartensee principe episcopo basileensi haec narravit: [Jacques Christophe] „appelle à Porrentruy le P. Canisius pour la rédaction d'un catéchisme diocésain; synode ecclésiastique à Delémont: rédaction des statuts synodaux pour l'évêché de Bâle, 1581": Monuments de l'histoire de l'ancien évêché de Bâle, recueillis et publiés par ordre du Conseil-exécutif de la République de Berne I, Porrentruy 1852. Introd. p. CXXXI. Deinde a. 1855 *Jacobus Burckhardt* protestantium „antistes" de eodem episcopo scripsit: [Jakob Christoph] „wandte sich auch an einen Mann um Hülfe, der schon bei seinen Lebzeiten zu den Heiligen gezählt wurde, an den Jesuiten-Provinzial Petrus Canisius, als derselbe Anno 1580 in die Schweiz kam, um in Freiburg ein Collegium zu stiften; er bat ihn, ihn in Pruntrut zu besuchen und ihm in Kirchensachen behülflich zu sein und führte in seiner Diöces den berühmt gewordenen Catechismus des Canisius ein": Die Gegenreformation in den ehemaligen Vogteien Zwingen, Pfeffingen und Birseck des untern Bisthums Basel. Aus den Akten dargestellt, Basel 1855, 12. Anno 1859 *X. Kohler,* „Président de la Société jurassienne d'émulation", haec scripsit (urbem bruntrutanam significans): „Le vénérable Canisius fait des fréquentes visites dans la capitale de l'Évêché et rédige le catéchisme du diocèse": Porrentruy au XVI[e] siècle, sa vie religieuse et intellectuelle, Porrentruy 1859, 17—18. Anno 1883 *Fridericus Fiala,* praepositus capituli (postea episcopus) basileensis, de Iacobo Christophoro episcopo scripsit: „[Er berief die Geistlichkeit] „auf den 3. April 1581 und die folgenden Tage zu einer Diöcesansynode nach Delsberg. Ungefähr 200 Priester versammelten sich um ihren Bischof und um den heiligen P. Petrus Canisius, welchen derselbe schon 1580 zur Abfassung eines Diözesankatechismus nach Pruntrut berufen hatte. Unter dem Einfluß des letzteren wurden wichtige Synodalstatuten berathen und die liturgischen Bücher des Bisthums verbessert": Blarer von Wartensee, Jacob Christoph, in „Kirchenlexikon" II² 903. Anno 1884 *Hermannus Kasser,* protestantium minister huttwilensis (Huttwyl) narravit: Iacobus Christophorus Blarer episcopus basileensis synodo Delsbergae a. 1581 habita Canisium Jesuitarum provincialem, qui a. 1580 collegium friburgense fundaverat, invitavit, ut se Bruntruti conveniret et in rebus ad episcopatus administrationem pertinentibus adiuvaret. Cui vocationi Canisius statim obtemperavit. „In der bischöflichen Residenz mag damals der wohldurchdachte Plan entworfen worden sein, nach welchem wir fortan den Kirchenfürsten handeln sehen": Die Contrareformation im Fürstbisthum Basel unter Bischof Iacob Christoph Blarer von Wartensee 1575—1608, in „Berner Beiträge zur Geschichte der Schweizerischen Reformationskirchen, verm. u. herausgeg. v. *Friedrich Nippold*", Bern 1884, 252. Anno 1886 *Ludovicus Vautrey,* praelatus romanus et episcopatus basileensis historiographus, synodum illam dioecesanam a d. 3. ad 6. m. Aprilis 1581 Delsbergae habitam describens ait, primo synodi die missa per Iacobum Christophorum episcopum cantata et precibus recitatis oratorem quendam in suggestum ascendisse. „Le procès-verbal du synode ne nomme pas l'orateur qui fut chargé par Christofe de Blarer de prendre la parole au synode de Delemont. Cependant nous avons tout lieu de croire que ce fut le bienheureux Canisius qui assistait, au rapport des historiens de l'évêché de Bâle, à cette réunion du clergé qu'il avait encouragée de toutes ses

forces": Histoire des Évêques de Bâle, II, Einsiedeln 1886, 136[1]. Similia *Vautrey* iam dixerat in „Revue de la Suisse catholique" X, Fribourg 1878, 71. Annis dein 1901 et 1903 *Ioannes Georgius Mayer*, canonicus cathedralis ecclesiae curiensis et professor theologiae, de eadem synodo scripsit: „Der Synode wohnte auch der selige Petrus Kanisius bei, welcher den Bischof eifrigst zur Abhaltung derselben ermuntert hatte. Wahrscheinlich hat der Selige die Predigt zu Beginn der Synode gehalten, obgleich sein Name nicht ausdrücklich genannt wird. An der Abfassung der Konstitutionen scheint er großen Anteil gehabt zu haben . . . . Bischof Christoph Blarer von Basel ließ nach der Diözesansynode von 1581 die liturgischen Bücher revidieren und verbessern. An dieser Arbeit hatte der sel. Petrus Canisius wesentlichen Anteil. Brevier und Missale wurden den römischen Ausgaben Pius' V. angepaßt, nur die speziellen Heiligenfeste und einige besondere Ceremonien wurden beibehalten". Ita, inquam, *Mayer;* qui in adnotatione his verbis subiuncta lectores remittit ad litteras 28. Martii 1589 ab Octavio Paravicini, apostolico apud Helvetios nuntio, datas, quae sunt in „Vat. Arch. Nunz. Svizz. II" (Das Konzil von Trient und die Gegenreformation in der Schweiz I, Stans 1901, 156; II, Stans 1903, 73). Anno denique 1904 *Ludovicus Rochus Schmidlin* praelatus romanus de synodo illa delsbergensi affirmavit: „Unter der Leitung des sel. Petrus Canisius, welchen Blarer schon 1580 zur Abfassung eines Diöcesankatechismus nach Pruntrut berufen hatte, wurden wichtige Synodalstatuten beraten und genehmigt: Solothurns Glaubenskampf, Solothurn 1904, 377. Cf. etiam *Pastor* IX 501.

Iam quaeritur, quibus ex fontibus historici illi haec hauserint. Ab aliquibus eorum testes vel nulli adducuntur, vel admodum recentes; ut a Vautrey et Kohlero solus Trouillat, a Fiala soli Burckhardt et Vautrey adducuntur. *Burckhardt* eo, quem protuli, libri loco lectores remittit ad „Maldoner", et alio eiusdem libri loco (p. VI) dicit, Basileae in archivo reipublicae sibi ex archivo, quod antea episcoporum principum basileensium fuerit, suppeditata esse „Convoluta von Correspondenz und Acta. XIII. Handlung in fünf partes zertheilt und alle Acta sorgfältig numeriert von 1 bis 456. Eine Arbeit (von 1755) des überaus fleißigen und geschickten bischöflichen Archivars Maldoner S. J., Verfassers des Catalogi der unverwerflichen Urkunden; sie umfasst den Zeitraum von 1576 bis 1605". Equidem a. 1891 Basileae in eodem archivo reipublicae vidi et excussi codicem manu scriptum „Repertorium über die bey einer Statt Basel seit Sechs Hundert Jahren sich ergebenen hergangenheiten. MDCCLXIII. . . Opera *Leonardi Leopoldi Maldoner*, H. K. Rahtes" [2]; in cuius codicis p. 172—310 exstat Maldoneri liber „XIII. Handlung wieder eine Stadt Basel" inscriptus et in quinque partes divisus, in quo 457 monumenta ad a. 1576—1606 pertinentia recensentur et describuntur; neque tamen in eo libro ullum de Canisio verbum repperi. Praeterea Maldoner, ut in eodem archivo audivi, ipsa illa monumenta archetypa in unum corpus collegit et adnotationibus illustravit; verum haec postea aliter disposita et conglutinata sunt, neque in novo hoc codice adnotationes Maldoneri comparent. Ut ad *Ludovicum Vautrey* transeam, hic significat quidem, se relatu historicorum episcopatus basileensis niti, sed unum tantum eorum nominat in adnotatione: „P. Voisard, Histoire des Évêques de Bâle, p. 388." *Franciscus Humbertus Voisard* (1749—1818) bruntrutanus, Societatem Iesu a. 1765 ingressus, typis quidem nihil excripsisse videtur; Bruntruti tamen in bibliotheca urbis vidi codicem in 16[o] manu scriptum et sic inscriptum: „Abregé de l'histoire des Evêques de Basle, depuis l'Etablissement de l'Evêché jusqu'a nos jours composé par le P. Voisard 1781." In hoc compendio per quaestiones et responsiones disposito et ab auctore

---

[1] In libro „Histoire du Collége de Porrentruy 1590—1865", Porrentruy 1866, *Vautrey* Canisium Bruntruti vel Delsbergae fuisse non commemorat.

[2] Hinc colligi posse videtur, *Burckhardtum* labi, cum Maldonerum hominem Societatis Iesu fuisse scribit. *Sommervogel* certe in „Bibliothèque de la Compagnie de Jésus", in qua eos quoque auctores, qui opera tantum manu scripta reliquerunt, commemorat, Maldonerum non ponit.

„a mes elèves de l'an 1776 et 77“ destinato (ita praefatio habet) p. 384 haec de Iacobo Christophoro Blarer episcopo principe dicuntur: „Il convoqua en 1581 une Sinode à Delémont, à laquelle il présida · on y fit de très-beaux statuts et très-salutaires. Il s'y trouva environ 200 Ecclesiastiques, entre les quels étoit le célèbre et Vénérable Père Canisius de la Compagnie de IESVS“. Eadem leguntur in altero eiusdem operis exemplo, quod manu, ut videtur, alicuius discipuli scriptum in eadem bibliotheca asservatur[1]. Iamvero affirmat quidem *Vautrey* (Evêques II 125): „Le P. Voisard . . . écrivait . . . d'après des documents authentiques“; unde vero haec de Canisio narratio hausta sit, Voisard non prodit.

Longius procedamus! Canisium a. 1580 vel 1581 Bruntruti apud Iacobum Christophorum episcopum fuisse, synodo delsbergensi a. 1581 interfuisse, ad eam congregandam vel ad eius leges statuendas operam contulisse, catechismum dioecesanum conscripsisse, libros liturgicos episcopatus basileensis emendasse, nemo, quod equidem sciam, ex iis tradidit, qui saeculis XVII. et XVIII. eius vitam scripserunt. Silent iisdem de rebus omnes, quae supersunt et quas equidem novi, epistulae a Canisio et ad Canisium datae; silent, quod sciam, omnes relationes de Canisio eo, quo vixit, tempore et paullo post eius mortem conscriptae. Ne in litteris quidem a Paravicino nuntio 29. Martii 1589 datis, quas supra dixi, neque librorum liturgicorum emendatio neque Canisius commemorantur; idem dicendum est de aliquot aliis epistulis mensibus Martio et Aprili a. 1589 Romam missis, quae in eodem illo archivi vaticani volumine (Nunz. Svizz. 2 A) continentur.

Unum addo: Hodie quoque laudatur historia episcoporum basileensium conscripta a P. *Claudio Sudano*, circa a. 1579 in cantone friburgensi nato et a. 1597 Societatem Iesu ingresso, qui per complures annos collegium bruntrutanum, per complures deinde collegium friburgense rexit et Bruntruti Ioanni Henrico ab Ostheim episcopo basileensi a sacris confessionibus fuit (*Mülinen*, Helvetia sacra II 51—53; *Sommervogel* VII 1692—1694). In hoc opere, quod post auctoris mortem († 1655) sine eius nomine editum est, de synodo illa delsbergensi et de rebus a Societatis hominibus in dioecesi basileensi sub Blarero episcopo gestis diligenter agitur, neque vero quicquam de Canisio dicitur (Basilea sacra sive Episcopatus et Episcoporum Basileensium origo ac series, Bruntruti 1658, 389—393).

En igitur assertiones, quarum testes medio saeculo XVIII. antiquiores esse non videntur!

Maximi denique momenti in hac re sunt verba illa, quibus *Canisius* litteras Friburgo Helvetiorum 5. Martii 1582 ad Iacobum Christophorum episcopum basileensem a se datas exorsus est: „Reuerendiss. in Christo Pater, et Jllustriss. Princeps. Etsi difficile mihi ac uerecundum est, ad talem tantumque antistitem literas dare, cui neque notus sim, neque commendatus: tamen laudatiss. Praesulis humanitate confisus“ etc. (v. supra p. 71). Certe Canisius ita scribere non potuisset, si a. 1580 aut 1581 Bruntruti apud Blarerum fuisset vel 1581 cum eo synodo delsbergensi interfuisset vel cum eo eiusdem „statuta“ composuisset!

Quod autem ad catechismos dioecesanos attinet, in synodo delsbergensi (P. 1 tit. 15) ludorum magistris praeceptum est, curarent, ut discipuli aut catechismum romanum aut alium ab episcopo vel eius vicariis approbatum ediscerent, et parochi iussi sunt efficere, ut in scholis parochialibus pueri catechismos non haberent nisi catholicos; neque tamen Canisii catechismus nominatus est (*Statuta* Basiliensia in Synodo Thelspergensi Anno Domini M. D. LXXXI. iij Non. April. publicata, Friburgi Brisgoiae 1583, 97—98). Attamen constat *Iacobum Christophorum* episcopum saltem paullo post synodum delsbergensem id molitum esse, ut catechismus Canisii fidelibus explicaretur. Certe episcopus iam ante 18. Aprilis 1581 per episcopum suum auxiliarem cum Thoma Quarino typographo basileensi de libris quibusdam excudendis

[1] Tertium operis huius exemplum exstat in bibliotheca urbis gallicae Montbéliard (*Sommervogel* VIII 892).

egerat; illo deinde die ipse Quarino *scripsit, ut, si eius animus ad libros illos excudendos inclinaret, eius rei constituendae causa 20. Aprilis Bruntrutum ad se veniret (ex litterarum apographo eodem fere tempore scripto, quod est Bernae in archivo reipublicae, Cod. „Missiuae 1580—1580" p. 739). At 29. Maii 1581 urbis basileensis *Consul et senatus* episcopo *scripserunt, usque ad id tempus moris non fuisse („nit in bruch noch in Übung gewesen"), ut eiusmodi libri Basileae imprimerentur; ibi enim statutum esse, ne quid excuderetur nisi ab universitatis basileensis censoribus recognitum et admissum; illos vero libros vix fore admissum (ex archetypo, quod est Basileae in archivo reipublicae, Cod. „Bischöfliches Archiv XXV—XXVII", Nr 15). His litteris acceptis *Iacobus Christophorus* ex arce „Bürseck" 29. Iunii 1581 P. Martino Leubenstain S. J. rectori collegii lucernensis et eiusdem collegii „regentibus" *scripsit: „Demnach wir in jüngst gehaltenem unserm Synodo unser Clerisei das jung Völkle an jedem Ort zu katechisieren ernstlich auferlegt und befohlen, und seither durch unser Diöces und Bisthum bei liegend P. Canisii Catechismi Exemplaria in welscher und deutscher Sprach in unserm selbs eignen Kosten auszutheilen gnädig gesinnt unt Fürhabens, dieweil aber wir noch zur Zeit mit eigener Druckerei nit verfaßt, und solch zu Basel, aus Abschlag des Raths daselbsten, nit verfertigen mögen, so ist unser gnädigs Gesinnen an euch, Ihr wöllen uns ermelten Catechismum in französische Sprach transferiren, und nachmaln unbeschwert nachfragen, wie solche bester Gelegenheit auf 1500 teutsch und auch soviel französisch getruckt zu bekommen sein möchten, mit dem Geding, daß der Drucker solche in unsern Hof gen Basel liefern, daselbst ihm dann gebührende Bezahlung erfolgen, auch wo zu vertrauen, ihm zuvor auf die Hand geben werden solle. Sonsten hätte uns ein Drucker zu Basel (wo nit ermeldter Rath solchs mehr dann den Alcoranum und das jüdisch Talmud verboten) den Reißen um ein Kronen zu drucken versprochen" (ex exemplo recenti apographi eodem illo tempore scripti, quod est Bernae in archivo reipublicae, l. c. p. 813—815). Verum vix credi potest, Socios lucernenses, qui et valde occupati, et, maximam saltem partem, Germani vel Helvetii erant, hunc catechismi canisiani in linguam gallicam transferendi laborem in se suscipere potuisse. Neque id erat necessarium; nam „Parvi Catechismi Catholicorum" — hunc ab episcopo significari satis certum est — versiones gallicae et 1565 Parisiis apud Brumennium, et 1576 Antverpiae apud Bellerum in lucem prodierant, et ipso hoc a. 1581 Antverpiae Vervlietius eiusmodi versionem edidit; „Summae" autem canisianae versio gallica iam a. 1557 Antverpiae excusa erat (*Can.* IV 1010[6]; V 801; VII 751, et infra, monum. 1274). Existimo igitur, Leubenstainium se excusasse et episcopum rogasse, ut ea in re externorum opera uteretur. Superest apographum *epistulae a *Iacobo Christophoro* Bruntruto 1. Septembris 1581 ad „Reverendum" „Dominum Petrum Morellum"[1] (qui ubi fuerit, non indicatur) datae, in qua haec dicuntur: „Literas tuas vna cum Catechismis gallicis . . . accepimus, pro qua tua hac in re nobis praestita opera permagnas agimus gratias" (l. c. p. 895). Deinde *episcopus* Bruntruto 27. Septembris 1581 Leubenstainio rectori *scripsit: Se ipsius litteras accepisse una cum schedula adiuncta, in qua Christophorus Kest, Friburgi Helvetiorum bibliopolam („Buchfürer") agens, de catechismis, quos iussus esset parare, scripsisset. „Dieweil aber", inquit Blarer, „wir das Reiß getruckten Papiers wol um ein Kronen bekommen mögen, dazu wir die Figuren nit für nöthig achten noch begehren", iam rectori nomine episcopi cum Kestio agendum esse, ut, prout operam suam obtulisset, catechismi illius 1500 exempla germanica et totidem gallica excuderet et Basileam portanda curaret. Quod si cum episcopi satisfactione fecisset, eundem alios quoque libros ei traditurum esse excudendos (ex apographo recenti exempli antiqui; l. c. p. 964—965). Reapse catechismi illi inter m. Martium et Iunium a. 1582 Friburgi a Kestio typis exscripti sunt (v. supra p. 73); num autem Canisius ad hoc opus operam aliquam contulerit, plagulas recognoscendo

[1] Ex hac ipsa appellatione colligitur, Morellum in codicis bernensis indiculo perperam Iesuitam vocari. Morelli mentionem nullam fecit *Sommervogel* in opere, quod supra dixi.

et corrigendo etc., non constat. Nec mihi contigit, ut eorum exemplum vel ipse viderem vel ab alio notatum invenirem. Ad odium protestantium vitandum fortasse in iis Canisii nomen omissum, fortasse ne locus quidem ascriptus est. Affirmari non potest, Canisium pro episcopatu basileensi catechismum dioecesanum conscripsisse.

Recte igitur *Kohler*, re accuratius indagata, a. 1866 se ipse correxit, de Canisio scribens: „C'est par erreur, croyons-nous, que l'on a parlé d'un voyage de ce religieux à Porrentruy en 1580, pour la rédaction du catéchisme diocésain. Nous ne pouvons davantage établir sa présence dans notre ville à une époque ultérieure" Le Bienheureux Canisius etc. [v. supra p. 71] 17.

1273. 1581.

Canisii Catechismus minor latine editur Antverpiae (bis?) et Cracoviae. Catechismus „abbreviatus" eiusdem editur Venetiis.

1. „INSTITVTIONES | CHRISTIANAE | PIETATIS. | SEV | PARVVS CATECHISMVS CATHO- | LICORVM, | Auctore Petro Canisio Societ. | Iesu Theologo. | *Preces horariæ de æterna* | *Dei Sapientia.* | ANTVERPIAE. | Ex officina Christophori Plantini. | M. D. LXXXI. | CVM PRIVILEGIO." Cum Plantini signo typographico. Versus 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 10, 11, 12, 14 rubri sunt. Titulus cingitur imaginibus frugum, florum etc. et figuris symbolicis ligno incisis. 16°; pp. 95; praeterea in initio 8 ff. non sign. (addito titulari). Catechismum antecedit Kalendarium; in fine libri „meditationes quotidianae", preces scholasticae etc. Cf. *Can.* III 777; V 823. Librum vidi Antverpiae in Museo plantiniano. Idem exstat Cracoviae in bibliotheca universitatis iagellonicae. Brevissime eum commemorat *Sommervogel* IX, 1976.

2. „Institutiones Christianæ pietatis, seu parvus Catechismus Catholicorum; auctore D. Petro Canisio, Societatis Jesu Theologo. Antverpiæ, Joan. Bellerus, 1581, 16°". Ita *Aug. De Backer* I 1060. Quem secutus est *Sommervogel*, Bibl. II 637. Estne haec editio eadem atque illa, quae posita est supra, n. 1.? Eaedem „Institutiones" a. 1567 et a Plantino et a Bellero excusae sunt: v. *Can.* V 822—823.

3. „Parvvs Catechismvs Catholicorvm: Nunc Primvm Integritati suæ restitutus, et singulari authoritate Sacræ Cæsar. Maiest. editus. Authore D. Petro Canisio, Doctore Theologo Societatis Jesv. Accessere Praeces Horariæ, de æterna Dei Sapientia Jesv Christo Domino nostro, cum pijs quibusdam et christianis exercitationibus. Cracoviæ, In Officina Matthæi Siebeneycher. Anno Salutis Humanæ, 1581, 8°, ff. 60": Ita *Sommervogel* II 636—637. Breviter hanc editionem iam antea commemoraverat *Car. Estreicher*, Polnische Bibliographie des XV.—XVII. Jahrhunderts, Krakau 1883, 73. Ceterum cf. *Can.* V 800—801 823; VI 694—695; VII 751 802 820.

4. „Franc. a Victoria, O. Praed., Summa sacramentor. ecclesiae. Adj. conclusiones in sing. quaestt. et catech. Petri Canisij. Venet., Ziletus, 1581. 16°": Ita „*Catalogue* XLI de Ludwig Rosenthal's Antiquariat à Munich, II[ième] Partie" p. 116 n. 1961. Haec videtur esse editio princeps operis Venetiis a. 1588 editi „Summa Sacramentorum Ecclesiae, ex doctrina R. P. F. Francisci a Victoria, Ordinis Praedicatorum . . . Cui adiecimus . . . Catechismum Petri Canisij abbreviatum". Qui catechismus, etsi in altera hac editione „Institutiones Christianae pietatis" inscriptus est, ab iisdem vel eo ipso differt, quod per quaestiones et responsiones dispositus non est. Caeterum in eadem editione (de qua plura infra, monum. 1451) iterum typis exscriptae sunt totius operis litterae dedicatoriae, 1. Augusti 1581 a *Francisco Ziletto* typographo ad „Basilium Issapicam Salernitanum Monachum S. Georgii Maioris, apud Venetias" datae; in quibus Zilettus ait, se „Summam Sacramentorum", modo iterum in officina sua excusam, Basilio dedicare eo, quod is se ad eam quam emendatissime excudendam hortatus esset. Se illico id opus aggressum esse et Summae addendas curasse „conclusiones" illas atque in fine adiecisse „abbreuiatum" Canisii catechismum, „eo quod id gratissimum fore omnibus minime est ambigendum".

5. *Thomas Welzenbach* affirmat, a. 1578 Henricum Aquensem („Heinrich von Aach") ab Iulio Echter a Mespelbrunn, episcopo principe herbipolensi, Herbipoli constitutum

esse typographum aulicum. „Den Diöcesan-Katechismus, den des P. Canisius, ließ Julius am ersten (wenn ihn nicht schon Bischof Friedrich herausgab) im Jahre 1581 für seine Landeskinder durch Heinrich von Aach drucken unter dem Titel: ‚Katechismus in Kurtze Frag vnd Antwort gestellt' (12. mit Holzschn.), sowie für seine Geistlichkeit den sog. großen Canisius, welche beide er im Jahre 1584 in den Statutis ruralibus seiner Geistlichkeit empfahl": Geschichte der Buchdruckerkunst im ehemaligen Herzogthume Franken und in benachbarten Städten, in „Archiv des historischen Vereines von Unterfranken und Aschaffenburg", 14. Bd., 2. Heft, Würzburg 1857, 167—171. Nomine magni catechismi canisiani Welzenbach non „Summam", sed „Opus catechisticum" indicasse videtur; quod certe in „statutis" illis commendatum est (cf. infra monum. 1347). Neque vero ulla ratione verisimile est, hoc Herbipoli editum esse: ne „Summa" quidem tunc ibi vulgata esse videtur. *Sommervogel* hanc catechismi minoris editionem non memoravit.

1274. 1581.

PETIT | CATECHISME | *des Catholicques, fait premie-* | *rement en Latin, par M. Pierre* | *de Canis, Docteur en la S. Theologie, de la com-* | *pagnie de Jesus.* | *Traduict en François, pour le proufit* | *& vtilité de la Jeunesse.* | Reueu maintenant & corrigé, sur la derniere | edition Latine de l'Autheur. | En Anuers, chez Daniel Vervliet, | a l'Escu d'Artois. 1581" 8° ff. 32, addito titulari. In folii titularis pagina aversa Christi cruci affixi figura ligno incisa; f. 2 brevis summa edicti a Ferdinando I. imperatore 10. Decembris 1560 facti (v. *Can.* I 752—754); f. 3ª Canisii praefatio, data Augustae Vindelicorum a. „1565" (1561? Cf. *Can.* III 777). In fine libri testimonia Scripturae sacrae contra haereticos semper in promptu habenda et tres sententiae ex [S. Fulgentii] „Libro de fide ad Petrum." Liber typis italicis sive cursivis nitidissime excusus est et litteras initiales, quas vocamus, habet figuris ligno incisis ornatas. Librum vidi Antverpiae in Museo plantiniano. *Sommervogel* eum non posuit.

1275. 1581.

„Hortulus | *ANIMÆ,* | *SVAVISSIMIS FLO-* | *RIBVS REFERTVS.* | IN QVO OFFICIVM | BEATÆ MARIÆ, ET DEFVN-|ctorum, ac septem Psalmi Pœnitentia-|les, & Graduales, atque alia | quàm plurima sunt | posita. | *Cum facultate Superiorum.* | *DILINGÆ,* | *Excudebat IOANNES MAYER.* | *M. D. LXXXI.*" Versus 1, 2, 5, 6, 12, 14 rubri sunt.

24°; ff. sign. 5—256.; praeterea ff. non sign. in initio 32 (addito titulari) et in fine 3.; f. A 2ª—B 4ª Kalendarium; f. B 4ᵇ—D 4ᵇ „INSTITVTIONES | CHRISTIANÆ | PIETATIS. | Autore D. Petro Canisio So-|cietatis IESV Theologo". Non sunt addita neque testimonia Sacrae Scripturae contra haereticos, neque precationes, neque meditationes, quae in plerisque aliis editionibus adduntur; f. D 5ᵇ = f. 1 incipit officium B. Mariae Virginis; f. 256ᵇ Litaniae lauretanae; f. 124ª—126ª aliae „Litaniae de beatissima virgine Maria", eaeque longiores; f. 59ª—105ᵇ „Septem officia per totam hebdomadam completa, et per Ioannem Papam XXII (ut scribitur) ordinata"; f. 212ᵃ ad 229ᵇ Passio Christi Domini secundum singula quattuor evangelia. Liber habet multas imagunculas ligno incisas. In tribus ultimis ff. est conspectus rerum libri et index psalmorum et hymnorum eius. Vidi exemplum libri, quod est Monachii in bibliotheca nationali (Staatsbibliothek) P. lat. 2233. Cf. etiam „Katalog 61 von *Ludwig Rosenthal's* Antiquariat in München", München s. a., p. 82. *Sommervogel* hanc editionem non posuit.

1276. 1580—1591.

Catechismi canisiani explicatio in episcopatu augustano praescribitur.

Marquardus a Berg episcopus princeps augustanus Dilinga 31. Octobris 1580 mandavit, ut et parochi et ludimagistri singulari diligentia catechismum explicarent. „Qua ratione curavimus, vere Catholici Catechismi exemplaria non pauca Latine

simul et Germanice typis excudi, eius nimirum, qui superioribus annis a Venerabili syncere nobis dilecto Doctore Petro Canisio S. J. theologo editus fuit. Haec autem exemplaria in Parochiis nostris passim extare et ob communem iuventutis populique fructum emi, proponi, ac memoriae quoque mandari volumus." Deinde 23. Ianuarii 1581 idem episcopus litteras dedit de „modo catechizandi", in quibus praecipitur: Es soll „auf alle Sonn- und Feyertag allweg nach dem Beschluß der ordinary Predig aus dem deutschen mittleren Catechismo Canisii das Vater unser, Englischer Gruß, apostolischer Glaube und die Zehengebot textweis, deutlich, klar und punctatim also gelesen werden, daß ein jodweder dasselbe wohl hören, vernehmen und bei sich selbst nachsprechen könnt . . . Wann die Uhr 12 schlägt . . . soll der Pfarrherr vor einem Altar sitzend aus dem kleinen deutschen Catechismo Canisii . . . zwei oder drei Artikel nach Gelegenheit dieselben lang oder kurz auch vorlesen, kürtzlich expliziren und auslegen" etc. Die 13. Maii 1587 Marquardus episcopus eandem catechismi explicationem iterum, gravibus poenis propositis, praescripsit, praecipiens etiam „magistratibus saecularibus", „ut curent, ne ludimagistri quoque in hoc genere officio suo desint, sed singulari diligentia doceant suos discipulos primum quidem orare, deinde vero Catechismum etiam illum minimum et brevissimum Canisii". Qui in Marquardi locum successit, Ioannes Otto a Gemmingen (1591—1598) in mandato, quod statim post munus episcopale susceptum promulgavit, monebat, ut Canisii catechismus et in templis et in scholis diligenter explicaretur. Ita *Fr. X. Thalhofer,* Beiträge zur Geschichte der Katechese im Bistum Augsburg nach der Glaubensneuerung, in „Katechetische Blätter" N. F. 1. Jahrg., Kempten 1900, 34—36 75—77.

1277. 1581.

Libelli a. 1570 Dilingae latine a Canisio editi et multis imaginibus ligno incisis ornati „Epistolae et Evangelia quae Dominicis et Festis diebus, de more Catholico in Templis recitantur" (*Can.* VI 690) a. 1581 ibidem facta esse videtur editio germanica, cui fortasse perinde atque in editione latina anni 1570 (factum est) parvus Canisii catechismus additus est. *Sommervogel* enim posuit: [Canisii] „Ewangeli- und Epistelbüchlein durchs Jahr. Dillingen. 1581. 16°" (l. c. IX 1980).

1278. 1581.

Cornelius Loos de Canisio: Canisii eruditio et facundia. „Sui Ordinis columen." Operis catechistici et Operis mariani praestantia. Catechismus Canisii vulgatissimus.

Praefatiuncula editoris: Cornelius Loos Callidius, circa a. 1546 Goudae in Neerlandia natus, a protestantibus patria pulsus, theologiam primum Moguntiae, deinde Treveris docuit. Qui causam catholicam compluribus libris editis strenue defendit. Praecipuam vero gloriam hac ratione consecutus est: Cum in regione treverensi eos, qui venefici et magae („Hexen") esse dicebantur, valde crudeliter tractari videret, non solum eam immanitatem gravissimis verbis insecutus est, sed etiam librum „De vera et falsa magia" composuit, in quo famosum illum Petri Binsfeldii auxiliaris episcopi treverensis „Tractatum de confessionibus maleficorum et sagarum" confutabat (quamquam fatendum est, eum illa in re modum excessisse et nonnulla affirmasse, quae cum historica veritate et cum fidei doctrinis parum congruebant). Quem librum cum, neglecta censurae ecclesiasticae lege, Coloniae in lucem emittere conatus esset, vinculis mandatus et a. 1592 vel 1593 ad retractationem adactus est. Bruxellis deinde cum curam animarum gereret, accusatus, quod pristinos errores renovasset, iterum in custodiam datus iterumque liberatus est; iamque tertium capiendus erat, cum eum a. 1595 mors abripuit (*Werner*, Loos: Cornelius, in Allgemeine Deutsche Biographie XIX, 168—169; *S. Riezler*, Loos, Cornelius, ibidem LII, 67—69; *Janssen-Pastor* l. c. VIII[1] [12] 582—585).

Cornelius igitur Loos in libro „Illustrium Germaniae Scriptorum Catalogus . . . *Cornelio Loos Callidio* auctore"[1], Moguntiae 1581, f. N[a]—N 4[b]

[1] Rarum hunc librum Bruxellis in bibliotheca regia nactus sum.

de Canisio egit. De quo haec, praeter alia, scripsit: „Petrus Canisius . . . quum rei literariae felicem operam nauasset, utraque lingua doctus: quo maiori commoditate sacris studijs posset incumbere (vt de eo quidam scribit) Ordinem Societatis ingressus est [1]. Qui sacrae professionis sublimi purpura donatus, Ingolstadij, Dilingae [2], et in alijs Gymnasijs et Germaniae locis, diuinas literas publica professione praelegit, simul alia pietatis officia strenue exequens. Quumque praeter eruditionem insigni facundia praeemineret, Augustae Vindelicorum Ecclesiastes, quondam ab Ottone Cardinale Augustano constituitur. Quam functionem quum magno Catholicae religionis zelo exequeretur; vt ipsam aduersus profanas haereseos nouitates assereret et comprobaret: nominis celebritate passim omnibus innotuit, adeo vt sui Ordinis columen facile haberetur. At modo miles emeritus, Dilingam suae senectuti quietam stationem fertur delegisse [3]. Scripsit . . . Summam doctrinae Christianae · in quam supra modum elegans et eruditum volumen, quod Commentariorum vice esse potest, ex priscorum Patrum monimentis collegit, et typis diuulgauit Petrus Busaeus, eiusdem Ordinis Theologus doctissimus [4]. Vtilissimum sane omnibus primam Christianae religionis Catechesim praelegentibus: tum maxime ijs, qui ipsam in Ecclesijs populo Christiano pro sacris concionibus proponunt. Quo certe nihil vtilius ac magis necessarium, conseruandae Catholicae fidei esse potest. . . . Scripsit . . . item de Maria Virgine incomparabili. . . . Quo [libro] Deiparam Virginem sanctiss · ab importunis et iniquissimis illorum [Sectariorum] iniurijs, et infandis blasphemijs, pulcherrime eximit, et egregie vindicat. . . . Canisius inter cunctas vtilissimi laboris sui lucubrationes, quibus Catholicae Ecclesiae profectui, et defensioni contra infestissimam Sectariorum rabiem, et perniciosissimam haereseos doctrinae pestem optime consuluit: facile palmam meretur libellus, licet omnium minimus, quem Paruum Catechismum Catholicorum inscripsit. Quo vel solo immortalem sui nominis laudem iam promeritus censeri potest. Quod ipsum docta et grata breuitate, cum iuuentutis, tum omnium captui accommodauit · dum quicquid cuiuis Catholico ad suae fidei cognitionem necessarium aestimari posset, succincte et dilucide complectatur. Cuius iam indicium cunctis esse potest: quod prae caeteris eiusdem inscriptionis libellis et

[1] „Operam literis dedit, atque in primis Theologico studio incubuit. Id ut commodius praestaret, Iesuitarum collegium ingressus, eum ordinem suscepit“: Ita *Henricus Pantaleon*, universitatis basileensis professor isque zwinglianus, in suae „Prosopographiae Heroum atque illustrium Virorum totius Germaniae Parte tertia“, Basileae 1566, p. 501. Eadem dicuntur in huius operis versione germanica, ab ipso *Pantaleone* edita Der dritte vnd letste Theil Teutscher Nation Heldenbuch, Basel 1570, 469—470; v. *Can.* V 850—852; VI 742—743. Rectius tamen et Pantaleon et post eum Loos scripsissent: Canisius, quo propius Christum pauperem, castum, oboedientem sequi posset, Iesuitarum ordinem suscepit; v. *Can.* I 43—44.

[2] Dilingae Canisius non docuit, orationes tamen academicas habuit.

[3] Canisius a. 1580 eo concesserat: v. *Can.* VII 517 577.

[4] De hoc „Opere catechistico“ v. *Can.* VI 685 689; VII 766.

opusculis, ne dicam prope innumeris: ipsius in latissimum vsum varijs idiomatibus, et omnibus pene Christiani nominis gentium linguis donatus, et saepius typis admotus, passim vbique conspiciatur."

1279. 1581. 1584.

Ex libro, qui inscriptus est: „Almae Ingolstadiensis Academiae Tomus primus ... Inchoatus primum a M. Valentino Rotmaro. P. L. et Eloquentiae Professore Ordinario: Iam vero post immaturum ipsius obitum accurate fideliterque absolutus: A M. *Ioanne Engerdo*, SS. Theol. Bacc. P. L. ac Poesios Professore Ordinario. ... Ingolstadii, Ex Typographia Davidis Sartorii ... M.D.LXXXI." f. 108b—110a [1], et ex *Ioannis Croeselii* libro „Elogia in duas diuisa partes", Ingolstadii 1584, p. 387 388.

Quae sunt in Engerdi libro, ex eo transcripta sunt a *Radero* 47; *Matthia Tanner* S. J., Societas Iesu Apostolorum imitatrix. P. I, Pragae 1694, 288; *Mederer* I 226—229.

Ab Engerdo universitatis ingolstadiensis professore et historiographo atque a Croeselio eiusdem universitatis bibliothecario Canisii doctrina, eloquentia, virtus laudantur.

1. *Ioannes Engerd (Steunechton), neostadiensis, thuringus, qui a. 1570 albo universitatis ingolstadiensis inscriptus est, a. 1572 artium magister et „poeta laureatus" evasit, a. 1572—1587 artem poëticam Ingolstadii tradidit* [2], *scriptor diligens et poëta haud ignobilis, in universitatis illis Annalibus a Valentino Rotmaro a. 1580 primum editis (v. Can. VII 823) et a. 1581 a se amplificatis haec de Canisio scripsit:* PP. Petri Canisii et Nicolai Gaudani „aduentu, reliquis Theologis suam conferentibus operam, Domino Wagnero et Domino Theandro [3], et quasi coniunctis viribus vnum omnibus enitentibus, quantum S. Theologia caput extulerit, nec possum, nec volo dicere, cum nec priora dormitarint tempora.

Hoc tamen, citra veterum Doctorum, atque etiam ipsius Domini Eccij [4], Theologi et doctissimi et in disputando, religionemque propugnando foelicissimi et fortissimi Hectoris, iniuriam facile affirmo, longe et elegantius, politiusque, et compendiosius nunc pene omnes tradi docerique literas, quam apud maiores nostros fieri est solitum. Idque ego seculi potius illius barbariei, quae in omnes scientias vim suam exercuit, quam ipsis Doctoribus, quos acute, subtiliter et docte scripsisse et disputasse constat, tribuo.

Hoc itidem sine iactantia dixero, nostram Scholam nulli alteri Germaniae Academiae, quantum ad Theologos attinet (nam de reliquarum Facultatum Doctoribus nunc non ago, dicturus de ijsdem postea) facile cessuram, tum eorum ratione, qui iam olim docuere, et partim diem vitae suae clausere supremum, partim adhuc in Ecclesiae et religionis Catholicae incolumitatem et singulare ornamentum viuunt, tum etiam (absit et inuidia, et adulatio dicto) adhuc docent.

SED ad propositum, et incomparabilem virum, Petrum Canisium diuerto, cui tamen Encomiasticum minime polliceor, sed id tantum praestiturum, vt eum obliuione apud posteros vindicem, et is qualemcunque inter Theologos possit habere locum: Dicam tamen, quod sentio: Vir est diuini propemodum ingenij, et eruditionis incomparabilis, Philosophus eximius: quod illi pene cum omnibus Patribus de Societate commune est, Theologus profundus, et lectionis infinitae, quod cum plurimis, sed quod illi neque omnino cum multis, neque omnino paucis est commune, Orator valde eloquens, Ecclesiastes pariter grauis et iucundus.

---

[1] Rotmarus, ut *Engerdus* l. c. f. **3b—[**4b] monet, in libro suo typis exscribendo ad p. 85 pervenerat, cum morte abreptus est.

[2] Engerd a protestantismo ad ecclesiam catholicam redierat (*Mederer* I 319—320; *Prantl* I 334 335). De eius carminibus scripsit *K. v. Reinhardstöttner* in „Jahrbuch für Münchener Geschichte" IV, Bamberg 1890, 59 94 96 105.

[3] De Michaele Wagner et Georgio Theandro v. *Can.* I 504 723.

[4] Ioannis Eck.

PROBAVIT et eruditionem suam, et eloquentiam, et in dicendo prudentiam (nanque eloquentia sine prudentia et eruditione est inanis garrulitas) saepius Illustrissimo Duci Bauariae Alberto Quinto, cui iure suo et merito semper fuit gratissimus: tum etiam multis annis Ecclesiae et vrbi Augustanae, vnde discedens tanquam sui amoris quoddam pignus reliquit, Dominum Gregorium Rosetum [1]. Quorum vterque quid inter medios haereticos profecerint, quantum religionem promouerint, ipsi Templi summi parietes etiamnum testantur, qui auditores concionum vix possunt capere. Dominus Gregorius adhuc cum magna nobilissimorum virorum frequentia et applausu, maximo vero haeresiarcharum cum dolore, concionatur.

NOSTRI quoque, si qui Schmalcaldicum recordantur bellum, Dominum Canisium in Templo D. Crucis extra portam, antequam deiiceretur, concionari meminerunt [2]: sed nec ipsius, nec Societatis nomen tum innotuerat. Rectoratus dignitatem gessit, anno 49 [3], quod officium ex Patribus, cum ipsimet, quam res incommoda esset Societati, publicis distrahi negotiis, intelligerent, vltroque sese publicis abdicarent muniis [4], post est impositum nulli. Procancellarei officio, semel atque iterum, digresso Fannemanno, ex delegatione Reuerendissimi et Illustrissimi Principis Aichstadiani [5], et commissione est perfunctus.

QVANTVM itidem Ecclesiae et religioni suis pulcherrimis libris praestiterit, totus pene Christianus nouit orbis, nec ignorant haeretici. Scripsit egregios libellos precarios, ad pietatem et deuotionem excitandam aptissimos: Item Martyrologium: Inter omnia vero eius scripta, primas facile obtinent, liber de D. Maria Virgine, D. Ioanne Baptista, contra Magdeburgenses, et Catechismus.

IN EO denique pietatis et eruditionis, vitaeque integritatis, omnisque virtutum generis, quae in eiusmodi virum cadere solent, quae Ecclesiasticos ornant et commendant, illustre statuimus exemplum. Et quanquam iam laboribus exhaustus, senioque fessus, quieti sese tradidit: illud tamen de eo vere dici a me potest, quod Scipionem Aphricanum de se dicere solitum scribit Cicero, quod nunquam sit minus otiosus, quam cum est otiosus, minus solus, quam cum solus est, minus denique quietus, quam cum maxime quieti sese tradidit [6]. Nam et in otio, et quiete de Ecclesiae Dei negotijs, et religione Catholica apud se cogitat, et in solitudine secum ipse loquitur.

DEVS Opt. Max. tantum virum, tam fortem Ecclesiae suae propugnatorem, tam bene de religione meritum, Lumen denique Doctorum Ecclesiasticorum amplissimum et clarissimum, quam diutissime seruet incolumem, et post hanc vitam, pro exantlatis eius in Ecclesiae et religionis incolumitatem et incrementum laboribus, aeternam illi aeternae vitae coronam [7] benigne largiri dignetur."

2. *Ioannes Croeselius*, e Vilseck Bavariae oppido ortus, qui per octo annos universitatis ingolstadiensis bibliothecarium egit (*Mederer* II 17), partem harum laudationum quodammodo fecit suam, cum, Engerdo non nominato, in „Elogiis" suis scripsit: „Petrus Canisius, lumen et columen ecclesiae catholicae, vir diuini propemodum ingenij, et eruditionis incomparabilis, Philosophus eximius, Theologus profundus, et lectionis infinitae, Orator valde eloquens, Ecclesiastes pariter grauis et iucundus, etc." Deinde carmen ponit a Cornelio Loos (v. supra p. 498) in Canisii Catechismum compositum. Sequitur carmen:

---

[1] Scribendum fuit „Rosephium". Is Canisio in sacro suggestu cathedralis ecclesiae augustanae successit; v. *Can.* V 354 377.

[2] Bellum smalcaldicum fuit a. 1546 et 1547; Canisius autem in templo illo dixit circa a. 1551; v. *Can.* I 374² 395.

[3] Rector universitatis fuit a d. 18. Octobris 1550 ad 24. Aprilis 1551 (*Can.* I 363 698—709).

[4] Hoc saltem quod ad facultatem artium sive philosophicam attinet, fecerunt a. 1567 (*Can.* VI 560—562). Ceterum cf. *Can.* I 357 373.

[5] Mauritii de Hutten. Cf. *Can.* I 711—713.

[6] *Cicero*, De officiis l. 3, c. 1, n. 1.

[7] Iac 1, 12; Apc 2, 10.

„M. Ioan. Engerdi P. L. [1]
Canisivs magnus Socius ductoris Iesv,
Canities signat quem veneranda senem:
Cur non ante alios multa cum laude canendus,
Ardua quem tantum tot monumenta canunt?
Magnus Ioannes, quo non ingentior alter [2],
Materies illi magna laboris erat.
Altera maior erat mater castissima virgo:
Nunc superest Petro clauiger ille Petrus" [3].

1280. 1581.

Platzius Lutheranorum minister Canisium facit cum Lutheranis stantem et librum Ioannis Nasi O. Min. increpantem.

Conradus Wolfgangus Platzius (Placius, Platz) protestantium biberacensium (Biberach) minister, iam a. 1580 Tubingae contionem, qua ostendere volebat ecclesiam romano-catholicam reapse non catholicam, sed „cacholicam" sive prorsus malam esse, ediderat eique „salutationem christianam" vel potius epistulam criminosam ad Canisium addiderat: v. *Can.* VII 528. Idem deinde ibidem a. 1581 in lucem emisit libellum in 4°, 54 foliis non signatis constantem, qui sic inscriptus est: „Apologia Catholica. Das ist, Vier Christliche Catholische Schutz oder Schirmpredigen, von erleuterung des Christlichen Namens vnd wesens, auch der fünff angedichten Bäpstischen eigenschafften des Catholischen, wider die Vncatholischen Predigen Doctoris Caspari Franckens. Ein Dialogus Doctoris Petri Canisij, vnd D. Caspar Francken, vom Catholico, Cacholico per .i. vnd Cacholyco per .y. Auch Bruder Nassen Schmachschrifft wider das Christlich Concordibuch, ꝛc gehalten vnd gestelt, durch Conradum Wolffgangum Platzium, H. Göttlicher Schrifft Doctorem, ꝛc. Zur rettung der Christlichen, in Gottes Wort wolgegründten, Augspurgischen Confession, vnd deren Christlichen Concordibuch. Getruckt zu Tübingen, bei Alexander Hock Anno M. D. LXXXI."

In huius libelli litteris dedicatoriis, Biberaco 27. Aprilis 1581 datis, Platzius ait, contra contionem illam a. 1580 „wider das bappengaisch, sitküstig, vnverständlich Schreien Catholisch, Catholisch" a se habitam duas contiones editas esse a Caspare Franck (qui ex comitatus hagensis [Haag prope Monachium] contionatore lutherano a. 1568 catholicus et sacerdos, a. 1572 ingolstadiensis ecclesiae S. Mauritii parochus, 1578 professor Sacrae Scripturae in universitate ingolstadiensi factus erat). Has Franckii contiones iam sibi refutandas esse. Sequuntur quattuor Platzii contiones, deinde „Dialogus Doctoris Petri Canisij, vnd Doctoris Caspari Franck, vom Catholico, Cacholico, vnnd Cacholyco, in grossem geheim gehalten". In hoc dialogo Platzius Canisium in Lutheranorum partes transeuntem facit: hos vere catholicos esse; eos autem, qui se catholicos vocent, potius cacholicos sive omnino malos vel cacholycos sive instar araneae lupive malos esse. [Es] „thun wir deß Bapstumbs Schrifftliche schutzherrn, wie ein Spinn, auff was Gut vnnd recht wir sitzen, so verunreinigen wirs, vnnd machen Spinnen Gifft, souil an vns, darauß" (f. R iii^a). Tandem Canisius de „Examine chartaceae Lutheranorum concordiae" Ingolstadii a. 1581 a Ioanne Naso O. F. M. (v. *Can.* VII 170) edito sic inducitur iudicans: Scriptum illud esse [ein] „lotterbübisch, freyharts Bübisch holhippen, welchs nicht grauitetischen Theologis, sonder lotter vnnd Spitzbuben, Buppappern, vnd verschemeten schalcksnarren zusteht" (f. R iv^a). Quae verba ostendunt, Platzium eo ipso vitio laborare, quod in Naso reprehendendum esse dicit.

1281. 1581.

Georgius Nigrinus (Schwartz), parochus protestantium echzellensium (Echzell, in Hassia) et „superintendens", unus ex studiosissimis ecclesiae catholicae adversariis,

[1] I. e. Poëtae Laureati. [2] Cf. Mt 11, 11; Lc 7, 28.
[3] Iam igitur Ingolstadii notum erat, Canisium etiam de S. Petro Apostolo librum in lucem emittere velle.

in libro „Lehr. Glaubens vnd Lebens Jesu vnd der Jesuwider, das ist, Christi vnd Antichristi“ anno 1581 (sine loco) edito multa ex Canisii catechismo protulit et perperam interpretatus est (f. 1[b] 2[a] 39[a] 59[a] 82[b] 100[b] etc.); velut cum ait: Iustitia christiana, qualis in „catechismo Iesuitarum“ definitur ac describitur, idem est atque iustitia iudaica et ethnica (f. 98[b]).

1282. **A d. 22. Ianuarii ad 28. Decembris 1581.**

Orationes sacrae a Canisio a. 1581 ad Friburgenses habitae primum singillatim recensentur; deinde summatim de earum numero, locis, argumentis etc. agitur. Bacchanalia. Neglectus ieiunii. Poenitentia. Officiorum divinorum neglectus. Blasphemiae. Pietas maiorum. Confessionis et communionis frequentia. Passio Christi. Ebrietas. Falsus pudor. „Falsi Catholici.“ Oratio. Cultus sacrae eucharistiae, B. Mariae V., templorum. Primitiae sacerdotis. Missa. Foenerationes. Rosarium. Gratiarum actio pro messe. Preces pro mortuis. „Statuum“ varietas. „Hypocritae“ in contionibus. S. Nicolaus. „Notae veri Christiani“. Peregrinationes sacrae. Comitia populi. Ecclesia populusque romanus.

Adhuc exstant commentaria contionum a Canisio apud Friburgenses a. 1581 habitarum, eaque maximam partem manu ipsius Canisii scripta; reliquorum partem longe maiorem P. Robertus Ardrenus Canisii socius scripsit. Canisius omnia recognovit, emendavit, amplificavit, adnotationibus instruxit similiter atque superioribus annis Oeniponte fecerat: v. *Can.* VI 627; VII 612. Notandum est, in ritu dioecesis lausannensis, ad quam respublica friburgensis pertinet, evangelia nonnullorum dierum sacrorum ab evangeliis ritus romani diversa fuisse.

Commentario orationis sacrae Kalendis Ianuariis a. 1581 Friburgi Helvetiorum in templo S. Nicolai a Canisio habitae ab ipso Canisio adnotatum est: „Ob profectionem Lucernensem intermissa concio Dominicalis de Christo puero duodenni, et de nuptiis in Cana“ (Can. 36 f. 10[b]). Quae contiones habendae fuerant Dominicis I et II post Epiphaniam sive 8. et 15. Ianuarii. Cf. supra p. 1[1].

Sequitur in codice „De leproso et Centurione“ (Mt 8, 1—13) sive de evangelio Dominicae III. post Epiph. Commentarium huius orationis ex parte ab ipso Canisio et ex parte a P. Roberto Ardreno Canisii socio friburgensi scriptum est (Can. 36 f. 11[a]—17[a]): dicturus autem erat Canisius de miraculorum Christi „uero usu et fructu“ et de evangelio diei moribus emendandis adhibendo. Existimo tamen Canisium lapsu quodam memoriae hoc commentarium conscripsisse neque ipsam orationem habuisse: nam anno 1581 Dominicam II. post Epiphaniam statim secuta est Dominica Septuagesimae.

„Dominica 70.[ma]“ sive 22. Ianuarii 1581. „Qui vltimam meam concionem hic audiuerunt facile meminerint quod optarim et dederim omnibus et singulis felicem nouum annum cum hac additione vt nemo se in bono anno impediret sed quisque gratiam Dei oblatam sedulo acceptaret et noua cum diligentia vteretur, ac si esset annus vitae suae postremus. Hoc erat fundamentum super quod volui aedificare meas sequentes conciones quas cogito hoc anno continuare[a] cum gratia Dei.“ Explicat, „quomodo Euangelium [diei, sive Mt 20, 1—16] nos in catholica fide confirmet et nouos errores euertat“, „Cur caute viuendum et in timore ambulandum Christiano.“ „Quomodo nobis bene uertemus ordinationem Ecclesiae“ (ex commentario a P. Ardreno scripto et a Canisio recognito: Can. 36 f. 17[a]—20[b]).

„Dominica de sexagesima“ sive 29. Ianuarii 1581 evangelium diei explicat (ex comm. autographo: l. c. f. 22[a]—25[b]).

„Purificationis“ sive 2. Februarii 1581. „De benedictione candelarum“. „Meditanda circa canticum Nunc dimittis“ (ex comm. autogr.: l. c. f. 22[a]—28[b]).

a) *Sic C. ipse correxit ex vv. a P. Ardreno scriptis:* quas in principio huius anni incepi et nunc statui continuare.

„Dominica Quinquagesimae" sive 5. Februarii 1581. Explicat, cur, cum Christus pro „totius mundi peccatis factus sit propitiatio" (1 Io 2, 2), „plures damnentur semper quam saluentur, paucique sint electi". Deinde dicit „de bacchanalibus cum laude celebrandis". „Nolo veterem consuetudinem horum festorum penitus improbare, eamque abrogare puto impossibile fore licet apostoli etiam hodie praedicarent". His igitur diebus caritatem exhibeamus amicis, vicinis, iis maxime, a quibus offensi sumus vel quos offendimus; pauperes iuvemus; ostendamus nos laetari, quod tempus poenitentiae advenerit! (ex comm., cuius partem unam Canisius, alteram Ardrenus scripsit; l. c. f. 29ª—33ª).

„Die Cinerum" sive 8. Februarii 1581. Contra „Neochristianos" ieiunium ecclesiasticum defendit. „Quomodo Bono christiano 40ª sit auspicanda." Vbi haec, praeter alia, dicit: „Propone tibi quod velis ad laudem Dei et ex obedientia ecclesiae ab esu carnium abstinere, et ciborum delectum habere et si possibile sit in die semel comedere et contentum esse collatione · hoc enim est catholice ieiunare et praecepto ecclesiae satisfacere. Scio excusari pueros, puellas, grauidas, puerperas, senes, infirmos, pauperes, opifices. Si hunc jeiunandi morem non didicisti aut tibi intollerabilem esse putas experire saltem vt tribus diebus in hebdomade incipias jeiunare atque ita paulatim per dei gratiam disce te conformare perfectis catholicis qui sciunt ecclesiam esse matrem discretam [et] nulli maius onus quam ferre possit imponere. Abusus nunquam ieiunantium et semper se excusantium diuitum · vide diligenter et conclude tecum vt jeiunium tuum duas accipiat alas ad volandum in coelum misericordiam scilicet erga pauperes et orationem erga Deum · propone igitur quibus diebus et quantum velis praestare proximo siue vicino, siue absenti · tum certas preces tibi legendas sume; praesertim si legere possis psalmos poenitentiales vel de passione domini" (comm., l. c. f. 33ᵇ—37ᵇ).

„Feria 6 post Cineres" sive 10. Februarii 1581. „Dicam 1. quid requirat praeceptum de perfecta proximi, imo inimici charitate · 2 pauca de eleemosyna" (ex comm., cuius pars una a Canisio, altera ab Ardreno scripta est; l. c. f. 38ª—41ᵇ).

„Dominica .1. 40" sive 12. Februarii 1581. Evangelium diei explicat; deinde iterum ostendit, quid sit ieiunium et cur obseruandum sit. „Vt in principio 40.ᵐᵃᵉ dixi ita nunc etiam publice testari cogor quod inter omnia opera bona nullum sit nobis siue catholicis siue lutheranis tam inamabile, graue, asperum et amarum sicut ieiunium est omnibus ingratus fere hospes, quem nemo invitat sed omnes fere fugiunt et si possunt vsque ad hebdomadam poenosam excludunt. Diuites excusant, pauperes non possunt. Nullus est domi." „Vnde hic tantus torpor et tepor; vt persuaderi non possimus saltem 3 diebus in hebdomade ieiunio sanctificandis?" (ex comm., quod eodem modo, ac duo superiora, scriptum est; l. c. f. 42ª—46ᵇ).

„Concio 1. de Poenitentia", habita, ut videtur, feria V. post Dom. I Quadr., sive 16. Februarii · Exponit „causas tractandi posthac de Poenitentia" (ex comm. ab Ardreno scripto; l. c. f. 48ª—51ª).

„Secunda concio de Poenitentia", habita, ut videtur, feria VI. post Dom. I. Quadrag. sive 17. Februarii 1581. „Poenitentiam agite, appropinquauit [?][a] enim regnum coelorum" (Mt 3, 2; 4, 17; 10, 7). „Propositio: Vt melius et grundlicher hoc intelligatur, non erit abs re considerare ad quas personas haec uerba pertineant, secundo de qua poenitentia hic fiat mentio, 3.º quomodo uarij errores et false doctrine hac una sententia retundantur." Neque tamen tertia haec pars in hac contione explicata esse videtur (ex comm. ab Ardreno scripto; l. c. f. 48ª—57ª).

„Tertia Concio de poenitentia", habita, ut videtur, Dominica II. Quadrag. sive 19. Februarii 1581. „Propositio · Nunc uidendum superest de erroribus et falsis opinionibus uarijs occurrentibus et quosdam impedientibus circa hoc dictum Poenitentiam agite, et per illud ipsum reiectis et exclusis" (ex comm. ab Ardreno scripto; l. c. f. 57ᵇ—62ª).

„Quarta Concio" de poenitentia, habita, ut videtur, feria V post Dom. II. Quadr. sive 23. Februarii 1581. „Nunc cogor ex proxima concione duo repetere et clarius

a) *Sic omnino videtur esse corrigendum ex* appropinquabit, *quod scripsit Ardr.*

declarare. nempe quid nomine poenitentiae intelligatur. et 2 · an uerum sit illud prouerb · Nicht mehr sündigen ist die beste büoss 3. Dicam. quomodo magnam et uariam nobis consolationem praebeant illa Christi uerba. Appropinquauit [a] regnum coelorum[d]. Cras deo uolente dicam apud S. Nicolaum. cur nemo grauare se debeat in poenitentia exercenda." Ex postremis hisce verbis collegeris. Canisium quadragesimales has contiones fere semper in templo B. Mariae Virginis habuisse: id quod proxima contione plane confirmatur (ex comm. ab Ardreno scripto: l. c. f. 62^b—68^b).

„In festo Mathiae Apostoli": quod erat feria VI. post Dom. II. Quadr. sive 24. Februarii 1581. „Hoc solum dicam. me ualde optare et petere. ut eiusmodi apostolica festa quae saepe in anno incidunt diligentius et deuotius a nobis obseruarentur. Multi in illorum vigilijs non ieiunant licet Ecclesia praecipiat. . . . 2. Non pauci sunt qui apostolica festa non magis honorent quam reliqua festa sanctorum id est ualde negligenter et ex more magis quam deuotione. 3. Communis uulgus tali tempore uix uisitat templa. . . . 4. Ex centum uix vnus uidetur post prandium in uesperis. et plures in foro fabulantur. et potant in hospitio. quam orant in templo. magisque curant carnem quam spiritum. et spiritualia exercitia. etiam hoc sacro tempore. sicut diebus etiam Dominicis manifeste uidetur. Miror magistratus non magis uigilare sed conniuere nec melius exemplum praebere alijs". . . . „Ego hactenus ut nostis apud B. Virginem meas conciones eo ex magnis causis institui et direxi. ut de poenitentia darem auditoribus bonam et utilem informationem. idem et nunc facere cogitaui in hodierna concione. . . . Eritque haec concio quasi generalis ad poenitentiam exhortatio. quam cupio cum fauore et diligenter audirj et considerari." „Jn eo poenitentiam plurimi ponunt. si in genere tantum confiteantur ad quadrantem horae sacerdoti et accipiant absolutionem. et ita confitentur vno anno sicut altero" (e comm.. ab Ardreno scripto: l. c. f. 69^a—76^b).

„Dominica Oculi" (Dom. III. Quadr.) sive 26. Februarii 1581. „Propositio. · Dicam primum pauca de vsu huius Euangelij. 2. quomodo daemon a christo uictus sit. et tamen in hoc mundo tam potenter dominetur. non solum apud infideles. sed etiam christianos. 3. quibus modis daemoni et potestati eius probi christiani repugnent." Vbi haec. praeter alia. monet: „O si Deus zelum christianum magis [accenderet] ad puniendos die Gotts Lesterer. Marterhansen. Sacramentstürmer. vnnd Kirchenschender. et alios in more habentes. ut leui de causa Dei nomen. Christi crucem. vulnera eiusque sacramenta et elementa ore impio profundant. Talem disciplinam discimus in militia. et postea docemus nostras uxores et proles. ut uix unquam fuerit tam commune populo peccatum iurandi. et blasphemandi." „Cum primum nostri maiores euigilarent. et e lecto surgere uellent. hunc morem seruarunt. ut dextera manu signum Crucis facerent. Jdem faciebant et in fine diei cum lectum peterent . . . habebant consuetudinem non egrediendi e templo post missam finitam, nisi aquam benedictam a sacerdote aspersam accepissent" (e comm. ab Ardreno et Canisio scripto: l. c. f. 77^a—82^b).

„Quinta Concio de Poenitentia". habita, ut videtur. feria V. post Dom. III. Quadr.. sive 2. Martii 1581. De prima parte poenitentiae sive de contritione (e comm. ab Ardreno scripto: l. c. f. 83^a—86^a).

„VI. Concio" [de poenitentia], habita, ut videtur, feria VI. p. Dom. III. Quadr. sive 3. Martii 1581. Iterum de contritione (e comm. ab Ardreno scripto; l. c. f. 86^a—89^a).

„VII. Concio" [de poenitentia], habita, ut videtur, Dominica IV. Quadr. sive 5. Martii 1581 (e comm. ab Ardreno scripto; l. c. f. 89^b—91^a).

„Octaua Concio quae 1. est de Confessione"; quae feria V. post Dom. IV. Quadr. sive 9. Martii 1581 habita esse videtur: nam in oratione postridie huius diei habita Canisius evangelium Lazari resuscitati explicavit. Hoc autem in *Missali* dioecesis lausannensis, ad quam Friburgum pertinebat. est feriae VI. post Dom. IV.

a) *Correxi ex* Appropinquabit.

Quadr.[1] De variis confessionis generibus. „Vbi fundatur" confessio sacramentalis? „De fructibus ex confessione sequentibus." „Ad crebram confessionem jnductiua." „Non est breuior et certior uia reformandi Christianitatem, nisi ut fideles reducantur ad antiquum morem deuote orandi, saepe confitendi, et communicandi. Quo autem longius discessum est ab ecclesia primitiua, et apostolica, in hisce salutaribus exercitijs, eo magis amisit populus primum feruorem spiritus, et factus est infirmior, in interiore homine" (ex comm. ab Ardreno et Canisio scripto; l. c. f. 91ᵃ—97ᵇ).

„Exordium. Proposui mihi duo expedire in hac contione 1 de Euangelio quatenus seruit nobis ad susceptam materiam de poenitentia et confessione, sicut heri promisi. „Cur hodie confessio a multis contemnatur uel parum curetur, et in plurimis fructus eius impediatur" (e comm. ab Ardreno et Canisio scripto; l. c. f. 91ᵇ—103ᵃ). Contio haec habita esse videtur feria VI. post Dom. IV. Quadr. sive 10. Martii 1851.

„Dominica passionis" sive 12. Martii 1581. Dicit de passione Christi consideranda, animis „ad agnum paschalem edendum" parandis, confessione peccatorum facienda[2]. „Tacere non debeo, ut parentes et patres familias curent sedulo, seruos, ancillas, filios et totam familiam monere et impellere ad confessionem cito et certo tempore faciendam, neque ad ultimum usque diem differendam, sicuti fieri solet. . . . Fideliter moneo, ut nullus putet esse necessarium semel tantum confiteri, imo multo consultius ac utilius foret, aliquot diebus ante communionem expurgare conscientiam apud confessorem, et accipere ab eo absolutionem ac deinde cum tempus communicandi, se apud confessarium reconciliare, et breuiter confiteri de occurrentibus et grauantibus conscientiam, sicut in alijs multis locis laudabiliter fieri solet, ut bis quisque confiteatur. . . . Admonitos uelim omnes, ne quis facile suspicetur et iudicet de proximo, quod multis peccatis sit oneratus, quandoquidem diu manet et detinetur in confessione; . . . optandum esset meliorem obseruarj ordinem et honestatem ab ipsis confitentib., qui saepe et confitentem et confessarium impediant, quia nimis prope assistunt, ac se ipsos nimium premunt, et tam immodeste agunt ut pudor sit sic uidere" (e comm. ab Ardreno scripto; l. c. f. 103ᵇ—123ᵃ). Plura v. infra, mon. 1283.

„Alia concio de confessione peccatorum", habita, puto, feria V. post Dom. Pass., sive 16. Martii 1581. Confessionem non esse impossibilem. De peccatis gravibus a levibus dignoscendis. De „Casibus Bullae [Coenae] reseruatis" (e comm. ab Ardreno scripto; l. c. f. 123ᵇ—127ᵃ).

„Vltima Concio de Confessione", habita, puto, feria VI. post Dom. Pass. sive 17. Martii 1581. „propositio · Nunc dicam de quibusdam peccatis quae licet communiter grauia sint, et mortalia, tamen a communi uulgo parum aut nihil curantur, et ideirco etiam non habetur cura confitendj, et tamen hodie ualde regnant". Eiusmodi peccata esse „duritiem erga pauperes, etiam in summa necessitate constitutos", „negligentiam et pigritiam in cultu Dei exteriore et interiore", „peccatum linguae incircumcisae", „impudicitiam", neglectum officiorum „ad specialem nostram uocationem" pertinentium. „Peccatum quod hic mundus pro nihilo ducit, est ebrietas in omni statu praeualescens, cum persuasione se non posse aliter laetari et tractare amicum debite nisi sequatur ebrietas, et propterea non esse peccatum, nisi sequatur Vomitus, einer habe dan wider vssgeworffen, oder er werde hernacher gar kranck. Qui maxime debebant corrigere, sunt primi"[3] (e comm. ab Ardreno scripto; l. c. f. 128ᵇ—129ᵃ; 136ᵇ—138ᵃ).

[1] *Missale* ad vsum Lausannensem de nouo impressum . . . reuisum . . . per *Sebastianum de monte falcone* episcopum Lausannensem et principem. Lugduni 1522, f. XLV.

[2] Hoc tempore Passionis, ait Canisius in hac contione, „rot ut blûtfarb in uestibus [ecclesiae] ostenditur".

[3] „L'usage immodéré du vin . . . était une source intarissable de désordres. Les cabarets se multipliaient, et il n'était pas rare de voir des adultes y conduire des enfans en bas âge pour les enivrer et les depouiller ensuite": *Berchtold*, Histoire du Canton de Fribourg III, Fribourg en Suisse 1852, 9—10.

„Jn Festo annunciationis Mariae". quod. quia die suo sive 25. Martii propter „hebdomadem maiorem" agi non poterat. ex antiquo complurium ecclesiarum more (cf. *A. J. Weidenbach*, Calendarium historico-christianum. Regensburg 1855. 193. et *Can.* III 642) sabbato ante Dominicam Palmarum sive 18. Martii 1581 anticipabatur. „Haberem bonam occasionem tractandi de angelica salutatione. quam Ecclesiae hostes ferre non possunt. ac etiam explicandi mirabilem dialogum duarum personarum in hoc Euangelio colloquentium. sed his omissis mihi proposui simplicibus ostendere. quomodo Euangelium hoc seruire ipsis possit ad uerum vsum Eucharistiae percipiendae. Etenim cupio dicere aliquid pro his qui hodie et cras incipient ad mensam Domini accedere" (e comm. ab Ardreno scripto: l. c. f. 129ᵇ—130ᵃ; 132ᵃ—133ᵃ).

„Jn die Palmarum" sive 19. Martii 1581. De nominibus et ratione hebdomadis maioris dicit et eam operibus poenitentiae colendam esse ostendit. „Nunc . . . ex pudore multi non eunt in Ecclesiam. non geniculantur. non adorant sacramentum. non honorant crucem. imagines Christi. et sanctorum. non libenter manent in sacro . . . non pudet mulieres portare die Zöpf. harlöcken. samment. argentum. gemmas. pulchras uestes. pudet autem portare rosarium" (e comm. ab Ardreno et Canisio scripto: l. c. f. 127ᵇ 130ᵇ—131ᵇ; 133ᵇ—136ᵃ).

Die Parasceves sive 24. Martii 1581. „Quoniam de passione tota concio habenda est. primum dicam quas uias quosque transitus fecerit Christus tempore suae passionis. 2. Quod passio eius libenter audiri et magni fieri debeat. 3. quomodo nullum anni tempus ad passionem eius audiendam uel praedicandum sit aptius quam hoc sacro die parasceues 4. quid christus passus sit a tempore matutino dicti diei parasceues usque dum Pilatus christum ad mortem publice adiudicauit. postea dicemus. quare Christus cum cruce uoluerit educi. et in illa crucifigi et post crucifixionem in eadem cruce .7. uerba proferre. 5. quid circa mortem et post mortem eius acciderit usque dum in monumento et sepulchro collocaretur" (e comm. ab Ardreno et Canisio scripto: l. c. f. 138ᵇ—160ᵃ).

„Jn die Paschatis" sive 26. Martii 1581 „diei paschalis excellentiam" ostendit: deinde ex evangelio diei „de Marijs dominum ungentibus" dicit. monens. ut earum exemplo „pascha nostrum cum gaudio celebremus et illo decenter et christiane utamur" (e comm. ab Ardreno et Canisio scripto: l. c. f. 163ᵇ—168ᵇ).

Deinde *Ardrenus* haec scripsit: „Nota post diem Paschatis. et sequenti Dominica nullam habitam esse concionem." „Sequitur Euangelium secundae Dominicae" post Pascha sive 9. Aprilis 1581. „Propositio." De hodierno Euangelio „primum tractabimus. deinde cur non habeamus tales pastores et praelatos hodie quales desideramus. et qui etiam cum Christo dicere possunt: Ego sum pastor bonus. 3. Expendemus et explicabimus ultimam hodierni Euangelij sententiam: Et erit unus pastor et unum ouile." „Quid de illis iudicandum. qui credunt omnes Christi fideles. qui confidunt per Dei gratiam et christi merita. se iustificari et saluari. quamcunque tandem fidem et religionem acceptent. [saluari]? Vnde nihil curant iam huic iam illi sectae se conformare. . . . Non sunt ferendi pestilentes illi. siue sint in oppido. siue in pago. siue in aulis. quia sunt quasi irrisores religionis. et habent linguas serpentinas. ad alios inficiendos. sunt et seductores simplicium. et maxime filiorum. qui propter tales parentes saepe apud externos fidem catholicam deserunt et redeuntes domum fratres. sorores in fide catholica corrumpunt. aliquando totam suam cognationem. et patriam. nouis et impijs erroribus maculant. perdunt. Vnde mirum est catholicos magistratus. qui uolunt suam religionem retinere saluam et integram. hic saepe dormire neque curare ut tales falsi catholici puniantur, qui multo peiores sunt [quam] adulterantes nummum uel pro cibo bono uendentes uenenum in foro" (e comm. ab Ardreno et Canisio scripto: l. c. f. 169ᵃ—180ᵇ).

„Jn festo S. Marci" sive 25. Aprili 1581. „Quomodo aduersarij processionum institutum carpant." „Praecipua fundamenta processionum" „De fructu et vsu" earum (e comm. ab Ardreno et Canisio scripto: l. c. f. 180ᵇ—189ᵃ).

Dominica V. post Pascha sive 30. Aprilis 1581 evangelium diei explicat; deinde ostendit. „quid sit oratio". et „cur sepe et libenter orare debeat quisque" (e comm. ab Ardreno et Canisio scripto: l. c. f. 189ᵇ—198ᵃ).

„1. Maij quando incidit in 2. Feriam Rogat: 1581." „Propositio. Pergam in materia heri promissa de oratione praecipue tractaturus. Primum est. An recte faciat Ecclesia praescribendo processiones et letanias 2 uolens inuocari sanctos 3 exigendo communem orationem omnium" (e comm. ab Ardreno scripto; Can. 39 f. 3^a—8^a).

„2. Concio"; quae feria III. Rogationum sive 2. Maii 1581 habita esse videtur. „Propositio. Dicam de duplici genere tentationum, manifesto et occulto, circa orationem accidenti, nosque fructu orationis priuanti: Alterum est quomodo simplices tum in oratione tum in processione se habere debeant ut recte et christiane se gerant in cultu Dej, hoc tempore quo mundus circa orationem tam indigne et irreuerenter se gerit" (e comm. ab Ardreno scripto; l. c. f. 8^b—12^a).

„Jn festo ascensionis Domini" sive 4. Maii 1581: „Qui hodie sint similes discipulis et digni quib. Christus exprobret incredulitatem et duritiem cordis in his quae ad fidem et religionem spectant" (e comm. ab Ardreno scripto; l. c. f. 12^b—18^a).

„Dominica post Ascensionem" sive 7. Maii 1581: „Quod, cur et quomodo se christianus praeparare debeat ad festum Penthecostes." „Ego duo tantum media proponam quae magis salutaria et efficaciora uidentur, nempe sacram confessionem et communionem circa hoc festum exercenda" (e comm. ab Ardreno scripto; l. c. f. 18^b—23^a).

„Jn festo translationis reliquiarum sancti Nicolaj" sive 9. Maii 1581 (e comm. ab Ardreno scripto; l. c. f. 23^b—30^a). Plura de hac contione vide infra, monum. 1285.

Deinde Ardrenus notavit (f. 30^b): „Desunt Conciones de festis Pentecostes ob profectionem Solodornensem."

„IN FESTO SANCTAE TRINITATIS" sive 21. Maii 1581. De diei sacri ratione; de eius evangelio; de baptismo; „de futura processione corporis Christi" pie agenda (e comm. ab Ardreno et Canisio scripto; l. c. f. 30^b—34^a).

„De Corpore Domini" die festo Corporis Christi sive 25. Maii 1581. „Si quis nesciret, quam ingens, laetum et honorificum hoc festum esset, is merito hoc perciperet ex his quae hodie in hoc oppido facta sunt et uisa publice; . . . uenerabile Sacramentum per plateas deducunt . . . cum brinnenden kertzen, mit simbelen, Trumpetten, seitenspiel vnd orgel, cum canticis spiritualibus, mit gruinem grass vnd mayen, mit aussgespreiten bluimen". „De festi vtilitate" (e comm. ab ipso Canisio scripto; l. c. f. 34^b—37^a).

„2^a concio de Eucharistia": quae habita est 26. Maii 1581; nam Canisius in eius exordio: „Ne miremur", inquit, „tam multos esse contemptores et irrisores hesterni festi et nostrae Catholicae deuotionis, quam quotidie per octauam istam exhibemus uenerabili sacramento." Ostendit, „quomodo uera fides de hoc sacramento confirmanda ut pura maneat, et immota hoc seculo", et „cur nullus grauari debeat Christum in sacramento semper et per hanc octauam specialiter uenerari" (e comm. autogr.: l. c. f. 34^b—39^b).

„Ad noui sacerdotis primam Missam apud B. Virginem", contio habita, ut ex evangelio a Canisio explicato colligi potest, Dominica intra octavam Corporis Christi sive 28. Maii 1581. „Nos christiani hodierno die in hac dei domo ex illa causa congregamur, quod nouus sacerdos sibi proposuerit primam suam Missam hic celebrare et offerre." Cur fideles eiusmodi primae missae „libenter intersint". „Ex speciali deuotione offerimus super altare quantum sponte uolumus in hoc primo sacro in signum nos ex corde cupere participationem huius primi et omnium quae posthac celebrabit toto orbe sacrificiorum." „Sed dicis, Vbi manet Euangelium? Audi quaeso mi frater. Quid continet Euangelium, nisi quod homo quidam fecit magnam [cenam] et uocauit multos" etc. (comm. autogr.; l. c. f. 49^b—51^b).

„Jnitium 3 contionis" de Eucharistia, habitae infra octavam Corporis Christi (27.—30. Maii). „Incidit quaestio, cum tanta sit dignitas huius sacramenti, quam nos nec uerbis eloqui, nec mente complecti possumus, annon idcirco possimus et debeamus auocari et deterreri a sumptione sacramenti? De hoc ergo primo dicemus: Deinde an sit laudabile et consultum, ut boni Christiani in Dei timore gratiaque uiuentes, saepe mensam dominicam adeant. 3 Si id bonum et laudabile, cur tam pauci soleant com-

municare [saepius]." In qua tractatione Canisius haec, praeter alia, notat: „Anima non minus eget pane suo quam corpus, quod quotidie pane uesci solet et debet vt sustentet se atque confortet in hac vita. Hic uero panis est qui de coelo descendit [Io 6, 33 41 50 51 59] et panis quotidianus ac supersubstantialis dictus [Lc 11, 3; Mt 6, 11]. . . . Cur nos tedeat ac pigeat hic sequi exempla . . . primorum et optimorum fidelium qui Apostolorum aetate uixerunt, pleni Spiritu sancto, perseuerantes in fractione panis [Act. 2, 4; 2, 42; 4, 31]. . . . Licet paulatim remitteretur hic feruor et mos quotidie communicandi, tamen Augustinus hanc tradit regulam: Quotidie communionem percipere Eucharistiae (in Aphrica scilicet) nec laudo, nec reprehendo: omnibus tamen dominicis diebus communicandum suadeo et hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit. En discretum Doctorem, cuius consilium non praeceptum audimus de communione hebdomadaria" [1] (e comm. autogr.: l. c. f. 40ª—42ª).

„De Missa concio prima" habita infra octavam Corporis Christi (28.—31. Maii 1581). „Quare Missa in honore magno habenda, et ex uera deuotione saepe audienda sit" (e comm. autogr.: l. c. f. 42ᵇ—44ᵇ).

„De Missa recte et utiliter audienda": quae videtur esse secunda contio de missa, eaque inter octavam Corporis Christi (29. Maii—1. Iunii) habita (comm. autogr.: l. c. f. 45ª—49ª).

„Dominica 4ᵃ post Pentecosten sive 11. Iunii 1581. Ex evangelio diei Canisius dicit: 1. „De vera conuersione et poenitentia", et „cur Dei misericordia et Christi gratia tam paucis prosint"; 2. „De peccato murmurationis" contra Deum, praepositos ecclesiasticos et civiles, socios (comm. autogr.: l. c. f. 51ᵇ—55ᵇ). Plura vide infra, monum. 1287.

Sequuntur haec verba manu Canisii scripta: „Desunt Euangelia duo Dominicalia uel tria." Deinde eadem manu: „Jn Festo Petri et Pauli Apostol." sive 29. Iunii 1581. In fine commentarii: „Summa praeteritae concionis. Quomodo nos festum cum suo Euangelio letificet et confirmet in ueteri fide 2. quomodo lugere nos faciat 3 unde tam pauci erga Rom. Ecclesiam debite afficiantur et reuerenter obedienterque se gerant" (e comm. autogr.: l. c. f. 56ª—59ᵇ). Plura vide infra, monum. 1288.

„In festo B. Mariae Magdalenae" sive 22. Iulii 1581. „Tria puncta 1 Quomodo Euang. cum suo festo nos confirmet in uera Cath. fide 2 quomodo peccatores in cordiali tristitia consoletur 3 quomodo moneat et impellat nos et peccatores omnes ad ueram poenitentiam et emendationem uitae" (comm.: l. c. f. 60ᵇ—62ᵇ).

De evangelio villici (Lc 16, 1—9), quod legebatur Dom. X. p. Pent. [2]: quae erat 23. Iulii 1581 [3]. Qui „peccant contra praeceptum Facite uobis amicos" [de mammona iniquitatis? Lc 16, 9]. „Quomodo Euang. seruiat ad timorem domini discendum." In priore parte Canisius haec, praeter alia, monet: „Diuites contra hoc praeceptum peccant suis usuris. Commodant hoc anno vinum, frumentum, pecuniam, ut sequenti anno plus recipiant et exigant. Mutuant pecuniam, ut plus sorte recipiant, et obligant debitorem ad aliud quam ad reddendum aequale . . . nec excusat eos lex patriae uel principis qui permittere potest usuras non puniendo sed tolerando ad maius malum euitandum. . . . sed non potest approbare guitheissen, vnd gebieten, quod lex dei et naturae damnat; permittit Ecclesia Iudeos in sua perfidia manentes, permittit lupanaria ob maius malum fugiendum, sed non approbat" (comm., l. c. f. 63ª—65ª).

„Jn festo Jacobi Apostoli" sive 25. Iulii 1581. „1° de causis mouentibus ad eleemosynam et opera misericordiae. . . . Quomodo celebrandum hoc festum" (comm.: l. c. f. 65ª—67ª).

---

[1] De hac Gennadii Massiliensis sententia, quam olim multi existimabant esse S. Augustini, v. *Can.* I 209¹; IV 558⁵.

[2] *Missale* Lausannense f. cxix.

[3] *Canisius* in contione die S. Iacobi Apostoli sive 25. Iulii habita: „In proxima Dominica", inquit, „Euangelium audiuimus de infideli schaffner, qui astutia sua sciuit sibi prouidere, ut in necessitate haberet refugium" etc. (comm.: l. c. f. 65ª).

„Apud leprosos in festo dedicationis templi.“ Deus hoc loco voluit „spiritualiter matrem suam benedictam honorari a multis, qui eius intercessionem illic efficacem experirentur sicut multi hactenus experti sunt et adhuc experientur. . . . Quam prudenter instituerunt maiores, ut hic templum et [?] simul et domus leprosorum iungeretur. . . . Dispositio · Duplex hodie nobis Euangelium datur unum de Dominica, alterum de dedicatione templi. Jllud habet historiam de Christo in Hierusalem die palmarum ingrediente cum lachrymis 2 urbi minitante. 3 eijciente mercatores e templo. Hoc habet alteram historiam de Zacheo in Jericho conuerso . . . Propositio: dicam 1 de dedicatione templi 2 cur templa amare et honorare oporteat 3 quomodo utrumque Euang. nos doceat uere honorare templa, vt nobis prodesse possint.“ Ex his verbis intellegitur, Canisium hanc orationem Dominica XI. post Pentecosten sive 30. Iulii 1581 habuisse in ecclesia Beatae Mariae Virginis in Monticulo (Bourgillon, Bürglen) prope Friburgum sita[1] (comm.: l. c. f. 67b—70a).

„De Pharisaeo et publicano“: quod erat evangelium Dominicae XII post Pent. sive 6. Augusti 1581. „De duobus erroribus circa Euang. incidentibus. Primus ex Euangelio confirmat nouam et falsam et pestiferam doctrinam, nempe peccatorem coram deo iustificari sola fide. . . . [2.] Nouus mundus publicani exemplo se nimium in suis peccatis consolatur, quasi nihil praeterea requiratur ad remiss. peccatorum et reconciliationem cum Deo, nisi stare illic, agnoscere se peccatorem, tundere pectus et dicere 5 uerba. . . . Qui sunt hodie praecipui publicani, qui egent conuersione maxime ad Deum, et humiliatione coram Ecclesia“? Canisius respondet: „Usurarii“, „Wucherer“. „Dicam autem primum me ualde cupere, quod nullus mihi male uertat, quod de usurarijs nostri publicani socijs et fratribus aliquid in hac et sequenti concione proponam. Est enim usura communis morbus quo multi Friburgi infecti iacent, nec curari potest nisi primum agnoscatur ab aegrotis ipsis.“ Quid est usura? „Est Gelt oder gelts wert aussleihen, vnd darfur weiter oder mehr einnehmen, dan man aussgelihen hat · Exempla · Mutuo tibi centum, cum spe uel conditione, quod mihi reddes centum et vnum. 2 Vendo tibi cannam panni qui ualet ducatum, et quia solues post annum, uolo mihi ultra ducatum pendas pondus uel so uil grossen 3. Mutuo tibi 6 uel 10 florenos aut coronatos, vt post annum reddas tantundem cum vitulo, oue uel caseo. . . . Quando usura fuit communior in omni statu? quando magis enormis, crassa intolerabilis? En diuites nostros, habent pro more ut ociose uiuant uitam splendidam et pomposam et in omni fastu; . . . usuram exercent et ex ea causa tot pauperum damno ditescunt, nunquam uolunt negociari, sed sine periculo et damno semper lucrari solo mutuo, accipientes pro centum 5 · 6 · 7 et amplius. 2 En pauperes seruos et ancillas in more habentes, quod pecuniam dant ad usuram, et pro coronato accipiant cruciferum[2]. 3 En mercatores qui pannum tam care aesti-

[1] Vide *Laur. Burgener* O. F. M., Die Wallfahrtsorte der katholischen Schweiz II, Ingenbohl 1864, 128—130; *Dellion* VI 457—469; *[Aloys. Comte,]* Unsere Liebe Frau von Bürglen, Freiburg (Schweiz) 1917, 9—16.

[2] Haec fortasse severius dici quis existimaverit; ut cum Canisius eum quoque fenerationis sive usurae reum facere videtur, qui mutuos det centum nummos „cum spe“ sive sperans fore, ut sibi centum et unus reddantur. Malitia usurae certe in eo est, quod, ut *S. Thomas Aquinas* ait, „venditur id quod non est“ (Summa Theologica 2. 2, q. 78, a. 1). Ad venditionem autem conventio quaedam vel pactio, vel plane diserteque facta, vel saltem tacita, requiritur, neque sola spes sufficit. At notandum est, Canisium orationem hanc germanice, non latine (ut in codice scripta est), habuisse. Fortasse igitur ita locutus est, ut pactum saltem tacitum ab eo significari auditores intellegerent. Ac propterea forsitan in commentario scripsit: „cum spe uel conditione“. Mirum quoque videri potest, quod Canisius neque ullam ex causis illis sive „titulis“ commemorat, ex quibus aliquid ultra sortem exigi posse iam veteres concesserunt, velut periculum sortis, damnum emergens, lucrum cessans etc., neque auditores monet, alias ab iis fieri posse pactiones, quibus ex pecunia sua iuste aliquid lucrari possint; id quod haud obscure significatum erat in responso illo paucis

mant et uendunt, sicut uolunt . . . diuites deuorant alios diuites, unus mercator alium perdit biss das er banckerotten spilt, debet cedere bonis et domum omniaque sua relinquere et profugus esse. . . . Precor omnes peccantes, vt se publicanos in peccatis factis statuant, et cum publicano nostro cogitent se uelle iustificari, et ad hoc proponant ad festum B. Virginis[1] in templum uenire et in spiritu uerae reconciliationis cum Deo factae purgare conscientias sacramento confessionis, et accipere agnum dei, qui tollit peccata mundi, et ita se unire cum Christo in sacramento Eucharistiae. Talis cultus placet Deo, et benedictae Virgini, et conuenit tali festo, quod vnum ex praecipuis est totius anni quatuor, et merito cum singulari deuotione et praeparatione celebrari deberet a probis christianis omnibus, praesertim hoc tempore, quo mirabiles mundi in uicinia nostra grassantur. Spero, quod multi qui B. Virgini sunt deuoti, hanc meam admonitionem acceptare, et executioni demandare curabant" (comment.: Can. 39 f. 70^b—74^a).

„In festo S. Laurentij" sive 10. Augusti 1581. Huius festi diei rationem explicat. Addit „fusiorem de usura tractationem." Usurarii „pecuniam suam elocant tali spe et intentione, quod mereri possint quinque uel amplius pro centum mit irem Jnteresse, quodque ultra summam capitalem exigunt ab illo, qui pecuniam accepit. Haec manifesta usura cum pacto expresso facta ut detur aliquid ultra sortem ita ut dans sit sine periculo et certus de lucro, accipiens autem laborem et periculum solus habeat." Deinde ostendit, „cur probi Christiani festum Assumptionis [Beatae Mariae Virginis proxime agendum] sibi specialiter commendatum habere, et in eo communicare habeant." „Cogitetis Friburgenses, quantum debetis Deiparae uirgini, quam uestri maiores in tanto habuere honore, ut quotidie audirent cantari Missam de b. uirgine. 2 Huic plus debetis quia singularis Patrona totius Episcopatus Lausannensis[2], et tot seculis in illo honorata a Clero et populo. 3 Haec Regina conseruans et ornans die lobliche Catholische inuictos Eidgenossen, et in hunc usque diem tot miracula facit, tamque gratiosa est in Einseittel[3], sicut longe lateque non uidemus in Germania" (comm.: l. c. f. 74^a—78^a).

„Dominica 12 [post festum SS. Trinitatis sive 13. post Pentecosten] de surdo et muto" (13. Augusti 1581). Ex evangelio diei caerimonias ecclesiae contra „mundum nouum" defendit; deinde ostendit, „quomodo ad festum [Assumptionis B. Mariae Virginis] disponere se quisque debeat." „Laus Virginis apud Friburgenses. Patrona cantonum omnium, qui tam insigne et famosum templum illi in Einsittel dedicarunt, in quo Deus tot per matrem benedictam facit miracula hactenus 2 Patrona Episco-

---

mensibus ante a delectis illis Societatis theologis Romae dato et a Gregorio XIII. confirmato (v. supra p. 64); quod tamen fortasse nondum in eius manus venerat. Fortasse Canisius haec confessariis relinquebat singillatum excutienda et definienda. Hoc quoque notatu dignum est: Plurimi Friburgenses illius temporis — id quod ex Manarei et Canisii testimoniis colligitur (cf. monum. 1294) — neque mercaturas faciebant neque in artificia incumbebant. Ita eorum pecunia revera sterilis et infecunda erat; et si quis eorum ab eo, cui illam mutuam dabat, plus exigebat, quam dedisset, revera „vendebat, quod non erat", seu, ut oecumenicum Concilium Lateranense quintum (Sess. X. sive V. sub Leone X.) in feneratione definienda et describenda ait, „ex usu rei, quae non germinabat, nullo labore, nullo sumpto nullove periculo lucrum fetumque conquirebat". Canisii animo verbum illud Salvatoris obversatum esse puto: „Benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes": Lc 6, 35. Ceterum Canisius, si tunc rigorosius dixit, postea sententiam moderatus est. Nam in mandato magistratuum friburgensium 8. Augusti 1587 de pactionibus recte faciendis dato, ad quod ipse magnam operam contulit, varii indicantur modi, quibus quis ex 100 5% salva religione accipere possit; v. infra, monum. 1436.

[1] Festum Assumptionis B. Mariae Virginis significat, quod 15. Augusti agitur.

[2] Ad hunc Friburgum pertinet.

[3] Einsiedeln (Eremus B. Mariae Virginis).

patus Losannensis singularis et totius ditionis Friburgensis a Clero et populo honorata [1] 3 Ex principalibus templis urbis unum illi extructum et a pijs frequentatum 4 Singulis sabbatis illi cantatur multis praesentibus Salue [2] 5 Quotidie cantatur Missa de Virgine per totum annum, et in nulla alia plures adesse solent 6 Quotidie pulsatur mane et vesperi Aue Maria, portantur rosaria" (comm.: l. c. f. 78ᵇ—81ᵃ).

„Assumptio Virginis" sive 15. Augusti 1581. Sacrum hunc diem perperam a „novo mundo" neglegi ostendit. „Abusus Catholicorum in Mariam peccantium" recenset. In quorum numero haec ponit: „Dicunt bonum esse salutare Virginem, sed nullum habent usum Rosarij, imo puderet eos gestare Pater noster. Vnde mulieres tantum manent in hoc more gestandi. . . . Pueri olim in sabbato recitare debebant rosarium et puellae sub uesperam . . . 30 dies usque ad Natiuit. Virginis in precio habebantur, et das Kronengebett dicebatur . . . ibant ad hoc templum saepe." Ex postremis hisce verbis conici potest, Canisium hanc orationem in templo B. Mariae Virginis habuisse (comm.: l. c. f. 81ᵇ—84ᵇ).

„Jn die S. Bartholomei [24. Augusti 1581] processio ad agendas Deo gratias ob acceptam aeris serenitatem" „Nullus miretur, nedum inique ferat quod nostri superiores spirituales pro bono duxerunt, hodierno die singularem institui processionem. . . . Talis insolita processio assumitur et peragitur, ut . . . omnes ad communem orationem exercendam inuitentur hoc loco, qui in laudem dei praecipue, et in memoriam S. Bartholomei dedicatus [est], ut eius memoria quotannis hic a pijs celebretur [3]. Dicam primum, quibus ex causis libenter obedire debeamus dictis superioribus, et debitam gratiarum actionem et orationem exequi diligenter, secundo quae requirantur ut eiusmodi gratiarum actio et praecatio deo in coelis grata, et nobis in terris utilis et fructuosa sit." „Hic annus uarijs modis ab initio nos terruit, consideremus longam et frigidam hyemem, et grauem pruinam pluuiamque frequentem, Vnde multi putarunt futuros paruos aut nullos prouentus in frumento uino et fructibus, secuturam charistiam. Quid uero factum est, quod uidemus plus et melius omnia contigisse, quam quis putasset et deum nobis ita benedixisse ut ipsi mirari debeamus" (comm.: l. c. f. 85ᵃ—88ᵃ).

„Jn festo dedicationis templi": quod inter d. 24. Augusti et 3. Septembris actum esse intellegitur eo, quod huius contionis commentarium inter commentaria orationum 24. Augusti et 3. Septembris habitarum medium est; significari autem omnino videtur templum S. Nicolai; cuius dedicationis anniversarium Dominica ultima Augusti celebratum esse constat ex *Can.* 38 f. 51ᵃ. Contio igitur habita est 27. Augusti. Canisius templorum christianorum sanctitatem ostendit; deinde dicit „de Christi operibus in Euang. [dici: Lc 19, 1—10] considerandis. De Zacheo Christi gratiam acceptante. Quomodo specialiter Zacheus arguat hodie multos auaros. Doctrinae pro diuitibus et mercatoribus" (comm.: f. 88ᵇ—91ᵃ).

„Primum quaerite regnum Dei · Dominica 15" [post Dom. Trinitatis sive 16. post Pent.], quae erat d. 3. Septembris 1581. „Quid Christiano tenendum sit de prouidentia Dei in suis actibus, et praesertim circa hoc Euangelium. Cur fides haec de prouidentia Dei tam raro apparet, et in multis tam parum exercetur, nec ostendit uim suam" (comm.: l. c. f. 91ᵇ—95ᵇ).

„Jn festo Natiuitatis Virginjs" sive 8. Septembris 1581. Plura vide infra, monum. 1301.

„Dominica 16" post Dom. Trinit. sive 17. post Pent., quae erat 10. Septembris 1581 „de defuncto in Naim adolescente." Ostendit Canisius, qua ratione „rectum et Christianum sit deflere mortuos." Deinde commendat caerimonias in mortuis

[1] Similia iam scripta erant in commentario contionis superioris; sed tunc, puto, Canisio tempus non suppetebat ad ea populo proponenda.

[2] Saeculo XV. fundatione facta provisum est, ut in ecclesia B. Mariae singulis sabbatis dierumque festorum vigiliis antiphona „Salve Regina" a ludimagistro et eius discipulis cantaretur (*Dellion* VI 408).

[3] Nunc quoque prope Friburgum exstat sacellum S. Bartholomaeo dicatum.

sepeliendis usitatas. In quarum numero has ponit: „Man pflegt den todten leichnam in einen weissen leinwath einzuwickeln vnd einzumachen. . . . Der Meßner felt an die klocken vnd leytet, wann einer gestorben. . . . Mos est aspergendi mortuos et sepulchra horum aqua benedicta, licet opus non sit tam multum aquae aspergi, sicut hic fieri solet" (comm. autogr.; l. c. f. 101a—102b).

„Jn ferijs S. Matthaei" sive 21. Septembris 1581. De variis „vocationibus" divinis, ex evangelio diei (comm. autogr.; l. c. f. 103a—107a).

„De Sancto Mauritio", cui sacer est dies 22. Septembris. „Placuit maioribus pijs, ut Friburgenses hodiernum diem solemniter celebrarent, et Deum laudarent in S. Mauritio eiusque sodalitate. . . . Non statui circa hoc Euangelium haerere, quod in memoriam et honorem S. Martyrum iure cantatur et legitur. . . . De S. Mauritio non dicam . . . Dicam 1 pauca de ijs quae heri nobis superfuerunt de uarijs statibus et quomodo circa illos quisque habere debeat · 2 quid sciendum et indicandum sit de 4 temporibus et quomodo prodesse nobis possint ac debeant" (comm. autogr.; l. c. f. 107a—108a).

„Jn festo S. Michaelis" sive 29. Septembris 1581. „Exordium de S. Michaelis excellentia · Propositio. De Euangelio quomodo seruiat ad Dei timorem 2 Quomodo [eo] moneamur de angelis in illa sententia, Vident faciem [Mt 18, 10] 3 Quomodo uti festo debeamus, ad gratitudinem, imitationen, venerationem" (comm. autogr.; l. c. f. 108a—110b).

„De Regulo": quod evangelium legebatur Dominica XXII. post Pent.[1] sive 15. Octobris 1581. „Dicam primo in quibus iste Regulus merito laudandus et rursus uituperandus sit 2.º qui maxime acceptare debeant propositum Regulj exemplum, et circa illum seipsos agnoscere. 3.º quomodo Christianus se habere debeat tempore infirmitatis, vt Christi gratiam experiatur, sicut Reguli filius expertus fuit." In secunda orationis parte primum nobiles divitesque, deinde patres familias et „heros" monet: atque in illis hoc, praeter alia, reprehendit: „Quod nimium sunt praesumptuosi in iudicando de rebus spiritualibus, et quod sibi sumunt potestatem statuendi et ordinandi quae ad ipsos et ipsorum iurisdictionem non pertinent." Hos autem iubet „curare pro filijs et eorum necessitate, ut nihil eis desit sanis et infirmis, in uita et morte": simul vituperat heros „habentes famulos ut canes, praesertim cum aegroti sunt, et sinentes credere quod uolunt, nil curantes animas et salutem eorum" (comm. autogr.; l. c. f. 111a—114b).

„Jn festo Simonis et Judae" sive 28. Octobris 1581. „An rectum et Christianum sit Apostolorum et aliorum Sanctorum festa tam parui facere, imo et prorsus abrogare, sicut hodie multis in locis fieri cernimus. Ad quid prodest Sanctorum ferias obseruari"? (comm. autogr.: l. c. f. 114b—117b).

„Dominica 23 [post Trin.] Reddite quae sunt Caesaris Caesari" [Mt 22, 21] sive 29. Octobris 1581 · „die dedicationis apud D. Virginem". „Quoniam hodie celebramus [festum] dedicationis huius laudabilis domus Dei, Iustum est aliquid etiam de illo tractare in hac concione. Sed breuiter agam ut plus temporis ad Euangelium Dominicae declarandum habeamus. Et quia de hac materia, sicut et de Zachaei historia frequenter praedicari audiuistis." In evangelii autem declaratione Canisius: „Praedicator", inquit, „multos inuenit amicos inter auditores qui illum honorant apertione capitis, attente audiunt eius uerba, et simul ostendunt sese beneuolos benignos humanos et fauentes, sed saepe inter hos auditores inueniuntur tales quales Christus expertus est hypocritas, tentantes et insidiantes ut capiant in sermone [Mt 22, 15—18; Mc 12, 13—15; Lc 20, 20—23]. Plures nunc fere censores et insidiatores quam auditores" (ex comm. manu ignota scripto et a Canisio recognito; l. c. f. 118a—120b).

„Jn die animarum" sive 2. Novembris 1581. „Antiqui Catholici Teuschen tribuerunt praesenti diei proprium nomen in eo quod dicimus diem esse omnium animarum uel omnium fidelium animarum. Falsa autem esset intentio, si quis putaret hodie memoriam in Ecclesia fieri de omnibus animabus Christianis, quae de corporibus

[1] *Missale* Lausannense f. cxxxia.

suis separatae et ex hac miseriae ualle translatae sunt in patriam ipsarum celestem. vbi cum Christo et angelis eius beatissime regnant. De huiusmodi enim animabus hesternum festum celebratum fuit, et in eo cantatum Gaudeamus omnes in domino diem festum celebrantes in honorem sanctorum omnium." Canisius primum demonstrat purgatorium revera exstare. Deinde ostendit, „quibus de causis libenter et saepe orandum pro defunctis" sit, et „quibus modis peccare soleamus erga defunctos" (comm. autogr.: l. c. f. 121ª—123ᵇ).

„Jn festo S. Caterinae" virginis et martyris sive 25. Novembris 1581. Canisius Catharinam laudat et ex evangelio diei fideles omnes, maxime autem virgines, ad pietatem instituit (comm. autogr.: l. c. f. 124ª—127ª).

„Jn festo S. Andreae" sive 30. Novembris 1581. „Nos antiqui Catholici non possumus renuntiare nostris pijs et sapientibus maioribus in eo, quod hodiernum diem solemniter celebramus. . . . Neque in hoc curamus quid nouus mundus faciat, helt so wenig auff die vhralte Apostolische festen, als wenig sie fraget nach ihren ersten Patriarchen, von ihrer Kirchen ordnung vnd satzungen · feiren etwan vil lieber von wegen des nachtbawrs bey der hochzeit, dantz vnd wolleben, dan Got vnd seinen Apostlen zu lob vnd ehren a labore cessare, et Apostolica festa sanctificare. . . . Jta sumus facti religiosi, ut nihil magis tedeat ac pigeat quam ubi Deo seruiendum, et sanctis eius aliquid donandum est, unsere fastagen nil sunt nisi a carnis esu abstinere. Doleo de nostra indiscretione, non dicam inobedientia, quod vigiliae fastabent huiusmodi festorum tam male seruentur, ita vt publice ad hospitia procedamus, et alijs tam malum exemplum ad ieiunandum praebeamus, et hoc fit etiam ab aliquibus, qui alios in talibus punire debebant". Deinde Canisius ostendit, quomodo evangelium diei „multis modis consoletur" fideles, et quomodo idem „multos arguat" (comm. autogr.; l. c. f. 127ᵇ—130ª).

„Jn die S. Nicolai Patroni" sive 6. Decembris 1581. „Was nu das heutig Euang. [Mt 24, 42—47][1] belanget, wollen wir mit kurtzem anzaigen, wie vns darinnen auch Christus mit seiner zukunfft furgetragen werde, aber vil anders vnd erschrecklichers, dan in seiner ersten zukunfft geschehen, Zum anderen welche sich selbst hinderen, das innen Christus sampt seiner gnadenreichen zukunfft nicht nutzet zur vergebung der sund, vnd zum ewigen leben. Zum letsten muß ich dan auch etwas melden von Sant Nicolao den wirdigen Bischoff, vnd diser Stat Patron." In postrema hac parte Canisius haec, praeter alia, monet: „O felices Friburgenses, si Patroni sui vestigijs inhaererent, in fide catholica constantes, in misericordia exercenda seduli, in cultu diuino feruentes, in abstinentia saltem hoc sacro tempore [Adventus] diligentiores. O si multos haberemus Nicolaos in seculari et spirituali statu, in Ecclesia et Senatu, quomodo breui Friburgum cresceret, quanto melius haberet politia, quae indigeret domi et foris multis Nicolais, id est seruis Dei fidelibus, et praecipue superioribus, praefectis et officialibus, qui saepe plus dormiunt quam uigilant, aut sibi tantum et suo lucro uigilant, es gehe darnach wie es kan mit den armen vnd betrübten vnderthanen" (comm. autogr.; l. c. f. 130ᵇ—135ᵇ).

„Conciones de notis ueri Catholici. Nullus miretur, quod quoniam ego praedicator licet indignus hoc loco esse debeo, proposuerim mihi posthac tractare aliquid, quod nostrum omnium magni interest, et quod iure cum sedulitate et attentione ab omnibus et singulis percipi deberet. Quid autem est isthuc, nempe ut rite et fundamentaliter cognoscatur ex quibus signis agnoscatur qui uerus et legitimus Catholicus est, ac pro tali coram Deo et mundo reputari ac iudicari potest. Cur uero hanc materiam mihi praedicandam delegerim tres aut quatuor rationes primum exponam. Prima est, quia docet experientia complures hodie apud et inter nos uersari, qui se Catholicos nominant et pro illis haberi uolunt, et neque sunt tales in corde neque in opere. Sunt Catholici sed sicut Judei quos Christus uocat hypocritas imo filios Diaboli quia labijs et foris tantum honorantes Deum, cum procul abessent corde, Mt 15 [Mt 15, 7 8; Mc 7, 6; Io 8, 44]. Sunt Catholici, sicut

[1] *Missale* Lausannense f. CLXXXVIIIª.

Judas apostolus a Christo electus, sed inter Apostolos conuersando et suum quaestum curando, imo fur et diabolus Joan. 6 [Io 6, 71; 12, 6]. 3 Sunt Catholici, sicut illi discipuli Capharnaitae, qui offensi Christi uerbis ab eo abierunt" [Io 6, 60 67] etc. „Primum signum [hominis vere catholici] est, ut te firmiter teneas in antiqua fide Catholica dicta et uere Apostolica. . . . 2. Signum est amare veritatem Christianam in fidei rebus et illam custodire quantum potest . . . 3 signum honorare potestatem Ecclesiasticam in spiritualibus superioribus, non obstante illorum indignitate . . . 4 signum Acceptare pro Verbo Dei quod Spiritus in scriptura et Ecclesia nobis reuelat et commendat credendum et faciendum" (comm. autogr.; l. c. f. 136ª 138ᵇ). Oratio haec habita esse videtur feria IV. vel VI. post Dominicam II. Adventus sive 13. vel 15. Decembris 1581. In codice enim post hanc orationem quattuor aliae orationes de signis hominis vere christiani positae sunt; ex quibus secunda et quarta ferias IV. et VI. hebdomadis tertiae Adventus sive dies 20. et 22. Decembris 1581 sibi habent ascriptas. Feria autem IV. primae septimanae Adventus sive 6. Decembris dies festus S. Nicolai actus erat; quo Canisium ex sacro suggestu dixisse supra ostensum est; neque dubium esse potest, quin VI. quoque eiusdem septimanae feria sive 8. Decembris oratio sacra vel a Canisio (qui tamen nihil ea de re notavit), vel ab aliquo alio habita sit; is enim dies Conceptioni Beatae Mariae Virginis sacer erat. Quarta denique Adventus septimana eo anno duorum tantum dierum (23. et 24. Decembris) erat. Ex quibus rebus hoc colligo: Per Adventum Friburgi non solum singulis Dominicis diebus, sed etiam singulis diebus Mercurii ac fortasse etiam Veneris oratio sacra habebatur.

„Secunda concio. Jn proxima concione exposui, ex quibus occasionibus mihi proposuerim per hunc aduentum tractare de fide Catholica, et specialiter, ex quibus signis uere Catholicus Christianus agnosci possit et debeat." Deinde eadem signa iterum recensentur et ex evangelio diei, quod est evangelium Dominicae tertiae Adventus sive 17. Decembris 1581, de iis, qui in fide infirmi sunt et claudicant, agitur (comm. autogr.; l. c. f. 139ª—141ᵇ).

„Feria 4 post 3 Dominicam Aduentus" sive 20. Decembris 1581. „Probus Christianus hodiernum diem merito sibi commendatum habere deberet . . . habet [hic] dies specialem et egregiam Missam ab antiquis dictam auream [1], specialibus canticis decoratam, et eo maxime directam, ut hodie nos moneamus de Christi conceptione. . . . Jdcirco stat in Epistola Esai · et dicit Dominus dabit uobis signum · Ecce uirgo concipiet [Is 7, 14]." „Jdcirco Lucae cantatur Euangelium gratiosum et augustum, Missus est angelus [Lc 1, 26—38]." „In vltima concione tractare coepimus de his qui sicut Joannis discipuli, in fide sunt infirmi et dubitantes [Mt 11, 2—3] et sicut arundines agitatae vento [Mt 11, 7; Lc 7, 24] non fundati super petram [Mt 7, 25; Lc 6, 48] et idcirco semi Christiani uel falsi Catholici dici et haberi merentur." Deinde Canisius eorum, qui eiusmodi catholicismum damnare nolint, varias refutat obiectiones, velut: „Nonne Christus iussit, Nolite iudicare [Mt 7, 1; Lc 6, 37] sicut et Paulus Nolite ante tempus iudicare [1 Cor 4, 5]." „In sua fide forte illi tam bene saluabuntur sicut nos Catholici in nostra fide" (comm. autogr.; l. c. f. 141ᵇ—144ª).

„Jn festo S. Thomae" apostoli sive 21. Decembris 1581. Primum apostoli laudantur et auditoribus in exemplum proponuntur. „Nunc de Euangelio [diei], quomodo Thomas in eo proponatur ut figura omnium in fide errantium uel dubitantium · 2 quid talibus consulendum et quomodo succurrendum" (comm. autogr.; l. c. f. 144ᵇ—147ᵇ).

---

[1] De „Missa aurea" v. *Steph. Beissel* S. J., Geschichte der Verehrung Marias in Deutschland während des Mittelalters, Freiburg i. Br. 1909, 323—326. Haec ita vocabatur, quia magno cum splendore celebrabatur. Quae hodie quoque eo die multis Belgii et Hollandiae locis magno cum hominum concursu cantatur. Cf. „Kirchenlexikon" IV² 524 et *Ad. Franz*, Die Messe im deutschen Mittelalter, Freiburg i. Br. 1902, 82—86.

„Feria sexta post 3 Dominicam Aduent." sive 22. Decembris 1581. „Euangelium iam dictum dedit occasionem, vt in Ecclesia sit institutum festum uisitationis Virginis. . . . Quia multa de fide catholica diximus, restat quaestio Sitne uerum ut multi putant, quod quilibet Christianus modo confiteatur 12 articulos fidei, iustificari et saluari in sua fide possit. . . . Non dubito multis in animo esse ut praeparent uiam domino [Mal. 3, 1; Mt 11, 10 etc.] et purgent hospitium puero Iesu per confessionem. Rogo ut id faciant, et alij ut antiquum morem talem obseruent, qui olim ab omnibus obseruatus fuit. 2 Senatum rogo ut curam habeat pulsandi horologij ad tollendas confusiones in templis et domibus, et ut omnia suo tempore honeste et ordine fiant. 3 Tollatur abusus congregantium se in tabernis nocte sancta, et garrientium et bibentium [et] postquam gezecht haben, currentium in templum, et non semper sobrij sunt[1]. Male decet Catholicos, dies festos inhonorare laborando, 2 ante praedicationem et summum sacrum uisitare tabernas, 3 compotare tam mature 4 tantas leuitates exercere, 5 pecuniam consumere" (comm. autogr.: l. c. f. 144b–151a).

Die Sanctorum Innocentium sive 28. Decembris 1581: „Nunc dicamus 1° quomodo iuuentus se ob Christum paruulum exhilarare iure possit 2 quid iuuentus in hoc Euang. notare debeat, praesertim ut habeat medicinam contra spirituales morbos. 3 Quibus medijs utendum, ut Christus in nostra iuuentute non extinguatur, sed potius conseruetur et regnet" (comm. autogr.: l. c. f. 151a–155a).

Canisius igitur ad Friburgenses a. 1581 minimum 45 orationes sacras habuit. Quarum maximam partem habuit in ampla illa et perpulchra ecclesia S. Nicolai, saeculis XIII. et XIV. gothice exstructa, cuius sacer suggestus, a. 1458 a Caspare Hugonin magna arte ex saxo excisus, ibidem adhuc exstat (*Dellion* l. c. VI 392–393). Huius ecclesiae collegialis simul et parochialis (tota urbs unicam parochiam tunc constituebat) ordinarius, ut dici solet, ecclesiastes erat Petrus Schnewly, capituli S. Nicolai praepositus. Inter eum autem et Canisium m. Iulio, si non ante, convenit, ut Schnewly dominicis, Canisius festis diebus diceret (v. supra p. 31[6]); neque tamen diligenter ea divisio servata est. Contiones quadragesimales et aliae quaedam a Canisio habitae sunt in templo B. Mariae Virginis (cuius loco a. 1584 nova ecclesia exstructa est, quae a. 1785 penitus renovata est [*Dellion* VI 403–404]).

Doctrinam christianam sive Catechismum in templo et schola primum explicabat P. Robertus Ardrenus; deinde idem praestabat cum eo vel potius, puto, eius loco P. Antonius Balduinus (v. supra p. 31 58); neque vero ab huius temporis aequalibus traditum est, Canisium quoque a. 1581 catechesin habuisse. De hac re plura dicentur infra.

1283. 12. Martii 1581.

Ex contionis commentario a P. Roberto Ardreno S. J. Canisio, ut videtur, dictante scripto et ab ipso Canisio emendato. Can. 36 f. 104b–105a.

Canisius e sacro suggestu queritur, contiones neglegi, et magistratus hortatur, ut huic malo medeantur.

Canisius Friburgi Helvetiorum in templo B. Mariae Virginis, ut videtur 12. Martii 1581, quae erat Dominica Passionis, orationem sacram habens: „Cogor", inquit, „admonere omnes, ut[a] non tam leuiter aestiment munus praedicandi, non ob aliud institutum, nisi ut audirent fideles uerbum Dei et auditum seruarent [et] si uelint certum habere signum, quod sint ex numero electorum[2], ut uerbum Dei saltem

a) *Quae sequuntur, usque ad* seruarent *incl., ab ipso C. supra versum scripta sunt.*

[1] Vigilia Nativitatis Domini, quae erat dies ieiunii, variae illae artificum societates, singulae in domibus suis („Zunfthäuser", „Abbayes"), congregabantur ibique spectacula sive ludos natalitios edebant ac postea convivia agebant (*Ch. Holder*, Mélanges d'Histoire Fribourgeoise I, Fribourg 1896, 12–13).

[2] Non signum, quo dubitatio omnis tollatur, significare videtur, sed signum aliquod definitum vel singulare.

festis diebus libenter audiant, curis et negotijs omnibus posthabitis, sicut et praecipit Ecclesia [1]. 2. peculiariter ad honorandum, et ornandum, et promouendum sunt obligati magistratus, qui [a] in hac parte plus praestare possunt, quam omnes spirituales, etsi toto die uoces clamantes in deserto [2] esse uellent. Rogo igitur et admoneo illos per misericordiam Dei [3], ut uiam et medium inueniant cogendi [b] crassum ignorantem ignarum populum ad Dei uerbum saepius audiendum, praesertim cum constet uix quartam partem ciuium curare concionem. Quam multi uero stant otiosi in foro, uel discumbunt in hospicio, et nunquam die festo domum Dei verbum et cultum uisitant et honorant. Nec dubito quin tam grauis et intollerabilis abusus facile cohiberetur, si uellet cohibere senatus, hospitia concludendo, et absentes a templo puniendo serioque urgendo. Antiqui erant zelosiores utique [c] et adhuc in multis oppidis obseruatur, ut ante prandium . . . hospicia concludantur . . ., sicut et in statutis huius oppidi expresse mandatur. Timeo certe Deum non impune laturum communem hanc ingratitudinem [d] pigritiam, et negligentiam, et ignorantiam populi, qui nunc facit sicut Judaej fastidiendo manna in deserto [4], et neque praedicatores neque uerbum ipsum [e] curando et honorando. Spero autem magistratum sicut coram Deo et mundo tenetur, officium suum esse facturum, praesertim hoc sacro tempore."

1284. 17. Aprilis 1581.

Ex archetypo, Aquavivae manu subscripto, quod exstat Friburgi Helvetiorum in archivo reipublicae. Epistulae commentarium ab Aquaviva ipso scriptum, cui dies 30. Martii ascriptus est, exstat in G. Sup. 1 f. 53[b]. Epistulam integram ex archetypo edidit *Berthier*, Bonh. 232—233.

Claudius Aquaviva praepositus generalis Societatis Jesu Romae 17. Aprilis 1581 ad senatum reipublicae friburgensis litteras dedit, in quibus senatorum pietatem et in Socios Friburgum accersitos benevolentiam laudabat. Se difficile opus collegii instituendi, etsi in summa hominum inopia, promoturum et perfecturum esse. Interim gratum mihi fuit, quod Patris Canisij opera, ut certe cupiebamus, et cuius rei gratia, ipse potissimum istuc missus fuerat, istic inutilis non fuerit, in quem quicquid uicissim a DD. Vestris humanitatis, ac pietatis impensum est, quod audio permultum fuisse, iucundissimum in Domino nobis accidit: Itaque tum pro hoc, tum pro ceteris DD. Vestrarum in nos beneficijs. . . . ipsis gratias ago ingentes.

1285. 9. Maii 1581.

Ex commentario a P. Roberto Ardreno scripto et a Canisio recognito. Can. 39 f. 23[b]—30[a].

Canisius e sacro suggestu Friburgenses monet, ut fidem apud se conservatam S. Nicolao patrono attribuant. Laudat eos, quod ad loca sacra peregrinentur etc.; eos reprehendit de gula profunda et intempestiva, avaritia, legum antiquarum neglectu.

Canisius Friburgi in templo S. Nicolai 9. Maii 1581, quo „festum translationis reliquiarum sancti Nicolai" ibidem agebatur, orationem sacram habuit. Quam sic exorsus est: „Ex bono et laudabili more in hac Dej domo [f] habemus et seruamus bis quotannis festum de illustri sancto Nicolao idque [g] 6. Decembris et hodie 9. Maij.

a) *Sequitur* saepe, *oblitt.* b) *Tria vv. sqq. ab ipso C. supra versum scripta sunt.* c) *Sic C. correxit ex* sicut antiqui fecerunt. d) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.* e) *Duo vv. sqq. a C. supra versum scripta sunt.* f) *Duo vv. sqq. a Can. supra versum scripta sunt.* g) *Sic C. correxit ex his vv. ab Ardr. scriptis:* festum sancti Nicolai nimirum.

[1] Etsi dici nequit, omnes christianos eiusmodi lege teneri, ea tamen de re peculiare aliquod praeceptum aliquibus locis exstare poterat.

[2] Is 40, 3; Mt 3, 3; Mc 1, 3 etc. [3] Rom 12, 1. [4] Cf. Nm 21, 5.

Nam in Decembri est natalis eius, quando post istam temporalem mortem nouam et aeternam uitam in coelo acquisiuit. Hodie eleuatum est sanctum eius corpus ex Myra metropoli corpus inquam quod Deus ante et post mortem innumeris miraculis decorauit, sicut publice testatur Ecclesia [1] [a]. Quoniam ergo [b] idem S. Nicolaus huius templi Patronus singularis est et semper ab initio fuit, placuit pijs nostris maioribus, ut in Dei honorem et memoriam talis Patroni duo illa festa quotannis [c] in oppido et foris celebrarentur."

Canisius deinde, evangelio diei breviter explicato, hanc protulit „propositionem": „Dicam primo, An rectum et christianum habendum sit quod nos catholici nobis eligimus [d] et proponimus [e] unum e sanctis patronum eumque in peculiari tenemus honore. 2° quomodo ueteres Christiani [f] suae ciuitatis uel regionis patronos honorare soliti fuerint [g]. 3 Quare Friburgenses suum patronum Nicolaum merito amare et colere [h] debeant non solum hoc die sed etiam per totum annum". In tertia orationis parte Canisius: „Non est dubitandum", inquit, „Deum multa et magna beneficia [i] huic urbi contulisse et adhuc conferre quotidie S. Nicolao intercedente, licet raro de illo cogitemus. Friburgum annis abhinc aliquot, sicut nouistis, mirabiliter a multis periculis imminentib. liberatum est [k], sensit multiplicem Dei benedictionem et assistentiam, et inter alia gloriari potest in Domino [2] cum Paulo et dicere [l], Bonum certamen certaui [m] [3] scilicet non cedendo insidiatoribus, cursum consummaui [n] [3] scilicet his annis proximis propositum periculose, fidem seruaui [3], non obstante [o] tam multos uicinos in [p] certamine defecisse et fidem amisisse [q] ut illis dici possit o insensati quis uos fascinauit [4]. Vos non obliti estis S. Nicolai qui uobis adhuc de coelo clamat Imitatores mei estote [5] scilicet in Catholica fide, quam ego tenui praedicaui confirmaui 2 in obedientia Ecclesiae, in qua fui ego [r] Episcopus, praedicator et testis catholicae ueritatis: Quidam putant hanc constantiam in catholica fide conseruata tribuendam esse quibusdam hominibus et regentib. Ego autem dico nisi Dominus custodisset ciuitatem [6], et S. Nicolaus uigilasset et orasset [7] fideliter pro Friburgensibus [s], humana consilia parum ualuissent."

Deinde Canisius haec, praeter multa alia, monuit: „In quibus laudaret S. Nicolaus si adesset, suos Friburgenses. 1 quod locum non tribuant nouatorib. in mutanda religione. 2. quod libenter prae caeteris Heluetijs uisitent sepulchrum Dominj [t] et loca sacra. 3. quod quidam Fer. 4 et 6. faciant abstinentiam, hoc enim est se conformare Patrono [8] et illum [u] immo et ueterem Ecclesiam sequi [v]. Jn quibus taxaret

a) *Sic C. corr. ex:* Hodie autem sanctum eius corpus ex Myra metropoli Liciae translatum et deportatum in ciuitatem Baren in regno Neapolitano situm. Circa quod corpus multa et magna miracula Deus fecit et ostendit publice. b) *Sic C. corr. ex* uero. c) *Quattuor vv. sqq. a C. supra versum scripta sunt.* d) *Sequitur v. oblitteratum, quod iam legi non potest.* e) *Sequitur* honorandum, *oblitt.* f) *Sic C. corr. ex* quomodo quisque. g) *Sic C. corr. ex* patronum possit laudabiliter et utiliter honorare. h) *Sic C. corr. ex* quomodo Friburgenses erga suum patronum Nicolaum decenter se gerere et admonere. i) *Sequuntur vv.* per hunc patronum, *oblitt.* k) *Sex vv. sqq. a C. supra versum scripta sunt.* l) *A C. correctum ex* ut cum Paulo dicat. m) *Quattuor vv. sqq. a C. supra versum scripta sunt.* n) *Sex vv. sqq. a C. supra versum scripta sunt.* o) *Sequitur* scilicet, *oblitt.* p) *Hoc v. C. supra versum scripsit.* q) *Sic C. corr. ex* et in ipso cursu fidem non seruasse, quam S. Nicolaus habuit et tenuit, et ornauit tot miraculis. *Quae sequuntur, usque ad* Quidam putant *excl., a C. in margine ascripta sunt.* r) *Sequitur* doctor, *oblitt.* s) *Sic C. corr. ex* orasset et fideliter Friburgensibus astitisset. t) *Tria vv. sqq. a C. supra versum scripta sunt.* u) *C. 4 vv. sqq. supra versum scripsit.* v) *Quae sequuntur, usque ad* conniuentibus magistratib. *incl., a C. in margine addita sunt.*

[1] „Deus, qui beatum Nicolaum pontificem innumeris decorasti miraculis, tribue" etc.: Collecta missae et oratio officii S. Nicolai 6. Decembris.

[2] 1 Cor 1, 31; 2 Cor 10, 17; Rom 5, 11. [3] 2 Tim 4, 7. [4] Gal 3, 1.

[5] 1 Cor 4, 16; 11, 1; Phil 3, 17. [6] Ps 126, 1. [7] Mt 26, 41; Mc 13, 33; 14, 38.

[8] Ferunt Nicolaum infantem lac nutricis quartis et sextis feriis semel tantum idque vesperi suxisse eamque ieiunii consuetudinem in reliqua vita semper tenuisse; Hierosolymam et Romam peregrinatum esse; in Diocletiani persecutione propter fidei christianae confessionem exsilium carceresque passum esse et in concilio nicaeno novis Ariani doctrinis obstitisse.

Friburgenses 1 quod neque in pueritia, neque in uirili aetate velint aliquam suscipere abstinentiam, sicut ipse suscepit, scilicet quod gula et ebrietate sua in omni bono [se] impediant, bona, sanitatem, corpus, uitam et animam perdant. 2 Taxaret serio immisericordiam et tenacitatem et iniustitiam communem ciuium erga pauperes ob usuras et contractus mutui nouasque practicas mundanorum. 3 Taxaret in policia nostra multas esse bonas leges et consuetudine[s] relictas a maioribus, sed quae paulatim in obliuionem, imo in contemptum abeunt, hinc crescere libertatem et leuitatem populi, multosque solo nomine Catholicos esse, et sine timore peccare, praesertim nimium conniuentibus magistratib." Haec quoque Canisius notavit: „Es soll einen wonder nehmen, quod Nicolaum tam honorifice laudamus, et de illo gloriamur in templo, et uite eius sic domi obliuiscimur · seruimus illi mit fullerey und trunckenheit, qui fuit ein rechtes exempel der Christlichen abstinentz, abziehung vnd messigung · relinquimus antiquum patronum et eius loco [a] acceptamus Bacchum, et quamdiu ita hic regnat, nec Nicolaus multum nos curabit, nec Satan timebit, quicquid cantamus et tenemus de Nicolao."

1286. Circa medium m. Maium 1581.

Ex Bonhomii epistulis archetypis, quarum prior (ad Schnewlinum) est in Cod. frib. „Epp. ad Schn." f. 43 44, altera autem in Cod. „I. 37" f. 151 152, et ex Ardreni adnotatione autographa, quae est in Cod. „Can. 39" f. 30 [b], atque ex *Berthier*, Bonh. 69². Bonhomii epistulam ad Schnewlinum integram posuit *Berthier* l. c. 69 72.

Canisius Solodori nomine nuntii apostolici de causa quadam religionis agit, neque tamen ibidem contionari potest.

Ioannes Franciscus Bonhomius episcopus vercellensis, cum autumno a. 1579 visitator et nuntius apostolicus Solodurum venisset, Ursum Haeni, collegialis ecclesiae S. Ursi solodorensis (Solothurn) praepositum (v. supra p. 301), monuit, ut in pago Oberdorf prope Solodurum sito inscriptionem imagini alicui Christi cruci affixi appositam auferri iuberet, cuius haec fere erat summa: Non imaginem, sed Christum ipsum adorari debere. Bonhomius vero imaginem quoque adorandam esse affirmabat, adoratione scilicet illa, quam theologi „relativam" vocant, quia, ut Concilium Tridentinum loquitur, „honos, qui iis" imaginibus „exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant, ita ut per imagines . . . coram quibus . . . procumbimus, Christum adoremus" (Sessio XXV. Decr. de invocatione etc. et sacris imaginibus). Haeni vero in ea inscriptione vitium esse negavit; imaginem enim Christi „esse venerandam, non adorandam". Idem, ut P. Wolfgangus Pyrringer S. J., Bonhomii comes, testatus est, Erasmum Roterodamum „mordicus defendebat". Peius etiam erat, quod Bonhomio praecipienti, „ut redditus praeposituraе et canonicatuum indicaret, describendos in actis visitationis", oboedire recusavit, et quod Bonhomii secretario dixit, summum pontificem esse ecclesiae „caput quoad res concernentes fidem, non quoad administrationem rerum temporalium ecclesiarum, de quibus ipse summus pontifex nihil deberet quaerere." Hae controversiae tanto erant molestiores, quia praepositus ille auctoritate apud Soloduranos multum valebat, et quia malum de Bonhomio rumorem spargebat, ac si ille, neglecto concilio tridentino, de imaginibus male locutus esset. Bonhomius igitur

a) *Sequitur* tenemus, *oblitt.*

de iis Lucerna die 25. Octobris 1579 ad cardinalem Comensem rettulit: qui 5. Decembris 1579 rescripsit: „N. S. dice, che Lei procuri per via di qualche Jesuita di quelli, che sono in Lucerna, o d' altro theologo, di farlo render capace de l' error suo, et se poi non vorrà ravvedersi, ma stia indurato, si manderà commissione per farlo castigare" (*Steffens-Reinhardt*, Dokum. I 584—586 657; *Mayer* I 241[2]). *Bonhomius* igitur Vercellis 8. Martii 1581 Petro Schnewly praeposito friburgensi scripsit: „De Soloturnensi Praeposito, et imaginum adoratione, omnia tibi narrare poterit Magister Rupertus [1], qui non tantum interfuit, sed etiam quaecunque dicta a me sunt, eorum ipse omnium consultor fuit, ac prope auctor; Poteritis iam simul, adhibito etiam Patris Canisij consilio, deliberare, quid facto opus sit; Consultius enim ego esse iudicarim, aliquem ex patribus, uel te ipsum, ea de re ad rudem illum populum scribere; Quod si etiam fortasse expedire iudicaueritis, ut Pater Canisius, qui ueritatem illos doceat, illuc se conferat, ei peculiaribus literis tribuo facultatem, ut cum Senatu agat, et publice concionetur, reliquaque officia, quae illi opportuna esse uidebuntur, meo praestet nomine. . . . Cogitaram equidem ad Patrem Canisium, et Magistrum Rupertum literas dare, sed ob temporis angustiam mutare sententiam cogor."

Canisius huius rei componendae causa circa Dominicam Pentecostes (14. Maii) Solodori fuit. Nam Ardrenus in codice, in quo contionum his mensibus Friburgi a Canisio habitarum commentaria scribebat, inter orationes 9. Mai et 21. Maii ab eo habitas haec notavit: „Desunt Conciones de festis Pentecostes ob profectionem Solodornensem."

Notat autem *Berthier*, *Schnewlinum* illi loco litterarum Bonhomii, qui de contionibus Solodori a Canisio habendis est, haec sua manu in margine ascripsisse: „Canisio non fuit permissum concionari."

Deinde *Bonhomius* Vercellis 30. Iunii 1581 ad P. Robertum Ardrenum, Canisii socium friburgensem, scripsit: „A Soloturnensi Praeposito nihil fere boni euentus expecto, quem nosti iam in uia Domini claudicare haud mediocriter; Gratulor autem Patri Canisio, quod ex petroso illo agro fructum bonum sit collecturus." Caeterum iam supra p. 301 327 ostensum est, praepositum illum postea ad saniorem mentem redisse et a Canisio magni factum esse.

Ex litteris 24. Martii 1591 a Canisio ad Ioannem Iacobum a Staal archigrammateum solodoranum datis colligitur, Canisium a. 1581 Soloduri hospitio exceptum esse a Balthasare Grisachio viro laico et probe catholico; v. supra p. 327.

Bonhomius in litteris, quas dixi, haec quoque verba posuit, quae ad iuvenem quendam genus vitae ecclesiasticum complecti volentem spectare patet: „De iuuene gibboso statuere quidpiam non possum, nisi hominem aspiciam, uel si oportuerit, tibi, et Patri Canisio rem totam committam."

[1] P. Robertus Ardrenus S. J. a. 1580 Bonhomium saepe comitatus erat *Steffens-Reinhardt* l. c. 287 294 295 335 374.

1287. **11. Iunii 1581.**

Ex commentario ab ipso Canisio scripto. Can. 39 f. 54[b] 55[a].

Canisius Friburgenses ex sacro suggestu docet, quomodo comitia habere debeant.

Canisius, cum sub exitum m. Iunii Friburgi ad novos magistratus eligendos et alia negotia publica agenda comitia habenda essent, in contione 11. Iunii 1581, quae erat Dominica IV. post Pentecosten, de evangelio diei habita: „O grauis plaga", inquit, „cum currus vult trahere equos et non trahi, cum oues uolunt esse sapientiores pastore, et filij parentibus iubere, ac iuniores imperare senioribus omnesque murmurant contra sibi datos rectores et iudices[a] [1]. Non loquor de laudabili more populi, quando certo tempore congregantur et rogantur, si quid habeant defectus uel querele in personis magistratuum suorum. Hoc enim potest fieri cum utilitate publica et sapienter sic est ab antiquis ordinatum 1° ut superiores ipsi boni[b] [?] sint diligentiores per annum in munere suo, quia sciunt se iudicandos a multis suo tempore[c] et multo magis a Deo ipso. 2 ut indigni uel inutiles saepius in regimine mutentur, locumque dent alijs dignioribus ad iudicandum. 3° ut inter senatum et ciues maior sit vnio et firmior pax, quando superiores non habent soli potestatem in omnes inferiores, sed et isti nonnunquam superioribus iudicare, uel saltem libere apud quosdam suas dicere sententias possint[d] [2]. Hic tamen ciues ipsi priusquam dicant quod sentiunt, tria deberent ante oculos habere 1° ueritatem meram ut non se moueri sinant affectibus, uindictae[e], irae, amicitiae, consanguinitatis, uicinitatis, sed solum amore iustitiae et[e] ueritatis et utilitatis publice 2 ut ex fundamento procedant, non ex suspitione petitione [?][e] uel auditu solo, sed ex certa scientia uel experientia, aut ex testimonio fide dignorum. 3° ut proponant sibi Deum et utilitatem publicam, cuius respectu uelint interesse comitio[f] [?] et iuuare patriam quocumque modo possunt, hoc est se congregare in nomine domini[c] [3]. 4 ante omnia debent ipsi et cum ipsis nos omnes orare pro felici statu regiminis publici, ut dominus ad hoc magnum opus assumat sibi gratos et tali munere dignos et ab omni vsura, iniustitia ambitione et donis liberos, in quibus sit timor Dei, iustitiae amor, et zelus ad bonum commune. Nullum enim clenodium tam preciosum, nulla arx tam firma, nullus thezaurus tam nobilis et diues esse potest, sicut ein gute wolgeordnete Oberigkeit. Exod. 18. Prouide de omni[g] plebe uiros sapientes et timentes Deum, in quibus sit ueritas, et qui oderint auaritiam"[h] [4].

1288. **29. Iunii 1581.**

Ex commentario Canisii manu scripto. Can. 39 f. 58[a]—59[a].

Canisius pro contione dicit, cur multi ecclesiam romanam non satis revereantur. Curiae populique romani pietatem laudat.

Canisius in contione die festo SS. Petri et Pauli Apostolorum sive 29. Iunii 1581 Friburgi habita haec posuit: „Vnde fit tam multos hodie S. Petro et Rom. eius Ecclesiae male fidos et fauentes onhold vnd

a) *Vide infra, adnot. 1.* b) *Hoc v. supra versum scriptum est.* c) *Sex vv. sqq. in margine addita sunt.* d) *Vide infra, adnot. 2.* e) *Hoc v. supra versum scriptum est.* f) *Sic C. correxit ex* ueritatis postquam *[?]* autem *[?].* g) *Sequitur* vico *vel simile v., oblitt.* h) *C. in margine scripsit:* versehe vnder das volck.

[1] *Canisius* in margine notavit: „1 Reg. 12 Samuel uoluit populum iudicare de suo praeterito magistratu." Cf. 1 Rg 12, 1—5.

[2] *Canisius* in margine scripsit: „Nota 1[um] scopum habere rectum. 2 ex uero fundamento procedere · amare iustitiam sine affectibus. Nolite iudicare secundum faciem sed iustum iudicium iudicate. Joan. 7. [24]: Non loqueris fals. test. [Ex 20, 16; Dt 5, 20; Mt 19, 18; Lc 18, 20]: Richtet nit nach dem ansehen sonder ein recht gericht." [3] Mt 18, 20.

[4] Ex 18, 21; ubi tamen loco verbi „sapientes" versio vulgata nunc habet „potentes".

missgunstig esse, paucos autem etiam Catholicos inueniri, qui Romanae Ecclesiae et praesidentibus eius debitam reuerentiam et obedientiam praestent. Inter alias graues causas . . . est ignorantia veritatis et negligentia pigritiaque discendi, quod nobis ad salutem animae bonum et necessarium esset. Hinc communis populus tam parum delectatur audire conciones, et domi festis diebus saltem legere[a] loqui uel audire aliquid spirituale . . . 2[a] est indiscretio et leuitas multorum cito credentium quod audiunt et legunt proponi contra hanc Rom. Ecclesiam et Apostol. sedem[b]. Quae Christiana charitas notare in Rom. Ecclesia solum defectus quos etiam Christus in suo collegio[1] ferre debuit et aliena uitia ponderare sine omni compassione. Hoc procedit ex communi vitio populi libenter[c] detrahentis et murmurantis contra superiores, sicut Judei contra Moysen et Aaron[2]. Mirum est autem iudicium istorum, qui oculos habent apertos tantum ad uidendos abusus Romanae urbis et Ecclesiae, et clausos ad uidenda bona, quae multis seculis uix inuenta sunt, nempe quod Pontifex[3] tam esset liberalis et munificus in nouis collegijs et seminarijs erigendis et dotandis, quod Cardinales magis essent collecti et eruditi et uirtuosi, quod Clerus magis reformatus et diligens in cultu Dei, quod Romani tanta cura colligerent eleemosynas ad pauperum et hospitalium sustentationem · quod diuites tot milia contribuerent hebdomadatim in vsus pios, quod plebs communis singulis Dominicis turmatim iret ad communionem et ad templa etc. . . . 3 causa demonis astutia captantis omnem occasionem ut exosam et suspectam faciat illam Ecclesiam, quae de omnibus alijs debet [?][d] et solet iudicare. Operatur ergo maxime in hostibus et desertoribus[e] Rom. Ecclesiae[f] in hoc conuenientibus ut dicant C r u c i f i g e[4] seind [?] alle [?] Spinfeind facitque eos ualde solicitos[g] et acres in fingendis, colligendis ponderandis [?][h] et euulgandis omnibus uitijs, quae facta sunt aut adhuc fiunt a capitibus Rom. Ecclesiae. Hoc autem est radix et initium omnium haeresum et schismatum teste Cypriano[5]. 2 est proprium opus filiorum Cham libenter et uidere et ridere pudenda patris[6]. 3 proprium officium luporum qui inuiti ferunt[i] canes custodes ouium, et canes ipsi odiunt fustes, a quibus caedi timent. Sic et pueri non amant uirgas[k] et praeceptores seueros. Jtem rei malam causam fouentes excipiunt contra iudicem, a quo possunt puniri. An ergo mirum eos qui sciunt damnatos suos errores a Rom. Ecclesia, quod illam criminentur . . .

a) *Tria vv. sqq. in margine addita sunt.* b) *Quae sequuntur, usque ad* compassione *incl., a C. in margine addita sunt.* c) *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.* d) Dicitur? e) *Sequitur* autem, *oblitt.* f) *Quae sequuntur, usque ad* Spinfeind *incl., in margine addita sunt.* g) *Duo vv. sqq supra versum scripta sunt.* h) *Hoc v. in margine additum est.* i) *Sic C. corr. ex* luporum et qui accusant. k) *Tria vv. sqq. supra versum scripta sunt.*

[1] Collegium Apostolorum significatur.
[2] Cf. Ex 14, 11–12; 15, 24; 16, 2; 17, 1–2; Nm 14, 2 etc.
[3] Potissimum Gregorius XIII. significatur.
[4] Mc 15, 13; Lc 23, 21; Io 19, 6–15.
[5] Epistola 59 (alias 55), c. 5 (*Migne*, P. lat. III 828–829). Cf. *Can.* III 512[2].
[6] Cf. Gn 9, 20–23.

4 causa est stultitia hominum sic ponderantium uitia personarum ut propter ea contemnant potestatem a Christo ipso institutam" etc.

Notatu digna sunt maxime, quae Canisius de curiae populique romani moribus optimis et studio religionis dixit. Haec certe fide digna sunt. Nam Canisius et a. 1573 per menses aliquot Romae moratus est et ibidem multos habuit amicos sociosque, ex quibus, quid Romae ageretur, saepe ac facile intellegere poterat.

1289. 2. Iulii 1581.

Ex Manarei autographo: Germ. 159 f. 72. Eo usus est *Sacchinus*, Hist. S. J. V[1], l. 1, n. 167.

Canisius eiusque socius, populo valde grati, ex multorum animis sinistras de Societate opiniones sustulerunt. Collegio locus aptissimus delectus est. Bonhomius nuntius Friburgenses optime adiuvit. Qui indigent Sociis germanis iisque virtute et doctrina, propter haereticos vicinos, praestantibus. Canisius Techtermannum laudat et Bertinum desiderat.

P. Oliverius Manareus Societatis visitator Claudio Aquavivae praeposito generali Friburgo Helvetiorum 2. Iulii 1581 scripsit: Dapoi che scrissi à V. P. R. da Lucerna, non si e fatto quasi che perdere tempo, perche il di stesso doppo d' hauer fatto due, o, tre hore di uiaggio, per uenire qua, tornemmo a dietro, per hauer' incontrato il Scultetto che chiamano, Pretore della republica[1], che se n' andaua per Lucerna con un altro gentil' huomo principal à S. Maria in haeremo[2] per diuotione, senza il quale, non si puoteua fare nulla massime che l' altro che haueria douuto supplir' al suo luogo[3], era pur' assente in Bada, doue ogni anno tutti li Cantoni suogliono conuenire, et alias, quando la necessità lo richiede, et cusi con lui ritornassimo in Lucerna, doue Mancho si potè fare nulla, per l' assenza del Rettore[4], il quale accompagnó quell' istesso di il p. Gregorio Rosephio fin à quel santo luogho[5], celebre in queste parti come Loreto in Jtalia per l' antichità, et li molti miracoli che ui si fanno. Tandem arriuemmo qua la Vigilia di S. Giouanni[6] et ritrouemmo il p. Canisio col compagno p. Roberto[7] Jnglese con sanità et molto grande riputatione appresso del popolo, il che ha ben seruito, perche come non cognoscono la Compagnia, et essere questo luogo alquanto sequestrato dalle uie frequentate, haueano beuute molte sinistre informationi, da quelli di Berna che li circondano con quei di Geneua et Losana, lequali li rendeuano tanto piu difficili ad admettere la Compagnia, gionto che l' hauere inteso che quei di Lucerna (à quali non cedono) haueano speso Cento milla daleri, per accommodar' il Collegio: li sbigotiua molto. Hor la buona conuersatione de nostri, et l' informationi contrarie, gli hanno fatto pigliare molto megliori concetti, di modo, che molto desiderano il Collegio, ancorche

---

[1] Ludovicum ab Affry (Avry) consulem Friburgi rempublicam gerentem (*Berthier*, Bonh. 217). [2] Einsiedeln.

[3] Ioannes a Lanten-Heid, consul officio perfunctus „ancien avoyer" (cf. *Berthier* l. c.). Reipublicae praeerant duo consules, qui (saeculo XVI.) ad duos annos eligebantur (*Schaller* l. c. [cf. supra p. 19] XVIII 561—574).

[4] P. Martini Leubenstain. [5] Einsiedeln. [6] 23. Iunii. [7] Ardreno.

uene sieno alcuni che sotto mano spargono impedimenti assai. Quando arriuai qua, con li Compagni, cio è il P. Michele ch' era Vicerettore di Lucerna[1], et un fratello Coadiutore, trouai pure tutta la republica in moto, perche si rinouauano li gouerni et ufficiali[2], et tutto il popolo doueua rinouare il giuramento d' ubbedienza et fedeltà il che ha durato da 6. giorni, durante qual tempo non ue stato ordine di negotiare. Finalmente Mercordi io hebbi audienza dal Senato qui constat 24 uiris primarijs di cappa et spada, doue presentai la lettera di u. r. p. che mi diede in Lucerna il p. Gregorio[3] et diedi conto della mia uenuta, dimandando, che designassero alcuni deputati, per trattare piu commodamente con loro. Il che fecero, et gia siamo conuenuti del luogo per il Collegio et piu sano et comodo di tutta la terra et è il luogo doue quondam si teneua il Conte credo della terra[4], et domina tutta la terra et a nullo alio loco puo essere dominato, il che è ben difficile in questa terra, la quale si ben è bella, et grande, et tutta edificata quasi di piedre quadrate, ella è però tanto piena di monti et valli profunde, che pare cosa molto strana. Questi Signori sono essausti per hauere comprato no so quale stato et imprestati molti dinari al Re di Franza[5] laonde mancho che potranno uorranno spendere [?][a], et conforme alla scrittura dell' accettatione del Collegio data à Monsignor di Vercelli Nuntio Apostolico[6] pensano che le spese del fabricare s' habbino di tirare de l' Abbadia unita al Collegio per sua fundatione[7], tuttauia però si uanno pur affettionando all' opera, quanto la trattatione ua inanzi, non trouandoci loro tanto ingordi come era stato loro detto. Sperò che questa settimana finiremmo il tutto, et che doppo d' hauere uisitati li beni dell' Abbadia della quale gia li nostri hanno l' administratione et possesso, io mene potrò tornar' à Lucerna, darò però prima conto minutamente del tutto a V R P come è mio debito. Hora dirò solamente à v r p che questo Cantone per essere assediato come ho detto da heretici, et molto jnsidiato da loro, ha grandissimo bisogno della Compagnia et poco si è manchato che non si sia confederato et ligato con quei di Geneua, per le grande intelligenze che qui haueuano. Monsignor di Vercelli li ha molto confirmati, et reuera ha fatto grande frutto, et ha molto edificato, con la sua pietà, zelo, et modestia. Cusi ben bisognerà attendere di metterui si per le schuole, come per il gouerno persone molto selette in dottrina et uirtù, per hauere heretici

a) *Sic; corrigendum esse videtur* mancho che uorranno potranno.

[1] P. Michael Marius.

[2] Die Nativitatis S. Ioannis Baptistae eligi solebant, qui de consilio minore hi rempublicam administrabant, et qui de consilio 60 virorum futuri erant *Schaller* l. c.

[3] Vide, quae sub ipsas has litteras in n. 1 dicentur.

[4] Belsex sive Bellum Saxum, ubi quondam comites gruerienses Gruyère arcem habuerant; cf. *Berthier* l. c. 257. Alias idem locus „Bisa" vel „Bisée" vocabatur cf. *Raemy de Bertigny*, Can. 179.

[5] Henrico III.

[6] Ioanni Francisco Bonhomio; de his litteris cf. *Can.* VII 598-600.

[7] Marsens.

uicini molto uersati nelle lettere humane et lengue, et un popolo molto libero et propenso al bere et magnare per non passare piu oltre, sendo mezzo abastarditi per il gran commercio c' hanno con Franza per causa della Militia, et con la Sauoia per la vicinanza si che nel uestire et modo di fare uè homai poco restato della semplicità anticha di Heluetia, et sono si molto dati à commodi et guadagni. Li duoi terzi della terra intendono Francese, et lo parlano anche assai communemente fra loro. Jn tanto che li Signori per meglio conseruarsi vniti con l' altri Cantoni, uedendo il suo popolo molto propenso alla lengua francese, hanno fatto un decreto di nuouo che tutte le attioni publiche, et editti et liti non si possino far' in altra lengua che tedesca ouero Heluetica, et ch' in consistorio loro, si usi sempre tal lengua, non altra. Jo hebbi però gratia di parlare francese (che di latino qua fra loro non si parla) per esser' forestiero, et hebbi da loro alcune parolle francesi, ma il principale negotio si trattò da loro per mezzo d' interprete anchorche tutti intendessero et parlassero molto ben Francese. Jl che dico acciò intenda v p r che li Maestri haueranno d' essere Thedeschi quanto alla lengua et li Confessori et predicatori similmente, anchorche ue ne bisognerà alcuni Francesi v. g. un predicatore, et confessore almeno vno. . . . Sarebbe bene di pensare, sopra di qualche buon humanistà di queste bande, et ciò raccomando quanto posso humilmente à v r p, et tanto piu che qui hanno il Segretario delli Signori molto grande poeta et dotto [1] per quel che m' ha detto il Padre Canisio et parecchi altri con lui, liquali spesso uisiteranno per piacere loro le nostre schuole. Jo non ignoro quanto sia anchora costì, grande la carestia de tali, ma qui, li nostri non potranno far' un falso latino, o, error' in uersi, che non sia saputo da Heretici liquali hanno et fanno appresso di qui alcuni Collegi celeberrimi, de beni della chiesa da loro usurpati, et Losana in vna badia vicina ne fa un nobilissimo [2], per antemorale contro del nostro, et dentro la Città come ho detto ce del mal in segreto. . . . Jl p. Canisio molto desidera d' hauere un certo padre di questa ditione, che sta in Auignone chiamato Stephano pertinij [3], et merita detto padre d' essere consolato, supplico v p r di uolere pensare sopra di lui. . . .

[1] Significatur Guilielmus Techtermann, reipublicae friburgensis „archigrammateus" sive „Staatsschreiber": v. supra p. 181[1].

[2] Anno 1536 Lausannenses ex terris episcopi sui imperio civili subiectis sibi arrogaverant abbatiam Montheron et prioratum St.-Sulpice; Bernates prioratus Payerne (Peterlingen) et Romain môtier sibi sumpserant (*Mart. Schmidt* C. SS. R. et *J. Gremaud*, Mémoires historiques sur le Diocèse de Lausanne II, Fribourg 1859, 370—372). Lausannae circa a. 1540 theologiae calvinianae academia ex reditibus capituli cathedralis condita erat; Bernae ante a. 1577 in monasterio Fratrum discalceatorum („Barfüsser") contubernium studiosorum factum. Tiguri circa a. 1538 schola theologiae zwinglianae in aedibus abbatissae monasterii feminarum „Frauenmünster" instituta erat. Tonone quoque (Thonon) academia quaedam pro theologis calvinianis condita erat. Genevenses ab a. fere 1559 ludum litterarium habebant valde frequentatum. Ita quidem *E. Bloesch*, Geschichte der Schweizerisch-reformierten Kirchen I, Bern 1898, 259—267. [3] Vide, quae sub ipsas has litteras in n. 2 dicentur. —

Ho qui predicato due uolte, et hoggi è stata la 2ª ad istanza di questi Signori. . . . Hora hora riceuo lettere del Rettore di Lucerna con laquale mi significa ch' il P. Georgio Badero è lì arriuato et cusi hauerò mio Compagno [1].

1. Quod Manareus scribit, se paullo post 24. Iunii senatui sive consilio minori litteras Aquavivae tradidisse, ex publicis reipublicae *tabulis hoc intellegitur: Aquaviva in his litteris collegii dilationem excusat eo, quod praepositus generalis mortuus sit et novum quoque praepositum provincialem constitui necesse fuerit; deinde senatores laudat, quod in fide constantes et religionis catholicae fovendae studiosi sint atque optime res publicas administrent; petit tandem, ut quattuor vel plures senatores designentur, qui cum Sociis de rebus collegii promovendis consilia conferre possint. Designati autem sunt Ioannes Heid scultetus, Bartholomaeus Renaut (Reynault), Franciscus Gurnel, Guilielmus Krummenstoll senatores (Cod. „Manual des täglichen Raths, angevangen von D: Ioannis Baptistae vnntz vff wyhenachten 1581 Jars", in 27. Iunii: Friburgi in archivo reipublicae).

2. Quod Manareus scribit, Canisium vehementer optare, ut Avenione ad se mittatur Societatis sacerdos helvetius nomine „Stephanus Pertinij". *Aquaviva* Roma 6. Decembris 1581 ei *respondit: „His diebus respondit nobis P. Lohierus Prouincialis Aquitaniae nullum esse in sua prouincia P. Petrum Pertinium, sed Stephanum Bertinum nondum sacerdotem, et qui adhuc immo nuper Rhetoricae audiendae operam dare coeperit, quique praeterea etsi natione Heluetius sit, tamen eam linguam penitus dedidicerit. Quae cum ita essent et nulli usui Friburgo cuius causa eum Reuerentia V. accersebat, eum fore uiderem, rescripsi nihil esse quod mitteretur: si tamen eum Reuerentia V. qualiscunque sit habere uoluerit, ut interim, dum in litteris, etiam in lingua sese exerceat, ac prouinciae deinde praesto sit, non erit difficile eum auocare, nam et ipse P. Lohierus satis liberaliter eum offerebat" (ex commentario; G. Sup. 1 f. 63ª). Bertinus proximis saltem annis Friburgum missus non est. In *Catalogo* collegii dolani (Dôle in Gallia) 8. Augusti 1590 conscripto comparet „P. Stephanus Bertinus Helvetius, annos habet 38, vires bonas, ingressus a. 1576: audiuit philosophiam; docuit Grammaticam annos duos, fuit Minister ann. 3, concionatus est aliquando" (Cod. „Lugd. 12" f. 126ª).

1290. 9. Iulii 1581.

Ex autographo. Can. 10 f. 25ª.

Manareus visitator Canisio varias amplissimasque facultates ad primam communionem, ordines sacros, librorum editionem spectantes concedit.

Canisius in libello quodam, in quo varia ad proprium aliorumque usum spectantia vel ipse scribebat vel ab aliis scribenda curabat, Friburgi Helvetiorum de P. Oliverio Manareo Societatis visitatore haec notavit:

9 Julij an. 1581 concessit mihi P. Oliuer.

1 Vt Catholici omnes, aut qui ab haeresi uel schismate reconciliati sunt, in prima communione sua[a] per sacram communionem susceptam Jndulgentiam plenariam consequantur.

a) *Sequitur* cum, *oblitt.*

[1] In *Registro quodam secretiore praepositorum generalium mense Maio 1581 notatum est: „Datus fuit Patri Oliuerio Socius P. Georgius Baderus quem P. N. Generalis aduocabit iam ex prouincia Rheni in Germaniam ut ipsi Patri Visitatori occurrat" (Cod. „Epp. N. N. 1" fasc. et fol. non sign.).

2 Vt in foro conscientiae dispensare liceat super omnibus suspensionibus, inhabilitatibus ac irregularitatib. prouenientibus (excepto homicidio et bigamia) ex quocunque delicto, non tamen notorio ad ministrandum in susceptis ordinib. et ad eosdem ordines exercendos.

3 Jn eodem foro dispensare cum ijs, qui cum paterentur aliquem defectum corporis aut natalium, sacros ordines susceperunt, et[a] ut possint in susceptis ministrare.

4 Facultas, si modo requiritur, absoluendi illos qui in Ecclesiastica dignitate etiam Episcopali constituti, beneficium per simoniam obtinuerunt, et concedendi, ut fungi possint suo officio, etiamsi actu non dimittant beneficium, dummodo quaerant dispensationem, et parati sint stare iudicio sententiae summi Pontificis, siue concedatur quod petitur, siue non. Si tamen illud dimitterent, scandalum maximum sequeretur, praesertim quando id occultum est.

5 Facultas accipiendi simul primam tonsuram et omnes quatuor ordines, licet aliter statuat Conc: Triden[1].

6 Vt liceat libros Catholicos imprimere et edere, tacito nomine authoris, loci, et typographi, ac reliquorum, non obstante Concilio Tridentino[2].

Facile patet, Manareum amplissimas has facultates vel saltem magnam earum partem cum Canisio communicare non potuisse, nisi potestate a summo pontifice singulariter sibi facta: constat autem aliunde, Gregorium XIII. erga Societatem Iesu in gratiis concedendis liberalissimum se praestitisse. Atque equidem puto, Manareum, cum Canisium his facultatibus instrueret, maiorem Germaniae, quam Helvetiae rationem habuisse. Canisius certe ad tempus tantum ex Germania in Helvetiam missus erat, et facile fieri poterat, ut collegii friburgensis fundamentis iactis in Germaniam revocaretur. Ibi autem facultatum illarum usus facile occurrere poterat. Ita, ut exemplum ponam, in capitulis cathedralibus non deerant canonici flagitiosi vel etiam haeretici, qui ne in eligendis quidem episcopis a crimine simoniae abhorrerent; „capitulationibus“ quoque, ad quas candidati episcopales saepe ante electionem adigebantur, condiciones simoniacae admisceri poterant. Facultas denique libros catholicos sine nomine auctoris, loci, typographi, non apposita approbatione ecclesiastica, edendi id, nisi fallor, spectabat, ut eiusmodi libri facilius in manus protestantium venire possent; simul, puto, commodo prospiciebatur typographorum catholicorum; qui v. g. approbationem episcopi dioecesani interdum haud ita facile consequi poterant.

1291. 11. Iulii 1581.

Ex litteris archetypis (A), in membrana magna scriptis et manu Techtermanni archigrammatei subscriptis, in quibus suspensum est „signum communitatis Friburgi“

a) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

---

[1] „Minores Ordines . . . per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur“: Sess. XXIII, c. 11 de ref.

[2] Concilium Tridentinum „impressores“, qui „ipsos sacrae Scripturae libros, et super illis annotationes, et expositiones quorumlibet indifferenter, saepe tacito, saepe etiam ementito praelo, et, quod gravius est, sine nomine auctoris imprimunt“, vehementer reprehendit et graviter interdixit, ne quis in posterum „quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris“ imprimeret, venderet, retineret; simul constituit, ut „libri probatio“ per episcopum ordinarium et superiorem regularem facta „in fronte libri appareret“. (Sess. IV. de edit. et usu sacr. libr. De huius legis interpretatione postea facta v. *Can.* V 161[1].

in cera subviridi expressum. Exstant Friburgi in archivo reipublicae. Arch. du Coll. de St. Michel. B. Cart. 3. n. 3. Alterum, quod in fine harum litterarum commemoratur, earundem exemplum archetypum B idque friburgensi huic exemplo omnino simile nunc asservatur Monachii in archivo maiore reip. bavar.. Auswärt. Staaten. Schweiz. Urkund., Freiburg. Nr. 8. Litteras typis exscripserunt *Agricola* I. Dec. 5. n. 13—19. et (ex archetypo friburgensi) *Albertus Büchi*, Urkunden zur Geschichte des Collegiums in Freiburg, in „Freiburger Geschichtsblätter". 4. Jahrg., Freiburg i. Ue. 1897. 72—76. Eas gallice versas posuerunt *Raemy de Bertigny* 174—175 et *Pierre Canisius Boret* O. Min. Conv., Vie et Apostolat du Bienheureux Pierre Canisius. 2. éd., Paris-Fribourg 1881. 222—226. Brevem earum summam posuit *Genoud* 86—87.

Praefatiuncula editoris: Litteris hisce dies 11. Iulii ascriptus est, quia hoc die a consilio maiore reipublicae friburgensis decreta sunt ea, quae in iis dicuntur. Ipsas autem litteras aliquanto post conscriptas esse intellegitur ex monumento infra ponendo (nr. 1294). Ex eodem cognoscetur, ad eas impetrandas amicis Societatis multum laborandum et magna impedimenta superanda fuisse.

Senatus friburgensis publicis litteris profitetur: Se monasterii marsensis in Societatem translationem ratam habere; placere sibi, quod a Manareo, Canisio, aliis collegio Societatis locus „Bisée" delectus sit; se templo et scholis locum provisurum esse; Socios omnibus immunitatibus ecclesiasticis et privilegiis pontificiis uti et omnia ex Societatis instituto agere posse; Societatis desertores cohibitum iri.

NOS CONSVL[1] ET SENATVS VNIVERSVS VRBIS Reique publicae Friburgensis in Heluetijs notum et testatum fieri volumus omnibus et singulis, Cum sanctissimus in Christo Pater ac Dominus GREGORIVS decimustertius Sacrae Romanae et Vniuersalis Ecclesiae Pontifex Maximus paternam suam erga nos et Rempublicam nostram beneuolentiam et insignem benignitatem, cum alijs praeclaris beneficijs, tum hoc ipso luculenter ac mirabiliter declarauerit, quod nostris votis ac precibus clementer annuerit, quas Reuerendissimo in Christo Patre ac Domino D: Ioanne Francisco[2] Episcopo Vercellensi Sacrae sedis Apostolicae ad Heluetios Nuntio simul authore, hortatore, et intercessore obtuleramus, nimirum ut in hac vrbe nostra Collegium venerabilis multumque laudatae Societatis IESV institueretur, ac eidem Collegio Marsensis Abbatiae et Monasterij fundi, census et prouentus omnes qui in ditione nostra siti sunt, in perpetuum vnirentur atque incorporarentur, concesseritque idem Optimus Maximusque Pontifex[a] diploma, quo dicti Monasterij iura et bona futuro apud nos Collegio perpetuo vniuntur[3]. Factum est vt missi ad nos societatis patres in praesentia Reuerendissimi Domini Nuntij quem diximus, anno superiore Millesimo quingentesimo octuagesimo, die vero vigesimaprima Mensis Decembris in possessionem bonorum eiusdem Monasterij venerint. Ad quam rem nos, uti par erat, tanto libentius assensum praebuimus, quanto magis Reipub: nostrae interesse cognouimus, ut pij iuxta ac eruditi professores et sacerdotes ex memorata societate delecti[b] suam certam ac stabilem apud nos sedem haberent, suaque praesentia ac fideli opera Christianam iuuentutem in liberalibus artibus, bonis literis

a) *Hoc v. deest in B.* b) dilecti *B.*

[1] Ludovicus ab Affry. [2] Bonhomio. [3] Vide *Can.* VII 866 et supra p. 20.

omnique pietate et morum integritate sedulo instituerent, qui praeterea verbo, exemplo, suisque ministerijs et officijs omnes nostrae Ciuitatis ordines ad bene beateque viuendum atque ad publicum bonum promouendum instruerent, atque extimularent. Quare nos quibus Orthodoxae inprimis fidei propagatio, et huius Reipub: incrementum ac decus cordi est et semper esse debet, praedictam Pontificis Maximi gratiam in nos collatam gratis animis complectentes quemadmodum antea literarum quas publico sigillo obsignauimus[1] testimonio, sic nunc etiam harum tenore profitemur, quidquid in negotio huiusmodi translationis et vnionis Monasterij Marsensis in ipsum Collegium authoritate Apostolica actum et gestum est, id nobis perpetuo gratum et ratum fore: nosque auxiliatrices manus tam praeclaro et sancto instituto fideliter porrecturos, et perpetuo fauore ac studio illud prosecuturos esse: sic enim Reuerendo in Christo Patri Oliuerio Manareo nuper coram polliciti sumus, cum is Prouinciae Superioris Germaniae Visitator a Reuerendo admodum Patre Praeposito Generali dictae Societatis[2] ex Romana vrbe destinatus adesset, ac a nobis de hoc Collegio maturando, prout in mandatis habebat, postularet[3]. Vnde factum est, ut nonnulli ex ordine nostro Senatorio delecti[4] cum praedicto Reuerendo Patre Visitatore et Reuerendo Patre Petro Canisio alijsque pluribus Societatis IESV patribus tunc praesentibus[5] de Collegij huius fundamentis iaciendis, deque templo eius ac schola erigendis, deque locis ac sumptibus ad futura aedificia necessarijs deliberarint, tandemque vltro citroque collatis consilijs, uarijsque ad rem perficiendam opportunis locis inspectis Collegij patrum sedem ac domicilium in edito vrbis loco, vulgo Bisee[6] vocato, qui ad Strenuum magnificumque virum Dominum Ioannem a Lanten agnominatum Heid, equitem auratum et Proconsulem pertinebat, constituerint, ille vero praedictum locum, domum et arcem suam cum viridario et alijs pertinentijs ibidem existentibus in Collegij vsum, sicut e literis super hoc contractu confectis patet[7], vendiderit, dictisque Patribus libere resignauerit. Super quibus ne in posterum Collegij Patribus assensus nostri testimonium desit, non solum Marsensis Monasterij[a] omniumque eius bonorum, possessionum, iurium, censuum, decimarum et prouentuum traditionem ad ipsos velut legitimos haeredes omni ex parte spectantem hoc publico velut instrumento testatam omnibus facimus irreuocabiliter sicut iam supra, Sed etiam declaramus constituimusque proprietatem praedictae domus aliarumque omnium et singularum rerum, quae iusto emptionis vel donationis titulo in huius Collegij possessionem

a) *Sic recte B.* Collegij *A.*

[1] Significantur litterae Friburgo 26. Decembris 1579 a Consule senatuque ad Gregorium XIII. datae, quas posuit *Berthier*, Bonh. 250—252.

[2] Claudio Aquaviva. [3] Vide supra p. 524.

[4] Horum nomina v. supra p. 526.

[5] Michaele Mario et Georgio Badero; v. supra p. 524 526.

[6] Alias „Belsex"; v. supra p. 524[4]. [7] Vide infra, monum. 1297.

cedent, suum robur et firmitatem perpetuam obtinere debere, quemadmodum his literis in posterum etiam valituris confirmamus. Quod uero ad stagnum siue piscinam dictae domui vicinam attinet, eisdem Reuerendis Patribus in Collegio ibidem habitantibus, omnem eius stagni vsum et piscatum, sicuti petiuerunt, gratiose concedimus et applicamus solo aquaeductu ad necessarios vrbis nostrae vsus reseruato. Praeterea eorum votis in eo annuimus, ut ex vicinis tubis fontem in quamlibet domus suae partem deducere, eiusque vsum sine aliorum tamen et publico detrimento retinere possint. Tum de fundo ad templum Collegij deque aedificijs ad scholam eiusque classes necessarijs comparandis statuimus ac volumus ut loca commoda quibus liceat superaedificare, illis nostro etiam nomine procurentur et applicentur. Praeterea benigne concedimus ac in perpetuum dicto Collegio eam facultatem et immunitatem constare volumus quamcunque alij huius vrbis Ecclesiastici siue Religiosi homines in suis domibus vel Monasterijs de facto, uel de iure uel de consuetudine tenent, ita ut praesens domus et Collegium ab omni ciuili grauamine, publica exactione, alijsque grauaminibus ordinarijs uel extraordinarijs nunc et in posterum omni ex parte liberetur, cunctisque demum Ecclesiasticis immunitatibus siue ad personas siue ad bona mobilia vel immobilia pertinentibus domi forisque libere gaudeat ac fruatur. Adhaec ut priuilegia dictae Societati ab Apostolica sede concessa uel concedenda, et quaecunque ad eiusdem Societatis institutum, constitutiones, libertates, consuetudines modumque in Ecclesia uel schola procedendi ac regendi pertinent, non minus in hac vrbe nostra quam alijs in Collegijs vim suam integram habeant ac sine cuiusquam molestia uel impedimento clam et palam valeant exerceri, decernimus: promittimusque insuper nos in urbe et ditione nostra apostatas[1] ac rebelles ex eadem forte Societate (quod Deus auertat) prodeuntes minime passuros esse, si de his expellendis vel cohibendis Societatis nomine nostra fuerit opera requisita.

IN quorum omnium supradictorum fidem et robur nos non solum nostro, sed etiam successorum nostrorum a quibus quod ad singularem Dei Omnipotentis gloriam, et Catholicae Religionis propagationem nostraeque Reipublicae ornamentum magno consensu deliberatum conclusumque fuit, vllo unquam tempore infringi aut labefactari non debet, nomine hasce et alteras eodem exemplo literas per Wilhelmum Techterman archigrammateum nostrum subsignari ac secretiori vrbis nostrae sigillo communiri voluimus, Vndecima die Mensis Julij. Anno a Natiuitate Domini Millesimo quingentesimo octuagesimo primo[a].

[L. S.] Wilhelm Techterman.

a) *Agricola haud recte:* quingentesimo octogesimo. *Qui multa verba omisit, alia haud recte immutarit.*

[1] Non apostatae a fide catholica, sed „apostatae a religione", quos canonistae vocant, sive ii, qui Societatem temere deseruerint, potissimum hoc loco significantur: cf. *Can.* V 313.

1292. 15. Iulii 1581.

Ex autographis. Can. 10 f. 25[a] 129[b].

Canisius confessionem generalem facit. Monita et proposita.

Canisius, quoniam ex regulae praescripto (v. Can. VII 511[2]) omnes Societatis professi quotannis „confessionem generalem, quae ab ultima generali inchoëtur", facere debent, tempore visitationis a P. Oliverio Manareo habitae ea ratione peccata confessus est. De qua re haec in libello, quem supra p. 526 dixi, notavit: 15 Julij facta confessio generalis P. Oliuerio commendanti crucem in carne ferendam post Jesum[1]. 2 charitatis opera proximo in hac missione praestanda. 3 rationabile obsequium[2] corporis. 4 ut ordinaria societatis officia iuxta pulsum mane, uesperi et toto die peragerentur[3]. 5 ut excitaremus multos ad frequentem communionem. Ego mihi proposui obseruandas regulas 7 s. p. n. Ignatij, et ut cauerem esse praeceps. *Et alio eiusdem libello loco:* 1581 15 Julij [confessio generalis] coram P. Oliuerio Friburgi cum proposito seruandi regulas S. P. Ignatij.

Quod Canisius „septem regulas" S. Ignatii sibi proponit observandas, nescio num significare velit monita illa ad pietatem et perfectionem religiosam pertinentia, quae cum inscriptione „Rev. Patris nostri Ignatii regulae spirituales" ponuntur a *Schlosser* 444—445. Hae tamen numero sunt octo.

1293. 17. Iulii 1581.

Ex litterarum 17. Iulii 1581 datarum apographo saeculo XVII. Friburgi Helvetiorum scripto. Cod. frib. „Cod. iur. coll." p. 450—453. Monachii in archivo maiore reipublicae bavaricae (Ausw. Staat., Schweiz. Urk., Freib. Kant. I 1579—1599, nr. 6) exstat diploma Friburgo Helvetiorum 28. Iulii 1581 datum et a Techtermanno archigrammateo subscriptum ac sigillo munitum, quo consul senatusque testantur, Canisium reliquosque Patres collegii Friburgi instituendi eodem die sibi litteras emptionis 17. Iulii 1581 datas tradidisse earumque apographum petisse; quae litterae deinde integrae transcribuntur. Litterarum summam (ex codice friburgensi) germanice posuit *Büchi,* Urkunden 77—78.

Canisius Friburgi pro collegio constituendo domum emit.

17. Iulii 1581 Friburgi Helvetiorum conscriptae sunt litterae, quas „Communitas" friburgensis confirmavit et Guilielmus Techtermann archigrammateus subscripsit, astantibus „Ludovico ab Affry consule", „Jacobo Känel, Joanne Marti, Bartholomaeo Reynauld, Petro et Willelmo Krumenstoll, Pancratio Wild, Ioanne Garmiswijl, Pancratio Techterman, Joanne Meyer Consiliarijs", „Petro Känel, Jacobo Rämir, Willelmo Lanten Tribunis Plebis"; quibus litteris „Jacobus Schneulin Consiliarius Friburgi" testabatur, se „accedente hodierno consensu, authoritate et assensu totius senatus huius praedictae urbis" pro „Petro Amman" nepote „Reuerendo Patri ac Domino Domino Petro Canisio, alijsque Reuerendis Collegij Societatis IESV in hac Vrbe Friburgi instituendi Patribus licet absentibus", praesente tamen Guilielmo Techtermann

---

[1] Cf. Mt 10, 38; 16, 24; Mc 8, 34; Lc 9, 23; 14, 27.

[2] Rom 12, 1. Canisius in id inclinabat, ut in ieiunando et vigilando modum excederet; v. *Can.* VI 722. *Manareus* 1. Augusti 1581 Claudio Aquavivae praeposito generali *scripsit: Socii friburgenses in aedibus Schnewlini praepositi cibum sumunt: „il p. Canisio . . . per non dare mal essempio si lascia perire credo di fame, . . . mangna pochissimo". Plura v. infra, monum. 1299.

[3] Pulsum campanae dicit, quo signum datur ad meditationem matutinam, examen conscientiae meridianum et vespertinum, prandium, coenam etc.; v. supra p. 33.

archigrammateo et notario, eorum vices gerente, nepotis illius domum minorem, Friburgi inter domum Ioannis a Lanten-Heid et stabulum Ioannis Erhard sitam, 300 florenis monetae consuetae vendidisse eamque pecuniam iam accepisse.

1294. 25. Iulii 1581.

Ex autographo. Germ. 159 f. 90. Epistulae particulas germanice versas posuit *Duhr*, Jes. I 228 230. Item particulam germanice posui in „Petrus Canisius" 277. Eadem epistula usus est *Sacchinus*, Can. 307 et Hist. S. J. V[1], l. 1. n. 167.

Senatus friburgensis Sociis monasterii possessionem confirmat et immunitatum privilegiorumque usum atque agendi libertatem concedit, superatis protestantium machinationibus. Aedificia. Scholarum initium. Friburgensium indoles moresque. Canisius et Ardrenus iis grati et cari. Illorum labores et difficultates. Bonorum venditio.

P. *Oliverius Manareus Societatis visitator Lucerna 25. Iulii 1581 Claudio Aquavivae praeposito generali scripsit:* Alli 20 di questo ritornammo da Friburgo, douè habbiamo lassato, il negotio del Collegio, nel stato che seguita. Primo. Quanto alla fondatione, come ella era gia fatta, con l'occasione della Badia [1] vnita ad instanza del Vescouo di Vercelli [2], et di quelli Signori, non si è fatto altro, che procurare che 'l Senato dichiarasse di riceuerla, et di uolerla mantenere, con la protettione del Collegio, persone, et beni, di esso, con l'essentioni et priuilegi del Clero, et altri luoghi religiosi loro, et specialmente con li priuilegi, gratie et facultà, date alla Compagnia dalla Santa Sede Apostolica, con libero uso delli ministeri di essa, si litterarij come altri. Jl che ci è stato coneduto, et hora se ne procurano le scritture, lequali perche fra questa gente andano molto in longo, io mene sono partito, hauendone raccommandata la speditione al padre Canisio, lassato lì per Superiore come egli era, et al padre Michael Marius, chi tornarà qua, con esse, per non essere li necessaria l'opera sua. Nella trattatione di questo negotio ui e stata magiore difficoltà che non si credeua, sendo stato prima accettato il Collegio da tutti li gradi di questo senato, che sono tre, il primo è constituito di 24 · il 2° di 60 · il 3° di 200 persone ch'è il magior' et principale, la causa è stata che quei di Berna et di Geneua hauendo alcuni diuoti nella Città et come si dubbita un buon numero nell' istesso Senato: per mezzo l'oro [?][a] hanno fatto riuocar il principal' in dubbio, et cerchato di iscludere il Collegio, sotto pretesto di spese, hauendo promesso Monsignor di Vercelli che non se ne farebbono dal Senato [3]. Et del pericolo di ammettere gente forestiera nella terra, quali sono i Gesuiti, et finalmente di non indurre nouità nella republica, il che sogliono fare i Giesuiti, et turbar' ogni cosa doue loro mettono il piede. Et la cosa andò tanto inanzi : che li buoni, et piu principali, la sera inanzi, hebbero gran paura dell' isclusione; perche li sudetti haueano fatto grandi prattiche, et sendo gente semplice et militare facilmente si lassa tirar' et vincere dalli piu po-

a) *Sic etiam aliquanto infra; scribendum erat, nisi fallor:* loro.

[1] Marsens. [2] Ioannis Francisci Bonhomii nuntii apostolici.
[3] Vide supra p. 20.

tenti et ingeniosi come sono tali, liquali haueano gia superato il Conseglio 1° et 2° facendoli con importunità et minaccie rimettersene al Conseglio magiore doue pensauono piu potere · Ma Iddio cuius causa agebatur, infatuauit eos[1], et nonostante che la sera precedente un Tribunus plebis gran parlatore, hauesse promesso à suoi, di far' et dire come hauea fatto prima; fu tanto però il feruore, et eloquenza che Iddio diede alli duoi Sculteti cioè Pretori[2], et ad un' altro principale, che tutta la brigata praeter morem alzorno tutti le braccia in segno di consentire (sendo che l' altre uolte ad vno per vno si suole dimandar' il suffragio) di modo che li aduersarij non hebberò ardire di dichiararsi dauantaggio per non farsi sospetti in religione piu che non sono, et l' istesso Tribunus pleno ore disse che puoi che li Signori cusi giudicauano, che non poteua pensare che la cosa non fosse fundata et ben considerata[3]. Vn' altro eleuato in Schola heretica, non leuando su il bracchio, hebbe il fratello appresso, eleuato in Schola Catholica, che gli lo piglio per forza, et gli lo eleuò quanto fu di bisogno con sua grande vergogna. Occorse ch' un altro principale, hauendo pur la sera fatto grande pratticbe et minacciato di cacciarci via tutti Deo ita ordinante, la matina in aurora fu chiamato da un suo Contadino, per qualche accidente ch' era occorsi à suoi bestiami di fuori onde subito pigliò il Cauallo, et se ne andò fuori, uedere suo danno. La cosa adunque fu conclusa in fauore, et li articoli da noi proposti admessi tutti, et dato piu che non domandauamo per buoni rispetti · cio è[a] che la Rep. compraria alcune Casae per fabricarui le scole, a fondamentis, et accommodarle de mobili necessarij.

Di piu che daria tutto il ligname necessario, et la pietra con tutte le uetture necessarie per la fabrica della Chiesa et Collegio, pagando solamente li nostri ex prouentu Abbatiae vnitae le fatighe di coloro qui caederent[b] ligna et saxa, per liquali sassi[c] uoleuano pur assignar' una fodina noua, et in luogo buono, et commodo, per il Collegio. Appresso, che la calcina fosse data al medesimo prezzo che si da à Signori per l' opere della rep. sendo l' opere di tutti particolari ancorche sieno del Senato sugette à magiore prezzo. Item che la piscina che sta nel sito, comprato per il Collegio, sia quanto all' uso del Collegio con li pesci che sono in essa, riseruando solamente li Signori l'uso dell acqua quando nascesse incendio nella Citta perche da quella piscina si puo fare correre l' acqua per condotti fatti per tal effetto per tutte le parti della Città, et è grande la quantità d' acqua et de pesci · Et

a) *Haec duo vv. supra versum scripta sunt.* b) cederent *autogr.* c) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

[1] Cf. 2 Rg 15, 31. [2] Ludovico ab Affry et Ioanni Lanten-Heid.

[3] Conventus hic consilii maximi habitus est 11. Iulii; cui praeerat Ludovicus ab Affry; aderant 14 senatores, tribuni plebis „Venner", „Bannerets" omnes qui erant numero 4, „Sechzig und Bürger" Cod. frib. „Manual", de quo supra p. 526, in 11. Iulii.

finalmente assignarono da se un Architetto ouero Superintendente della fabricha uno del loro collegio[1], molto principal et executiuo, acciò piu caldamente tali materie, uetture, et fabriche habbino l'oro [?][a] corso, il che è di gran momento, finalmente à confusione delli heretici et decepoli loro li Catholici si sono monstrati tali, che N. S. ci da grande speranza che quella terra . . . sarà un propugnacolo della fede cathólica in queste parti; perche sono bellicosi et potenti et nel mezzo delli heretici. . . . Molto ci hanno pregato di lassarli almeno quelli de nostri che c'haueano[2], temendo loro come chiaramente me l'hanno detto che si io li rimenauo con meco, non potessero mai piu hauere de nostri, et cusi li hanno con grande attione di gratie. Con quelli che furono da principio deputati per trattare con noi[3], siamo uenuti d'accordo che non haueranno le scole et Maestri fin à due anni per il piu presto acciò si paghino li debiti fatti dalli Monachi passati, et si accommodino le stanze con mobili necessarij per l'uso di detti Maestri et altri, dilche li buoni si dogliono molto, perche quanto piu si differisce cresce il male dell' heresia fra loro sendo che la giouentu tuttauia si ua corrumpendo sotto Maestri heretici et sino al di d'hoggi uene sonno come intendo in Geneua et Losana et altroue con heresiarchi à dozena a che però li Signori hanno hora prouisto[4], ma quid facient adolescentes sine praeceptore Friburgi? La rep. potrebbe fare di piu per accelerare[b] l'opera, ma li mali et sospetti affogano con la multitudine li buoni, et impediscono molto bene, sendo che in questi tempi con ogni sforzo fugeno dissentioni et rumori fra loro, Ma dell' altra banda la Compagnia non puo piu, et questa prouincia è molto sprouista de Maestri, massime quali bisognarebbe, pero che quanto piu auanti io sono stato, ho li scoperto molti, et uarij, molto ben uersati nelle lettere humane, liquali sendo la terra abundante, et senza occupatione d'arti mechanice et Mercantie, et risoluendo li Signori tutte le differenze et liti in un tratto ex aequo et bono senza procuratori et aduocati, s'occupa la gente à spasseggiare, o, à bere, di modo che per passar' il tempo egli è probabile che molti anderanno spesso uisitare le schole et udire li Maestri liquali se sarano tanto deboli come io li truouo qui sarebbe molto meglio di non pensare à schole. . . .

a) *Vide supra p. 532* a. b) accelare *autogr.*

[1] „Damit der buw sijn fortgang habe, Ist der Eernvest fürnem wijß herr Pankratz Wild geordnet den buw zuversähen vnd verwalten": Acta conventus 11. Iulii 1581 habiti (Cod. frib. „Manual", de quo supra, l. c.).

[2] PP. Canisium et Ardrenum. *Schneuwlinus* praepositus iam circa initium a. 1581 Bonhomio scripserat „de Patre Canisio Friburgi sistendo" (*Berthier*, Bonh. 70).

[3] Ioanne Lanten-Heid, Bartholomaeo Renaut (Reynault), Francisco Gurnel, Guilielmo Krummenstoll; v. supra p. 526.

[4] *Manareus* haec in „punctis", quae circa a. 1600 iussu Aquavivae pro Societatis historia per Sacchinum conscribenda Romam misit, sic narrat: „Edictum est publico edicto ne quis deinceps civium suos liberos mitteret Gebennam aut Bernam instituendos neque collocarent eos sub gravi poena etiam alibi apud patres familias vel ludimagistros haereticos": Commentarius 168.

Mando la descrittione del sito comprato per il Collegio . . . piacera à v p r farci far' un disegno quanto piu tosto dal padre Gio.[1] c' habbino da seguire supponendo però che . . . la Casa c' hora ui sta habbia da restare per essere forte di muri et atta à farui da 25 buone Camere con tutte l' altre parti d' un buon Collegio con poche spese. Jn questa trattatione . . . io da principio mi sono ingegnato di fare passare il tutto senza conditione d' obligo alcuno, saluo quelle che Monsignor Vercelli et nostri che con lui stauano, hanno admesso, che sonno però solamente generali, et mutare non si potrebbono, et pure di quelle non se n' e fatto hora mentione, il tutto è secondo, et conforme alle nostre Constitutioni, come v p r uederà per le scritture che si mandaranno, quando il p. Canisio me n'hauerà mandate le copie autentiche come io gli l' ho raccomandate.

Resta mò di dire delli nostri che ui stanno, et sonno il Padre Pietro Canisio et il p. Ruberto Ardrenus Jnglese con un giouane scholare che li serue per manchamento di Coadiutore[2] · uedremo se gli ne potremo trouar' alcuno · Essi sonno amati et hanno data edificatione con quel poco c' hanno fatto, mancho assai di quello che nostri sogliono fare in missione, et questo per essere il p. Canisio molto ritirato, et il p. Ruberto tutto immerso nelli negotij del Monasterio per il che ho lassato ordine di pigliar' un procuratore seculare alquale piu conueniente sarà di fare lite c' ha noi[3]. Jl padre Canisio però predica le feste in Compagnia del Signor preposito chi predicha le domeniche[4]. Et il p. Ruberto catechisa le feste pur in Chiesa et li Venerdi nella Schola della terra; ma il tutto con tanta confusione che non è inteso, et non so se s' intende lui · fa però assai ma uuole essere troppo vniuersale et dotto · La buontà però di tutti duoi, et la grande opinione che si ha del p. Canisio, per conto di Dottrina et uirtù, supplice ogni nostro difetto. Jo ho lassato loro alcuni ordini, liquali V. R. P. si degnarà

---

[1] Ioanne de Rosis; v. *Can.* VII 541 et infra, monum. 1295.

[2] Deerat iis frater laicus, qui res domesticas curaret. In beatificationis processu Friburgi a. 1627 de Canisio instituto prolatum est testimonium *Iacobi Stutz*, qui tribunus plebis fuerat et unam ex reipublicae praefecturis administraverat. Hic de Canisio testatus est: „Noui ipsum, et quidem familiariter, utpote cui sub initium eius in hanc Vrbem aduentus (qui fuit anno 1580) in domo, in qua iam triuiales scholae habentur, per annum circiter famulatus fui, cum deesset illi alius de Societate Coadiutor." Ei „corpus reficienti ad mensam legere e pio libello ipse solitus sum" (ex apographo a P. Petro Hugone S. J. [† 1657] scripto, quod est in Can. 63 f. 115[a] 130[a], et ex apogr., quod est in Cod. „Proc. Ap. I" f. 651).

[3] Die 15. Septembris 1581 *senatus* friburgensis Aquavivae scripsit: „Notarium quendam publicum, Antonium Dogo, ciuem" friburgensem, „rerum cum domesticarum, tum forensium, si necesse fuerit, agendarum haud imperitum, perfectaeque probitatis virum" ad administrationem iurium et bonorum marsensium a se „compulsum" esse (*Berthier*, Bonh. 254).

[4] Petrum Schnewly, collegialis ecclesiae S. Nicolai praepositum, in ipsa illa ecclesia contionatorem egisse constat. In eadem igitur ecclesia Canisius ad populum dicere solebat.

essaminar' et rimandarli corretti come N. S. l' ispirarà acciò sene possino ualere[1]. L'altre cose che tochano alle regole et essentioni di esse, o, perche sonno cose che passano presto m' e parso bastare di raccomandarne l'essecutione, et de far le pratticare mentre sono stati [?][a] lì, o dato ordine che si pratichino quanto prima. Jl padre Canisio uorrebbe mutare di Compagno et il Compagno di lui. Jmperò spero che uiueranno in sancta pace, almeno sono restati molto ben animati. Jl p. Canisio e molto apprehensiuo et essatto, et pero alquanto difficile. Jmperò per principiar' il Collegio ogninamente bisognerà prouedere d' un Rettore · per il che v r p hauerà ancora almeno un buon anno di tempo. . . . Li Signori uogliono che quanto prima si incominci la Chiesa, perche sperano presto uenirne al fine, con lemosine, et gia si fanno per essa gagliarde cerche, da alcuni di loro. Jl Padre Georgio[2] è stato un pezzo con noi in Friburgo et m'ha molto consolato et aiutato. Hora noi ci ritrouiamo qua doue si è dato principio alla uisita, ma il manchamento che sento della lengua latina mi impedisce tanto ch' io non posso far' una essortatione che uoglia. . . .

[Postscriptum] M'occorre dir' et aggiongere che li amici del Senato pur ci consegliano per leuarci d'intrighi et liti che bisognarà hauere ben spesso, che si uendino li stabili della badia de quali una parte sta nella giuridittione de bernesi, per constituirne cense sopra l'istessa Rep. ouero particolari, dicendo che con riseruarci le uigne per nostra prouisione, et pratti alcuni con la raggione di poter ricouerare delli beni alienati senza facolta, et in euidens damnum Ecclesiae, quelli che si potrà, ne faranno hauere d' intrata liquidissima ducati mille duo, doue hora solamente ne rende mille con pericolo di partecipar' alli danni delle tempestà, la cosa al mio [?][b] sarebbe piu utile et commoda · ma non è anchora tempo, et bisognarebbe che Monsignor Vercellis lo trouasse buono, altrimente ne farebbe rumore, et forse un dì si potrebbe mutar' in peggio il Senato quod Deus auertat, et pur all' hora il Senato occuparebbe et stabili et mobili et ci cacciarebbe uia tutti senza rispetto et con buone bastonate come hanno fatto Bernesi et altri.

Aquaviva Manareo ad has litteras haec, praeter alia, *rescripsit: „Licet Reuerentia V. prudenter de biennij spatio conuenerit ad inchoandas scholas, tamen mihi uidetur, et ita Reuerentiae V. etiam uideri intelligo, ita hominum illorum pietatem et liberalitatem et multo magis necessitatem spiritualem postulare ut si modo gymnasiorum aedificatio citius absoluatur, praeueniamus etiam id tempus, et si fieri poterit post unum annum magistros eo mittamus. Volo etiam sperare Dei bonitatem nobis haud defuturam ut habeamus quos mittamus" ex commentario: G. Sup. 1 f. 61[a].

1295. 26. Iulii 1581.

Ex autographo. Germ. 159 f. 94[a].

Bernae de Canisio maledice dictum est.

P. *Oliverius Manareus* Societatis visitator Aquavivae praeposito generali Lucerna 26. Iulii 1581 scripsit: „Ho giudicato aggiongnere questa à quella che mandai

a) *Sic; scribendum fuisse videtur* stato. b) *Supplendumne* parere?

[1] Vide supra p. 29 37. [2] Bader: v. supra p. 526.

hieri . . . poco inanzi occorse in Berna, una cosa gratiosa tra uno di quei gentilhuomini che ci accompagnarono[1] et li parenti et amici suoi Bernensi, che in giorno di magro hauendogli messo auanti carni, et lui non mangiando ch' oua, gli dissero quelli. Volesse Iddio che foste ben insegnato et entendiste l' honore che fareste à Dio di mangnare indifferentemente d' ogni sorte di cibi da sua prouidente mano datici per uso nostro, con gratiarum actione. A che rispondendo lui, disse Che ringratiaua Iddio che tanta gratia gli hauesse data, di sapere col lume riceuuto nella S. Chiesa Catholica discernere quando conuiene honorare Iddio con l' astinenza d' alcuni cibi, et l' uso d' altri. A che un quidam replicando con dire male del p. Canisio dicendo ch' egli era un tristo et che si marauigliaua che lo tenessero in Friburgo, rispose il Catholico, non l' habbiamo per tale, ma che ui ha fatto et in che ui ha nocciuto. Rispose il Bernese, in nulla per conto nostro, ma egli è un tristo et hipochrita che guasta et seduce il popolo con catechismi et libri che manda in tutto il mondo. A che il Catholico, S' io fossi in Friburgo, o, in terra de Catholici come io sono in Berna, io ui direi che tutti li uostri Ministri et predichanti sono tanti Marioli, ladri, et forfanti, et che non sanno altro che sedur' il popolo et uoi tutti, per essere però in Berna non ardisco dirlo, et cusi serrò loro la boccha."

1296. 26. Iulii 1581.

Ex litterarum 26. Iulii 1581 datarum apographo saeculo XVII. Friburgi Helvetiorum scripto. Cod. frib. „Cod. iur. coll." p. 428—432. Monachii loco de quo supra p. 528, n. 5 est diploma idque ei, quod supra p. 531 dixi, simile et 28. Iulii 1581 datum.

Canisius pro collegio Friburgi condendo pratum emit.

Friburgi Helvetiorum 26. Iulii 1581 conscriptae sunt litterae, quibus „Ioannes Ruginet Consiliarius Friburgi in Heluetijs" Friburgi „Willelmo Krumenstol Consiliario et Gaspare Schröter ciue nostro testibus ad haec rogatis" testabatur, se „Reuerendo Patri ac Domino Domino Petro Canisio alijsque Reuerendis Societatis Iesu et Collegij in hac Vrbe Friburgi instituendi Patribus licet absentibus, sed Notario atque Archigrammataeo infrascripto nomine, et ad opus eorumdem Reuerendorum Patrum totius praedicti Collegij praesenti, stipulanti, et recipienti" pratum suum prope „Bisée" arcem ad „piscinam" situm 410 florenis vendere eamque pecuniam ab emptoribus iam accepisse. Nomen subscripsit Guilielmus Techtermann „Archigrammataeus."

1297. 26. Iulii 1581.

Ex litterarum 26. Iulii 1581 datarum apographo saeculo XVII. scripto. Cod. frib. „Cod. iur. coll." p. 433—438. Monachii loco, quem supra p. 528 dixi, n. 7 exstat diploma idque illi, quod supra p. 531 dixi, simile et 28. Iulii 1581 datum. Litterarum summam brevem (ex codice friburgensi) germanice posuit *Büchi,* Urkunden (v. supra p. 528) 76—77.

Canisius pro collegio condendo arcem cum horto pratoque emit.

Friburgi Helvetiorum 26. Iulii 1581 conscriptae sunt litterae, quibus „Johannes a Lanten agnominatus Heid Eques auratus" Iacobo Römer et Guilielmo Lanten tribunis plebis astantibus haec testabatur: „Plane in hoc incumbens, vt Collegium Reuerendae multumque laudatae Societatis JESV Patrum ex gratia Sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri Gregorij decimi tertij Sacrae Romanae Ecclesiae Pontificis Summi in hac Vrbe Friburgi instituendum commodam aptamque nancisceretur sedem neue tam pio praeclaroque instituto vllam quoquomodo remoram parerem", „Reuerendo Patri ac Domino, Domino Petro Canisio, alijsque Reuerendis Societatis JESV et Collegij supradicti hac in Vrbe instituti uel instituendi Patribus licet absentibus", praesente tamen Guilielmo Techtermann notario et archigrammateo, eorum vices gerente, „domum meam siue Arcem in praedicta vrbe Friburgi loco vulgariter Bisee dicto sitam vna cum horto et viridario et prato praedictae

[1] Vide supra p. 532.

Domui adiacentibus et contiguis" 2100 florenis „parui ponderis monetae in hac vrbe frequentis" vendidi idque pretium ab emptoribus iam accepi.

Hoc ipso loco Canisii opera exstructum est collegium Sancti Michaëlis; quod nunc quoque exstat. *J. Genoud*, unus ex eius magistris, anno 1915 de Ioanne Lanten-Heid scripsit: „Son portrait, avec une inscription un peu pompeuse, est encore visible dans le corridor d'entrée du collège" (l. c. 87).

1298. **1. Augusti 1581.**

Ex litterarum Kalendis Augustis 1581 datarum apographo saeculo XVII. scripto. Cod. frib. „Cod. iur. coll." p. 446—450. Monachii loco, de quo supra p. 528, n. 7, exstat diploma eiusdem rationis, atque illud, quod ibidem dixi, idque 2. Augusti 1581 datum. Litterarum summam ex codice friburgensi germanice posuit *Büchi*, Urk. 77.

Canisius pro collegio condendo pratum emit.

Friburgi Helvetiorum Kalendis Augustis a. 1851 litterae conscriptae et a „Consule, Senatu et Communitate Friburgi" confirmatae sunt, per quas „Jodoco et Daniele a Pascuis" (von der Weyd) fratribus praesentibus „Petrus Gurnel", „tutor administratorque legitimus Barbarae filiae Nobilis viri Petri Vögelin" constitutus, et „Anna vidua Nobilis et prouidi uiri Francisci ab Affry" testabantur, se „R. Patri Domino Petro Canisio et alijs Collegij Societatis JESV in hac Vrbe instituendi Reuerendis Patribus, licet absentibus", praesente tamen Guilielmo Techtermann eorum vices gerente pratum suum in loco „Bisee" situm 320 florenis „monetae in hac Vrbe frequentis" vendere et eiusdem prati pretium iam pro rata parte accepisse: Petrum 200 florenos, Annam 120. Litteris Guilielmus Techtermann archigrammateus nomen subscripsit.

P. *Oliverius Manareus* visitator Monachio 25. Augusti 1581 Aquavivae praeposito generali * scripsit: Friburgo Helvetiorum „redijt p. Michael Marius cum exemplis duplicibus omnium contractuum ibi initorum, quorum vna in Archiuio prouinciae quod Augustae constitutum est reposita sunt. Altera Augustano Rectori [1] tradidi isthuc opportuno tempore transmittenda" (ex autographo. Germ. 159 f. 132[a]).

1299. **1. Augusti 1581.**

Ex autographa Manarei epistula et ex litterarum Aquavivae commentario. Germ. 159 f. 94[b].

De victus ratione Friburgi a Sociis observata et observanda. Canisius paene fame se necat.

P. Oliverius Manareus Societatis visitator Lucerna Kalendis Augustis 1581 Claudio Aquavivae praeposito generali scripsit:

Qui ho trattato del modo di uiuere di nostri Friburgensi quanto al vitto, cio è quanto al fare la Cucina in Casa loro, o, farsi portare il cibo cotto da qualche casa uicina come erauamo conuenuti in Friburgo [2]. Et finalmente ci risoluiamo essere meglio di cucinar' in Casa. Le ragioni sono il pericolo di dare da parlar' ad altri 2.° che saranno magiori le spese. 3° che d' inuerno è pericolo la notte di spesso caschare col magnare et cibi cotti et di [a] perdere ogni cosa. Jl p. Canisio allega primo Che mai haueranno cosa ben conccia in Casa sendo cusi pochi perche non sendo furniti li Collegi de cuochi buoni nella prouintia, molto mancho sarà prouista una missione et indi s'amalaranno tutti. 2° Che li Lucernesi [3] li haueano fatto intendere che si guardassero molto ben di fare la cuccina in Casa che patirebbono troppo et troppo spenderebbono. Ma qui non ho trouato tal patire ne persona che dica hauere detto tal cosa, di modo che sara stato detto da qualche persona che non sa del gouerno. 3.° che si apportarà il cibo la sera de dì et lo terranno caldo

a) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

[1] P. Gregorio Rosephio rectori collegii augustani.
[2] Vide supra p. 33. [3] Socii collegii lucernensis.

appresso il fuogo, et che sarà facile, poi che in Casa haueranno pane, uino, cagio et frutti. Jo piu m' inchino hora di cucinar' in Casa per l'esperienza c' hanno hauuta li Lucernesi che al principio si sonno seruiti del modo che porge il p. Canisio, con loro mala sodisfattione, et per ciò mi sforzarò di prouederli di qualcheduno à ciò atto, se si trouarà. Hora stanno à pensione, o, dozena in casa del preposito[1] et prima erano con un' altro prete del Capitolo[2], ma in effetto simili tauole massime in questo paese con conuengono à noi et quasi ordinariamente hanno conuitti, almeno si passano li termini della frugalita nostra et secularescunt nostri, saluo il p. Canisio, il quale per non dare mal essempio si lascia perire credo di fame, è molto estimato et mangna pochissimo, et realmente penso tal cagione farlo tanto sobriamente uiuere, perilche ho ordinato loro che per ogni modo di settembre c' haueranno altra casa et Chiesa come spero, muttino modo et che mangnino in Casa con libertà loro. Aspettarò sopra del modo la risolutione di V. P. R. mentre ch' andarò adochiando qualche buon Coadiutore[3].

*Aquaviva ad haec 31. Augusti 1581 Manareo * respondit:* Mihi placuit quod Reuerentia V. . . . scripsit se de coquina domestica statuisse · omnino enim ita faciendum fuerat, etsi paulo maiores expensas postularet, quoniam et aedificationi, et nostrorum quieti ac commodo ita melius consulitur.

1300. **M. Septembri et Octobri a. 1581.**

Ex litteris Costeri archetypis et Manarei autographis, quae sunt in Germ. 159 f. 139 140 199, atque ex registro Aquavivae, G. Sup. 1 f. 62a. Epistulis Costeri et Aquavivae usus est *Braunsberger*, Kat. [v. supra p. 414] 166.

Episcopus herbipolensis Canisium ad pontificem legare vult nec tamen voti compos fit.

P. *Franciscus Costerus, provinciae rhenanae (ad quam collegium herbipolense pertinebat) praepositus provincialis Herbipoli 3. Septembris 1581 Claudio Aquavivae praeposito generali haec, praeter alia, de Iulio Echter a Mespelbrunn episcopo principe herbipolensi (Würzburg) scripsit:* Episcopus Herbipolensis cuperet cum Summo Pontifice[4] tractari negotium sui seminarij, et quia nulli externorum uidetur fidere, cuperet de Societate aliquem Romam mitti, res quidem est pia, et in nullius praeiudicium, sed in magnam totius Franconiae utilitatem; tamen quia nostrj homines fere sunt iuuenes, et in ministerijs Societatis satis in suis Collegijs occupati, excusaui me; ex quo factum est, ut petierit ad se uocari ex superiori Germania P. Petrum Canysium, quem uellet ad Summum Pontificem mittere · scripsi ipsius desiderium R. P. Oliuerio[5], ut is pro sua prudentia, quod optimum fuerit constituat. *In registro vero epistularum ab Aquaviva in Germaniam superiorem a. 1581 missarum notatum est:* P. Oliuerio Visitatori scriptum est 28. octobris, ne permitteret P. Canisium Romam mitti ad negotia Reuerendissimi Herbipolensis tractanda. *Atque ipse Oliverius Manareus Aquavivae Augusta Vindelicorum 15. Novembris 1581 scripsit:* Quod ad petitionem Herbi-

[1] Petri Schnewly.

[2] Sebastiano Verronio parocho et canonico ecclesiae S. Nicolai; v. *Can.* VII 858 et supra p. 9.

[3] Anno 1582 Friburgum ad rem domesticam Sociorum curandam missus est Michael Sabaudus frater laicus (Cod. „Can. 47" f. 89a).

[4] Gregorio XIII. [5] Manareo visitatori.

polensem attinet de p. Canisio, jam pridem respondi p. Costero nulla ratione posse moueri de loco in quo est, et uix alibi posse utilius operam suam ponere.

Exstabant iam Herbipoli collegium quoddam pauperum litteris studentium et contubernium adulescentum litteris et humanitati operam dantium; in quo contubernio etiam iuvenes sacerdotio destinati habitabant; his tamen Iulius, ut praecepto concilii tridentini plenius satisfaceret, suum proprium „seminarium clericorum" aedificare volebat; cui consilio varias difficultates obiciebant canonici ecclesiae cathedralis. Ideo per Canisium, quem apud Gregorium XIII. plurimum valere noverat, facultatem impetrare volebat applicandi huic seminario et universitati cum eo coniungendae varia bona ecclesiastica, imprimis bona deserti illius monasterii S. Udalrici herbipolensis, quod olim moniales benedictinae incoluerant. Pontifex proximis annis hanc ei potestatem fecit (*Vit. Brander*, Julius Echter von Mespelbrunn, Würzburg 1917, 64—66; *C. Braun*, Geschichte der Heranbildung des Klerus in der Diöcese Würzburg I, Mainz 1897, 259—296).

1301. 8. Septembris 1581.

Ex commentario ab ipso Canisio scripto. Can. 39 f. 96a—100b.

Canisius pro contione queritur de novo mundo catholicos calumniante. Hi Mariam nequaquam faciunt deam. Mariae colendae rationes (ut rosarium) laudari debent.

Canisius Friburgi die sacro Nativitatis B. Mariae Virginis sive 8. Septembris 1581 orationem sacram sic exorsus est: „Esset fere necessarium, Catholicum contionatorem arma induere et quasi ad pugnam se parare, quoties uult suo muneri satisfacere, et loco Ecclesiae[a] obuiare nouis Schwermern, rotten vnd secten (qui nullam maiorem habent dilectionem[b], quam ad[c] nos et antiquos Catholicos insectandos et blasphemandos. Hoc autem praecipue faciunt in festis b. Virginis, quae illis non sapiunt[d], imo est illis amarum ut fel (2 ob quae uidemur illis superstitiosi (3 accusant cultum nostrum inutilem Deoque ingratum (4 putant nos Mariam facere Deam et aequare Christo domino et nimium illi tribuere quam creaturae. Sed in hoc apertam iniuriam faciunt Ecclesiae, quae contrarium semper credidit et docuit et obseruauit, Mariam habens pro creatura Dei, a quo solum ut a fonte Maria et nos omnes accipimus gratiam, qui solus remittit peccata, solus iustificat et saluat." Refellit deinde Canisius ea, „quae nouatores obijciunt praesenti festo", et ostendit, „quis uerus festi huius usus et fructus" sit. „Conclusiones" quoque quattuor ponit et variis rationibus probat ac confirmat: 1. „Non potest Deum diligere et Dei filius esse[e], sed indubie est vnus ex antiqui serpentis[1] semine natus[2], nec ad Dei regnum pertinet, qui de matre Domini irreuerenter et male loquitur aut scribit aut eam dehonorat." 2. „Quo maior noui mundi infidelitas apparet in honore Virginis offendendo et minuendo[f], eo magis laborandum est probis Christianis in laude et cultu Virginis promouendo conseruando et augendo[g]. Hic enim debent sequi exemplum ceci, qui reprehensus a populo quod deuote Christum inuocaret, ardentior factus est, tantoque magis clamauit. Matt. 20[3]. 3. „Etsi quisque nostrum non tenetur in Mariae laudem et honorem omnia[h] facere, quae ueteres fecerunt et deuoti adhuc faciunt passim, tamen[i] laudanda sunt illa et imitanda maxime, quae constat ab Ecclesia et praelatis eius recepta et approbata fuisse. Exempli causa . . . quod Rosarium ad eius laudem portamus et dicimus, meditando praecipuos articulos de

a) *Sequuntur vv.* respondere et, *oblitterata.* b) *Sequitur alterum* maiorem. c) *A C. correctum ex* contra. d) *Sex vv. sqq. a C. in margine addita sunt.* e) *Sequitur* qui, *oblitt.* f) *Sic C. correxit ex* apparet erga Virginem in laudanda et honoranda Virgine. g) *Sic C. correxit ex* ut suam fidem et deuotionem erga illam exerceant et ostendant *et ex* in eadem Virgine inuocanda et honoranda. h) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.* i) *Sequuntur vv.* in aliis, *oblitt.*

[1] Apc 12, 9. [2] Cf. Gn 3, 15.
[3] Cf. Mt 20, 30—31; Mc 10, 46—48; Lc 18, 35—39.

uita illius et filij. . . ." 4. „Licet maior cultus semper sit tribuendus Deo, Christo et Spiritui sancto quam Mariae uel cuicumque sancto, tamen sine dubio inter Sanctos[a] celi uel terrae omnes nulli maior ueneratio, reuerentia, honor tribui debet quam matri huic[b] propter Christum . . . hyperdulia illi debetur ut matri Dej" [c], quae „nullum peccatorem derelinquit, et veniam libenter reis impetrat."

1302. 8. Septembris et 1. Novembris 1581.

De congregationibus marianis iuvenum studiosorum et civium a Canisio Friburgi institutis.

Cum P. Oliverius Manareus Societatis visitator a d. 23. Iunii ad 20. Iulii 1581 Friburgi Helvetiorum versaretur, *Canisius et Robertus Ardrenus* eius socius ex Manareo quaesierunt: „An expediret hic paulatim institui fraternitatem." Respondit *Manareus:* „Videbatur utile fore, ut populus ad deuotionem et frequentiorem Confessionis et communionis usum hac et qualicunque ratione excitaretur." Quod responsum cum Manareus *Aquavivae* praeposito generali misisset considerandum et confirmandum, hic rescripsit, „posse institui fraternitatem" (v. supra p. 31 36). Canisius autem, auctoritate Manarei visitatoris, puto, contentus ac confisus, fraternitatem illam sive congregationem [1] iam antequam Aquavivae litterae Friburgum allatae erant, incohavit. Nam *Aquaviva*, ad Canisii epistulas 27. Augusti et 20. Septembris 1581 datas respondens, 26. Octobris 1581: „Gauisus sum", inquit, „de congregatione inchoata" (v. supra p. 49).

Praesto est Codex inter annos 1595 et 1608 Friburgi scriptus, qui ibidem apud praefectum congregationis marianae dominorum et civium asservatur et sic incipit (f. 1): „*Gemeine Regel* oder Satzungen denen zuhalten so sich in die Bruderschafft Vnser Lieben Frawen Assumptae genandt begeben wellen". Ibi edicitur, ut quotannis mense Septembri sodales se congregent „Gott vnnd Marie zu ehren vnnd dancksagung vmb diser Seligen Bruderschafft zu Rom ersten vrsprung, vnnd volgende in diser Loblichen Statt fortpflantzung, durch den Hoch-

a) *Tria vv. sqq. in margine addita sunt.* b) *Sic C. correxit ex* Dei. c) *Haec 6 vv. a C. in margine addita sunt.*

[1] In margine sigilli maioris congregationis marianae, quod Friburgi Helvetiorum apud praefectum congregationis civium asservatur, haec inscripta sunt: „† SIGILLVM : FRATERNITATIS : B: MARIÆ : FRIBVRGENSIS. 1582." Eadem congregatio civium mariana in codice legum suarum inter a. 1595 et 1608 scripto de quo plura postea „Bruderschafft" (fraternitas, confraternitas) vocatur. Ita etiam *Caspar Gropper* nuntius apostolicus in litteris Colonia 18. Decembris 1575 datis, quibus congregationem marianam coloniensem eiusque leges ratas habebat, haec scripsit: „Significatum nobis est a Patribus Societatis Jesu, in diversis . . . Collegiis suae Societatis . . . sodalitatem quandam seu confraternitatem erectam esse nomine gloriosissimae semper Virginis Mariae . . . cuius confraternitatis" etc. *Reiffenbergius* I, Mant. p. 53—54). Similiter *Georgius Nigrinus*, protestantium minister echzellensis (Echzell): „Der jüngst neugebacken Orden", inquit, „der Brüderschaft Mariae, welchen die jesuitische Brüderschaft ausgeheckt hat, und Caspar Gropper, des Papstes Legat, Gevatter gestanden" (Lehr, Glaubens vnd Lebens Jesu vnd der Jesuwider, das ist, Christi vnd Antichristi, s. l. 1581, f. 238).

würdigen H. Joannem Franciscum Bonhomium Seliger gedechtnuss Bischoffen zu Verzell Bäpstlicher Heiligkeit alhie Legaten[1], vnd die Ehrwürdigen Vätter der Societet Jesu erstlich angesehen, vnnd auffgebracht, vnder welchen der Gottgeliebte Hochgelehrte Herr vnnd Vatter Doctor Petrus Canisius sy alhie im Jahr 1581 anfengcklich hatt vff Marie Geburt ins werck gebracht" (f. 27ᵇ—28ᵃ).

Congregatio igitur haec, ab Assumptione B. Mariae Virginis denominata, cui etiam senatores, viri ecclesiastici, alii proceres nomina dabant, 8. Septembris 1581 incohata est. Quid autem de congregatione adulescentum litteris studentium, cui ab Annuntiatione B. Mariae Virginis nomen erat? Dictum aliquando est (*Revue* de la Suisse catholique XXI 385—390; cf. etiam *Genoud* 118—119): Valde probabile est, eam 29. Aprilis 1581 institutam esse. Verum hoc cum Canisii, Manarei, Aquavivae verbis modo positis manifeste pugnat; praeterea, si ea congregatio m. Aprili a. 1581 condita esset, Manareus visitator in copiosis illis relationibus, quas de Sociorum friburgensium rebus 2., 25., 26. Iulii 1581 scripsit et Romam ad praepositum generalem misit (v. supra p. 523—536), aliquam saltem eius mentionem fecisset. Aliter *Codex „L 193" bibliothecae reipublicae friburgensis, qui anno 1584 incohatus esse videtur et sic inscriptus est: „*Congregatio Mariana* Friburgensis. Bona opera 1584—1633." Ibi affirmatur, anno 1580 Kalendis Novembribus sive die Omnibus Sanctis sacro congregationem „B. Mariae V. Annuntiatae" Friburgi institutam esse (f. 1ᵇ). Similiter *Franciscus Castellus* eiusdem congregationis praefectus nomine totius congregationis Friburgo Kalendis Maiis 1593 congregationi dilinganae* scripsit: „Exordiar a principio huius sodalitatis D. Matris quod anno MDLXXX die omnibus coelitibus sacro a Reuerendo P. Petro Canisio datum fuit" (ex apographo eiusdem fere temporis, quod est Friburgi in bibliotheca reipublicae, Cod. „Congr. Mar. Bona Opp. Epistolae", f. non sign.). Fatendum quidem est, duas has relationes (quarum posterior fortasse ex priore derivata est) in anno assignando lapsas esse; difficilius autem creditu est, eas in die quoque errasse[2]; nam eiusmodi dies facile memoria retineri possunt.

[1] Bonhomius a. 1579 et 1580 Friburgi aliquamdiu moratus est; fortasse iam tunc congregationis marianae institutum, cuius utilitatem alibi cognoverat, Friburgensibus commendavit, certe post discessum sodalibus friburgensibus ad indulgentias a summo pontifice impetrandas adiutor fuit; v. supra p. 103—104.

[2] Lapsus est similiter *Thomas Hildebrand* S. J., cum in „Sodali Mariano Friburgensi", Friburgi Helvetiorum a. 1757 edito, ex „Annalibus" sodalitatis Annuntiationis B. Mariae V. affirmavit, sodalitatem a Canisio Kalendis Novembribus 1580 institutam esse (p. 45). Magis etiam a veritate alienum est, quod in „Note sur la première institution des Congregations de la très-sainte Vierge et la part qu'y a prise le B. Canisius" apud *Alet* 330—334 (qui haec „par le R. P. Helffer jésuite fribourgeois" secum communicata esse scribit) de hoc congregationum marianarum instituto affirmatur: Canisium esse primum eius auctorem; congregationem huiusmodi ab ipso (Coloniae) a. 1545 incohatam, deinde in Italia (Messanae) a. 1548 constitutam esse; in Germania congregationes iam ante mortem S. Ignatii multis locis floruisse. Similia dicuntur a *Raemy de Bertigny* 178—179 qui et ipse scribit, se haec a

Existimo igitur, hanc congregationem Kalendis Novembribus a. 1581 institutam esse.

In Codice „L. 193", quem supra dixi, hoc quoque narratur: „Primus omnium hanc Sodalitatem rexit P. Robertus [Ardrenus] . . . Communi suffragio Pancratius Pittung in Praefectum est electus . . . Assistentes delegerunt ex toto numero Nicolaum Meyerum et Carolum a Diesbach" (f. 2ᵃ). Pancratius Pittung sive Python ille ipse adulescens litterarum studiosus erat, qui m. Decembri 1580 Canisium Friburgum advectum latina oratione salutaverat (v. *Can.* VII 859). Nicolaus Meyer unus ex quattuor primis Sociorum friburgensium discipulis fuit et postea archigrammateus („Ratschryber") factus est (Cod. „Syllabus Discipulorum" gymnasii friburg. f. 11ᵃ. Friburgi in bibliotheca cantonali). Carolum quoque a Diesbach iuvenem litterarum studiosum fuisse, et Canisium, si non ante, certe m. Septembri 1581 eius curam aliquam gessisse ostensum est supra p. 45. Societatis quidem scholae tunc nondum erant apertae; sed Friburgi iam exstabat schola latina eaque „trivialis" (*Fontaine* 14—15 30 40; *Berthier*, Bonh. XL—XLI). Nicolaus Meyer perinde ac Carolus a Diesbach ex prima reipublicae nobilitate erat (*Agricola* I Dec. 5 n. 7). In processu beatificationis Canisii Friburgi a. 1627 instituto *Antonius a Montenach*, qui tunc reipublicae archigrammateus sive cancellarius erat et antea tribunus plebis et praefectus grüeriensis (Gruyères) fuerat, dixit, se ex primis, quos Canisius in sodalitatem recepisset, fuisse (ex actorum processus apographo; Cod. „Prot. Ap. I" f. 684ᵇ. Etiam in „Positione" a. 1734, Summ. p. 35). Mirari sane nemo potest, Canisium, quam primum fieri poterat, iuventutem illam litterarum studiosam, quae propter protestantium viciniam summis periculis exposita erat, in sodalitatem marianam congregasse.

Et civium, et studiosorum congregatio, ut ex testimoniis allatis intellegitur, Canisium auctorem patremque iam inde ab initio professa est; quem sodales postea quoque tum vivum tum mortuum multis filialis gratitudinis et amoris testificationibus prosecuti sunt; de qua re infra plura dicentur.

Quas leges Canisius ipsis his initiis sodalibus friburgensibus dederit, non constat. Verisimile tamen est, eum, quantum fieri poterat, ea fere praecepta iis dedisse, quibus congregatio coloniensis a P. Francisco Costero instituta regebatur; hanc enim congregationem Canisius, ubi primum cognovit, magnis laudibus extulit (*Can.* VII 422). Colonienses autem sodales, Beatissimam Virginem eo consilio colentes atque imitantes, ut et se ipsi sanctos redderent, et aliorum salutem et in pietate progressum curarent, saepe peccata confitebantur sacramque eucharistiam sumebant, frequentes conventus eosque statis diebus habebant, opera

---

P. Helffer accepisse) et in „*Annales* du B. P. Canisius" I, Fribourg (Suisse) 1899, 25. Lectu vero valde digna sunt, quae de congregatione friburgensi scripsit „F. D." *(F. Ducrest)* ibidem IX 20 137 173.

paenitentiae faciebant, haereticis ad fidem, peccatoribus ad meliorem frugem reducendis operam navabant, pauperes infirmosque iuvabant (*Duhr*, Jes. I 357—362; *Wilh. Kratz* S. J., Aus alten Tagen, Innsbruck-Wien-München [1917] 192 195—196 203—204). Plura de sodalium friburgensium pietate infra dicentur. Vide etiam *Genoud* 121—125.

Anno 1881 in Congregationis B. Mariae V. „annuntiatae" sive ab Angelo salutatae, ante 300 annos a Canisio conditae, memoriam pulcher cusus est nummus aeneus; in una eius parte Annuntiatio Virginis, in altera Canisii facies cernuntur.

1303. 8. Septembris 1581.

Canisius Friburgi Helvetiorum congregationem marianam mulierum incohat.

Friburgi Helvetiorum apud congregationem marianam mulierum exstat Codex membraneus in 4°, qui sic inscribitur: „Marie Fruchtgarten zü Wolfarth irer Bruderschafft. Für ein gottselige Christliche gemein der Wijbern zu Frijburg". Conferenti mihi hunc codicem cum *Sebastiani Verronii* „Itinerario" germanico, quod supra p. 15 dixi, et cum eiusdem autographis germanicis, quae Friburgi in bibliotheca Patrum Minorum Conventualium asservantur, persuasum est, eum fere integrum scriptum esse manu praeclari illius viri Canisio amicissimi, qui a. 1580 ad 1590 parochus urbis friburgenis, deinde praepositus capituli S. Nicolai, administrator et vicarius generalis episcopatus lausannensis fuit († 1614). In huius igitur codicis praefatione (p. 2—3) Verronius de friburgensi congregatione ab Assumptione B. Mariae Virginis denominata haec scribit: „Ob glychwol aber dise andechtige Bruderschafft angehends allein für die Manspersonen angesehen, vnd die Frauwen nitt allenthalben darzu gelassen worden, So sind doch in diser loblichen Statt zu solchem fürderlichen der seligkeitt mittel, auch die Wybspersonen angenommen worden, diewyl neben andern ursachen, der Gottgeliebte Altvatter, Doctor Petrus Canisius es von anfang also angesehen, sich auch die wyber mit grosser geneigter andacht darzu begeben, vnd die Congregation, eben wie sy im 1581. Jar von Mans- vnd Wybspersonen alhie angehebt, also im 1583. Jar, von Bäpstlicher Heiligkeitt Gregorio dem XIII. des namens, auff anhalten der Ehrwirdigen Societet, mitt ablass ist begabt vnd bestättiget worden."

Apud eandem congregationem mulierum exstat Codex chartaceus in 2°, in quem omnium mulierum virginumque, quae ab anno 1581 ad 1690 in eam receptae sunt, nomina sunt relata. Quae nomina etsi neque anno 1581 neque proximis annis scribi coepta sunt, dicendum tamen est, codicem ante a. 1613 ac fortasse iam saeculo XVI. incohatum esse. In eo haec leguntur (f. 1b): „Verzeichnuss Der andechtigen Frauwen, vnnd Jungfrauwen, die zu der seeligen Bruderschafft vnd Congregation Vnser Lieben Frauwen der vberhochgebenedeitten Jungfrauwen Mariae Himmelfardt, sind angenommen worden. — Im 1581. Iahr · Frauw Margaretha Odet, genandt Füijo, Erste Präfectin, Herrn Doctor Peter Quentzis der Statt Fryburg Medicus vnd dess Raths.

eheliche Hussfrauw. — Volgt die ordenliche vffnemmung der Schwestern vnder Jren — Erstlich Fl. Maria Früijo genandt Gottrouw — Perissle Bourgeij. Vergabet der Bruderschafft 300 libras, dass ist ein Hauss, welches vmb die Summa verkaufft worden. — Jm 1582. Jahr. — Erste Präfectin Frauw margreth Odet fünff Jahr lang, von dem Gottseeligen D. Patre Petro Canisio Societatis JESV Theologo gsetzt. Frauwe Ambrosia Haberkorn H. Ludwigen Bassets bij sijnem leben venner der Statt Fryburg Ehegemahel" etc. Anno 1582 sodales receptae sunt 16. Haec ostendunt, pias illas mulieres, si forte 8. Septembris 1581, quo sodalitas B. Mariae in caelum assumptae inchoata est (v. supra p. 542), cum viris in unum eundemque coetum admissae sunt (id quod equidem admittere vix possum), certe paullo post ab iis separatas, Canisio auctore suam propriam congregationem constituisse. De qua cf. *Genoud* 114 ad 118; *Duhr*, Jes. I 480—481; *Kratz* 180—189.

In processu beatificationis Canisii Friburgi a. 1627 instituto *Michael Faber* civis friburgensis, 61 annos natus, qui eum Friburgi ab anno 1580 ad 1597 noverat, testatus est, Canisium „Congregationes uirorum ac mulierum instituisse". In eodem processu prolatum est testimonium *Jacobi Stutz*, viri ex senatu maiore reipublicae; qui a. 1581 Canisii famulum egerat et testimonium dixit de „institutione duplicis Congregationis uirorum et mulierum, quas ipse [Canisius] instituit ac gubernauit" [1] (ex testimoniorum apographis a P. Petro Hugone scriptis. Can. 63 f. 130ᵃ 130aᵃ). Eadem testimonia typis exscripta sunt in *Positione* a. 1734, Summ. p. 17. 18. Ex eadem *Positione* cognoscitur, idem in eodem processu testatos esse Antonium a Montenach archigrammateum friburgensem (de quo supra p. 543), Simonem Gurnel ex maiore senatu reipublicae friburgensis, qui Canisium ab a. 1580—1597 noverat, Pancratium Geruer senatorem friburgensem, qui eum ab a. 1589—1596 noverat (Summ. p. 14 25 35).

1304. 1580—1597.

Adulescentes, qui Canisio sacrificanti ministraverunt. Altare eius.

Pancratium Python (de quo v. supra p. 543) Canisio „primum a Sacris ministrum" fuisse narratur in veteri * *Historia* collegii friburgensis (Cod. frib. „Hist. coll. Frib." p. 194. In processu beatificationis Canisii Friburgi a. 1627 instituto prolatum est testimonium *Iacobi Stutz*, viri de senatu maiore reipublicae, qui affirmaverat, se Canisii „Sacrificio saepissime ministrauisse". In eodem processu nobilis vir *Pancratius Geruer* senator friburgensis testatus est: Patri Canisio „aliquoties magno cum meo solatio ad altare ministraui, gauisus nimirum, datam mihi occasionem, quod hoc facere potuerim" (ex testimoniorum apographis sub medium saec. XVII. sriptis. Can. 63 f. 130ᵃ 132ᵇ; etiam in „Positione" a. 1734, Summ. p. 14 17). P. Petro autem Hugoni S. J. sub medium saeculum XVII. *Simon Petrus Meyer* senator friburgensis narravit, patrem suum, cum adulescens esset, Canisio sacrum facienti saepe ministrasse (ex Hugonis relatione autographa, Can. 63 f. 138ᵃ). Videtur is fuisse Nicolaus

[1] S. *Ignatius* iam a. 1546 Sociis aliquibus hispanis mandaverat, ut pias mulierum sodalitates instituerent: Monumenta Ignatiana. Ser. I, Tom. 1. Matriti 1903. 419 421—422.

ille Meyer, qui ex primis Sociorum friburgensium discipulis (v. supra p. 543) et ex primis praefectis sodalitatis minoris marianae fuit (Cod. friburg. „Congr. Bona Opp.“ [v. supra p. 542] f. 2a 3a).

H. Raemy de Bertigny a. 1852 affirmavit, in parochialis ecclesiae gruerianae (Gruyères, pagus cantonis friburgensis) sacello S. Michaelis asservari primum altare, quo Societatis sacerdotes Friburgi usi essent. „On prétend que le vénérable P. Canisius y a souvent célébré la sainte messe“: Friburgum Helvetiorum Nuythoniae · Chronique Fribourgeoise du dix-septième siècle, Fribourg en Suisse 1852, 491. Altare hoc, S. Michaeli sacrum, senatus friburgensis Sociis commodaverat; qui illud a. 1618, ut ex R. P. *Apoll. Dellion* O. Cap. accepi, senatui restituerunt. Anno 1856 maior pars ecclesiae gruerianae et cum ea altare S. Michaelis incendio periit.

1305. 1582.

Canisii Catechismus minor editur Antverpiae, Dilingae, Duaci, Friburgi, in Polonia.

1. *Augustinus de Backer,* Societatis bibliographus, haec habet: „Petit Catechisme des Catholiques fait premièrement en Latin, par M. Pierre de Canis, Docteur en la S. Theologie de la Compagnie de Jesus. Traduict en françois pour le prouffit et utilité de la jeunesse. Reveu maintenant et corrigé sur la derniere edition latine de l'Autheur. En Anvers, chez Daniel Vervliet, 1582, 8°, pp. 32, car. imitant l'écriture“: Bibliothèque I² 1061. Eadem (ex De Backer, ut videtur) ponit *Sommervogel* II 650; nisi quod verba „caractère imitant l'écriture“ (= typi italici sive cursivi?) omittit.

2. *J. B. Reiser* ponit: [Petri Canisii] „Institutiones Christianae pietatis. Dilingae 1582“: B. Petrus Canisius als Katechet, Mainz 1882, 66. Et *Sommervogel:* „Institutiones . . ., Dilingae, 1582, 16°“ (II 637). *De Backer* haec non habet.

3. Petri Canisii Catechismum germanicum, a. 1582 Dilingae typis exscriptum, commemorat *Elias Hasenmüller,* Jesuiticum Jejunium, Francofurti ad Moen. 1595, 83. *Sommervogel* habet: „Deutscher Katechismus. Dilingen 1582“: Bibl. II 628. De Backer haec non habet.

4. „‚Le petit catéchisme des catholiques. A Douay, de l'imprimerie de Jean Bogard, libraire juré, à la bible d'or, l'an 1582‘ avec une épître ‚aux formateurs de la jeunesse de Douay, Valenchiennes et Tournay‘“: Ita „*Analectes* pour servir à l'Histoire ecclésiastique de la Belgique“, XVII 319[1].

5. De Catechismo minore Canisii a. 1582 Friburgi Helvetiorum germanice atque, ut videtur, etiam gallice edito v. supra p. 494—496.

6. Affirmat P. *Stanislaus Załęski* S. J., a. 1582 a P. Basilio Zamaski editum esse polonice „Katechizm Kanizyusza“: Jezuici w Polsče Tom. I (2), Lwów 1900, 552.

In Anglia apud catholicam quandam familiam exstat exemplum catechismi canisiani, in cuius folio titulari haec scripta sunt manu Thomae Tresham, viri nobilis catholicique, qui pater erat Francisci illius Tresham, qui famosa illa coniuratione „Gunpowder Plot“ nuncupata implicatus erat: „Jesus, Jesus, esto mihi Jesus! Tho. Tresame: Prisoner! 1582 dece 9th Nulla infelicitas frangit quem felicitas nulla corripit“. Ita „*The Tablet*“, October 29, 1898, p. 704.

1306. 1582.

Canisii institutio ad confessionem et communionem Dilingae editur.

Friburgi Helvetiorum in bibliotheca reipublicae duo exstant Catalogi manu scripti (in 2°) bibliothecae collegii Societatis Iesu friburgensis, sub a. 1773 suppressi. Unus membrana, alter corio fusco vestitus est. Ille in dorso inscriptus est „CATALOGVS Bibliothecae vetus“ atque ante exitum saeculi XVI. incohatus et fere ad a. 1626 perductus esse videtur. Ille in initio hunc habet titulum: „Catalogvs Bibliothecae Collegii Soc. Iesv Fribvrgi Helvetiorvm. Renouatus Anno Domini MDCXXVII“ et ita, ut videtur, compositus est, ut ex priore illo catalogo non pendeat. Qui duo

catalogi propterea pretiosi sunt, quod multi ex libris in eisdem recensitis Friburgi iam non reperiuntur. Uterque Catalogus in *Canisii* operibus hoc habet: „Beicht- und Communionbüchlein. Item Betrachtungen durch die ganze Woche. Dilingen 1582. 12°". De prima huius opusculi editione vide *Can.* VI 680. *Sommervogel* editionem anni 1582 breviter commemoravit IX 1980.

1307. 1582.

„D. | HIERONYMI | STRIDONIENSIS | EPISTOLAE SELECTAE. | & in libros tres distributæ | opera D. Petri Cani- | sij Theologi: | *Nunc primùm ad exemplar Mariani* | *Victorij Reatini, Episcopi Ame-* | *rini, emendatæ, argumen-* | *tisque illustratæ.* | Cum rerum & verborum Indice | locupletissimo. | PARISIIS, | Apud Sebastianum Niuellium, | sub Ciconiis, via Iacobæa. | M. D. LXXXII. | CVM PRIVILEGIO REGIS."

16°; ff. sign. 417; praeterea ff. non sign. in initio 16 (addito titulari) et in fine 45. F. a IIa — [a VIIIa] Canisii litterae dedicatoriae ad universitatem dilinganam Augusta Vindelicorum a. 1565 datae; f. [a VIIIb] „Summa privilegii", Sebastiano Nivellio typographo ad 5 annos dati, Parisiis 24. Martii 1578 ab Henrico III. Galliarum et Poloniae rege „subsignati" et 17. Iunii 1578 „senatus consulto Parisiensi comprobati". Cui summae addita sunt verba „Impressum est autem hoc opus 27. Febr. anni 1582". In fine libri index rerum alphabeticus isque copiosissimus. Vidi huius operis exemplum, quod est Monachii in bibliotheca nationali (P. lat. 784). Liber exstat etiam Mediolani in bibliotheca ambrosiana. *Sommervogel* hanc editionem non posuit.

1308. 1582.

Sacrae orationes a Canisio Friburgi habitae. De Pseudoprophetis, stipis largitione, B. Maria Virgine et ceteris Sanctis recte colendis, iuventute probe instituenda et collegii friburgensis scholis aperiendis, superstitione vitanda, virginitatis praestantia, catechismo discendo, imperiis civilibus procerum ecclesiasticorum.

In Codice contionum a Canisio a Kalendis Maiis a. 1581 ad d. 29. Septembris 1582 habitarum (Can. 39) commentarium contionis 28. Decembris 1581 habitae proxime sequitur commentarium orationis 10. Augusti 1582 habitae (f. 155b). Nec tamen inde sequitur, eum tempore his duabus contionibus interiecto contionatum non esse. Nam in ipsa contione diei 10. Augusti orationis „proxima Dominica" sive 5. Augusti a se habitae mentionem fecit; et *Bonhomius* nuntius apostolicus Vindobona 13. Martii 1582 P. Roberto Ardreno, uni ex Canisii sociis friburgensibus, qui eum de collegii illius prosperis initiis certiorem fecerat, respondit: „Magnam ex eo consolationem coepi, quod et Pater Canisius solitas conciones, et P. Antonius lectiones prosequuntur, tanto cum spiritali fructu, et Friburgensium applausu et frequentia" (v. supra p. 76). Quare eum, sicut anno superiore eo tempore contiones fere 45 habuit, ita eodem tempore anni 1582 fere 40 orationes sacras habuisse conicio, quarum partem maiorem habuerit in templo S. Nicolai, reliquam fere in aede B. Mariae V.; sive orationum illarum commentaria in aliquo codice, qui iam non praesto est, scripsit, sive usus est uno ex codicibus contionum antea in Germania habitarum; hos enim secum Friburgum portavit.

„Jn ferijs S. Laurentij Mart." sive 10. Augusti 1582 (qui eo anno erat dies Veneris). „Tria nobis hodie peragenda. 1 processio hebdomadaria instituenda ad S. Crucem. 2 Festum S. Laurentij celebrandum 3 Euangelium in corde inscribendum"... „Euangelium proximae Dominicae [Mt 7, 15—21] tribuit nobis occasionem tractandi

de pseudoprophetis et prauis eorum fructibus. . . . Quia uero Christus serio praecepit, ab huiusmodi pseudoprophetis cauere, monstrauimus quinam contra hoc praeceptum hodie peccent. 2 quoniam multi pseudoprophetae hodie surrexerunt et multos seducunt [Mt 24, 11; Mc 13, 22], etiam assignauimus quomodo Christianus probus se gerere debeat tempore tam periculoso, ut suam fidem illaesam seruet ab errore et deceptione Pseudoprophetarum, qui hodie tot sectas instituunt et defendunt, quique communem turbam in religione tam dubiam reddunt, vt multi nesciant quid credere debeant, utque non solum oppida, sed et prouintiae et regna omnino ab una, uera, et veteri et Catholica fide magis ac magis deficiant, et pauci uere Catholici maneant. Vbi puto bonum et utile fore hanc quaestionem proponere et declarare. Quare permittat Deus tantam potestatem pseudoprophetis . . . 2° quomodo quilibet debeat notare tria in hoc festo nempe fidem suam, 2 conuersationem suam. 3 exitum uitae suae, et in illis exemplo S. Laurentij se conformare, vt sit nobile et fructuosum granum frumenti, de quo Christus loquitur in Euangelio [diei: Io 12, 24—26] (comm. autogr.; Can. 39 f. 156^b—157^b).

„Dominica nona" post Dominicam Trinitatis sive 12. Augusti 1581 „de iniquo dispensatore" [Lc 16, 1—9]. „Quomodo dictum Christi, facite uobis amicos [de mammona iniquitatis, Lc 16, 9] ad uerae fidei confirmationem nobis seruire queat." „Qui praecepto Christi contraueniant et pauperes non amicos, sed hostes sibi faciunt." „Warumb das ein Christglaubiger sein Almußen dem armen gern miltiglich vnd reichlich mittheilen soll." „Was vns abhalt vnd verhindert, das wir vnsere Christlichen almußen den lieben armen nit mithailen". Extremo commentario Canisius haec ascripsit: „Nota dictum, Facite uobis amicos, quot modis et quibus applicari hodie possit, et maxime magistratibus negligentibus curam et opem pauperum hoc tempore quia non seruare iubent bonam politiam" (comm. autogr.; l. c. f. 158^a—162^b).

„Jn festo Assumptionis Virginis" sive 15. Augusti 1582. „Credo nullum mihi uitio uersurum, si faciam more boni et prouidi hortulani, qui primum extirpat zizania et deinde bonum semen inserit. Noui hortulani paucis abhinc annis multas malas et venenosas herbas plantarunt in nouis hortis, ex quibus hoc malum semen creuit quod festum hodiernum et eius institutionem ferre non possunt, sed passim illud abrogant, quia non sit satis probatum et fundatum 1 quia nil de illo legitur in nouo test. scriptum 2 Euang. festi non congruat festo. 3 nos Catholici non seruamus modum in laudanda et honoranda Virgine. Hinc putant se satis excusari quod priuant Virginem ueteri cultu, 2 Deum ipsum. 3 fideles fructu ipso festi et honore usitato Virginis. Ad haec primum breuiter respondebimus. 2 de usu et fructu festi celebrandj 3 quomodo status omnes in hodierno Euang. bonam et vtilem habeant admonitionem" (comm. autogr.; l. c. f. 162^b—167^a).

„De S. Bartholomeo" apostolo; cuius dies festus 24. Augusti 1582 agebatur. „Hodiernam concionem aliter ordiri nescio, quam sicut ante annum hoc ipso loco exorsus sum, nempe cum breui gratiarum actione . . . Et certe dignum et iustum esset, . . . [Deo] gratias agere, quod nobis hunc annum ex mera gratia ita benedixit, nostras fruges et vinum vor regen, windt, donner vnd hagel, durre vnd hitze conseruavit, tam frugiferum autumnum concessit. . . . Ecce cum tali gratitudine hodierna processio esset instituenda". Deinde ex evangelio diei dicit „de ambitione". Ubi hoc, praeter alia, quaerit: „An Christus in hoc Euang. secularem aut spiritualem primatum prohibuerit sicut quidam nunc sentiunt" (comm. autogr.; l. c. f. 167^a—172^a). Plura vide infra, monum. 1312.

„Jn festo natiuitatis B. Virginis" sive 8. Semptembris 1582. „De retinendo festo contra aduersarios". „Dicam 1° cur bonum sit scire et considerare 7 uerba Virginis in Euang. scripta. 2 quomodo septem illa uerba Virginis utilitatem nobis adferant" (comm. autogr.; l. c. f. 172^b—174^b).

„Jn festo S. Matthaei" sive 21. Septembris 1582. Ex evangelio diei Canisius ostendit, „quomodo probus Christianus gaudere et tristari possit"; deinde de ieiunio quattuor temporum dicit (comm. autogr.; l. c. f. 175^a—178^a; 188^b—189^b).

„Jn festo S. Michaelis" sive 29. Septembris 1582. Ex evangelio dicit de angelis, de puerorum institutione, de „scandalo". Ac de pueris haec, praeter alia, monet: „Facile considerant sapientes, principes et magistratus esse laudandos, cum bonas faciunt prouisiones et ordinationes de scholis, in quibus Christiana iuuentus in literis et moribus instituitur. Bonum enim homini cum portauerit iugum ab adolescentia [Thr 3, 27]. Memento creatoris tui in diebus iuuentutis Eccles 12 [Eccle 12, 1]. Et Eph. 6 dicitur parentibus Educate filios in disciplina et correptione Domini [Eph 6, 4]. Quicumque ad talem puerorum institutionem suum consilium fauorem et opem conferunt, Christi doctrinam et exemplum facto confirmant, 2 officium faciunt Angelorum pueros custodientium, 3 expectare habent speciale praemium apud Deum 4 laudem apud ipsos pueros etiam grandaeuos 5 participes faciunt se benefactorum consequentium in omni statu. Hoc dixerim etiam ob nouam scholam cito inchoandam per Dei gratiam, quando Domini senatores iudicarint commodum esse. Et peto communes preces bonorum ad Deum faciendas pro felici ingressu ad laudem Dei, ad profectum oppidi, ad iuuentutis utilitatem" (comm. autogr.: l. c. f. 178ᵇ—184ᵃ).

„Dominica 20ᵃ post Dom. Trinitatis sive 28. Octobris 1582 „Euang. Matt. 22 de nuptijs filij" [Mt 22, 1—14]. „Omisso Euangelio de festo Apostolorum" Simonis et Iudae (quod festum eodem die 28. Octobris agebatur) „agemus tantum de alio Dominicali, et circa illud tria ordine tractaturi [sumus]. 1 quomodo simplex habeat breuiter et utiliter in hac parabola notare multa et magna fidei nostrae mysteria. 2 quare omnibus aetatibus uerificetur ultima sententia Euangelij Multi sunt uocati, pauci uero electi [Mt 22, 14]. 3 Quomodo sit nobis utendum illa sententia, quam dixit Paterfamilias, Amice quomodo huc intrasti, non habens uestem nuptialem? [Mt 22, 12.]" In fine contionis Canisius ostendit „quomodo Euang. seruiat, ut ad futurum mox festum [Omnium Sanctorum] se quisque praeparet ac disponat" (comm. autogr.: Cod. Can. 37 f. 1ᵃ—6ᵃ).

„Jn die festo Sanctorum", sive 1. Novembris 1582, „cui quomodo recte conuenit Euangelium" diei. „Quid respondendum communibus argumentis neoChristianorum, qui Sanctos honore suo libenter spoliant, et nos Catholicos accusant, quod Sanctos hodie et toto anno nimium colimus, et quasi superstitiosi simus ac idololatrae." „Cur consultum et expediens sit Christianum circa Sanctos et eorum cultum saepe et libenter versari". „Qui hodie potissimum in Sanctos peccent." In „abusibus Catholicorum circa cultum Sanctorum" Canisius hos, praeter alios, ponit: „Celebrant festa Sanctorum, sed ut daemones magis laetificent quam sanctos, qui non possunt magis contristari quam quod Dei praecepta sic turpiter uiolantur crapula, ebrietate, leuitate, tripudijs et nugis et inordinata vita. Multi exercent superstitiones suas, deputantes sibi certos Wetterheiligen 2 qui prosint ad mactandum boues oder schweinen oder fleisch zesalsen, et quando den Rossen das ader lassen, et quod herbae extrahantur in certis uigilijs. Communis abusus est currere ad sanctos pro corporalibus necessitatibus nostris et bestiarum: raro aut nunquam eos honoramus pro extirpatione uitiorum, pro emendatione uitae, pro incremento in iustitia, patientia, deuotione, castitate" (comm. autogr.: l. c. f. 6ᵇ—11ᵃ).

„Alia de Sanctis et eorum cultu tractatio infra octauam [Omnium Sanctorum] et primum de Regulo Joan. 4"; quod evangelium legebatur Dom. 21 post Trin. sive 4. Novembris 1582. „Dicam primo quomodo Regulus laudabiliter se gesserit, et nobis exemplum dederit Christum et eius doctrinam recte acceptandj", deinde, „an Christianus in uita et morte se consolari possit super aliorum praesertim Sanctorum intercessione" (comm. autogr.; l. c. f. 11ᵇ—14ᵇ).

„Jn festo S. Catarinae" virginis et martyris sive 25. Novembris 1582. „Quomodo Christianus praesens Euang. sibi utile reddere possit et quid ex eo praecipue discere debeat". „Quid de uirginitate credendum et tenendum." „Quomodo Euang. confirmat nos Catholicos in uera et ueteri nostra fide" (comm. autogr.: l. c. f. 15ᵃ—18ᵃ).

„Dominica 1ᵃ Aduentus" sive 2. Decembris 1582 „apud D. Virginem". „Bonum, laudabile, imo et necessarium est omnibus et singulis Christianis, ut ubi possunt,

audiant et discant suum Catechismum, id est praecipuas partes Christianae doctrinae. Sic enim possunt et debent reddere rationem, cum interrogantur de sua fide, de oratione, de praeceptis decalogi, de 7 sacramentis, de cauendis peccatis, de bonis faciendis, ut iusti et salui fiant. . . . Accidit autem ut qui hic Catechismum proponit[1] et docet impeditus non possit officio suo respondere, sicut solet, et ita debeo illius supplere locum hodie, et aliquid dicere pro simplicibus et junioribus. Statui ergo hac hora tractare quod omnes merito scire deberent de Aduentu, quem hodie inchoamus, et idcirco dicimus, Est dominica 1 Aduentus. Dicam ergo primum quid Aduentus dicatur et sit. 2 quomodo boni debeant illum libenter acceptare et celebrare. 3 qui aduentu suo abutantur, et in illum peccent" (comm. autogr.: l. c. f. 18b—20a).

„Jnitium concionis feriae 4 post Dominicam 3 Aduentus" sive diei 19. Decembris 1582 (quae tunc erat feria IV. quatuor temporum): „Fortasse pius aliquis mirabitur, quomodo et quare hoc Euang. auditum [Lc 1. 26—38] nunc legatur et cantetur. . . . Ad hoc primum respondebo. 2° dicam sitne verum quod obijciunt nobis aduersarij quod peccemus in hoc Euang., et abutamur Angelica salutatione 3 quomodo se quisque tenere debeat in vnd bey seiner Fronfasten" (comm. maximam partem manu ignota scriptum: reliqua Canisius ipse scripsit: l. c. f. 20a—23b). Canisium sacro hoc Adventus tempore non solum duas orationes hic notatas, sed etiam plures habuisse verisimile est tum ex ipso hoc commentario, tum ex contionibus ab eo a. 1581 et 1583 habitis.

„Jn die Christi natalitio" sive 25. Decembris 1582. „Quomodo Christus paruulus in hoc festo considerandus. Quis usus et fructus huius considerationis de paruulo? De pastoribus" (comm. autogr.: l. c. f. 24a—27b).

Boero (Can. 384) res a. 1582 a Canisio gestas narrans haec, praeter alia, affirmat: „Essendo venuti in Friburgo a trattar col Consiglio varii Legati delle città confederate, vollero farsi ad udire le prediche del Canisio, stante la fama che da per tutto ne correva, come di uomo ugualmente dotto e santo; e ne furono sì presi, che i più di essi, abiurata l'eresia, si riconciliarono pubblicamente con la Chiesa, e i loro esempio fu seguito da altri venti". Ex Boero haec transcripserunt *Garcia* (312 ad 313) et *Daurignac* (365—366). Fortasse Boero ea hausit ex litteris annuis collegii friburgensis, sub exitum a. 1582 datis. Has non repperi.

1309. 1. Ianuarii 1582.

Ex litteris archetypis, Manarei ipsius manu subscriptis. Germ. 141 f. 67a. Cum ex congregationis generalis quartae, a. 1581 habitae, decreto a. 1582 ex omnium provinciarum litteris annuis brevitatis gratia Romae unum volumen confici coeptum esset, in quo res a tota Societate eo anno gestae magno delectu narrabantur (*Sacchinus*, Hist. S. J. V[1] l. 1, n. 2), *Ioannes Antonius Valtrinus* S. J. has Manarei litteras in brevem summam (multis rebus omissis) contractas posuit in libro „*Annuae* litterae Societatis Iesv anni MDLXXXI", Romae 1583, 194.

Canisius Friburgum advectus. Iniuria bernensis. Amici et inimici. Contiones, catecheses, confessiones, sodalitates. Timores protestantium.

P. *Oliverius Manareus* S. J. in litteris annuis provinciae S. J. Germaniae superioris Augusta Vindelicorum Kalendis Ianuariis a. 1582 ad Claudium Aquavivam praepositum generalem datis de „Missione Friburgensi", cui visitandae ipse a d. 23. Iunii ad 20. Iulii 1581 operam dederat, haec narravit: „Pontificis Maximi mandato[2], annus prope est, quod duo e nostris[3] in hanc missionem sunt profecti ut Collegio futuro initium aliquod darent. Nostri patres cum Friburgum cum Reueren-

[1] Is fuisse videtur P. Antonius Balduinus: v. supra p. 79.
[2] Gregorii XIII.: v. *Can.* VII 835—844.
[3] PP. Petrus Canisius et Robertus Ardrenus.

dissimo Nuncio Apostolico [1] proficiscerentur, publice a Bernatibus (ciuitas est haeretica) ludibrio et contumelijs excepti sunt [2], Friburgi uero a Clero et uniuerso senatu humanissime habiti, atque in amplis et commodis aedibus collocati. Concionibus habendis ad populum, Christiana doctrina docenda, magnopere omnium sibi ciuium animos conciliarunt, Confessionem et Eucharistiam iam auide frequentare incipiunt. Sodalitas B. V. Mariae maior et minor instituta [3], in pagis uicinis contiones saepe habitae [4]. Haeretici uicini [5] magnopere sibj iam timent propter nostrorum aduentum, et de illo spiritu, quem sibi sumere solent, multum iam remisisse uidentur, Catholici uero animos sumunt. Jn hac missione repugnantibus multis primarijs Collegio pro sua fundatione Monasterij uicinj [a] [6] bona authoritate Apostolica assignata et unita sunt, ut inde commode se nostri alant. Senatum ipsi fauentem experiuntur · is amplas Collegio contulit facultates [7], certos Patronos et Procuratorem, quibus in rebus necessarijs utantur, constituit [8]. Fatentur iam multi nostrorum operam ciuitati admodum esse fructuosam. Deus his tam foelicibus initijs progressus secundos et salutares largiatur.

Unum in his litteris dicitur, quod alibi narratum non invenio: Socios friburgenses in pagis urbi vicinis saepe contionatos esse. In quorum contionatorum numero Canisium quoque fuisse facile credi potest. Quaerenti autem mihi illorum pagorum nomina ea tantum occurrerunt, quae in „**Brevi Narratione* Fundationis Collegij Friburgensis" saeculo XVII ex primis fontibus hausta referuntur et fortasse aliqua ex parte etiam ad a. 1581 spectant: Jam antequam Socii in aedes sibi funditus exstructas immigrare possent, „Societatis . . . odor late per totam Ditionem sparsus effecit, ut nostrorum operam frequentissime expeterent missionibus obeundis plurium dierum spatio, Grueriae [9] videlicet, Buli [10], Stauiaci [11], Rotundimonti [12] (sunt oppida Friburgensium) et in aliis Toparchiis Attalens [13], Eschalens [14], et Castro Sandionysiano [15] agro Bernensi finitimis" (Cod. frib. „Cod. iur. coll." p. 752—753).

P. *Petrus Canisius Boret* franciscanus (Min. Conv.) friburgensis a. 1865 scripsit: „On montre encore à Farvagny une maison, où, suivant la tradition, le Bienheureux Canisius aurait porté ses consolations": Le Bienheureux Père Pierre Canisius et le Canton de Fribourg. Par P. P. C. C., s. l. 1865, 110. In vico Posat, qui ad parochiam Farvagny pertinet, monasterium marsense sacellum, aedificia alia, agros habebat; quae a. 1581 cum eodem monasterio in Sociorum friburgensium potestatem devenerunt; in vico quoque „Farvagny-le-Petit" ad eandem parochiam pertinenti monasterium illud eo tempore possessiones habuisse videtur [16] (*Dellion* V 239—263).

a) *Sic in archetypo correctum est ex* uicina.

---

[1] Ioanne Francisco Bonhomio, episcopo vercellensi.

[2] Vide *Can.* VII 852—858.

[3] Sodalitas civium (et mulierum) et sodalitas adulescentum litteris studentium: v. supra p. 541—545. [4] Vide, quae post ipsas has litteras dicentur.

[5] Bernates, Valesiani, Genevenses etc.

[6] Marsens; v. *Can.* VII 533 865—869. [7] Vide supra p. 530.

[8] Vide supra p. 526 535. [9] Gruyères (Gryers, Greierz). [10] Bulle (Boll).

[11] In republica friburgensi exstant oppidum „Estavayer-le-Lac" (Stäffis am See) et vicus „Estavayer-le-Gibloux". [12] Romont (Remund).

[13] Vicus reipublicae friburgensis.

[14] Significari videtur pagus Écharlens (Schärlingen). [15] Châtel-St.-Denis.

[16] „Farvagny-le Grand" et „Farvagny-le-Petit" nunc duos constituunt pagos.

1310. M. Iunio et Iulio 1582.

Ex *Hansen*, Nuntiaturberichte II 433 460 596—599.

Gregorius XIII. „Librum Concordiae" per Canisium confutari cupit.

Anno 1580 Dresdae mandatu Augusti principis electoris Saxoniae vulgatus est „Liber Concordiae" („Konkordienbuch"), qui non solum „Formulam Concordiae" („Konkordienformel") a. 1577 ad theologorum lutheranorum lites componendas concinnatam, sed etiam reliquos Lutheranorum libros symbolicos, velut „Confessionem Augustanam" eiusque „Apologiam" etc., complectebatur. Cardinalis autem *Ludovicus Madrutius* Tridento 29. Maii 1582 Romam misit commentarium, quo demonstrabat, librum hunc per Catholicos refutari debere. Madrutio *Ptolemaeus Cardinalis Comensis* Roma 16. Iunii 1582 de hac refutatione respondit: Gregorius XIII. summus pontifex, „come consente che debba farsi in ogni modo, così giudica che non sia da far in Roma, ma in altro luogo, per levare ogni occasione a gli heretici di detraher a l'opera, secondo il solito loro, dicendo che è fatta in casa nostra et a modo nostro. Onde discorrendo sopra chi sarebbe atto a tal impresa in Germania, è venuto in mente il padre Canisio, l'Edero et l'Elgardo [1]: et però S. Santità desidera che V. S. Illustrissima veda lei, come quella che per tutte le cause ne può far più certo giudicio, se questi siano a proposito, o se vi fosse qualche altro valente huomo uscito dal Collegio Germanico, del quale potesse servirsi."

Rescripsit *Madrutius* Comensi Augusta 12. Iulii 1582: „L' Edero è in Vienna, l' Elgardo in Erfordia, il Canisio in Friburgo de Suizzeri. Onde questi non si possono adoperare in questo bisogno, oltre che vi sariano altre considerationi."

1311. **IOANNIS FRANCISCI BONHOMII** episcopi vercellensis procurator romanus PTOLEMAEO GALLIO, cardinali Comensi, Gregorii XIII. secretario maiori. Roma circa aestatem a. 1582.

Ex apographo, quod a. 1913 Romae in archivo Brevium pontificio exscriptum est ex exemplo (ut videtur) archetypo (ff. 2), quod exstat in Codice „Indulg: perp: N° 1" f. 386 387.

Bonhomii a Canisio rogati nomine petit, ut congregationi marianae Friburgi a Canisio institutae indulgentiae consuetae tribuantur.

Illustrissimo e Reverendissimo Signore.

Havendo il Padre Canisio eretto in Friburgo la Compagnia dell' Annuntiata, solita di erigersi in tutti i Collegii della Compagnia di Giesù: ha pregato Monsignor di Vercelli che voglia impetrargli da N. Signore le solite indulgenze che si concedono alle altre compagnie: Et perciò il medesimo Vescovo supplica V. S. Illustrissima che voglia fargli questa gratia la quale tornerà a lode del Signore Iddio, et frutto di quelle anime et le ne haverà obligo perpetuo.

---

[1] De Georgio Eder imperii consiliario aulico v. *Can.* I 667[7]; de Nicolao Elgardo, qui tunc episcopus auxiliaris archiepiscopi moguntini erat, v. *Can.* VII 100.

All' Illustrissimo et Reverendissimo Signore il Signor Cardinale di Como per il Vescovo di Vercelli et il Padre Canisio.

Quaeri potest: Cur in his litteris congregatio mariana, quam Canisius Friburgi condiderit et Socii in omnibus collegiis suis instituere soleant, „la Compagnia dell' Annuntiata" vocatur? Congregationis primae sive „primariae", circa a. 1563 ab Ioanne Leonis sive Leunis S. J. Romae institutae sodales convenire solebant in templum illud collegii romani Societatis Iesu, quod mysterio Incarnationis Filii Dei Beatae Mariae Virgini per angelum „annuntiatae" recolendo et honorando dicatum erat et propterea „Ecclesia Annuntiationis" dicebatur. Haec, ut videtur, proxima causa erat, propter quam ipsa etiam congregatio illa titulo et patrocinio Annuntiationis Beatae Mariae Virginis ornabatur ac „Sodalitas Annuntiatae" Virginis dicebatur (*E. Mullan* S. J., Die Marianische Kongregation, 4. Ausg., Wien 1913, 2 232 233). Hoc exemplum pleraeque aliae congregationes secutae sunt, atque ita factum est, ut „Sodalitas Annuntiatae" quasi genericum congregationum marianarum nomen evaderet, quo illae etiam congregationes comprehendebantur, quae alium titulum habebant. Friburgi sodalitas „civium et dominorum" ab Assumptione B. Mariae V., sodalitas adulescentum litteris studentium ab eius Annuntiatione denominabatur; v. supra p. 541.

Litteras, quas supra posui, fere aestate a. 1582 a Bonhomii procuratore sive „negotiorum gestore" romano datas esse cognoscitur ex epistulis 13. Martii, 10. et 27. Augusti 1582 a Bonhomio ad Canisium datis et ex cardinalis Comensis ad Bonhomium litteris 31. Martii 1582 datis; cf. supra p. 74 95 104.

1312. 24. Augusti 1582.

Ex orationum sacrarum commentariis ab ipso Canisio scriptis. Can. 39 f. 168[b] ad 169[b]; Can. 37 f. 163[b]—166[a].

Canisius ex sacro suggestu affirmat, imperia civilia procerum ecclesiasticorum religioni utilia esse.

Canisius in oratione sacra, quam Friburgi Helvetiorum 24. Augusti 1582 habebat, haec, praeter alia, protulit: „Dicet aliquis, Pugnatne cum Euangelio, quosdam nunc inueniri praelatos temporale regimen tenentes, ac si seculares essent principes, qui oppida et castra, leut und landt sibi habent subiecta, furen ein furstlichen[a] stand, regieren vnd herrschen offentlich. Fateor nec mihi, nec ulli bono conuenire, ut defendamus[b] apertos abusus Praelatorum Catholicorum, qui contra exemplum Christi et Apostolorum so fast lieben und treiben den weltlichen pracht et aliquando tantopere circa[c] principalem statum adeo sunt soliciti[d], ut fere diuini et spiritualis iuris obliuiscantur, nec se admoneant quid coram Deo et Ecclesia iuxta munus suum facere obligati sunt. Jllic habet locum Christi praemonitio Quae dixerint uobis seruate et facite, secundum opera eorum nolite facere[e 1]. 2[o] Fateor ab initio usitatum non fuisse in Ecclesia ut Praelati essent adeo diuites, potentes et similes principibus, sed conformabant se magis exemplo primorum pastorum et praelatorum id est Apostolorum, quorum princeps dixit Aurum et argentum non habeo[2] · erant enim intus et foris pauperes et humiles, sine equis et curribus et militibus peregrinabantur,

a) *Sic C. correxit ex* weltlichen. b) *Hoc v. a C. in margine additum est.* c) *Sequuntur vv.* den weltlich, *oblitterata.* d) *A C. correctum ex* soliciter. e) *Sic suppleri, quae sunt in cod.:* secundum op. e. n. fa.

[1] Mt 23, 3. [2] Act 3, 6.

aliquando laborabant suis manibus[1], gratis dabant gratis accepta[2], gratis euangelizabant[3] · contemnebant temporalia, orationi et praedicationi uacabant[4]. Nec dubium sic expediuisse Ecclesiae primis temporibus[a], ut mundus cognosceret rem Christianam a solo Deo pendere, qui ignobilia elegit, ut fortia confundat[5]. Fateor laudabile fore, si multi praelati se contraherent et Apostolorum exemplum sequerentur in retibus antiquis relinquendis[6], in gratuito labore et ministerio pro honore Dei et animarum salute, in contemnendis opibus et in seruanda paupertate, quam et seculares primum in Ecclesia sunt amplexi. Act. 2 et 4[7]. 3º praecipua quaestio stat in eo, An Praelati omnes qui tot seculis secuti sunt, et adhuc extant, obligentur in suo statu seruare paupertatem et simplicitatem, quam Apostoli et Apostolici uiri[b] ab initio seruauerunt, ita ut nihil proprium tenere, nec temporalia possidere, et census annuos percipere, ac temporalia regere possint. Ad hoc dico ex uerbo Dei quod Christus ipse suos sacculos suumque procuratorem[c] pecuniae et eleemosinarum custodem habuit. Joa. 13[8]. 2º Apostoli accipiebant a primis fidelibus precia domorum et agrorum uenditorum, et constituebant diaconos ad bona illa expendenda et distribuenda · Act. 6[d][9]. 3 Licet Paulus gratis praedicauerit, tamen idem docet sibi facultatem fuisse pro spirituali labore spiritualem [?][e] mercedem percipiendi 1 Cor. 9 Si nos uobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?[f][10] Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt[11]. Imo Christum dixisse scribit, Dignus est operarius mercede sua[12]. Vnde concludit Gal. 6 Communicet is qui catechizatur, uerbo ei qui se catechizat, in omnibus bonis[13]. Ex hoc fundamento constat, quod recte et laudabiliter fecerunt non modo diuites, sed et principes et reges Christiani, qui ex suis bonis prouiderunt Ecclesijs, et earum ministris ac praelatis, ut uitae necessaria et honestam sustentationem haberent[g], imo ut etiam[h] alijs pauperibus, captiuis et uiduis opem adferrent in necessitate. Hinc Philippus Caesar thesauros magnos donauit Sixto Pontifici[14], quos S. Laurentius postea inter pauperes iuxta com-

a) *Quae sequuntur, usque ad* confundat *incl., a C. in margine addita sunt.* b) *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.* c) *Quattuor vv. sqq. in margine addita sunt.* d) *Can. in margine vv.* sicut et S. Laurentius ex praecepto Sixti Pont. fecit *scripsit, sed deinde oblitteravit.* e) *Pro* spiritualem *ponendum fuisse* carnalem *conicitur ex vv. proximis.* f) *Hoc signum* pro *puncto, quod C. posuit, ponendum esse res ipsa ostendit.* g) *Sequitur* tanto, *oblitt.* h) *Sequitur* ut, *oblitt.*

[1] 1 Cor 4, 12. Cf. Act 18, 3; 20, 34; 1 Thess 2, 9. [2] Mt 10, 8.
[3] 2 Cor 11, 7. [4] Cf. Act 6, 1–4. [5] 1 Cor 1, 27–28.
[6] Cf. Mt 4, 18–22; Mc 1, 16–18. [7] Cf. Act 2, 44–45; 4, 34–35.
[8] Cf. Io 13, 29; 12, 4–6. [9] Cf. Act 2, 45; 4, 34–37; 5, 1–10; 6, 1–6.
[10] 1 Cor 9, 11. Cf. Rom 15, 27. [11] 1 Cor 9, 13. Cf. Dt 18, 1.
[12] Lc 10, 7; 1 Tim 5, 18. Cf. Mt 10, 10. [13] Gal 6, 6.
[14] Haec minimum valde dubia sunt. Philippum Arabem caesarem (244–249), qui S. Sixto II. pontifici (257–258) fere aequalis erat, christianum factum esse medii aevi hominibus persuasum erat.

missionem[a] sibi factam distribuit. 2 Hinc Constantinus Magnus tam multa donauit Syluestro et eius successoribus, et relicta illi Roma Constantinopolim aedificauit[1]. 3 Hinc Carolus Magnus tot Cathedrales Ecclesias in Germania, totque monasteria condidit et dotauit, sicut Moguntiae, Coloniae, Salsburgi, Osnaburgi, Monasterij[2]. 4 Omitto Otthones, Henricos et alios hochloblicher gedechtnuss herren, fursten, Königen und Keiseren perpetua laude dignos, quod liberaliter fundauerint, erexerint, dotauerint Kirchen, Stifften, Kloster vnd Claussen, in quibus serui Dei et Ecclesiae nocte et die habitarent, suoque statui conuenientes, imo et diuites prouentus haberent, atque ita Diuino cultui et Ecclesiae utilitati consulerent, ac reuerenter sacra ministrarent. Sed inquies · Quorsum autem tanta pompa, tantus fastus, tantae opes Praelatorum. Christus inquit ad suos, Vos autem non sic[3]. R. Dixi antea me[b] non uelle in excusandis et tuendis Praelatorum abusibus laborare. Sed[c] inde non sequitur, quod propter malos boni Praelati sint[d] accusandi aut uituperandi[e]. S. Cunradus fuit Episcopus simul et princeps Constantiae, S. Vdalricus Augustae, S. Vilibaldus Eystadij, S. Volfangus Ratisbonae, omnes Principes Jmperij[4]. Hi potestatem spiritualem simul et secularem non solum habuerunt, sed et cum magna laude, nec minore fructu subditorum exercuerunt. Fallit autem multos ignorantia, cur Deus uoluerit Ecclesiam et eius ministros crescere et augeri in temporalibus bonis atque ad tantam potentiam etiam coram hoc mundo peruenire. Prima causa, ut quo plus haberent authoritatis apud populum, tanto decentius seruarent[f] cultum Dei, et fidem Catholicam facilius manutenerent atque defenderent contra infideles, haereticos et rebelles. 2[a] causa ut recens conuersos Christianos magis in obedientia continerent, et maiorem timorem adferrent malis uirga indigentibus, qui semper sunt plurimi · 3 ob multos principes seculares, qui suos subditos nimium grauant exactionibus, et saepe crudeliter agunt: spirituales autem communiter sunt clementiores, minusque tenaces, quia sine filijs moriuntur ius successionis habentibus. 4 Ad dignitatem[g] et utilitatem Jmperij spectat, quod uterque status spiritualis et secularis

a) *Sic corr. C. ex* promissionem. b) *A C. corr. ex* mea. c) *Sequitur* quod, *oblitt.* d) *Sequitur* reprehendi, *oblitt.* e) *Quae sequuntur, usque ad* exercuerunt *incl., a C. in margine addita sunt.* f) *Sic C. corr. ex* magis promouerent. g) *Duo vv. sqq. in margine addita sunt.*

[1] Quamquam litteras illas publicas, quae „Donatio Constantini" vocantur, spurias esse demonstratum iam erat saeculo XV., usque ad initium tamen saeculi XIX. plurimi res ipsas, quae litteris illis narrantur, veras esse existimarunt.

[2] Constat episcopatum monasteriensem a Carolo Magno fundatum esse; osnaburgensem quoque ab eo institutum esse ferunt; multas alias ecclesias ille reditibus aliisque bonis auxit et stabilivit.

[3] „Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, et qui praecessor est, sicut ministrator": Lc 22, 25 26. Cf. Mt 20, 25–28; Mc 10, 42–45.

[4] At tempore S. Willibaldi († circa a. 786) „imperium occidentale" nondum erat instauratum.

locum illic habeat et cum pari quidem potestate: unde et fides Catholica et iustitia publica[a] melius conseruantur et promouentur quam si seculares tantum iudicarent omniaque definirent. Ab experientia. Nisi Episcopi in Jmperio essent opulenti et Principes, fides Catholica non tam multis in locis appareret, sed ubique fere perijsset, quia[b] principes seculares[c] omnes fere defecerunt et statim subditos coegerunt mutare religionem, et idem cum principe credere · 2° uidemus contemni passim excommunicationem et censuras Ecclesiasticas a communi populo, qui parum curat spirituales amatque nouam Euangelicam libertatem. Quid autem fieret, si praelati essent pauperes et nihil possent nisi docere cantare et uoces esse clamantes in deserto[1]? nemo curaret eorum leges et prohibitiones et censuras. A dei prouidentia. Praeuidebat Deus Ecclesiam ubique gentium dilatandam, et[d] charitatem ac deuotionem primam paulatim fore debiliorem et frigidiorem in clero et populo. Clerum quidem non uelle gratis in Ecclesia uerbo et Sacramento laborare, populum autem inuitum daturum necessaria semper suis pastoribus et ministris. Jgitur cultum diuinum et religionis statum facile collabi posse, nisi principes et diuites a Spiritu s. excitati prouiderent de sua substantia Clero decentem sustentationem ut eo minus et populus grauaretur, in quo plures semper carnales seipsos querentes[2] et amantes quam spirituales, quibus cordi sit Dei honor[e] et salus animarum[3].

Anno proximo Canisius eodem illo die 24. Augusti (qui S. Bartholomaeo Apostolo sacer est) eandem illam quaestionem copiose tractavit, rationes proferens, quae superioribus illis omnino similes sunt; ac vehementer reprehendit „nouos deformatores, qui ex praesumptione propria praesentes Episcopos mit gewalt uberzichen, illorum collegia, arces, oppida inuadunt, bona diripiunt, Ecclesias opprimunt et sic cum illis ludunt, sicut cattus cum muribus, et lupi cum ouibus."

1313. 17.—19. Octobris 1582.

Ex Codice archivi reipublicae friburgensis, qui inscriptus est „Manual des täglichen Raths angeuangen vff Mentag nach S. Johans des töuffers tag des 1582 Jars vntz zu end desselbigen", in d. 17. Oct., et ex Codice „Germ. 141" f. 85[b].

Friburgi scholae Sociorum solemniter incohantur. Numerus discipulorum.

a) *Sequuntur vv.* melius possunt habere, *oblitt.* b) *Sequitur* pauci, *oblitt.* c) *Sequitur* suos so, *oblitt.* d) *Sequitur* paulatim, *oblitt.* e) *A C. correctum ex* amor.

[1] Is 40, 3; Mt 3, 3; Mc 1, 3; Lc 3, 4; Io 1, 23. [2] Cf. Phil 2, 21.

[3] *Canisius* etiam in Codice „Can. 51" f. 386[b]–387[a] sua manu *commentarium posuit, quem sic inscripsit: „Non esse indecorum, sed utile Christianismo, ut Prelati multi habeant regimen temporale, einen furstenlichen stand furen, stetten und schlosser haben, lehnherren sein, und neben dem geistlichen standt in weltlichen sachen zu regieren und zu herschen haben." Ad haec probanda iis fere rationibus utitur, quas in oratione modo posita protulit. Atque his verbis dissertationem terminat: „Clarum ex uerbo Dei, nihil tam bene institui, quod non in abusum uerti possit, sed propter abusum non esse bonas fundationes deserendas et mutanda Ecclesia instituta. Alioquin et uino abstinebimus ob ebriosos · 2 matrimonium reijciemus ob adulteros · 3 pecuniam relinquemus ob iniustos, neque biblia legemus ob haereticos." Religionem sane catholicam in Germania „saecularizatione", quam vocant,

*In * Tabulis senatus minoris sive „cotidiani" reipublicae friburgensis haec dicuntur de sessione 17. Octobris 1582 habita:* Allßdann die Iesuiter die iugendt in der schul examiniert, vnd die fürnemsten vßgeschossen in die drÿ nüwinstituierte Classen zeverordnen vnd nun gesinnet vff morndigen tag nach dem ampt der heiligen mäsß dieselben schuler mit einer procession hinuff zefüren, vnd vermitlest göttlicher gnaden diß göttlich werck zuauspiciern, haben sÿ mijn herren pitten lassen das sy die procession beleitten, vnd by der Declamation so in aula maiori geschehen soll, bysitzen vnd dann ein imbiß vff der priesternstuben innemmen wöllend · Jst bewilliget.

*In * „Litteris annuis" provinciae Germaniae superioris Hala 24. Ianuarii 1583 a P. Georgio Bader praeposito provinciali datis haec, praeter alia, de rebus a. 1582 a Sociis gestis narrantur:* Eodem anno Augustano non absimile initium docendj fecerunt nostrj Friburgenses, postridie D. Lucae [1], cum pridie vniuerso clero, Praetoribus ambobus [2], Jllustrissimi Ducis Sabaudiae Legato [3], Senatuque Friburgensj praesentibus, in maximo scholarum auditorio, inuocato primum solennj ritu atque cantu Spiritus Sancti auxilio, habita fuisset oratio a nostris, qua operam nostram ad extremum Reipub. Friburgensj detulerunt. Atque vt hoc principium nostrum redderet illustrius, Reuerendus D. Praepositus [4] (vir nostrj inprimis amans et studiosus) Praetores, Legatum, magnamque Senatus partem, et quatuor e nostris conuiuio magnifico excepit. Discipulos quindecim dierum interuallo plures centum numerauimus, siquidem ipse Ludimagister ciuitatis, quoscunque nostris scholis habebat idoneos, non inuitus ad nos transmisit, adeoque parentes atque tutores huius ditionis, filios suos, quos Lausannam ciuitatem haereticam discendi gratia prius amandauerant, ad nos reduxerunt.

In antiqua illa „* *Historia* collegii Friburgensis" haec, praeter alia, de rebus a. 1582 narrantur: „Vndecimo Septemb. missus est Friburgum primus Rector P. Petrus Michael, cui comes ibat Michael Sabaudus, ut ad Collegij formam omnia paulatim reuocaret. Eundem subsecuti sunt P. Joannes Huletus Anglus futurus scholarum Praefectus, Stephanus Schönius, Joan: Radutius et Joannes Molitor praeceptores trium scholarum. Decimo octauo uero Octob: qui D. Lucae Euangelistae sacer erat, discipulis examinatis, ac in suas classes distributis, docendi munus nostri aggressi sunt, ac coram Senatu et Clero, frequentique ciuium multitudine oratio Latina habita, recitati uersus symphoniaque adhibita" (Cod. frib. „Hist. coll. Frib." p. 4).

Ex **litteris* publicis Friburgo 30. Novembris 1582 datis cognoscitur, senatores Sociis urgentibus, Schnewlini praepositi relatione audita, constituisse, ut praeter

---

principatuum ecclesiasticorum initio saeculi XIX. facta damnum passam esse immensum et quod commoda ex eadem direptione orta longe superet, affirmavit Dr. *Henr. Brück* (qui postea episcopus moguntinus fuit), Geschichte der katholischen Kirche in Deutschland im neunzehnten Jahrhundert I. Mainz 1887, 125—127.

[1] Dies festus S. Lucae agitur 18. Octobris. Atque hoc ipso die, non postridie, scholae incohatae esse videntur: id et usus communis habebat, et tabulae senatus, quas dixi, et historia collegii dicunt.

[2] Ioanne a Lanthen-Heid et Ludovico ab Affry (*Berthier*, Bonh. 217).

[3] Caspare de Genau (*Berthier* l. c. 66[2]). [4] Petrus Schnewly.

scholas Societatis in separatis aedibus schola haberetur, in qua pueri ad „latine et germanice legendum" et ad canendum instituerentur; eiusdem scholae magistrum pueris in ecclesia, processionibus, aliis caerimoniis ecclesiasticis adesse, atque et scholam et ipsum ludimagistrum Sociorum imperio subici voluerunt (Cod. frib. „Cod. iur. coll." p. 453—457).

1314. 1581—1590.

Ex litterarum annuarum apographis eodem fere tempore scriptis, quae sunt in Cod. „I. 36" f. 24ª 29 33ᵇ 38ᵇ 45ª, et ex testimonii apographis, saeculis medio XVII. et ineunte XVIII. factis, quae sunt in Codd. „Can. 63" f. 134ª et „Proc. Ap. I" f. 672. Idem testimonium est in „*Positione*" a. 1734, Summ. p. 28, et in „*Positione*" a. 1833, Summ. p. 69.

Canisius per varia loca agri friburgensis contionatum discurrit.

Societatis sodales fere iam a primo Societatis in urbem friburgensem adventu in parochias agri friburgensis ad contiones habendas, catechismum explicandum, confessiones excipiendas excurrisse iam ostensum est (v. supra p. 551). Exstant huius rei alia quoque monumenta. Ita in collegii *Litteris* annuis anni 1586: „Cursitatum et in pagos est, magnusque in animis hominum Christianae pietatis ardor excitatus." In *Litteris* annuis anni 1587: „Ad pagos etiam excursum est; quam grata autem opera nostrorum Rusticis acciderit, ex hoc uno elucet quod precibus diu multumque D. Vicarium[1] fatigarint Parochum ut sibi ex nostris daret. Jidem etiam saepe numero mercedis loco non contemnendam pecuniae copiam obtulerunt, quam constanter repudiantes cunctis admirationi fuere." In *Annuis* anni 1588: „Ad pagos etiam rogantibus Parochis hoc anno persaepe excursum . . . a rusticis obtentum ut die dedicationis[2] missis choraeis et id genus rebus ludicris, pietati religionique vacarent et pijs actionibus sese traderent; alias vero ut peccatorum suorum exomologesi facta sacra Eucharistia se reficerent." Et in *Annuis* anni 1589: Patrum nostrorum „feruor intra urbis moenia contineri haud potuit, quin etiam toto Aduentu et Quadragesima duo Patres nullo neque pluuiarum, neque niuium terrore detenti ad pagos, alterum gallicum, alterum germanicum difficillimo uel trium horarum itinere concionatum exirent. . . . Taceo excursiones frequentes ad diuersorum totius dioecesis Pastorum vota institutas." Et in *Annuis* anni 1590: „Cum pagi duo pastoribus destituerentur, altero dimisso, altero decumbente, voluit R. D. Vicarius . . . prae caeteris nostros adhiberi. Duo igitur excurrerunt, hic ad duo milliaria, vbi magna rusticorum satisfactione iubilaeum euulgauit: ille ad integrum totius pastoralis officij sustinendi causa." Annuas proximorum annorum non pono, quia satis certum est, Canisium eo tempore propter corporis infirmitatem in pagos excurrere non potuisse, qui ne in urbe quidem contionandi onus sustinere poterat. Priore vero illo tempore eum interdum saltem excurrisse probabile redditur *Guilielmi Lautenschlager* protonotarii apostolici et canonici capituli S. Nicolai friburgensis testimonio, quod a. 1627 Friburgi

[1] Petrum Schnewly, vicarium generalem episcopi lausannensis.
[2] Ecclesiae parochialis.

in processu beatificationis Canisii prolatum est. Sic ille de Canisio: „Noui eum . . . tempore hiemali iam senio confectum per ditionem Friburgensem non tantum non inuitum, sed etiam libentem uolentemque per niues, itinerum asperitates huc illuc per diuersa loca discurrisse ad praedicandum Christi Euangelium, et Fidei Romanae ueritatem . . . atque ab his, eiusdemque generis aliis laboribus, ut aetate iam grauis, et confectus sibi parceret, ab amicis monitus, respondere solebat, nondum in fidei Christianae adversariis obluctando sibi esse, ac desiderio satisfactum, cum[a] labori vitam, et sanguinem impendere sit paratus."

Rei gestae modum certe excedit *Alet* (102), cum Canisium in 80 parochias Friburgo circumiacentes contionatum vel catechizatum venisse scribit (similiter *Raemy de Bertigny*, Can. 64). Id vel eo fieri non poterat, quod multae ex parochiis illis linguae erant gallicae; quam Canisius non callebat.

1315. 1583.

Canisii Catechismus minor editur latine Coloniae (cum imaginibus), Cracoviae (sumptibus archiepiscopi gnesnensis), Dilingae, Ingolstadii; germanice Dilingae; hungarice Tyrnariae; idem a Posserino commendatur.

1. „Institutiones christianae pietatis seu parvus Catechismus Catholicorum novis imaginibus exornatus. Auctore P. Petro Canisio Societatis Jesu Theologo. Accessere preces horariae de aeterna Dei Sapientia Jesu Christo Domino nostro cum piis quibusdam et Christianis exercitationibus. Coloniae, apud Maternum Cholinum. MD.LXXXIII. Cum gratia et privilegio Caesareae Majestatis" : Ita *De Backer;* qui addit librum esse in 12°, foliorum [numeris non signatorum] 14, paginarum 145; textum illustrari figuris ligno incisis; litterarum folii titularis alias rubras, alias nigras esse (I 1060). *Sommervogel* II 637 hanc editionem haud ita accurate ponit et errare videtur, cum dicit, eam P. Antonii Possevini operi „De necessitate, utilitate ac ratione docendi Catholici Catechismi" adiunctam esse. Id vero dicere debuit de editione cracoviensi, quae proxime ponetur.

2. „CATECHI- | SMVS CATHO- | LICVS | *IVVENTVTI FOR-* | *mandæ hoc seculo quam maxi-* | *me necessarius.* | AVCTORE D. PETRO | Canisio, Doctore Theolo- | go Societatis Iesu. | *Accessere Preces Horariæ de æterna Dei* | *sapientia* IESV CHRISTO *Do-* | *mino nostro, cum pijs quibusdam* | *& Christianis exercitati-* | *onibus.* | CRACOVIÆ, | In officina Lazari. Anno Domini | M. D. LXXXIII."

In pagina altera folii titularis signum Societatis Iesu ligno incisum cernitur. 12°; pp. 127, addito folio titulari. Catechismus ipse occupat p. 3—51; sequuntur Preces horariae de aeterna Dei sapientia, meditationes quotidianae de virtutibus Christi, „De nomine Iesu, Tetrasticon". Editio haec nec praefationem nec registrum habet. Quae alteram partem constituit operis sic inscripti: „ANTONII | POSSEVINI | DE SOCIETATE IESV | EPISTOLA | *De necessitate, vtilitateq; ac ratione* | *docendi Catholici Catechismi.* | Rationes item, quibus inter summas | quasq; difficultates Diuinum ne- | gocium debeat & possit | promoueri. | *Additus est Petri Canisii Paruus Catechi-* | *smus emendatissimus, cum san-* | *ctis meditationibus.* | Omnia iussu Illustriss. ac Reuerendiss. | D. STAnislai Karnkovski, Ar- | chiepiscopi Gnesneñ. &c." Titulum sequuntur litterae dedicatoriae, Cracovia 6. Ianuarii 1583 a „*Thoma de Plaza*, Plebano ad S. Stephanum Cracouiae, Canonico Vislicensi" ad Stanislaum Karnkovski archiepiscopum gnesnensem datae, in quibus ille scribit: „Qua qua uersum Catholicos et pios libros curas disseminari, uel undequaque eruis, quos tuis sumptibus in lucem edas. . . . Quae mihi nouissime praecepisti, ut ederentur in lucem, quo haberes in futura Synodo tua in promptu, quibus artibus facile Sacerdotes, et concionatores, atque Gymnasiarchas ad benemerendum de republica accenderes, ea uehementer animum

a) *Positio 1734 habet, idque fortasse melius:* cui.

meum affecerunt. Ac non uereor, quin Deus . . . effecerit, ut, post celebrem illum Petri Canisii Catechismum, quem mihi iubes, ut Typographus praelo quamprimum committat, ad tuas manus peruenerit Epistola haec, quam mihi edendam missisti, Antonij Posseuini" etc. (f. A ii^b—A iii^a)[1]. Opus integrum vidi Cracoviae in museo principis Czartoryski. Idem exstat Vratislaviae in bibliotheca universitatis. Partem eius alteram sive Catechismum solum possidet bibliotheca uniuersitatis cracoviensis (VI. a. 11½). Editionem posuit (haud ita accurate) *Sommervogel* VI 1068 et brevius II 637.

Sommervogel VI 1068 hunc quoque titulum posuit: „Antonii Possevini S. J., de necessitate, utilitate ac ratione docendi Catechismi Catholici cum Sanctis meditationibus; additus est Petri Canisii parvus Catechismus. Omnia Jussu Stanislai Karnkovii, Archiep. gnesnensis. Cracoviae, in officina Lazari, 1583, 12°". At his verbis eam ipsam editionem, quam supra posui, haud ita accurate describi puto. Idem dixerim de editione, quam *Sommervogel* ibidem scribit in 8° factam esse et 132 paginas complecti.

3. „Institutiones | CHRISTIANÆ | PIETATIS, | *SEU* PARVVS | CATECHI- | SMVS CATHOLI- | CORVM. | *Auctore* | *PETRO CANISIO SOCIE-* | *tatis IESV Theologo.* | Preces horariae de | æterna Dei sapientia. | *Cum gratia & priuilegio Cæs. Maiest.* | Dilingae | *Excudebat Ioannes Mayer.* | CIↃ. IↃ. xxciii." Versus 2, 3, 9, 10, 13, 15 rubri sunt. Totus titulus figuris quibusdam ligno incisis cinctus est.

16°; ff. sign. 81; praeterea in initio ff. non sign. 9 (addito titulari); in hisce legitur calendarium typis rubris ac nigris descriptum. Catechismus terminatur f. 28^a. Sequuntur Testimonia sacrae Scripturae, Preces horariae, Meditationes de virtutibus Christi, duae precationes S. Thomae Aquinatis, preces scholasticae etc.; cf. *Can.* VII 783. Neque praefatio, neque index rerum posita sunt. Librum vidi Sancti Floriani (St. Florian, in Austria superiore) in bibliotheca Canonicorum regularium (VII 1881) et Friburgi Helvetiorum in bibliotheca universitatis (g. r. 2245, 2). Breviter eum commemorat *Sommervogel* II 637.

4. Friburgi Helvetiorum in antiquissimo **Catalogo* bibliothecae collegii, quod Societatis Iesu illic habebat (v. supra p. 352), notatus est Petri Canisii „klein Cathechismus, mit nützlichen gebetten vnd vnderricht von der beicht vnd communion. Dilin: 1583. 12°". Sommervogel dilinganae huius editionis mentionem non facit.

5. „CATECHIS- | MVS CATHO- | LICVS, | *IVVENTVTI FORMAN-* | *DÆ HOC SECVLO QVAM* | *maximè necessarius:* | AVTORE | D. PETRO CANISIO, | DOCTORE THEOLOGO | Societatis IESV. | *Accessêre Preces Horariæ de æterna Dei* | *sapientia* IESV CHRISTO *Domino nostro,* | *cum pijs quibusdam & Christianis* | *exercitationibus.* | INGOLSTADII, | Ex Officina Typographica VVOLF- | GANGI EDERI. | *Anno M. D. LXXXIII.*"

16°; pp. 131, addito folio titulari. In pagina altera folii titularis carmen „Christianorum Pueris" destinatum; quod incipit „Frustra Christicolae" et terminatur „larga feret". P. 3—52 catechismus; p. 53—86 Preces Horariae de aeterna Dei Sapientia; p. 87—131 „Meditationes quotidianae" de virtutibus Christi, preces mane, ante litterarum studium, vesperi recitandae; p. 131 „Tetrastichon" de nomine Iesu: „Dulce tuum" etc. Editio neque praefationem, neque indicem rerum habet; constituit autem partem alteram operis sic inscripti: *ANTONII* POSSEVINI | DE

[1] Exstat „Catholicae Academiae Vilnensis", quam Societas Iesu regebat, **Index* lectionum et exercitationum", Kalendis Octobribus 1583 datus. In eo haec dicuntur: „In Latinis. In Tertia Classe Grammatices. Hora secunda. Catechismus Canisij minor." Ex toto autem „Indicis" contextu colligitur, hunc catechismum in ea classe cotidie non tam fidei doctrinae, quam linguae latinae addiscendae causa explicatum esse. Pronuntiatur in eodem Indice, singulis diebus Veneris „Catechismum maiorem maioribus, minorem uero minoribus Classibus explanatum" iri; idem praestandum fore singulis diebus dominicis et festis; saepius quoque per hebdomadem diligenter curatum iri, ut catechismus „memoriter reddatur". Canisii autem catechismum his verbis significari satis certum est (ex exemplo eiusdem temporis, Germ. 161 f. 313).

SOCIETATE IESV | EPISTOLA: | *De necessitate, vtilitate, ac ratione | docendi Catholici Catechismi.* | Rationes item, quibus inter | summas quasq́; difficultates | diuinum negotium de- | beat & possit pro- | moueri. | *Additus est Petri Canisij Paruus Catechismus emendatissimus, cum san- | ctis meditationibus.* | Omnia iussu Illustris. ac Reuerendis. | D. Stanislai Karnkovski. Archi- | episcopi Gnesneñ. &c. | INGOLSTADII, | *Excudebat Wolfgangus Ederus, Anno | Domini 1583.*" Titulum hunc sequuntur Thomae de Plaza litterae dedicatoriae, de quibus dictum est supra, p. 559. Ipsa *Possevini* epistula Roma 29. Septembris 1576 ad Ivonem Tarterium cathedralis ecclesiae trecensis (Troyes in Gallia) decanum [1] data est et a. 1583 primum typis exscripta esse videtur. In ea Possevinus magna cum laude commemorat catechismum Canisii, „quem vniuersus pene orbis Christianus libentissime excepit" (p. 47). Atque alio epistulae loco ait, Canisii catechismos maiorem et minorem per totam Europam atque etiam „in Indiis" usurpari; in iis praeter fidei doctrinam ea, quae de vitiis et virtutibus dici oporteat, optimo ordine proponi; ideo eos ad pietatem una cum fidei notitia animis infundendam aptissimos esse; maiorem catechismum explicationem quandam et interpretationem esse minoris; illum ipsum autem copiosissime explicari Catechismo Romano. „Opus catechisticum" quoque Petri Busaei catechetis commendat; id iis, qui varia catechismi capita enucleatius tractare velint, multorum librorum loco esse posse (p. 66—68). Opus integrum vidi Romae in bibliotheca vallicelliana (C. V. 43). Catechismum a Possevini epistula separatum vidi Feldkirchii in bibliotheca collegii S. J. (Cat. 415) et Mediolani in bibliotheca ambrosiana (S. II. 89); idem exstat Monachii in bibliotheca nationali (Catech. $\frac{549}{1}$) et Vindobonae in bibliotheca palatina. Catechismum breviter commemorat *Sommervogel* II 637.

6. Anno 1901 Cracoviae in librorum, qui sunt bibliothecae universitatis iagellonicae, *Catalogo* quodam per schedulas disposito notatum vidi, exstare ibi Catechismi canisiani versionem hungaricam, a. 1583 typis descriptam. Quae quidem versio in bibliotheca tunc non est reperta. Ceterum P. *Antonius Possevinus* S. J. Posonio 26. Aprilis 1583 Stephano Bathorio Poloniae regi scripsit: „Cum Telegdino Episcopo interim conueni, vt Typographus illico Ternauiam euocetur ex Austria: is praelo catechismos, et alios pios libros vngharicos pro Transsyluania committeret, qui interea defectum operariorum supplebunt". Exstat praeterea epistula ab eodem Possevino ad Gregorium Bornemisza episcopum varadinensem (Nagyvárad, Großwardein) data, cui tempus ascriptum non est, sed quam circa medium a. 1583 scriptam esse colligi potest ex rebus, quae in ea dicuntur. In ea *Possevinus*: „Seminarium", inquit, „Claudiopoli institui, et Alumnos idoneos circumquaque ad eam rem colligo, et homines, atque libros Vngaricos misi. . . . Mitto aliquos pauculos Cathechismos Vngarice et perfectius quam antea edi curatos" (ex apographis eiusdem temporis. Opp. N. N. 330 f. 304; Opp. N. N. 329 II f. 393^b). Satis igitur certum est, a. 1583 Tyrnaviae (Nagyszombat, Tyrnau, nunc reipublicae bohemo-slavonicae) opera Nicolai Telegdi, episcopi quinqueecclesiensis (Pécs, Fünfkirchen, in regno hungarico) iterum editam esse „Parvi catechismi Catholicorum" canisiani versionem illam hungaricam, quae ab ipso Telegdio facta et primum Vindobonae a. 1562 typis exscripta erat; de qua plura in *Can.* III 789. Atque probabile est, eam Tyrnaviae exscriptam esse typis, qui antea collegii Societatis Iesu vindobonensis fuerant; hos enim Telegdius a. 1577, cum esset vicarius generalis et administrator archiepiscopatus strigoniensis, emerat et Tyrnaviam portandos curaverat (*Ant. Mayer*, Wiens Buchdrucker-Geschichte I, Wien 1883, 96).

1316. 1583.

„EXERCITAMENTA | CHRISTIANAE | PIETATIS. | AVCTORE D. PETRO CANISIO | Societatis IESV Theologo. | *Indicem sequens pagina continet.* | Augustae Taurinorum, | *apud Bartholomaeum Zenarum.* | MDLXXXIII | Cum facultate Superiorum."

[1] Is postea a Calvinianis trucidatus est (*Ant. Possevinus* S. J., Bibliotheca selecta I, Coloniae Agrippinae 1607, 161).

24°: pp. 702: praeterea ff. non sign. in initio 5 (addito titulari). In pagina altera folii titularis „Index totius operis“: f. 2. praefatio „typographi“ data Taurino 24. Iulii 1583. Is ait, se „animum appulisse“ ad „libellum hunc excellenter ob insignem, quae ex eo decerpitur vtilitatem, praedicatum“, tum quod exemplaria Antverpiae a Plantino typis expressa distracta essent omnia, „tum quod augeri et locupletari nonnulla adiectione posse videretur. In quo faciendo, cum suam beneuole operam D. Petrus Christinus, Taurinensis Ecclesiae Theologus, et publicus in huius vrbis Academia sacrarum literarum professor, pro sua in auctorem propensione, obtulisset; ea vsi, nihil prius habuimus, quam vt in tuas manus praetiosissima haec gemma perueniret“: f. 3ª Canisii praefatio Augusta Vindelicorum a. 1573 data (cf. *Can.* VII 699); f. 3b—p. 32 Calendarium, idque gregorianum. P. 33—39 „In sequens opus Praefatio“. In ea vulgata Sacrae Scripturae versio commendatur; adulescentes ab aliis versionibus prorsus arcendos esse. „Praecipue autem paedagogos omnes hortamur, vt si tum sibi, tum discipulis velint esse consultum, ab illis quidem scriptoribus, velut Reipublicae pestibus, maxime caueant, qui siue sacra, siue prophana tractent, nouis se sectis addixerunt, aut Ecclesiam Catholicam deseruerunt. . . . Postremo ne sis inscius lector, in hac postrema editione illud accessit, quod moniti et rogati rationem habuimus Romanae Ecclesiae, vtpote quam veteres aliarum Ecclesiarum caput, matrem et magistram citra omnem adulationem appellant, et summo semper in pretio iubent haberi. Nec tamen praetermisimus, vt antea etiam feceramus, ad Germanicas et Gallicanas Ecclesias nostram operam accommodare, et passim subindicamus varietatem, quae in huiusmodi lectionibus incidere solet. Nihil autem officit, imo vero decorem domus Dei magnae commendat, quod quibusdam in rebus et ritibus varient Ecclesiae, in fidei autem doctrina vnum idemque per omnia et vbique profiteantur. . . . Nec abs re fore visum est, si quaedam in summariis, vel argumentis lectionum adiiceremus, partim vt obscura breuitas euitaretur, partim vt huiusmodi lectionum sensus, et matris Ecclesiae consilium in lectoris gratiam maiore luce donaretur.“ Sequuntur exercitamenta pietatis. P. 652—691 Canisii Catechismus parvus Catholicorum cum testimoniis Sacrae Scripturae contra haereticos in promptu semper habendis. P. 691 ad 701 sententiae S. Augustini (S. Fulgentii) tres et S. Gregorii Nazianzeni plurimae. In extremo libro: „Augustae Taurinorum, M. D. LXXXIII.“ Librum vidi Valkenburgi in Neerlandia, in bibliotheca Scriptorum provinciae germanicae S. J. (A I 12 [1]) et Mediolani in bibliotheca ambrosiana (N I 127). Idem exstat Neapoli in bibliotheca nationali (XIII. A. 28). Brevem eius mentionem fecit *Sommervogel* IX 1979; cf. II 667—668.

1317. 1583.

„D. | HIERONYMI STRIDONIENSIS | EPISTOLAE SELECTAE, | & in libros tres distributæ opera D. Petri Cani- | sij Theologi: | *Nunc denuò ad exemplar Mariani Victorij* | *Reatini, Episcopi Amerini, emendatæ,* | *argumentisque illustratæ.* | Epistolarum, atque aliorum opusculorum, | quæ tribus hisce libris continentur, or- | do & numerus adiectus est. | *Cum rerum & verborum Indice* | *locupletissimo.* | PARISIIS, Apud Sebastianum NIVELLIVM, | sub Ciconiis, via Iacobæa. | M. D. LXXXIII. CVM PRIVILEGIO REGIS.“

16°; ff. numeris sign. 417, non sign. in initio 16 (addito titulari) et in fine 49. Post titulum litterae dedicatoriae, ut supra p. 547; deinde „Epistolarum, et aliorum opusculorum, quae tribus his libris continentur, ordo et numerus“. Sequitur „Summa Privilegii“ Nivellio ab *Henrico III.* dati et a senatu parisiensi comprobati (de quo supra p. 547). Nivellio, inquam, „cuius impensis et diligentia accuratissime collati fuerunt cum exemplari Romae edito, multisque in locis a doctissimis eruditissimisque viris illustrati et restituti.“ In extremo libro index rerum alphabeticus isque valde copiosus. Librum vidi Valkenburgi in bibliotheca Scriptorum provinciae Germaniae S. J. (P. 16 [6]). Idem exstat Mediolani in bibliotheca ambrosiana, Monachii in bibliotheca nationali (P. lat. 785), Halae in Tiroli in bibliotheca PP. Franciscanorum. *Sommervogel* eum breviter commemoravit II, 670.

1318. 1583.

Martyrologium germanicum Canisio auctore compositum Dilingae tertium editur.

„Martyrologivm. | DEr Kirchentalen= | der, darinnen die Christlichen Feste | vnd Hailigen Gottes bayder Testament | begriffen, wie dieselbigen durch das gantze Jar in | der Christen= hait, von tag zů tag begangen werden. Auch mit | verzaichnuß vnzalbarer Hailigen, wo vnnd wie sie gelebt vnd | gelidten, was sie gethan vnnd gelassen haben, so wol | Gott zů lob, als zů jhrem ewigen Hail, vnnd | jhren Mitchristen zů einem leben= | digen Exempel. Alles auffs newest vnnd zum drittenmal, wie nie | zuuor, an vilen örtern gemehret vnd gebessert. | Mit deß Ehrwürdigen vnd Hochgelehrten Herrn, | D. Petri Canisij vbersehung, auch Vorred vnd nothwen= | diger Erklärung, wie Gottes Hayligen mögen vnd sol= | len Christlich geehret werden. | Sampt einem gemainen Christlichen Kalender, vnd zů end an= gehencktem nutzlichen Register, an welchem Blat | ein jeder Haylig zufinden sey. | Mit Römischer Kayserlicher Mayestät Freyhait. | Getruckt zů Dilingen, durch | Johannem Mayer. M. D. Lxxxiii." Versus 2 (praeter „D"), 3, 4, 12, 13, 15 usque ad „auch" excl.), 23, 24 rubri sunt.

4°; ff. numeris signata 391; praeterea ff. non sign. in initio 28 (addito titulari) et in fine 36. Folium titulare sequuntur Adami Walasser litterae dedicatoriae ad Georgium et Marcum Fuggeros Dilinga datae tempore non ascripto. In foliis non signatis, quae in extremo libro posita sunt, indiculus Sanctorum Martyrologii alphabeticus legitur. De Walassero libri editore, de litteris „initialibus" etc. v. *Can.* III 791—797 et VII 644.

Pauca ex hoc opere pono, quae notatu digniora mihi sunt visa: F. 77ᵇ—78ᵇ: „Der XXV. Tag im Mertzen. . . . An disem tag ist nit allein Gott Mensch, vnd ein Junckfraw Můtter worden, sonder auch das gehaimnuß vnserer Erlősung in Maria angefangen, ist nach 33. Jaren auch am Creutz volendet worden. . . . An disem tag sollen auch im alten Testament grosse vnnd wunderbarliche ding geschehen sein, als der Welt erschaffung, das Martyr Abels des Gerechten Ertzmarterers im alten Testament. . . . die opfferung Abrahams, in seinem eingebornen Sun Jsaac, der durchzug der Kinder Jsraels durch das Roht Meer, vnnd der Sig des heyligen Ertzengels Miachel, wider den Trachen" (cf. *Can.* III 794); f. 109ᵃ—110ᵃ: „Der XXVIII. Tag im Aprill. . . . An disem tag soll Noe auß der Archen gangen sein"; f. 119ᵇ—121ᵃ: „Der V. Tag im Mayen . . . Jtem an disem tag soll der Herr Jesus gen Himmel auffgefaren sein"; f. 164ᵃ—165ᵃ: „Der XVII. Tag im Brachmonat [Iuni] . . . Jtem in Arabia, soll heut im fewrigen Wagen verzuckt worden sein, Helias der Prophet"; f. 209ᵇ—210ᵃ: „Der XXVII. Tag im Hewmonat [Juli] . . . Heut ist der tag, daran Christus auff dem Berg Tabor vor seinen drey liebsten Jüngern . . . sich herrlich erkläret, vnd etlichen Jüngern wunderbarlich erzaiget"; f. 243ᵇ: „Der XXVI. Tag im Augstmonat. Zu Rom ist heut der Geburtstag deß H. Bapsts vnd Marterers Zepherini, der war ein Römer, vnd ein heiliger Mann, hat verordnet, daß alle Christen, so zun Jaren jhrer vernunfft kommen (das ist, so sie zwőlff Jar alt sind) das heiligste Sacrament deß Fronleichnams Christi, auffs wenigst ein mal im Jar (nemlich zů Osterlicher zeit) empfahen sollen"; f. 67ᵇ—68ᵇ: Der XII. Tag im Mertzen . . . Jtem zů Ruremund starb Dionysius Richel Cartheuser, seliger gedåchtnuß, der im leben vnnd schreiben zů seiner Zeit fürtreflich gewesen"; f. 214ᵃ—215ᵃ: „Der XXXI. Tag im Hewmonat [Iuli]: . . . Jtem selige gedåchtnuß, deß Gottseligen vnd berůhmpten Priesters Jgnatij Loiola, inn Spanien Edelgeboren, vnd auß einem Hauptmann, der Gesellschafft oder Societet Jesu, Stiffter worden. Nach dem er, ein strengs, bůßfertigs leben geführt, das hailig Land besůcht, vnd grosse weißhait vnd erfarnuß zů regieren von Gott erlanget hette, ist er zů Rom im Herren seligklich verschiden. Seines alters im 65. Jar: Hat durch seine Societet inn der Kirchen Gottes bey glaubigen vnd vnglaubigen, an vilen őrtern grossen nutz geschaffet"; f. 362: „Der II. Tag im Christmonat [December] . . . Jtem selige gedechtnuß Francisci Xauerij, der ersten einer, so auß der Societet Jesu in Jndiam gezogen, welcher vil tausent Haiden zum Catholischen Glauben bekőret, grosse gefahr vberstanden, in allerley Tugenten fürtreflich, lebet in grosser armůt

vnd demůtigkeit, machet gesund allerley Krancken, erwecket auch zwen Todten, het ein Prophetischen Gaist, bekōret vil Sünder, schlieff selten vber zwo oder drey stund, het ein stain für ein Hauptküssen. Ward endtlich an einem Fiber kranck, bey dem Port Cantonium, vnnd starb an einem Berg in der Jnsel Santianum, mit anrůffung deß Namens Jesu vnd Marie. Sein Leib rhůet jetzund zů Goa gantz vnuerwesen, zum anzaigen seiner junckfrawschafft vnd vnschuld, leuchtet mit Wunderzaichen."

De canisiano hoc Martyrologio „Andreas du Saussay Parisinus, S. R. E. Protonotarius, Concionator Regius, necnon Ecclesiae SS. Lupi et Aegidii in urbe Pastor" in „Apparatu", quem praeposuit „Martyrologio Gallicano", Lutetiae Parisiorum a. 1637 a se edito et Armando Ioanni Cardinali duci de Richelieu dedicato, haec scripsit (cap. XIX, n. 8, p. LXIV): „Petrus Canisius Theologus Nouiomagus Societatis IESV, Primarius sancti Ignatij assecla, datusque ab eo primus in Germania illius societatis Prouincialis: vir certe permaximus, Ecclesiae per Heluetiam Patriarcha, religionis Catholicae suo tempore columna; toto orbe Christiano notissimus: fide, prudentia, indefesso scribendi labore, abstinentia perenni, grauitate, animi puritate, flagrantissimo Dei amore, multaque sanctitate clarissimus, vt praefert eius elogium, Friburgi vbi iacet, tumulo ipsius inscriptum. Hic sectas perditionis[1] grassantes vbique per Germaniam cum perfusis gemitibus oculis conspiceret; quo infelicem hanc gentem abreptam per seductores in errorum abrupta, ad rectas veritatis et iustitiae semitas[2] reuocaret: Sanctorum qui regalem viam[3] tenuerunt ac triuerunt recta vestigia deuiis indicanda censuit. Martyrologium igitur a se recognitum et auctum, Germanico idiomate edidit, vt in vulgus dispersum, auitae religionis exempla et documenta, faciliori cursu diffunderet; ex Beatorum Christianae fidei auctorum ac assertorum, verendo intuitu, segregationis percelleret artifices; filiosque subtractionis[4] pudore suffusos, piorum Maiorum reuerentia reduceret ad verae Matris gremium. Prodiit in lucem praeclarum hoc opus excusum Dilingae anno salutis 1562." Andreas Saussagius parisiensis (1589—1675), complurium operum ad historiam ecclesiasticam et sacram liturgiam spectantium auctor, Ludovici XIII. Galliae regis contionator, cum a. 1655 episcopus tullensis (Toul) factus esset, se praebuit, ut *Hurter* ait, „dignissimum praesulem, fastus et pompae osorem" (Nomenclator IV³ 242—243).

Librum vidi Friburgi Helvetiorum in bibliotheca dioecesana. Idem exstat Monachii in bibliotheca nationali, Upsalae in bibliotheca universitatis, Vratislaviae (Breslau) in bibliotheca universitatis. *Sommervogel* eum posuit (II 669—670).

1319. 1583.

Amicus quidam in Suecia degens certiorem me fecit, libri canisiani „Predig von den vier Sontagen im Aduent" etc. (v. *Can.* VI 690—691) editionem a. 1583 Ingolstadii factam exstare Upsalae in bibliotheca universitatis. *Sommervogel* eam non posuit.

1320. 1583.

Orationes sacrae a Canisio Friburgi habitae. Multas contiones de missa habet. Nomen Societatis Iesu, candelarum in officiis divinis usum, ieiunia, processiones, cultum B. Mariae et aliorum Sanctorum, indulgentias, catholicam mortuos iuvandi rationem defendit. Seminarium commendat. Postulat, ut sacrum viaticum decentius ad aegrotos deferatur. Friburgenses de superstitionibus, pigritia, ebrietate, luxuria, fenerationibus, negligentia in liberorum educatione vituperat. Queritur, rerum pretia iniuste augeri, magistratus hoc aliaque crimina non punire nec pauperum curam habere.

Exstant contionum 54 a Canisio Friburgi Helvetiorum anno 1583 habitarum commentaria, eaque, paucissimis sententiis exceptis, ipsius

[1] 2 Petr 2, 1. [2] Bar 4, 13; Ps 22, 3; Prv 2, 8. [3] Nm 21, 22.
[4] Hebr 10, 39.

manu scripta. Eas in templo S. Nicolai habitas esse narratur in collegii illius * *Litteris* annuis; v. infra, monum. 1346. Ibidem dicitur, Canisium etiam „per Adventus tempus" sacras orationes habuisse. Quare verisimile est, eum praeter quattuor illas contiones ad Adventum pertinentes, quae in codice scriptae sunt, etiam aliquot alias habuisse, ut Dominicis Adventus I. et III. et feria VI. post Dominicam II. (1., 13., 15. Decembris). Certe Adventus tempore non solum diebus Dominicis, sed etiam per singulas hebdomades uno vel duobus diebus operosis contiones fiebant; cf. supra p. 515.

„Primo die anni 1583" sive 1. Ianuarii 1583 „de xenio spirituali". Morem dandi strenas Canisius variis rationibus explicat et defendit: in qua defensione „Superstitio", inquit, „damnabilis esset, iudicare dies aliquot fortunatos aut infelices esse, et quod hodie prosit ratione temporis quid dari, uel accipi strenam, sicut putantes sibi prodesse herbas collectas in festo Ascensionis, uel in uigilia natiuitatis Joannis baptistae, uel equos mittere sanguinem in die S. Stephani, et nutriri eos media nocte natiuitatis Christi". Dein singulis fidelium ordinibus „xenium spirituale" tribuit; ac „Dominos Schultetos, Regentes et superiores" haec, praeter alia, monet: „Relinquite fastum ueterem, adiungite uos saepius non diuitibus tantum, sed et pauperibus ciuibus non a l t a s a p i e n t e s [Rom. 11, 20; 12, 16], sed in humilitate cordiali ostendite uos patres et protectores et fautores orphanorum et uiduarum." Deinde quaerit, „quae summatim ad bonum et felicem annum Friburgensibus conveniant". Respondet: „Tria, timor Dei, bona politia et Christiana uita." „Deest", inquit, „bona politia quia blasphemi, adulteri, usurarij et alij scandalizantes non puniuntur. 2. quilibet permittitur rem suam aestimare et uendere pro sua cupiditate. Non consulitur communitati, operarij infideles, non curantes laborem, non familiam, plurimi ociosi: Haec perdunt Remp. Funditus nos et nostros perdimus et uolumus esse infoelices. Deest bona uita, quia in o p e r i b u s c a r n i s [Gal. 5, 19] perseueramus, . . . comessando, ludendo, inebriando, dies festos polluendo." Ostendit quoque Canisius, „quomodo utendum nobis circumcisione Christi"; et notat: „Dicunt nostros ex superbia sibi sumere nomen Societatis [Iesu] et se praeferre alijs omnibus. Non intelligunt institutionem Societatis et mentem Ponti : hoc nomen imponentis. Non intelligunt, quare Societas militum Spiritus Sancti a Rege Galliae instituatur, sine praeiudicio aliorum militum. Non intelligunt quid a nobis spectetur, ut maiorem habeamus occasionem se exercendi in docendis pueris, in uisitandis aegrotis, in praedicando uerbo, in iuuandis afflictis et haec omnia gratis. Item quod sint parati quolibet proficisci cum iubentur etiam ad infideles. Non propterea negant alios esse de Societate Jesu, sed non ita obligatos ad nomen Jesu propagandum, ornandum et sanctificandum ubique locorum" (comm. maximam partem ab ipso Can. scriptum; Cod. „Can. 37" f. 28ª—31ª).

„Jn die Conuersionis S. Pauli" sive 25. Ianuarii 1583. „Quoniam pro bono uisum et ordinatum est, quod nos hodie processionem institueremus, et ad communem orationem hic congregaremur, mihi etiam indigno iniunctum est, aliquam hic facere exhortationem. Nescio autem meam praedicationem melius exordiri, quam cum s. propheta Daniele . . . Dicam 1° quomodo hoc prophetae Danielis exemplum nobis congruat cum instituta processione. 2 quomodo etiam huc conferat historia de Pauli conuersione" (comm. autogr.; l. c. f. 31ᵇ—38ª).

„Dominica Septuagesima" sive 27. Ianuarii 1583. De evangelio diei (comm. autogr.: l. c. f. 38ª—40ª).

„Jn festo Purificationis Virginis" sive 2. Februarii 1583. „An rectum et Christianum sit, Catholicos per annum totum et praesertim in hoc festo, in templo, imo etiam saepe in domo uti candelis et cereis." „Quomodo historia Euangelica huius festi moneat de praecipuis partibus ad sciendum et tenendum den rechten Kirchengang necessarijs" (comm. autogr.: f. 40ª—43ª).

„Jn die Cinerum" sive 13. Februarii 1583. „Quid Christus in Euangelio nobis de ieiunio meditandum praebeat" (comm. autogr.: l. c. f. 44ª—47ª).

„De Euangelio feriae sextae post Cinerum" sive d. 15. Februarii 1583. „Prima contio de Missa. Christianis bonum et utile esse, ut de sanctae Missae sacrificio certam et fundamentalem habeant informationem. Quod Missae fundamentum? institutio sacramenti et sacrificij" (comm. autogr.: l. c. f. 47ᵇ—49ᵇ).

„Dominica 1 Quadragesimae" sive 17. Februarii 1583. „Quomodo historia Euangelij cuique informationem dare possit, vt Quadragesimam suam Christiane transigat." „Quomodo historia Euang. monet de cognoscendo Satana et eius astutia, fraude et tentationibus." „De causis mouentibus, ut Missae sacrificium tam parui fiat passim et contemnatur et furiose prophanetur . . . 1 causa est vnfleiss et sorglosigkeit der geistlichen 2 der weltlichen Obersten gietigkeit [i. e. avaritia] 3 das vnordenlich wesen des gemainen Volcks 4 Neid vnd hass der newen Secten." Quomodo Canisius in hac contione de sacerdotibus questus sit, vide infra, monum. 1323. Questus est item (ut multa alia praetermittam) de parentibus, offerentibus „filios ad altare, ut ministrent, semicaecos, claudos, uitiatos corpore et ad nihil praeclari dispositos" (comm. autogr.: l. c. f. 50ª—56ª).

„De Euangelio Matth. 12" v. 38—50, quod erat feriae IV. quatuor temporum sive 20. Februarii 1583. De evangelio diei et „de usu der Fronfasten" (comm. autogr.: l. c. f. 56ᵇ—57ª).

„Feria 6 post Jnuocavit" sive die 22. Februarii 1583. De evangelio diei. Deinde „De Missae partibus tribus" principalibus, quae sunt: „Consecratio, oblatio, communio". „Quid opus tot ceremonijs"? „Cur huiusmodi ritus non sint mutandi"? „Quid credendum et tenendum de illa missae parte, quae Consecratio uel Germanice Wandlung dici solet?" (comm. autogr.: l. c. f. 57ª—60ª).

„De S. Matthia", cuius dies festus agebatur, „et Dominica Reminiscere" sive Dom. II. Quadragesimae, quae erat 24. Februarii 1583. „Dicam primum de S. Matthia in Apostolum electo 2º Cur Christus erga Cananeam aethnicam uerbis et factis se tam inhumanum et durum praebuit. 3 quid de prima parte Missae id est consecratione tenendum." In prima parte Canisius senatores friburgenses (qui ius „praesentandi" parochos habebant) sic hortatus est: „Videte Domini, quomodo Ecclesiae uestrae in pagis regantur, quales Matthias eligatis et assumatis, quales pastores et praedicatores constituatis et confirmetis." Deinde necessitatem seminarii clericorum Friburgi instituendi his verbis indicat: „Quam utile et laudabile et necessarium esset uias et media prae manibus habere ad bonos sacerdotes et pastores alendos et promouendos, qui uerbum Dei praedicare, sacramenta dispensare et pauperem populum rectius instruere et regere possent" (comm. autogr.: l. c. f. 60ᵇ—63ª).

„Alia concio de ueritate Eucharistiae", habita, ut videtur, feria IV. post Dom. II. Quadr. sive 27. Februarii 1583. „Quare Christus sub specie panis et uini consecrauit, et ita uelatum se dedit." „Quomodo se quis Catholicus gerere debeat erga Sacramentarium" catholicam de eucharistia doctrinam reicientem. „1 Cauenda disputatio de re tanta 2 Jnduendus zelus contra blasphemos. Vade retro me Sathana [Mc 8, 33] . . . 3 Charitas in corde gestanda cum interna compassione. 2 oratione feruida · lachrimis ut hos crucis hostes [Phil. 3, 18] deploremus, et dicamus Tulerunt dominum meum [Io. 20, 13]" (comm. autogr.: l. c. f. 63ᵇ—66ª).

„De Christo in Eucharistia adorando." Oratio habita, ut videtur, feria VI. post Dom. II. Quadr. sive 1. Martii 1583. „Quidam [eum] uno genu flexo adorant, similes militibus Pilati [Mt 27, 29], alij stantes sicut stipites, uel hinder dem stul, immemores illius Philipp. 2. Jn nomine Jesu omne genu flectitur [Phil. 2, 10]" (comm. autogr.: l. c. f. 66ᵇ—67ᵇ). Plura vide infra, monum. 1324.

„Dominica Oculi" sive tertia Quadragesimae sive 3. Martii 1583. Diei „Euangelium esse consolatorium et terrificum. 2 Quomodo Satan a Christo uictus adhuc sit adeo potens apud fideles". „De Christo in Eucharistia adorando" (comm. autogr.: f. 68ª—70ª).

„De Euangelio Matth. 15ᵛ, 1—20, quod erat feriae IV. post Dom. III. Quadr.[1] sive die 6. Martii 1583. Deinde „Repetitio de adoratione" sacrae eucharistiae (comm. autogr.: l. c. f. 70ᵇ—72ᵃ). Plura vide infra, monum. 1324.

„De Euangelio Samaritanae Joa. 4ᵛ, 5—42, quod erat feriae VI. post Dom. III. Quadr. sive 8. Martii 1583. Deinde „de sacerdotio" (comm. autogr.: l. c. f. 72ᵃ—74ᵇ).

„Dominica Laetare" sive IV. Quadr., sive 10. Martii 1583. „Antea monui ut in principio Quadrag. mitterentur pueri, serui, ancillae ad confessarios et seelsorger. 2 ut patres et matres, domini et matres tempestiue accederent, et suas repurgarent conscientias, et necessariam acciperent informationem circa fidem, uitam et uocationem. Quod factum non est, potest adhuc fieri, et quo citius, eo melius · diabolica est persuasio quod putamus ad nostrum pascha et ad dignam sacramentorum susceptionem sufficere, ut ad ultimum diem expectemus, et . . . curramus ad mensam domini . . .. cum speciali tripudio daemonum, cum horribili irreuerentia sacramentorum, et cum certa damnatione eorum, qui non se probant [1 Cor. 11, 28] et praeparant ad tantum mysterium. Qui aures habet audiat [Mt 11, 15; 13, 9 43 etc.], ne reus fiat corporis et sanguinis Domini [1 Cor. 11, 27] et idcirco in hoc et futuro saeculo puniantur [cf. 1 Cor. 1, 30—32]. Specialiter optarem iuuari in fide infirmos et dubios bona instructione indigentes, et de quibus non pauci sunt, qui nisi coacti non ueniunt ad caenam" [cf. Lc. 14, 23]. „Dicam primum ut pergamus in nostra materia quantopere sit necessarium, ut circa sacramentum et sacrificium altaris sedulum respectum habeamus super ministrum uel sacerdotem. 2 quomodo nobis adumbretur in historia hodierni Euang., ut laudabiliter et fructuose circa Missam nos gerere quotidie ualeamûs" (comm. autogr.; l. c. f. 74ᵇ—79ᵃ).

„Jn Euang. de coeco nato Joan. 9", quod erat feriae IV. post Dom. IV. Quadr.[2] sive 13. Martii 1583. Deinde „absoluemus inceptam materiam de ministris Missae, et cum quibus egerit Christus in ultima cena" (comm. autogr.: l. c. f. 78ᵇ—81ᵇ).

„De Lazaro Bethanico quatriduano", quod erat evangelium feriae VI. post Dom. IV. Quadr.[3] sive 15. Martii 1583. Deinde: „Ob quas causas Missae officium probo Christiano charum et gratum ualdeque commendatum esse debeat ut libenter et frequenter illi adsit, suamque Christianam deuotionem in illo exerceat" (comm. autogr.: l. c. f. 82ᵃ—85ᵃ).

Deinde Canisius notavit: „Deest Concio Dominicae Judica [sive Passionis, quae erat 17. Martii 1583] propter Parochum" (l. c. f. 85ᵇ). Hoc igitur die ipse ecclesiae S. Nicolai parochus, qui erat Sebastianus Verronius, ad fideles suos dixisse videtur.

„Feria 2 post Judica" sive 18. Martii 1583. Evangelio diei breviter explicato fit „continuatio, cur saepe et libenter bonis audienda Missa" (comm. autogr.; l. c. f. 85ᵇ—88ᵇ).

„Cum breue tempus habeamus ad praedicandum, et Pascha immineat, mecum statui susceptam mihi materiam de officio Missae intermittere, et in aliud tempus reliqua reseruare, praesertim quomodo se quisque in Missa gerere, et in ea passionem mortemque domini cogitare, ac sibi utilem reddere debeat. Tractabo autem in sequentibus concionibus partim de confessione sacramentali, partim de digna sacramenti sumptione, certus nihil melius et utilius posse modo tractari pro concione. Praesentis autem concionis summa erit, ut assignemus quod pactum fecerit et seruet Deus cum homine ut post commissa peccata recipiat eum in gratiam, et peccata illi remittat 2 quae ad ueram confessionem iure nos excitent 3 quaenam maxime obseruanda sint ante et circa confessionem, ut ea cum fructu peragatur" (comm. autogr.; l. c. f. 89ᵃ—92ᵃ). Oratio haec habita esse videtur feria IV. post Dom. Pass. sive 20. Martii 1583.

„Altera concio de Confessione". „Depulsio aliquot obiectionum, quae multos simplices a Confessione seducunt et ab illa deterrent" „Quomodo me gerere debeo circa id est in confessione, vt ne sim nimium laxae, neque nimium angustae con-

---

[1] *Missale* Lausannense f. XXXVIIᵇ—XXXVIIIᵃ. [2] Ib. f. XLIII. [3] Ib. f. XLV.

scientiae" (comm. autogr.; l. c. f. 92a—94b). Contio habita esse videtur feria VI. post Dom. Pass. sive 22. Martii 1583.

„Quomodo ante et in confessione se quis gerere debeat." „In proxima concione tractauimus ad remissionem peccatorum Deum multa requirere" etc. (comm. autogr.; l. c. f. 94b—96a). Orationem hanc Canisius habuisse videtur aut Dominica Palmarum, quae erat 24. Martii, aut, si eo die ipse parochus (perinde ac Dominica Passionis) dixit ideoque Canisius dicere non potuit, feria II. vel IV. hebdomadis maioris, quae erant 25. et 27. Martii 1583.

„De modo se ipsum probandi ante communionem" „in fide, in poenitentia, in deuotione Christiana", cum defensione ecclesiae communionem sub una specie praecipientis (comm. autogr.; l. c. f. 96b—98b). Oratio haec habita esse videtur uno ex tribus diebus in oratione superiore positis; cuius fortasse alteram partem constituit.

„Jn die sancto paschatis" sive 31. Martii 1583. „Quae bona noua in se contineat et nobis annuntiet paschalis dies. Quomodo utendum festo praesente et paschalibus sequentibus" (comm. autogr.; l. c. f. 99a—102b).

Fini huius orationis Canisius ascripsit: „Non habitae sunt conciones feria 2 et 3 Paschatis."

„Jn octaua paschatis" sive Dom. I. post Pascha sive 7. Aprilis 1583. Omnibus Dominicis inter pascha et pentecosten" „peculiaris processio cum praecedentibus Creutzeren vnd fligende rotten fanen obseruatur. 2 spirituales personae in processione procedunt binae et binae cum suis stolis albis, canunt et Deum laudant publice". „Quomodo ex Euangelio [Io 20, 19—31] quisque Catholicus suam ueram et antiquam fidem confirmare, et contra nouam falsamque fidem conseruare habeat." „Qui hodie Thomasbrüder, quibus compatiendum, ut et ipsi a sua incredulitate conuertantur." „Quomodo fideles in hoc Euang. multiplicem inueniunt causam sese et alios consolandi." „Quomodo intelligendum, quod Christus dat potestatem discipulis suis peccata remittendi et retinendi" (comm. autogr.; l. c. f. 102b—106a).

Pone hanc orationem Canisius haec scripsit: „Desunt Euangelia 2, Ego sum pastor bonus et Modicum et non uidebitis me", quae sunt Dominicarum II et III post Pascha sive 14. et 21. Aprilis 1583. Canisius tamen, ut videtur, his diebus orationes habuit neque tamen in codice inscripsit; impeditus enim, ne statim eas inscriberet, paginas aliquot in codice reliquit vacuas, in quibus eas vel potius earum summas postea scriberet; nec vero propositum executus est.

„Jn festo S. Philippi et Jacobi" sive 1. Maii 1583. „Dicam ergo primum, in quo consistat futura et aeterna vita hominis ex parte animae ex hac vita migrantis ad celestem felicitatem. 2 an haec felicitas maior et gaudentior sit post vltimam resurrectionem iuxta corpus" (comm. autogr.; l. c. f. 108b—113a).

„Jn die S. Nicolai et 2a fer. Rogat.", quae erat d. 6. Maii 1583. „Nos Catholici Christiani habemus hodie in cultu diuino duo peragere, alterum ut peculiare festum de unserem wol genanten und bekanten Patrono S. Nicolao celebremus, unde et feriari iubemur; alterum ut incipiamus vnsere Creutzwochen tenere et adesse Letaniae. Vnde iuxta ueterem laudabilemque morem de una Ecclesia in alteram his tribus diebus processio instituitur. Nullus rite culpare potest, sed omnes prudentes laudare habent modernos et ueteres Friburgenses, quod in Dei honorem et ad memoriam S. Nicolai Patroni duo festa in anno voluerunt solemniter in oppido et in ditione celebrari. Vnum festum sexta Decemb. quia tunc de hac uita ad Christi regnum migrauit et pro suis laboribus mercedem recepit aeternam, in celis coronatus. Alterum festum in 9 Maij incidit, et admonet nos de miraculis circa corpus et reliquias eius factis. . . . Sed quomodo Friburgenses hoc festum recte et cum fructu celebrabunt? Estne satis pulsari magnas campanas, 2 pulsari organa, 3 pueros equitare in alten ripp.[1] 4 multos hodie in hospitijs inebriari et uentri seruire. De tali feriatione parum curat noster Patronus." „Dicam igitur pauca de his, in quibus ut uereor, Patronum nostrum offendimus et irritamus, eiusque fauorem saepe amittimus, eique causam

[1] Altaripa, Hauterive; ubi erat monasterium ordinis cisterciensis.

damus contra nos querendi, et coram Deo nos accusandi." „Quomodo Friburgenses hunc Patronum sibi utilem reddent?" „Quomodo festum hoc moneat de multis quae homini consideranda sunt, ut ueram et fundamentalem habeat de perpetua uita et salute informationem" (comm. autogr.: l. c. f. 113^{b}–120^{a}). Memoria „Translationis S. Nicolai", ut et ex Canisii verbis et aliunde constat, die 9. Maii celebrabatur; sed Friburgi a. 1583, quia in eum diem cadebat Ascensio Domini, 6. Maii anticipatum esse videtur. Plura ex hac oratione ponentur infra, monum. 1326.

„In die Ascensionis Domini" sive 9. Maii 1583. „Dicam primo, Christi ascensionem exemplar fuisse illorum, quae post hanc uitam ad salutem suam eternam electi percipiunt. 2 quid sit illa Christi promissio facta Apostolis, praedicate Euangelium omni creaturae [Mc 16, 15], 3 Quomodo accipienda Christi sententia, Qui crediderit et baptizatus fuerit saluus erit" [Mc 16, 16] (comm. maximam partem autogr.; l. c. f. 120^{b}–124^{a}).

„In die sancto Pentecostes" sive 19. Maii 1583. „Quam grauiter hodie offendant nouatores Spiritum s." „Quomodo quilibet Christianus per aduentum Spiritus sancti in Catholica fide se confirmare, et uita se corrigere et reformare debeat" (comm. autogr.; l. c. f. 124^{b}–129^{a}).

„Jn die Corporis Christi" sive 30. Maii 1583. „Dicam primo quomodo quisque ad uerum festi huius vsum debeat cogitare Pauli sententiam, Praedicamus Christum crucifixum Judeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judeis atque Grecis Christum Dei uirtutem et Dei sapientiam 1 Cor. 1. [v. 23 24] 2 quomodo se quisque Christianus in hoc festo et toto anno gerere debeat erga sanctiss. sacramentum, et simul Euang. [diei] inseremus" „Quoties sumendum sacramentum? quo saepius sumitur, eo melius, modo quis non sciat se in mortali peccato uiuere, et desideret uitam emendare. Hinc primi Christiani quotidie cum hoc sacramento uersati sunt [1]. Postea cum primus ille feruor deuotionis intepuisset, Aug. suasit Dominicis diebus laicis communicandum esse. . . . [2] Immensas huius sacramenti diuitias experiuntur, qui eo saepe et debite utuntur, quia fontem habent quem adeunt, sicut primi Christiani fecerunt re pauperes et spiritualibus bonis abundantes. Nonne idem Christus, idem agnus [3], idem sacramentum, idem panis Angelorum [4], eadem uirtus sacramenti, quae olim fuit, nunc est et manet usque ad finem seculi? Nolumus petere et accipere panem illum quotidianum, ut Augustinus interpretatur Matt. 6. [5] Quidam nimium timent communicare, ob indignitatem propriam, nec attendunt necessariam medicinam suis uulneribus, et peccatrici animae, et nimium sunt meticulosi, saepe et latenter pigri ad debitam praeparationem. Zachei exemplum illos animare debebat, qui letus Christum excepit in domum, licet paruus statura et princeps publicanorum" (comm. autogr.: l. c. f. 129^{b}–135^{b}).

„Jn festo Apostolorum Petri et Pauli" sive 29. Iunii 1583. „Quomodo bonus Catholicus ex hoc Euang. in sua ueteri indubitata fide [se] consolari et stabilire

---

[1] Cf. Act 2, 42 46; 20, 7.

[2] Canisius locum illum libri „De ecclesiasticis dogmatibus" (c. 53) a *Gennadio Massiliensi* (saeculo V.) compositi significat: „Omnibus dominicis diebus communicandum suadeo et hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit" (*Migne*, P. lat. LVIII 994). Quem librum eo tempore putabant esse S. Augustini. Plura de hac re v. *Can.* IV 558^{5}.

[3] Io 1, 29 36; 1 Petr 1, 19; Apc 5, 6 8 12 etc. [4] Ps 77, 25.

[5] „Panem nostrum quotidianum da nobis hodie": Lc 11, 3. „Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie": Mt 6, 11. Ita versio nostra vulgata. Utroque autem loco codices graeci habent: „τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον". Atque S. *Augustinus* etiam in evangelio S. Matthaei legit „quotidianum", ac nomine „panis quotidiani" et victum corporum, et sacram eucharistiam, et verbum Dei comprehendi dicit (Sermo LVIII [alias 42, inter Homilias 50], c. 4, n. 5: *Migne*, P. lat. XXXVIII 395).

debeat hoc tempore periculoso" (primatum romani pontificis defendit (comm. autogr.: l. c. f. 136ª—140ᵇ). Plura vide infra, monum. 1340.

„Dominica De Petri piscatione Luc. 5", quod erat evangelium Dominicae VI. post Pentecosten[1] sive 30. Iunii 1583, Canisius evangelio breviter explicato bullam indulgentiae plenariae a Gregorio XIII. propositae promulgavit et commendavit (comm. autogr.: l. c. f. 140ᵇ—143ᵇ). Plura vide infra, monum. 1341.

„Jn festo Visitationis Mariae" sive 2. Iulii 1583. „Jn hodierna concione duo nobis per Dei gratiam expedienda 1 de festo nostrae Dominae, alterum de noua Romana et annuntiata Jndulgentia, sicut in proxima concione promisi." „Quomodo Maria praesentem arguat mundum" (comm. autogr.; l. c. f. 144ª—148ᵇ).

„Dominica Sexta" post Dominicam Trinitatis sive 7. Iulii 1583 „de iustitia Christiana Mat. 5." Canisius evangelium diei explicat (comm. autogr.: l. c. f. 149ª).

„Jn festo S. Mar. Magdalenae" sive 22. Iulii 1583. „Dicam primo, quo pacto Christi persona in hoc Euangelio consideranda sit, et nobis ad consolationem seruiat. 2 de Magdalena peccatrice et exemplo eius, per quod multi status hominum admoneantur et arguantur 3 cur pauci Magd. similes in penitentia, multi in peccato." In tertia orationis parte Canisius: „Prima causa", inquit, „est in parentibus tam negligenter filios et filias educantibus. . . . Accedit quod nimis iuuenes ad matrimonium ueniant male instituti et inexperti, saepe et ignorantes orare, credere et scire suum Catechismum · quomodo igitur docebunt filios? 2° permittunt filijs omnem libertatem, licet [sint] ad malum procliues et uirgae indigentes ac frequentis reprehensionis. Permittunt eos delicate educari zart vnd schleckerhafftig, uinum bibere, 3 uel 4 [uicibus] in die uesci 2 huc illuc per plateas discurrere, malis socijs adhaerere, omnia mala audire domi et foris, sub noctem choreas ducere und in reyen singen, ad S. Leonardum et zu den Kilweyenen, zum Gaugler currere, secularia carmina canere. . . . Mittunt aliqui filios ad balnea inhonesta, alij in militiam id est in scholam omnis impietatis, ubi sine labore discunt quae quotidie uident et audiunt, Gott lesteren, hurerey treiben, fressen, saufen, spilen, vnd alle schand treiben." Nuptiae „non fiunt sicut deberent, et magna egent reformatione, quia contra Dei honorem, et cum grauamine ciuitatis et cum damno animarum indies magis et magis illic peccatur 1 ex parte sumptuum quos fieri uidemus in kleinodijs et uestibus pro sponsa et sponso. Non satis est habere syden, opus habere Samet vnd Satin et tantam turbam conuiuarum. 2 ex parte ferculorum trachten in conuiuijs Mäleren durantibus biduo uel triduo. 3 ex parte compotationis das vnmessig zusaufen ohn alle Maß 4 ex parte leuitatum praesertim in choreis mit gar vngeburlichen vmbschwingen vnd vmbkehren · non ist zucht vnd scheme; quibus dies non sufficit, et ubi lusores impudicis canticis lyder und melodey diabolo egregie seruiunt 5 ex parte uerborum impudicorum, detrahentium, iuramentorum, quae contra Deum et proximum illic dicuntur et audiuntur 6 ex parte pompae et superbiae communiter usitatae in ornamentis et uestibus, quas nouo semper more confici student 7 ex parte festorum quae uiolantur 8 ex parte grauidarum 9 ex parte uoluptatis · malunt carere cibo et potu" (comm. autogr.: l. c. f. 149ᵇ—153ª).

„Jn festo Jacobi Apostoli" sive 25. Iulii 1583. Ex evangelio diei Canisius ostendit, „cur permiserit Christus, suos charos Apostolos a superbia et ambitione ante suam pass. saepe tentari" (comm. autogr.: l. c. f. 153ᵇ—156ᵇ).

„De assumptione b. Virginis" d. 15. Augusti 1583. „Dicam 1 cur hoc Euang. proponatur, in quo nulla de Maria mentio 2 Quomodo circa illud uita eius consideranda 3 Qui hodie in Mariam peccent, ut illis obsit potius quam prosit. Post prandium de morte sepultura assumptione et gloria excellenti" Duas ergo contiones eo die Canisius habuit. In priore haec, praeter alia, protulit: „Peccant etiam in Virginem, quotquot cum nouis suermeris subducunt se a societate et consuetudine ueterum Catholicorum in his quae ad Mariae honorem et reuerentiam externam spectant. Multi tam delicati facti, ut ferre non possint epitheta tot seculis tributa

[1] *Missale* Lausannense f. cxvᵇ.

et decantata Virgini, ut quod sit regina celi, domina mundi, mater misericordiae, uita, spes, dulcedo, aduocata et consolatrix peccatorum[1]. . . . Ferre non possunt salutationem Angelicam, et ex ea rosaria et psalteria confici, eaque in manibus deportari publice, uel quasdam fraternitates Virginis introduci[2]. Contradicunt recepto mori pulsandi mane et vesperi ad Aue Maria, et die sabbatino celebrandi specialem memoriam Virginis, et tunc quoque conueniendi ad Canticum Salue Regina, uel Alma Redemptoris, uel Ecce uirgo concipiet" (comm. maximam partem autogr.: l. c. f. 157b—162b).

„Jn festo S. Bartholomei" sive 24. Augusti 1583. „Gaudeamus in Domino 1 propter Apostolos electos et glorificatos 2 ob Ecclesiam ab illis illustratam 3 ob doctrinam et exemplum nobis relictum." Deinde copiosius respondetur ad quaestionem: „An rectum et Euangelio consentaneum sit, Ecclesiasticas personas uersari circa potestatem externam et seculare regimen" (comm. autogr.; l. c. f. 162b—166a).

„De S. Mattheo" Apostolo sive 21. Septembris 1583 (quod eo anno erat sabbatum quattuor temporum Septembris). „Quomodo festum hoc nobis prodesse et seruire possit ad rectam fidem hoc tempore corroborandam. Quomodo conferat festum ad uitam corrigendam" „Hoc unum addam de fronfasten, me ualde mirari, multos Catholicos tam parum obseruare hoc uetus sanctum utile probatum et laudabile institutum, ut non modo domi, sed etiam in hospitijs publice suum praeceptum ieiunium frangant sine omni necessitate, et alios offendant hac inobedientia et carnalitate" (comm. autogr.: l. c. f. 166a—170a).

„Jn festo S. Michaelis concurrente Dominica 18a post Dom. Trin. sive 29. Septembris 1583. „Hoc feriato die leguntur et cantantur duo Euangelia. Vnum de praesente Dominica. . . . Alterum Euangelium, quod hodiernum festum secum adfert. . . . Cogitaui autem haerere circa Euangelium de festo [Mt 18, 1—10], et ex eo assignare, quomodo Christus illic non modo suos discipulos, sed et credentes omnes ad Dei timorem potenter excitet. 2 quomodo s. angeli se erga nos gerant, et quid nos uicissim iliis facere debeamus" (comm. autogr.: l. c. f. 170b—173b).

„Jn festo S. Lucae Euangelistae" sive 18. Octobris 1583. Evangelium explicans, qui sint „ueri Euangelij praedicatores et Ecclesiae ministri" ostendit (comm. autogr.: l. c. f. 174a—179a).

„Jn festo Apostolorum Simonis et Judae" sive 28. Octobris 1583. Ex evangelio diei Canisius dicit „1º de fraterna et Christiana charitate 2 constanti patientia, Lieben und Dulden". In fine autem orationis auditores monet „de praeparatione ad festum omnium Sanctorum", quae potissimum susceptione sacramentorum confessionis et communionis fieri debeat. Simul queritur, quod „toto anno saepe peccamus in festis Sanctorum: . . . vnde tam pauci cernuntur in concione, multi autem ociosi garruli et uani sub tilia[3], in foro et diuersorio" (comm. autogr.: l. c. f. 179a—181b).

„Jn festo Sanctorum" Omnium sive 1. Novembris 1583. „Ex quibus causis hoc festum et cultus Sanctorum negligatur et exosum reddatur. Quae nos in cultu sanctorum debeant confirmare, ut in catholica fide perseueremus." In numero „ab-

[1] Horum maxima pars est in „antiphonis" illis officii divini, quae incipiunt: „Ave, regina coelorum", „Regina coeli, laetare", „Salve, regina".

[2] Canisius his verbis sodalitates sive congregationes marianas Friburgi a se institutas (v. supra p. 541—544) atque etiam, puto, confraternitatem Rosarii significat.

[3] Alias quoque Canisius hanc tiliam (tilleul, Linde) Friburgi in foro curiae plantatam commemorat. Quam a. 1476 post victoriam a Friburgensibus apud Moratum sive Murten partam ferunt esse plantatam ideoque „Tilleul de Morat", „Murtner Linde" vocant. Olim sub ea lites diebus mercatus inter venditores et emptores ortae dirimebantur („Lindengericht"). In „Chronico" friburgensi a. 1687 affirmatur, urbis primores saepe sub tilia illa congregari et considere. Venerabilis haec arbor semper diligenter custodita est: quae nunc cancellis cingitur et fulcris ferreis sustinetur. Scripsit de ea *Ioseph. Schneuly* reipublicae archivista in „La Liberté", A. 34, nr. 244 (23. Oct. 1904).

usuum", qui in cultum Sanctorum irrepserint, Canisius haec, praeter alia, ponit: „Wir machen von inen wetterheiligen: schreiben inen zu die verworffenen vnd glückhseligen täg. Nonne superstitio das wir an Sandt Steffens tag die Roß beschlagen, das wir sechen an Sandt Johans abent, das die Jungkhfrawen an Sandt Andreae et Magorum abent wellen ihr gebet vnd seltsame ceremonie an richten, da mit sie wissen mogen, mit wem sie in disem Jar verheyraden. . . . Imagines sunt nimium impudicae, uel deformes et defectuosae. . . . Etlich mein es sei etwas lebendigs vnd wirckhens in Pildern. Non erigunt corda ad Christum nec ad sanctos quorum signa sunt. Abusus est das fluechen vnd schelten durch Sandt Anthoni feür: bei Sandt Veltein, vnd Veitsdantz" [1] (comm., cuius aliae partes Canisii ipsius manu, aliae duabus manibus ignotis scriptae sunt; l. c. f. 182^a—186^b).

„Dominica 22" [scribendum fuit „23"] post Dom. Trin. sive 3. Novembris 1583, „praecipue de animabus purgatorij". „Quoniam proximo festo promisi tractare, quod heri propter mercatum non licuit, de Christianis scilicet animabus, quarum commemorationem gedechtnuß celebrauimus, proposui mihi haec tria declarare 1 quidnam de huiusmodi animabus ueteres Catholici crediderint et tenuerint, et quomodo se erga illos gesserint 2 de Neochristianis, an ius et causam habeant negandi, arguendi et ridendi ueterem fidem, et usum nostrorum maiorum et ueterum Catholicorum circa Christianas animas, praesertim in orando offerendo et pietatis operibus exercendis. 3° Quomodo Catholici strefflich und loblich hic se gerant." In postrema hac parte Canisius haec, praeter alia, recenset peccata, quae Catholici „circa mortuos" committant: „Peccat communis turba quod nil sciat pro defunctis facere, nisi quod eant ad 5 altaria, et offerant die faule falsche verschlisse vnd onnutze Cart. 2 eunt ad sacram aquam et ante fores dicunt, Got tröste die liebe Seel. Quidam querunt vnd treiben ein pracht darbey ut dici possit, Er hab ein groß ehr, quia multi et egregii comparuerunt. Solae mulieres sunt largae in aqua, quam spargunt auschutten per totam Ecclesiam" [2] (comm. autogr.: l. c. f. 188^b—191^a).

„Jn festo S. Catherinae" virginis et martyris sive 25. Novembris 1583. „Antiqui Friburgenses in magno precio habuerunt, ut singularem patronam Catarinam ex praecipuis patronis oppidi et ditionis". Evangelium diei (Mt 25, 1—13) explicat. „Cur Christus in hac parabola et saepius in Euangelio suos discipulos et fideles omnes serio admonet ad uigilandum." „Quo modo seruiat Euangelium ad Dei timorem nobis et peccatoribus omnibus incutiendum." „Qui se huius Euangelij maxime annehmen, und darauß besseren und reformieren sollen" (comm. autogr.; l. c. f. 193^a—196^a).

„Collectanea de S. Andrea ex Feuchtio", cum commentario contionis die S. Andreae Apostoli sive 30. Novembris 1583 habitae. „An rectum et Christianum sit ex opificibus et imperitis laicis eligere et assumere ad officium praedicandi et ad piscandum animas" (Contra protestantes). „Vnde fit multos extare praedicatores, paucos hominum piscatores." „Quomodo S. Andreas ad nostrum aduentum recte inchoandum et seruandum nobis seruire possit" (ex comm. autogr.: l. c. f. 196^b—200^a).

[1] In Can. 51 f. 383^b exstat commentarius „de abusibus Catholicorum circa Sanctos" manu ignota Friburgi scriptus et a Canisio recognitus, qui cum indiculo abusuum in hac oratione posito multis in rebus convenit. Alia tamen quaedam in eo adduntur, ut cum dicitur, praeter „wetterheyligen" constitui etiam aliquot „Viechheyligen"; item poni „S. Cristofel zum glück, S. Vicens vnnd Vrbanus zum wyn".

[2] In Can. 51 f. 384^a exstat „peccatorum", quae catholici hac in re committant, indiculus Friburgi manu ignota scriptus et a Canisio recognitus, qui cum hac Canisii oratione valde convenit. Hoc quoque in eo dicitur: „Ein Mißbrauch ist es daß sobald man nach eines menschen abgang rumplen hört oder etwas gspürt, daß man vermeint es sey eben des verstorbenen Seel. . . . Daß die Ehleut nach ihres gemahels abgang so wenig zeyt warten sich widerumb zeverheyrathen. . . . Daß etliche weyber so gar vberflüssig mitt dem gewyehten wasser vmbgehn, vnnd es alles durch die ganze kirch vßschütten, vnnd also die kirch so gar vberschitten."

„Jn festo S. Nicolai" patroni urbis et reipublicae friburgensis sive 6. Decembris 1583. „An Deo gratum et fidelibus utile sit, eligere specialem Dei amicum, eumque pro patrono habere colere et inuocare uel ansprechen in sua necessitate". „Quae sunt causae impedientes, ut multi paruum aut nullum fructum a Patronis quos habent et inuocant, percipiant saepe." De Nicolai exemplo imitando comm. maximam partem autogr.: l. c. f. 203b–208a. Plura vide infra, monum. 1345.

„Jn festo Conceptionis Virginis, quando in Dominicam 2 Aduentus incidit" sive 8. Decembris 1583. Primum Canisius immaculatam conceptionem B. Mariae Virginis explicat. Deinde loquitur contra „nouos doctores mit Jhren glatten, sußen vnd sukker predig", quibus continuo meritum gratiaque Christi extollantur et sola fides ab hominibus exigatur. „Docet interim experientia, communem populum ex huiusmodi usu doctrinae parum emendari, nec timoratiorem et perfectiorem, sed potius leuiorem, praesumptuosiorem et turgidiorem fieri, falsamque securitatem acceptare." „Uno oculo sic Christi bonitatem aspicimus, ut altero iustitiam eius ubersehen." Denique ex evangelio diei timorem Dei commendat (comm. autogr.; l. c. f. 200b–203b).

„Jn festo S. Thomae" Apostoli sive 21. Decembris 1583. „Dicam 1 de S. Thoma breuiter [2] Vnde contingat multos cum Thoma in fide dubitare wancken und irren, ita ut plures Thomae non fuerint", quam nunc. „Quid agendum circa dubitantes et errantes Thomas" (comm. autogr.: l. c. f. 208b–209b).

„Dominica 4 Aduentus" sive 22. Decembris 1583. Ex evangelio diei ostendit, „quomodo Joannis [Bapt.] exemplum nobis hodie seruiat ad ueram Catholicam et solum saluificam fidem in nostris cordibus confirmandam", et „quomodo Joannes non solum Judeis, sed et nobis sit praecursor Christi et uox clamantis ad parandam uiam Domino" [Is 40, 3; Mt 3, 3; Mc 1, 3 etc.]. Omnibus sacramenta confessionis et communionis suscipienda et media nocte Nativitatis Christi ad divina officia celebranda in templum conveniendum esse. „Cauete ab insidijs demonis, qui conatur hoc tantum festum multis inutile, imo damnosum reddere ita ut in suum Christag grauiter peccent. Loquor de illis qui attendunt superstitionibus [1], et fidem ab antiquis feminis acceptam tenent, si eant in stabulum, si ducant equos in campum, si media nocte cibent iumenta, si equis prouideant crastino die [2] ferramento. 2 peccant cito e templo excurrentes zu den gebratten wursten [3], uentri seruientes et se onerantes cibo et potu" etc. (comm. autogr.: l. c. f. 212b–216a).

Die Nativitatis Christi sive 25. Decembris 1583. „Quum Christi dies nobis et orbi toti tam sit gnadreich et salutaris et plenus consolatione ac letitia, sicut dictum est, unde fit ut multis tam parum utilitatis adferat, imo inutilis uideatur. Quae prima sint Christi opera quibus in sua nativitate nos fideles docere et monere uoluit" (comm. autogr.; l. c. f. 210; 216b–218a).

„Jn festo S. Joannis Euangeliste" sive 27. Decembris 1583. Primum de curiositate Canisius dicit; ubi: „Quam multi", inquit, „ex mera curiositate uersantur circa nouum almanach et Bawren Calender, ut sciant de anno futuro sitne vngeluchsam schädlichs boses jar. . . . Peiores qui currunt ad demones uel demonis ministros, nigromanticos, hexen, ut sciant de secretis uel amissis rebus." Deinde ait: „Quoniam promisi de festo natiuitatis Domini aliquid dicere, proponam et explicabo auream sententiam, quae quotidie in hisce festis repetitur, et per totam octauam cantatur, „Verbum caro factum est" etc. [Io. 1, 14] nam in illa breuiter omnia continentur, quae maxime ad usum et fructum huius festi pertinent 2 de S. Joanne cuius festum colimus, tractabitur." In postrema hac parte: „Quid", inquit, „nobis spiritualibus deest nisi Joannis spiritus, ideo tam frigidi in charitate, in diuino cultu negligentes, in spiritualibus exercitijs inexercitati, et magis nos ipsos quam Christum et proximum diligentes. Vos domini et regentes moneat uos ad Christianam commiserationem, quia tam paucos habetis Joannes in uestra ditione id est tales ministros

---

[1] De his superstitionibus cf. *Can.* VII 728 et supra p. 572.

[2] Diem S. Stephani protomartyris (26. Decembris) significare videtur: v. supra p. 572.

[3] Cf. *Can.* VII 626 717.

qui et Christum uere diligant et a Christo diligantur[1], et suo tum uerbo tum exemplo pascant oues miseras[2], communique populo fideliter seruiant in praedicationis munere et dispensatione sacramentorum. Quando misericordes esse uultis super turbam[3], ut operarios bonos in messe tam deserta habeatis[4], et oues a lupis defendatis[5], aut saltem ut bonos Joannes institui procuretis · quia sunt oues sine pastore pudor est sic desertas iacere Ecclesias, sic diuinum cultum foede curari, tantam ignorantiam regnare, tamdiu differri uisitationem et reformationem, sic crescere zizania[6], et lupos grassari"[7] (comm. autogr.: l. c. f. 211^a 212^a · 218^b—220^a).

De contionum harum fructibus vide, quae in collegii friburgensis * Litteris annuis narrantur, infra, monum. 1346.

1321. Circa a. 1583.

Quibus verbis Canisius Friburgi contiones exordiri et terminare solitus sit.

Codex, in quo Canisius commentaria contionum Friburgi Helvetiorum inter a. 1582 et 1584 a se habitarum scripsit („Can. 37"), in pagina priore involucri posterioris haec habet manu ipsius Canisii scripta:

Jn principio concionum.

Die liebe Gottes des Vatters, gnad vnd barmhertzigkeit vnsers herren Jesu Christi, beywonung vnd einsprechung Gottes des heiligen Geist, sey itz und allezeit mit vns allen. Welche diss begeren, die sprechen mit mir auss innigkeit ihres hertzens Amen.

Auff das wir das heylig Wort Gottes recht handlen, vnd ihr das selbig fruchtbarlich anhören möget, wöllen wir vmb den Gottlichen Segen betten, vnd das heilig Vatter sampt den Englischen gruss sprechen.

Jn fine dicatur

Jch befelch ewere Seelen Leib, ehr vnd Gut in den schutz vnd schirm Gottes des Vatters, des Sons vnd des heiligen Geists Amen.

1322. 1583.

Ex Canisii autographo, quod ipse inscripsit: „De renouatione votorum Friburgi 1583". Can. 43 in folio duplici, separato nec numeris signato. Exhortationem integram, verbis tamen nonnunquam paululum mutatis, ex eodem autographo posuit *Schlosser* 303—309.

„Exhortatio" de renovatione votorum religiosorum, a Canisio ad Socios friburgenses habita. Quomodo haec renovatio fiat.

Canisius Friburgi a. 1583 tempore „renovationis votorum" religiosorum ad collegii Socios exhortationem sacram habuit; quam sic exorsus est: „Posset mirari aliquis, cur superiores nostri urgeant, in collegijs omnibus [bis][a] in anno[b] vota renouari[8], et circa renouationem multa obseruari[c], sicut ex antiquo more nouistis.

a) *Hoc v. supplendum esse suadet res ipsa; vide infra, adnot. 8.* b) *Sequitur* quolibet, *oblitt.* c) *Sequitur* Nam *vel simile v., oblitt.*

[1] Cf. Io 13, 23; 21 15 17 20.
[2] Cf. Mt 9, 36; 1 Petr 5, 2. [3] Mc 8, 2; cf. Mt 15, 32.
[4] Cf. Mt 9, 38; Lc 10, 2. [5] Cf. Io 10, 11 12. [6] Cf. Mt 13, 25.
[7] Cf. Mt 7, 15; Act 20, 29. Ex Canisii verbis intellegitur, pagos Friburgensium imperio subiectos penuria proborum parochorum et contionatorum laborasse.
[8] Quotquot in Societate nondum sunt „professi votorum sollemnium" vel „coadiutores formati", ex Constitutionum praescripto bis singulis annis vota religiosa,

Nam quisque humiliat se[a] coram superiore, petens dari sibi penitentiam pro commissis et omissis contra regulas. 2 humiliat se coram fratribus petens ueniam[b] de offensis et scandalis et quantum in ipso est desiderat se omnibus et singulis reconciliare et si quis nollet pro bono habere talem petitionem, grauiter peccaret[c] uelut expers debitae charitatis erga deum et proximum eique suaderem, ut non iret ad communionem nisi facta prius reconciliatione, quia Rex irascitur[d] uidens intrasse in nuptias eum qui non habuit uestem nuptialem[1], nec vult illi remittere non remittenti[2], nec ullum opus aut sacrificium eius acceptare[3].

3 Vsitatum est unumquemque se parare ad confessionem generalem ut reddat rationem superiori uel Confessario de sua conscientia et de omnibus quae toto anno uel per 6 menses fecit in sua vocatione et[e] postquam notauit praecipua capita, exponit nude et cum humilitate seipsum accusans in his, in quibus defecit contra regulas. Breuiter opus internae et externae penitentiae requiritur.

4 certo Die fit renouatio, 2 in certo et bene ornato loco 3 cum certis uerbis a quolibet aperte recitandis ante communionem, quae uerba sunt seria et notabilia nos obligantia sub pena aeternae salutis [amittendae].

5 Solent etiam post renouationem nostri se recreare in prandio 2 probari ut mittant sua ad pedes Apostolorum[4]. 3 mutari quaedam officia, 4 nouam faciem accipit collegium, quasi purgatum esset a sordibus, et omnia in suum locum reposita.

Dicam ergo primum, ob quas causas huiusmodi fiat renouatio, et tales ceremoniae et consuetudines adhibeantur 2 qui se impediant, quominus uerum fructum renouationis percipiant. 3 quae praecipue sibi proponere debeat bene se renouaturus."

P. *Hieronymus Natalis* († 1580), Societatis per multos annos visitator, in „consuetudinibus Societatis universalibus" hanc posuit consuetudinem: „Renouare uota ad natalem Domini et festum diui Petri[5] uel circiter": Epistolae P. *Hieronymi Nadal* IV, Matriti 1905, 621. Et in *Instructione quadam „de uotis", quae et ipsa a *Natale* habita vel scripta esse videtur, de hac renovatione dicitur: „Erit conueniens ut hoc fiat die Circumcisionis[6], et die Sanctorum Petri et Pauli in Iunio": Cod. „XV. A" f. 176b—177b.

1323. 17. Februarii 1583.

Ex orationis commentario ab ipso Canisio scripto. Can. 37 f. 53b—54a.

Cleri vita reprehendit.

a) *Sequitur* non modo, *oblitt.* b) *Sequitur* et desiderans cum omnibus, *oblitt.* c) *Sequitur* et omnes *(?), oblitt.* d) *Sequitur* contra, *oblitt.* e) *Sequitur* 4, *oblitt.*

quae biennio probationis expleto primum nuncupaverunt, „renovare" debent. Plura v. *Can.* IV 710[1]. [1] Mt 22, 11 12.

[2] Cf. Mt 6, 15; 18, 28—35; Mc 11, 26. [3] Cf. Mt 5, 23—24.

[4] Act 5, 2; cf. Act 4, 34—37. Paupertatis evangelicae memores, res quae ipsis superfluae erant vel quas quasi sibi proprias possidere videbantur, ad praepositos afferre solebant, ut hi de iis statuerent.

[5] 25. Decembris et 29. Iunii. [6] Kalendis Ianuarii.

Canisius Friburgi Helvetiorum in oratione sacra, quam in templo S. Nicolai Dominica I. Quadragesimae habebat, quattuor recensuit causas, propter quas missae sacrificium „passim ita blasphemaretur et abrogaretur". Harum primam in negligentia et incuria ecclesiasticorum positam esse dixit. „De Ecclesiasticis ingenue dico, quod sunt uelut imprudentes et negligentes mercatores, qui habentes preciosum thesaurum, nolunt eo uti ad suam et filiorum vtilitatem ut deberent imo abutuntur eo[a] adeo ut mereantur illum amittere quem[b] tam male custodiunt. Sunt sicut Petrus in horto dormiens, licet uigilet Judas cum sua turba[1] et quia d o r m i u n t, u e n i t i n i m i c u s e t s u p e r s e m i n a t z i z a n i a[2], et[c] impletur illud, M u n u s n o n s u s c i p i a m d e m a n u v e s t r a: u o s p o l l u i s t i s i l l u d[3]. Vere polluimus sacrificium immundis manibus attingendo, illoto ore consecrando, i n c i r c u m c i s i s c o r d i b u s[4] exequendo, impudica uita tradendo alijs tam sacra mysteria. 2 similes sumus filijs Heli qui scandalosa conuersatione populum a sacrificio auerterunt. E r a t p e c c a t u m g r a n d e p u e r o r u m n i m i s c o r a m D o m i n o, q u i a d e t r a h e b a n t h o m i n e s s a c r i f i c i o D o m i n i[5]. Quam seuere autem puniti, quia ambo vno die percussi[d] a Deo cum patre, amiserunt archam dei, super quam statuebant suam fiduciam[6]. J u s t u s e s D o m i n e e t r e c t u m i u d i c i u m t u u m[7], peccauimus et peccamus in hoc sacrificium, rebus mundanis intenti, l a b i j s h o n o r a m u s D o m i n u m[8], non curamus cultum, non ornamus altaria, non aedificamus populum · p r o p t e r n o s b l a s p h e m a t u r n o m e n [D e i][9] et cultus et sacrificium, et nullus status contemptior factus quam der pfaffen. S i e n i m s a l i n f a t u a t u m f u e r i t [i n q u o s a l i e t u r? a d n i h i l u m v a l e t u l t r a, n i s i u t m i t t a t u r, f o r a s e t c o n c u l c e t u r a b h o m i n i b u s][10].

Haec cleri vituperatio valde similis est illi, quam Canisius 2. Iunii 1564 Augustae Vindelicorum in ecclesia cathedrali protulit (*Can.* IV 864—867). At Canisius, quae erat eius indoles, haud ita raro libertate illa utebatur, qua oratores res exasperare solent. In clerum certe friburgensem haec Canisii verba non plane convenire intellegitur ex laudibus, quas Canisius semel atque iterum eidem clero tribuit; vide *Can.* VII 600 et supra p. 321. Accedit, quod Canisius in eadem illa oratione queritur de „Magistratibus et magnatibus, qui subtrahunt temporalia ad sacrificium hoc manutenendum et conseruandum legata et donata presbyteris et Clericis Ecclesiae" et „non sinunt se exaturari, nisi Missae collum plane frangatur, et arcae impleantur sacrilegijs" etc. Quae de magistratibus friburgensibus dici non potuisse manifestum est.

1324. 1. et 6. Martii 1583.

Ex commentariis autographis. Can. 37 f. 67[b] 71[a].

Canisius e sacro suggestu Friburgenses, et maxime eorum senatores, monet, ut sanctam eucharistiam maiore cum honore ad aegrotos deportandam curent.

Canisius in oratione sacra Friburgi Helvetiorum in templo S. Nicolai Kalendis Martiis 1583 habita: „Recolo", inquit, „me aliquando dixisse, grauem et reprehensibilem, licet longeuum abusum apud nostros Friburgenses esse, quod tam parum curamus in debito honore teneri sacrosanctum sacramentum, praesertim quando ad aegrotos defertur. Solus sacerdos cum uno laternam portante uadit per plateas, rarum est aliquem comitari, pauci honorant siue sacerdotem, siue Christum ipsum in eundo et redeundo. Tota actio fit rusticano crassoque modo, ut peregrini merito

a) *Sequitur* turpiter, *oblitt.* b) *Sic C. correxit ex* quod. c) *Sequitur* profertur *vel simile v., oblitt.* d) *Sequitur* et, *oblitt.*

[1] Cf. Mt 26, 40—47; Mc 14, 37—43; Lc 22, 45—47; Io 18, 3.
[2] Mt 13, 25. [3] Mal 1, 10 12.
[4] Act 7, 51. Cf. Ier 9, 26; Ez 44, 7 9. [5] 1 Rg 2, 17.
[6] Cf. 1 Rg 2, 12—17; 4, 4—18. [7] Ps 118 137.
[8] Is 29, 13; Mt 15, 8; Mc 7, 6. [9] Is 52, 5; Rom 2, 24.
[10] Mt 5, 13. Cf. Mc 9, 49; Lc 14, 34.

dubitare possint, an uiuamus in oppido an in pago, et an uere[a] Catholici simus, sicut haberi uolumus. Si esset pagus hoc loco, non possemus minus curae et studij adhibere sacramento. Si Catholici sumus, quis non miraretur ex tot nobilibus et diuitibus non unum reperiri tam zelosum, qui[b] ex uera fide consilium et opem adferret ad nouam fundationem faciendam ut sanctum hoc sacramentum honestius et deuotius per plateas deportaretur, maioreque fructu tractaretur haec preciosa arca, in qua[c] manna uerum [?][d] et ipsum Christi corpus asseruatur, et nobis summam tribuit gratiam et efficaciss. animae medicinam in vita et morte praebet. Rogo Dominos meos Friburgenses[e] ne me sinant semper esse u o c e m c l a m a n t e m i n d e s e r t o[1] sed ut semel consultent quomodo huic bono operi initium dari possit, etiamsi aliquid ex suis aureis annulis et cathenis, ex argenteis schalen vnd pecheren contribuere deberent ex ihren brechtigen[f] kostbarlichen vnd uberflissigen kleidern vnd zierden. Non dico, ut faciatis quod in templo uel tabernaculo[g] olim Jsraelite fecerunt[h], qui ad Dei cultum promouendum[i] uasa libenter et liberaliter erogarunt, quicquid domi haberent pulchrum et preciosum ex auro, argento et margaritis[2]. Hoc solum rogo, vt maiorem curam geratis Dei honorem et[k] sacramentorum reuerentiam in hoc oppido et agro uicino conseruandi et promouendi, sicut requirunt haec tempora."

Deinde in oratione 6. Martii 1583 ibidem habita iterum monuit: „Quam multi nunc dubitant, imo negant de veritate corporis et sanguinis Christi in sacramento, et neque sacramentum, neque sacrificium agnoscunt, imo blasphemant, aequum et dignum est omnes probos Catholicos[l] tanto manifestius et constantius suam fidem profiteri et ostendere, ita vt quisque paratus sit membratim se discerpi a Judeis, ethnicis[m] uel haereticis potius quam a verbo Christi deficere quod m a n e t i n a e t e r n u m[3] et mendax esse non potest . . . Vnde dixi proxime, me desiderare sicut adhuc desidero et peto, ut hoc sacramentum maiore cum reuerentia hoc loco habeatur et deferatur publice, sicut spero Dominos ex suo Christiano zelo esse[n] curaturos et experientur tandem quam uere promissum sit: Q u i m e [c o n f i t e b i t u r c o r a m h o m i n i b u s, c o n f i t e b o r e t e g o e u m c o r a m P a t r e m e o, q u i i n c o e l i s e s t].[4]

Canisius haec frustra non dixit. In * *Actis* enim senatus friburgensis haec leguntur: In senatu minore 5. Martii 1583 affirmatum est, non debere sanctissimum sacramentum ad aegrotos „so hinläßigklich vnd schlechtlich getragen u. verricht werden". Exstare fundationem sacramenti honorifice deferendi gratia a domino Faussignie vita functo factam. „Es sollen auch gemeinlich dieselben, so das hochwürdig Sacrament sechen vber die gassen tragen, dasselbig jn die kirchen beleiten, domit mänigklich vnsern warhafften allein sälig machenden Catholischen glouben dardurch gspüren vnd sechen müge". Ibidem 7. Martii ad senatores relatum est: Petrus Schnewly praepositus capita aliquot proposuit, per quae iis explicat, quo ritu sacramentum ad aegrotos deferri debeat, et quomodo atque unde discipulos, qui illud comitentur, nancisci possint. Illi autem capita illa 11. Martii singillatim considerare statuerunt. In illum vero diem de iisdem capitibus nihil notatum, sed solum in codice spatium amplum relictum est vacuum, in quo eadem scriberentur (Cod. „Rathsmanual nr. 125", Friburgi in archivo reipublicae). In * *Litteris* tamen annuis collegii friburgensis ineunte a. 1584 datis narratur, contionibus Sociorum effectum esse, „ut Sanctissimum Sacramentum ad aegrotos maiori reuerentia deferretur" (Cod. 1 36[a] f. 13[b]).

a) *Sequitur* credam, *oblitt.* b) *Sequitur* sua pecunia, *oblitt.* c) *Quattuor vv. sqq. in margine addita sunt.* d) *Hoc v. obscurius scriptum est.* e) *Decem vv. sqq. a C. in margine addita sunt.* f) *Sequitur* vnd, *oblitt.* g) *Sic C. correxit ex* Cogitate quid. h) *A C. correctum ex* fecerint. i) *Sequitur* aurea et argentea, *oblitt.* k) *Sequitur* Ecclesiae, *oblitt.* l) *Sequitur* in, *oblitt.* m) *Sequitur* et h, *oblitt.* n) *Sequitur* fac, *oblitt.*

[1] Is 40, 3 etc.; v. supra p. 573.
[2] Cf. Ex 35, 20—29; 36, 6 7; 38, 24—28; 39, 41—42; 1 Par 29, 1—9.
[3] 1 Petr 1, 25; cf. Mt 24, 35; Mc 13, 31; Lc 21, 33.
[4] Mt 10, 32. Cf. Lc 12, 8.

1325. 12. Martii 1583.

Ex apographo Romae a. 1913 in Archivo Brevium pontificio exscripto ex apographo antiquo (eiusdem fere temporis), quod exstat in Cod. „Indulg: perp: N° 1" f. 384.

Gregorius XIII. congregationis marianae Friburgi institutae sodalibus, si opera quaedam pietatis et misericordiae praestiterint, multas indulgentias concedit. Reliquis quoque fidelibus indulgentias quasdam tribuit.

Gregorius PP: XIII.

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis salutem et Apostolicam Benedictionem. Cum sicut accepimus in Ecclesia Collegii Societatis Jesu Friburgensis quaedam Christifidelium congregatio sub invocatione Annunciatae instituta sit, quae se in piis et salutaribus operibus exercere solita est, Nos ut ipsi eo ferventius ad opera et exercitia praedicta intendant quo exinde pro animarum suarum salute maiora spiritualia dona adipisci posse cognoverint: de Omnipotentis Dei misericordia [ac Beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate [a]] confisi, omnibus et singulis qui dictae Congregationi se adscribi fecerint, die adscriptionis huiusmodi, si peccata sua confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, necnon illis, qui iam adscripti sunt, confessis pariter et Sanctissima Communione refectis, post praesentium notitiam semel tantum plenariam, necnon eisdem ac omnibus et singulis aliis in eadem Congregatione pro tempore describendis etiam poenitentibus et confessis in cuiuslibet ipsorum mortis articulo etiam plenariam, ac illis, ac omnibus et singulis aliis utriusque sexus Christifidelibus similiter confessis ac Sanctissimo Eucharistiae Sacramento refectis, qui dictam Ecclesiam die festo Annunciationis eiusdem B. Mariae semper Virginis [1] a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem diei devote visitaverint et ibi pro Reipublicae Christianae conservatione et augmento, Principumque Christianorum mutua et universali pace, ac nostra et pro tempore existentis Romani Pontificis prosperitate, vel alias preces [b], prout unicuique suggeret devotio ad Deum effuderint, singulis annis similiter plenariam. Rursus Christifidelibus de eadem congregatione praesentibus et futuris singulis vicibus quibus confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum debita cum veneratione sumpserint, in singulis festis eiusdem B. Mariae, videlicet, plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem per praesentes elargimur: in Paschatis autem et Penthecostes ac Sanctissimi Corporis Christi, necnon omnium Sanctorum [2], et singulorum Apostolorum ac Nativitatum [c] eiusdem Domini Nostri Jesu Christi et Sancti Joannis Baptistae festivitatibus [3] decem annos, in reliquis vero diebus festis totius anni quinque annos. Ad haec tam dictis de eadem Congregatione quam aliis Christifidelibus quoties diebus Sabbati et vigiliis festivitatum eiusdem B. Mariae illius letaniis [4], vel certis diebus singularum hebdomadarum quadragesimalium psalmo qui incipit „Miserere" [5] in eadem Ecclesia per dictos Christifideles cantari solitis respective interfuerint, toties unum annum: ipsis quoque fidelibus de eodem numero praesentibus ac futuris qui Missae Sacrificio diebus feriatis interfuerint et qui parvum Officium B: Mariae Virginis, seu coronam vel tertiam Rosarii partem devote recitaverint, quique vespertino tempore, antequam cubent, conscientiam suam diligenter examinaverint, quoties id egerint, toties unum annum: praeterea ipsis hospitalia pauperum, et alia pia loca, ut infirmis et aliis egenis personis inibi existentibus auxilio sint visitantibus, toties quoties id egerint centum dies. Qui vero ex eis

a) *Codex post* misericordia *nihil habet nisi* etc. *Haec autem suppleta sunt ex apographo antiquo *litterarum apostolicarum Romo 29. Martii 1580 datarum, quibus Gregorius XIII. similes indulgentias congregationi marianae Pragae in convictu iuvenum litteris studentium a Sociis institutae concessit (Instit. 196 f. 481[b]). Eadem sunt in apographo antiquo litterarum similium, Romae 23. Iunii 1579 ab eodem Gregorio XIII. sodalitati marianae collegii barcinonensis (Barcelona) concessarum (Instit. 195 f. 245[v]).* b) *Sic etiam in binis litteris supra (adnot. a) commemoratis.* c) *Ut sic corrigatur ex* Nativitatis, *quod est in apogr., et verba sequentia, et binae litterae supra (adnot. a) memoratae suadent.*

[1] Die 25. Martii. [2] Kalendis Novembribus. [3] 25. Decembris et 24. Iunii.
[4] Litaniae lauretanae potissimum significari videntur. [5] Psalmo 50.

officio defunctorum per ipsos quoties aliquem ex eorum numero decedere contigerit in Ecclesia praedicta seu illius Oratorio recitari solito interfuerint unum annum: si autem unam missam, pro anima unius de eodem numero existentis, quandocumque et in quacumque Ecclesia celebrari fecerint tres annos: qui autem pro alicuius ex eorum numero aegroti salute, ter orationem Dominicam et toties salutationem Angelicam recitaverint, singulis vicibus quibus id fecerint, centum dies: qui vero ex eis alicuius defuncti de eorum numero existentis cadaver, dum ad sepulturam Ecclesiasticam defertur, propriis suis humeris gestaverint, vel alias associaverint seu sepeliverint, aut sepelientibus auxilium prestiterint, quoties id egerint similiter centum dies, necnon singulis fidelibus de Congregatione praedicta praesentibus et futuris Ecclesiam seu Oratorium huiusmodi Dominicis et aliis ad id statutis diebus tam matutinis quam vespertinis horis frequentantibus et Congregationi tunc per eos inibi fieri consuetae interessentibus quo die praedictorum id egerint centum pariter dies de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Praesentibus quoad fideles visitantes, qui de dicta Congregatione non fuerint, ad decennium proximum tantum, quoad existentes vero de dicta Congregatione perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 12 Martii 1583 — Pontificatus nostri anno decimo primo.

Cae: Glorierius.

1326. 6. Maii 1583.

Ex commentario autographo. Can. 37. f. 119b—120a.

Canisius Friburgi e suggestu sacro nomine S. Nicolai, patroni reipublicae, Friburgenses de eorum vitiis vehementer obiurgat.

Canisius Friburgi in templo S. Nicolai die 6. Maii 1583, quo dies festus „Translationis S. Nicolai", Friburgensium patroni, anticipabatur (v. supra p. 569), S. Nicolaum sic Friburgenses admonentem induxit: „Ego sum ex seruis fidelibus[1] Christo ministrantibus[2] Joan. 12 2 Ego ex illis qui acceptam pecuniam rite dispensarunt, 5 minas accepi, quinque superlucratus sum[3]. 3 honorificauit me pater[4] in uita et post mortem, coram angelis et hominibus[a] · apud fideles et infideles 4 coronauit me et glorificauit, mercedem reddidit iustitiae meae[5]. 5 dedit mihi potestatem super multas ciuitates[6]. et ut iuuare possim in necessitate eos, qui sibi me amicum faciunt, et plus impetrare, quam cum uos peccatores pro inuicem oratis[7], sicut Moses[8], Samuel[9], Hieremias[10] utiliter olim orarunt.

Friburgum Friburgum quoties uolui congregare filios tuos sicut gallina pullos suos ihre iungen sub alis vnder ihre flugel, et noluistis[11]. Quam parum cogitas gratiam tibi a Deo tuo collatam, qui te elegit vineam suam et plantauit[12] et conseruauit, misit ad te seruos suos et operarios[13], expectat hactenus fructus suae uineae[14], nec cessat benefacere et uisitare, consolari et monere, offert benedictionem, vult manum paternam extendere et uobis propicius esse.

Tantum iniquitates uestrae sunt ut murus fortis Deum et Dei faciem a uobis auertens[b], Deique iram postulans et aures eius obturans, et me impediens, ut parum[c] in officio meo Patroni proficiam. Et quae iniquitates istae? 1 Otium commune in

a) *Sequitur 4. oblitt.* b) *Septem vv. sqq. in margine addita sunt.* c) *Sequitur* prosim, *oblitt.*

[1] Mt 24, 45; 25, 21 23; Lc 19, 17; 2 Mach 1, 2. [2] Io 12, 26.
[3] Mt 25, 20. Cf. Lc 19, 12—19. [4] Io 12, 26.
[5] Cf. 2 Tim 4, 8. [6] Cf. Lc 19, 16 19. [7] Iac 5, 16.
[8] Cf. Ex 14, 15 16; 17, 4 6; 32, 11 14; Nm 11, 2; 14, 13—20; 20, 7 8; Dt 9, 18 19. [9] Cf. 1 Rg 7, 5—11; Eccli 46, 19 21.
[10] Cf. Ier 32, 16—44; Thr 5, 1 22; 2 Mach 15, 14 etc.
[11] Mt 23, 37; cf. Lc 13, 34. [12] Ier 2, 21; cf. Is 5, 1 2; Mt 21, 33.
[13] Cf. Mt 20, 1—7; 21, 33 34; Mc 12, 1 5 etc.
[14] Cf. Is 5, 1 2; Lc 13, 6 9.

hac urbe praesertim diuitum, quo tempus[a] quotidie perdunt, gassentretter inutilem uitam degunt, nihil operantes, curiose agentes, obliuiscentes Apostolici praecepti. Operamini manibus[1] 1 Thess. 4. Si quis non vult operari, non[b] manducet[2] 2 Thess. 3.

2 iniquitas ebrietas et luxus ex otio nascens uberfliessig essen[c] vnd trincken, priuans intellectu prudentia et uarijs Dei donis, perdensque hanc urbem[d] et ciues eius in bonis, honore, sanitate, corpore et uita.

3 est adulterium et fornicatio ex intemperantia proueniens, quia in uino est luxuria[3] corrumpens et polluens omnes status, ita vt castitas apud paucas uirgines, uiduas et coniuges reperiatur, et hoc graue peccatum raro puniatur.

4 Jniustitia et inimicitia [?][e] untrewlichst wesen, quod Christiana charitas tam parum curatur, imo aperte leditur[f] fraudibus, mendacijs, odijs, inuidijs, obtrectationibus, malis practicis, et praecipue maledictis usuris. Non cogitatis[g] 1 Thess. 4 Ne quis supergrediatur neque circumueniat in negotio fratrem suum, quoniam uindex est Dominus de his omnibus[4].

Laudo uos quod Catholici constanter manetis[h] catholicis ritibus addicti et imitamini fidem quam tenui et docui[i], de sacramentis, cultu Dei, de Missa[k], quam defendi in Niceno concilio contra hereticos[5], quamque tot miraculis ornaui, in qua meas oues paui Episcopus, confitendo in illa sola fide iustificari et saluari hominem posse · extra illam non prodesse sacramenta et opera quaelibet.

Laudo uos[6] quod me pro Patrono uestro tenetis et colitis quodque speratis me pro uobis solicitum esse, uestramque utilitatem[l] et salutem amare promouere et querere, uobis fauere et impetrare multa diuinitus in oppido et foris.

Sed in hoc non laudo[6], quod Catholicum nomen forinsecus geritis, et ceremonias Catholicas ostenditis, uestramque fidem tam ociosam et nudam et mortuam[7] manere sinitis, auditores tantum et non factores uerbi[8], nec Deo, nec Ecclesiae obedientes, et tam inordinate domi forisque uiuentes, nullamque fere Catholicam politiam seruantes, carnales et cupidi et auari. Vbi apud pueros innocentia mea? apud magistratus et iudices misericordia erga pauperes et iustitia erga rebelles et malefactores, et solicitudo promouendi commune bonum et cultum diuinum amplificandi."

Pancratius Gerner senator friburgensis (cf. supra p. 545) in processu beatificationis Canisii a. 1627 Friburgi instituto testatus est, Friburgi tempore, quo Canisius eo venit, „summam fuisse tepiditatem pro Fide Catholica, Apostolica, et Romana" (Positio a. 1734, Summ. p. 12).

1327. 1583 post m. Aprilem.

Canisii „Commentarii de Verbi Dei corruptelis". Privilegia Gregorii XIII. et Maximiliani II. Editionis ratio. Testimonium Casparis Franci. Imagines. Correctiones et additiones.

„COMMENTARIORVM | DE VERBI DEI | CORRVPTELIS, | Tomi duo. | PRIOR DE VENERANDO CHRISTI | DOMINI PRÆCVRSORE

a) *Sequitur* corp, *oblitt.* b) *Sic C. correxit ex* Qui non lab. non. c) essing *autogr.; in margine C. scripsit:* weinzuchtig. d) *Sequitur* in bonis, *oblitt.* e) *Ita ex* inamica, *quod C. scripsit, corrigendum esse conicio ex vv. sqq.* f) *Sequitur* malorum *vel simile v., oblitt.* g) *Sequitur* 2, *oblitt.* h) *Tria vv. sqq. supra versum scripta sunt.* i) *Sex vv. sqq. supra versum scripta sunt.* k) *Sequitur* et in, *oblitt.* l) *Sequitur* amare, *oblitt.*

[1] 1 Thess 4, 11. [2] 2 Thess 3, 10. [3] Eph 5, 18. [4] 1 Thess 4, 6.

[5] Hoc narratur quidem in S. Nicolai vita graeca a *Simeone Metaphraste* (saeculo X., ut videtur) posita (*Migne*, P. gr. CXVI 337) et in eiusdem vita latina, quam post Lipomanum vulgavit *Laur. Surius* O. Cart. (De probatis Sanctorum historiis VI, Coloniae Agrippinae 1575, 804). Nunc vero valde dubitant, num Nicolaus concilio huic (nicaeno primo, a. 325 habito) interfuerit.

[6] 1 Cor 11, 2 22. [7] Iac 2, 17 20 26. [8] Iac 1, 23.

IOANNE BAPTISTA, POSTERIOR DE SACROSANCTA VIRGINE MARIA DEIPARA DISSERIT, ET VTRIVSQVE personæ historiam omnem aduersùs Centuriatores Magdeburgicos | aliosq; Catholicæ Ecclesiæ hostes disertè vindicat. *POSTREMA ET PLENIOR VTRIVSQVE OPERIS, | IN VNVM VOLVMEN NVNC PRIMVM REDACTI EDITIO,* D. PETRO CANISIO *Societatis* IESV *Theologo, tùm* | *Authore, tùm Recognitore.* ACCESSIT INDEX COPIOSVS, PARTIM LOCORVM SCRIPTVRÆ sacræ, quæ passim tractantur partim rerum præcipuarum, quæ in vtroque Tomo continentur. | *Cum* PONT. MAX. & CAESAR. MAIEST. *Gratia & Priuilegio.* | INGOLSTADII, | *EX OFFICINA TYPOGRAPHICA DAVIDIS SARTORII.* | Anno Domini CIↃ. IↃ. XXCIII." Cum imaguncula ligno incisa, quae B. Mariam V. puerum Iesum in manibus gestantem exhibet.

2°: ff. numeris signata 215: praeterea ff. non sign. in initio 16 addito titulari et in fine 8: f. [c 4^b] S. Ioannis Baptistae Christum, „Agnum Dei", digito demonstrantis imago ligno incisa et integram occupans paginam.

In pagina altera folii titularis haec tria leguntur:

1. Svmma Privilegii ac Diplomatis a Pont. Max. pro hac editione impetrati.

Gregorivs PP. XIII. S. D. N. nouae huius Operis editioni pro sua singulari et benignitate et authoritate prospexit, ac verbis in Diplomate Apostolico expressis diligenter edixit, solus vt David Sartorivs Typographus Ingolstadiensis hoc opus Commentariorum Petri Canisii Societatis Iesv Theologi, de Corruptelis verbi Dei aduersus Centuriatores Magdeburgicos conscriptum, ad publicam bonorum omnium vtilitatem excudere possit. Aliis verò quibuscunque, et praesertim Bibliopolis ac Typographis, sub poenis indignationis suae, et praeterea excommunicationis; nec non in terris sanctae Romanae Ecclesiae mediatè vel immediatè subiectis, amissionis etiam librorum, et quingentorum ducatorum auri Camerae Apostolicae applicandorum, grauiter inhibuit, ne intra decennium hoc ipsum Opus typis in orbe Christiano vsquam excudere, vel alibi excusum vendere audeant ac praesumant. Datum Romae apud sanctum Marcvm sub annulo Piscatoris, die XXII. Aprilis. M.D.LXXXIII. Pontificatus eiusdem Anno vndecimo.

Cae: Glorierius.

2. Svmma Privilegii Caesarei.

Maximiliani Secvndi Romanorum Imperatoris semper Augusti Diplomate cautum est Davidi Sartorio Typographo Ingolstadiensi, ne quis vnquàm in omnibus suae Caes. Maiestatis regnis, haereditariis prouinciis, adeoque vniuerso Romano imperio, nisi ipsius Davidis Sartorii permissu, omnes approbatos libros ab illo excusos, iterum excudat, aut imprimi curet, vel ea, quae alibi excusa fuerint, intra fines Imperij vendere seu distrahere quouis modo ausit; sub amissione omnium librorum sic excusorum, et mulcta viginti Marcharum auri puri, Imperatorio Fisco et ipsi Sartorio a transgressoribus et huius Priuilegij violatoribus ex aequo luenda. Datum in Arce Regia Pragae, XXV. die Mensis Iunij. Anno Domini Millesimo supra quingentesimum, septuagesimo quinto.

Maximilianus. | Ad Mandatum Sacrae Caesareae
Vidit Io. Bapt. Weber D. | Maiestatis proprium
L. Erstenberger.

3. Ad Christianvm Benevolvmqve Lectorem.

Qvvm Typographo visum esset operaeprecium, opus anteà bipartitum in vnum conflari, et quae nos de sanctissimis hominibus Joanne et Maria conscripseramus, eodem volumine copulari, non illi valdè repugnandum censui. Atque hac occasione dum priora scripta relego, quaedam in illis mutaui, correxi et auxi, non modo meum,

sed aliorum etiam iudicium sequens. Hoc enim consilium vel doctissimis placere, multumque familiare esse scio, vt qui suos foetus, vt ita loquar, non simul edunt et lambunt, sed paulatim educant ac prouehunt. Quarè bonam in spem venio fore, vt candidi rerum aestimatores nouam hanc et pleniorem editionem boni consulant, nostrumque conatum cum publica vtilitate coniunctum sibi habeant commendatum. In Christo Jesv vale Lector. Friburgi Neutoniae 1583.

Folium titulare sequuntur (f. a 2ª—a 4ᵇ) Canisii litterae dedicatoriae ad Ferdinandum II. „Austriae archiducem, Sueviae principem" etc. „Oeniponti" datae, quibus tempus ascriptum non est. Has vide *Can.* VI 450—456. Deinde: „De novis Verbi Dei corrvptelis et sectis hoc secvlo grassantibus, ad Lectorem fida praemonitio" (f. [a 5ª] — c 2ª): „In Librum primum de Corruptelis verbi Dei, Praefatio" (f. c 2ª); „In Christi Opt. Max. Praecvrsorem S. Ioannem Baptistam, Carmen Philippi Menzelii, Medici D. et apud Ingolstadienses Professoris, ac P. L.[1] etc." (f. c 2ᵇ — [c 4ª]); „Epigramma ad Lectorem" (f. [c 4ª]). In fine libri: Index locorum Sacrae Scripturae, qui explicantur (f. S. 4ᵇ—T 2ª); Index rerum alphabeticus (f. T 2ᵇ — [T 6ª]); Errata praecipua (f. [T. 6ª]).

Friburgi Helvetiorum est huius tomi exemplum, in cuius initio folium titulare et complura alia folia desunt; in f. 209—215 Canisius sua manu varia correxit et addidit.

Operis tomus secundus hunc habet titulum specialem: „ALTER TOMVS | COMMENTARIO- | RVM DE VERBI DEI | CORRVPTELIS, ADVERSVS NOVOS ET | veteres Sectariorum errores. | IN EO LIBRIS QVINQVE DISSERI- | TVR DE MARIA VIRGINE INCOMPARABILI, | ET DEI GENITRICE SACROSANCTA. | Avthore | *D. PETRO CANISIO SOCIETATIS* | *IESV THEOLOGO.* | Apocalyp. xiii. Et aperuit Bestia os suum in blasphemias ad Devm, | blasphemare nomen eius & Tabernacvlvm eius, & | eos qui in cœlo habitant[2]. | *Secunda Editio multis in locis locupletata, & ab eodem nunc* | *demùm recognita.* Cum Pont. Max. & Caesar. Maiest. Gratia & Priuilegio. | INGOLSTADII, | EX OFFICINA TYPOGRAPHICA DAVIDIS SARTORII. | Anno Domini 1583." Cum imaguncula, quae etiam in folio titulari voluminis prioris cernitur.

2°: pp. numeris signatae 847; praeterea ff. non sign. in initio 18 addito titulari et in fine 25. In pagina altera folii titularis brevis conspectus operis; f. a 2ª—[a 5ª] Canisii litterae dedicatoriae ad Albertum V. Bavariae ducem, Ingolstadio a. 1577 datae: quas vide *Can.* VII 379; f. [a 5ᵇ] imago B. Mariae Virginis eadem, quae est in editione Operis huius Mariani a. 1577 facta; f. [a 6] et bª imago, carmen Philippi Menzelii, „Hexastichon", ut ibidem vide *Can.* VII 776; f. bᵇ—c 4ª Praefatio; f. c 4ᵇ— [c 5ª] „encomium" Mariae ex Venantii Fortunati carmine „de partu Virginis"; f. [c 5ᵇ] index capitum libri primi; f. [c 6ª] „In Arborem Iessae, seqventi folio delineatam Philippi Menzelii .D. et in Academia Ingolstadiana Professoris Medici, ac P. L. Carmen"; f. [c 6ᵇ] arboris Iesse imago ligno incisa et folium integrum occupans; in fine: f. Bbb 4ᵇ Errata; f. Bbb 5 „Authoris Confessio" (quam vide *Can.* VI 745—746); f. Bbb 6ª: „Reuerendissimi D. Stanislai Hosii Cardinalis et Episcopi Varmiensis, de hoc opere testimonium ad Authorem scriptum" (quod vide *Can.* VII 434); „Alivd Testimonivm D. Martini Eisengreinii, Theologi et Procancellarii Academiae Ingolstadiensis" (quod vide *Can.* VII 776); sequitur in eodem folio: „Praeclara haec atque insignia de D. Ioanne Baptista et sacrosancta Maria Virgine Opera, à Doctissimis Theologis summopere commendata: et Ego vt Orthodoxa, erudita et solida approbo atque cumprimis digna censeo, quae verbi Dei Corruptelis opponantur, ac ad communem Ecclesiae Catholicae

[1] I. e. Poëtae Laureati. [2] Apc 13, 6.

vtilitatem denuò typis excudantur. Caspar Francvs. SS. Theologiae Doctor, eiusdemque Professor Ordinarius atque Collegij Theologici pro tempore Decanus in Academia Ingolstadiensi, S. R. E. Protonotarius"; f. Bbb 6[b] Ccc[a] Index theologorum aliorumque scriptorum catholicorum atque etiam „malae suspectaeque fidei scriptorum" in hoc volumine citatorum; f. Ccc 2[a]—[Ccc 6[a]] „Index locorum Scripturae Sacrae quae potissimum in hoc opere tractantur"; f. [Ccc 6[b]]—[F ff 5[a]] Index rerum alphabeticus; f. [F ff 5[b]] „Hymnus ad Deiparam Virginem."

Editio haec, sive quod ad chartam sive quod ad typos attinet, pulchra est. Ex litteris initialibus, quas vocamus, multae instar imagunculárum ligno incisarum sunt. Praeterea liber habet (f. [a 5[b]] · [e 6[b]] .p. 111 255 316 385 401 439 453 478 547 577 648) imagines B. Mariae ligno incisas, quarum unaquaeque integram paginam occupat, 13 vel, si ita dicere malis, 11: una enim ex iis ter posita est. Hae sunt: Maria puerum Iesum in manibus gestans; „Arbor Iesse" sive Mariae stemma gentile; Mariae facies vultusque; Maria ab angelo salutata; variis symbolis circumdata (imago ter posita); Elisabetham invisens; apud Iesum a partu recentem; puerum Iesum in templo offerens; duodennem in templo reperiens; Iesum e cruce depositum contemplans capite septem gladiis cincto; ab angelis in coelum levata. Pleraeque ex his imaginibus satis pulchrae sunt. Certe pulchritudine longe superant imagines, quibus eadem fere facta vel mysteria mariana in prima huius operis editione exhibentur. Tradunt autem, eas a Tobia Stimmer, Luca Mayer, Christophoro Maurer factas esse (*Rosenthals* Antiquariats-Katalog LXXXVI, München 1893, p. 15); id quod ex parte colligi videtur ex artificum signis sive siglis in imis imaginum angulis collocatis.

Friburgi Helvetiorum in bibliotheca cantonali (G i 3) est volumen editionis principis huius operis mariani, a. 1577 Ingolstadii factae (v. *Can.* VII 776), illudque in initio unum folium et in fine 3 (addita pagina interiore involucri posterioris) continet, in quibus multa ex variis scriptoribus excerpta cernuntur; maximam partem Canisii manus, reliqua duae aliae manus scripserunt. Praeterea in ipso libri textu Canisius varias res addidit et correxit. Harum partem aliquam (p. 238 619 623 625 650) cum editione anni 1583 contuli, et deprehendi eas huic editioni parandae adhibitas esse (p. 260 679 683 685 712), ita tamen, ut et ipsae nonnumquam aliquantulum immutarentur.

Quam docendi scribendique rationem Canisius in hoc opere secutus sit, paullo inferius singillatim ostendetur. Hoc loco dico hoc solum: Positiva, quam vocant, ratione usus est Canisius, id quod res ipsa ferebat, non speculativa. Miram et veterum et recentiorum scriptorum notitiam prae se fert. In paginarum marginibus plus quam 10,000 testimoniorum commemorat. In ipso textu horum alia, eaque permulta, ad verbum profert, aliorum verba quasi sua facit, aliorum facit tantum mentionem. Testimonia tamen haec non singula a reliquis omnibus differunt: sed unum idemque testimonium haud ita raro compluribus locis, prout res id exigit, ponitur, ut modo haec res, modo illa per illud confirmetur vel illustretur. Auctoribus veteribus complures attribuuntur libri ex iis, quos spurios esse postea cognitum est; de qua re plura dicentur infra, monum. 1335. Scripturae Sacrae sententiarum fere 4000 commemorantur. Mirum est, quam diligenter Canisius in Patrum et Doctorum operibus versatus sit. Exempla ponam: Producit ille Tertullianum locis plus quam 100, Chrysostomum plus 170, Bernardum plus 230, Ambrosium fere 235, Hieronymum fere 280, Augustinum, quem „lumen Theologorum" et „Theologorum fere principem" vocat (p. 369 488), fere 670. De aliis scriptoribus v. infra, monum. 1332—1335.

Exstat adhuc apud nos (Can. 62) huius editionis exemplum, quo Canisius ad novam operis editionem parandam usus est. In eo autem folia 286 desiderantur, quorum alia in initio, alia in medio, alia in extremo libro desunt. In hoc exemplo adeo manco plus quam 2000 emendationum et additionum cernuntur, quarum pars fere dimidia ipsius Canisii manu facta est. Reliquae paene omnes a librario quodam scriptae sunt, qui fortasse non sodalis Societatis, sed homo externus erat. Praeterea una duaeve manus aliae comparent. Ex additionibus multae satis longae sunt. Emen-

dationum numero, quem dixi, non comprehenduntur plurimae correctiones parvae, quae interpunctiones vel litteras singulares spectant. Gravem quandam emendationem a Canisio in hoc exemplo positam v. supra p. 208. Paginarum illarum plus quam quadringentarum, quae in fine tomi secundi huius exempli desunt, correctiones Canisii manu factae sunt in altero quodam eoque integro exemplo eiusdem editionis vel potius tomi secundi eiusdem editionis, quod Friburgi Helvetiorum in bibliotheca reipublicae asservatur (G i 2). Hae igitur a p. 421 incipiunt atque et ipsae ostendunt, quantam curam Canisius in opus hoc perpoliendum impenderit. Nonnunquam (ut exempla ponam) litteram parvam in magnam vel magnam in parvam transmutat. P. 434 versu 9, a margine infima numerando, pro „Qua de re" ponit „Ea de re". Item in duobus versibus proximis pro „Iosephum tandem hac aestuantis animi sollicitudine, quam exemit illi Angelus, ita liberatum fuisse" scribit „Iosephum hac aestuantis animi sollicitudine, quam exemit illi Angelus, tandem ita liberatum fuisse". P. 446 versu 12 pro „potuit" ponit „poterat". In p. 769 addit, Romae Pantheon in templum B. Mariae Virginis conversum atque aedem Castoris et Pollucis in foro romano sitam SS. Cosmae et Damiano martyribus dicatam esse. P. 707 v. 20—24 liber habet: „Quod vero sacrae imagines non solum ex Ecclesiae traditione, consuetudine et authoritate, sed etiam secundum Scripturas sanctas laudabiliter fiant, ac merito reuerenter a nobis habeantur, vt caeteros omittam scriptores Catholicos, praeclarus Theologus, quem Romae cognouimus, Nicolaus Sanderus Anglus luculenter euicit." Haec a Canisio ita immutantur, ut post „vt caeteros omittam" legatur: „multi uiri praestantes luculenter euicerunt, quemadmodum Chunradus Brun, Nicolaus Sanderus, Robertus Berlominus *[sic!]*, et post eos omnes Gabiel *[sic!]* Paleotus lectu dignus Cardinalis." Haec Canisius scripsisse non videtur ante a. 1594, quo Gabrielis Paleotti cardinalis liber „De sacris et profanis imaginibus", Ingolstadii typis exscriptus est. Opus ita correctum auctumque prelum numquam subisse videtur.

In eadem bibliotheca friburgensi est eiusdem editionis exemplum (G. i. 23), in cuius folio titulari Canisius sua manu scripsit: „Venerabili uiro, D. PETRO Schneulin Friburgensis Ecclesiae Praeposito, et Lausanensis Episcopatus in spiritualibus Vicario in perpetuum obseruantiae pignus Author D. D." Praeterea Friburgi Helvetiorum in bibliotheca monasterii Fratrum Minorum Conventualium aliud asservatur integrae huius editionis exemplum, in cuius marginibus Sebastianus Verronius, praeclarus ille parochus praepositusque friburgensis (v. supra p. 9), complura notavit. Ipse autem Canisius in imo folio titulari scripsit: „Amiciss. uiro, D. Sebastiano Werroni, Friburgensium apud Heluetios Parocho et Canonico, author D. d." Quibus verbis Verronius subscripsit: „III. Idib. Decemb. 1583".

Exstare etiam huius editionis exemplum a Canisio Guilielmo Techtermann archigrammateo donatum dixi supra p. 183. Alia exempla exstant Bonnae (Bonn) in bibliotheca universitatis, Fuldae in bibliotheca provinciae, Upsalae in bibliotheca universitatis, Monachii in bibliotheca universitatis, Halae Tirolis in bibliotheca PP. Franciscanorum, Holmiae (Stockholm) in bibliotheca regia.

Editionem posuit *Sommervogel*, Bibl. II 674.

1328. 1583.

Canisii opus de Verbi Dei corruptelis laudatur a Franc. Agricola, Ferreolo Locrio, Petro Pennequin, Matthia Ios. Scheeben, Ioanne Janssen.

1. *Franciscus Agricola* († 1624) ex vico Hohn, ducatus iuliacensis, ortus, parochus sittardiensis (Sittard, nunc oppidum regni neerlandici) et decanus capituli susterensis (Süsteren), qui ad fidem catholicam adversus novatores defendendam et ad fideles erudiendos plurimos libros latinos et germanicos scripsit (eorum indiculum posuit *H. J. Floß*, Kirchenlexikon I² 354—356), in libri sui „S. Ioannis Baptistae Evangelium, sev, Evangelica doctrina, de Christo Salvatore, eiusque regno gratiae et gloriae, tum cognoscendo, tum capessendo" Coloniae a. 1599 editi litteris dedicatoriis ad „Ioannem a Schonenburgh" archiepiscopum treverensem et imperii principem electorem datis (l. c. p. 10—11) dicit, sibi aliquando deliberatum fuisse evangelicae

doctrinae S. Ioannis Baptistae „annotationes quasdam, pro meliori intellectu rudiorum, et antidota contra haereticorum multiplices corruptelas, quas huic diuinae doctrinae passim insperserunt, subiungere: sed quia hoc prolixe solideque factum est in peculiari et praeclaro volumine a celebratissimo Theologo R. P. Canis. lib. videlicet 1. de corruptelis verbi Dei, . . . supersedendum hac vice . . . existimaui."

2. *Ferreolus Locrius*, parochus et contionator atrebatensis (Arras, Galliae urbs), anno 1614, cum annos tantum 43 natus esset, vita functus, praeter alios libros, velut „Chronicon belgicum" (quod Atrebati a. 1616 tribus tomis in 4° editum, nunc quoque magni fit; cf. *Hurter*, Nomenclator III³ 548), scripsit et a. 1608 Atrebati edidit librum: „Maria Augusta Virgo Deipara, auctore *Ferreolo Locrio* Paulinate, in B. Nicolai apud Atrebates Parocco". In quo opere, cum de B. Mariae V. obtrectatoribus loquitur (l. 1, c. 7, p. 13): „R. P. Petrus Canisius", inquit, „Soc. Iesu celeberrimus Theologus, virulentae illius Hydrae Hercules, qui nobili splendidus uictoria, gloriosum cecinit classico triumphum, et mihi saepenumero, vt lucida lampas, praeit inter caliginosos hosce vortices Mariae matris" etc. Item in numero laudatorum praeconumque Mariae ab eo ponitur (l. 1, c. 25; p. 54—55) „R. P. Petrus Canisius Societatis Iesu Theologus, quam operosus, quam laboriosus isto in themate, quod de Maria Virgine Deipara libris quinque complexum perfecit? Nec laborum piguit, quibus taedia nulla interuenere, misericordiarum Matre animos et vires, quae solita sua clementia est, suggerente et firmante."

3. *Petrus Pennequin* (1588—1663) insulensis (Lille) S. J., qui et Atrebati (Arras) et Montibus (Mons) Societatis collegia rexit atque etiam praepositi provincialis officio aliquamdiu functus est, praeter alia opera pia latine et gallice scripta edidit „Primum Societatis Iesu saeculum Deiparae Virgini Mariae sacrum", Atrebati 1640. In huius operis, quod totum „elegiis" constat, libro primo elegia X. inscripta est: „P. Petrus Canisius primus e Germania inferiore ad Societatem Iesu vocatus, B. Virginis cultum aduersus haereticos fortiter defendit". Poëta, allegoriam ex Canisii nomine gentilicio ducens, sic exorditur:

„Bella cano, sed bella canum: nam bella feruntur
Cum nigris niuei conseruisse canes.
Canisium Haereticis Canibus commisit Olympus:
Scilicet hi nigri, candidus ille fuit."

Ex frigida Germaniae terra paucae germinabant rosae ac lilia. Quas ut aquis caelestibus rigaret, Maria Virgo cum angelis e coelo descendit. Sed en, prosiliunt canes tartarei, Mariam allatrant et mordere conantur; lilia virginitatis rosasque pietatis marianae conculcant. At iis occurrit canis albus:

„Lumina dulce micant, sonus it de gutture dulcis:
Vix vllus pedibus longior vnguis inest.
Insculptumque gerit collari nomen IESV:
Hoc custode suas nempe tuetur oues."

Is ubi latrare incipit, canes nigri, qui sunt Lutherus, Melanchthon, Calvinus, Brentius, in fugam convertuntur.

„Ipsa suo applaudens superum Regina clienti,
Laurea dat niuea serta gerenda coma:
Mandat et auratos secum conscendere currus,
Et lateri iunctum mox super astra vehit
Et radiare nouum iubet inter sidera sidus;
Alter vt a prisco splendeat orbe Canis:
Dulcibus vt radijs Socijs lucescat IESV,
Dum pia pro Maria cum styge bella gerunt."

4. *Matthias Joseph Scheeben* († 1888), theologiae professor in maiore seminario coloniensi, unus ex clarissimis, qui saeculo XIX. floruerunt, theologiae dogmaticae magistris, de Canisii Opere Mariano scripsit:

„Gegenüber dem Protestantismus lieferte B. Petrus Canisius eine klassische Vertheidigung der ganzen kathol. Lehre über Maria in den fünf Büchern De Maria Deipara Virgine“: Handbuch der katholischen Dogmatik III, Freiburg i. Br. 1882, 478.

5. *Joannes Janssen* († 1891), antistes romanus et historicus clarissimus, de duobus horum Commentariorum tomis notat: „Dieselben bekunden eine ebenso eingehende Kenntniß der scholastischen und positiven Theologie, als umfassende Bekanntschaft mit den verschiedenen Richtungen des Protestantismus“: Geschichte des deutschen Volkes seit dem Ausgang des Mittelalters VII [1-12], Freiburg i. Br. 1893, 502.

Fatetur *Paulus Drews*, unus ex theologis protestantibus, Canisium Mariae Virginis cultum cum aliis rationibus, tum Opere Mariano valde amplificasse („wesentlich gefördert“): Petrus Canisius, Halle 1892, 135. Canisium fuisse theologum magnum et eximium („groß und klassisch“) affirmat etiam *Car. Henr. von Lang*, historicus Societati Iesu inimicus: Geschichte der Jesuiten in Baiern, Nürnberg 1819, 92.

1329. 1583 post m. Aprilem.

Ex *Canisii* opere „Commentariorum de Verbi Dei corruptelis Tomi duo. Prior de . . . Ioanne Baptista“, Ingolstadii 1583, 192, et ex Cod. „Can. 62“ p. 192.

Canisius grato animo magnisque laudibus memoriam recolit scriptorum, qui ipsius aetate ecclesiam adversus novatores defenderunt.

Canisius compluribus rationibus adversus „novam fidei definitionem“ a Lutheranis inventam prolatis: „Ego vero“, inquit, „ne simul et decori et instituti mei oblitus esse videar, modum cogor facere, praesertim quando complures in hac arena ante nos praeclare decertarunt, et de hostibus gloriose triumpharunt. Loquor autem de Scriptoribus Catholicis, quos fidus Ecclesiae suae propugnator et custos Israëlis[1] Christus in variis Europae provinciis, nostro etiam seculo excitauit, et in hunc vsque diem prospere conseruauit. Etenim lupis in dominicum ouile vi summa nunc irrumpentibus[2], et omnis impietatis administris aduersus sacra religionis iura grassantibus, operae precium erat adesse nonnullos, qui se velut murum pro domo Dei Israël opponere[3], communesque Christi et Ecclesiae hostes arcere vellent et possent. Ex his fuere Patres, qui superioribus aetatibus cum variis haereticorum monstris acerrime iuxta ac felicissime conflixerunt: Quos tanquam duces pulcherrime secuti sunt, qui hoc seculo tum disputando, tum scribendo tantum Christi gratia profecerunt, vt per illos orthodoxae fidei et veritatis lumen mirabiliter elucescat, vtque nouarum opinionum densae velut nebulae imperitorum oculis offusae, magis magisque dispellantur, et detectis nouatorum, imo daemonum, fraudibus, necessaria religionis vnitas atque sinceritas certius cognoscatur, firmiusque retineatur. In quorum numero Germaniae Theologis principem locum tribuo, qui cum primis et praecipuis Sectarum architectis et antesignanis aperto marte fortiter dimicauerunt. Tales fuere Eckius[4], Faber[5], Schatzgerus[6], Pelargus[7], Cochlaeus[8], Nausea[9], Dietem-

[1] In margine: „Psal. 120“ [Ps 120, 4]. [2] Cf. Mt 7, 15; Io 10, 12; Act 20, 29.

[3] In margine: „Ezech. 13.“ [Ez 13, 5].

[4] Ioannes Eck (Maier), professor universitatis ingolstadiensis († 1543).

[5] Significatur, puto, Ioannes Faber episcopus vindobonensis († 1541), qui interdum etiam „Fabri“ vocatur, non Ioannes Fabri O. Pr. contionator cathedralis ecclesiae augustanae († 1558); quamquam hic quoque ecclesiam adversus novatores et verbis et scriptis optime defendit et aliquando a Canisio „Faber“ vocatus est (*Can.* IV 851).

[6] Caspar Schatzgeyer sive Sasgerus, O. F. Min. († 1527).

[7] Ambrosius Pelargus (Storch) O. Pr. († 1561).

[8] Ioannes Cochlaeus sive Dobeneck, canonicus vratislaviensis († 1552).

[9] Fridericus Nausea sive Grau, episcopus vindobonensis († 1552).

bergius [1], Billichius [2], Hofmaisterus [3], Eiseingreinius [4], vt caeteros, praesertim recentiores Theologos, praetermittam. His adiungo ex Belgio nobis diuinitus oblatos Latomum [5], Driedonem [6], Pighium [7], Ruardum [8], Hesselium [9], Sonnium [10], Tiletanum [11]. Non dicam de Theologis Anglis, inter quos Ioannes Roffensis [12] sacri martyrij quoque laurea coronatus effulsit: non de Gallis, e quibus Clichthouaeus [13] et Arboricensis [14] sunt haudquaquam postremi: non de Polonis, inter quos Concilij Tridentini aliquando praeses et Cardinalis Stanislaus Hosius [15] laudatissimus emicuit: non de Hispanis, qui Alfonsos [16] et Sotos [17] egregie pro religione pugnantes exhibuerunt: nec demum de Italis, inter quos praeclarum sui specimen Catharinus [18] et Lipomanus [19] palam ediderunt. Nam de viuis hodie Scriptoribus, qui contra haereticos in generoso adhuc sudant certamine, praestat me omnino tacere, quam debitas illis laudes parce attingere: quos ego tanto maiore bonorum omnium commendatione dignos duco, quo [a] virulentius illi ac amarulentius ab insanis haereticis religionis ergo exagitantur atque proscinduntur. Atque hos omnes ego honoris gratia nominatos esse volui, eorumque causa Christo Domino gratias maximas ago, cuius illi spiritu afflati, et zelo impulsi, cum horum temporum Sectariis congredi, ac potissimum primos aduersariorum impetus et furores magno difficilique bello comprimere studuerunt. Extant illorum scripta, ex quibus tanquam ex vnguibus, vt dicunt, leones [20] facile cognoscantur, et quae non modo grata leget posteritas, sed ex quibus etiam eorum in obeundis certaminibus dexteritatem atque constantiam merito admiretur. Digni sunt certe illi, quorum memoriam cum beneuolentia vsurpemus, quorumque tum nomina, tum monumenta eo pluris faciamus, quo minus haereticis placent, et quo illi gloriosius pro

a) *Canisius in huius editionis exemplo, in quo correctiones novae editioni adhibendas notavit, ex quo correxit:* quanto.

[1] Ioannes Dietenberger O. Pr. († 1537). [2] Everardus Billick O. Carm. († 1557).
[3] Ioannes Hoffmeister O. Er. S. Aug. († 1547).
[4] Martinus Eisengrein, professor universitatis ingolstadiensis et praepositus ottinganus († 1578).
[5] Iacobus Latomus sive Masson, professor universitatis lovaniensis († 1546).
[6] Ioannes Driedo (Neys), professor et canonicus lovaniensis († 1535).
[7] Albertus Pighius (Pigghe), praepositus ultraiectensis († 1542).
[8] Ruardus Tapperus (Tapper), universitatis lovaniensis professor et cancellarius († 1559). [9] Ioannes Hessels, professor lovaniensis († 1566).
[10] Franciscus Sonnius (Van de Velde), professor lovaniensis, dein episcopus buscoducensis et antverpiensis († 1576).
[11] Iodocus Ravesteyn sive Tiletanus, professor lovaniensis († 1570).
[12] Beatus Ioannes Fisher, roffensis (Roffa, Rochester) episcopus († 1535).
[13] Iodocus Clichtoveus († 1543), professor universitatis parisiensis et canonicus carnotensis (Chartres).
[14] Ioannes Arboreus (Alabri, de l'Arbre) laudunensis, doctor sorbonnicus († circa 1569), praeter opera philosophica scripsit „Theosophiam" sive explicationem locorum difficilium Veteris et Novi Testamenti (Parisiis 1540, 1553) et commentarios in varios Scripturae libros (*H. Hurter*, Nomenclator III³ 73).
[15] Stanislaus Hosius († 1579), episcopus varmiensis.
[16] Horum unus certe est Alfonsus a Castro O. F. Min. († 1558): alter vero nescio utrum sit Alfonsus Tostatus (Tostado), professor salmanticensis et episcopus abulensis (Avila), qui iam a. 1455 vita cessit, an Alfonsus Ruiz de Virues, episcopus canariensis († 1545); nisi conicere malueris, Canisii animo obversatum esse praeclarum illum Andream de Vega O. F. Min. († 1560), de cuius nomine memoria eum fefellerit.
[17] Dominicus de Soto O. Pr. († 1560) et Petrus de Soto O. Pr. († 1563).
[18] Ambrosius Catharinus (Lancellotus Politus) O. Pr. († 1553).
[19] Aloisius Lippomanus, episcopus veronensis et bergomensis († 1559).
[20] „Ἐξ ὄνυχος τὸν λέοντα" [γράφοντας]: *Plutarchus*, De defectu oraculorum n. 3. Quae locutio explicatur a *Luciano Samosatensi*, Hermotimus n. 54.

religione certarunt, quoque plura et grauiora bella Domini sunt praeliati, vt Scriptura dicere solet[1]. Illud vero non solum diuinae erga nos bonitatis, sed etiam Catholicae veritatis praeclarum est testimonium, quod ij qui sunt[a] tam multi, tamque longis terrarum interuallis atque spaciis separati[b], tam variis modis contra perditos haereticorum mores atque libros sese obiiciant[c]: interim vero tam[d] consentientem de religione doctrinam, et nulla in re discrepantem veritatis confessionem edant, scribendoque testentur. Quod si fortasse alicubi discrepent, id tamen citra fidei periculum, et salua semper Ecclesiae authoritate fieri satis constat. Quid simile apud Sectarios". Aliis huius operis locis laudatur a Canisio Franciscus Titelmannus († 1537, O. Min. Rec., dein Min. Cap., qui „Louanij sacras literas cum laude professus est, multaque docte et pie conscripsit" (573); item Georgius Wicelius († 1573), qui „pro Catholica veritate non pauca cum laude scripsit" (623). Marcus Antonius Mauretius sive Muretus († 1585) gallus a Canisio vocatur „non Poëta minus, quam Orator hoc seculo praecellens, multisque libris iam editis clarus" (798—799). Vecellus autem Titianus venetus († 1576) ab eo dicitur „pictor nostro seculo celebratissimus" (107).

Canisius in Operis Mariani exemplo, in quo correctiones et additiones pro nova editione huius libri scribebat (v. supra p. 583), sua manu notavit, ponendum fore in theologorum belgarum numero postremo loco „Lindanum"[2], in theologis anglis, ante Roffensem, „Smithaeum[3], Copum[4], Sanderum"[5], in hispanis primo loco „Canum"[6] (Can. 62 I p. 192).

Quod Canisius his verbis commendat: Ut scriptorum catholicorum, qui saeculo XVI. ecclesiam strenue defenderunt, „memoria cum beneuolentia usurpetur" eorumque scripta magni fiant, id saeculo hoc XX. egregie praestatur grandi illo opere, cui nomen „Corpus Catholicorum". In eo enim scripta illa maxima cum cura denuo evulgantur auctorumque memoria diligenter recolitur.

Ceterum verbis illis Canisii similia sunt, quae *Stanislaus Rescius* (Rezka), qui diu Stanislai cardinalis Hosii secretarium egerat et postea Romae orator Stephani Bathorii regis Poloniae constitutus est, Roma 1. Septembris 1582 eidem regi, Canisium quoque cum laude commemorans, scripsit: „His postremis Reipub. Christianae temporibus . . . Deus bone quot in Ecclesia Dei sydera, quot doctores, quot Martyres, quot confessores, ἀπὸ μηχανῆς quod aiunt, in omnibus orbis partibus[e] eluxerunt, qui sese contra pestes illas[7] pro Ecclesia Dei murum opposuerunt et impetus aduersariorum ad euersionem Christianae religionis incitatos, inuicto prorsus animo mortisque et periculorum contemptore represserunt. Habuit Germania (vt ex multis paucos aliquos referamus) magnos illos et admirabiles Echios, Pflugios, Sonnios, Surios, Cochleos, Staphylos, Vicelios, Lindanos, Canisios, Heselios, Tapperos, etc. Habuit Italia" etc.: *Stanislai Rescii* Epistolarum Liber unus (Neapoli 1594) p. 166—167.

a) *C. in exemplo, quod dixi p. 587ᵘ, sua manu ex* ij qui sunt *correxit* ijdem. b) *C. ibidem sua manu addidit:* quum. c) *C. ibidem correxit:* obiiciunt. d) *C. ibidem sua manu ex* interim vero tam *correxit:* pulchre tamen. e) partibuj *typogr.*

[1] In margine: „1 Reg. 18. 1 Paral. 5." [1 Rg 18, 17; 25, 28. Cf. 1 Par 5, 10 20].

[2] Guilielmus Lindanus (van der Lindt?), episcopus ruraemundanus et gandavensis († 1588).

[3] Richardus Smith, doctor oxoniensis († 1563). De libris anglice et latine ad fidei defensionem ab eo scriptis vide *Hurter*, Nomenclator III[3] 1464—1466. Distinguendus est a Richardo Smith professore in collegio Anglorum duaceno († 1655), de quo *Hurter* III[3] 1112—1113.

[4] Alanus Copus (Cope), canonicus romanus († circa 1580).

[5] Nicolaus Sanderus (Sanders, Saunders), professor lovaniensis († 1581).

[6] Melchior Canus O. Pr. († 1560), „perdoctus Episcopus", ut ait *Canisius* in his „Commentariis" l. c. 369.

[7] Lutherum, Calvinum, Vergerium, alios significat.

1330. **1583 post m. Aprilem.**

Ex Operis Mariani a *Canisio* conscripti editione secunda sive „Altero Tomo Commentariorum de Verbi Dei corruptelis", Ingolstadii 1583, locis infra ponendis.

Operis Mariani summa brevissima. Excerpta quaedam: De Maria pie teneri, quicquid maiorem ei gloriam afferat. Exstare tamen historias suspectas. Haereses non dissimulandas, sed aperte reiciendas esse. In fidei rebus non esse recedendum ab usitatis loquendi rationibus. De romani pontificis primatu, Scripturae interpretatione, vitae sanctitate, ordinibus religionis. Carendum a nepotismo. Testimonia antiquitatis haud ita facile sperni debere. De angelica salutatione, rosario, Christi invocatione.

Refutatur in Canisii Opere Mariano, quicquid unquam de Maria perperam scriptum est; tractatur, quicquid de ea quaeri potest. Ita, praeter plurima alia, eius conceptio immaculata, ab omni peccato immunitas, virginitas perpetua, plenitudo gratiae, corporis in caelum assumptio asseruntur; cultus quoque iam inde ab initio ei exhibitus copiose enarratur, explicatur, defenditur.

„In Christianis Academiis", inquit *Canisius*, „quae tum doctrinae, tum pietatis laude in hunc vsque diem florent, magno consensu has regulas amplectuntur Theologi, vbicunque de peccatis agitur Mariam excipi oportere: de hac semper asserendum esse, quod ad honorum eius cumulum pertinet, et sacris literis non aduersatur: nec tantae Matri adimi decere, quod electis aliis recte attribuitur, quoniam a nullo illustrium superetur, et insignibus gratiae praerogatiuis abundet illa, cui vere magna fecit, qui potens est" [1] (p. 80). Et alio loco: „Est piorum . . . constans et laudabilis consuetudo, non solum expressas fidei regulas profitendi, sed et praeterea eam doctrinae partem libentius atque studiosius complectendi, quae Christo Domino et praecellenti eius matri maiorem adfert gloriam atque commendationem" (p. 179).

Concedit tamen *Canisius*, „de mirandis rebus cum Mariae cultu coniunctis" exstare „probatas et improbatas, veras et dubias vel suspectas historias"; et addit: „Non requirit sane hanc fidem Ecclesia, vt quae hisce de rebus dicuntur et scribuntur, ea sine delectu nobis certo persuadeamus, sed piis et prudentibus potestatem facit iudicandi, vt authores alios aliis praeferant, et his potius, quam illis historiis astipulentur. Requirit autem in Euangelio Christus, vt alios non temere iudicemus, neque condemnemus [2], ac ne verbulo quidem vnum ex minimis offendamus [3]: nimirum ad charitatem, veluti scopum et finem Diuinae legis [4], omnia, quoad eius fieri queat, referentes" (p. 704—705; cf. etiam p. 107—108).

Alia quaedam ex grandi hoc *Canisii* opere excerpo. „Religiosa antiquitas nobis declarauit, corruptas fidei doctrinas siue haereseις non moderationibus et dissimulationibus, vt multi hodie arbitrantur, sed contrariis omnino viis, ac apertis rationibus confringi et aboleri oportere, ne alioquin sermo aduersariorum admissus et acceptus, vt

[1] Lc 1, 49. [2] In margine: „Lucae 6." [Lc 6, 37; cf. Mt 7, 1 2].
[3] Mt 18, 6; Mc 9, 41; Lc 17, 2.
[4] In margine: „1 Tim 1" [1 Tim 1, 5].

cancer serpat[1], et serpendo vires exitiales apud multos acquirat" (p. 349—350). „Praeclare admonet Augustinus: ‚Liberis verbis loquuntur Philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quae his significantur, impiam gignat opinionem'[2]. Tum vere non minus, quam prudenter quidam, licet Ethnicus, docet, verba a vetustate repetita authoritatem antiquitatis habere, adeoque maiestatem quandam adferre orationi[3]. Probat igitur, consecratis vtendum esse vocabulis, praesertim si quae immutari vetat religio, cuius et voces et formulas proprias manere tanto magis necesse est, quanto plus periculi ex illorum mutatione consequi cernimus. Sanorum verborum formam nobis retinendam etiam Apostolus commendauit[4], multoque seuerius hanc legem, si adesset, nobis confirmaret, ob communem et effrenem illorum audaciam, qui vt suos tegant ac defendant errores, ad nouas voces confugiunt, suique sermonis fuco et coloribus, simplicis veritatis lumen tum obscurare, tum extinguere consueuerunt" (p. 356). „Ego . . . veterum potius, quam meis verbis atque sententiis in rebus hodie controuersis libenter vtor" (p. 601).

Ex 1 Tim. 5, 11 12 probat, castitatis votum saeculo Apostolorum ignotum non fuisse. „Oblatrent hic Brentius, Vermelius, Bidenbachius, Centuriatores, quantum velint: ac certe quidem haud decet, haud expedit nobis, desertores Ecclesiae magis, quam Doctores audire, qui praesentem Pauli locum de viduis contra Christum votique religionem luxuriantibus siue lasciuientibus constanter interpretantur. . . . Haec . . . perpetua Ecclesiae praxi (optima diuinae Scripturae interprete) corroborantur" (p. 226).

„De Romana constat Ecclesia, quod in hac Petra, si omnium aetatum scriptoribus creditur, firmissima et sincerissima fidei confessio vigeat, quodque ab hac Ecclesiarum matre atque magistra[5] quaestiones fidei plurimae maximaeque definiantur. . . . Quis Catholicorum non magnifaciat, meritoque amplectendum putet, quod summa Sedes Ecclesiae Catholicae matrix et radix, Ecclesiaque principalis, ad quam necesse est omnem conuenire Ecclesiam, sicut Irenaeus et Cyprianus loquuntur[6].

[1] 2 Tim 2, 17.

[2] In margine: „Lib. 10 de ciuita. Dei. cap. 23." *Migne*, P. lat. XLI 300.

[3] In margine: „Quint. lib. 1. Orat. instit. cap. 11." Habet autem haec *Fabius Quintilianus:* „Verba a vetustate repetita non solum magnos assertores habent, sed etiam afferunt orationi maiestatem aliquam non sine delectatione: nam et auctoritatem antiquitatis habent et, quia intermissa sunt, gratiam novitati similem parant. . . . Illa mutari vetat religio, et consecratis utendum est": Institutionis oratoriae lib. 1, c. 6, n. 39. [4] In margine: „2. Timot. 1." [2 Tim 1, 13].

[5] Vide *Can.* VII 358[2].

[6] Posita sunt verba Cypriani in *Can.* VI 745; verba Irenaei *Can.* III 511[4]. Quae Canisius hic de romani pontificis primatu dixit, iisdem verbis iam dixerat in Operis Mariani editione principe, a. 1577 Ingolstadii in lucem emissa p. 36 45. Haec ii considerent oportet, qui dicunt: Canisius a. 1577, ne Operi Mariano opus de

instituit, recipit, obseruat atque confirmat, adeoque in cultum diuinum introducit, introductum retinet, ac innouat saepe?" (l. c. p. 41 51)[1].

„In charitate, et non in vitae rigore, sanctitas et meritum hominis praecipue consistit" (p. 105).

„Nulla domus, nulla religio tam casta et pura vnquam extitit, in quam naeui, maculae, sordes non irreperent, et cuius sinceritatem incuria hominum, et diuturnitas temporum non aliqua ex parte vitiaret" (p. 304).

[Christus suo] „exemplo Apostolos, ac eorum in ministerio Euangelico successores egregie docet, a cognationis affectu, a parentum desiderio, omnique specie mali, praesertim si ad Ecclesiasticam dignitatem veniendum, sedulo abstinere; vtque in Euangelico ministerio versantes, suum munus integrum ac incorruptum tueantur, et diuina potius quam humana curent, neque tanti parentes ac amicos faciant, vt eorum gratia et sollicitudine, qui (vt ne quid grauius dicam) preciosi saltem plerunque fures sunt temporis, a sacris occupationibus se retrahi ac auocari patiantur. . . . Suum quippe regnum, quod non est de hoc mundo[2], nequaquam carne, sanguine, affinitate, sed gratia et merito vult comparari : et spiritualis regni seu Ecclesiae gubernacula non tam Praesulum aut Principum consanguineis et notis amicis, quam probatis et dignis hominibus, licet alienigenis ac peregrinis committi demandarique postulat" (p. 528).

Canisius, ubi de Beatae Mariae in coelum assumptione agit, „Librum de transitu Beatae Virginis" commemorans; Merito, ait, Patres „sui seculi homines admonuerunt, ne fidem eiusmodi scriptis Apocryphis darent, in quibus vera falsis permixta, et quaedam cum fidei veritate pugnantia continerentur. At vero satis non est vociferari Apocrypha Apocrypha (quod nomen alij quidem aliter interpretantur) neque falsa esse necesse est, quae vulgo Apocrypha nuncupantur" (p. 628). Deinde, ubi B. Mariae Virginis imagines, quae a S. Luca evangelista picta esse feruntur, commemorat: „Certam fidem", inquit, „de his rebus nec docet, nec exigit Ecclesia" (p. 762). Attamen alio loco monet: „Magno studio cauendum est Orthodoxis, ne tragicis vocibus Nouatorum aduersus Mariae et Sanctorum historias atque miracula importune vociferantium moueantur, neque tam leuiter antiquitatis monumenta et testimonia, licet prima fronte quiddam asperum sonent, sibi eripi patiantur, aut ipsi etiam respuant nauseabundi. Etsi enim quaecunque de Sanctis leguntur, pari gradu certitudinis ac reuerentiae, vt ita loquar, amplectenda non sunt, sed alia quidem aliis praestantiora, maioreque fide digna merito existimantur; tamen non est cuiusuis hisce de rebus ferre iudicium, quas qui vel omnino negligunt, vel superbe contemnunt, in

S. Petro adiungeret, prohibitus est, quia Romae timebant, ne de primatu romano parum ex curiae pontificiae sententia scriberet.

[1] Eadem *Canisius* iam scripserat in prima Operis Marialis editione, a. 1577 Ingolstadii facta, p. 36 45. [2] Io 18, 36.

Waldensium et Wicleuitarum[1] damnatos errores facile prolabuntur" (p. 733).

Vt de re quoque liturgica aliquid addamus, *Canisius* de salutatione angelica („Ave Maria" etc.) disserens: „Vt est", inquit, „prouida semper mater Ecclesia, quae filiorum saluti percupide consulit, non sat habet illa Virginem salutare, nisi illam etiam addat coronidem, quae apertam continet precationem: Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus" (p. 294). Et paullo inferius: Orationi Dominicae salutationem angelicam adiungimus. „Succedit deinde precatio siue inuocatio: Sancta Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus" (p. 298). Item: „Tota Ecclesia Orthodoxa . . . tantae Matris honorem . . . bis quotidie adhibito campanae pulsu vbique fere gentium profitetur" (p. 302). „Pueri, senes, viri, mulieres" Angelicam „salutationem cum saepe alias, tum Matutinis et Vespertinis horis repetere sunt soliti, signo etiam campanae in hoc edito" (p. 701). Item *Canisius*, cum in „Betbuch" anno 1564 edito „rosarium" ita absolvendum proposuisset, ut 50 precatiunculae vitam Christi et Mariae complectentes recitarentur et post singulas earum Alleluia atque salutatio angelica dicerentur (*Can.* IV 1018), modo: „Quindecim", ait, „de Verbo incarnato Virgineque matre mysteria praecipua recensentur, et e sacro Euangelio colliguntur: horum sacra est, et piis frequens esse debet meditatio: ea igitur in recitando Rosario adhibetur. . . . Quibusdam placet quinquagies duntaxat, aliis frequentius Virginem ex morte salutare, intermixta dominica precatione. . . . Vbi tamen nihil certi praescribit Ecclesia, sed in suo quemque sensu, qui cum aliqua sit pietate coniunctus, sinit abundare[2], vt qui velit, hoc illoue modo Matrem Domini salutet ac veneretur. Qui maiore iudicio valent, et Euangelicae historiae sunt vtcunque periti, vtiliter ita Rosarii pensum absoluunt, vt secum animo reputent, quae laeta et tristia Christo eiusque matri in Euangelio legimus potissimum accidisse. Hinc porro et gratulandi et commiserandi occasionem Christianus colligit animus, seque ad Mariae imitationem praeclare componit" (p. 303).

Porro *Canisius* novam illam Christi invocandi rationem, quam iam olim e sacro suggestu impugnaverat (*Can.* I 767—769), denuo improbat, de novatoribus scribens: „Vt nouum inuocationis genus, quod prorsus Arianismum sapit, inuehant ac vsurpent, sedulo inclamant, Iesu Christe, ora pro nobis. Quasi vero Christi duntaxat proprium sit, iuxta formam hominis pro nobis apud Patrem intercedere, ac non potius etiam ex communi quam cum Patre habet potestate, nobis possit auxiliari. Impium certe phantasma est, Christum in coelos modo receptum, et sedentem ad dextram Patris[3], perinde ac prostratum coram Patre iacere supplicem oportere, qui praeterea solus pro nobis conficiat omnia, vt singularis

[1] Hi, praeter alia, Sanctorum venerationem et invocationem improbabant.
[2] Rom 14, 5. [3] Cf. Ps 109, 1; Mt 26, 64; Mc 16, 19; Rom 8, 34 etc.

eius tum intercessio, tum mediatio quaslibet amicorum operas ac preces excludat, quum ille Sanctorum caput et corona, fidis eorum patrociniis iuuare nos gaudeat ac soleat, sicut antiquitas vniuersa literis et exemplis clarissime confirmauit" (p. 312).

1331. **1583 post m. Aprilem.**

Ex Operis Mariani a *Canisio* scripti editione altera sive „Altero Tomo Commentariorum de Verbi Dei corruptelis", Ingolstadii 1583, p. 787—797.

Canisius enarrat, Monte Serrato, Eremi Beatae Mariae Virginis, Laureti, locis Mariae sacris, plurimos pietatis fructus colligi et miracula multa patrari.

Canisius, in Operis Mariani editione secunda de templis cum Mariae nomine Deo dicatis agens: „Nec dicam", inquit, „de omnibus Mariae templis, quae apud Hispanos vt religiosissimos, ita et cordatissimos homines hoc seculo maxime celebrantur. Primas vero tenet, quod in monte Serrato[1] templum est Hispaniae citerioris, et ad Lauretanum, omnium nunc templorum, ni fallor, celeberrimum . . . proxime videtur accedere; siue miraculorum magnitudinem, siue peregrinantium concursum, siue religiosorum hominum illic degentium sanctitatem, et promtam erga exteros hospitalitatem considerare velimus" (p. 789).

De praeclaro autem monasterio illo benedictino, quod „Eremus Beatae Mariae Virginis" sive „Einsiedeln" vocatur, *Canisius* sic scribit: „Norunt et magnanimi Heluetij, qui pulcherrimam Catholici nominis professionem praeclare hactenus conseruarunt, et sub felicibus MARIAE auspiciis toties fortissime felicissimeque pugnarunt: norunt inquam, quantum et animi et roboris praestet Virgini matri vota pia fecisse, et in ipsius Eremitorio pie supplicasse. Ita enim vocant Deiparae sacellum a sancto Meinrado inchoatum, mediis in syluis positum, . . . quod non modo multis ab hinc annis inter medios hostes impiosque vicinos, sed etiam nuper admodum horrendis flammis cuncta vndique absumentibus integrum mirabiliter perseuerat. Nugentur autem et calumnientur, qui sese ab Ecclesia catholica nefarie segregarunt: fingant et euomant, quae impurus ipsis animus suggerit aduersus sacri loci huius originem, progressum, cultum, miracula: hoc nimirum Satana in suis organis potissimum procurante, vt in vulgi odium inuidiamque sanctum hoc institutum adducat, eiusque salutarem vsum et fructum impediat aboleatque. Sedenim qui recte sibi suaeque saluti consultum volunt Orthodoxi, rem se dignam fecerint, si surdis auribus, rabiosorum velut canum, istorum latratus transeant, et sancta Christianae fidei simplicitate contenti, praeclarisque Maiorum suorum exemplis confirmati, non quid dicant modo impij, sed quid faciant et sentiant tot seculorum pij, id demum sibi propositum habeant, semperque commendatum seruent. An vero vel obscurum, vel dubium esse potest quo pietatis ardore incensi complures per incultam et horridam solitudinem, ad hanc AEdem Virginis, et nostra et superiore aetate vltro penetrent, quam venerabundi et supplices vota sua Deiparae faciant, quam raram et mirificam Spiritus consolationem[2] atque suauitatem hoc ipso loco percipiant? Cuius quidem praesentia tam potenter immutat, quam dulciter afficit bonorum accedentium animos, vt vere illud MARIAE hospitium, et Dei domicilium esse facile deprehendant. Sed o ineptos et stultos homines, qui obgannientib. haereticis credunt, piis autem et sapientibus tot spiritualia bona experientibus tamque praeclaras virtutum actiones exercentib. non credunt: vtpote qui non solum Christianae precationis, sed et sanctae humilitatis, et verae poenitentiae, religionisque omnis officia hic praestant atque declarant. Talisne cultus Christo Domino, vel eius benedictae Matri, aut Superis vllis displicere, Satanae autem arridere possit? Quid nisi fides et spes Christiana in illis vigeat, quaeso, qui in Matre Filium honorant, et propter illam Redemptoris sui quaerunt et expectant gratiam, eumque Iudicem sibi magis propitium fore credunt atque confidunt? Quid rursus, nisi sancta quaedam omnibusque laudanda fortitudo est, longinqui itineris,

[1] Monserrat. Monasterium hoc est ordinis benedictini. [2] Act 9, 31.

et sumtuum periculorumque metum abiicere, et quasuis peregrinationis adire ac perpeti molestias, sua vt vota in corde non ficto sanctissimae Virgini hic offerant atque commendent? vbi tam multi hactenus votorum suorum compotes fiunt, vbi incredibiles diuinae gratiae percipiuntur effectus, vbi demum laeti et felices rerum successus diuinitus impetrantur, nimirum Deipara supplicum precibus clementer admodum annuente" p. 787—788).

Copiose Canisius scribit de sacra aede lauretana multumque operae in id impendit, ut variis rationibus demonstret, Laureti exstare cubiculum in quo et Maria nata et Filius Dei homo factus sit, idque mirabiliter ex Nazareth Lauretum esse translatum.

His autem rationibus omissis hic ea tantum pono, quae Canisius suis oculis videre poterat, cum semel atque iterum Laureti versaretur (*Can.* II 274; VI 575—576): „An quisquam Laureti vnquam fuit, si aliquo saltem Christianae pietatis tangeretur affectu, qui suis non aspexit oculis, non percepit auribus, non animo comprehendit illa Dei magnalia[1], quae Chrysostomi discipulus Theodoretus, iam ante, vt diximus, in Martyrum basilicis aeuo suo contigisse testatur?[2] Vicinis et remotis e locis ad hanc Lauretanae Virginis aedem turmatim concurritur: omnium ordinum homines huc sponte properant, et pro sua quisque pietate vota Virgini faciunt. Vna omnium mens, et sancta est contentio, vt se Matri Domini deuotos ac gratos declarent, cui secundum Deum ferunt acceptum, quod grauissimis morbis superatis sanitatem optatam recuperarint, quod horrenda terrae, ignis, marisque pericula euaserint, quod in rebus aduersis, saepeque desperatis mirabiliter fuerint subleuati et erepti, quod domi, peregre, inter amicos et hostes, clam, palam defensi ac securi manserint, quod denique imploratae Virginis praesidia et sibi et suis mire salutaria, prorsusque inusitato modo senserint, ac reipsa probarint. Alij si quid bene ac feliciter inceptum confectumque cupiunt, si nouum vitae genus aggrediuntur, si grauibus animorum curis aestibusque premuntur, Virgini Matri vota faciunt, eius fauorem hic expetunt, illique sedulo sese committunt. Haec vota non esse inania, hanc fiduciam non optato carere successu, piisque desideriis Deum Matris precibus exoratum annuere, tot hominum millia et iampridem experta sunt, et in hunc vsque diem certo experiuntur. Caeterum an quisquam oratione vlla consequi possit, quales et quam admirabiles verae pietatis fructus et effectus cum hoc MARIAE cultu, qui Laureti a peregrinis peragi solet, identidem coniungantur? vt forte non iniuria dixeris: Vere Dominus est in loco isto[3]. Nec enim solum infinita propemodum populorum examina AEdem hanc MARIAE sacram inuisunt, sed ex aduentantibus etiam plurimi verae fidei, poenitentiae, charitatis, submissionis omnisque religionis testimonia edunt luculentissima. Haec tantam saepe vim habent, vt stuporem admirabilem cernentibus adferant, multis etiam lachrymas exprimant, piisque summam pariant consolationem. Nihil illic frequentius, quam vt accedentes exteri suos morbos agnoscant, et medicos adeant, quos illic ad manum semper habent peritos ac spirituales, suorumque criminum accuratam faciant exomologesin. Qui foedissimis peccatorum sordibus diu multumque suos animos inquinarunt, illuc cupide aduolant, seque tanquam curandos leprosos Sacerdotibus exhibent[4] totosque permittunt, vt salutaribus poenitentiae remediis expientur, ac per Sacerdotum ministerium Deo et Ecclesiae legitime gratisque reconcilientur. Hinc sacrae confessionis et communionis vsus tam Laureti creber est atque solennis, nihil vt simile, magisque religiosum per totam Germaniam, Galliam et Poloniam vna in AEde liceat reperire. Vbi praeterea perquam vsitatum est, homines ab omni pietate paulo ante remotos, summisque flagitiis obrutos, in nouos et dilectos Dei filios[5] transformari, vt ex Haereticis Catholici, ex flagitiosis honesti, ex lupis oues euadant.

[1] Eccli 18, 5; 2 Mach 3, 34; Act 2, 11.

[2] *Theodoreti Cyrensis* Graecarum affectionum curatio, serm. 8 (*Migne*, P. gr. LXXXIII 1031 a—c).

[3] Gn 28, 16.

[4] Cf. Lv 14, 2; Mt 8, 4; Lc 5, 14; 17, 14.

[5] Mt 3, 17; Lc 3, 22; 9, 35; 2 Petr 1, 17.

Proinde qui grauissimas antea simultates in alios exercebant, illic iram, odium et inuidiam omnem sepeliunt, cum offensis fratribus in gratiam redeunt, poenitentiam non raro publicam agunt, aes alienum dissoluunt, ab aliis sibi debita condonant, bona iniuste parta restituunt, ac omne demum charitatis officium, a quo prius abhorruerant, saepe vltro amplectuntur. Alij vero, si probi ad hanc sacram AEdem accedunt, probiores inde digrediuntur: complures diuinam quandam virtutem illic persentiunt, vt ad spirituales motus ac sensus mirabiliter incitentur atque inflammentur. Breuiter, ad omne iustitiae pietatisque Christianae studium paratiores atque alacriores Laureto discedunt, domumque noui velut homines reuertuntur. Postremo piis et sacris oblationibus, quas plerique aduentantes in templum hoc Lauretanum sponte largeque conferunt, non solum Ecclesiae ministri, et religiosi homines aluntur, verum etiam complures egeni et aegroti continue sustentantur atque recreantur, vt Lauretana domus, si verum fatebimur, diues et amplum Christianae religionis hospitium, simulque piorum et Christi pauperum fida quasi nutrix appellari possit" (p. 796—797).

Haec Canisius magnam saltem partem ipse, ut dixi, videre et audire poterat; reliqua ex Societatis hominibus, qui Laureti iam inde a plus quam 20 annis collegium habebant et peregrinorum confessiones excipiebant, accipere poterat. Ac tum horum, tum aliorum testimonio nituntur, quae idem *Canisius* de miraculis lauretanis scribit: „Ea miracula tam multa sunt, vt nullo numero comprehendi: tam aperta et illustria, vt non nisi ab impudentissimis hominib. negari: tam rara, stupenda lateque patentia, vt pro dignitate a peritissimo quidem Oratore celebrari et explicari neutiquam possint"[1] (p. 796).

Quae Canisius in Opere Mariano de sacra aede lauretana scripsit, cardinali *Caesari Baronio* valde placuerunt. Hic enim in primo tomo „Annalium Ecclesiasticorum" (primum Romae a. 1588 edito), postquam domum, in qua Beata Virgo ab angelo salutata est, Lauretum mirabiliter translatam esse breviter narravit, haec addidit: „Neque enim est in animo rei gestae historiam egregie testatam hic enarrare: agemus de ea suo tempore, quo facta scribitur. Interim his fruere Lector, quae venerandus Pater Petrus Canisius, cuius laus est in Evangelio per omnes Ecclesias[2], non minus pie, quam ornate atque erudite, suo more, conscripsit" (in a. Chr. 9 n. 1).

Ad eadem *Henricus Spondanus* (de Sponde, † 1643), sacerdos gallus, qui postea episcopus appamiensis (Pamiers) fuit, lectorem remisit, scribens, se suo tempore „de Lauretana domo translata ab Angelis" relaturum esse. „Interim tu ijs fruere, quae de illa Petrus Canisius non minus pie quam erudite conscripsit" (Annales Ecclesiastici ex XII. Tomis Caesaris Baronii S. R. E. Presb. Card. in Epitomen redacti, Lutetiae Parisiorum 1617, 6).

Anno 1619 Argentorati in lucem prodiit „Hypobolimaea Divae Mariae Deiparae Camera, seu idolum Lauretanum, eversis Baronii Cardinalis, Canisii, Turriani ac Tursellini fulcimentis dejectum . . . Autore *Matthia Berneggero*, Argent. Acad. Professore". Canisius tamen in hoc opere rarissime commemoratur. Plura v. apud *Sommervogel* VII 10—11.

1332. 1583 post m. Aprilem.

Canisius in Opere Mariano revelationibus S. Birgittae et B. Mechtildis utitur.

Canisius valde magni faciebat sanctam Birgittam († 1373) viduam, decus illud atque ornamentum nationis Suecorum. Ita in Opere Mariano scribit: „Nec grauabor ex Brigitta quaedam adscribere, quod huic persanctae viduae multa sunt[a] arcana diuinitus patefacta, et maximorum hominum authoritate, Romanaeque Ecclesiae

a) *Canisius postea correxit (v. supra p. 583):* sint.

[1] Ottingae Veteris (Altötting) in Bavaria Deum Mariae ope implorata multa miracula facere testatur *Canisius* l. c. 747—768. [2] 2 Cor 8, 18.

calculo ita probata, vt apud Catholicas quidem defensione neutiquam egeant" [1] (p. 55). Item: „Reuelationes quas illi sanctae viduae mirabiliter patefecit Deus, a nullo vere pio contemni posse videntur" (p. 101). Et „Illa vidua clarissima, per Spiritum sanctum, qui v b i v u l t s p i r a t [2], illustrata, et Ecclesiae iudicio comprobata" (p. 595). Quare Canisius octo circiter libri sui locis Birgittae testimonia profert. Neque tamen censet iis credendum esse ita, ut non liceat ea examinare et, si quando gravis ratio adsit, in dubium vocare. Nam ipse loco quodam: „Nobis quidem", inquit, „admodum probabile videtur, quod sanctae Brigittae diuinitus reuelatum legimus, ipsos etiam in coelis Angelos laetitia quadam insolita fuisse perfusos" etc. (p. 89).

Beata quoque Mechtildis († 1299) sacra virgo ordinis cisterciensis a *Canisio* valde laudatur. Qui „Et ipsa", ait, „diuino spiritu illustrata et in sacris reuelationibus probe sancteque versata, de matre Domini memoratu digna prodidit. . . . Virgo tam sancta et sapiens, vt electum Dei organum praeclaris diuinisque dotibus ornatum quum viueret, merito haberetur, multaque miranda per illam suam sponsam Christus et docuerit et ostenderit" (p. 102). Ad Mechtildis tamen revelationes bis tantum, nisi fallor, Canisius in Opere Mariano lectores remittit. Nec memini, me in eodem opere aliorum, velut SS. Gertrudis, Elisabethae Sconaugiensis, Hildegardis, Theresiae, revelationes in medium adductas vidisse.

1333. 1583 post m. Aprilem.

Canisius opera theologorum protestantium penitus norit. Aliqua ab eo adversus Lutherum aliosque acrius dicta. Eius iudicium de Erasmo Roterodamo.

Canisius in „Commentariis de Verbi Dei corruptelis" multorum theologorum protestantium dicta ad verbum profert et se in eorum scriptis valde versatum praebet. Ita, ut exempla ponam, ea, quam supra p. 583 dixi, ratione commemorat Udalricum Zwinglium locis fere 20, Henricum Bullingerum fere 40, Philippum Melanchthonem fere 70, Ioannem Calvinum plus quam 100, Ioannem Brentium fere 110, Martinum Lutherum plus quam 140.

Fatendum est, eum aliquotiens, raro tamen, consuetudini aetatis suae indulsisse, quae ad verborum acerbitates facile descendebat. Ita Martinum Lutherum „pestem Europae", „deploratum carnis mancipium", „subantem porcum" vocavit (Alter Tomus Commentariorum de Verbi Dei corruptelis, Ingolstadii 1583, l. 1, c. 13; l. 2, c. 12, p. 105 206). Item de Ioanne Brentio lutherano Beatam Mariam Virginem ambitionis insimulante ipsam Virginem sic alloquitur: „Nemo tot seculis inuentus est tam audax et impudens, qui te suis dentibus tanquam immanis bellua, mordendam atque dilacerandam appeteret: nullus qui tanto studio conceptum animi virus in te, benedicta Virgo, effunderet" etc. (l. c. l. 4, c. 21, p. 515). Similiter de Erasmo Sarcerio et Leonardo Culmanno: „Pro Deum immortalem, quam est pudenda istorum hominum vanitas? quam execranda licentia? quam multis suppliciis vix expianda blasphemia" etc. (l. 4, c. 1, p. 389). Sed haec et similia videri possunt pauca atque levia, si cum conviciis conferantur, quibus Lutherus, Zwinglius, Calvinus, Flacius Illyricus eorumque sectatores summos pontifices, episcopos, principes, immo etiam Sanctos et Ecclesiae Patres affecerunt.

De Judaeis *Canisius*: „O infelicem perditamque gentem, quae in extrema etiam seruitute vindicem perfidiae Deum adeo non agnoscit, vt suum nostrumque

[1] Cardinales, episcopi, doctores, qui eas a. 1377 iussu Gregorii XI. et a. 1379 iussu Urbani VI. examinaverunt, eas a fide nequaquam alienas, immo „veritate conspicuas" et „in ecclesia cum devotione et reverentia observandas" esse censuerunt; et cum in conciliis constantiensi et basileensi vehementer oppugnatae essent, ab omni tamen censura immunes evaserunt. Notum autem est, ecclesiam, cum huiusmodi revelationes approbat, hoc tantum edicere: Eas ad fidelium pietatem fovendam utiles et ad rectam eorum institutionem idoneas esse ideoque earum lectionem fidelibus permitti. Vide *Acta Sanctorum* Octobris, Tomus IV, Bruxellis 1780, 406—416.

[2] Io 3, 8.

Messiam, et eius venerandam matrem incessabili quadam rabie persequatur. Nihil autem nunc attinet, aduersus indociles ac contumaces, Deoque semper rebelles et bonis omnibus inuisos Iudaeos causam nouam instituere" etc. l. c. p. 145. Haec certe durius dicta sunt: nec tamen unquam Canisius id quod Lutherus fecit Christianos hortatus est, ut Iudaeorum synagogas incenderent, Iudaeos terra expellerent etc.

Iuverit etiam scire, quid *Canisius* de Erasmo senserit. Sic igitur ille: „Nondum anni sunt quinquaginta, quod Erasmus Roterodamus in humanis fuit [1], vir sane sua aetate vbique percelebris, et praeclarae inter doctos existimationis. Fuit enim in eo, quod negari non potest, ingenium lepidum et periucundum, Latinae Graecaeque linguae peritia singularis, eruditio multiplex, mira scribendi facilitas et copia, eloquentia vero, ut illis temporibus, rara et admirabilis. Caeterum quemadmodum diligentia eius et doctrina ad bonarum artium studia excitanda, et a barbarie vindicanda multis haud parum contulit, ita rursus, si libere dicendum est, in rebus Christianae religionis, et quae ad Theologiam spectant, tum sibi tum aliis, haud parum incommodauit. Etenim qua ipse vsus est, hanc alios etiam docuit immodicam libertatem, in veterum scriptis, in Ecclesiae constitutionibus, in Theologorum sententiis, in publicis ritibus iudicandis, imo et conuellendis atque exagitandis. Igitur quod veteres de Philone viro disertissimo dicere consueuerunt: Aut Philo Platonizat, aut Plato Philonizat [2]: hoc permulti de ipso etiam tandem pronunciarunt in hunc modum: Aut Erasmus Lutherizat, aut Lutherus Erasmizat [3]. Et tamen fatendum est, si sincere iudicare velimus, inter Erasmum et Lutherum permultum interesse. Ille Catholicum semper nomen retinuit: hic Ecclesiae Catholicae manifestus non solum desertor, sed impius etiam oppugnator, multarumque Sectarum caput extitit. Ille arte potius quam potestate, sicut de Iuliano dixit Orosius, religionem est insectatus [4], magnam saepe suis vel opinionibus vel erroribus cautionem ac moderationem adhibens: hic autem natura vehemens, turbulentus, ardens, factiosus, modum omnem excessit, ad extremaque ruit praeceps, tam arrogans vt nulli cederet, tam durus et pertinax in sententiis, vt suis etiam saepe visus sit intolerabilis, tanto demum Ecclesiae odio inflammatus, vt ad illius exitium aperto Marte et furiosissime nihil non moliretur. Iudicauit Erasmus quae in Theologorum doctrina et Ecclesia improbanda corrigendaque putabat, atque ita siue sciens siue imprudens Momum [5] egit, vt magnam simul fenestram Luthero et aliis aperuerit ad religionem vniuersam innouandam, et ad tumultus eos concitandos, quos in Christiano orbe nunc maximo malo consecutos esse videmus, satisque deplorare non possumus. Vnde illud etiam a multis vsurpari coepit: Vbi Erasmus innuit, siue ioco scilicet, siue serio agens, illic Lutherus irruit, et quae ille oua posuit, hic tandem excubauit. Illud certo constat, Theologica Erasmi scripta, quae permulta ille quidem edidit, nec posse hodie, nec debere vndequaque defendi. Quandoquidem Censura Ecclesiastica, quae apud Orthodoxos quidem valet ac valere debet plurimum, Erasmi scripta, paucis exceptis, legi vetuit [6], et

[1] Desiderius Erasmus Roterodamus 12. Iulii 1536 Basileae mortuus erat.

[2] *Suidas* de Philone Iudaeo: „Ἐπλούτησε λόγον παρόμοιον Πλάτωνι· ὡς καὶ εἰς παροιμίαν παρ' Ἕλλησι τοῦτο χωρῆσαι, ἢ Πλάτων φιλωνίζει ἢ Φίλων πλατωνίζει" Sub v. Φίλων Ἰουδαῖος; Suidae Lexicon graece et latine, ed. *Godofr. Bernhardy* II. Halis et Brunsvigae 1853. 1499.

[3] Erasmum Luthero multas res suppeditasse, quibus is ad ecclesiam impugnandam uti poterat, censet etiam cardinalis *Joseph Hergenröther*, Handbuch der allgemeinen Kirchengeschichte III. Freiburg i. Br. 1880. 408.

[4] *Pauli Orosii* Historiarum lib. 7. c. 30 *Migne*, P. lat. XXXI 1141.

[5] I. e. reprehensorem.

[6] Cum in Indice Pauli IV. omnes Erasmi libri prohibiti essent, Indice tridentino sive Pii IV. prorsus prohibiti sunt hi soli: Colloquia, Moria, Lingua, Christiani Matrimonii Institutio, versio quaedam italica Paraphrasis in Matthaeum. Reliqui libri de rebus religionis scripti prohibiti sunt tantum usque ad „expurgationem" a

grauissimas ob causas, licet authorem ipsum non damnauerit, tamen eius opera velut Lectoribus obfutura potius quam profutura, improbauit" (l. c. p. 659—660).

Et paullo inferius de eodem Erasmo: „Fuit hoc nimium illi familiare, vt parum constanter ac grauiter de sacris doceret, praesertim quod Scholasticorum et Monachorum odio magis quam sincerae veritatis amore ad dicendas multis in rebus sententias commoueretur. Nam illi etiam vsu venit, quod non temere dici solet, nimium altercando veritatem amitti [1]: et quo magis se suaque scripta perpetuo excusat atque tergiuersatur, eo minorem sibi fidem et existimationem apud doctos conciliat; praesertim quod Pyrrhonicam [2] in multis Theologiam sequi videretur" (l. c. p. 660—661). Ita igitur interpretandum atque explicandum est, quod Erasmi nomen a Canisio collocatum est in „Indice Haereticorum et Sectariorum veterum ac recentiorum, quorum errores in hoc Opere perstringuntur", in fine Operis Mariani posito (f. Cccc[b] [3]).

Canisius porro, variis ex Erasmi libris prolatis ac refutatis locis, quibus Beata Virgo Maria eiusque cultus male tractantur, haec addit: „Sunt tamen et alia eiusdem Erasmi loca, in quibus ille longe rectius ac reuerenter admodum de Mariae cultu sentit ac loquitur, vt nesciam sane, magisne ille Virgini sacrosanctae detraxerit, an fauerit: propemodum dixerim, non tam insignem eum fuisse Mariomastigen quam Encomiasten" (l. c. p. 663).

1334. 1583 post m. Aprilem.

Canisius doctores Scholasticos commendat; Sorbonnam praedicat; S. Thomam Aquinatem summopere celebrat; S. Bonaventuram, Rupertum Tuitiensem, ordinem Praedicatorum, Carolum Magnum laudat.

Canisius in Opere Mariano et in toto illo „Commentariorum de Verbi Dei corruptelis" opere plerumque quidem Sacra Scriptura et Sanctorum Patrum libris usus est; id quod ipsa operis ratio exigebat; protestantium enim errores in eo refutabantur; protestantes autem Scripturae maxime auctoritate se tueri conabantur, et, recentiores doctores catholicos contemnentes, Patres aliquo saltem modo reverebantur. Attamen saepe quoque Canisius utitur scriptis doctorum Scholasticorum. De quibus ait: Significatio verborum Sacrae Scripturae „a prudentibus et doctis, potissimum vero a Scriptura et fida eius interprete Ecclesia petenda est. Neque parum hic iuuant Scholasticorum distinctiones, vt quae magnam et necessariam lucem hisce Scripturae testimoniis adferunt, quae tum obscura esse, tum in ipsa collatione, prima fronte pugnare videntur" (l. c. p. 674). De Sorbonna porro scribit: „Theologos Gymnasij Parisiensis . . . in Europa tot iam seculis maxime spectabiles et Doctorum vbique sermone praedicatos commendatosque videmus" (l. c. p. 51). Omnium autem maxime a Canisio colitur et laudatur theologus ille, qui universitatis parisiensis summa gloria est. Sanctum Thomam dico Aquinatem. Hunc ille minimum sex Operis Mariani locis

---

facultate theologica parisiensi vel lovaniensi curandam. „Adagia", dummodo loci suspecti expungerentur, permissa sunt usque ad novam editionem a Paulo Manutio faciendam. Reliqui Erasmi libri omnino sunt permissi (*Fr. Heinr. Reusch*, Der Index der verbotenen Bücher I, Bonn 1883, 347—348).

[1] „Nimium altercando veritas amittitur" legitur in corpore „Sententiarum" saeculo I. p. Chr. excerptarum ex mimis a *Publilio* sive Publio Syro saeculo I. a. Chr. conscriptis.

[2] l. e. scepticam. Cf. *Can.* III 280[1].

[3] Confer quae Canisius de Erasmo scripsit *Can.* III 280—281.

„scholasticorum Doctorum facile principem" vocat (l. c. 44 78 240 284 619 810). Aliis locis dicit, Thomam esse „nulli Scholasticorum Doctorum secundum" (321), „veterum studiosissimum" (731), „humanissimum Theologorum Scholasticorum principem" (517), „inter Scholasticos quidem Doctores peritissimum" (750), „qui nunc primas in Scholis Catholicis merito tenet" (238). In Commentariis plus quam 40 locis Thomae opera commemorat. Ceterum Canisius alios quoque doctores magni facit. Ita S. Bonaventura est ei „primariis scholae Doctoribus merito annumeratus et cuius non modica laus est in Ecclesia Dei" [1] (l. c. 565). Rupertus Tuitiensis (Deutz) abbas O. S. B. († 1135), „vir doctus aeque ac sanctus" (561), „Germaniae decus" (141), „celebris scriptor, scientia et sanctitate clarissimus, Mariae cultor insignis" (817), „inter Germanos Theologos eminuit, ac similem aetas illa non tulit: qui viuus et mortuus multis claruit miraculis" (746). In „Commentariorum" plus quam 75 locis Canisius Ruperti testimonia profert. Deinde est Canisio Dionysius Rickelius sive Carthusianus († 1471) „vir sanctus et doctus" (594). De universo autem ordine Praedicatorum *Canisius* pronuntiat: „Dominicani . . . plurimos doctissimosque Theologos in sua familia et pepererunt et conseruarunt"; „in his quae ad Mariae cultum et inuocationem pertinent", iidem „sui principis Dominici, viri profecto sanctissimi, exemplum pulcherrimum probe sunt imitati" (811).

Addo laudes Caroli Magni: „Carolus vere Magnus, non solum rei militaris gloria, sed et pietatis laude nulli Imperatorum secundus" (782—783), erat „Christianorum quidem Principum longe maximus" (773), „vt in re bellica felicissimus, et in gubernanda Rep. sapientissimus, ita in curandis Ecclesiis religiosissimus princeps, vt postea neminem parem, nedum superiorem habuerit" (827).

1335. 1583 post m. Aprilem.

Ex apographo eiusdem fere temporis, quod est in bibliotheca vaticana. Cod. Vat. lat. 8679. P. II. f. 485—486.

Canisius in Opere Mariano Patribus veteribusque scriptoribus ecclesiasticis nonnulla opera assignavit, quae eorum non sunt. Id tamen totius illius aetatis erratum erat.

Exstat commentarius ex archetypo eodem fere tempore, ut videtur, exscriptus, et sic inscriptus: „*Relazione* intorno alle opere del Venerando Padre Pietro Canisio della Compagnia di Gesù." Ei nec nomen auctoris, nec locus, nec tempus ascripta sunt. Ex ipsa tamen hac relatione haec intelleguntur: Auctor eius, cum paullo ante medium saeculum XVIII. Romae „processus apostolicus" de Canisio in Beatorum numerum referendo ageretur, a cardinalibus sacrae Congregationis Rituum iussus erat de Canisii scriptis ad eandem Congregationem referre. Is igitur, cum scripta illa per duos theologos de more curasset recognoscenda [2], ipse, quid de iis

[1] Cf. 2 Cor 8, 18.

[2] Hi erant Leo a Sancto Felice O. Carm. Exc. theologiae professor romanus et Leo Bertolotti O. Cler. Reg. min., consultores congregationum Indicis et Rituum (*Positio,* an sit signanda Commissio, Romae 1734. Summar. p. 2—5). In „*Positione* super virtutibus" [V. Servi Dei Petri Canisii] Romae a. 1833 typis exscripta narratur, Canisii scripta in eo processu approbata esse 22. Martii 1732 et 31. Ianuarii 1735 (Responsio ad animadversiones Promotoris Fidei, p. 6—7).

sentiret, cardinalibus exposuit. Ait autem, tantum abesse, ut beatificationi Canisii illa obstarent, ut potius eam magis commendatam redderent. Attamen se aliqua de iis notaturum esse. Itaque difficultate quadam, quae ad praesens argumentum non pertinet, in medium prolata et facili negotio sublata, hanc alteram posuit, quae Opus quoque Marianum (quamquam hoc in relatione non plane commemoratur) spectat:

„Si potrebbe ancora osservare nell' opere di questo Scrittore che quantunque egli non lasci di mostrar esatta erudizione nella intelligenza della divine Scritture e de' Santi Padri intorno alle controversie di fede che egli tratta: nulladimeno soggiace agli abbagli comuni di quell' età circa il discernimento delle opere apocrife dalle legittime de' primi Padri e degli antichi scrittori: quindi cita come opere di san Clemente Romano i libri delle Costituzioni Apostoliche attribuite a Clemente; l'epistola spuria di Calisto I. a Benedetto, come decretale di quel Pontefice, come opera di San Cipriano il libro de singularitate Clericorum: e altre epistole decretali, e opere di Santi Padri antichi, le quali dalla critica piu esatta de' nostri tempi sono state scoperte o apocrife, o suppositizie: ma tuttavia questo difetto non è dello scrittore, ma del secolo in cui scrisse: mentre allora cosi comunemente si credeva: e perciò non dee imputarglisi a suo proprio errore. Oltre di che essendo questi semplici errori di fatto scusati dalla comune persuasione, e ne' quali sovente son' caduti i più Santi e i piu dotti scrittori della Chiesa, niente pregiudicano alla sana dottrina degli Autori, che inciampano in questi necessarij abbagli della loro età: e maggiormente allor che l' opere false, che citano, ancorche non siano di quegli scrittori a' quali comunemente si attribuiscono, contengono nulladimeno sana e cattolica dottrina, siccome le opere apocrife, o suppositizie alcune volte allegate dal Canisio, le quali anche al presente non si lasciano di citare per il pregio, che hanno della loro antichità: quantunque non si adducano come opere legittime di quegli scrittori a quali ne passati secoli sono state ascritte. Per questa ragione adunque ci penso che da i Teologi revisori di queste opere, non sia stata fatta alcuna considerazione intorno agli accennati abbagli, come cosa di nessun momento, i quali per altro io ho voluto generalmente indicare alle EE. V. V. più per soddisfare al debito della incumbenza ingiuntami, che per necessita che vi fosse di doverli scusare."

Isaak Casaubonus anglicanus † 1614 inique Canisii errata exasperat, cum in opere adversus cardinalem Baronium Londini a. 1614 primum edito Opus Marianum Canisii commemorans loquitur „de imperitia linguarum et veteris historiae, quam locis innumeris Canisianum illud opus prodit": De rebus sacris et ecclesiasticis Exercitationes XVI, Genevae 1615, exerc. VII, n. 1, p. 190. Longe aequius *Carolus Augustus Hase*, inter „polemicos" protestantes saeculi XIX. facile princeps. Hic enim in Canisio hoc, praeter alia, laudandum esse significat, quod in libris Patrum Ecclesiae diligenter versatum „vertraut mit den Kirchenvätern" se praebuerit: Kirchengeschichte, 11. Aufl., Leipzig 1886, 479.

1336. 1583 post m. Aprilem.

Canisius perperam accusatur, quod epistulas Beatae Mariae Virginis confinxerit.

In libro pseudonymo „Der Papst und das Concil, von Janus" ab *Ignatio Döllinger* et *Ioanne Huber* primum Lipsiae (Leipzig) a. 1869 edito affirmatur (p. 424): „Petrus Canisius brachte erdichtete Briefe der Jungfrau Maria." Deinde idem *Ioannes Huber* (qui erat philosophiae professor in universitate monacensi) in libro „Der Jesuiten-Orden" (Berlin 1873) p. 317 affirmavit, Canisium confictas Beatae Mariae Virginis epistulas in medium produxisse („Canisius, welcher sogar erdichtete Briefe Mariens producirte"). Canisium ipsum has epistulas confinxisse hac quidem sententia non prorsus perspicue enuntiatur; ex eius tamen contextu satis certum efficitur, Huberum id significare voluisse. Facti

probationem ille affert nullam. Clarius etiam loquitur *Paulus Drews* in libro „Petrus Canisius, der erste deutsche Jesuit" (Halle 1892) p. 136 (Schriften d. Vereins f. Reformationsgeschichte. 10. Jahrg. Erstes Stück. Nr. 38). Ait enim: Canisius „bereichert die Legendensammlung noch durch selbsterfundene Briefe der Maria". Neque aliter hoc crimen probat nisi remittendo lectores ad verba Huberi, quae modo posui (l. c. p. 158).

Revera *Canisius* in Operis Mariani libro quinto, capite I. tres Mariae epistulas commemorat.

Primum enim scribit (l. c. p. 589): „In Epistolis Ignatianis Maria scripsisse legitur, quod vna cum Ioanne in Antiochiam se venturam esse promittat. Veniam, inquit, cum Ioanne, te, et qui tecum sunt videre: Ignatium scilicet, qui Antiochiae potissimum floruit, hac oratione compellans." Est haec (*Migne*, P. gr. V, 945—946) una ex quattuor illis spuriis epistulis latinis, quae iam saeculo XII. cum nomine S. Ignatii Antiocheni circumferebantur. Maria per eam ad Ignatii litteras respondisse dicebatur (*O. Bardenhewer*, Geschichte der altkirchlichen Litteratur I, Freiburg i. Br. 1902, 127 140). Eandem epistulam Beatus *Iacobus a Voragine*, O. Pr., qui circa annum 1298 vita functus est, in „Legendam auream" (c. 36 n. 1) transcripsit (*Th. Graesse*, Iacobi a Voragine Legenda aurea, Ed. 3., Vratislaviae 1890, 155). Neque ullus, ut videtur, medii aevi scriptor eam a Maria scriptam esse negavit. Id quidem in dubium vocavit *Ioachim Perionius*, O. S. B. in editione epistularum ignatianarum anno 1566 Lovanii facta (D. *Dionysii Areopagitae* Opera etc. f. 265ᵇ—266ᵃ). At eodem fere tempore doctissimus ille *Sixtus Senensis* O.Pr. eam Mariae attribuit et „Bibliothecae Sanctae" (primum Venetiis a. 1566 editae) libro secundo inseruit (Bibliotheca Sancta, Ed. 3., Coloniae 1586, 81). Canisium in hac sententia confirmare poterat id, quod in *S. Bernardi* sermone VII. in Ps. 90 legebatur: S. Ignatium martyrem „plures epistulas scripsisse ad Mariam". Ita quidem editiones operum Bernardi habebant, antequam Ioannes Mabillonius O. S. B. in editione anno 1667 facta verbo „Mariam" ex codicibus adderet „quamdam" et Mariam Kassobolitam, non Mariam Matrem Domini significari affirmaret (*Migne*, P. lat. CLXXXIII 202; *Fr. X. Funk*, Patres Apostolici I², Tubingae 1901, LXIII). Accedebat auctoritas aliorum. „Cur", inquit *Canisius*, „de his Ignatij epistolis dubitemus, quas non modo Bernardus, sed et Marcus Michael Carnotensis[1], Dionysius Rickelius[2], Marianus Victorinus[3], Symphorianus Clamperius[4], aliique

[1] Marci Michaelis presbyteri Carnotensis vel, ut alii volunt, Cortonensis in libro „De viris illustribus" testimonium posuerunt *Sixtus Senensis* O. P. in „Bibliotheca Sancta" I, Lugduni 1575, 103 104, et *Io. Alb. Fabricius*, Codex apocryphus Novi Testamenti I, Hamburgi 1703, 836.

[2] D. *Dionysii Carthusiani* super omnes S. Dionysii Areopagitae libros commentaria. Coloniae 1536, c. 3, art. 4, f. CCXXIIIᵇ.

[3] Divi Hieronymi Opera omnia, ed. a *Mariano Victorio* Reatino, II, Parisiis 1578, col. 472 scholion 3 in Hieron. lib. 3 adv. Pelagianos.

[4] Prologus in 15 epistulas Ignatii, apud *Dionysium Carthusianum* l. c. f. CCCLVII.

complures agnoscunt, et Ignatio tribuunt?" (l. c. p. 593.) Haec longius persequi non vacat.

Praeterea *Canisius* duas alias Mariae epistulas, quas et ipsas esse spurias nunc haud ita multi negaverint, commemorat his verbis: „Gloriantur sane Florentini, quod epistolam a Deipara scriptam acceperint, eamque Hieronymus Ferrariensis pro concione explicare non dubitauit: Sic autem habet: ‚Florentia Deo et Domino Iesu Christo filio meo et mihi dilecta tene fidem, insta orationibus, roborare patientia: his enim et sempiternam salutem apud Deum, et apud homines gloriam consequeris.' Tum apud Siculos extat insignis Resp. Messanensium, quae aliam epistolam ab eadem Virgine matre missam praedicat, atque vt audio, reuerenter in scriniis suis asseruat" (l. c. p. 593)[1]. In libello autem, in quo *Canisius* multas variasque res proprio usui destinatas notabat (Can. 9 f. 40[b]), haec cernuntur ipsius manu scripta: „Gloriantur Messanenses de scripta et missa sibi epistola Deiparae, eamque reuerenter asseruare dicuntur. Est et alia Florentinis destinata, et in hunc modum descripta, quam Hieronymus Ferrariensis[a] concione integra[b] explicare non dubitauit[c]. (Jn concione 25 octob. habita Florentinis anno 1495.) Florentia Deo et domino Jesu Christo filio meo et mihi dilecta tene fidem, insta orationibus, roborare patientia: his enim et sempiternam salutem apud Deum et apud homines gloriam consequeris." Haec si quis prudenter expenderit, iam non affirmabit, epistulam florentinam (messanensem ille non posuit) a Canisio confictam esse. Ceterum famosum illum Hieronymum Savonarolam Ferrariensem O.Pr., qui anno 1498 Florentiae e vivis sublatus plurimos sermones ibi habitos post se reliquit, epistulam illam florentinam pro vera Mariae Deiparae epistula habuisse concedunt etiam critici illi, qui eam spuriam esse affirmant (*Io. Chrysost. Trombelli*, Can. reg. [† 1784], Mariae sanctissimae Vita et gesta, Dissert. 48, apud *J. J. Bourassée*, Summa aurea de laudibus Beatissimae Virginis Mariae II, Parisiis 1866, 331—340; *Io. Alb. Fabricius*, Codex apocryphus Novi Testamenti I, Hamburgi 1703, 852)[1]. Praeterea Romae in bibliotheca casanatensi exstat liber „Prediche de *fra hieronymo* sopra li psalmi, stampate in Venetia con gran diligentia per Cesare arrivabeno venetiano nelli anni del nostro signore 1520 a di xx luio." Ibi f. cx legitur, Savonarolam 25. Octobris 1495 orationem sacram sic exorsum esse: „Al capitano tocha far la exhortatione et sapere in che modo si debba havere victoria: et per istamani io non voglio fare altra exhortatione che quella della gloriosa Vergine Maria:

a) *Sequitur* pro, *oblitt.* b) *Sic C. correxit ex* concione tractare. c) *Sequuntur ev.* Sic autem habent *[?], oblitterata.*

[1] Mariam vere Messanensibus ita scripsisse asseruerant doctus vir Constantinus Laskaris, circa a. 1434 Constantinopoli natus et a. 1501 Messanae mortuus apud *Fabricium* 847 et Mutius Iustinopolitanus sive Girolamo Muzio di Capo d'Istria (1496—1576) in „Historiae sacrae" a. 1570 editae l. 1, c. 13 apud *Melch. Inchofer* S. J., Epistolae B. Virginis Mariae ad Messanenses veritas vindicata, Messanae 1629, 287.

Florentia Deo" etc.: sequuntur ea ipsa verba, quae posuit Canisius. Quod denique ad messanensem illam epistulam attinet, constat, eam Messanae asservatam esse, antequam Canisius Opus Mariale scripsisset. Canisius autem facile in eius notitiam venire poterat. Nam a m. Aprili 1548 ad m. Iunium 1549 docuit in Societatis collegio messanensi (*Can.* I 275—295 688). Inde etiam, cum Opus Marianum pararet, epistulae apographum nancisci poterat. Neque tamen epistulam, etsi haec valde brevis est (exstat apud *Trombellium* 335 et *Fabricium* 849—850) in opus suum recipere voluit; sed tantum scripsit: Messanenses eam ad se datam esse „praedicant", „gloriantur", „ut audio, asservant". Ex hac re coniectaveris, eum de illa dubitasse. Cui dubitationi causam praebere poterant ipsa epistulae verba, maxime ratio, qua tempus ei ascriptum est; cf. *Trombelli* c. 5 n. 5—7 apud *Bourassée* 337—339.

Hoc iam patet: Si quis in posterum dixerit, Canisium epistulas Mariae Virginis confinxisse, calumniatoris notam non effugiet.

1337. M. Maio 1583.

Ex orationis commentario, cuius pars prior a Canisio ipso, posterior incipiendo ab „Igitur institutio et usus horti" ab ignoto scripta est. Canisius ipse commentarium sic inscripsit: „Exhortatio ad domesticos de horto nouo et de usu aetatis [?][a] reflorescentis". Can. 37 f. 106b—108a. Exhortationem ex eodem commentario edidit *Schlosser* 429—434. Qui tamen complura omisit et alia immutavit.

Canisius ad Socios exhortationem sacram habet de usu novi horti. Cur domibus religiosorum hortus iungi soleat. Utendum esse horto non solum ad corpus recreandum, sed etiam ad sacras meditationes instituendas, Deum magis amandum, resurrectionem corporum desiderandam etc.

Canisius Friburgi Helvetiorum ad Socios hanc habuit „exhortationem": „Postquam habui[b] aliquid hodie hic dicere et solitam exhortationem super me suscipere, diu[c] in dubio steti, quid nam in medium adferre uellem. Tandem me resolui ut proponerem aliquid de nostro horto[1] et de iucundo hoc et halh[d][2] maijscheitzeit [?][e][3]. Spero etiam quod nemo in malam partem accipiet hoc meum propositum.

Habemus hoc commune cum religiosis alijs, quod domus nostra hortum habet adiunctum, sicut antiqui sedulo curarunt, ut quodlibet monasterium uel religiosa communitas suum proprium hortum teneret. Cur ita? sciebant arcum semper extensum manere non posse, et spirituales non posse semper orare, cantare, studere, meditari, contemplari rebusque spiritualibus operam dare, sed recreatione et exercitatione corporali indigere, et domi ambulare potius quam foris circumuagari: 2 non ignorabant multiplicem utilitatem inde sequi, cum religiosi horto suo

a) *Sic; corrigendum esse videtur* aestatis. b) *Sequuntur vv.* hodiernam facere, *oblitterata.* c) *Sequitur* cogi, *oblitt.* d) *Sic C. correxit ex* halhe. e) *Sic; corrigendumne* mayzeit *vel* mayenzeit?

[1] Novum hortum collegii significat; vide, quae sub ipsam hanc orationem dicentur.
[2] Vocabulum „hahl", „hähl" hanc significationem, praeter alias, habet: blandus, liebkosend, lieblich *Jak.* u. *Wilh. Grimm,* Deutsches Wörterbuch IV[2], Leipzig 1877, 159; Schweizerisches *Idiotikon.* Wörterbuch der schweizerdeutschen Sprache II. Frauenfeld 1885, 1132. [3] Tempus mensis Maii significare videtur.

bene utuntur · 1 ut cogitent se filios esse primi patris Adae, propter quem Deus initio *plantauit hortum, et posuit in illo Adam, ut custodiret illum et in eo operaretur*[1]: sicut Adam fecisset etiamsi nunquam peccasset.

2 Prodest hortus ad memoriam et cognitionem[a] peccati primum in horto incipientis quando Adam permisit se uinci a serpente, et factus est inobediens deo deique mandato, et sententiam damnationis accepit, et ex horto tandem eiectus uenit miser in exilium[2].

3 Admonet hortus de secundo Adam, qui suam passionem in horto uoluit ordiri, factus illic *tristis usque ad mortem*[3] sanguineum sudorem effundens, se patri ad *calicem bibendum*[4] offerens, nec alibi uolens tradi et comprehendi ab hostibus, illic demum usque ad uincula suam ostendens obedientiam, et peccatum primi Adae expians.

4 Haec consuetudo religiosorum etiam ualet ad consuetudinem Christi nobis commendandam, qui tam libenter et saepe in horto uersabatur. Vbi orabat Christus etiam nocte iuxta consuetudinem suam, nisi in monte Olueti?[5] *ubi erat hortus*[6], idque sciebat Judas etiam non alibi nocte Christum querens cum sua cohorte[7]. 2 Vbi uoluit suos orare, nisi ibidem · *Vigilate et orate*[8] inquit. 3 Vbi suam sepulturam elegit[9]. 4 Vbi Magdalenae post mortem apparuit[10] 5 nec aliter nisi sicut hortulanus[11], uere seminator ille, qui *exijt seminare semen suum*[12]. Luc. 8.

5 Hic mos confert spiritualibus, ut se moneant suae uocationi proprium esse, ut apta orandi loca et media non negligant, et idcirco caueant mundi tumultum et strepitum, utque corda sua tanquam hortum praeparent uirentem uirtutum uirore et gratiae fructu diuitem, in quo libenter ille uersatur qui *pascitur inter lilia*[b][13]. *Cum oraueris* inquit *intra in cubiculum*[14]. Hinc Joannes relinquit parentes et urbem, Deoque seruit in solitudine[15], sed et Christus ipse cum discipulis frequenter in hortis et campis conuenit, praedicat, orat et sua tractat[16], licet non indigeret recollectione mentis, in signum, quod spiritus[c] pios ducat ad loca solitaria et ad silentij officinas. Vnde Osee 2. *Ducam eam in solitudinem et ibi loquar ad cor eius*[17]. Et Thren. 3 *Sedebit solitarius et tacebit, et leuabit se super se*[18].

Igitur institutio et usus horti Religiosis seruire debet non solum ad corporalem sanitatem sed etiam ad confortationem spiritualem, ad

a) *Sequitur* horti, *oblitt.* b) *Sex vv. sqq. in margine addita sunt.* c) *Sequitur* amet, *oblitt.*

[1] Gn 2, 8–15. [2] Cf. Gn 3, 1–24. [3] Mt 26, 38; Mc 14, 34.
[4] Mt 26, 42; cf. Mc 14, 36; Lc 22, 42. [5] Cf. Lc 22, 39.
[6] Io 18, 1. [7] Cf. Mt 26, 47; Mc 14, 43; Lc 22, 47; Io 18, 3.
[8] Mt 26, 41; Mc 14, 38. [9] Cf. Io 19, 41–42. [10] Cf. Io 20, 1–17.
[11] Cf. Io 20, 15. [12] Lc 8, 5. Cf. Mt 13, 3; Mc 4, 3.
[13] Ct 2, 16; 6, 2. [14] Mt 6, 6. [15] Cf. Lc 1, 80; 7, 24; Mt 3, 1 etc.
[16] Cf. Mt 4, 18; 12, 1; 13, 1; 14, 13–21; 15, 29–38; 21, 19 etc.
[17] Os 2, 14. [18] Thr 3, 28.

meditationem, orationem et ad alia exercitia hominis interioris ad quae[a] ipsi maxime obligantur.

Quis uerus et laudabilis usus nostri horti[b]. Iturus in hortum cum uenit ad fontem uel illum respicit moneat se ipsum de uera et pura intentione uisitandi hortum, sicut in omnibus rebus particularibus bonam intentionem formare debemus, ut non tam nostri commodi quam diuini honoris cura moueamur, et in hoc maxime Religiosi a secularibus differunt, ut dici possit · Nescitis cuius spiritus estis[1] quia nesciunt probare spiritus an ex Deo sint[2].

.2. Opus ascensu quodam ad hortum et ita quis dicere uel cogitare posset. Ecce ascendimus Hierosolimam[3]. Vel Petrus et Joannes ascendebant ad Templum ad horam orationis nonam[4]. Jtem Maria uisitans Elisabeth abijt cum festinatione in montana[5]. Item Petrus ascendit in superiora ut oraret circa horam sextam. Petrus stieg hinauff, auff den Saal zubetten[6].

Qui non est oraturus in horto debet cogitare de libro sibi oblato et aperto in quo Deum et se ipsum discat agnoscere. Quot autem sunt in horto arbores, flores, folia et herbae, tot sunt folia libri nobis proposita si legere et intelligere uellemus. Nulla enim est Creatura tam uilis quae non ostendat sapienti Creatorem suum eiusque potentiam, sapientiam et bonitatem, quae praeterea non moneat hominem suum autorem laudare et amare, cum propter ipsum creata sint omnia in certo numero, pondere et mensura[7], quaedam ad utilitatem hominis, quaedam ad delectationem, quaedam ad decorem vniuersi. Docent praeterea hominem obedientiam in sua uocatione et gratitudinem et subiectionem et reuerentiam erga Deum, sed et arguunt hominis stultitiam, ingratitudinem, inobedientiam quod contra legem et ordinationem Dei tam multa cogitet, desideret, loquatur et agat sine ratione et spiritu, sine sua et aliorum utilitate imo cum damno quandoque corporis et animae. Vnde dicere potest, iam hyems transijt, Jmber abijt et recessit · Der Winter ist nun vergangen, Der Regen ist hinweg vnd dahin, Die Plumen seind herfürkommen in vnserem Lande[8] · Canticorum · 2. Et ego adhuc maneo frigidus in media hyeme, terra mea arida sine aqua, arbor et campus meus nullos flores[c] ostendit, ue mihi redeunte hortulano et quaerente fructus et flores in horto suo.

Aliud exercitium in horto considerare terram ornatam tot flosculis, herbis[d], plantis et arboribus hoc tempore, et inde pasci oculos, et

a) *Sic ex* interioris atque, *quod est in codice, corrigendum esse res ipsa docet.* b) *Haec 7 rr in archetypo linea subducta notata sunt.* c) *Sic in Cod. correctum est ex* arbor mea nullum florem d) *Sequitur* et, *oblitt.*

[1] Lc 9, 55. [2] 1 Io 4, 1.
[3] Mt 20, 18; Mc 10, 33; Lc 18, 31. [4] Act 3, 1. [5] Lc 1, 39.
[6] Act 10, 9. [7] Sap 11, 22. [8] Ct 2, 11 12.

odorem gratum percipi, tantamque esse differentiam et pulchritudinem qualem nullus facere potest artifex uel Princeps, etiam si esset sicut Salomon[1]. Qualis igitur erit status huius Mundi post ultimam resurrectionem, cum aqua multo erit perfectior terra, et aër aqua, et ignis aëre. Tunc[a] erit Stella Sole clarior, et Sol decuplo magis lucebit[2]. Tunc oculis patebunt omnia ut sine impedimento ultra montes uideant et omnia terrae et corporum uiscera penetrent et aeque uideant a longe sicut prope. Nam et Stephanus de terra uidebat Christum in coelo stantem[3]. Videbunt omnes tot mille corpora gloriosa, lucida et ornata in singulis membris, et clara sicut Christallum sine omni deformitate, fulgebunt iusti sicut [sol][b] in regno patris eorum[4] cum mirabili splendore[c] colore et decore. Vbicunque uolet spiritus ibi erunt corpora mire odorifera, colloquentur inter se suauissime, mirus erit concentus omnium letantium, quia exultabunt sancti in gloria et letabuntur in cubilibus suis[5].

Quomodo tempus hoc aestiuum nobis utile reddemus[d]. Mundani homines frequenter peccant hoc tempore[e] abutentes Dei donis quae hoc tempore conferuntur magis quam toto anno, est enim aër purior et[f] iucundior humanae naturae et salubrior.

2. Nunquam oculi maiorem habent uoluptatem in campis et arboribus uirentibus et florentibus.

.3. Tempus commodum ad peregrinandum, laborandum, letandum et recreandum, domi et foris.

.4.[g] Musica nunc est usitatior nec solum homines sed etiam iumenta sentiunt aestatem sibi prodesse et naturam ipsam recreare.

Quid autem filij Dei et Religiosi. Cauent sibi ab amore et delectatione huiusmodi bonorum externorum et naturalium[h] seque conuertunt ad amorem solius Creatoris cum debita gratiarum actione, pro se et alijs, bonis et malis. Faciunt enim sicut discipuli in Cana, qui uiso miraculo cognouerunt et secuti sunt Christum[6].

.5. Cogitandum est saepe de statu Mundi post resurrectionem, quando ueram aestatem habebimus sine hyeme, sanitatem sine infirmitate, Iuuentutem sine senectute, pacem sine perturbatione, conformati corpori Christi cum quatuor dotibus corporis, et tribus dotibus animae.

Annus huic „exhortationi“ ascriptus non est. Canisium autem de collegii, in quo degebat, novo horto circa initium aestatis dixisse, ex ipsa exhortatione eiusque inscriptione manu Canisii facta intellegitur, atque ex eiusdem orationis exordio colligi potest, eum m. Maio dixisse. Aliunde vero constat, Socios friburgenses a. 1583, quia propter numerum discipulorum valde auctum loci angustiis premebantur, domum aedibus suis contiguam cum horto satis amplo emisse: v. infra, monum. 1346. Domesticae hae orationes diebus Veneris haberi solebant (*Can.* VI 584).

a) *Sequitur* Sol, *oblitt.* b) *Hoc v. supplendum esse et locus Scripturae, de quo infra, adnot. 4 res ipsa ostendit.* c) *Sequitur* et, *oblitt.* d) *Huic quaestioni in Cod. linea subducta est.* e) *Sequitur* non, *oblitt.* f) *Sequitur* iund, *oblitt.* g) *Sequitur* dele, *oblitt.* h) *Sequitur* ses, *oblitt.*

[1] Cf. Mt 6, 29; Lc 12, 27. [2] Cf. Is 30, 26. [3] Act 7, 55.
[4] Mt 13, 43. Cf. Dn 12, 3. [5] Ps 149, 5. [6] Cf. Io 2, 1–11.

1338. **17. Iunii 1583.**

Ex notatione eiusdem temporis. G. Sup. 1 f. 96ᵃ.

Canisius versionem germanicam regularum S. J. recognoscere iubetur.

In registro *Claudii Aquavivae* praepositi generalis notatum est, „P. Badero", i. e. litteris Roma 17. Iunii 1583 ab Aquaviva Augustam ad P. Georgium Bader Germaniae superioris praepositum provincialem missis, „additum" esse, „ut ipse cum P. Canisio et Theobaldo [1] recognosceret uersionem Germanicam regularum quam ibi reliquit D. Hoffaeus, et corrigeret quae postea mutata sunt, ac deinde admoneret Nostrum Patrem Generalem".

P. Paulus Hoffaeus, qui ab ineunte a. 1581 Romae degebat et hoc tempore Aquavivae „assistentem pro Germaniae" agebat, hanc versionem in Germania reliquisse videtur, cum exeunte a. 1580 inde Romam proficisceretur. Verisimile autem est, versioni illi editionem regularum latinam adhibitam esse, quae a. 1580 Romae in lucem prodierat. Hanc secuta est „Regularum Societatis Iesu" editio ibidem a. 1582 facta, de qua dictum est supra p. 157[2].

Bader Aquavivae Augusta 6. Iulii 1583 *respondit: „Regularum uersionem, priusquam hasce litteras acciperem, me iubente iam pene absoluerat P. Theobaldus usus et sua uetere, et P. Hoffaei uersione · quam sane et nostris et Rhenanis atque etiam Austriacis petentibus, statim typis mandari curassem, usus facultate a P. Visitatore [2] concessa, nisi V. R. P. literae anteuertissent · nunc dabo operam, ut quae supersunt, eas absoluat: ac deinde ipse cum alijs quibusdam linguae nostrae peritis, relegam · et si R. V. P. uidetur, prelo committam · auide enim expectantur a Rectoribus" [3] (ex autogr.: Germ. 161 f. 156ᵇ). Exstat libellus „Regel der | Societet | Jesu. | Gedruckt zû Dilingen, durch | Johannem Mayer. | M. D. LXXXIII" 12°, pp. 156, addito folio titulari; accedunt 2 ff. non sign. cum formula germanica votorum simplicium Societatis). *Sommervogel* (V 105) scribit, hanc versionem fortasse a P. Ferdinando Alber S. J. factam esse (l. c. et I 119); id quod iam dici non posse patet ex Baderi verbis supra positis.

1339. **M. Iunio 1583.**

Ex apographo eiusdem temporis (vel commentario) a *Guilielmo Techtermann* archigrammateo scripto, quod est Friburgi Helvetiorum in archivo reipublicae, Cod. „Missiuen 30" f. 48ᵃ. Litteras ex exemplo, quod aut archetypum aut ex hoc a Renwardo Cysat, cancellario lucernensi († 1614), exscriptum esse videtur, edidit *Theod. v. Liebenau* in „Katholische Schweizerblätter" 8. Jahrg., Luzern 1892, 193.

Canisius urbi Willisau remittit miraculi de sacrosancto sanguine ibi facti historias sibi commodatas.

Friburgo Helvetiorum 22. Iunii 1583 praetor reliquique senatores praetori senatuique civitatis villisoviensis (Willisau, nunc oppidulum cantonis lucernensis) has litteras miserunt:

„Den fürnemen eersamen wysen, Schultheissen vnnd Rath der Statt Willisouw, vnnsern gueten Fründen vnnd gethrüwen lieben Eidgnossen.

Vnnsern fründtlichen gruss mit erbiettung aller eeren liebs vnnd gutes zuvor fürnem, eersam wijss, Jnsunders gutt frünnd, gethrüw lieb

[1] P. Theobaldum Stotz (de quo v. *Can.* VI 247[1]) m. Ianuario 1583 in collegio oenipontano versatum esse cognoscitur ex *Aquavivae* *litteris 16. Ianuarii 1583 ad eum missis (G. Sup. 1 f. 91ᵃ). [2] Oliverio Manareo.

[3] Germanica haec versio imprimis destinata erat Societatis fratribus laicis, qui latine non noverant.

Eidgnossen. Alls wir ūwer schrijben vmb behandigung etlicher geschribnen Historien So vnsern geistlichen zugeschickt worden, empfangen, haben wir nit gemanglet den Eerwürdigen, hochgeleerten herren Doctor Canisium darumb anzelangen, welcher vnns angendts beide hiebij verwarte tractat ūberantwurtten lassen. Die thund wir ūch bij Zeigern ūberschicken, mit pitt Jr wöllind alles bester Eidgnossischer meinung vffnemmen, ūch hiemit göttlicher beschirmung trüwlich beuelhende. Datum 22 Junij .1583. [Schultheis vnd Rath der Statt Fryburg][a].

Quaenam „historiae“ manu scriptae Canisio a Villisoviensibus commodatae sint, cognoscitur ex his verbis a *Cysato* exemplo, quod supra dixi, ascriptis: „Fryburg, Schickend ettliche tractat 27. Junij Anno 1583 denen von Willisow · trift an die History deß heiligen Bluts zu Willisow“. Quae historia, ut primitus concepta est, sic se habet: Villisoviae exeunte saeculo XIV. solito ludorum loco duo aleatores tertio pecuniam omnem abstulerunt. Ille furore incensus gladium proiecit significans se, quantum in se esset, corpus Christi confodere velle. Statim eum daemon secum abduxit. E caelo guttae sanguinis in lusorum mensam delapsae sunt, quas duo illi frustra conabantur abstergere. Eorum alter brevi abreptus est morte; alter a pediculis corrosus est. Guttae illae e mensa exsectae et in ecclesiam delatae sunt. Loco autem, quo haec acciderant, sacellum exstructum est. Censet igitur *Liebenau* (l. c. 183—193), Canisio missam esse sacelli huius historiam, a Ioanne Iacobo a Heidegg, qui a. 1564 mortuus erat parochus villosoviensis, compositam et relationem quandam latinam, quae a. 1596 libro anniversariorum sacelli illius, etiamnunc exstanti, adiuncta est. Anno 1586 Socii collegii lucernensis in urbe illa, tunc florente, magnam „missionem“ habuerunt (*Theod. v. Liebenau,* Geschichte der Stadt Willisau, in „Der Geschichtsfreund“ 58. Bd., Stans 1903, 120).

1340. 29. Iunii 1583.

Ex commentario autographo. Can. 37 f. 137a.

Canisius e sacro suggestu senatum friburgensem monet, ne quemquam in civitatem recipiat, qui vere catholicum se praebere nolit.

Canisius in oratione sacra, quam Friburgi Helvetiorum a. 1583 die SS. Petri et Pauli Apostolorum sive 29. Iunii habebat, Friburgenses et maxime senatum reipublicae sic monuit: „Laudandi nostri maiores hoc statutum facientes, ne quisquam externus in ciuem admitteretur, et ciuica libertate gauderet, nisi primum in fide probatus, et nisi promitteret primum se uere Catholicum in sacramentis, in cultu diuino, in obedientia erga vtrumque magistratum [futurum esse][b]. Quod si hoc[c] statutum bene seruaretur, non tam multi reperirentur, qui tempore paschali et hactenus abstinent a sacramentis, et differunt ac expectant, quamdiu possunt, se conformare probis et obedientibus Christianis. Relinquo autem sapientibus Dominis cogitandum an hoc sit[d] conformare se exemplo Christi, bonum et utile ciuitati[e] 2[f] multi nisi coacti non ueniunt ad cenam[1], 3 quid mali ex tali libertate sequatur[g], praesertim si uolumus dici et esse Catholici. 4 an mundus non indies fiat deterior, nisi cogatur ad unitatem et obedientiam obseruandam hoc tempore, quo nouae sectae tam potenter irrepserunt. Sum autem bonae spei, quod Senatus de re tanta[h] serio cogitabit, seque antiquae ciuitatis ordinationi[i] imo et Apostolico mandato Rom. 16[2] conformabit.

a) *Haec suppleta sunt ex „Schweizerblätter“.* b) *Haec vel similia supplenda esse res ipsa ostendit.* c) *Sequitur* iurame, *oblitt.* d) *Tria vv. sqq. in margine addita sunt.* e) *Quae sequuntur, usque ad* cenam *incl., in margine addita sunt.* f) *Sequitur* an, *oblitt.* g) *Sequitur* 3 in, *oblitt.* h) *Sequitur* curam, *oblitt.* i) *Sequitur* conformabit, *oblitt.*

[1] Cf. Lc 14, 23.

[2] „Rogo autem vos fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula praeter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt: et declinate ab illis“: Rom 16, 17.

1341. **29. et 30. Iunii et 2. Iulii 1583.**

Ex commentariis Canisii manu scriptis. Can. 37 f. 139b–148a.

Canisius Friburgi indulgentiam plenariam a Gregorio XIII. propositam promulgat. Indulgentiarum antiquitatem ostendit et, cur homines eas adeo contemnant, explicat.

Canisius Friburgi Helvetiorum in templo S. Nicolai anno 1583 die sacro SS. Petri et Pauli Apostolorum sive 29. Iunii haec, praeter alia, e sacro suggestu fideles monuit: „Nullus facile credat, quam leuiter, honigsch vnd spottlich nouus mundus loquatur et scribat de nostra ueteri Catholica fide, de nostris sacramentis, de cultu diuino in templis usitato. Hic pati et coram populo exibilari debent papistae, ut hypocritae, Pharisaei, superstitiosi, pfaffenknecht et Götzendiener. Sed nullibi magis contra nos insurgunt et clamant, quam cum agitur de Jndulgentijs, mirantur nos credere de Papa et Episcopis quod possint illas dispensare, et de Catholicis tenentibus illas sibi utiles et salutares esse, cum illas excipiunt eisque utuntur. Putant merum esse abusum et fraudem[a], circa Jndulgentias, Papam uendere illas et tantum suum lucrum quaerere, inutilem cultum esse, nec fundatum in uerbo Dei. Summa hic primus et praecipuus l a p i s o f f e n s i o n i s[1], in quem omnes Neo-Christiani hodie impingunt[b], nil magis in Catholicis odientes ac infamantes quam Jndulgentias. Nec pauci Catholici reperiuntur, quos puderet fateri suam fidem de Jndulgentijs quia persuasi sunt, parum aut nihil referre siue credant, siue non, et sic haerent, et cum fastidio audiunt de illis praedicari. Tanto magis expedit, imo necesse est de Jndulgentijs nunc tractare, praesertim cum cras publicandum sit indultum siue diploma de Jndulgentijs nouis Romae a summo Ecclesiae praesidente[c] editis[2], et per totum orbem promulgandis et acceptandis ab omnibus fidelibus, sicut cras denuntiabo." [d] [3] Deinde Canisius, quid sit indulgentia, explicat. Postea: „Ex Pauli epistolis", inquit, „probari potest, indulgentias tam antiquas[e] esse, ut etiam Apostolorum tempore usus illarum fuerit." Deinde ex 1 Cor. 5, 1—5 et 2 Cor. 5—11 ostendit, Paulum Corinthio illi indulgentiam tribuisse, et haec addit: „Confirmatur ex antiquis Conciljs Ancyrano, Niceno et Cartha. 4. in quibus conceditur Episcopis, clementius agere cum penitentibus, ut pena debita[f] iuxta Canones penitentiales criminibus grauibus illis ex gratia relaxetur[4]. Est ergo Indulgentia non solum bene Catholisch, sed et Apostolica, . . . in Ecclesia semper agnita et recepta."

a) *Sequitur* simplicium, *oblitt.* b) *Sequitur* sunt, *oblitt.* c) *Sequitur* dispen, *oblitt.* d) *Vide infra, adnot. 3.* e) *C. primum scripserat:* Jndulgentiam dare tam antiquum; *deinde ex* Jndulgentiam *et* antiquum *correxit* Jndulgentias *et* antiquas; *quare r.* dare *oblitterare debuit.* f) *Quinque vv. sqq. a C. in margine addita sunt.*

---

[1] Is 8, 14; Rom 9, 32 33; 1 Petr 2, 8.

[2] Litterae huius indulgentiae plenariae, „iubilaei" instar concessae, neque in Bullario luxemburgensi, neque in recenti illo taurinensi exstant.

[3] *Canisius* hic in margine ascripsit: „Amarus est cibus delicatis. Ergone tacenda ueritas, et relinquendi homines in tenebris, et dissimulanda doctrina Ecclesiae."

[4] Cf. *Fr. Beringer* S. J. et *Jos. Hilgers* S. J., Die Ablässe, ihr Wesen und Gebrauch I[14], Paderborn 1915, 40–41 48–49.

Deinde proximo die, qui erat dies 30. Iunii et Dominica VI. post Pentecosten, evangelio diei breviter explicato: „Cogit me tempus", inquit, „hoc Euangelium nonnihil seponere, et sicut mihi commissum est, Jndulgentiam nouam et plenam[a] obedientibus[b] nuntiare. . . . Vt autem hoc scriptum[c] eiusque substantz vnd Jnhalt rectius ab omnibus intelligatur et acceptetur, dicam primo caussam vrsach solcher Brieff. 2 quae media sunt in eo[d] Jndulto praescripta et requisita ad consequendam Jndulgentiam. 3 quem[e] fructum Jndulgentia haec nobis adferat, si obedienter utamur medijs requisitis." In secunda igitur huius orationis parte Canisius, quae „media requisita" sint, explicat. Exigitur, inquit, „ieiunium 3 dierum . . . et quidem durantibus 14 diebus proximis, et certis diebus, feria 4. 6 et sabbato. Fasten autem significat[f] non solum ab esu carnium abstinere, sed etiam semel in die edere licet vesperi bibere prohibitum non sit . . . 2 medium ut qui possunt pauperum misereantur 3 confiteri[g] sacerdoti post diligens examen conscientiae peccata cum uera contritione cordis. . . . 4[h] Visitare tres processiones[i] orationes communes Creutzgeng oder Walfarten tribus diebus celebrandas . . . . Vbi quisque pro sua deuotione Deum rogare debebit specialiter pro[k] unitate[l], conseruatione et defensione fidei et concordia inter principes, maxime quando ad easdem identidem cantabitur Litania[1] publice. Qui legere possunt, 7 psalmos[2] et Litaniam recte legent priuatim, aut si legere nesciant, poterunt recitare septies[m] Pater noster in honorem septem effusionum sanguinis, et adhuc quinque in laudem vulnerum domini."

In oratione deinde 2. Iulii 1583, qui dies „Visitationi Beatae Mariae Virginis" sacer est, habita *Canisius* auditoribus ostendit, quae esset „summa dictorum de Jndulgentijs". Postea copiosius enarravit: „Ex quibus causis Jndulgentiae apud multos hodie parui pendantur, imo et spernantur." „Primam causam" sic describit: „Satan[n] qui libenter s e m i n a t z i z a n i a i n t e r t r i t i c u m[3], multos impulit ad abusum Indulgent. Spirituales ante 50 annos inuenti, qui etiam contra voluntatem Ponti · contra statuta Ecclesiae uendiderunt Jndulg., lucrum suum magis quam animarum commodum quaesierunt, indiscrete praedicarunt, uelut solum per illas homines a peccatis liberari, et suorum animas ex purgatorio eruere possent[4]. Accesserunt typographi, et audacter addiderunt libellis tot milia annorum, plenam Indulgentiam, securitatem

a) *Sequuntur vv.* Romae editam, *oblitt.* b) *Hoc v. in margine additum est.* c) *Quattuor vv. sqq. in margine addita sunt.* d) *Sequitur* scripto prae, *oblitt.* e) *Sic C. corr. ex* cum quo. f) *Octo vv. sqq. in margine scripta sunt.* g) *Quinque vv. sqq. supra versum scriptn sunt.* h) *Sequuntur vv.* Dominica proxime sequenti, *oblitt.* i) *Duo vv. sqq. in margine addita sunt.* k) *Sequuntur vv.* pace et concord, *oblitt.* l) *Tria vv. sqq. in margine addita sunt.* m) *Sic C. corr. ex* decies recitaer. n) *Sex vv. sqq. supra versum scripta sunt.*

[1] Litaniae Omnium Sanctorum.

[2] Notissimos illos „psalmos poenitentiales" significat. [3] Mt 13, 25.

[4] Ita aliquos ex iis egisse dixeris, qui indulgentias in Germania promulgarunt a Leone X. iis, qui in aedificationem ecclesiae romanae S. Petri aliquid collaturi essent, propositas. Ceterum v. *Janssen* l. c. II[19 20] 101 104.

sine morte subitanea moriendi, sine purgatorio statim[a] celos petendi[1]. 3 Jtum est pro Jndulgentijs ad templa die dedicationis. Sub hoc pretextu currunt ad hospitia, seruiunt Deo uentri et Baccho, et se mutuo inebriant, omnesque leuitates exercent. Alij quando debebant uisitare templa remotiora, coeperunt negotiari, et nunc obliti Indulgentiarum ueterum, notant tantum tempora emendi uendendi et studendi auaritiae. Sic manent adhuc nomina locorum, der gefreyten Messen vnd Jarmarckt als zu Bern, Zurzach, Frankfort, Zu S. Gallen, Zurich." Secundam causam huius contemptus indulgentiarum hanc esse dicit, „quod communis populus a nouis sectis persuasus est, ad remissionem peccatorum sufficere, si credant in Christum"; tertiam „odium et inuidiam contra praelatos et inprimis contra potestatem Pontificis"; quartam, quod „plerique ita intueantur Dei misericordiam, vt iustitiam eius penitus fere obliuiscantur"; quintam esse „falsam opinionem, Deum simul remittere in confessione et alibi culpam et poenam, et sacerdotes absoluentes in hoc aequales esse."

1342. 6. Iulii 1583.

Ex autographo. Germ. 161 f. 156a—158b.

Socii friburgenses ministeria Societatis diligenter et cum fructu obeunt et eiusdem institutum sequuntur. Canisius vicerectori nonnihil incommodus. Eius virtus, auctoritas, infirmitas.

P. *Georgius Bader* S. J., praepositus provinciae Germaniae superioris, Augusta Vindelicorum 6. Iulii 1583 Claudio Aquavivae praeposito generali scripsit: „Ultimas . . . 8. Junij dedi Lucernae, absoluta Friburgensis collegij visitatione . . . Venio nunc ad collegium Friburgense in quo plura inueni quae mihi in domino magna dederunt solatia. Laborant nostrj fructuose domi et foris, et Societatis ministeria strenue exercent · in scholis docent, doctrinam christianam Germanice et Gallice, tribus in locis intra moenia explicant · conciones ad populum intra ciuitatem et extra eam ad rusticos habent frequentes : Poenitentiae et Eucharistiae sacramenta diligenter administrant, rarius quidem in domestico sacello quod exiguum est, templum uero nullum adhuc, frequentius uero, in templo B. Virginis et S. Nicolaj · ad aegrotos etiam non raro uocantur. Denique hanc nostrorum diligentem operam, mirum in modum commendant boni omnes, praesertim Senatores et patroni. Domi etsi rei domesticae magna sit angustia, et habitatio adhuc minus accommodata, et personae paucae, magna tamen omnium pace et quiete Societatis regulae et caetera nostri institutj seruantur. Redituum colligendorum consueta difficultas." P. Antonius Kaut „minister et consultor" utroque officio levatus est et alibi in scholis occupabitur. P. Antonius Balduinus, „concionator seu catechista, consultor, admonitor, confessarius domesticorum et externorum, ac denique procurator", quia officia illa haud

a) *Sequitur* ad, *oblitt.*

[1] Cf. *Can.* IV 994 et *N. Paulus* in „Historisch-politische Blätter" CLV 323—324.

bene administravit, primo quoque tempore Lucernam amandabitur. „Priori substitui P. Petrum Louaniensem, posteriori P. Robertum[1], quorum vtrumque Vicerector et alij summis uotis expetierunt. . . . P. Canisius etsi propter aetatem, et propter ingenium, non parum molestiae afferat Superiori potissimum quod gubernationi nimis se misceat, ob eamque se torqueat, et sua uideatur plus cum externis quam cum nostris communicare; ferri tamen potest, cum propter multas eius uirtutes, tum propter auctoritatem qua est apud omnes, adeo ut sine graui offensione mutari non posset · deficit tamen notabiliter ita ut non diu uicturus uideatur. . . . P. Jo. Houletus Anglus: Graece et Latine bene doctus, nouit etiam linguam Gallicam mediocriter · qui, ut et alibi, non modicam superiori et alijs praestat molestiam, cum parua aedificatione." Ad congregationem provincialem brevi habendam[2] professi „uix putantur omnes posse uenire, praesertim P. Canisius, qui uiribus notabiliter destituitur, estque admodum debilis." — —

1343. **Circa m. Octobrem 1583.**

Romae iussu Gregorii XIII. in lucem prodit Canisii „Summa doctrinae christianae" illyrice (slovenice) reddita.

Ptolemaeus Gallius, cardinalis Comensis et Gregorii XIII. secretarius maior, P. Antonio Possevino S. J., qui in Polonia, Lithuania, terris finitimis operam dabat schismaticis ad ecclesiam catholicam reducendis, *scripsit Roma 16. Iulii 1583: „I caratteri di piombo de la lettera Moscovitica overo Serviana sono in opera per stampar il Cathechismo del Padre Canisio, come anco fu parere di V. Reuerentia, et l'opera sta gia a buon termine." Et *Roma 10. Septembris 1583: „Come saranno finiti di stamparsi li catechismi del Canisio in lingua Serviana, il che si promette per il fine di questo o principio del' altro, se ne mandarà alcuna quantita a la Reuerentia Vestra; li caratteri di detta stampa qui sono stati approvati da huomini intelligenti per molto buoni et sommamente a proposito di queste stampe, come si vede dali libri antichi con quali si sono conferiti". Et *Roma 10. Decembris 1583: „Il Visconti ha havuto una quantità di Cathechismi per mandar a V. Reuerentia" (ex apographis circa a. 1888 Roma exscriptis ex commentariis vel eiusdem temporis apographis, quae sunt in archivo vaticano, Germ. XIII. p. 72 92 103).

Exstant autem „Summae doctrinae christianae" Canisii slovenice vel illyrice redditae et typis cyrillicis[3], quos vocant, exscriptae editiones duae, annum 1583 prae se ferentes. Horum titulos pono, ut a docto quodam viro litteris latinis transcripti sunt:

1. „Summa | Nauka christianskoga | slošena častnim nauči- | teljem Bogoslovcem Petrom Ka- | nisiem, toumačena iz la- | tinskoga jazika | u slovinski, ò

[1] *Robertus Ardrenus* Friburgo 9. Septembris 1583 Claudio Aquavivae *scripsit: „Placuit S. obedientiae Lucerna vbi iam annum et vltra degebam Friburgum me reuocare, et procuratoris mihi onus imponere cum alijs officijs nonnullis inter quae etiam consultoris munus numeratur" (ex autogr.: Germ. 161 f. 216[a]).

[2] Haec m. Iulio a. 1584 Augustae habitae est; v. infra, monum. 1360.

[3] *Carolus Estreicher* cum Paulo Ioseph Szafarzyk tria genera antiquorum typorum slavicorum distinguit: 1) typos glagolicos, 2) typos cyrillicos illos, qui „Bukwica" vocabantur et a Slavis ritus latini adhibebantur, 3) typos, qui magis proprie cyrillici vocabantur et Slavorum ritus graeci erant. Hi, ait, in Servia et in Bulgaria usurpabantur, et iisdem typographi aliqui utebantur Venetiis et Cracoviae: Polnische Bibliographie des XV.—XVII. Jahrhunderts, Krakau 1883, x. Cf. etiam „Bibliografia Polska. 140.000 druków. Część II. T. I. Przez *K. Estreichera*", Kraków 1882, xxi.

outiščena po za- | povědi pressvetoga | Otca Pape | Gregoria Trinadestoga | ou Rimou pri Dominiku Basi. | Lěto gospodnje | ‚αφπγ'" (i. e. Summa doctrinae christianae, proposita per honoratum doctorem theologiae Petrum Canisium, translata ex latina lingua in slavonicam [slovenicam] et edita iussu sanctissimi patris Gregorii decimi tertii papae Romae apud Dominicum Basi anno Domini 1583). Praeterea in titulo duae cernuntur imagunculae ligno incisae: Superior duos angelos et ornamenta quaedam, inferior draconem alatum, quod est „insigne" Gregorii XIII., exhibet. Folii titularis pagina altera imagine cupro incisa est ornata: Christus medius inter duos latrones e cruce pendet; sub crucibus cernuntur Mater Christi, Ioannes Evangelista, mulieres piae, centurio, milites, pharisaeus quidam. 4° min.; ff. 108, addito titulari; in iis multae litterae initiales, quas vocamus, comparent ligno incisae atque alia eiusdem generis ornamenta.

2. „Summa | Nauka christianskoga | castnago naučitelja | Bogoslova Petra Kanisie | toumačena | iz latinskoga jaznika u | slovinski. | Outiščena lěto gospodnje | ‚αφπγ'". Pro graecis hisce litteris sive numeris in libro ipso litterae cyrillicae positae sunt. Duabus imagunculis ligno incisis titulus ornatus est; harum una est imago superior tituli editionis supra (n. 1) positae; in altera cernitur B. Mariae V. imago antiquissima, quae cum nomine „Madonna di San Luca" Romae in templo S. Mariae maioris asservatur. In folii titularis pagina altera eadem exstat imago cupro incisa, atque in pagina altera folii titularis editionis superioris; typi quoque huius editionis iidem sunt atque editionis superioris; idem de litteris „initialibus" reliquisque ornamentis dici potest; eadem quoque est libri latitudo; altitudo vero longe maior quam editionis prioris. Typi cyrillici magni sunt atque pulchri; 4°; ff. 196, addito titulari. In exempli, quo usus sum, folio quodam titulo praeposito haec 13. Martii 1768 notata sunt: „Hic liber idiomate Illyrico vulgari exaratur, prout testatur R. Sig. Can. Vincentius Radinchoviche Lettore nella lingua Illirica in Collegio di Propaganda Fide, qui et titulum, tam illum qui in fronte operis, quam alterum, qui in principio textus legitur, cum ejusdem verbis initialibus hoc modo latine descripsit: Prima pagina. Summa Doctrinae Christianae honorati Doctoris Theologi Petri Canisii traducta ex Latina lingua in Slavonicam. Impressa anno Domini 1583. 2ª pag. ª [*rectius:* fol. 1, pag. 1] Summa hoc est collectio vel congestus Doctrinae christianae composita per Reverendum Patrem Petrum Canisium Theologum Societatis Iesu. Quam ex Italica vel Latina lingua in Slavonicam linguam traduxit Presbyter Simon Budineo Iadrensis. Quis sit proprio et vero modo Christianus? Ille est vero et proprio modo Christianus qui . . . . Subjunxit idem D. Radinchoviche: Non si trova dove impresso, mà li caratteri indicano essere della Tipografia di Propaganda, et sane ita rem se habere liquet ex Catalogo librorum, qui e Typographia S. Cong. de propaganda fide variis linguis hactenus prodierunt. impresso 1761, ubi inter Illyricos legitur Canisii Summa doctrinae caracthere Cyrilliano · 1583. in 4°". Notandum vero est, Congregationis de Propaganda Fide a. 1622 per Gregorium XV. institutae typographiam „polyglottam" conditam non esse ante a. 1626. Quare equidem sic conicio: Typi illi cyrillici, qui a. 1583 apud Dominicum Basi (Basa) erant, postea typographiae Propagandae traditi sunt; quae sub alio pontifice versionis huius alteram editionem fecit. Sic etiam intellegitur, cur in altero hoc titulo et Gregorii XIII. et Dominici Basi nomina omissa, et pro insigni Gregorii XIII. imaguncula B. Mariae posita sit. Numerus autem 1583 in altero hoc titulo positus annum editionis prioris indicat. Quod ad Simonem Budineo Iadrensem (Iadera = Zara, urbs Dalmatiae anterioris) attinet, in exemplo meo manu, quae superiora illa scripsit, notatum est: In duobus illis typographiae Congregationis de Propaganda Fide catalogis, quos Zacharias Dominicus Acsamitek et Ioannes Dominicus Venisius (Venesius?) typis exscribendos curaverint, inter libros ex eadem typographia in lucem emissos cerni „Directorium Sacerdotum ex Latino magistri Polanci Theologi a Simone Budineo Ladrinensi *[sic]* paraphrastice in Illyricum idioma conversum, charactere Hieronymiano · 1635. 8°". Atque *Sommervogel* (II 333—334) praeter catechismi canisiani versionem haec ponit „Simeonis Budinic" iaderensis opera: „Pokorni i-ini psalmi

Davidici. Rim. 1582. Trst, 1581." (Poenitentiales aliique psalmi Davidici. Romae: — Tergesti). „Izpraonik ja jerci, izprovidnici i pokorne iz latinskog na slovinski. Rim. 1582." (Doctrina moralis episcoporum, confessariorum poenitentiumque usui inserviens. e latino in slavicum): quod opus idem esse videtur, atque illud, quod Romae 1635 editum est. Facile igitur credi potest, versionem hanc a Budineo factam esse. Eum Societatis Iesu fuisse significat *Sommervogel* (l. c.). Id quod mihi quidem sat dubium est.

Cuinam hi catechismi proxime destinati fuerint, colligi potest ex *Litteris annuis* provinciae romanae S. J. ad a. 1581 pertinentibus. In quibus haec narrantur: „Illyricum Epiri regio est. . . . quae nunc a Turcis oppressa, vna cum libertate nomen ac fidem Christianam fere perdidit: visuntur tamen adhuc maritima quaedam oppida, in quibus pristinae pietatis vestigia apparent. Hae igitur Christianorum reliquiae ne perirent (quod breui ob Sacerdotum Doctorumque inopiam timendum fuit) et vt ceteri ad antiquam religionem reducerentur, fecit sapienter Gregorius XIII., vt Laureti, ipsius Lauretanae domus sumptibus, contubernium institueret Illyricorum adolescentium, qui ad vnam eorum populorum conuersionem erudirentur · eorumque curam Nostris tradidit. Hi . . . vbi linguae Latinae praeceptis, Catechismo, casibusque conscientiae instructi sunt, . . . in suas terras dimittuntur": *Annuae* Litterae Societatis Iesu anni MDLXXXI., Romae 1583, 28.

Utramque editionem vidi olim Vindobonae in bibliotheca rossiana. Editio prior exstat etiam Parmae in bibliotheca palatina; posterior est Petropoli (Petersburg, Petrograd) in bibliotheca academiae sientiarum; utraque vel alterutra asservatur Romae in bibliotheca vaticana. Breviter commemorat editionem utramque *De Backer* I 1059; III 2054; priorem *Sommervogel* II 334 634.

In *Catalogo* librorum typis exscriptorum, qui sunt bibliothecae regiae Academiae Upsaliensis, Upsaliae a. 1814 edito, affirmatur, exstare ibi Canisii Summam doctrinae christianae polonice redditam et Romae a. 1583 excusam. Item *I. G. Th. Graesse* haec habet: „Catechismus P. Canisii in linguam polon. versus · Romae 1583 · in 4°": Trésor de livres rares. T. 2., Dresde 1861, 36. Verum equidem suspicor, utroque loco erratum esse, et pro versione polonica ponendam fuisse versionem slavicam, quam modo dixi. In *Estreicheri* certe bibliographiis polonicis, quas supra p. 612[3] dixi, eiusmodi versionem polonicam non inveni memoratam, nec facile intellegitur, cur eiusmodi liber Romae typis exscriptus sit; facile enim in ipsa Polonia edi poterat, sicut minoris Catechismi canisiani versio polonica a. 1570 Cracoviae edita erat (*Can.* VI 695).

1344. 8. Novembris 1583.

Ex commentario autographo. Can. 37 f. 191[b]—192[b]. Maiorem huius exhortationis partem ex eodem autographo, multis tamen verbis immutatis, exscripsit et cum partibus alius cuiusdam orationis de eodem argumento habitae (ut videtur) in unum corpus collegit *Schlosser* 246—252. Particulam germanice posui in „Petrus Canisius" 291.

Canisius Friburgi ad Socios de cultu Sanctorum dicit. Martyrologium. BB. Ignatius de Acevedo et Edmundus Campion. „Abusus" de „Sanctis menstruis" et litaniis occurrentes.

Canisius 8. Novembris 1583 Friburgi Helvetiorum in collegio Societatis ex eiusdem instituto et consuetudine (cf. *Can.* VI 62[1] 533 584) „exhortationem" habuit „ad fratres" sive sodales eiusdem collegii; cuius partem hic pono.

„Nullus mihi uitio uertet, spero, quod in praesenti exhortatione proponam de Sanctis aliquid dicere. Horum enim festum anteactis diebus celebrauimus, et hodie octaua festi agitur. 2° quotidie cantatur, et nobis etiam legitur de Sanctis ex Martyrologio[a] [1].

a) *Quattuor vv. sqq. a C. in margine addita sunt.*

[1] „Vesperi absoluta lectione, seu praedicatione legatur martyrologium vulgare sequentis diei, quo uero die fit abstinentia, caput unum ex libro de imitatione Christi.

Singulis mensibus eligimus Sanctos[1]. . . . Dicam primum de causis nos in Societate Jesu excitantibus ad specialem sanctorum cultum deuotius et saepius exercitandum 2º respondebo ad quaestiones aliquas circa Sanctos incidentes". Causas autem illas Canisius dicit esse: 1. „Confessionem fidei contra haereticos"; 2. „ut suppleamus, quod ipsi Sanctis derogant ex ignorantia et malitia, imo ex suggestione malorum spirituum. . . . Quanto minus homines curant Sanctos[a], tanto longius a Christi regno et omni sanctitate absunt et[b] sunt intimiores regno satanae 3 Excitare nos debent exempla Patrum et fratrum Societatis[c], qui erga Sanctos maxime afficiuntur 2 qui cum ueteribus sanctis usque ad mortem pugnant[2] pro Catholica fide, et propter iustitiam apud gentiles et haereticos persecutionem patiuntur[3], imo et repromissiones adepti sunt[4]. Talis beatus Jgnatius cum 40 et b. Emundus cum socijs in mari et terra passi a Caluinianis[5], et qui proculdubio nos et societatem nostram potenter contra hostes et pericula muniant et defendunt. Nec dubitandum, quin multos sanctos[d] e primis Patribus et socijs habeamus in coelis, et quin quotannis augeatur sanctorum numerus, imo quin semper aliqui sancti nobis nuntientur, quando adfertur schedula de multis mortuis obedientiae filijs[6], licet qui et quando in celum euolent, ignoremus. . . . 4 Hoc institutum requirit assidua certamina cum demonijs, filijs seculi[7], carnis desiderijs et operibus[8] . . . Tanto magis egemus fauore et auxilio Patronorum qui apud Deum orent. . . . Egemus[e] sanctorum exemplis in obseruandis uotis 2 in ueteri homine mortificando 3. zeló animarum 4 in cruce ferenda . . . . Abusus est quod Sanctos accipientes, uel festa eorum celebrantes, tam parum consideremus praecipuas illorum uirtutes, nobis in hac vocatione necessarias, non notamus sententiam scriptam[9]. Abusus quod pulchras amamus imagines, sicut laici, et interiorem pulchritudinem sanctorum et nostram negligimus. 3 Abusus quod quotidie Litaniam recitamus, et[f] non magis applicamus animum ad praesentes Ecclesiae necessitates et intentionem superiorum, et obiter

a) *Quae sequuntur, usque ad* satanae *incl., in margine addita sunt.* b) *Sequuntur vv.* regno Christi, *oblitterata.* c) *Quae sequuntur, usque ad* 2 qui *incl., in margine addita sunt.* d) *Sequitur* quota, *oblitt.* e) *Hoc v. et quae sequuntur, usque ad* ferenda *incl., in margine addita sunt.* f) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

---

cum martyrologio, cum uero ieiunatur, nil legatur vesperi, sed martyrologium legatur ad prandium": Regulae Praefecti lectorum ad mensam, reg. 9 (*Regulae* Societatis Iesu, Romae 1580, 194). Cf. etiam *Can.* V 548.

[1] Singuli Socii (ex more per S. Franciscum Borgiam inducto) unoquoque mense ex Sanctis, quorum eo mense memoria agitur, unum aliquem eligunt singulariter colendum et invocandum: cf. *Can.* IV 806; VI 586.

[2] Eccli 4, 33; cf. 2 Mach 13, 14; Apc 12, 11.

[3] Mt 5, 10. [4] Hebr 6, 15; 11, 33.

[5] P. Ignatius de Acevedo a. 1570 una cum 39 aliis Societatis hominibus in mari apud insulas canarias a Calvinianis in odium fidei catholicae necatus est. PP. Edmundus Campion et Alexander Briant Kalendis Decembribus a. 1581 Londini propter fidei catholicae propagationem et primatus pontificii assertionem iussu Elisabethae reginae crudelissime occisi sunt. Hos in simili morte perferenda aliquot annis antecesserant PP. Thomas Woodhouse et Ioannes Nelson, et a. 1582 secutus est P. Thomas Cottam. Hi omnes brevi post mortem ut beati martyres Christi coli coepti sunt. Quem cultum Ignatio eiusque sociis Pius IX., Edmundo eiusque sociis Leo XIII. confirmarunt.

[6] 1 Petr 1, 14. [7] Lc 16, 8; 20, 34.

[8] Gal 5, 16 19; Eph 2, 3; 2 Petr 2, 18.

[9] In chartis vel schedulis, in quibus „Sanctorum menstruorum" illorum (cf. supra, adnot. 1) nomina et nonnumquam etiam imagines ponebantur, sententiae ex Sacra Scriptura vel Sanctorum scriptis depromptae scribebantur et, pro quibus orandum esset, significabatur. Cf. „*Monumenta paedagogica* Societatis Iesu quae primam Rationem studiorum praecessere", Matriti 1901, 776; *Duhr,* Jes. I[1] 98 99.

facimus uix respondentes aliquando[1]. 4 Abusus non magis fidenter agere cum talibus amicis, non reuerentius cum talibus principibus, non diligentius cum Patronis necessarijs, sine quibus Deus indignos saepe non acceptat et exaudit. 5 Abusus quod nostra uota non commendamus et offerimus Deo per tales patronos[a] et procuratores offerenda et confirmanda.

Annus huic exhortationi ascriptus non est. Sed eam a. 1583 habitam esse cognoscitur ex loco modoque, quibus in codice scripta est. Accedit, quod ex ipsa intellegitur, eam „octaua festi Sanctorum" sive 8. Novembris habitam esse. Haec autem a. 1583 dies Veneris erat, et exhortationes illae diebus Veneris haberi solebant: v. *Can.* VI 584.

1345. 6. Decembris 1583.

Ex commentario autographo. Can. 37 f. 207.

Canisius Friburgi e suggestu sacro errata et vitia clericorum, magistratuum, populi reprehendit. Mercium pretia immodice augeri queritur.

Canisius Friburgi in templo S. Nicolai die 6. Decembris 1583, quo sollemnia S. Nicolai patroni praecipui urbis et reipublicae friburgensis fiebant, haec, praeter alia, Friburgenses monuit: „Quod praecipue S. Nicolaus a nobis exigit, et in quo maxime coli vult, negligimus et dissimulamus, nempe ut non solum illum pro sancto Patrono habeamus, sed etiam eius uitam et mores imitemur. . . . Praecipue contristamus et offendimus Patronum in Ecclesiastico statu . . . otio magis quam studio uacantes, pecuniam, non animas piscantes[2] 2 in statu magistratuum quod parum soliciti sumus et misericordes super turbam[3], non utimur gladio nobis commisso ad timorem malorum[4], impune ferentes adulteros blasphemos usurarios finantzer et alios Remp. grauantes . . . augetur fastus et luxus in nuptijs, hospitijs, uestibus et ornamentis. Sinimus uendi panem, carnem, ceram, candelas, pannum, ut cuique libet. Vnde fit vt pro uno uase vini uehendo opus sit dare 17 pfund 2º pro vn pfundt kerzen 5 grosch et amplius · 3 pro pari calceorum dimidium koro[5]. 4 pro studiosi mensa 30 uel 40 kor. Quando creuit magis precium, quando tanta libertas der furkauffer, quando usurarij tantum sibi permiserunt? Digni autem sunt morte non solum qui faciunt, sed et consentientes[6], non prohibentes, conniuentes et publicam utilitatem impedientes. 3 in communi burgerschafft . . . contendunt inter se sicut canes et felles. 2 nil unus ab alio ferre potest, statim in arma prosiliunt . . . 3 in labore infideles, pigri, tardi. 4 dediti

a) *Duo vv. sqq. in margine addita sunt.*

[1] Cum ecclesia vel regnum aliquod vel Societas calamitate aliqua vel periculo premebantur, Societatis praepositi ad tempus aliquod constituere solebant, ut Socii omnes cotidie litanias omnium Sanctorum una recitarent, uno praeeunte, caeteris respondentibus: cf. *Can.* IV 554 932; V 279 280 371; VI 51 214. Quae recitatio in Societate postea facta est perennis.

[2] Cf. Ier 16, 16; Mt 4, 19; Mc 1, 17. [3] Mc 8, 2; cf. Mt 15, 32.

[4] Cf. Rom 13, 3 4.

[5] P. *Sigismundus Ilsung* S. J., qui diu collegii friburgensis procurator erat, a. 1595 notavit: „Viginti solidi libram, Quinque librae Coronatum Monetarium constituunt." Cf. infra, monum. 1581. [6] Rom 1, 32.

prorsus gulae et crapulae . . . 5 educant proles so zart vnd schleckerhafftig, loquuntur coram illis impudica. 6 non tenent pro peccato usuram[a] id est plus einnemen dan man aussgelihen hat, detractiones. . . . 4 Ve diuitibus auaris et inmisericordibus, qui neque sponte, neque rogati curant pauperes."

Ceterum Canisio (id quod alias quoque notatum est) nonnumquam id accidit, quod oratoribus ardentibus et viris morum reformandorum studiosissimis haud ita raro accidit: Res verbis exasperavit et nimis atris coloribus pinxit. Vide, quae ille alias de cleri, senatus, populi friburgensis probitate et pietate dixit, *Can.* VII 600.

1346. 1583.

Ex litterarum apographo (A), quod in collegio friburgensi exeunte saeculo XVI. scriptum est. Cod. „I 36" f. 13a—15a. Earundem litterarum summa brevis (B) inserta est scripto Augusta Vindelicorum 1. Ianuarii 1584 dato et a P. Georgio Bader praeposito provinciali Germaniae superioris subscripto, quod „Prouinciae Superioris Germaniae pro litteris annj 1583 capita" inscriptum exstat in „Germ. 141" f. 157b. Hac summa usi sunt, parce tamen, qui ediderunt libellum „*Annuae Litterae* Societatis Iesu anni M. D. LXXXIII", Romae 1585, p. 145. Ex ipsis litteris plurima germanice reddidit *Riess* 476—478. Complura etiam ex iis germanice posita sunt a *Duhr*, Jes. I 229. Particulam „summae" illius posui germanice in „Petrus Canisius" 278.

Res friburgenses: Ecclesia coloniensis adiuta. Canisii aliorumque contiones. Opera clero impensa. Catecheses. Favor cleri et senatus. Acatholici urbe exclusi. Profectus populi. Iubilaeum. Haereticorum animi conciliati. Uxores militum. Congregationes marianae. Opera misericordiae.

Annales Collegij Friburgensis. Anno Dominj 1583.

Friburgi habitarunt hoc anno ex nostris semper fere duodecim: Sacerdotes sex, non sacerdotes totidem. Quorum duo praeceptores erant, caeteri quatuor Coadiutores. . . . [In his comparebat] rerum afflictarum Ecclesiae Coloniensis commiseratio [1]. Qui ut diuinam misericordiam illis impetrarent, ieiunijs et flagellationibus, precibusque assiduis omnes plaerique uacarunt. . . . Habita est diebus festis a quodam e nostris in praecipua parochia, concio solennis, per Aduentus quoque et Quadragesimae tempus [2]. . . . Est quoque et tertia ad discipulos nostros, quauis dominica facta. Jn pagis item septem octoue, tum germanicis tum gallicis saepe ad populum concio instituta [3]: illam nostrorum operam cupidius expetentibus Parochis, quam ut ijsdem interdum satisfacere possemus. Bis etiam apud Parochos in synodis congregatos sermo latinus habitus. Explicati item Clero, ac alijs grauibus uiris, bis quauis septimana conscientiae casus. . . . Clerum hic nobis addictum, ac deuinctum habemus, ac in primis D. Praepositum, qui Reuerendissimi Lausannensis in hac ditione uicem gerit [4], ac Parochum [5], qui ex nostrorum consilijs pleraque administrat. . . . Jn Quadragesima magnum in discrimen uenturi uidebamur, quod[b] Opificum famulos ad haeresim (.qua imbuti erant.) abiurandam minime paratos, et tamen nostris confessuros, absoluere Confessarij nostri recusarint. Verum adeo diligenter a D. Praeposito coram Senatu in septimana sancta (.praeter morem ad hoc congregato.) causa nostra defensa est, ut senatus consulto decretum fuerit: Ne posthac Friburgi residere

a) *Octo vv. sqq. a C. in margine addita sunt.* b) *Ita B; A perperam:* quo.

[1] Gebhardus Truchsess a Waldburg, archiepiscopus coloniensis, cum, impuro amore captus, exeunte a. 1582 palam ab ecclesia defecisset et 1. Aprilis 1583 per Gregorium XIII. excommunicatus atque exauctoratus esset, archiepiscopatu cedere nolebat. Unde „bellum coloniense", quod vocatur, eodem anno ortum est.

[2] Significantur contiones a Canisio in templo S. Nicolai habitae; de quibus v. supra p. 564—608. [3] Cf. supra p. 551. [4] Petrum Schnewly.

[5] Sebastianum Verronium, parochum templi S. Nicolai.

ulli permitterentur, qui in paschate ritu catholico confiteri ac communicare detrectarent. Jdem, obtrectatorum nostrorum calumnijs quoties usus fert fortiter se opponit, atque occurrit: Jdemque pro concione populum crebro hortatur, ut ad templi nostri fabricam liberaliter conferant. Jn populo uero haec potissimum animaduersa sunt: Jn concionibus ac sacris audiendis maior solito frequentia: praecipue uero Quadragesimae tempore, quo de Missae Sacrificio, sermo utilissime institutus est [1]. Jn processionibus item publicis, in ieiuniis Ecclesiae obseruandis [2], maius quam antea studium; longeque celebrior quam praeteritis temporibus unquam confitentium ac communicantium numerus. Nam in Natiuitate Domini 600 communicarunt, cum alijs annis uix 5 aut 6. Jn septimana sancta facile supra duo millia ducentj, nostris confessi. Tertium est tempus Jubilaei, quo habitis de Jndulgentijs concionibus aliquot quae antea in hac ciuitate nunquam explicatae sunt adeo multi ad eas consequendas permoti sunt, ut paene alterum pascha uideretur. . . . [3] Haeretici ad Ecclesiam Catholicam aggregati 56 [4]. Ex quorum numero fuere quidam non postremae apud Heluetios nobilitatis. . . . Ad haec multa ob conciones nostrorum, ad huius vrbis utilitatem, salubriter in Senatu pertractata, atque decreta. Jn quibus nominatim illud, ut Sanctissimum Sacramentum ad aegrotos maiori reuerentia deferretur [5], et ut praesentibus et futuris incommodis, ad religionem spectantibus, mature occurreretur. Jtem effectum est cum Capitaneo quodam, ut ex stipendijs militum, qui, relictis domi vxoribus, in magno pudicitiae discrimine uersantibus extra prouinciam militant, aliquid ad uictum tolerandum, coniugibus suppeditari possit. . . . Audiuntur quoque nostri concionatores interdum a Bernensibus, alijsque item haereticis aduenis: ex quibus aliqui fidem catholicam doceri petiuerunt, alij Catholici effecti, alij nisi inter haereticos habitarent, spem certam in uiam redeundi faciunt. Qua demum hic nos illustris Senatus noster, beneuolentia complectatur, inde perspeximus, quod Calend. Januar. reip. huius Praetor, se sponte ad prandium nobiscum inuitauit [6] nosque humaniter rogauit [a], ut si qua in re illius ope indigeremus, libere significaremus. Jdem quoque ab alijs senatoribus alias factitatum. Tum quoque Senatus ipse uniuersus nobis inscijs definiuit, nobis in loco in quo in praesenti habitamus, haudquaquam esse manendum, verum ad opportuniorem aliquam Ciuitatis partem transeundum; eamque deliberationem de Collegij, Templi Scholarumque loco praecipuj Senatores quotidie ac serio suscipiunt. . . . Cum ad dedicationes plurium Parochiarum [7] [rusticarum], frequenter uocaremur, in quibus multi abusus inoleuerant, nostrorum conciones maiorem solito modestiam ac grauitatem secutam intelleximus. Parochi item de suo munere edocti, praesertim Jubilaej tempore, et quemadmodum illud utiliter suis conferre possent declaratum. . . . Casuum lectio libenter a Clero ac religiosis audita est: ijdem [b] in casibus difficilioribus nostrum consilium requirunt. . . . Catechismi [8] seu doctrinae Christianae explicatio in tribus huius vrbis templis, non modo rudi iuuentuti utilis, uerum etiam primarijs, tum ex Clero, tum ex Senatu uiris pergrata accidit. Jtaque ad illam crebro uentitare, et quantum ea delectarentur, manifestis indicijs declarare. . . . Nunc de congregatione utraque [9] dicendum. Qui in maiorem adscripti sunt, ad templum D. Vir-

a) rogarit *A*. b) ijsdem *A*.

[1] De his Canisii contionibus v. supra p. 566—567.

[2] Quomodo Canisius haec e sacro suggestu commendaverit, v. supra p. 566 571.

[3] De his contionibus 29. et 30. Iunii et 2. Iulii 1583 a Canisio habitis v. supra p. 570 609.

[4] „Plerique", inquit antiqua collegii *Historia*, „prius intra priuatos parietes in religione instituti" (Cod. frib. „Hist. coll. Frib." p. 4—5). [5] Vide supra p. 576.

[6] Ioannes a Lanten-Heid significari videtur. Ea aetate proceres saepe, cum ad religiosos coenatum veniebant, ipsi cibos eosque bonos et multos secum afferebant.

[7] Ad dies anniversarios dedicationis ecclesiarum parochialium.

[8] Ex senatus praescripto catechismus Canisii explicabatur; v. *Can.* VII 765—766.

[9] Congregationes fraternitates, sodalitates B. Mariae Virginis significantur; v. supra p. 541 544.

ginis extra Ciuitatem situm [1], binos singulis diebus festis religionis causa mittunt: duos item assignant, qui quauis septimana, pauperes in xenodochio consolentur, deinde qui in fide rudes instituant [a]. Viri matronas multas ad hoc sodalitium induxerunt, ut leges easdem separatim seruent: Ex quibus una moriens domum suam sodalitati legauit, altera certam pecuniae summam. Sed ut alijs quoque pietatis officijs egregie fungantur, iurantes reprehendunt, et secundum patriae leges, terram osculari compellunt: pauperes eleemosynis recreant, pro obtrectatoribus orant: Puellis item ut matrum exemplo Sodalitatem .D. Virginis amplectantur authores fuerunt. Aegros et captiuos inuisunt, quibus interdum nocte tota peruigiles adsunt. Quo factum est, ut a summo Pontif. bona illorum fama permoto, diploma confirmationis, et magnarum indulgentiarum consecuti fuerint [2]. . . . Scholasticorum porro nostrorum congregatio non minus sui semper praebuit specimen. Jtaque libros haereticos [b] quos possunt rapiunt et ad nos deferunt. . . . Alij summum templum [3] quotidie adiere, a Deoque Opt: Max. pro auertenda peste, a se suisque sodalibus (cum illa hic timeretur.) precati sunt. Ac de scholis quidem quarum sunt auditores fere ducenti id uniuerse dici potest, quod quotquot per aetatem potuerunt, in praecipuis festis ad sacram communionem admitti, a Confessarijs petiuerunt [4]. . . . Visitati saepe infirmi, et pro eisdem communiter oratum, in Xenodochio item confessiones auditae, et consolatio aegris data. Haud secus quoque et carceres [?] [c] adiuimus, duobusque reis ad supplicij usque locum comites fuimus. Quod misericordiae genus ciues nostros plurimum oblectauit, cum caeteri sacerdotes nullo modo, ut id facerent antea induci possent. Mulier erat quaedam a proprio filio de magia accusata, ac in carcerem coniecta. Verum cognita a quodam e nostris ipsius innocentia, post paullo [d] [?] iudicum sententia liberata est. Jmpetratum quoque est a quodam, qui inter eruditiores huius ciuitatis numerabatur, ut bibliothecam suam [e] a nobis examinari permitteret, ac si qui haeretici librj essent comburi, aut ad refellendum a nobis seruari. . . .

1347. 1584.

Num Canisius editionem omnium Operum cardinalis Hosii Coloniae a. 1584 in lucem emissam curaverit vel eius litteras dedicatorias conscripserit.

Ignatius Agricola S. J., provinciae S. J. Germaniae superioris historicus, de Canisio haec notavit (II p. 228 n. 787): „Ubi lucubrationes Cardinalis Hosij nactus vidisset, quam nervose Vir hic sanctitate juxta, et doctrina maximus novitios errores confutaret, non quievit, donec effecisset, ut luce publica dignissimum hoc Opus sibi liceret prelo evulgare". Ex his verbis *De Backer* (I² 1052) colligere se posse censuit, a Canisio curatam esse editionem Operum Stanislai Hosii a. 1584 Coloniae apud Maternum Cholinum duobus tomis in 2° in lucem emissam, quae omnium editionum postrema et optima est („D. Stanislai Hosii, S. R. E. Cardinalis, . . . Opera omnia"), vel saltem eius tomum priorem; nam tomum alterum a Stanislao Rescio Hosii secretario editum esse, et folium eius titulare et litterae eius dedicatoriae ostendunt. Quod ad tomum primum attinet, De Backer scribit: „L'épit. déd. est signée par l'imprimeur, mais elle est probablement de Canisius." Haec omnia probavit *Sommervogel* II 676. Verumtamen Canisium vel unum tantum huius editionis tomum in lucem emisisse vix mihi persuadere possum. Neque enim huius rei ullum vestigium vel in Canisii, vel in aequalium eius scriptis apparet. Rem, puto, aut Rescius, aut Cholinus prodidisset: haec enim, qua Canisius florebat auctoritate et nominis celebritate, in magnam editionis commendationem cessura erat. Silent etiam de hoc facto et Canisii bio-

a) *Ita recte B;* instituunt *A.* b) haeresios *A.* c) *Vel:* carcerem; carcere *A.* d) *Corrigendum esse videtur:* paullo post. e) bibliotheca sua *A.*

---

[1] Templum B. Mariae Virginis in Monticulo (Bourgillon, Bürglen): cf. supra p. 510. [2] Hoc vide supra p. 578. [3] Templum S. Nicolai.

[4] Eo tempore saepe etiam apud homines maturae aetatis communionum numerus minor erat quam confessionum; neque semper, quotiescumque quis rite peccata confessus erat, ad mensam eucharisticam accedebat.

graphi, et Societatis antiquiores bibliographi. Silet demum, qui saeculo XIX. Hosii vitam et opera diligentissime perscrutatus est, *Antonius Eichhorn.* Qui utrumque tomum a Rescio editum esse dicit (Stanislaus Hosius 1, Mainz 1854, 15). Item *Franciscus Hipler,* rerum Hosii et ipse peritissimus, cum de hac editione loquitur, eam, nulla Canisii mentione facta, „auctore Rescio apparuisse" dicit (Stanislai Hosii Epistolae, Tom. I., edd. *Franc. Hipler* et *Vinc. Zakrzewski,* Cracoviae 1879, XIII.*). Quae autem Agricola scribit de Hosii „opere" — non ait ille: „operibus" — per Canisium evulgato, optime conveniunt in Hosii librum „Verae . . . doctrinae solida propugnatio, una cum illustri confutatione Prolegomenorum quae primum Ioannes Brentius . . . scripsit" etc. Qui liber primum a. 1558 Coloniae apud Maternum Cholinum, plurimam operam conferente Canisio, editus est; v. *Can.* II 202—204 228 894—897. In novissimae illius editionis tomo primo idem liber cum praefatione Canisii positus est p. 417—609. Quod tandem De Backer et Sommervogel scribunt: „Verisimile est, litteras dedicatorias primo tomo editionis novissimae praepositas (quibus Maternus Cholinus Coloniae Kalendis Martii 1584 utrumque tomum Iulio Echter episcopo principi herbipolensi dedicat) a Canisio compositas esse": fateor, in iis eam rerum theologicarum peritiam cerni, quae Cholino, homini laico, inesse vix poterat. Fieri igitur poterat, ut Canisius Cholinum in iis scribendis adiuvaret vel etiam eas paene integras ipse conscriberet, praesertim cum constet, eum Cholino amicissimum fuisse (cf. *Can.* VI 342—344), et cum ipse quoque Iulio episcopo „Opus catechisticum" dedicaverit (cf. supra p. 217). Accedit, quod litterarum illarum neque res neque verba a canisiano scribendi genere aliena sunt. Ac *Franciscus Hipler,* qui Hosii res optime noverat, utrumque quidem tomum a Rescio editum esse affirmat, litteras tamen illas a Canisio scriptas esse ait („Hosius", in Kirchenlexikon VI² 301). Equidem certi quicquam constituere nolim[1].

1348. 1584.

Canisii Catechismus minor editur Lemorici (?) et, cum additamentis, Fuldae. Catechismus canisianus in Alsatia, Franconia, Hollandia, Bavaria.

1. In minoris Catechismi canisiani editione gallica simul et latina, quae a. 1594 Lemovici (Limoges) in lucem prodiit (vide infra, monum. 1536), ultimum folium haec habet: Lemovici 21. Septembris 1584 duo censores affirmant, catechismum hunc catholicum eiusque editionem valde necessariam esse. Deinde eadem die duo episcopi lemovicensis vicarii catechismum approbant eiusque typis exscribendi facultatem concedunt. Inde collectum est, eum iam a. 1584 in lucem prodisse. Mihi quidem ea res dubia est propterea, quod neque in titulo editionis a. 1594 factae, neque alio eiusdem editionis loco significatur, catechismum hunc iam antea Lemovici in lucem emissum esse et modo iterum evulgari.

2. „Fulda 14 Octob. 84 Stylo antiquo" *Petrus Loppersius* (Loppers) S. J. collegii rector Aquavivae praeposito generali *scripsit: „Auctoritate magistratus impressus est Paruus catechismus pro hac ditione additis paucis de sacramento Poenitentiae, Eucharistiae, Matrimonij, inuocatione sanctorum etc., in quibus hi homines magis laborant" (ex autogr.; Germ. 163 f. 237ᵇ). Dubium esse non potest, quin significetur „Parvus Catechismus Catholicorum" a Canisio scriptus et a Sociis fuldensibus paululum amplificatus. Item P. *Ioannes Hasius* S. J. in *Litteris annuis provinciae rhenanae S. J. Colonia Kalendis Ianuariis a. 1585[a] datis de Henrico a Bubenhausen Magistro Teutonico, qui terram abbatum fuldensium O. S. B. imperio civili simul et ecclesiastico subiectam administrabat, narrat: „Cum per quendam ex nostris de magna catechismorum diuersitate certior factus esset, non quieuit donec huic ditioni valde conueniens catechismus nostrorum auxilio et consilio in lucem

a) *In apographo perperam pro* 1585 *positum est* 1581.

[1] Quanti et Canisius Hosium, et Hosius Canisium fecerint, ostendit *Stanislaus Rescius* in „Ministromachia", Cracoviae 1591, 148—149.

ederetur: itaque ad 1000. exemplaria typis excusa, et aliqua ex parte per paroecias distributa sunt; Sicque paulatim in locum Lutheri catechismi succedent" ex apographo eiusdem temp.; (Germ. 141 f. 223[a]).

3. Collegio Societatis Iesu a. 1580 per Ioannem a Manderscheid episcopum argentoratensem Molshemii (Molsheim, in Alsatia) condito, Valentinus Agricola, qui Argentorati canonicus ecclesiae S. Petri iunioris (Jung-St.-Peter) erat, in usum Sociorum molshemensium, doctrinae christianae in urbe pagisque vicinis tradendae valde studiosorum, 1100 catechismos canisianos suis impensis a. 1584 curavit typis exscribendos (*N. Paulus*, Ecclesiasticum Argentinense. Straßburger Diözesanblatt, XII. Jahrg., Straßburg 1893, 94).

4. *Iulius Echter a Mespelbrunn* episcopus herbipolensis et Franciae orientalis dux in „Statutis ruralibus", quos a. 1584 in usum cleri sui vulgabat, contionatores monuit: Eos etiam catechismis instructos esse debere. Deinde varios eiusmodi catechismos recensuit atque in his catechismum „Petri Canisii, praesertim cum authoritatibus Doctorum" sive Opere catechistico Petri Busaei (*Ign. Gropp* O. S. B., Collectio novissima scriptorum et rerum Wirceburgensium I. Francofurti 1741, 462).

5. In *Litteris annuis provinciae rhenanae S. J., quas supra p. 620 dixi, P. *Ioannes Hasius* narrat: „In ciuitate haeretica Hollandiae vir quidam et genere et authoritate clarus, sodalis" congregationis marianae suis impensis scholam pro pueris pauperibus instituit eique sacerdotem catholicum praefecit. Ibi in locum catechismi Calvini, „quem tota ciuitas receperat", catechismum Canisii substituit. Discipulorum „tempore breuissimo supra trecentos numerus excreuit" (Germ. 141 f. 213).

6. *Guilielmus* V. Bavariae dux in institutione, quam Maximiliani et Philippi filiorum suorum rectoribus ac praeceptoribus a. 1584 dedit, sic eos monuit: „Dieweil an deme allerhegst gelegen, dß sy unnser Söhne unnser Heiligen wahren Catholischen religion grunts wol unnderwisen vnd bericht werden, Soll iezt der Teutsch und über ain Zeit der Lateinische kleine Catechismus, volgends darauf die capita doctrinae christianae Canisij gleich mit und neben dem teglichen Prott als die geistliche speiß stets in hannden sein, der gedechtnus und dem verstannde also einzewurzen, damit Bey mehreren Jaren annders und wichtigers mit nuz und Bestendigkhait möge darauf gepaut werden". Ita ex archetypo *Friedr. Schmidt*, Geschichte der Erziehung der Bayerischen Wittelsbacher, Berlin 1882, 252 (Monumenta Germaniae Paedagogica, ed. *Karl Kehrbach*, Bd. XIV).

1349. 1584.

Dilingae eduntur preces ex Canisii „Betbuch" excerptae.

Lugani in Helvetia (Lugano, urbs cantonis „Tessino") exstat liber „Catholische Gebet, aus dem grossen Betbuch deß Ehrwürdigen und Hochgelehrten Herrn D. Petri Canisii aufs kürtzest zusammengetragen im [?][a] dise klaine Formand [?][b] Ordnung gebracht. Gedruckt zu Dillingen, durch Johannem Mayer, 1584": Ita liber „*Catalogo* generale della Biblioteca Cantonale [di Lugano] fino a tutto il 1912". Bellinzona 1915, 311. *Sommervogel* hanc editionem non posuit.

1350. 1584.

Canisii Epistolae et Evangelia sacrorum dierum cum summariis, a Schwaygero germanice reddita, iterum eduntur.

„Kurtze Summarien, | Außlegung vnd bericht der | Epistelu vnd Euangelien, wie sie | auff die Sontag durchs jar, deßgleichen | auch in der Viertzigtägigen Fastenzeit, | vnd den Festagen der Heiligen Gottes | in Catholischer Kyrchen furge= | tragen vnd gepredigt | werden, | Erstlich | Durch den Ehrwirdigen vnd Hoch= | gelerten Herrn Doctor Petrum Canisium | Theologen der Societet IESV in Latein | beschrieben, Vnd ferner zu erbawung | der Christ= | lichen Jugendt trew= | lich verteutscht | Durch | Johannem Schwayger Schola= | stern vnd Cano= | niken vnser lieben Fra= | wen Stifftkyrchen zu Franckfurt. | Zu Cöln, | Durch Gerwinum Cale=

a) *Legendum esse videtur* in *vel* und in. b) *Corrigendumne* Form vnd?

nium, vnd | die Erben Johan Quentels, im jar M.D.LXXXIIII. Mit Käis. Majest. gnad vnd freiheit."

12°; pp. sign. 593; praeterea in initio 4 ff. non sign., addito titulari. Titulum sequuntur Schwaygeri litterae dedicatoriae Francofurto ad Moenum 24. Decembris 1573 ad consules senatumque urbis colonienses datae; de quibus vide *Can.* VII 701. Sequuntur hymnus „Adoro te" et Canisii praefatio, sicut *Can.* VII 702. Reliqua quoque eodem modo se habent, ut in editione anni 1574. Fortasse solum folium titulare immutatum est. Editionem (quae tamen paululum manca est) vidi Pragae in bibliotheca canoniae ordinis praemonstratensis (B L VIII 52). Vidi etiam exemplum illud, quod est Monachii in bibliotheca universitatis (Bibl. 941). Praeterea liber exstat Tubingae in bibliotheca universitatis. De hac editione scripsit etiam *Otto Zaretzky*, Ein Quentel'sches Rechenbuch, in „Annalen des Historischen Vereins für den Niederrhein" 93. Heft. Köln 1912. 94. *Sommervogel* eam non posuit.

1351. 1584.

Orationes sacrae a Canisio Friburgi habitae. Friburgensium ille et laudat fidem, et vituperat mores (fenerationes, adulteria, blasphemias, pigritiam, „scandala", superstitiones). Protestantium errores saepissime refutat. De eucharistia, imprimis de missa, multa docet. Auditores, ut Sacram Scripturam legant, libros malos fugiant, monet. Pontificis primatum et infallibilitatem defendit. Ieiunia, contionum et sacramentorum frequentiam, misericordiam in pauperes, liberorum rectam institutionem commendat. Magistratus graviter hortatur, ut disciplinam tueantur et vitia coerceant.

Canisius a. 1584 Friburgi 37 fere orationes sacras easque paene omnes in templo S. Nicolai habuit. Harum commentaria ipsius Canisii manu scripta etiam nunc supersunt.

„Jn die Circumcisionis 1584" sive Kalendis Ianuariis a. 1584. Canisius huius sacri diei rationem explicuit et pro illius aetatis consuetudine auditoribus „xenia distribuit" sacra (comm. autogr.: Can. 37 f. 220b—224b; cf. etiam Can. 34 f. 48b—49a). Plura vide infra, monum. 1352.

„Jn festo S. Virginis purificatae" sive 2. Februarii 1584 (kalendarii gregoriani). „Quomodo historia festi nobis considerandam proponat Virginem, et doceat exemplo suo quid nobis faciendum." „Quomodo Lucas describat Simeonem uti exemplar uere piorum spiritualium et perfectorum." „Rectumne sit Ecclesiam circa candelas versari." In prima orationis parte Canisius: Beata Virgo Maria, inquit, „docet puerperas non statim post partum prosilire in populum, sed certum seruare tempus 4 hebdomadarum et longius (2) primum adire templum ex deuotione, non choreas, hospitia (3) petere et accipere benedictionem sacerdotis." De candelis autem sacratis admonet fideles, ne iis „abutantur contra Ecclesiae intentionem ad magicas res, uel ad superstitionem" (comm. autogr.: l. c. f. 225a—229b).

„Jn die Cinerum 1584" sive 15. Februarii 1584. „Dicam, quid supra se habeat dies hodiernus (2) quomodo seruiat Euang. ad initium Quadrag. (3) exemplum Dauidis nobis hoc tempore commendatum esse debere" (comm. autogr.: l. c. f. 229b—232b).

„Feria sexta post Cinerum" sive 17. Februarii 1584. „Dicam primo quid proposuerim posthac per Quadrag. praedicare et ob quam causam. 2° quid credendum sit de consecratione quae in Missa peragitur."

„Ex multis et rationabilibus causis anno praecedente nobis proposuimus et C. V. promisimus de officio Missae concionari. Sumus adhuc et manemus eiusdem intentionis, ut nempe quod tunc incepimus et ad finem perducere non potuimus, continuemus ac perficiamus Domino adiuuante, et uobis meum institutum benigne acceptantib." Deinde Canisius huius consilii a se capti causas enarrat. „Quoniam uero nimis longum esset, omnia superiore anno proposita de Missa repetere, duo tantum capita cogor in memoriam reuocare nobis, ut ita rectius progrediamur. Primum est quid Catholicus debeat respondere quaerentibus, cur eamus ad Missam, uel Missam uisi-

temus. 2° quid Catholicus de consecratione ut prima parte tenere, et circa illam facere debeat" (ex commentariis autographis partis prioris, quod est in Can. 37 f. 232^b—233^a, et partis alterius, quod est in Can. 38 f. 7^a—10^a).

„Dominica prima Quadragesimae" sive 19. Februarii 1584. „Vnde fit, vt ieiunium pro bono utili, laudabili Deoque placente opere in scriptura ualde praedicetur et tamen hoc seculo tam parui fiat, nec solum a Neochristianis contemnatur et abrogetur, sed etiam a Catholicis male seruetur." „Quomodo se gerere debeat, qui coram Deo et mundo uerus Catholicus esse uelit, in sua Quadragesima." „Quid respondendum Satanae et eius satellitibus tentantibus nos contra ieiunium" (comm. autogr.; Can. 37 f. 233^a—236^b).

„Feria 4 post Jnuocauit" (Dom. I. Quadr.) sive 22. Februarii 1584 Canisius evangelium diei interpretatus est et, „quid faciendum in der Fronfasten", populum docuit. Deinde de missa egit; egisse autem videtur „de oblatione multiplici fidelium" (ex comm. autographis. Can. 37 f. 236^b—237^a. Can. 38 f. 11^b—14^a).

„In proxima contione tractare coepimus, quid per nomen oblationis Christiani intelligere debeant" etc. Iam videndum est, „quomodo uetera sacrificia cum Missae sacrificio congruant, et in quibus differant." „De oblationibus [fidelium] ad altare" (comm. autogr.; Can. 38 f. 14^b—18^a). Oratio habita esse videtur feria VI. post Dom. I. Quadr. sive 24. Februarii 1584.

„Jn festo S. Matthiae" Apostoli sive 25. Februarii (anni bissextilis) 1584 Canisius de sacri diei ratione et de eiusdem evangelio dixit (comm. autogr.; Can. 37 f. 237).

„Dominica Reminiscere" (II. in Quadr.) sive 26. Februarii 1584. „Quomodo circa hoc Euang. probus Christianus se consolari et contristare possit" (comm. autogr.; Can. 37 f. 238^a—239^b). Deinde fortasse Canisius de missa dixit.

„Quae summa dictorum et dicendorum de Missa." „Cur Christus hoc sacrificium toties uoluit iterari." Respondetur deinde ad duas alias „obiectiones" (comm. autogr.; Can. 38 f. 18^a—20^b). Oratio habita esse videtur feria IV. post Dom. II. Quadr. sive 29. Februarii 1584.

„Repetitio trium obiectionum et solutionum. Coepimus Neophytorum [scribendum fuit ‚Neochristianorum'] falsche einred. abzuleinen quas contra Missae oblationem adferunt, ut etiam simplices ueritatem Catholicam rectius intelligant et si opus sit aliquando defendant" (comm. autogr.; l. c. f. 20^b—22^a). Orationem habitam esse dixerim feria VI. post Dom. II. Quadr. sive 2. Martii 1584.

„Deest Euangelium Dominicae Oculi" (III. in Quadr.) sive d. 4. Martii. Ita Canisius notavit in Can. 37 f. 239^b.

„Feria 4 post Oculi" sive 7. Martii 1584 Canisius evangelium diei breviter interpretatus est (comm. autogr.; Can. 37 f. 239^b—240^a). Deinde eadem „Feria quarta post Oculi": „Proximam concionem", inquit, „in eo conclusimus, quod respondimus Missae aduersarijs" etc. Jam „de uestibus Sacerdotis" dixit et „Regulas noscendas et obseruandas ut Missam quis cum fructu audiat" proponere coepit (comm. autogr.; Can. 38 f. 22^b—26^a).

„Pergemus ut promisimus de S. Missae officio tractare aliquot regulas, ex quibus quisque iuuetur quomodo Missam utiliter audiat scire et tenere" (comm. autogr.; Can. 38 f. 26^b—27^b). Haec exposita sunt „Feria 6 post Oculi" sive 9. Martii 1584, explicato primum evangelio diei (comm. autogr.; Can. 37 f. 240^b).

„Dominica Letare" (IV. Quadr.) sive 11. Martii 1584. „Dicam de Euangelio quomodo seruire possit omnibus desiderantibus Paschalem agnum digne manducare, ita ut breuem summariamque introductionem et quasi praegustationem habeant eorum quae circa sacramentum altaris scire et obseruare conuenit Christiano" (comm. autogr.; Can. 37 f. 240^b—243^a).

„Feria quarta post Letare" sive 14. Martii 1584 Canisius evangelium diei interpretatus est (comm. autogr.; Can. 37 f. 243_a—244^a). Deinde „de Sacramento Eucharistiae sumendo" dixit. „Meminit charitas uestra quod multo iam tempore uersati sumus circa 3 partes Missae 2 me superiore anno de consecratione, hoc autem de oblatione tractasse. Cogitaueram adhuc aliquid addere. . . . Sed nunc proposui mihi

longiorem de Missa tractationem omittere einzustellen quia prudentes admonent 2 ratione communicantium et indigentium informatione. . . . Primum autem non inutile fuerit exponere, quam sit necessarium praeclarum utile et salutare Christiano, ad mensam Domini accedere et ex illa agnum paschalem digne accipere. 2º quam periculosum nociuum et uerdamlich sit, indigne communicare. 3 qui praecipue soleant indigne communicare hoc tempore." „Ex multis et grauibus causis potest et debet Christianus se a mensa Domini non separare ex timore, sed ad illam ex bona confidentia accedere, modo sit bonae uoluntatis id facere quod ad probum Christianum spectat" (comm. autogr.: Can. 38 f. 30ª—32ᵇ).

„Altera concio de sacramento. Qui possint ad hoc ire sacramentum bene consolati et sperantes quod fructum eius percipient, nempe salutarem animae cibum ut mutentur in Christum 2 augmentum gratiae 3 pignus salutis 4 antidotum contra omnes infirmitates". „Quid respondendum contentiosis et dubitantibus, aut etiam e scriptura disputantibus contra praedictam Catholicam fidem et confessionem, praesertim Neochristianis" (comm. autogr.; Can. 38 f. 33ª—35ᵇ). Oratio haec habita esse videtur feria VI. post Dom. IV. Quadr. sive 16. Martii 1584.

„Jn die Palmarum" sive 25. Martii 1584. „Praesens Euangelium dat occasionem plura de hoc sacramento [altaris] dicendi, quae cuique communicantj magnum fructum possunt adferre. Et primum si personam Christi deinde Apostolorum, et totius populi cogitemus" (comm. autogr.: Can. 38 f. 36ª—37ᵇ).

„Die sacro Paschatis" sive 1. Aprilis 1584. Canisius primum, quam laetus esset hic dies, ostendit et eius evangelium explicavit. Deinde: „Dicam", inquit, „primo de mirabili magnificentia et potentia Christi quam in sua resurrectione monstrauit." Postea, „quomodo Christi resurrectio nobis sit ein anleittung vnd figur eius resurrectionis, quae in electis implebitur" (comm. autogr.; Can. 38 f. 38ª—40ᵇ).

„Jn festo Philippi et Jacobi" Apostolorum sive 1. Maii 1584. „Cur nos Catholici hunc Jacobum amare et colere debemus." „Quae praecipua capita doctrinae in Euang. consideranda" (comm. autogr.; Can. 37 f. 244 et pg. sq. non signata).

„Jn festo Ascensionis Domini" sive 10. Maii 1584. „Quomodo et quare Christus in coelum ascendit." „Quid respondendum Neochristianis obijcientibus saepe Christus in celum ascendit, et in caelo manet, donec iterum ueniat iudicare mundum: quomodo igitur esse potest cum uero corpore et sanguine in sacramento eigentlich vnd wesentlich." „Quomodo Christo conformari possimus ad loetum celi ascensum consequendum" (comm. autogr.; Can. 37 f. non sign. post f. 244ᵇ—247ª).

„Jn festo Pentecostes" sive 20. Mai 1584. „Quomodo probi breuissime et simplicissime se monere debeant quid de praecipua parte festi id est de Spiritu sancto credere confiteri et tenere debeant." „Quomodo breuiter hoc die multa et praecipua tractari et explicari possunt, nempe ratione anweisung data, ut etiam simplices scire possint, Spiritum sanctum querendi et inueniendi in celo, in Ecclesia et in anima. Credite mihi, in his tribus capitibus multum consistit" (comm. autogr.; Can. 37 f. 247ᵇ—251ª).

„Jn festo Corporis Christi" sive 31. Maii 1584. „Quid est et sibi vult hoc festum." „Quid de nouis Christianis festi hostibus sentiendum." „Cur hodie tot aduersantur sacramento, sicut alij nunquam plures apud antiquos." In postrema hac parte Canisius hoc, praeter alia, questus est: „Norunt pueri in platea narrare, quomodo quidam e Clero vnpriesterlich leben · propter illos nomen domini et cultus Ecclesiae, Missa et sacramenta omnia blasphemantur [cf. Is. 52, 5; Rom. 2, 24]. Nunc quoniam uisitatio parochiarum ruralium instituta est, sperare habemus, quod in hac parte sequetur reformatio aliqua sacerdotum quae nunquam magis fuit necessaria in domo domini. Oremus pro uisitatoribus ut offitio suo cito et fideliter satisfaciant 2 ut deus det nobis sacerdotes iuxta cor suum [1 Rg. 13, 14; cf. Act. 13, 22] et mittat operarios in uineam [Mt 20, 1 2; cf. Mt 9, 38; Lc. 10, 2]" (comm. autogr.; Can. 38 f. 41ª—46ª).

„Jn festo Apostolorum Petri et Pauli" sive 29. Iunii 1584. „In principio contionis nil scio melius facere, quam breuiter Euangelium percurrere, ut sciant simplices

quid in eo praecipue agatur." „Quomodo cum ueritate dici et affirmari potest quod super petram homo uel Ecclesia aedificetur" [Mt 16, 18] (contra „nouum mundum"). „An sit pro probro habendum quod nos Catholici a nouis schuermer fur Bepstler vnd Papisten ausgeschrien vnd gehalten werden. Complures hodie reperiuntur, volentes Catholicis annumerari, et sacramenta cum illis sumere, sed quo sunt timidiores et infirmiores in ueteri fide, eo magis offenduntur, cum pro papistis reputantur a nouo mundo, imo quidam irascuntur et arma capiunt ut se uindicent." Deinde Canisius variis rationibus probat, catholicos honori sibi ducere debere, quod ita vocentur. Vbi haec, praeter alia, dicit: „In hoc falluntur et iniuriam faciunt nobis nouatores, quod putant nos tenere Papam pro Deo, cum sit Vicarius Dei, imo et seruus seruorum, vt seipsum uocat, 2. putant nos cum Papa tenere in Christi iniuriam, uel eius honori et nomini detrahendo, 3 nos omnia quae Papa facit ut priuata persona, excusare. Nos magnam facimus differentiam inter personam papae et officium eius, et aperte fatemur, papae personam peccare posse, sicut et persona Petri et Moysi peccauit, et saepe peccasse ut hominem, imo et damnari posse, sicut Caypham, officium autem a Deo est et bonis et malis datur atque ob diuinam ordinationem meretur honorem, sicut omnis superior apud subditos. Jllic habet locum Christi praeceptum, Quae dixerint uobis seruate et facite [Mt 23, 3]. Nullum autem monstrare possunt pontificem, qui praeceperit et instituerit aliquid contra Deum et animas, sed ex Christi priuilegio in fide non defecerunt [cf. Lc. 22, 32] nec errorem docuerunt, sed errantes conuerterunt et credentes confirmarunt, fidem ueram confirmarunt et conseruarunt ut portae inferi non praeualerent [Mt 16, 18]" (ex comment. autogr.; l. c. f. 46ᵇ—50ᵇ).

„Jn festo Dedicationis Ecclesiae S. Nicolai, quae est Augusti dominica ultima" sive (eo anno) 26. Augusti 1584. „Propositio. Quid super se habeat, quod dicimus, Hodie est templi dedicatio 2 Quomodo quisque erga Deum in tali festo se gerere debeat 3 Quid templa Deo dicata a nobis postulent." In explicatione evangelii diei Canisius queritur „Scimus . . . contra diuinum, Ecclesiasticum et Caesareum ius pro centum accipere 5 · 6 · 7 · 8 coron. ratione mutui in krafft des leyen fur den gewin" (ex comment. autogr.; l. c. f. 51ᵃ—55ᵃ).

„Jn festo Nativitatis Mariae" sive 8. Septembris 1584. „Quomodo Christiano festum hoc prodesse possit." „Quae Mariae uita et conuersatio in iuuentute" (ex comment. autogr.; l. c. f. 55ᵇ—58ᵃ).

„Festo die S. Matthaei" sive 21. Septembris 1584. Sequitur orationis commentarium Canisii manu scriptum; in cuius tamen fine Canisius haec notavit: „Nota propter supplicationem publicam non habita est haec concio" (ex comment. autogr.; l. c. f. 58ᵇ—60ᵃ).

„Jn festo S. Michaelis" sive 29. Septembris 1584. „Dicam 1 cur Christus ita intonet [in evangelio diei] contra scandala 2 quae scandala nunc regnent maxime 3 Quomodo noui Christiani offendantur et quid respondendum."

Christus „monere uoluit tacite Magistratus ut notarent et punirent peculiariter peccantes et offendentes alios publice. Nam hi maximi hostes Dei, nocentissimi satellites [et] piscatores daemonis, summi seelmorder, pessimi persecutores Christi et corporis eius, a quibus plus patitur, quam a Judeis unquam passus fuit, et idcirco in penis inferni profundius grauiusque punientur. Cur nomen dei et fidei blasphematur apud gentes [Rom. 2, 24]? ob scandala. 2 cur Clerus contemnitur? ob eorum uitia. 3 cur tam multi deficiunt a fide passim, ob Cathol. scandala. 4 cur tot flagellis uisitamur, duramus in uijs antiquis." Deinde ostendit, quosnam „scandalizantes" Christus maxime damnet. Primo loco „falsos doctores" et magistratus eis operam praestantes ponit. Postea, quam multa scandala apud catholicos inveniantur, variis exemplis demonstrat; velut cum ait: „Vadis ad thermas in quibus uirj et mulieres commorantur. Manes 3 uel 4 horis in mensa uel hospitio aut symposio. Abbas ponit aleam in mensa, et fratres incipiunt ludere. Quid de nostris pictoribus dicam tam obscoenas imagines et nudas mulieres depingentibus, unde uiri et feminae ad libidinem incitantur. 2 Quid de typographis et bibliopolis malos et haereticos

et magicos libros imprimentibus siue uendentibus. 3 Quid de nostris gauchler, spilleut vnd abenteurer pura corda ad multam leuitatem irritantibus. . . . Peculiariter autem admonere se debent parentes qui suos liberos educant delicate ad omnem luxum, leuitatem, superbiam, mittunt in militiam uel ad magistros et scholas nouae religionis, suis exemplis offendunt liberos . . . 2 peccant hic patrini nullam habendo curam puerorum sibi commissorum in baptismo illorum, nec docentium in catechismo. 3 peccant heri et herae negligentes iuuentutem ac familiam diebus festis et in cultu dei ac sacramentis" (ex comment. autogr.: l. c. f. 58[b]—64[a]).

„Jn festo S. Lucae Euang. Lucae 10" sive 18. Octobris 1584. „Dicemus primum cur Christus postquam 12 Apostolos praedicatores Euangelij instituit et misit ad opus Euangelij, uoluerit etiam 72 discip. in eundem finem eligere et designare. 2 Quid bonus Christianus ex hoc Euangelio [Luc. 10, 1—9] discere habeat. 3 an noui Christiani de S. Luca gloriari possint quod stet pro ipsorum parte, et cum ipsis teneat." Canisius primo exordio adiungit „Aliud exordium" et primae evangelii expositioni „Meliorem de S. Luca dispositionem" et explicationem. Ostendere etiam vult, „ob quas causas laudandus sit mos Ecclesiae Lossannensis in celebrandis festis 2 Euangelistarum Marci et Lucae, sicut in alijs Ecclesijs non solet fieri" (ex comment. autogr.: l. c. f. 64[b]—68[b]).

„De oratione et oblatione pro defunctis extraordinaria contio apud D. Virginem in festo dedicationis, Dominica scilicet 22" [post festum SS. Trinitatis] sive 28. Octobris 1584. „Seruamus hodie 22 Dominicam post S. Trinitatem, et in ea legitur, cantatur et praedicatur nobis iam ante dictum Euangelium de domino qui seruum habuit sibi decem millia talentorum debentem [Mt 18, 23—35]. . . . Summa est, Dimittite et dimittemini [Lc. 6, 37]. Sed credo de hac materia uobis hodie plura declarata esse. . . . Quoniam uero impedimenta quaedam inciderunt, ut hodie procedi non possit in Catechismo, et quia proxima dominica promissum fuit, hodie de purgatorio tractandum esse, proposui mihi tale promissum praestare et de hac materia solum hic in medium aliquid adferre, nec solum hodie, sed etiam in sequenti feria sexta id est in die animarum. Nam quo magis de purgatorio nunc passim disputatur eo magis refert Catholicos audire et scire, confiteri et tueri ueritatem et in ea se confirmare. . . . Quid respondendum neochristianis nolentibus audire uel scire de purgatorio, sed contra illud disputare et ridere Catho[licos]. . . . Quomodo nos gerere debeamus erga animas purgatorij." Sequitur „Altera contio. Quare Catholicus nullus dubitare debeat, secundum Ecclesiae intentionem purgatorium esse, et Christianas animas ex eo per opera bona uiuentium liberari." „Cur tam multi ab hac fide et doctrina deficiunt, nil de Purgatorio et medijs liberandi animas audire et scire uolentes." In huius rei causis Canisius hanc quoque recenset: „Communis abusus spiritualium et secularium, qui contra suam fidem tam immisericorditer agunt cum defunctis, ut raro et frigide illorum recordentur, parum aut nihil pro illis facere uel dare, uel pati uolentes, et solam fere umbram et speciem ueteris Ecclesiae retinentes. Quasi uero satis sit sonare magnam campanam, uestes tristes induere, accendere cereolos, antiquos obulos offerre in hoc et illo altari, multum aquae effundere, ut impediantur praetereuntes sepulchra, et uestes destruantur, et breuiter solum ceremonias ex consuetudine obseruare." Canisius vero mortuos iuvari vult „oratione", „missae oblatione", „eleemosynae" largitione, „operibus penitentiae" et iis, „quae in templo geruntur mit begengnussen, opffer, Vigilen, Kertzen vnd Liechterbrennen". Ex orationis exordio colligi potest, Canisium eam habuisse post meridiem et loco Socii, qui in templo S. Mariae catechismum explicare solebat (ex comment. autogr.: l. c. f. 68[b]—73[a]).

„Jn die omnium Sanctorum" sive 1. Novembris 1584. „Quomodo uti debemus 8 beatitudinibus in Euangelio explicatis." „Quomodo demon contra Sanctos pugnet hoc seculo." In hac tractatione Canisius praeter plurima alia haec profert: Satan hominibus „persuadet esse parum Euangelicum et inutile, ac superstitiosum salutare Virginem cum Angelo, dicere uel portare Rosarium, ire ad Salue Regina . . . Plurimi iurant turpiter per S. Veltimorbum, per ignem S. Anthonij, per S. Viti tantzt. . . .

Facimus illos [i. e. Sanctos] aurae Dominos aliquando, et superstitionem habemus, ut uidere S. Christophorum ante templum, abstinere a labore in die S. Ulrici · dies infelices statuimus, ut uetulae, et indecentia petimus." „Quomodo Catholici pro sanctis contra demonem pugnare debeant" (ex comm. autogr.; l. c. f. 73ᵇ—78ᵇ).

„2ª tractatio de purgatorio", habita die Commemorationis omnium fidelium defunctorum sive 2. Novembris 1584. „Promisi heri pro communi populo hanc materiam declarare, in qua multi offenduntur, et praecipua erit quaestio. Quo abeant animae statim a morte migrantes".... „Quid mouere debeat Catholicum ad animas iuuandas." Ibi Canisius, praeter multa alia, haec commendat: „Possumus . . . orare singulis hebdomadibus Rosarium, uel 5 Pater noster pro hoc uel illo, singulis diebus semel uel bis . . . possumus Missam audire saltem feria 2 pro illis" [1] (ex comm. autogr.; l. c. f. 79ª—80ª).

„In festo S. Andreae Apostoli" sive 30. Novembris 1584. „Agemus . . . 1 de celebrando Apostolico festo 2. de S. Andrea uenerando 3 de illius exemplo per uarios fidelium status imitando." „Quomodo Euangelium Matt. 4 [18—22] admoneat, qualem Christianam obedientiam Deus ab omnibus fidelibus exigat, et nos illi sub amissione salutis declarare debeamus" „Festum hoc nobis seruire ad nouos iam uigentes errores reijciendos, et ad ueterem ueram Catholicamque fidem confirmandam" (ex comm. autogr.; l. c. f. 80ᵇ—83ᵇ).

„In festo S. Nicolai Patroni" sive 6. Decembris 1584. In exordio Canisius de sacro Adventus tempore loquens: „Nonne", inquit, „mirum et dolendum est, multos sic dormire, ut uix sciant et cogitent de Aduentu suo: 2 Dormiunt cum ex ueteri more uisitare deberent templum B. Mariae mane, et missam audire Rorate. 3. Dormiunt uel ex pigritia impediri se sinunt quum audiendum esset Dei uerbum per hebdomadam, ad quod tam pauci ut sit pudor accedunt." Deinde, evangelio diei explicato, ostendit: „Quomodo S. Nicolaus nos ad ueram fidem excitet et in illa ipsa confirmet." „Quomodo procurare possint Friburgenses, ut e S. Nicolao faciant et habeant charum gratiosum, ein Gutthetigen [gunstigen Patronum". In altera hac parte ait: „Nonne gratia per S. Nicolaum impetrata nos hodie in medio inimicorum laudem habere coram deo et mundo, quod constanter simus Catholici, non maculamur Ecclesiasticis bonis, non persequimur et contemnimus Ecclesiasticum statum, sed honoramus et promouemus, non excaecamur auaritia et desiderio rei alienae, non separamus nos a fide et obedientia et deuotione maiorum, sed eundem cum illis colorem tenemus, idem credimus confitemur ac seruamus. Quis dubitet sollicitum pro nobis esse patronum ut habeamus bonos regentes et prudentes rectores 2 ut benedicatur terra nostra, aqua nostra, aer noster, domus nostrae, agri nostri tempore pestis et famis et tribulationis uariae, ut clementior sit nobis deus quam aliquando uicinis et alijs . . . Quare ne murmuremus contra Patronum, sed simus illi grati de perceptis beneficijs, non est cur nos illius pudeat et pigeat. . . . Sunt alia, in quibus [Nicolaus] nos non laudat, imo arguit: . . . 1 Der groß vnfleiß bey dem h. Predigambt, das sie die beste speiß der Seel tam parui pendunt. 2 magna et communis immisericordia erga inopes fratres et sorores 3 die schwere vnordnung vnd Confusion

---

[1] „Die Montagsmesse de angelis oder pro defunctis war in dem Glauben des Volkes den Seelen der Verstorbenen besonders erwünscht": *Ad. Franz,* Die Messe im deutschen Mittelalter, Freiburg i. Br. 1902, 148. „Secundum virorum illustrium pias opiniones, atque sententias, quaelibet animae defunctorum in diebus Dominicis requiescunt atque a suppliciis feriantur; secunda vero feria ad ea, quibus assignata sunt poenarum ergastula revertuntur. Idcirco ipso potissimum die angelis missarum honos impenditur, ut et mortuis, et morituris patrocinalis eorum defensio procuretur": *S. Petrus Damianus,* De bono suffragiorum c. 3 (*Migne,* P. lat. CXLV·565). „Feria II. cujusque hebdomadae, in qua Officium fit de Feria, Missa principalis dici potest pro Defunctis. Si autem fuerit propria Missa de Feria, vel de Festo Simplici, vel resumenda sit Missa Dominicae praecedentis, . . . in Missa de die fiat Commemoratio . . . pro Defunctis. Excipitur tamen" etc.: *Missale* Romanum, Rubricae generales c. v, n. 2.

so geschicht non manutenendo et exequendo ueterem politiam et Statordnung 4 apud ciues bey der gemeinen burgerschafft decrescit uerus dei timor, crescit autem falsa carnalis securitas und freiheyt 5 Quotidie in uanum sumitis nomen Dei, imo et pass. Christi. Non placet S. Nicolao, sed succenset, quod ex omnibus inuitatis ad cenam dignantur paucj uenire, sed omnes se excusant [cf. Lc. 14, 16—18], quando uerum manna nobis apponitur. Vnus dicit quod debet tractare suas causas vnder der Linden[1], alius vult domi legere conciones, 3 murmurat contra praedicatores, sicut Judei contra Mosen et Aaron [cf. Ex 16, 2; Num 14, 2 etc.]. 4 putat se non egere tali cibo spirituali, quia per se intelligit facienda et omittenda. Quid autem hoc est aliud quam sequi exempla malorum scholasticorum semper inuenientium excusationem, ne scholas uisitent, et ita manent postea, sicut antea, tolp, esel, beani und bestie. 2 Quid est nisi reipsa declarare nos esse bastardos et adulterinos filios Dei et Ecclesiae. Qui ex Deo est, uerbum Dei audit libenter scilicet et frequenter, ut ei praecepit Pater · propterea uos non auditis, quia ex Deo non estis [Io 8, 47], sed ex Diabolo [Io 8, 44]. Nonne hoc est Ecclesiam Dei contemnere, contra eius institutionem et ordinationem uerbum Dei relinquere, et tam parui facere magnum et necessarium officium praedicationis. Beati qui audiunt verbum [Dei] [Lc 11, 28]. Testamur nos Christi oues non esse, quae uocem eius audiunt, Ioan. 10 · [Io 10, 3] neque discipulos Christi dicentis ad suos praedicatores, Qui uos audit me audit, qui uos spernit, me spernit [Lc 10, 16]. 4 Sumus ut infirmi grauiter lesi, nolentes recipere oblatum pharmacum medici, et ita perimus nostra culpa. Vt Judei nauseamus manna in deserto [cf. Num. 21, 5]. 2 Signum letale est, cum infirmus nullam sentit appetentiam cibi sibi necessarij ad curandum et superandum morbum. O cecitas super omnem cecitatem quod priuamus animas tanto thezauro, et fructu consequente ex uerbo Dei praedicato magis quam lecto, quod nobis stulte persuasum habemus satis esse iuxta ueterem morem audire Missam. Hinc impossibile est nos in fide Catholica bene fundatos esse, et per nos alios domi confirmare posse, sed sumus ut arundines quassatae [Mt 12, 20] uento et sicut paruuli circumacti [cf. Eph. 4, 14], nec rationem reddere possumus nostrae fidei professae, et sic stare non possumus coram aduersarijs · haeremus saepe in opinionibus, credimus nobis ipsis, manemus medij. Mirum in alijs oppidis Catholicis et non Catholicis tam bonum seruari ordinem, ut uel inuiti ueniant ad conciones: hic autem liberum relinqui omnibus etiam in aduentu, in Quadr. uel festis, quae male et turpiter seruantur. Quid autem Paulus. Digni sunt morte non solum facientes [·sed etiam qui consentiunt facientibus] [Rom. 1, 32] (ex comment. autogr.: l. c. f. 84ᵃ—89ᵇ).

„De festo Conceptae Virginis Matris" sive 8. Decembris 1584. „Maria super sanctos omnes frey vnd loß allezeit der erblichen und wircklicher sund". „Licet Docti multum et diu disputarint, an Maria habuerit speciale priuilegium de immaculata conceptione, tamen nunc post duo Concilia Basilee et Tridenti habita consentiunt boni omnes." „Summa concionis · hoc festum cedere ad magnam Virg. gloriam 2 admoneri parentes officij sui 3 an Maria rite honoretur in Aduentu." In tertia hac orationis parte Canisius haec, praeter alia, notat: „Durat antiquus mos, quod quotidie multi conueniunt in templo Virginis et libenter assistunt Missae Rorate quae in honorem Virginis cantatur cum Euang. Missus est [Lc 1, 26—38]. . . . Cur toties cantatur Rorate ex Jsaia [Is 45, 8]. . . . Cur haec Missa tam mane celebratur? Tempus enim quo ex alto Oriens uenit, et uisitauit nos et plebem suam, tempus fuit obscurum, in quo sedebant omnes in tenebris et in umbra mortis [Lc 1, 68—79] et egebant lumine uero, expectabant iustitiae solem [Mal 4, 2] et diem gratiae, qui per Christi aduentum coepit apparere, ut hinc iure cum Paulo dicamus, Nox praecessit, dies autem appropinquauit [Rom 13, 12]. 2 Jn signum mysterij huius, quod in Maria completum est, nobis occulti [cf. Col 1, 26] et mundo incomprehensibilis, quodque non mundi sapien-

[1] De famosa hac arbore v. supra p. 571³.

tibus, sed paruulis uti pastoribus Bethlem, reuelatur [Mt 11, 25; Lc 10, 21]. Jn mundo erat, et mundus eum non cognouit [Io 1, 10]. Cur quotidie toto anno pulsatur mane et vesperi? Non solum ad dicendum Aue Maria, sicut dici solet, Man leutet zum Aue Maria, sed ut cum recta et deuota intentione et meditatione dicatur. Honoramus non modo Mariam, sed et totam Trinitatem" (ex comment. autogr.: l. c. f. 89b—93a).

„Jn festo B. Thomae Apostoli" sive 21. Decembris 1584. „Si deberem paucis assignare, quomodo probus Christianus praesentem diem sibi utilem facere deberet, dicerem id in tribus positum esse, nempe memorando quod Ecclesia Catholica in illo ipso die tria proponat fidelibus. Primum est festum S. Thomae cum suo Euangelio · 2m Fronfasten quotannis iteratum 3 ultima feria sexta in nostro aduentu ante nostrum Christag." Ostendit Canisius, „nouatores" complures Sacrae Scripturae libros reicere et eos, quos admittant, „adulterare noua falsaque interpretatione". „Vnde", ait, „sapientes intelligunt, quam utile imo necessarium sit Catholicis prohiberi noua et falsificata Biblia legere et retinere et hoc sub grauibus penis. Non quod populus uetetur legere uerbum Dei quod manet in aeternum [1 Petr 1, 25], et in honore fuit et erit, sed uenenum uerbo Dej inspersum, sicut pater prohibere potest filijs noxium cibum, qui possit illis in corpore et vita obesse" (ex comment. autogr.: l. c. f. 96a—100a).

„Exordium in die Natiuitatis" Christi sive 25. Decembris 1584. (Antecedunt hoc contionis commentarium l. c. f. 93b—95b 100a. „Collectanea pro natiuitate Domini e Stella[1] in Lucam" et „Collectanea circa festum natalium Christi" Canisii manu scripta.) „Gratias ago omnipotenti eterno benigno Deo, ut fonti uiuo donorum omnium, quod nos Christi fideles post nostrum Aduentum disen heiligsten vnd gnadenreichsten Christag attigerimus erreicht haben. 2° quod eundem diem tam solemniter et brechtig in praeterita nocte et hodierno die in templo celebrauerimus 3 quod multi natum puerum spiritualiter cum purgatis cordibus tam uere in sacramento exceperunt sicut Simeon in templo [cf. Lc 2, 27 28] 4 quod non pauci in Christi nomine se congregantes [Mt 18, 20] suam deuotionem publice testati sunt et testantur canendo concorditer, Der Tag ist so freudenreich[2] 5 quod non solum in templo sed etiam in platea et in domo magni et parui, senes et pueri hodie se exhilarant, et sicut intus, sic etiam foris se solito laetiores ostendunt, et ita suum Christag clam et palam in honore magno seruant. Et tanto magis idcirco gaudeo et Deum laudo, quia cum S. Athanasio credo signum esse electorum semper in celis gauisurorum[a], quando aliqui cum desiderio et deuotione et spirituali gaudio principalia Ecclesiae festa celebrant." „Libenter pij fugiunt adhuc in Bethleem, uisitantes templa, et domi parantes altare, ornant mensam fructibus et hostijs, canunt Gloria, uel Dies est letitiae[3], Puer nobis natus est."[4] „Propositio. Proposui mihi aliquid leti circa hoc gaudiosum festum tractare, et idcirco cogito colloquium instituere cum Angelo Gabriele primo ut putant festi huius praedicatore in campo apud Bethlemiticos pastores. Hoc autem colloquium erit de uarijs quaestionibus circa historiam festi

a) gauisorum *autogr.*

[1] Didaci Stellae (de Estella) O. F. M. lusitani vel, ut alii dicunt, hispani Commentarii in Lucam Salmanticae a. 1575, Compluti (Alcalá) 1578, Venetiis 1581 et 1583, intra centum annorum tempus quindecies editi sunt. Antverpiae a. 1584 editio eorum „expurgata" in lucem prodiit. Anno 1596 in Indice Clementis VIII. editiones ante a. 1581 factae omnes prohibitae sunt (*Reusch*, Der Index I 571; *Hurter*, Nomenclator III³ 77; *Sbaralea*, Supplementum 215).

[2] De germanica hac versione cantici antiqui „Dies est laetitiae" v. *Can.* III 651; IV 891. [3] Vide supra, adnot. 2.

[4] Exstant variae cantiones germanicae, quae sic incipiunt: ut „Gebohrn ist vns ein Kindlein klein Von Maria, der Jungfrawen rein" etc., et „Es ist ein Kindlein vns geborn, Vor andern auserkorn" etc. Vide *K. S. Meister*, Das katholische deutsche Kirchenlied. I. Freiburg i. Br. 1862. 205 244—246 264.

et hodiernum Euang. utiliter considerandis. Prima quaestio. Dic mihi sancte Angele diuinorum mysteriorum conscie. Vnde fit ut puer tam diu promissus tam saepe et ardenter desideratus tam tarde nascitur? . . . 2ª quaestio. Cur natiuitas haec sub Augusto facta? . . . Cur Angele manifestas ortum Christi non Caesari, Herodi, scribis, potentibus et diuitibus, sed simplicibus, abiectis, pauperibus et crassis pastoribus? . . . Quomodo Maria suum Christag tenuit? . . . Quomodo autem benedicta Virgo se habuit in hora natiuitatis domini?" . . . „Summa concionis fuit de triplici natiuitate Christi discernenda et profitenda coniunctim. Propositio, non omnia scripta esse, quae nobis de natiuitate Christi scienda et cogitanda hoc tempore. 2 quomodo Mariae matris persona spectanda. 3 Quam se mirabiliter Christus ostendat in Bethleem" (ex comment. autogr.; l. c. f. 100ᵇ—106ª).

„Jn festo S. Joannis Apostoli" sive 27. Decembris 1584. „Dicam primo quomodo Joannes uita et exemplo suo nos moneat, nos Catholicos a uera pietate, et sic a uia salutis procul deuiasse 2 quid credendum et tenendum de uirginali statu" (ex comment. autogr.; l. c. f. 106ª—107ᵇ).

„In festo Jnnocentum" sive 28. Decembris 1584. „Non rem adeo facilem esse ut uulgus putat, die Junge Welt auff zu zyen vnd zu vnderweisen." „Qui fructus ex bona puerorum institutione sequuntur." „Quae damna proueniunt ex mala institutione." „Quae spectent eo ut pueri hoc tempore instruantur Christiane." „De Herode in Euang. considerando" (ex comment. autogr.; l. c. f. 108ª—111ª).

De pietatis fructibus a Canisio ex his contionibus collectis vide infra, monum. 1370.

1352. **1. Ianuarii 1584.**

Ex commentario autographo. Can. 37 f. 222ᵇ—224ᵇ.

Canisius, Friburgi initio anni sacra „xenia" e suggestu distribuens, sacerdotibus lectionem Sacrae Scripturae commendat et magistratus civiles acriter exhortatur, ut in pravis moribus coërcendis et auferendis fortiores se praebeant.

Canisius, cum Kalendis Ianuariis a. 1584 Friburgi Helvetiorum in templo S. Nicolai orationem sacram haberet, sibi pro more oratorum suae aetatis auditoribus „xenia" sacra distribuenda esse censuit. Itaque „pro nouo et felici anno", inquit, „do spiritualibus prelatis et sacerdotibus librum scriptum et signatum sigillis[a] [1] septem quem Joannes uidit aperiri a[b] leone de tribu Juda[2] genito id est a Christo domino. Hic liber est sancta diuina scriptura praecipue commendata sacerdotibus, ut eum legant[c] intelligant et exponant non iuxta suum proprium sensum, sed secundum Christi spiritum[d] qui suis Apostolis aperuit sensum ut intelligerent scripturas[3] Luc. 24. . . . Pro nouo et felici anno D. Schultetis, Regentibus, senatoribus et alijs in seculari magistratu constitutis dare non scio aliud nisi flagellum Christi e funiculis factum[4] et ab illo usurpatum[e] cum magno zelo ad[f] templum in Hierusalem repurgandum quia ferre non potuit impune ementes[g] et uendentes in eo et dixit Auferte ista hinc[5], magnaque ui flagellauit et eiecit omnes. Hoc xenium utile fuerit dominis, si cogitent, quomodo nec Christus licet ualde mansuetus et benignus, solis uerbis[h] promissis consolationibus miraculis offitium suum praestare

a) *Sequitur* sigillum, *oblitt.* b) *Sequitur* Christo, *oblitt.* c) *Sequitur* exponant, *oblitt.* d) spiritu *autogr.* e) *Tria vv. sqq. a C. in margine addita sunt.* f) *Sequitur* su, *oblitt.* g) *A C. correctum est ex* impune quod emendo. h) *Tria vv. sqq. in margine addita sunt.*

[1] Apc 5, 1. [2] Apc 5, 5. [3] Lc 24, 45. [4] Io 2, 15.
[5] Io 2, 16. Cf. Mt 21, 12 13; Mc 11, 15—17; Lc 19, 45 46.

potuit, sed et flagello uti debuit, suoque exemplo monere uoluit superiores adhibere seueritatem, cum misericordia et uerbis bonis malos conuertere et corrigere non possunt. Tunc tempus est cogitandi quod ministri sunt Dei[1] positi, et gladius illis traditus ad terrorem malorum[2], et ut compellant eos intrare[3], qui uocati nolunt uenire et obedire. Quam uero multi sunt tam peruersi impudentes et obstinati, nihil ut curent Deum, sanctos et magistratus[a] eorumque statuta, sed sine timore pergunt in blasphemando adulterando, usura, infidelitate, bonos contristant, infirmos scandalizant, politiam rumpunt, templum Dei id est ciuitatem et ditionem totam prophanant et verwusten suis malis exemplis. Quanto autem diutius expectatis indulgetis, respectus habetis, toleratis inobedientes[b] solisque mandatis inheretis tanto magis crescunt crimina et scandala, 2 tanto magis ira Dei prouocatur 3 tanto grauiores plagae nos grauabunt 4 tanto magis timendum a caristia, peste, bello, fame et alijs infortunijs hoc anno uenturis. Flagellum satis diu iacet sub scamno, et iam quasi contemnitur, et potestatem uestram contemptibilem apud multos facit, Opus strenuitate et seriositate in exequendo per uos et alios inferiores ministros, qui oculos habent et non uident[4] mediam partem ciuium non uenire ad uerbum Dei, et tam multos diebus festis laborare in aedibus, de fide disputare in mensa, toto anno non uenire ad confessionem et communionem, in hospitijs comessari etiam diebus ieiuniorum, nudum tenere nomen Catholicum negantque opere, quod ore profitentur[5], seducunt ciues, inficiunt aerem, implent oppidum[c] nouis falsis et perniciosis erroribus. Jgitur ut uobis et nobis annus sit felix, Vigilate Domini et zelum exercete cum uestris maioribus semper cogitantes illud, Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium sed[d] Domini[e][6] · repurgate templum[7], arripite flagellum, zelum Moysi et phinees declarate[8], nec[f] alienis peccatis communicate[9]. 3 Communibus ciuibus diuitibus uel pauperibus, nobilibus uel operarijs uolo pro xenio datum esse gladium aureum, quem Hieremias propheta dedit Judae Machabeo, ut cum illo deuinceret hostes et patriam defenderet sicut etiam strenue fecit[10]. 2 Machab. Quid significat hic gladius? fortem et imperterritum animum, qui ualde utilis et necessarius esset Friburgensibus ad se in pace conseruandum, et ad suos tuendos domi et foris, atque ad suos hostes prosternendos et debellandos. Qui autem sunt hostes eorum? Magni, terribiles, potentes et qui mediam fere ciuitatem occupant, multosque in bonis honore, corpore et anima ledunt et perdunt.

a) *Duo vv. sqq. in margine addita sunt.* b) *Tria vv. sqq. in margine addita sunt.* c) *Sequitur* externis, *oblitt.* d) *Sequitur* Doi, *oblitt.* e) *Quae sequuntur, usque ad* communicate *incl., in margine addita sunt.* f) *Sequuntur vv.* participes uos facite, *oblitt.*

[1] Rom 13, 4. [2] Cf. Rom 13, 3 4. [3] Lc 14, 23.
[4] Ps 113, 5; 134, 16; Io 12, 40. [5] Cf. Tit 1, 16. [6] 2 Par 19, 6.
[7] 2 Mach 10, 3; cf. 2, 19. [8] Cf. Ex 32, 19 20; Nm 25, 1—13.
[9] 1 Tim 5, 22. [10] Cf. 2 Mach 15, 15 25.

Quinam? primus der Geltteuffel. . . . Tam ceci facti sumus, ut usuras exercere non sit peccatum apud nos amplius, nec quisquam fere puniatur. Tam auari sumus, ut quisque pro suo arbitrio uendat quidlibet. et negotietur, et augeat precium, in frumentis et uino, mit gewerb vnd handtierung · 2us hostis est der Frass vnd Bauchteuffel . . . 3us hostis est carnalis, immundus et fedus schendlicher teuffel, qui magnos et paruos, uiros et mulieres prouocat[a] et impellit contra illud Dei praeceptum. Non moechaberis[1] . . . 4us Demon populum tentans ad ocium. pigriciam, et torporem ita ut pudeat ac pigeat manibus laborare, et lucrari panem et more maiorum apud exteros negotiari und kauffmanschafft treiben. Persuadet nobis sufficere quod[b] alamus nos et filios ex pensionibus et usuris[c]. 2 quod simus junckeren vnd Gassentreter 3 quod eligamur in praefectos et sciamus die bawren maisterlich scheren vnd schinden. Jta sinimus nos regi a spiritibus[d], contra quos maxime pugnare deberemus, sicut in nostro baptismo gelobt vnd geschworen haben sub amissione salutis aeternae[2]. Non est hoc se impedire in nouo et felici anno, quando uti nolumus gladio diuinitus dato, nec curamus Pauli praeceptum, ut assumamus spiritus gladium quod est uerbum Dei[3]. Jnduite uos inquit armaturam Dei, ut possitis stare aduersus insidias diaboli[4]. Eph. 6. Superest dare xenium[e] uirginib. matronis et uiduis. Do illis pulchram faciem Christi, sed cum corona spinea coronati et a Pilati militibus[f] ac Judeis palam illusi . . . ut se moneant et arguant dicentes Respice in faciem Christi tui[5] sic stantis coram Pilato in omni humilitate, sic tacentis et lugentis. . . . Postremo praeterire non debeo pueros, filios puellas seruos et ancillas, quibus pro nouo anno commendo et dono Jesum paruulum panniculis inuolutum, et in praesepi positum, et obedientem suae matri" etc.

1353. **Circa m. Martium 1584.**

1. „COMMENTARIORVM | DE VERBI DEI | CORRVPTELIS, | TOMI DVO. PRIOR DE VENERANDO | CHRISTI DOMINI PRÆCVR- | SORE IOANNE BAPTISTA, | POSTERIOR DE SACROSANCTA | VIRGINE MARIA DEIPARA DISSERIT, | & vtriusque personæ historiam omnem aduersus Cen- | turiatores Magdeburgicos aliosq; Catholicæ | Ecclesiæ hostes disertè vindicat. | *POSTREMA ET PLENIOR VTRIVSQVE OPERIS, in vnum volumen nuper redacti editio, D.* Petro Canisio | *Societatis* Iesv *Theologo, tùm Authore, tùm Recognitore.* | In commodiorem etiam ordinem digesta, sublatis etiam mendis, | quæ in superiori obrepserant. | *Accessit Index copiosus, partim locorum scripturæ sacræ, quae passim tractantur, partim* | *rerum præcipuarum, quæ in vtroque Tomo continentur.* | Cum Pont. Max. authoritate. | *LVGDVNI,* | APVD CAROLVM PESNOT. | *M. D. LXXXIIII.*" Cum signo typographico Pesnotii.

a) *Duo vv. sqq. in margine addita sunt.* b) *Sequitur* uiuamus et, *oblitt.* c) *Sequitur* et, *oblitt.* d) *Sequitur* quos, *oblitt.* e) zenium *autogr.* f) *Sequitur* illusi, *oblitt.*

[1] Ex 20, 14; Mt 5, 27; Lc 18, 20; Iac 2, 11.

[2] „N.: Abrenuntias satanae? R.: Abrenuntio. N.: Et omnibus operibus eius? R.: Abrenuntio. N.: Et omnibus pompis eius? R.: Abrenuntio": *Ordo* Baptismi Parvulorum. [3] Eph 6, 17. [4] Eph 6, 11. [5] Ps 83, 10.

2°. Tomus prior non habet titulum peculiarem: habet pp. sign. 160 et praeterea ff. non sign. in initio 12 (addito titulari) et in fine 6. In pagina aversa folii titularis: „Summa Pontificiae permissionis. Gregorius P. XIII. Carolo Pesnot, Bibliopolae Lugdunensi, suo diplomate concessit, vt impune possit imprimere, venalia habere, ac passim distrahere Reuerendi Patris Petri Canisii, Societatis Iesu Theologi, Commentaria de Verbi Dei corruptelis aduersus Centuriatores Magdeburgenses: modo diligenter ab ordinario cum ante impressis exemplaribus collata fuerint; non obstante Priuilegio, quod nuper in gratiam Dauidis Sartorij, Typographi Ingolstadiensis, ab ipso emanarat, ne scilicet quis alius ea vnquam imprimeret: prout latius in originalibus literis patet, in praedicti Caroli Pesnot gratiam datis, Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die primo Februarij, M.D.LXXXIIII. Anno Pontificatus eiusdem duodecimo. Cae. Glorierius." Sequitur: „D. Ioannes Laurencin, Vicarius Generalis substitutus Reuerendiss. D. Petri de Pinac, Archiepiscopi Lugdunensis hunc librum cum ante impresso exemplari (prout diplomate Pontificio iubetur) diligenter contulit, ac nulla diuersitate inter vtraque deprehensa, vt venale exponeretur ex eiusdem Archiepiscopi auctoritate concessit: prout latius patet in eiusdem D. Ioannis Laurencin literis. Datis Lugduni prima die Martij M.D.LXXXIIII, Du Four."

Sequitur: „Arnoldus Vicinus Prouincialis Collegiorum Societatis Iesu in Lugdunensi Prouincia, iuxta Priuilegium eidem Societati a Rege Christianissimo, 10. die mensis Maij, anno 1583. concessum (quo Bibliopolis omnibus vetatur ne libros ab eiusdem Soc. hominibus compositos, absque illorum permissione imprimant) permittit Carolo Pesnot, Bibliopolae Lugdunensi, vt Petri Canisii opus, cui titulus est, Commentariorum de Verbi Dei corruptelis aduersus Centuriatores Magdeburgicos: ad octo proximos annos imprimere, ac libere diuendere possit. Datum Turnonij 6. Decembris 1583. A. Vicinus." Sequitur Canisii praefatiuncula, quae omnino est eadem atque illa, quae in editione ingolstadiensi anni 1583 legitur; v. supra p. 581. F. *2ᵃ—*3ᵇ Canisii litterae dedicatoriae ad Ferdinandum II. Austriae archiducem, datae Oeniponti, sine anno; f. *4ᵃ—**4ᵇ „De novis Verbi Dei corruptelis . . . praemonitio" (ut supra p. 582); f. **5ᵃ „In Librum Primum de Corruptelis Verbi Dei, Praefatio"; f. **5ᵇ—**6ᵃ, „Carmen Philippi Menzelii" (ut supra p. 582); f. **6ᵃ „Epigramma ad Lectorem"; f. **6ᵇ S. Ioannis Baptistae Christum Dominum, „Agnum Dei", monstrantis imago ligno incisa. Sequitur p. 1 etc. In fine libri f. O 3ᵃ—O 5ᵃ „Index locorum Scripturae Sacrae, quae potissimum hoc in libro tractantur"; sequitur in 6 pp. Index rerum praecipuarum alphabeticus.

Pars operis secunda hunc habet titulum peculiarem: „ALTER TOMVS | COMMENTA- | RIORVM DE VERBI | DEI CORRVPTELIS, | ADVERSVS NOVOS ET | VETERES SECTARIORVM | ERRORES. | IN EO LIBRIS QVINQVE | DISSERITVR DE MARIA VIRGINE | incomparabili, & Dei genitrice sacrosancta. | *AVTHORE* | *D. PETRO CANISIO, SOCIETATIS* | *IESV THEOLOGO.* | Postrema editio multis in locis locupletata, & ab eodem | nunc demùm recognita. | *In commodiorem etiam ordinem digesta, sublatis mendis, quae in superiori obrepserant.* | APOCALYP. XIII. | Et aperuit Bestia os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius | & Tabernaculum eius, & eos qui in cælo habitant.[1] | Cum · PONT. MAX. authoritate. | *LVGDVNI,* | APVD CAROLVM PESNOT. | M.D.LXXXIIII." Cum signo typographico Pesnotii.

2°; pp. 625; praeterea pp. non sign. in initio 24 (addito folio titulari) et in fine 47. In pagina aversa folii titularis brevis conspectus rerum libri; f. a 2ᵃ—a 3ᵇ litterae dedicatoriae Canisii ad Albertum V. (v. supra p. 582); f. a 4ᵃ imago magna B. M. V. ligno incisa (eadem, puto, ut in ed. principe); f. a 4ᵇ—a5ᵃ carmen Menzelii (v. *Can.* VII 776); f. a 5ᵇ carmen graecum cum imaguncula B. M. V.; f. a 6ᵃ—b 4ᵃ praefatio; f. b 4ᵇ—b 5ᵃ carmen ex Venantio Fortunato; f. b 5ᵇ index Capitum; f. 6ᵃ carmen Menzelii „in arborem Iessae" (v. supra p. 582); f. 6ᵇ imago „arboris Iessae". In fine f. GGᵃ „Autoris Confessio"; f. GG2ᵃ testimonia Hosii, Eisengreinii, Franci

[1] Apc 13, 6.

(v. supra p. 582) f. GG2^b—GG3^a indices scriptorum citatorum; f. GG3^b index haereticorum, qui refelluntur; f. GG4^a—HH 2^a index locorum Scripturae, qui tractantur; f. HH2^b—KK5^b index alphabeticus rerum; f. KK6^a hymnus ad Deiparam Virginem („Virgo vetustis edita" etc.); ultima pagina vacua est. Imagines huius editionis videntur esse eaedem, quae in editione principe anni 1583. Librum vidi Luxemburgi in bibliotheca publica, nr. 2133. Qui exstat etiam Romae in bibliotheca collegii germanici et hungarici, Salmanticae in bibliotheca universitatis, Feldkirchii in bibliotheca collegii S. J. Editionem posuit *Sommervogel* II 674—675.

2. „COMMENTARIORVM | DE VERBI DEI | CORRVPTELIS, | Tomi duo. | PRIOR DE VENERANDO CHRISTI | DOMINI PRÆCVRSORE IOANNE BAPTISTA, | POSTERIOR DE SACROSANCTA | VIRGINE MARIA DEIPARA DISSERIT. ET VTRIVS- | que personæ historiam omnem aduersus Centuriatores Magdeburgicos | aliósque Catholicæ Ecclesiæ hostes disertè vindicat. | *POSTREMA ET PLENIOR VTRIVSQVE OPERIS IN* | VNVM VOLVMEN NVNC PRIMVM REDACTI EDITIO. | D. PETRO CANISIO *Societatis* IESV *Theologo, tum Authore tum Recognitore.* | ACCESSIT INDEX COPIOSVS PARTIM LOCORVM | scripturę sacræ quæ passim tractantur, partim rerum præcipuarum, | quæ in vtroque Tomo continentur. | PARISIIS, | Apud Nicolaum Niuellium via Iacobæa, | ad insigne Columnarum. | M. D. LXXXIIII. | *CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.*"

2°. Tomus prior non habet titulum peculiarem; habet columnas (singulae paginae duas columnas habent) 300, et praeterea ff. non signata in initio 14, addito titulari, et in fine 5. In pagina altera folii titularis est brevis summa privilegii, quod „Oddo Pigenatius", collegiorum S. J. in provincia Franciae praepositus provincialis, Parisiis 2. Augusti 1584 concessit secundum privilegium 10. Maii 1583 ab Henrico III. Galliae rege provinciae Franciae datum. Sequitur Canisii praefatiuncula eadem atque illa quae est in editione ingolstadiensi (v. supra p. 581); item litterae dedicatoriae, praemonitio, praefatio in librum primum, carmen Menzelii, „Epigramma ad Lectorem", imago S. Ioannis Baptistae, ut supra nr. 1. In fine indices locorum Scripturae et rerum praecipuarum.

Tomus secundus hunc habet titulum peculiarem: „TOMVS SECVNDVS | COMMENTARIO- | RVM DE VERBI DEI | CORRVPTELIS ADVERSVS NOVOS, ET | veteres Sectariorum errores. | IN EO LIBRIS QVINQVE DISSE- | RITVR DE MARIA VIRGINE INCOMPARABILI | ET DEI GENITRICE SACROSANCTA | AVTHORE | *D. PETRO CANISIO SOCIETATIS,* | *IESV THEOLOGO.* | APOCALYP. XIII. | Et aperuit BESTIA os suum in blasphemias ad DEVM, blasphemare nomen | eius & TABERNACVLVM eius, & eos qui in cælo habitant. | PARISIIS, | Apud Nicolaum niuellium via Iacobæa, | ad insigne Columnarum. | M. D. LXXXIIII. | *CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.*" In pagina ultima: „Parisiis, Cudebat, Typisque mandabat Ioannes Charron Typographus, impensis Nicolai Niuellij Bibliopolae, Anno Domini M. D. LXXXIIII. Calend. Augusti."

2°; columnae 1158 (singulae paginae duas habent columnas); praeterea ff. non sign. in initio 12 et in fine 23. Sequuntur litterae dedicatoriae, carmen Menzelii, carmen graecum, praefatio, arbor Iesse cum carmine Menzelii, ut supra nr. 1. In fine „Auctoris confessio", testimonia Hosii, Eisengreinii, Franci, indices scriptorum, haereticorum, locorum Scripturae, rerum praecipuarum, ut supra nr. 1. Imagines maiores eaedem esse videntur atque illae, quae positae sunt in editione ingolstadiensi; v. supra p. 583. Accedunt plurimae imagunculae litterarum initialium, quas vocamus, eaeque satis pulchrae. Liber Matriti in bibliotheca facultatis philosophiae est (39—3, 10695), unde eius descriptionem mihi misit R. P. Arturus Codina S. J. Idem est Salmanticae in bibliotheca universitatis et Pragae in bibliotheca universitatis (XXX B 49/2). Editionem brevissime commemoravit *Sommervogel* II 674.

1354. 1584.

Canisio praecipuo auctore senatus friburgensis omnes imperio suo subiectos ad professionem fidei iureiurando firmandam adigit. Canisio profectio stariacensis? Is formulam professionis recognoscit aliterque negotium illud fovet.

Canisius Friburgo Helvetiorum m. Martio anno 1584 P. Ioanni Cremerio S. J. scripsit: „Conatus noster in hac uinea excolenda non est frustraneus, sed proxime hunc etiam fructum in Domino attulit, vt tota Resp. in fidei catholicae professionem non sine magna ciuium consensione iurarit ciuili magistratui. Idem iuramentum ab omnibus, qui sunt huius ditionis, exigitur atque praestatur: illa uero 80 parochijs constat" (v. supra p. 186). Idem *Canisius* Friburgo 15. Iunii 1584 Ioanni Francisco Bonhomio nuntio apostolico scripsit: „Senatus nouam Catholicae fidei professionem conscribi curauit, et in eam formulam iurare iubet ciues, et subditos omnes suae ditionis, ut religionis puritas ubique vendicetur" (v. supra p. 196). Deinde in *Litteris annuis collegii friburgensis, Friburgo 8. Novembris 1584 datis, *Socii* narrant: „Eo nihil ad huius reip. salutem accedere potuit opportunius, quod nostris consiliis permotus Senatus, fidei Catholicae professionem tum ab indigenis, tum ab aduenis sub initium quadragesimae exegerit. Quo factum est, vt et Catholicis animi maiores additi fuerint, praesertim cum iam decretum hoc annis 24 intermissum esset, et debilitata haereticorum spes, qui satis licenter hic antea aetatem agitabant" [1] (ex apogr. eiusdem temp.: Cod. „I. 36" f. 17[a]).

In **Libro* actorum consilii sive camerae secretioris reipublicae friburgensis (cuius erat ad leges novas ferendas et ad reformationes graviores instituendas progredi) notatum est: Consiliarios illos (qui erant 4 tribuni plebis [„Bannerets", „Venner"] et 16 consiliarii secretiores [„Heimliche"]) 27. Decembris 1583 multa dixisse de ratione, qua senatus minor rempublicam et in rebus religionem pietatemque spectantibus, et in rebus civilibus administraret. Decretum autem esse, ut, quae antea mandata essent, ad effectum adducerentur. Professionem igitur fidei et in urbe et in pagis emittendam atque iure iurando confirmandam esse, sicut antea factum esset. Peccatum esse eo, quod neque ad eam exigendam quisquam delectus neque ei emittendae tempus assignatum esset. Modo vero id fieri debere (Legisl. Variétés, Projektbuch K, p. 122—123. Friburgi in archivo reipublicae).

Kalendis deinde Ianuariis anni 1584 Canisius in templo primario S. Nicolai e sacro suggestu questus est: Multos „sine timore pergere in blasphemando, de fide disputare in mensa, seducere cives, implere oppidum novis, falsis et perniciosis erroribus. Hos tandem aliquando per magistratus civiles serio fortiterque coercendos esse (vide supra p. 631).

---

[1] Reipublicae friburgensis senatus homines extra urbem viventes professionem fidei facere, certa formula praescripta, iussit a. 1527 et 1528. Anno 1542 in novam formulam et in urbe et extra eam iuratum est. Iuratum est iterum 1560—1561. Deinde professio intermissa est usque ad a. 1584. Huius anni professionem tandem secutae sunt duae: annis 1595 et 1617 (*Ch. Holder*, Les professions de foi à Fribourg au XVI[e] siècle, in „Archives de la Société d'Histoire du Canton de Fribourg", T. VI, Fribourg 1899, 182—257).

In ***Actis* itaque senatus minoris notatum est: Die 21. Februarii 1584 de camerae secretioris propositionibus („Porgi") sic constitutum esse: „Mandat des gloubens: Allssdan vss beweglichen nottwendigen vrsachen in ettlichen gehallttnen Porgi von mijnen herren den vennern vnd heimlichen das mandat des gloubens so in vilen Jaren nitt geschworen worden, ein anzug geschechen wie hoch eruorderlich das dasselbig widerum fürgenommen vnd in der Statt vnd Landschafft gemeinlich geschworen werde, Dasselbig auch verbessert vnd gestelltt worden haben mijn herren nach verhör desselbigen abgerathen, dasselbig sölle vff Sontag nächstkünfftig[1] allhie in der Statt in der kirchen offenlich geschworen werden. Darneben ist den venern[2] vnd Stattschrijber[3] vfferlegt die Räth vnd Sechtzger[4] zuerwöllen vnd zeordnen dasselbig mandat den Landlütten vff der alltten Landschafft vnd gemeinen vogtijen furzehalltten vnd schweren zelassen."[5] (Rathsmanual Nr. 127 · in 21. Febr. Friburgi in archivo reipublicae).

Mense porro Martio „terrae veteris" homines iurarunt. Die autem 29. Novembris senatus minor statuit: „Mandatschwur soll vff den vogtijen geschehen, von Suntag vber acht tag."[6] Paullo post in senatus *Actis („Rathsmanual Nr. 128", ibidem) notatum est, id 9. Decembris factum esse; simul, quinam ex civibus ad iusiurandum exigendum singulis praefecturis assignati essent, notatum est; assignati erant aliquibus bini, reliquis singuli tantum · „Zu Remont vnd Boll ists noch nit geschworen, von der verordneten vngelegenheit vnd abwesens wegen. Zu Stäfies ists im Augstmonad vericht praesente. H: Schultheis Heid vnd Stattschrijber."

Jam cum ex testimoniis supra prolatis constet, senatum ad haec decernenda et efficienda „consiliis" Sociorum friburgensium „permotum esse", dubitari non potest, quin his consiliis praecipuum pondus addiderit auctoritas Canisii. Is unus certe apud senatum plus valebat, quam reliqui Socii simul efficere poterant. In *processu beatificationis Canisii anno 1627 Friburgi instituto prolatum est testimonium *Guilielmi Lautenschlager* protonotarii apostolici et friburgensis capituli S. Nicolai canonici. Qui testatus est, Canisium „praedicando Christi Euangelium et Fidei Romanae ueritatem, tantum in tali suo ardore profecisse, ut ciues Friburgenses in templo ciuitatis S. Nicolai hortatu Canisij ad id conuocati solenni iuramento iurarint, se uitam et sanguinem Catholicae et Apostolicae Fidei posthabituros; eumque animum ipsi etiam Fri-

[1] Dominica II. Quadragesimae sive 26. Februarii.

[2] Anno 1583 Ludovicum Hermann, Franciscum Praderwan, Ioannem Pittung, Iacobum Bucher id munus tenuisse affirmat *Berthier*, Bonh. 219.

[3] Guilielmo Techtermann.

[4] „Sexaginta" hi ad senatum maiorem pertinebant. Ex iis eligebantur consiliarii secretiores *Schaller*, Institutions etc. [v. supra p. 19] 561—574.

[5] Terram veterem 24 parochiae, quae circum urbem erant, terram novam loca reliqua sive „praefecturae" constituebant.

[6] 9. Decembris sive Dominica II. Adventus.

burgensium ditioni toti ab eodem Canisio ingeneratum esse, ut pro incremento et conseruatione orthodoxae fidei ardenti animo uitam cum morte commutarent" (ex apographo P. Petri Hugonis S. J., Can. 63 f. 115ª 134ª: eadem fere sunt in „*Positione*" a. 1734, Summ. p. 28, et in „*Positione*" a. 1833, Summ. p. 69).

Primus, quod sciam, *Dorigny* (361) a. 1707 affirmavit, Canisium omnes reipublicae friburgensis vicos peragrasse et in iis mandatu senatus professionem fidei excepisse. Dorignium hac in re secuti sunt *Longaro degli Oddi* S. J. (Vita del Venerabil Servo di Dio il Padre Pietro Canisio, Napoli 1755, 230), *Boero* (Can. 380), *Raemy de Bertigny* (92), *Genoud* (107) etc. At neque in senatus decretis modo prolatis, neque in historia collegii friburgensis, neque in antiquioribus Canisii vitis id ulla ratione significatur. Canisius ipse scripsit, Friburgenses „iurasse civili magistratui" (v. supra p. 186). Accedit, quod extra urbem friburgensem plerique lingua gallica iurasse videntur; quam Canisius, si non nesciebat, certe haud multum callebat. Praeterea parochiae plus quam 50 eodem die, qui erat 9. Decembris, iurarunt, neque fieri poterat, ut Canisius in singulis adesset.

Dubitari tantum potest, num Canisius Staviaci fuerit, cum ibi Ioannes Lanten-Heid et Guilielmus Techtermann Friburgo missi iusiurandum professionis fidei exciperent. Eos m. Augusto 1584 illud excepisse, ex senatus libro, ut supra dictum est, constat. In codice autem quodam, qui Staviaci ad Lacum (Estavayer-le-Lac, Stäffis) asservatur et „Annales de don *Grangier*" inscriptus est, refertur: Ex tabulis rationum a Ludovico Gardian praefecto staviacensi collectis intellegitur, a. 1584 hoc accidisse: „Le Père Canisius, premier Jésuite qui ait paru à Fribourg et qui mourut en odeur de Sainteté, arriva à Estavayer le 8 août 1584, accompagné de quelques membres du conseil des Deux-Cents": Annales d'Estavayer. Par D. *Jac. Philippe Grangier,* Chanoine d'Estavayer. ed. ab *Ern. Grangier* et *F. Brülhart,* Estavayer-le-Lac 1905, p. 443. Notandum est, et Heidium et Techtermannum Canisio amicitia iunctos fuisse. Verumenimvero certum est, Canisium, circa initium m. Iulii 1584 Friburgo Augustam profectum, Kalendis Augusti Ingolstadii fuisse (v. infra, monum. 1364) neque ante d. 15. Augusti Friburgum redisse (v. infra, monum. 1359).

Ceteroquin non constat, quo mensis Augusti die professio illa facta sit; quam potius die aliquo sacro, quam 8., qui dies Mercurii ex operosis diebus erat, factam esse dixeris. Poterat „Annalium" auctor in die assignando errare. Canisius d. 26. Augusti 1584 Friburgi orationem sacram habuit; v. supra p. 625.

Varias huius professionis formulas posuerunt Berchtold, Berthier, Holder. Valde autem verisimile est, Canisium a. 1584 operam contulisse ad „novam" illam professionis formulam condendam vel potius ad antiquam recognoscendam ac perficiendam. Nam et Friburgenses eum de eiusmodi rebus saepe consulebant, et ipse, quo erat fidei catholicae studio, libenter ad eas operam praestabat. Huius igitur formulae duo vidi exempla Friburgi in archivo reipublicae: Unum (A), quod commentarium (brouillon, minuta) esse videtur, exstat in codice „Mandatenbuch 1" f. 60ª—62ᵇ; huic tempus quidem ascriptum non est; sed cum medium sit inter mandata 9. Februarii 1584 et 30. Aprilis 1584 data cumque in eo codice ordo temporum servetur, facile intellegitur, cui tempori assignandum sit. Alterum (B), quod apographum eiusdem temporis esse videtur (2°; 6 ff.: $5^1/_2$ pp.), exstat in „Geistliche Sachen" Nr. 454; eadem manu, qua prius illud, scriptum esse videtur; in eius tergo (p. 12) manu antiqua notatum est: „Mandat vff Letare 1584". Puto igitur, Dominica „Laetare" sive IV. Quadragesimae, quae eo anno erat 11. Martii, homines „terrae veteris" sive parochiarum circum Friburgum sitarum in hanc formulam iurasse (cf. supra p. 636). Verisimile quoque est, idem fecisse homines „terrae novae" sive praefecturarum, cum 9. Decembris 1584 fidem profiterentur (v. supra p. 636). Nec quicquam, puto, obstat, quominus dicamus, in ipsa etiam urbe professionem (cui faciendae Dominica II. Quadragesimae sive dies 26. Februarii designata erat: v. supra p. 636) his verbis

factam esse. Professio haec gallice scripta est. Certum tamen est, eam germanice quoque olim scriptam esse in usum eorum, qui germanice loqui solebant (cf. *Holder* l. c. 189—196 200—204). Neque tamen eiusmodi exemplum repperi: germanica enim professionis exempla illa, quae Friburgi in archivo reipublicae vidi, ab hac professione discrepant. Digna haec est, quae hoc loco evulgetur. Nam ex ea Friburgensium non solum fides, sed etiam externa ac publica disciplina cognoscitur. Simul in ea multa vestigia multique fructus cernuntur contionum Friburgi a Canisio habitarum. Sequar autem exemplum B.

„Au nom de la saincte Trinité Amen. Nous l aduoyer petit et grand Conseil de la ville de Fribourg. A tous et vng chacun de quel estat condition et qualite quilz soyent par ces presentes fesons scauoir. Que nous auons considere comme par le bon regime de noz predecesseurs qui ont applique tout leur pouuoir a lentretien de paix. vnion et concorde entre leurs subietz. leur[a] Republique auecque laide du tout puissant s'est louablement augmentee. singulierement en obseruant et maintenant l'estat de nostre saincte foy Catholique. et en icelle perseuerant si constamment par la grace de nostre redempteur. que aucune nouuelle doctrine et sinistre interpretation de la parole Euangelique par docteurs quelz quilz soyent qui se sont efforces[b] la ruiner[c] ne les a peu diuertir. Bien congnoissans lenseignement de telz nouueaux docteurs et prophetes auoir pris source de la zizanie et mauuaise semence non pas de la bonne[1], fesans noz dicts ancestres comme les sages. viuans simplement, et croyans fermement tout ce que par linstinct du sainct Esprit l'Eglise Catholique a tenu, Paraynsi voulans suiure leurs traces. principalement en ce temps calamiteux remplij de tous scandales, et pareillement nous dresser apres le fil et chemin che dieu a monstre a son Eglise, pour euiter plusieurs et jnfinies doctrines nouuellement jntroduittes contre icelle[2], Auons trouue tresexpedient et necessaire ne refraichir la memoire des Articles de nostre foy Chatolique a nos subietz en general et specialement a la Jeunesse a present croissante laquelle tant par nonchalence des parens que par faute des pasteurs en pourait estre ignorante pour respect dequoy auons aduise de faire conuenir derechef tant en nostre ville que autres noz Jurisdictions et terres tous noz subiectz et leur donner dentendre que nostre vouloir est entierement et totalement que ceulx et tous ceux qui habiteront et feront residence en icelles ayent a lexemple de tous noz louables predecesseurs a fermement tenir croire obseruer et garder tous et chacuns pointz et articles de la vraye ancienne Religion Chatolique Crestienne que la saincte Eglise Romaine et Apostolique a tenu et encore de present tient et professe[d] ouuertement et nous monstre en lintrepretation de la saincte et diuine Escriture et des tresuenerables sept sacrement comme sont le Baptesme. Confirmation Sacrement de lauthel penitence extreme vncion Ordre et Mariage.

De croire aussi comme fesons auecque toute fermete de cour Que au tressainct sacrement de lautel le corps et sang de nostre seigneur et sauueur Jesus Christ auecque lame et deite veritablement proprement et essentiellement soit[e] present soubz l'espece[f] de pain et vin Et que ce precieux corps de nostre seigneur Jesus Christ soit louablement offert au sacre office de la messe comme vne sacrifice[g] daction de graces et propitiatoire pour les Chrestiens vifs et morts et paraijnsij doige estre reueré et adore d'un chacun, Aussi que ledict TRessacre corps de Jesus Christ se recoit par les laiques[h] soubz vne espece[i] du pain pour leur sauuement eternel[k].

Et touchant les commandemens de nostre saincte mere Eglise Catholique Chrestienne, vn chacun croye[l] tienne et confesse en fermete, Que iceux en toute

a) nostre *A*. b) *In A sequitur:* et seforcent. *In B haec primum scripta, dein oblitterata sunt.* c) *In B ex* ruiner *correctum est:* renuerser. d) confesse *A*. e) *Sic recte A; B:* soir. f) *Sic recte A; B:* espace. g) *In A* vn sacrifice *correctum est ex* vne oblation. h) *In A sequitur:* silz viennent a le receuoir dignement. *In B sequitur versus, qui postea ita deletus est, ut iam legi nequeat.* i) *In B correctum ex* espace. k) *In A prius scriptum erat* saluation eternelle. l) *Sic A; B haud recte:* voye.

[1] Cf. Mt 13, 24—30. [2] Cf. Hebr 13, 9.

obeissance doigent estre acceptes par tous et chacuns bon Chrestiens et de mesme estre obserues soub peine d'jncourir punition a lendroit des Magistras tant spirituel que temporel. Notament que lon doigt aller a lèglise, assister a loffice de la messe, et aux preches, offrir sur lautel les quatre festes de lan, rendre tous deuoirs et droitz deuz a cause du parochinage, solennizer les festes ordonnées, obseruer les jours de jeusne comme aussi les jours de vendredy et samedij par abstinence et discretion des viandes[a], daccomplir[b] aussi les vigiles enterremens et autres ceremonies accoustumees[c] pour les Catholiques trespassez[d].

Pareillement de tenir et recongnoistre pour coustume louable et deuotion Chrestienne que quand lon sonne a laue Maria tant du matin que du soir, vn chacun se mette a genoux, et prie pour le moings vn pater nostre auecque la Salutation Angelique, pour memoration que nostre salut eternel a commence en la tressacree Vierge Marie.

Et le mesme se doigt faire tous les Vendredijs comme aussi les autres jours alheure de midy en lhonneur de la passion de nostre seigneur, ce que se fera non moings publiquement en pleine rue que secretement[e].

En apres que lon croye et tienne indubitablement que les saincts viuans et triomphans au royaume celeste peuuent prier et jmpetrer grace pour nous, dont vtilement les pouuons inuocquer pour intercession[f], comme amys et sainctz de dieu quilz sont.

Jtem que ce soit chose raysonable et proffitable de prier pour les ames Chrestiennes qui pour leurs pechez endurent paines temporelles au purgatoire.

Jtem que le pape soit leuesque supreme, Vicaire de Jesus Christ, et successeur du plus hault Apostre sainct pierre, auquel nous nous soubmettons comme au chef de l Eglise hors de laquelle Eglise Romaine et Catholique il ny ait esperance de salut.

Jtem que le pardon soit donne par nostre seigneur Tout puissant en leglise et che les fideles Chrestiens le participent effectuellement et fructueusement a la remission de leurs peches.

Et pour obseruation[g] des choses cy dessus dites nous seront esscheuz en corps et biens a nostre arbitrage tous et vng chacun des nostres susdictz, dequel sexe et qualite quilz soyent, A scauoir quiconque temerajrement viendroit a parler et mettre en dispute les articles susdictz des sainctz sacremens, et des commandemens de leglise et autres articles de nostre foy lesquelz les aduersaires dicelle mettent en doubte et controuersie.

Pareillement nous seront emendables tous ceux qui mettroyent en auant quelque opinion particuliere, liront ou tiendront noueaux liures, defenduz et suspectz dheresie, ou chanteront pseaumes nouuellement composez et suspectz.

Semblablement tous ceux qui sans cause legitime et de necessite euidente n'assisteront aux diuins offices deglise et aux preches les dimanches et autres festes ains se trouueront ailleurs comme aux tauernes en charrierre publique ou autres lieux au dehors de leglise.

Jtem ceux qui frequenteront predications et assemblees secretes ou semonstreront scandaleux, opiniastres et contraires a la Religion Catholique en quelle facon et manierre que ce soit.

De mesmes sera vng chacun tenu de reueler a noz officiers de nous ayans charge, les seruiteurs et autres domestiques quil pourroit auoir, receuoir ou entretenir en sa maison qui ne seroyent de nostre Religion Catholique ou ne voudroyent jurer nostre presente ordonnance, et ce dedans lespace de quatorze jours.

Et generalement sera vng chacun tenu de reueler a nous ou a noz officiers toutes et singulieres personnes de quelle qualite sexe et lieu quilz soyent, lesquelles (soit

a) *In A haec adduntur:* et ce en quel lieu que lon se puisse trouuer. b) d'accepter *A.* c) *In A sequuntur vv.:* de faire. d) *In A sequuntur vv.:* et les accomplir de fait*; quae in B primum scripta, dein oblitterata sunt.* e) *In A sequuntur vv.:* la ou lon se trouuera. f) dont raijsonnablement et vtilement les reuerons et inuocquons pour intercession *A.* g) *In A sequitur* inuiolable. *In B hoc v. primum scriptum, dein deletum est.*

en nostre ville, soit en autres lieux pais et terres de nostre obeissance) oseroyent contreuenir dire ou parler a lencontre de ceste nostre profession Catholique et contre nostre present mandement et ordonnance et seront tous ceux qui feront faute de reueler les choses susdites, emendables en la mesme paine que les autres dont cy dessus est parlé. — 1584[a].

Et seront tous ceux qui a ceste heure sont absents compris en ce mesme serement, de facon quilz ne soyent moings coulpables en cas de contrauention que les presentz seront[b]."

Canisium in hoc professionis emittendae negotio magistratibus friburgensibus adiumento fuisse ostendunt etiam ea, quae ille in codice „*Can.* 37", in quo contionum a. 1582—1584 Friburgi a se habitarum commentaria scribebat, in pagina priore involucri posterioris notavit: ubi sic sua manu *scripsit: „Summa monendi qui nolunt iurare in profess. fidei. An habeant aliquid in fide Catholica displicens uel contrarium. 2. Cur non se conforment antiquis et modernis iurantibus laete. 3 Si timore damni et ob periculum temporale. Dicatur ut cogitent nihil graue esse diligentibus Deum. 2 Christi exemplum in eligenda propter nos cruce[1] Christique mandatum confessionem liberam exigentis[2] proponatur. Audiant de collatione spiritualis et externi damni. De artic. Ecclesiae unius Catholicae · Item de noua Ecclesia." In eodem codice f. 251[b]—252[a] *Canisius* sua manu posuit responsum ad hanc quaestionem: „Quid respondendum nouatoribus et in fide sic vacillantibus, ut dicant se facturos quod Catholici in religione sua facere solent, modo ipsis liberum sit alibi, praesertim si apud nouatores habeant bona uel conditionem suae uitae commodam, parentes et amicos uel patronos, ad nouam quoque religionem cum eis transire, et a nouis ministris sacramenta sumere possint." Neque tamen vacat haec hoc loco longius persequi.

Holder de professione anni 1584 notat: „La remarque faite déjà plusieurs fois, que les professions de foi donnaient un nouvel élan à la réforme religieuse, se confirme encore cette fois: les autorités ecclésiastique et civile redoublent de zèle et de surveillance" (l. c. 243).

1355. Circa a. 1584 (20. Maii 1584?).

Ex commentario autographo, quod est in Can. 43 in folio duplici eoque separato.

Canisius Friburgi ad Socios de calamitatibus illius temporis et de Spiritu Sancto dicit.

Exstat exhortatio *Canisii* ipsius manu scripta, quam hic, ut ex ipsis eius verbis intellegitur, ad Socios habuit die sacro Pentecostes atque, ut videtur, Friburgi Helvetiorum. Eam sic exorsus est: „Deus nobis et terrae iratus et ualde iratus et merito iratus[c] ob nostra peccata. Communis haec omnium confessio cuiuscunque sunt fidei et religionis. . . . 4 Bella periculosiora et diuturniora[3]. 5 fames inusitata

a) *Hic numerus et sententia proxima in A non sunt.* b) *Ultima haec sententia in B alia manu scripta esse videtur.* c) *Tria vv. sqq. supra versum scripta sunt.*

[1] Cf. Gal 2, 20; Phil 2, 8; Hebr 12, 2 etc.

[2] Cf. Mt 10, 32 33; Lc 12, 8 9.

[3] Maxime significari videntur bella, quae Calviniani in Germania inferiore et in Gallia adversus Catholicos gerebant.

et uniuersalior. Deficit . . . potestas conseruandi fidem in locis Catholicis, augetur interim ubique haeresis. 2 Non opus est assignare causam praesentis tribulationis, soli Deo perfecte cognitam in qua[a] facile possumus errare, sicut vulgus errare solet communiter, iam haereticos, iam catholicos spirituales et saeculares accusando. 3 Consultum est et securius cum[a] filiis Jacob[1] et cum Dauid[2] ac Daniele[3] nulli se praeferre, sed alijs peccatoribus se conferre, et inter omnes seipsum accusare cum Paulo[4] alijsque praedictis. Si enim nos ipsos diiudicaremus, [non utique iudicaremur][5]. . . Quid ex parte nostra faciendum? Non dico de alijs processionem laudabiliter instituentibus. 2 de[b] peregrinantibus ad loca sacra 3 legentibus Litaniam 4 audientibus sacra." Deinde Canisius accurate explicat, quid Sociis faciendum sit et inprimis „quomodo erga Spiritum Sanctum se habere debeant, ut eius participes fiant". Ea tamen hic ponere longum est. Haec tantum noto: „2 praeparare nos ad maiorem tribulationem experiendam, si uoluerit Deus ut timendum est[c] uisitare et probare suos electos, uti si non crescat uinum, non frumentum, si superuenit pestis uel alij morbj. 3 Compati superioribus in hac tanta tempestate laborantibus et merito afflictis."

Quae Canisius quasi praedixit: fore, ut nec vinum, nec frumentum crescerent, id in regione friburgensi a. 1585 factum est (v. infra, monum. 1382). Atque haec iam timebantur, cum haec exhortatio a Canisio haberetur. Quare existimo eam circa a. 1584 habitam esse. Dies Pentecostes eo anno 20. Maii (ex kalendario gregoriano) erat.

1356. 6. et 28. Iunii 1584.

Ex Baderi autographo, quod est in Germ. 163 f. 16[b], et ex litterarum Aquavivae commentario, quod est in G. Sup. 1 f. 118[a].

Canisius Friburgi bene laborat, praepositis tamen nonnumquam incommodat. Admonitio et consolatio.

P. *Georgius Bader* S. J. praepositus provinciae Germaniae superioris, visitatione collegii friburgensis absoluta, Oeniponte 6. Junii 1584 ad Claudium Aquavivam praepositum generalem haec, praeter alia, de eodem collegio rettulit: „Domestica, atque etiam externa, bene se habent in vtroque homine, laus deo, nostri strenue et fructuose, cum satisfactione vtriusque magistratus, laborant in uinea dominj. . . . Illud tamen subindicare uolui, esse quosdam in eo collegio, qui cum minus bene intelligant ea quae ad gubernationem pertinent, facile tamen se intrudant, cum externis etiam inscio Superiore[6] tractent, ad cuiusuis nutum sententiam mutent, ac deinde Superiores et sermone et scriptis, importune vrgeant · e quorum numero sunt praesertim bonus P. Canisius, qui prae senio nonnunquam parum sapere uidetur, et P. Robertus[7], quod ad cautelam subindicare volui · et enim Rectori et mihi negocium quandoque facessunt, ita ne et V. R. P. facessant, uerendum est." Ad haec *Aquaviva* Roma 28. Junii 1584 rescripsit: „Quod [Reuerentia V.] scribit de natura P. Canisij, et P. Roberti, utemur cum opus fuerit eius admonitione: quanquam bono seni omnis semper consolatio, et satisfactio quae in Domino possit, danda erit."

a) *Sequuntur 2 vv. oblitterata, quae iam legi non possunt.* b) *Hoc v. supra versum scriptum est.* c) *Sequitur alterum* Deus.

[1] Cf. Gn 42, 21.
[2] Cf. 2 Rg 12, 13; 24, 17; Ps 50, 3—11 etc. [3] Cf. Dn 9, 4—18.
[4] Cf. Act 26, 9—11; 1 Cor 15, 9; Gal 1, 13; Phil 3, 6. [5] 1 Cor 11, 31.
[6] Petro Michael rectore collegii. [7] Ardrenus.

Cum Baderi verbis conferendae sunt laudes, quae, nullis querelis admixtis, eodem fere tempore a Petro Michael, collegii friburgensis rectore, Canisio semel atque iterum tributae sunt, infra, monum. 1357.

1357. Post medium a. 1584.

Ex autographis. Germ. 163 f. 91[b] et G. Sup. 19 I f. 36.

Canisius a collegii friburgensis rectore laudatur. Viribus deficit.

P. *Petrus Michael* rector collegii friburgensis Claudio Aquavivae praeposito generali Augusta Vindelicorum ex Sociorum congregatione provinciali 23. Julii 1584 scripsit: „Reuerendus pater Canisius, qui hactenus Friburgensem Vineam egregie excoluit amplissimumque fructum ex eadem collegit, quique Viri sancti nomen apud Heluetios inuenit : fractis iam est uiribus et a grauioribus officijs et laboribus liberandus uidetur, fecit quod debuit et potuit, iunioribusque exemplum reliquit, ut illius uestigio insistentes, se totos proximorum saluti consecrent." *Idem rector* in „Catalogo Collegij Friburgensis", quem m. Octobri 1584 per P. Theodoricum Canisium procuratorem Romam ad Aquavivam misit, de Petro Canisio notavit: „Vires corporis habet fractas. . . . Bonus hic Pater optimi ingenij est, iuditium et prudentiam cum longa experientia habet maximam, quam quoque testantur uaria ministeria, quibus multis annis in Societate functus est : eruditionem tantam consequutus est, ut Doctoris Theologiae nomen sustinere possit. Cum uero ob aetatem quotidie in utrisque tam ingenij quam corporis uiribus deficiat, in multis deinceps laboribus occupari non poterit: fecit quod debuit et potuit."

1358. A m. Iunio ad Augustum 1584.

Friburgenses vehementer instant, ut Canisius, Augustam ad Sociorum congregationem evocatus, ad se revertatur.

Sebastianus Verronius, urbis friburgensis parochus, Friburgo 16. Iunii 1584 Ioanni Francisco Bonhomio apostolico apud caesarem nuntio et vercellensi episcopo de Canisio ad congregationem, quam Societatis provincia „Germaniae superioris" medio m. Iulio Augustae Vindelicorum habitura erat, evocato *scripsit: „Dum noua et maiora expeto, prope amitto quod partum est : ex Prouincialis[1] iussu optimus vir, et sanctus, Venerabilis christi sacerdos P. Canisius Augustam ad Societatis congregationem est profecturus, datae sunt et a Rectore[2], et Prouinciali de eius reditu stipulationes, metuo tamen ne omnino auocetur · si homo Dei[3] iste non redeat, actum est de nobis. Quin igitur? Ad te redeo, per . . .[a] quaeso, omnibus precibus oro, ut ad ea officia quibus erga nos ante usus es hoc accedat, literarum munere Canisium ad nos remittas: emeritus est raris concionibus, catastrophen obsecro apud nos addat; tuum, amantissime Praesul et hoc fuerat. Nobis non tam

a) *Sequitur verbum obscurius scriptum;* σωτῆρα ? salvatorem ?

[1] P. Georgii Bader. [2] P. Petro Michaele.

[3] Dt 33, 1; Ios 14, 6; 1 Rg 9, 7; 2 Petr 1, 21 etc.

nostra salus curae fuerit, quam pietas erit in referenda gratia iucunda. Deus autem summus ad cuius nutum omnia pendent, apperiat Tuae Reuerendissimae dignitati ostium ad omne mysterium Christi et consoletur cor tuum in cunctis laboribus." *Bonhomius* apographum huius partis litterarum Verronii Praga 14. Augusti 1584 Romam ad Ptolomaeum Gallium, cardinalem Comensem et Gregorii XIII. secretarium maiorem, misit et haec addidit: „Se ben spero, che i padri de la Compagnia compiaceranno tutto quel Cantone, non posso però fare, che à maggior cautela non supplichi anch' io V. S. Illustrissima che se per sorte i Padri facessero difficoltà in lasciar ritornare il detto Padre à Friborgo, si degni interponere la sua authorità, perche quel popolo rimanga in cio consolato; sapendo io certo, che s' egli non ui ritornasse, oltre il molto frutto, che fa continuamente con le sue prediche, e conuersatione, et che si perderebbe, si correria pericolo ancora che il Senato non adempisse quello, che ultimamente ha promesso, cioè di fabricare oltre le schole, la casa ancora del Collegio" (ex Bonhomii epistola archetypa et ex apographo partis litterarum verroniarum; quae sunt in archivo vaticano, Nunz. di Germ. 106 p. 333—337 273).

Cardinalis Comensis Bonhomio *respondit Roma 8. Septembris 1584: „Se occorrerà far offitio con li Padri de la Compagnia perche lascino ritornar' il Padre Canisio à Friburg, si farà" (ex epistulae commentario vel apographo eodem tempore scripto, quod est in archivo vaticano, Nunz. di Germ. 12 f. 344ᵃ—345ᵇ). *Bonhomius* autem Verronio respondit de Canisio, Praga 11. Augusti 1584: „Breuior fuerit literas ad me mittendi ratio, quam Reuerendus pater Canisius meo nomine monuit, Redıturum ad uos eundem patrem non dubitamus, si Prouincialis et Rector id polliciti sunt; non deero tamen authoritatem etiam meam interponere, ut piis uotis plane compotes sitis" (ex commentario ab ipso Bonhomio scripto. Cod. vercell. „Corrispondenza etc. [v. supra p. 198) p. 191. Etiam apud *Berthier*, Bonh. 189). Et Praga 24. Septembris 1584 rectori collegii S. J. augustani *scripsit: „Scire uehementer cupio, num Pater Petrus Canisius Congregationi isti interfuerit, et an Friburgum reuersus fuerit, nec ne" (ex commentario ab ipso Bonhomio scripto; l. c. p. 304; cf. *Berthier*, Bonh. 189). Petro autem Schnewlino praeposito friburgensi *Bonhomius* iam 30. Iunii 1584 Praga scripserat „Omnem dabo operam, ut Pater Canisius ad uos reuertatur" (ex archetypo; Cod. friburg. „Epp. ad Schn." f. 77; etiam apud *Berthier*, l. c. 124).

Haec illustrantur *litteris a *Badero* provinciali ad Claudium Aquavivam praepositum generalem datis Monachio Kalendis Februariis 1585, quo tempore de Canisio Friburgo avocando agebatur. „Quam aegre", inquit Bader, „eius praesentia sint Friburgenses cariturj, satis superiori aestate sum expertus, cum dicerem eum ad Congregationem necessario debere uenire, suspicabantur enim aliud latere" (ex autogr.: Germ. 164 f. 56ᵃ).

S. Carolo Borromaeo „*Sebastianus Werro* Ecclesiae Friburgensis Parochus" Friburgo Helvetiorum 25. Septembris 1584 *scripsit: „Post tanta mala, a multis annis accepta . . . in nos respexit DEVS et Pater misericordiarum[1] . . . et quod non postremj beneficij loco ducimus, virtutum, prudentisque simplicitatis exemplar, Canisium dedit: atque cum beatam dicere ciuitatem nostram ad eum modum, quo B. Ambrosius beatam ait quae plurimos justos habet[2], non liceat: infelicem tamen ob tantj virj doctrinam, vivumque innocentiae specimen non putamus" (ex autogr., quod est Mediolani in bibliotheca ambrosiana, Cod. „Fi. inf. 175" f. 231ᵃ—232ᵇ).

1359. M. Iulio et Augusto 1584.

Ex apographo eiusdem fere temporis. Cod. „I 36" f. 18ᵃ.

Canisii et rectoris friburgensis iter germanicum. Amicorum liberalitas. Contiones et confessiones.

In „*Litteris* annuis" collegii S. J. friburgensis, Friburgo Helvetiorum 8. Novembris 1584 datis, haec narrantur de PP. Petro Michaele collegii rectore et Petro Canisio post 28. Iunii 1584 (v. supra p. 624) Augustam Vindelicorum, ubi 14. Iulii incohanda erat Sociorum congregatio provincialis, profectis: „Euntibus Patribus nostris ad congregationem prouincialem 20 coronati a Senatu Friburgensi collati sunt pro viatico. Similis fuit erga Patres nostros et Rectorem Lucernensem[3] pernobilis cuiusdam uiri Constantiensis liberalitas. Nam dum forte in illum Badae[4] incidissent, eos ipse Dilingam vsque suis sumptibus prosecutus est. Idem promisit, quo die nostri habitatum Constantiam venirent, se pro Collegij initio aureos mille donaturum. . . . Sed nec illud praetereundum fuit hoc loco, quemadmodum ad congregationem prouincialem patres nostri profecti sint, non enim suspenderunt organa[5] sua, sed in omni loco dominationis eius[6], ad DEj gloriam, in proximorum salute procuranda praeclare elaborarunt. Concionibus enim in ciuitatibus atque in arcibus habitis, vt a uiris magna auctoritate rogati fuerant, in ipso die Assumptionis D. Virginis[7] 50 personarum confessiones Badae Heluetiorum audierunt."

Canisius igitur et Michael Friburgo Lucernam venisse indeque Leubenstainium secum abduxisse videntur. Item ex his Litterarum verbis valde probabile est, Canisium, antequam congregatio augustana incohata esset, Dilingam venisse. Eum Kalendis Augusti Ingolstadii versatum esse cognoscitur ex praefatione, quam catechismo suo minori Ingolstadii a. 1584 edito praeposuit; v. infra, monum. 1364. Dolendum autem est, quod in Litteris illis nomina non ponuntur locorum, quibus orationes sacras habuit. Eum Lucernae pro contione dixisse satis certum est: v. supra p. 1 201 et infra, monum. 1362. Fortasse dixit etiam Badae, Augustae, Dilingae, Ingolstadii.

[1] 2 Cor 1, 3.

[2] „Quam beata civitas, quae plurimos iustos habet": S. *Ambrosius,* De Cain et Abel l. 2, c. 3, n. 12 (*Migne,* P. lat. XIV 365).

[3] P. Martinum Leubenstain.

[4] Baden, nunc civitas cantonis argoviensis (Aargau).

[5] Ps 136, 2.

[6] Ps 102, 22.

[7] 15. Augusti.

1360. A d. 14. ad 23. Iulii 1584.

Ex apographo Actorum congregationis, quod a. 1587 pro provincia S. J. Germaniae superioris scriptum, exstat in Cod. „B. 10" p. 43—45.

Canisius Augustae Vindelicorum congregationi provinciali Sociorum Germaniae superioris interest. Eligitur „deputatus". Provincialem in electione procuratoris adiuvat. Postulata congregationis.

Ad congregationem provincialem, quae a Sociis Germaniae superioris ex praescripto constitutionum a. 1584 habenda erat (v. supra p. 185[6]), 13. Iulii 1584 Augustam convenerunt omnes, qui interesse debebant. „Postridie mane, dicto simul Hymno Veni Creator etc. cum sua Collecta de Spiritu Sancto : coepta est Congregatio : In qua hi fuerunt, et ordine in formula Congregationis posito sederunt: R. P. Georgius Baderus Prouincialis, ad cuius dexterum latus hi Professi quatuor Votorum erant: P. Petrus Canisius. P. Theodorius Canisius Rector Dilinganus. P. Hieronymus Torrensis Professor Theologiae Dilingae. P. Gregorius Rosephius Rector Augustanus. P. Henricus Arboreus Rector Halensis. P. Martinus Leubenstain Rector Lucernensis. P. Julius Priscianensis Professor Theologiae Dilingae. P. Ferdinandus Alber Rector Oenipontanus. P. Paulus Vizanus, P. Gregorius de Valentia, ambo professores Theologiae Ingolstadij. P. Bonaventura Paradinas Rector Jngolstadiensis. Ad latus uero sinistrum P. Michael Maier, Procurator Collegij Jngolstadiensis, quod est in hac Prouincia maximum. P. Jacobus Crusius Rector Domus Probationis Landspergae. P. Petrus Michaël Rector Friburgensis. P. Otho Eisenreich Rector Monachiensis. Vbi omnes consedissent, habitus est a R. P. Prouincialj breuis sermo, quo et institutum huius Congregationis, et modum in ea procedendi is aperuit : ut nimirum candide aperteque omnes agerent, cum debito Spiritu, charitate et modestia. . . . Electus est ad plura uota secreta in Secretarium Congregationis P. Theodoricus Canisius. Jn adiutorem uero illius, eodem modo P. Julius Priscianensis. Porro in deputatos eadem ratione electi sunt primo loco P. Gregorius Rosephius, posteriore autem P. Petrus Canisius[1]. . . . Die 16. Julij ante Procuratoris electionem, quaesitum est, quis cum Secretario assistere deberet Prouincialj in legendis suffragijs : et uisum est, ueterem consuetudinem Prouinciae huius retinendam esse, quae fuit, ut antiquissimus Professus assisteret, nimirum P. Petrus Canisius. Electus deinde est per uota secreta, a maiori parte ex duabus, in secundo scrutinio in Procuratorem R. P. Theodoricus Canisius : in Substitutum uero, eodem

[1] „Formula Congregationis Prouincialis, in quarta Generali Congregatione recognita, et approbata" [a. 1581], haec habebat cap. 4, n. 13 : „Eodem modo" [i. e. ad plura suffragia secreta] „eligantur duo Deputati, ex primarijs Patribus quatuor votorum Professis, qui vna cum Praeposito Prouinciali ad plura suffragia (praesente tamen semper, et excipiente Secretario quae definita fuerint) seligant tam quae post electionem mittendorum Congregationi proponenda sunt, quam si quid occurrerit quod ad electionem pertineat: de quo proinde ante electionem videatur a Congregatione deliberandum": *Canones* Congregationum Generalium Societatis Iesu, Romae 1581, 90—91.

modo, in tertio scrutinio. P. Martinus Leubenstain. Die 17. Julij actum est de Congregatione generalj cogenda uel non, neque ulli occurrit ratio alicuius momentj, quare illa cogenda uideretur. Quare uero non cogenda esset, multae sese rationes offerebant. Agi deinde coeptum est de uarijs rebus R. P. N. Generalj Congregationis Prouincialis nomine proponendis, quae separatim ponuntur. . . . Die 23 Julij. . . . cum nihil amplius Congregationj superesse uideretur, quod merito tractandum esset, unanimi consensu iudicatum est, finem illi imponendum esse, qui eodem die, recitato alternatim TE DEVM laudamus, impositus est."

Actis hisce in codice (p. 45—50) addita sunt *Claudii Aquavivae* praepositi generalis *Responsa ad res a congregatione propositas et ad „Memoriale" Provincialis, m. Novembri a. 1584 data. Quae de meditatione cotidiana Sociorum responsa sunt, seorsim ponentur infra, monum. 1361. Ex reliquis responsis haec tria commemorabo, quae ad res pertinent, quae Canisio singulariter cordi fuisse censeo: 1. Petierat congregatio: „R. P. N. Ignatij Sanctae memoriae uita, plenius accuratiusque scripta promissa est, at nunquam hactenus uisa: quare si tam illam uitam quam R. P. Xauerij, aliorumque Patrum res praeclare gestas, si quae extant, R. P. N. miserit, spectabit illa res, ad communem nostram consolationem, atque eruditionem." Responsum est: „Curabitur cum Dei gratia". 2. Item petierat congregatio: „Jn hac nostra Prouincia Germaniae Superioris nullum extat Seminarium Pontificium, qualia in Austria et Rheno erecta scimus. Rogatur igitur R. P. N. ut per se, uel P. Hoffaeum [1], ac P. Procuratorem, ut uidebitur, a Summo Pontifice aliquot alumnos in hac nostra Prouincia alendos petat, ne sola haec in Germania tanto subsidio priuetur. De loco uero maiori Congregationis parti Augusta occurrebat, cuius uel nomen et Summum Pontificem, et alios uiros ad id promouere posset." Respondit Aquaviva: „Actum est cum Summo Pontifice et bene speramus." Canisius iam antea et ab Aquaviva novam S. Ignatii vitam petierat (v. supra p. 157) et Gregorio XIII. commendaverat, ut variis Germaniae locis alumnos aleret, vide *Can.* VII 359 665. Aquavivae cura prodiit, ut supra (p. 157) dictum est, Romae a. 1585 Ignatii vita a Maffeio scripta; quam sub exitum saeculi XVI (1593 1596) ibidem secuta est Horatii Tursellini (Torsellini) S. J. opus „De Vita Francisci Xaverii" (*Sommervogel* VIII 140). Petri quoque Ribadeneira S. J. Vita ignatiana iterum latine prodiit, ab auctore recognita et locupletata, Matriti 1586, Antverpiae 1587, Ingolstadii 1590 etc. (*Sommervogel* VI 1726). Seminarium pontificium a Gregorio XIII. m. Aprili a. 1585 Dilingae conditum est (*Duhr*, Jes. I 304). 3. *Georgius Bader* provincialis ab Aquaviva petierat: „Praescribat certum aliquem modum, et uniformitatem Congregationis B. Virginis, cum alicubi una tantum, alibi duae, alicubi etiam tres diuisae sint. Et quidem in quibusdam Collegijs, externi miscentur cum scholasticis: alicubi sunt separati: quibusdam uero in locis foeminae suam habent Congregationem, putantque se Indulgentiarum esse participes, quibus tamen nostrj praeter Confessariorum munus nihil hoc nomine dicuntur praestare. Regularum etiam, et Indulgentiarum, obligationis praeterea ad confessionem et Sacram communionem, non exigua est differentia. Quae sane diuersitas, et confusionem et molestias, et nescio quas aemulationes cum nostris tum ipsis etiam sodalibus parit non leues." Respondit *Aquaviva*: „Foeminae nulla ratione admittantur. De alijs postea uidebimus quid fieri debeat." Diversitati huic brevi remedium adhibitum est. Gregorius XIII. a. 1584 et Sixtus V. a. 1587 praeposito generali Societatis Iesu potestatem tribuerunt virorum congregationes marianas ubicumque institutas „sodalitati primae primariae" romanae aggregandi; huic Aquaviva a. 1587 regulas dedit, quarum praecipuas ubique servari iussit (*E. Mullan* l. c. 26 ad 34 231—274. *Kratz* l. c. 150—155).

[1] Paulus Hoffaeus Aquavivae „assistens" pro Germania erat.

Ioannes Franciscus Bonhomius apostolicus apud caesarem nuntius P. Gregorio Rosephio rectori collegii augustani *scripsit Praga 17. Iulii 1584: „Gratulor de conuentu, seu congregatione ista uestra, cui si ego quoque interesse possem, ut praesertim Patrem Petrum Canisium charissimum meum . . . comitem amplexarer, quantopere laetarer, atque ex corde recrearer in Domino. Ad illum porro dare nunc haud possum literas, quamobrem me illi P. T. faciat rogo, quam diligentissime commendatum." Et *Praga 24. Iulii 1584: „Si Pater Canisius aderit, eum, quaeso, mihi salutet quam officiosissime, eiusque, et aliorum patrum omnium precationibus me quam maxime fieri potest, obnixe commendet" (ex commentariis ab ipso Bonhomio scriptis. Cod. vercell. „Corrispondenza" etc. [v. supra p. 198] p. 121 155).

1361. M. Iulio 1584.

Ex *Matthaei Raderi* S. J. opusculo „De vita Petri Canisii de Societate Iesu . . . libri tres", Monachii 1614, 187, et ex „Responsorum ad proposita a Congregatione Prouincialj Germaniae Superioris, datorum mense Novembri 1584" apographo a. 1587 scripto, quod est in Cod. „B. 10" p. 45—49.

Canisius Augustam ad Sociorum congregationem advectus, ab amicis laete excipitur. Ad Socios „exhortationem" de meditationis hora habet. Hanc integram orationi mentali tribui praepositus generalis iubet.

P. *Matthaeus Raderus* S. J. insignis ille historicus in Vita Canisii primum Monachii a. 1614 edita (l. 2. c. 9) de Canisio haec narrat: „Augustam ex Heluetiis tertio et octogesimo millesimi quingentesimi ad conuentum Sociorum euocatus venit [1], et gaudio non Sociorum tantum, sed familiarium omnium, illustris praesertim matronae Sibyllae Fuggerae [2] incredibili gaudio, et veneratione exceptus est. Vbi et Socios grauissima adhortatione domi (quam ego tum tiro Societatis audiui) vt ad studium meditandi excitaret, comonefecit, vehementerque cohortando asseuerauit, nos ad vltimum Christi tribunal causam dicturos de hora rebus diuinis contemplandis assignata, si illam vel otiose et segniter transigeremus: vel neglectam omnino praeteriremus." [3]

Canisius igitur, m. Iulio a. 1584 Augustam ad Sociorum congregationem provincialem advectus, invitatus est, ut in eo Societatis collegio unam ex „exhortationibus" illis sacris ad Socios haberet, quae ex Societatis instituto statis temporibus fiebant (v. *Can.* VI 584).

De hora autem „meditationis", de qua Canisius tunc dixit, in congregatione quoque illa augustana actum est, ac fortasse Canisii exhortatio actioni huic causam aliquam vel occasionem praebuit; aliquam, dico; nam proxima eius causa erat *Congregationis* generalis a. 1581 habitae canon 6., qui sic habet: „Consuetudo orandi in Societate quotidie per horam integram, praeter tempus duplicis examinis quotidiani, tamquam pia, et salutaris, ex huius Quartae Congregationis decreto, omnino retinenda est" (*Canones* [v. supra p. 645[1]] 41). Haec igitur congregatio per procura-

---

[1] Raderum hic memoria fefellit. Nam haec congregatio provincialis Sociorum Germaniae superioris a 14. ad 23. Iulii 1584 habita est; v. supra p. 645; neque a. 1583 Canisius Augustam venit.

[2] De Sibylla comitissa ab Eberstein, Marci III. Fuggeri uxore, quam Canisius ex Lutheranismo ad ecclesiam catholicam converterat, v. *Can.* III 655—663.

[3] P. *Franciscus Costerus* S. J. provincialis rhenanus Mercuriano praeposito generali Colonia 24. Martii 1579 *scripserat: „Omnes Germani non parum rudes sunt in studio meditandi, maxime iuniores, qui integrum meditationis matutinae tempus nescio quibus phantasijs transmittere solent fere sine vlla vtilitate, et cum magno etiam spiritus detrimento" (ex autogr.; Germ. 157 f. 228[b]).

torem Claudio Aquavivae praeposito generali proposuit: „Quoniam saepe a multis dubitatum est, quantum temporis ex hora orationj destinata, praeter duplex examen, ex Can. 6. Congregationis 4ae ordinarie tribuere liceret recitandis horis Canonicis, etiam ijs qui grauiores occupationes non haberent: Visum est hoc etiam a R. P. N. Generalj petendum esse. Maiorj quidem parti Congregationis uidebatur dimidium ad summum horae, ei recitationi permitti posse." Respondit m. Novembri 1584 *Aquaviva*: „Hora quae decreto Congregationis 4ae orationj praescribitur[1], neque tota, neque pars eius insumi debet, recitandis horis Canonicis, sed separatim extra eas exigitur, nisi ex causa aliqua particularj, et ad aliquod tempus Superiori cum aliquo dispensandum uideretur. Aliae autem preces vocales, etsi omnino non prohibentur, cum Superior uel Praefectus Spiritualis, quempiam ijs melius iuuarj in spiritu iudicaret, tamen optandum est ut plurimum totam a nostris horam meditationj tribuj, propter magnas et solidas utilitates orationis mentalis." Integram igitur horam cotidie a Sociis meditationi impendi debere Aquaviva declaravit. Id quod omnino ex Canisii sententia successisse facile patet.

1362. Inter initium m. Iulii et medium fere Septembrem 1584.

Ex Actorum processus apographo saeculo XVII. vel XVIII scripto. Can. 63 f. 16a—17b.

Canisius Lucernae contionatur.

Die 18. Iunii 1626 Frisingae in processu episcopali beatificationis Canisii P. *Iacobus Keller* S. J. testis vocatus haec, praeter alia, iurisiurandi fide interposita, testatus est: Testis „nouit P. Petrum Canisium, et audiuit ipsum Anno 1584 Lucernae concionantem, ad quem propter opinionem Sanctitatis magnus accursus fuit."

Iacobus Keller († 1631) Seckinga (Säckingen, nunc civitas reipublicae badensis prope Helvetiam sita) a. 1568 ortus, Societatem a. 1588 ingressus est. Anno 1584 fortasse Lucernae in collegio Societatis litteris studebat. Is postea collegiorum ratisbonensis et monacensis rector futurus et libris polemicis atque historicis conscriptis magnam nominis celebritatem consecuturus erat (*Duhr*, Jes. II², 403—411. *F. X. v. Wegele*, Geschichte der deutschen Historiographie seit dem Auftreten des Humanismus, München und Leipzig 1885, 385 387—388; *Sommervogel* IV 981—997; IX 544—545). Concionatus est Canisius Lucernae aut cum in itinere augustano per eam urbem transiret (inter initium m. Iulii et exeuntem m. Augustum), aut circa medium m. Septembrem, cum ex peregrinatione Eremi S. Mariae Lucernam devertisset; v. supra p. 201.

1363. M. Iulio et Augusto 1584.

Ex catalogo autographo, qui est in „G. Sup. 19" I f. 36a—39a, et ex litterarum exemplo eodem tempore scripto, quod est in „I 36" I. 16a.

Sociorum collegii friburgensis nomina, patriae etc.

Mense, ut uidetur, Iulio a. 1584 P. *Petrus Michael* collegii friburgensis rector domus suae catalogum conscripsit, per P. Theodoricum Canisium provinciae Germaniae superioris procuratorem Romam ad Claudium Aquavivam praepositum generalem perferendum. Ex quo excerpo nomina omnium sodalium, qui tunc in eo collegio degebant:

1. P. Petrus Michael rector (cf. supra p. 102). 2. P. Petrus Canisius. 3. „P. Petrus Louaniensis Vraux", annorum 49. 4. „P. Robertus Ardrenus Anglus", annorum 37. 5. „P. Joan. Huletus Anglus", annorum 36. 6. „P. Joannes Raducius Aquensis", 30 annorum. 7. „Stephanus Schonius Landishutanus Boius", annorum 28, „professor

[1] Decretum 5. in decretis manuscriptis decr. 8 significatur (*Institutum* S. J. II 248 249); cuius compendium quoddam est canon ille 6. Ceterum cf. *Can.* V 296—297 et *Duhr*, Jes. I 570—573.

est Syntaxeos". 8. „Joannes Molitor Altenmunsterus Bauarus", annorum 28, „professor principiorum". 9. „Michael Gandagana Sabaudus" annorum 39, „Coadiutor temporalis formatus", „naturae difficilioris" 10. „Christophorus Offner Tyrolensis", 42 annorum, „coadiutor temporalis formatus". 11. „Joannes Keller Heluetius", annorum 26, „est pistor et cocus"; 12. „Hieronymus Stempfle Heluetius", annorum 30, „est Janitor".

In collegii *Litteris annuis* Friburgo 8. Novembris 1584 datis refertur: „Viximus Friburgi hoc anno ferme toto 12. Sacerdotes videlicet 6: Scholastici non Sacerdotes duo, ijdemque praeceptores: coadiutores 4. . . . Verum mense Augusto, duorum accessione numerus nostrorum auctus est. Horum alter Sacerdos; alter Humanitatem professurus aduenit."

Professor ille erat Jacobus Gretser (Gretzerus, Gretscherus), qui postea magnam doctrinae famam assecutus est (Cod. friburg. „Hist. coll. Frib." p. 5—6). De sacerdote autem *Georgius Bader* provincialis Aquavivae generali Lucerna 26. Mai 1585 *scripsit: Friburgum „superiori aestate uenit ex Prouincia Rhenana P. Gerardus Gonterus[1], eo tantum nomine petitus, ut Gallis in ciuitate et extra, contionibus et confessionibus etc. esset consolationi" (autogr.; Germ. 164 f. 228b).

1364. Circa m. Augustum 1584.

Ingolstadii iterum editur Canisii catechismus minor cum institutione ad sacramenta poenitentiae et altaris rite sumenda.

„Der kleine | CAtechismus, | Oder | Kurtze Summa deß wah= | ren Christlichen vnd Chatho= | lischen Glaubens: | Mit vorgesetztem newen Gre= | gorianischen Calender, | Auch kurtzen Bericht von der | Beicht, vnd Empfahung deß hoch= | wirdigen Sacraments deß | Altars: Zum Beschluß mit Fleyß vber= | sehen vnd gemehrt: | Durch | D. Petrum Canisium, der Societet IESV Doctorn Theologum. | Ingolstadt." Versus 2 (excepto C), 4, 5, 7, 9, 13, 16, 18 rubri sunt. In pagina ultima: „Getruckt zu Ingol= | stadt durch Wolfgang | Eder. Anno | M. D. LXXXIIII."

12°; pp. sign. 273; praeterea in initio 4 ff. non sign. (addito titulari) et in fine 1 pg. non sign. Fol. A ija—A iija praefatio Canisii prior, cui tempus ascriptum non est. F. A iija—A iiija „Andere vorred". Nova haec Canisii praefatio, cui tamen nomen eius subscriptum non est, his verbis scripta est: „An Christlichen Leser. ES haben etliche Guthertzige mich in meinem allhie Durchreisen ersucht vnd dahin vermöcht, das ich diesen kleinen Catechismum oder kurtze Summa deß wahren Christlichen vnd Catholischen Glaubens, so zu Vnderweisung der Einfältigen vnnd Jungen beschrieben, vnd bißhero von vilen angenommen, auch zum öfftermaln von mir vbersehen vnnd gebessert, widerumb zutrucken gern verwilligt. Hab auch mir lassen gefallen, daß der Buchtrucker den newen Gregorianischen oder Römischen Calender, so nun mehr an vilen Orten vnsers Teutschlands gehalten, hiebey zu setzen, entschlossen. Daß dann der Christlich Leser mercke, wie das etliche der lieben Heiligen Gottes Fest vnd Feyrtäg nach Römischem Brauch, etliche in gwissen Bisthummen Järlich gefeyrt werden. Jst dero wegen rhatsam, wie dann auch beschehen, die Römische Fest vnd Feyrtäg gantz mit roten Buchstaben, anderer Bistumb aber deß Teutschenlands, nur allein mit einem darzu dienlichen Buchstaben, anzeigen, wie auß nachfolgender Erklärung leichtlich abzunemen. Der guthertzige Leser wölle jhme dises Wercklin gefallen, vnd zu seinem nutz auch Wolfart, dahin es dann vermeynt, gebrauchen. Ingolstatt den 1. Augusti 1584." Pg. 1—32 kalendarium, in quo praeter dies festos ritus romani indicantur dies festi episcopatuum augustani, brixinensis, constantiensis, eystettensis, frisingensis, herbipolensis, moguntini, passaviensis, pragensis, salisburgensis, vindobonensis, singulis dioecesibus per certam aliquam litteram signatis[2]. Dies festi ex praecepto ecclesiae solenniter agendi typis rubris indicantur.

---

[1] Alias: Gontherus.

[2] *Ruland* inde colligit l. c. 12, Catechismum hunc 11 hisce dioecesibus destinatum esse.

Pg. 31 („31" et „32" bis ponuntur) — 34 „Erklärung gemeiner Fastäg deß Jars". Pg. 35 ad 36 conspectus rerum. Catechismus terminatur p. 165. Cui p. 166—178 adiungitur „Das sechste Capitel, von Bestättigung deß wahren Catholischen Glaubens, Auß klarer Zeugnuß der heiligen Geschrifft genommen, dardurch auch die alten frommen Christen wider die newen Rotten vnd Secten, sich offt trösten vnd stärcken sollen." Pg. 178—183 sententiae quaedam, quae S. Augustino attribuuntur. Pg. 184—238 precationes. Pg. 238—273 institutio ad sacramenta poenitentiae et altaris rite sumenda, cum precibus et ratione peccata propria inquirendi et confitendi (Beichtspiegel). Editionis huius charta firma, typi magni pulchrique sunt. Paginae singulae figuris sive ornamentis ligno incisis cinguntur. In kalendario singulis mensibus imaguncula ligno incisa praeponitur.

Editionem vidi Monachii in bibliotheca nationali. Eam posuit *Sommervogel*, breviter II 628, copiosius II 644. Accurate eam descripsit *Ant. Ruland*, Zur Geschichte des Katechismuswesens im Würzburger Bisthum, in „Serapeum", 28. Jahrg., Leipzig 1867, 11—12.

1365. 27. Augusti 1584.

Canisius Iodocum Alex patricium friburgensem ad errores protestantium relinquendos adducere frustra conatur.

Basileae in bibliotheca patria („vaterländische Bibliothek") exstat apographum commentarii germanici manu *Jodoci Alex,* qui patricius friburgensis et unus de senatu maiore illius reipublicae fuerat, scripti, quo is narrat, quomodo, cum a catholica fide ad protestantium doctrinas transisset, Friburgi in custodiam missus et inde liberatus sit. Commentarium integrum ex apographo illo primus typis exscripsit *Fridericus Iselin-Rüttimeyer* in „Archiv des Historischen Vereins des Kantons Bern" IV, Bern 1858—1860, 76—109. Eundem deinde ex illo opere gallice vertit et edidit *Alexander Daguet,* Jost Alex ou Histoire des souffrances d'un Protestant Fribourgeois. Genève 1864, 1—42. Equidem ex editione bernensi fere ea excerpam, quae ad Canisium pertinent.

Friburgi 14. Augusti 1584 *Iodocus Alex,* qui a civibus catholicus habebatur, Guilielmo Taverney canonico dixit, futurum esse, ut ipse sacram eucharistiam sumeret, si utriusque speciei eucharisticae sumptio permitteretur. Id Taverney cum Sebastiano Verronio, ecclesiae S. Nicolai parocho, communicavit. Die autem 23. Augusti Alex ipse de eodem desiderio Petrum Schnewly, praepositum capituli S. Nicolai et vicarium generalem episcopi lausannensis, certionem fecit: qui id sibi valde displicere significavit. Die deinde 27. Augusti Alex Verronii invitatu in aedes praepositi venit. Narrat ipse:

„Da fand ich denn Doctor Canisium, Jesuiter Ordens, Herren Petter Schnewlin, Propst vnd Predicant, vnd Hr. Sebastian Werro, Kilchherren zuo St. Niclausen, vnd alls ich inen einen gutten abend gewünscht, fing der Propst an zu reden, sagende, sie hetten mich allhar bescheiden von ettlich worten wegen der nießung halb beiderlei gstalten, darumb ich nitt allein mitt ime, sunders auch mit Hr. Tauerney gedißcutiert hette; söllte mich deßhalb erlüteren, ob ich noch allzytt by vnrecht gefaßter meinung blyben welle oder nitt, vnd was mich darzu verursachet anzeigen. Daruff sagte ich, daß mich sölliches vestencklich zu glouben bewegte das wort Gottes, dann inn Johanne stande, am 6 Capitel geschriben: warlich, warlich, Jch sag uch, werdent ir nit essen min fleisch vnd trinken min blutt, so habt ir nitt dz leben inn üch. Nun sye Christus dz leben, wie da geschriben stadt Joh. am 14 cap.: Jch bin dz läben, der weg vnd die warheit. Demnach hab der h. Paulus den Chorintern beuolchen sölliches beiderley wyß zu empfangen. Es habint ouch die Christen der ersten Kirchen beide gestalten des Sacraments genossen, welcher bruch ein lange Zytt hernach continuiert worden. Vff sölliches fieng an vorgemelter D. Canisius sölliche mine Argument zu widerlegen, erstlich durch die Concilia, Jtem durch langhargebrachten bruch, Jtem dz weder Caluinus noch Lutherus das 6 Capitel Johannis von deß Herren Nachtmal verstanden habint." Disputarunt cum Alexio etiam

Schnewly et Verronius. Ac cum ille missam negasset esse sacrificium, „fiel mir", inquit Alex, „benempter Kilchherr inn die red vnd sprach, ich sölte disre Matery jetzund fallen lassen, dann sy vorhabens jetzmalen die disputation oder handlung von biderley gstalten zu vollenden. Vnd alls er fürbaß redt, schlug die glogken fünffe, vnd verzog sich vnsre Disputation noch ein gutte zytt darnach, da ich inen allwegen vff ire Argumente hatte antwort geben, dz sy sich darab mußten verwundren; vnd war ein wunder zu sechen, wie benempter Doctor Canisius vor Zorn vffsprang, diewyl er nützit mocht erhalten vnd imme sine Argumenta widerlegt wurdent. Darzwüschent kam man bemelten Canisium reichen znacht essen; da ward mir beuolchen ich söllte abtretten; vnd giengent sy dry zusamen sich zu bratschlagen, wie sy sich mitt mir halten wellint. Nun alls ich abgetretten, gedacht ich, es were rhatsamer mich heim zu verfügen, dann zu warten, daß man mir etwas uflegte zu thun oder anhiellte zu verheißen, so wider min Conscientz vnd gwüssen sin möchte. Alls ich aber heimzog, wolten sy mich widrumb für sich brüffen. Da sy mich aber nienen gspüren konten, wurdent sy leidig darab; mir ward aber darnach gesagt, dz sy mir wolten vfflegen, ich söllte ettliche Frytag einandrennach fasten, vnd vnsre liebe Frouw vnd denn Heilgen Geist thrüwlich anbeten, das sy mir ein bessren sinn verlichen welten" (p. 77—80). Ita quidem commentarius Alexii; neque necesse est moneamus falsa esse, quae de Beata Maria Virgine „adoranda" in eo dicuntur. In reliquo commentario nulla Canisii fit mentio. Eius tamen brevem summam ponam. Varie, sed frustra laboratum est, ut Alex errores deponeret. Qui 6. Septembris clam Bernam abiit, libello relicto, quo se protestantem palam profitebatur. Civitate friburgensi cessit et 4. Ianuarii 1585 civis bernensis factus est. Cum autem — ita ipse quidem asserit — Bernae orator quidam friburgensis affirmassst, eum impune Friburgum venire posse, initio m. Februarii ad res domesticas componendas eo venit. At ibi Verronii rogatu in curiam vocatus et a Verronio, Schnewlino, Ioanne Michel monasterii franciscani contionatore accusatus est, quod ecclesiam romanam meretricem babylonicam vocasset (id quod se scripto fecisse ipse fatetur), imaginum sacrarum cultores idololatras, magistratus friburgenses magistratus neronianos esse dixisset, Calvinianismum inter cives disseminare conatus esset, alia perpetrasset. Deinde ab apparitoribus in turrim abductus, sed paucis post diebus Bernatibus et aliis quibusdam deprecatoribus libertate donatus est ea tantum condicione, ut iuraret, se in posterum terram friburgensem non iam esse ingressurum (p. 95—108). Caeterum Alex se, si quid iniquius contra Deum, senatum, clerum protulisset, rei veniam petere significavit. Fatetur ipse, clementius secum actum esse, quam sperare ausus esset; putabam enim, ait, fore, ut minimum ad magnam pecuniam collegio Jesuitarum exstruendo tribuendam adigerer (p. 108). Caeterum vide, quae de hoc negotio narrantur in Litteris annuis collegii friburgensis, a. 1585 datis, infra, monum. 1391.

1366. Aestate a. 1584.

Ex apographo huius partis litterarum, eodem fere tempore scripto. Cod. „I 36" f. 16b—17a. Pauca ex hac litterarum parte transcripta sunt in Litteras annuas provinciae Germaniae superioris, Monachio d. 1. Ianuarii 1585 datas, quae sunt in Germ. 141 f. 204a—207a.

Friburgi Socii a sacerdotibus saepe consuluntur. Unus eorum praeposito in visitatione adest.

In *Litteris annuis* collegii friburgensis, Friburgo 8. Novembris 1584 datis, haec de Petro Schnewly praeposito capituli S. Nicolai et vicario generali episcopi lausannensis ac de Sebastiano Verronio urbis friburgensis parocho narrantur: R. D. Praepositus „parochos interdum ad nos mittit, vt officij sui rationem a nobis addiscant. Iam uero Praeposito ipsi, ac huius vrbis Parocho id familiare ac in more est, quoties noua aliqua difficultas incidit, nos consulere, vt nostro consilio, quae

ad ditionem hanc in religione Catholica conseruandam promouendamque pertinent, decernant ac statuant. Qua de re cum non ita pridem Dominus Praepositus ditionem hanc vice Episcopi Lausannensis obiret, patrem quendam ex nostris tanquam ad recreationem allexit, qui simul Parochias visitanti consilio adiumentoque esset".

Schnewly hanc visitationem, quam Canisii rogatu a pontifice iussus erat instituere (v. supra p. 110), ante 25. Septembris absolvit (*Berthier*, Bonh. 126). Socium, qui eum comitatus est, Canisium fuisse firmiter statuerem, nisi eius aetas provecta et valetudo infirma dubitationem mihi adferrent. Certe et Schnewly et Verronius eum saepe consuluerunt.

1367. M. Octobri et Novembri 1584.

Ex autographo. Germ. 163 f. 247[a].

Canisius Friburgi in „exercitiis".

P. *Petrus Michael* rector collegii friburgensis Claudio Aquavivae praeposito generali Friburgo 1. Novembris 1584 scripsit: Nostri „omnes exercitijs spiritualibus hactenus uacarunt, duobus duntaxat exceptis, qui P. Canisium hoc tempore meditantem consequentur. Ex his autem tantus fructus in hoc Collegium redundauit, ut nihil aliud quam ut singulis annis fiant, cupiam".

1368. M. Octobri et Novembri 1584.

Ex litterarum Aquavivae commentario, quod est in G. Sup. 1 f. 123[a], et ex Baderi epistula autographa, quae est in Germ. 163 f. 257[a].

Canisius in caeremoniis populo gratificatur. Suspicio de eo.

Claudius Aquaviva Societatis praepositus generalis Roma 4. Octobris 1584 Georgio Badero Germaniae superioris provinciali de praeposito et senatu friburgensi scripsit: „Scripsit ad me Rector Friburgensis [1], Dominos illos nullo modo contentos esse ut nostri in supplicationibus Corporis Christj incedant immixti populo, sed omnino uelle ut locum separatum habeant." *Bader* Augusta Vindelicorum 11. Novembris 1584 respondit: „In postrema uisitatione" collegii friburgensis „ita inde discessi, ut tandem et nostrj et D. Praepositus [2] contenti essent, si illis permitteretur, quod Lucernensibus [3], quibus de uoluntate V. R. P. libenter annui. Quod autem denuo mutasse sententiam uideantur, quid sit in caussa, affirmare non possum · coniecturae sunt, ex quibus aliquid non omnino improbabiliter forte colligi posset · nam et nostris quibusdam non satis probabatur modus ille permixtim cum populo incedendi: et P. Canisius in ecclesiasticis cerimonijs, et alijs quibusdam, populo praesertim Heluetico gratificandi studiosissimus, creditus est aliquando, quae domi in eo genere impetrare non potest, clam cum externis tractare an ita sit, nihil certi intelligere potui et denique fieri potest, ut et alibi fit, ut inter eundum, nostris honoris caussa prior a populo offeratur locus: atque etiam nonnunquam sermones ea de re habeantur."

Petrus Michael rector friburgensis 6. Junii 1584 Aquavivae *scripserat: „Ut nostri plebi commixti SS. Sacramentum comitentur, tam Vicarius quam Senatus inhibent, nec ullas huius rei rationes admittunt, sibique persuadent hoc facto dignitatem Ecclesiasticam multum imminui, et laicis occasionem dari aliquid de honore Viris Ecclesiasticis debito detrahendi" (ex autogr.: Germ. 163 f. 14[a]). Verumtamen *Aquaviva* Roma 6. Martii 1585 Baderum monuit: „Quod attinet ad processiones Friburgenses,

[1] P. Petrus Michael.

[2] Petrus Schnewly, praepositus capituli S. Nicolai et vicarius generalis.

[3] Vide supra p. 166—168.

neque de pluuiali, neque de alijs rebus quicquam modo concedendum indicamus, praeter ea quae Lucernae in usu sunt, quod fuit etiam Reuerentiae V. indicium. . . . Vnum tamen est quod concedi posset, nempe ut scholastici in aliquibus supplicationibus si ciues ita uelint, procedant" (ex comment.; G. Sup. 1 f. 142[a].

1369. 1584.

Ex apographo huius partis litterarum eodem fere tempore scripto. Cod. „I 36" f. 17. Paucissima ex iis in Litteras annuas provinciae Germaniae superioris et in „Annuas Litteras Societatis", de quibus infra p. 654, transcripta sunt.

Doctrina christiana. Cura infirmorum et captivorum. Sodalitatis Marianae pietas et constantia.

In collegii friburgensis *Litteris annuis*, Friburgo 8. Novembris 1584 datis, haec narrantur: „Doctrina christiana „in tribus huius vrbis templis docetur[1]. . . . Visitati . . . infirmi subinde: in hospitalj languentes, ac carceribus inclusi, vt res tulit: ac ter reos ad mortem constanter oppetendam cohortati. Cumque quod saepius captiuos accederemus, vereretur carceris custos, ne malam sibi Magistratus gratiam conciliaret; demum ipsemet Vrbis praefectus nobiscum carcerem ingressus, omni tempore, nobis facultatem cum uellemus concessam custodi indicauit. . . . Sodalitas B. Virginis in hac ciuitate duplex est, altera virorum, Discipulorum nostrae Scholae altera. Quorum uirtus in multis probata est. Viri enim indulgentiarum consequendarum vsum pietate sua renouarunt, quae hic prius adeo cognitae non erant. Sacellum item, ac sepulturam propriam, in templo D. Virginis sibi compararunt, elegantibus ornamentis instruxerunt. Adhuc pauperes subinde eleemosynis largiendis subleuarunt, disciplinarum ac ciliciorum poenitentiae [?][a] se exercuerunt, sed illud in primis fortitudinis ac virtutis erat, quod cum maledicta ac probra nonnulli in Sodalitatem coniecissent, atque in odium [eam] vocassent, maxime quod duae feminae, quae hanc confitendi ac communicandi quouis mense consuetudinem imitatae fuerant, nimio pietatis studio (vt putatur) in amentiam incidissent; nequaquam tamen a pristinis exercitationibus destiterunt. Imo plures et honestae personae nihilominus postea ad Sodalitatem se adiunxerunt."

Quod ad doctrinam christianam attinet, P. *Robertus Ardrenus* S. J. Friburgo 1. Ianuarii 1584 Claudio Aquavivae *scripsit: „Hic Friburgi in schola etiam infima [collegii] legitur catechismus latinus, nec vlla cura habetur vt paruulum germanica gallicaque lingua aeditum discant." Utile vero, et parvulis et maioribus discipulis atque etiam eorum parentibus fore, „vt vulgari lingua bene memoria teneant catechismum". Catechismum canisianum significari satis certum est; v. *Can.* VII 766. Verum P. *Georgius Bader* praepositus provincialis Augusta Vindelicorum 10. Aprilis 1584 ad Aquavivam *rettulit: „Nullibi maiorem inuenio difficultatem quam Friburgi si alia quam latina lingua doceatur. Si enim germanice, plerique Galli non intelligent, Si Gallice quid facient Germani? Adde, quod et nostri, et D. Praepositus obnixe me rogarint, vt Germanos potius quam Gallos ibi constituerem Praeceptores: quod Senatus cupiat linguam Gallicam penitus a ciuitate extirpatam." Visitatione deinde collegii friburgensis absoluta *Bader* Aquavivae Oeniponte 6. Iunii 1584 *scripsit: „De catechismo Gallice in scholis docendo, inquisiui diligenter, planeque rem, ut 10 April. ad V. R. P. scripsi, se habere intellexi · omnes enim consultores (uno excepto) ob easdem caussas dissuaserunt catechismum Gallicum · ille uero consultor est P. Robertus, quem suspicor ad V. R. P. ea de re scripsisse, de quo id pro informatione obiter dicam, ipsum plus aequo solere in suo sensu abundare · facile noua tentare non satis consideratis rationibus, quo etiam fit, ut facile sententiam

a) *Sic; legendum esse videtur:* poenitentiis.

---

[1] A Sociis a. 1583 „in tribus huius ciuitatis templis doctrina christiana doceri coepta est, in D. Virginis et D. Joannis germanice, in sacello uero D. Petri Gallice": *Historia* collegii friburgensis (Cod. frib. „Hist. coll. Frib." p. 4—5).

mutet." Ipse autem *Ardrenus* initio Iunii a. 1584 Aquavivae de hac catechismi gallice tradendi causa *scripsit: Cum praepositus provincialis consultorum (qui erant PP. Canisius, Petrus Lovaniensis, Robertus Ardrenus) sententias rogasset, P. Canisius „totus erat contrarius et satis hac in re vehemens" (ex autographis, Grm. 162 f. 3ª 223ᵇ; Germ. 163 f. 16 49ᵇ).

1370. 1584.

Ex apographo huius litterarum partis eodem fere tempore scripto: Cod. „I 36" f. 16. Complura ex hac litterarum parte transcripta sunt in Litteras annuas provinciae Germaniae superioris, Monachio 1. Ianuarii 1585 a. P. Georgio Badero provinciali datas, quae sunt in Germ. 141 f. 204ª—207ª. Ex his deinde excerpta sunt ea, quae typis exscripta sunt in libro „*Annuae Litterae* Societatis Iesu Anni M.D.LXXXIV", Romae 1586, 179.

Fructus Friburgi ex Canisii aliorumque Sociorum contionibus hausti: Superstitiones sublatae. Sacramentorum frequentia. Ieiunia. Haereticorum conversiones. Morum emendatio. Missae auditio. Peregrinorum cura.

In collegii S. J. friburgensis *Litteris annuis* Friburgo 8. Novembris 1584 datis haec, praeter alia, narrantur: „Concionum, quae in duobus huius Vrbis templis[1] habitae sunt, multiplex fructus extitit. Nam explicatis materijs de fide controuersis, vt locus et tempus postularunt, plurimi in religione Catholica confirmati, et aduersus haereticorum imposturas communiti. Abusus item uarij, qui in religionem ac mores irrepserant, non sine fructu publice reprehensi. Nam non semel libri scriptaque superstitiosa ad nos allata, et inprimis a scholae nostrae discipulis: qui parentes ac hospites suos, quantum in illis inesset sceleris omni studio docuerunt. Quibus tamen nonnulli adeo addicti fuerunt, vt ea re tantum non in haeresis crimen propemodum vocemur, quod ea nobis minime probari iampridem intellexerint. Inde quoque et illud accessit, vt in ferijs Natalitijs, Pentecostes, atque omnium Sanctorum maior solito fuerit confitentium ac communicantium multitudo . . . Quadragesimae porro tempore, de Missae sacrificio institutis concionibus[2], illud effectum, vt non modo crebrius sacro interessent, . . . verum etiam vt ieiunium quadragesimale, quod hic exiguae religioni antea habebatur diligentius ter saltem quaque septimana seruaretur[3]. Hinc postea in paschate, tanta ad nos confluxit poenitentium multitudo, vt octidui paene spatio quinque Confessarij minime sufficerent. In quo labore perferendo patientiam nostram mirati sunt nonnulli, quod tot horas quotidie in confessionibus audiendis poneremus. . . . Ac de moribus id uniuerse dicendum videtur, quod a senatore quodam huius rei optimo teste, prolatum, accepimus. Qui cum in uarijs dedicationibus[4] populi modestiam cerneret, nec se in choreas ineptasque laetitias, vt antea consueuerat, effundentem: Pro, inquit, quanta tam exiguo tempore facta est in hac ciuitate morum mutatio. Haeretici ab errore reuocati 35 circiter: partim in concionibus conuicti, partim domi nostrae instituti. In quibus vnus medicinae Doctor.... Illa uero in hoc genere singularia accidere quod etiam inter haereticos habitantes aliqui, confitendi ac communicandi gratia nos accesserint. Ac unus quidem vt a Magistratu haeretico diebus dominicis ac festis sacri audiendi facultatem obtineret, mille libris annuis eam redimere minime grauabatur. . . . Cumque per Friburgum plerumque ex Germania ad S. Iacobum[5] peregrini iter faciant, numquam non ad nos confessionis ac communionis gratia diuertunt, nec enim aliter domo hospitali

[1] Horum unum fuisse templum S. Nicolai, quod in urbe primarium est, certo constat; v. supra p. 622. Alterum fueritne ecclesia S. Ioannis an B. Mariae V., definire non audeo.

[2] De his Canisii contionibus v. supra p. 622—623. [3] Cf. supra p. 504.

[4] Festa sive anniversariae memoriae templorum Deo dedicatorum significantur: cf. supra p. 618.

[5] Ad sepulchrum S. Iacobi maioris Apostoli, quod est Compostellae in Hispania.

excipiuntur, nisi factae apud nos confessionis suae testimonium exhibuerint. . . . In pagis pluribus tum Germanicis tum Gallicis conciones habitae quam antea: quas inde gratas fuisse intelleximus, quod obnixius et crebrius, eas a nobis Parochi contenderint, quam vt ijs satisfacere potuerimus."

P. *Petrus Michael*, collegii friburgensis rector, in collegii sui *Catalogo mense, ut videtur, Iulio a. 1584 scripto notat, se Friburgi etiam contionatorem agere. P. Ioannes quoque Huletus contionatus esse videtur. P. Michael enim in catalogo illo dicit, eum aptum esse „ad concionandum gallica lingua" (G. Sup. 19, I f. 36ᵃ 37ᵇ). Ceterum facile patet, fructuum ex Sociorum contionibus a. 1584 haustorum potissimam partem Canisio assignandam esse.

1371. Exeunte a. 1584.

Canisii catechismus minor bohemice redditus urgente Bonhomio nuntio apostolico a Sociis pragensibus editur.

Romam ad Claudium Aquavivam Societatis praepositum generalem ab *Henrico Blyssemio* S. J. provinciae austriacae praeposito initio a. 1585 missum est [1] scriptum, quod sic incipit: „Quae die IX. Decemb. 1584. proponente Reuerendissimo D. Episcopo Vercel. Nuntioque Apostolico [2] tractata, conclusaque sunt in domo Jllustrissimi DD. Wilhelmi Rosmbergij, Bohemiae Proregis, praesentib. Reuerendissimo D. Archiepiscopo Pragensi [3], Jllustrissimis et Generosis Dominis, eodem D. Rosmbergio, D. Georgio Popelio Supremo Regni Camerario, et D. Georgio de Martinicz Smeizan. [4] nec non D. Vdalrico Felice Lobxowiczio. Haec fere sunt." Sequuntur capita multa; in quibus hoc est: „Neque uero illud parui momenti esse affirmatum est, ut postquam hactenus Bohemia tot libris haereticorum referta, uix essent ulli, qui legerentur, Bohemico idiomate exarati Catholici libri, ad emendandam praeteritam negligentiam, iam nauetur opera diligentius · ut aliquot libri Catholici in Boëmicam linguam quamprimum conuertantur, typisque excusi, per Vniuersum Regnum peruulgentur, ac praesertim quanto citius fieri possit, Catechismus uterque P. Canisij paruulus scilicet ac maior. Quoniam autem impressoria hic multo cariori precio, quam alibi exercetur, ideo aliquam pecuniarum summam eius rei caussa promptam, paratamque esse oportere, affirmauerunt omnes spoponderuntque." Deinde dicitur, quamprimum visitationem omnium ecclesiarum parochialium instituendam fore in eaque hoc, praeter alia, de parochis cognoscendum: „An Catechismum Catholicum doceant diebus festis" (Germ. 163 f. 298ᵃ 299ᵇ 300ᵃ).

In *„Materia pro annuis [litteris] Collegii Pragensis anni 1584" Kalendis Aprilibus a. 1585 Romam ad praepositum generalem missis *Socii pragenses* scribunt: Catechesis bohemica diebus dominicis ante vesperas habetur, sicut antea quoque factum est. Quia autem nostrorum numerus tantus non est, ut ubique contionari possimus, „editae sunt hoc anno in utilitatem et consolationem Catholicorum iam diu desideratae Boemicae precationes, Catechismus Canisij minor, Scutum fidei: Responsiones Christianae, Apologia contra Picarditas, Libellus continens Haereticorum sententias contra sacram Scripturam pugnantes" (ex archetypo; Germ. 141 f. 192ᵃ).

Prodiit igitur in lucem typis germanicis exscriptus liber:

„Maley | Katechyſ= | mus a nebo Sum= | ma Prawé Křeſtianſké | Katholicſké wſſeobec= | né Wijry. | Scholu Kalendářem, a | nábožnými modlitbami, k vži | wánj každodennjmu | welmi proſpěſſ= | nými a přijhodnými. | Tudijž y kratičká zpráwa, kte | rakby ſe Člowěk w přigijmánij we= | lebné Swátoſti Oltářnij, křeſtianſky zachowati měl. | S powolenijm Oſwij= | ceného | Knijžete a Pana P. Martina Arcy= | biſkupa Pražſkého. | Létha M. D. LXXXIIII." (Id est: Catechismus parvus sive Summa fidei verae et christiano-catholicae atque universalis una cum kalendario et precationibus piis ad usumque cotidianum valde

---

[1] Cf. *Kroess*, Böhm. Prov. I 474—476. [2] Ioanne Francisco Bonhomio.

[3] Martino Medek, ordinis Crucigerorum cum rubea stella.

[4] In *epistula quadam huius temporis de eo dicitur: Vocatur „vulgo Smeizansky".

utilibus et accommodatis. Accedit institutio brevis, qua docetur, quomodo quis in sumptione sanctissimi sacramenti altaris christiane se gerere debeat. Permissu illustris principis ac domini, domini Martini archiepiscopi pragensis 1584.) Versus 2, 3, 7, 8, 12, 13, 15, 16 et annus rubri sunt.

12°; ff. sign. 176; praeterea in initio 16 ff. non sign. In duobus foliis titulo proximis lingua bohemica posita est „Praefatio Petri Canisii, doctoris sacrae Scripturae. Lector benevole! Liber hic antea saepius multisque locis . . ."; terminatur: „Jesu Christi dilectissimi domini ac redemptoris nostri. Amen." Sequitur kalendarium et conspectus rerum. Catechismus in folio 4. incipit. Quem sequuntur testimonia Sacrae Scripturae adversus haereses adhibenda. In extremo libro, lingua bohemica: „Finis Catechismi doctoris Petri Canisii. Sit nomen Domini benedictum in aeternum." P. Alexandrum Voyt S. J. pragensem, collegii pragensis rectorem, Canisii „Catechismum minorem" a. 1584 lingua bohemica „edi in lucem fecisse" narrat *Schmidl* I 495 642.

Librum vidi Pragae in Museo bohemico (62 K. 11). Editionem brevissime et minus accurate memoravit *Sommervogel* VIII 890; cf. IX 906.

1372. Exeunte m. Decembri 1584.

Ex Can. 42 f. 141^b—142^a. Exhortationem ex eodem codice (alia omittendo, alia addendo) edidit *Schlosser* 309—313.

Canisius Friburgi ad Socios vota renovaturos exhortationem habet.

Exstat commentarium Canisii manu scriptum exhortationis sacrae ab eo in collegio friburgensi more Societatis ad Socios habitae. Quae sic incipit: „Appetit tempus ad renouanda uota nostra institutum iuxta ueterem morem societatis, et idcirco nunc praecedere debet exhortatio. Licet autem non ita pridem sit, quod uota renouauimus sicut meministis post facta exercitia, tamen non id nos impedire debet, quominus et nunc iterum uota renouemus. Tempus enim ipsum hortatur ad maiorem renouandi promptitudinem et deuotionem, quia nouum annum incipiemus, et in eo festum nominis Jesu, ut festum proprium Societatis nostrae, celebrabimus[1]. . . . Statui autem hoc tempore uobis exponere nonnulla quae ad bonam et salutarem renouationem faciendam omnibus et singulis prodesse possint, ne alioquin nos in opere tam sancto impediamus, nosque debito fructu priuemus contra mentem superiorum." Socios monet, ne vel „simulato animo" vel „ex more tantum ueteri" vel „ex timore seruili" renovationem faciant, ut „vocationem suam considerent", „agnoscant suos defectus", Deum invocent, „excitent uoluntatem ad nouum zelum", „de assistentia diuinae gratiae" multum confidant, se „examinent", num „resignationem uoluntatis" habeant, „armentur contra morbos" animorum. Quaerat, ait, unusquisque, „sentiatne desiderium patiendi ab haereticis et alijs pro Christo, paratus bibere calicem[2] cum nostris fratribus, et in sanguine suo baptizari cum Innocentibus[3], et cum S. Thoma Cantuariensi ein blutzeug Christi et Christianae fidei[4] esse hoc tempore, quo Christus incepit nostros sicut aurum in igne probare[5], uultque societatem resistere mundo, falsitati et haereticis usque ad sanguinem"[6].

[1] Circumcisionis Domini, in qua „vocatum est nomen eius Jesus" (Lc 2, 21), festum, quod Kalendis Ianuariis agitur, iam inde ab initio habitum est Societatis Iesu „festum titulare" atque praecipuum. Cf. *Can.* I 475 et *Schlosser* 341.

[2] Mt 20, 22; Mc 10, 38. [3] Cf. Mt 2, 16—18; Mc 10, 39; Lc 12, 50.

[4] S. Thomas Becket, archiepiscopus cantuariensis, a. 1170 pro libertate ecclesiae tuenda Cantuariae martyrium subiit. Eius memoria 29. Decembris, memoria SS. Innocentium martyrum 28. Decembris agitur.

[5] Iob 23, 10; Eccli 2, 5; 1 Petr 1, 7 etc.

[6] Hebr 12, 4. Canisius potissimum martyria significat, quas Socii pro fide catholica in Anglia vel iam subierant, velut Beatus Edmundus Campion aliique (v. supra p. 615[5]), vel paullo post subituri erant.

Canisius hanc exhortationem sic inscripsit: „Exhortatio ad annum 1585 Friburgi pro renouantibus uota fratribus". Ex his verbis et ex exhortationis ipsius exordio, quod modo posui, intellegitur, eam habitam esse exeunte m. Decembri anni 1584 (inter 28. et 31. Decembris); anni, dico, 1584, non 1585, cui *Schlosser* eam assignare videtur. Canisius enim „ad annum 1585", non „anno 1585" scripsit. Accedit, quod in codice hanc exhortationem proxime sequitur exhortatio 26. Iunii 1585 habita.

1373. Inter 17. Maii 1584 et 15. Iunii 1585.

Ex commentario manu ignota scripto et a Canisio recognito. Cod. „Can. 38" f. 1 et 2 non sign., in initio codicis.

Canisius Friburgi ad Socios collegii exhortationem de Spiritu Sancto habet.

Exstat „Exhortatio ad fratres de Pentecoste" Friburgi Helvetiorum a Canisio habita, in qua is haec potissimum collegii illius Sociis „meditanda" proposuit: „1 Quomodo Spiritus Sanctus ad primos discipulos a Trinitate mittatur, et a primis fidelibus in Hierusalem accipiatur. 2. Quomodo eadem Trinitas adhuc mittat eundem Spiritum et nos illum accipere debeamus." „Quae nos impediant ad Spiritum Sanctum recte accipiendum." Ex ipso autem loco, quo huius exhortationis commentarium positum est, valde verisimile efficitur, eam aut a. 1584 (quo Dominica Pentecostes 20. Maii erat) aut a. 1585 (quo illa erat 9. Iunii, ex kalendario gregoriano) habitam esse. Neque tamen ipsa Dominica habita est; sed Canisius pro Societatis more die Veneris, qui Dominicam illam proxime vel antecedebat vel sequebatur, dixisse videtur.

1374. 1584.

Ex Michaelis epistula autographa, quae est in Germ. 163 f. 14, et ex Litterarum annuarum exemplo eodem fere tempore scripto, quod est in Cod. „I 36" f. 18ª.

Friburgi malevoli aliqui Socios variis modis calumniantur. Boni eos defendunt.

P. *Petrus Michael* collegii friburgensis rector Friburgo 6. Iunii 1584 Claudio Aquavivae praeposito generali scripsit: „Domi non desunt qui patientiam nostram exerceant, nam quidam simplicioribus persuadent, nostros sub nomine doctrinae Christianae, Caluini haeresim disseminare, alij nostros exportare pecunias, et id genus alia quotidie affingunt, quorum etiam aliqua typis commendarunt; boni uero magis ac magis nos diligunt, amoremque suum quandocunque necesse est, declarant, maxime uero Praetores [1] cum potissimis Senatoribus, qui nos contra obtrectatores non minus atque fratres defendunt."

In *Litteris annuis* collegii friburgensis Friburgo 8. Novembris 1584 datis haec narrantur: „Invidorum turba nunquam defuit. Fuere enim, qui in uulgus sparsere religionem nos simulare, at caetera nummis et opibus studere: ac demum etiam fugam arrepturos, vbi pecunijs bene referti fuerimus. Quod toties fieri dictitant quoties aliquem hinc alio commigrasse animaduertunt. Alij concubinis nos non carere aiunt. Quidam etiam haereticos nos esse mussitant, aliaque similia confingunt quae simpliciores et qui nobis alioquin addicti esse solent, abalienent. Sed et discipulis nostris negotium facessere aliqui interdum quod Catechismum aut Euangelium in scholis praelectum [2], domi illos repetentes videant. Caeterum licet tam in senatu, quam in populo, huiusmodj malevolj non desint: id tamen hactenus calumniando consecuti sunt, vt cum absurdi quicunque rumores commemorantur, tam veros esse dicant, ac qui de IESVITIS saepe dissipari solent."

---

[1] Ludovicus d' Affry et Ioannes de Lanten-Heid.

[2] Haec verba ostendunt, Friburgi quoque morem viguisse, quem Socii germani in collegiorum suorum scholas omnes induxerant: Singulis diebus dominicis et festis vel pridie eorum evangelium sacri diei discipulis explicabatur. Cf. *Duhr*, Jes. I 253—255.

1375. 1584—1586.

Rupellae et Basileae a protestantibus libri adversus Societatem eduntur, in quibus Canisius nominatim impugnatur.

1. Annis 1584—1588 Rupellae (La Rochelle), quae erat Hugonottorum gallorum arx omnium munitissima, cum inscriptione „*Doctrinae* Jesuiticae praecipua capita" 8 tomis vulgatum est corpus quoddam librorum et libellorum contra Societatem Iesu scriptorum, quorum complures, si non omnes, iam antea separatim editi erant. In operis volumine primo, Rupellae a. 1584 edito, quod nomen „Altera editio, priore emendatior, et duplo auctior" prae se fert, hi, praeter alios, libri comparent, in quibus Canisius quoque et eius libri impugnantur: 1. *Martini Chemnitii* lutherani „Theologiae Iesuitarum praecipua capita" primum Lipsiae a. 1562—1563 edita (p. 1 ad 112); de quibus v. *Can.* III 809—814. 2. *Petri Boquini* calviniani „Assertio veteris ac veri Christianismi" primum a. 1576 (Lugduni, ut videtur) edita (p. 123—208); de qua v. *Can.* VII 753; 3. „Fides Jesu et Jesuitarum . . . collecta per *Donatum Gotrisum* Trivonensem Theologiae professorem nunc denuo recognita et emendatior edita" (p. 209—502); quae primum edita erat „Christlingae" a. 1573; v. *Can.* VII 693. In Tomo III, a. 1585 edito, haec, praeter alia, sunt: (n. 15) „Theses de modo Adoptionis, seu de Fide Electorum Dei, a doctissimo quodam Theologo conscriptae, Iesuiticis praestigiis, in Canisii Catechismo, in Censura Coloniensi, et aliis Disputationibus, cap. de Fide et Iustitia Christiana, sparsis oppositae" (p. 1013—1022) et (n. 20) „Theses de legitima veri cultus Dei ratione: Sophisticis Catechismi Iesuitici a Canisio conscripti, pag. 165, Coloniensis editionis, fol. quaestionibus et responsionibus oppositae" (p. 1022—1029). In quarto tomo, a. 1586 edito, cernitur p. 401—660 „Gratianus Antijesuita", in quo libro canones a Gratiano ex veterum theologorum operibus in „Decretum" congesti cum Societatis doctrina, ex variis Sociorum scriptis excerpta, conferuntur et libelli auctor anonymus Canisium ex Patribus refellere conatur.

2. Anno 1586 Basileae editum est in 4°, ut dicimus, crassum volumen sic inscriptum: „New / Jesuwitspiegel. / Darinnen / Durch drey schöne Bücher, vnd ein / lustig Gespräche, ihre Lehre, Glauben / vnd Leben, auß jhren eignen Schrifften, klärlich für au- / gen gestellet, vnd mit zeugnissen der Heiligen Schrifft, / vnd der alten Kirchenlehrer, außführlich / widerleget wird. / Allen frommen Teutschen, in sonderheit / aber den betrübten vnd ietziger zeit betrangten Christen, / im Lande zu Francken, zum vnterrichte, troste, ver- / manung vnd warnunge, auff hoch / Teutsch fürgestellet / durch / *Iohannem Conradum Vlmerum*, / Predigern zu Schaffhausen / am Rhein. / Getruckt zu Basel / bey Conrad Waldkirch. / M.D.LXXXVI." (pp. 660 et 14 ff. non sign.).

Continentur in hoc opere versiones germanicae horum trium librorum primum latine editorum: 1) *Chemnitii* „Theologiae Jesuitarum praecipua capita" (quae modo dixi), 2) *Donati Gotrisi* „Fides Jesus et Jesuitarum", de quibus modo dixi, 3) *Guilielmi Bidembach* „Consensus Jesuitarum et Christianorum in doctrina religionis" Tubingae a. 1568 editus (v. *Can.* VI 693[1]). Accedit „Ein kurtzes Jesuwitisch Gespräch" a *Paulo Florenio* cum Christiano Francken habitum a. 1578 (de quo v. *Duhr*, Jes. I 546—548).

1376. Circa a. 1585.

Ex Can. 38 f. 265[b].

Canisius de causis defectionis ab ecclesia.

Canisius circa a. 1585 sua manu haec notavit: „Quid mouet hodie tam multos ad nouam[a] religionem, et eos excaecauit. 1 Die lieb zu dem zeittlichen gut vnd leiblichen[b] wollust. 2 grosser hass auff die priesterschafft, so nit ist in geburlicher volkomenheit 3 Lieb auff die Kunst der wolredung vnd mancherley Sprachen."

a) *C. supra* nouam *scripsit:* abfal. b) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.*

1377. 1585.

Canisii „Parvus Catechismus Catholicorum" editur latine Cracoviae, germanice Ingolstadii, lettice Vilnae.

1. „*PARVVS* CATECHI- SMVS CATHOLI- CORVM: NVNC PRI- MVM INTEGRITATI SVAE RE- *stitutus & singulari authori- tate Sacræ Cæsar: Maiest: editus.* Authore D. PEtro CAnisio, Do- ctore Theologo Societatis IESV. *Accessère Preces Horariæ, de æterna Dei Sapientia* IESV CHRISTO *Domino nostro, cum* | *pijs quibusdam &* CHR*istianis exercitationibus.* CRACOVIÆ. *In Officina Iacobi Siebeneycher, Anno Salutis Humanæ* 1585."

16°; ff. 60 (addito titul.) non sign. (A—H IIIJ); f. A II praefatio Canisii „Exiguum est opus hoc . . ." (Augustae m. Maio a. 1561 data); f. A IIIa—A IIIJb „Edictum" Ferdinandi I. (Vienna 10. Decembris 1560 datum); f. Ea—E IIIb „Testimonia Scripturae Sacrae contra Haereticos" etc. Sequuntur Preces horariae, Meditationes quotidianae de virtutibus Christi, „Modus tempore matutino Deo se commendandi", „Quid in progressu Diei subinde agendum", Oratio S. Thomae „Creator ineffabilis", „Meditatio vespertina quae erit conscientiae discussio et examen". Librum vidi Cracoviae in bibliotheca universitatis iagellonicae (Cimelia VI. b. 473). *Sommervogel* hanc editionem non posuit.

2. *De Backer* (III 2054) posuit „Der Klein Catechismus oder Kurze Summa des wahren Christlichen vnd Catholischen Glaubens mit versetztem [corrige: „vorgesetztem": cf. supra p. 649] Neuwen Gregorianischen Calender, durch Petrum Canisium Ingolstadt, 1585, 16mo". Haec editio, a De Backer haud ita accurate descripta, redintegratio quaedam fuerit illius, quae Ingolstadii a. 1584 facta et a De Backer (I 1061) accuratius descripta est (quamquam hanc ille dicit in 12° factam esse). *Sommervogel* (II 644) utramque ponit et in 12° factam esse scribit.

3. Ab amico quodam certior factus sum, Upsalae in bibliotheca universitatis exstare librum sic inscriptum: „CATECHISMVS Catholicorum. Iscige pam- | macischen, no themb Paprekschе Galwe gab- blembs Christites macibes. Prexskan thems nemaci- gems vnd iounems bernems. Cour Kungam Petrum Canisium thaes Schwetes rakstes Doctor. Eksprestcz Vilne Pille Litto- urre Semmens, pt Danielem Lanc- ciciensem expan tho gadde | 1585."

12° min.; ff. numeris non signata, addito titulari, 35; in pagina altera folii titularis et in pagina ultima est insigne Societatis Iesu ligno incisum (signum nominis Iesu et tres clavi, quorum extremitates alterae in corde quasi una intinguntur). Pagina tertia incipit: „Tam Christite Lascotaiam" etc.; pagina quinta incipit: „Summa ieb ehtur- reschen Christites Ma- cibes, prexan thems ne- | macigens londems vnd iounems ber- nems." Est hic catechismus Canisii minor sive „Parvus Catechismus Catholicorum", in linguam letticam illam, quae in Curonia sive Curlandia et in Livonia meridionali (Livonia polonica) et in parte terrae vitepscensensis (Witebsk) usurpatur, translata ac Vilnae in Lithuania (Vilnius, Wilno) per Danielem Lanecieiensem a. 1585 typis expressa. Libri huius orthographia cum ea, quae nunc in libris letticis usurpatur, multum discrepat. *Sommervogel* hanc editionem non posuit.

4. *I. G. Th. Graesse* ponit: „Catechismus P. Canisii in linguam polon. versus. Vilnae 1585 (in 12mo)" (Trésor de livres rares et précieux II, Dresde 1861, 36). *Sommervogel* haec non habet. Estne haec editio eadem atque lettica illa (supra, n. 3)?

5. *J. B. Reiser* ponit: „Inst. Christ. piet. seu parvus Catechismus, primum a P. J. B. Romano S. J. imag. distinct. postea aereis formis etc. expressus". Quem librum Antverpiae a. 1585 in 8° editum esse dicit (B. Petrus Canisius als Katechet, 2. Aufl., Mainz 1882, 66). At nec De Backer nec Sommervogel hanc editionem commemorant; et P. J. B. Eliani sive Romani imagines primum in lucem prodierunt a. 1587 Romae (*Sommervogel* III 379). Antverpiensis autem illa editio non a. 1585, sed a. 1589 facta est; quam vide infra, monum. 1472.

1378. 1585.

„Opus catechisticum" Parisiis editur.

„OPVS CATECHISTICVM, | SIVE | DE SVMMA DOCTRINÆ CHRISTIANÆ, D. PETRI CANISII THEOLOGI SOCIETATIS IESV PRÆCLARIS DIVINÆ SCRIPTVRÆ TESTIMONIIS sanctorúmq; Patrum sententiis sedulò illustratú opera D. PETRI BVSÆI Nouiomagi, eiusdem Societatis IESV Theologi. nunc verò primùm accessione noua locupletatum atque restitutum. | *EDITIO VLTIMA.* | De huius operis ac vniuersæ doctrinæ quę in illo tractatur distributione, folium abhinc decimumquintum cum sequenti indicabit. *Cum duplici* INDICE, *vno quidem Scripturarum explicatarum, altero verò rerum &* | *sententiarum, ad calcem adiectis.* | PARISIIS. Apud Thomam Brumennium, in clauso Brunello sub signo Oliuæ. *M. D. LXXXV.* Cum priuilegio Regis."

2° Singulae paginae in 2 „columnas", quas vocamus, divisae, et per has „testimonia" distributa sunt. Ipsius autem catechismi sententiae integram paginarum latitudinem habent. Columnae numeris signatae 1836. Praeterea folia non signata in initio 16 (addito titulari) et in fine 30. F. a IJ^a^—b^a^ Canisii litterae dedicatoriae ad Iulium Echter episcopum herbipolensem Oeniponte a. 1576 datae. F. b^b^ Summa brevis eaque gallice scripta privilegii ab Henrico (III.) Galliae et Poloniae rege Thomae „Brumen", universitatis parisiensis bibliopolae („marchant libraire") iurato Parisiis 31. Ianuarii 1579 concessi et a „Grignon" subscripti; in quo rex enuntiat: Cum opus illud a doctoribus facultatis theologicae universitatis parisiensis probatum sit et Brumennio magna pecunia in eius editionem expendenda sit, nemini, excepto Brumennio, permitti, ut proximis octo annis idem opus in terris imperio regis subiectis typis exscribat vel vendat. Sequitur „Approbatio huius libri. Nos subsignati doctores Theologi Academiae Parisiensis, hunc Petri Canisij Catechismum sacrae scripturae sanctorumque Patrum testimoniis illustratum in communem totius Ecclesiae Catholicae vtilitatem recudendum censuimus. Dadre. Perier." F. b 2^a^—b 3^a^ praefatio Busaei, Colonia Agr. 13. Augusti 1569 data. F. b 3^a^—b 4^a^ „Admonitio ad Lectorem". F. b 4^b^—c 3^a^ Chronologia ecclesiastica (index pontificum, imperatorum, scriptorum ecclesiasticorum, haereticorum, persecutionum, conciliorum). F. c 3^b^—d^a^ laudes SS. Patribus tributae (sicut in editione venetiana anni 1571). F. d^b^—d 3^b^ „Augustini pro authore Catechismi ad oppugnatores doctrinae in eo traditae, sacrarum inprimis literarum, deinde sanctissimorum simul et vetustissimorum Patrum testimoniis confirmatae, responsio" (L. 1 contra Julian., c. 2). Cum adnotationibus marginalibus Busaei. F. d 3^b^ ad d 4^b^ conspectus rerum. „Appendix de justificatione" testimoniis illustratur perinde atque ipse catechismus. In extremo libro index locorum S. Scripturae, qui in hoc opere explicantur (coll. 10). Sequitur index rerum valde copiosus.

Librum vidi Pragae in bibliotheca universitatis (XXXI B 49). Idem exstat Augustae Taurinorum in bibliotheca nationali, Genuae, Hispali (Sevilla), Matriti, Salamanticae in bibliothecis illarum universitatum, Lugduni in bibliotheca reipublicae. Editionem breviter commemoravit *Sommervogel* II 441.

1379. 1585.

„Catholisch Betbüchlein auss den Schrifften Herrn D. Petri Canisii zusamen getragen, vnd zum täglichen Gebrauch in dise kleine Form gebracht. Ingolstadt, durch Wolffgang Eder. 1585. 32°". Ita *Sommervogel* II 676. Paulo aliter atque, ut videtur, minus accurate *De Backer* I 1052; III 2054.

1380. 1585.

Schultingus in „Confessione Hieronymiana" Canisium laudat.

Cornelius Schultingus sive Schulting (1540—1604) Steinwichio (Steenwijk, urbs Neerlandiae) ortus, praeter alia opera, quibus protestantes, inprimis Calvinianos, vehementer impugnabat et rem liturgicam illustrabat (cf. *Hurter* III^3^ 570—571), anno 1585, cum Coloniae canonicus

ecclesiae Sanctorum Apostolorum esset, ibidem edidit grande opus „Confessio Hieronymiana ex omnibus germanis B. Hieronymi operibus optima fide collecta." In huius praefatione (f. α 6ᵇ) ait: „In genere de Erasmi collato in Hieronymum, aliosque Patres labore, iudicium praestantissimi Theologi, et magni nostri Hieronymi cultoris, diligentissimique Lectoris, D. Petri Canisij, omnibus in promptu est petere, ex praefatione ante selectas a se epistolas B. Hieronymi."

1381. 1585.

Ex libro „De Indulgentiis Tractatus F. *Antonii Cordubensis*, ex sacro Minorum Observantiae regularis Ordine", Ingolstadii, Excudebat Wolfgangus Ederus, 1585", f. [* 6ᵇ] – [* 7ᵃ].

Antonii Cordubensis liber de indulgentiis Canisio auctore iterum editur. Laudes Canisii.

„*Wolfgangus Ederus* Typographus" in litteris Ingolstadio 1. Iunii 1585 datis, quibus Antonii Cordubensis O. Min. Obs.[1] opus de Indulgentiis a se typis exscriptum Iulio Echter a Mespelbrunn episcopo principi herbipolensi dedicat, scribit: Antonium Cordubensem ex D. Francisci familia insigne opus de indulgentiis „ante 30. annos" composuisse et Compluti in Hispania typis evulgasse. „Cuius operis cum perpauca exemplaria in Germaniam peruenerint obtulit mihi vnum Reuerendus admodum simulque doctissimus et de vniuersa Ecclesia sane optime meritus D. PETRVS CANISIVS venerandae SOCIETATIS IESV Doctor Theologus incomparabilis. Illud autem cum ab omnibus magnopere desiderari expetique propter argumenti dignitatem et solidam eruditionem viderem: putaui me Christianae Reipub. rem vtilem facturum, si denuo typis meis recusum in lucem aspectumque omnium proferrem."

Exemplum huius libri exstat Friburgi Helvetiorum in bibliotheca cantonali; in eius folio titulari *Canisius* sua manu scripsit: „Societatis Jesu Friburgi 1585." Dubitari vix potest, quin Canisius (quae eius erat consuetudo) Cordubensis librum Edero eo dederit consilio, ut is librum typis exscriberet, et probabile est, Canisium id fecisse aestate a. 1584, cum per Ingolstadium transiret: v. supra p. 649.

1382. 1585.

Orationes sacrae a Canisio Friburgi habitae. Magistratus hortatur, ut auctoritatem sibi vindicent, leges exsequantur, crimina puniant, haereticos terra excludant, curent, ne victus pretia iniuste augeantur. Populum ad laborem excitat. De ieiunii et contionum neglectu queritur. Contiones quadragesimales de Job et de communione unius speciei habet. Strigarum magorumque artes et remedia contra eas declarat. Superstitiones varias reprobat. Cultum eucharistiae, cum tempore tempestatis circumfertur vel ad aegros defertur, commendat. Sacerdotes et magistratus civiles honorandos esse dicit. Indulgentiarum antiquitatem, fundamenta etc. ostendit. Confessarios „meticulosos" reprehendit. Domum virginibus bene instituendis condi vult.

Canisius Friburgi anno 1585 orationes sacras fere 47, easque maximam partem in templo primario S. Nicolai habuit. Quarum commen-

---

[1] Doctissimus hic vir † 1578 imprimis theologiam moralem et polemicam libris illustravit. De eius operibus v. *Hurter*, Nomenclator III³ 2–3.

taria alia, eaque plurima, ipsius Canisii manu, alia ignotis manibus scripta, a Canisio autem recognita et amplificata sunt.

„In die Circumcisionis 1585" sive 1. Ianuarii 1585. „Quid festum hoc a nobis exigat, ut recte et cum fructu celebretur, inprimis et breuiter dicam. 2 unde fiat, ut tam parum prosit uetus mos, quo nos alijs, et alij nobis bonum et felicem nouum annum precentur. 3 distribuam meis auditoribus nouum annum, sicut haud dubie desiderant et expectant" (ex commentario, cuius una pars eaque latina a Canisio, altera eaque germanica ab ignoto scripta est. Can. 38 f. 111ᵇ—117ᵃ). Xenium novi anni a Canisio distributum ponetur infra, monum. 1383.

„Jn Purificatione b. Virginis" sive 2. Februarii 1582. „Ad quid persona Simeonis nobis seruiat in hoc Euang. et festo?" Deinde protestantium varias adversus usum candelarum sacratarum obiectiones singillatim refutat (ex comment. autogr.: l. c. f. 117ᵇ—120ᵇ).

„Quadragesimale anni 1585." „Vt de Catholicis loquar, quam multi hodie sciunt tantum es sey der Aschermittwoch et caput seu initium ieiunij, ac non uescendum esse carnibus usque ad pascha iuxta ueterem morem, nisi necessitas aliter postularet. Sed pauci norunt quid sit et ualere apud nos debeat Quadragesima. . . . Ex centum uix unus inuenitur quotidie ieiunans, id est, ut semel edat, et contentus sit collatione[1], licet possit bene comedere semel, et non habeat multum impedimenti. Nullum est Ecclesiae praeceptum minus obseruatum, et tam parui aestimatum uulgo, sicut ieiunij per totum annum. Nullibi maior inobedientia nostra cernitur, imo nec pro peccato aestimatur, et qui maxime obligantur nobiles et diuites, minus curant. . . . Tentatio est, quod excusant se multi per antiquam consuetudinem multorum non ieiunantium. Si dicatur, Cur non abrogatur . . . , quod multi domi et in hospitijs contra omnem honestatem et Zuchte se gerant, blasphement, iurent, furiant, et fere omnia praecepta uiolent, item quod in hospitijs ebrij reperiantur mane nondum finita concione, statim dicitur mihi, Consuetudo uetus est. Dico ego, Consuetudo uetus est quod inimici dei et ecclesiae ad inferna descendant, ut o p e r a c a r n i s [Gal 5, 19] facientes, regnum dei amittant [Gal 5, 19—21; 1 Cor 6, 9 10; 15, 50; Eph 5, 5], ut scientes et non facientes voluntatem Patris, dure uapulent [Lc 12, 47]. . . . Ex antiquo more uelantur ab hoc die altaria, nec uideri sinuntur imagines Sanctorum ante pascha, quando deponuntur uelamina. . . . Imponuntur cineres omnibus ad altare accedentibus, et sacerdos in fronte signans crucem dicit singulis, Memento homo quia cinis es, et in cinerem reuerteris. . . . Qui male Quadrag. suam incipiunt? Qui tam aegre abduci possunt von der vnsinnigen Fastnacht, et adhuc sibi seruant libertatem cum mundo vtrique Domino seruiendi . . . dispensant secum usque ad hirßmontag[2], imo usque ad Laetare[3]. . . . Tempus hoc requirit ein Fast vnd Bußprediger, et quia ego ad hoc indignus, infirmus, ineptus, egregium, fortem et peritum Job uobis proponere constitui, qui non minus uita quam uerbo ualeat. . . ." Sequitur „Aliud initium in die Cinerum"; in quo haec sunt: „Quoniam proposui mihi hoc sacro tempore ter praedicare, Dominico, 4ᵃ et 6ᵃ feria, non debeo minus facere quam circumspicere et deligere certam materiam posthac tractandam et explicandam. Qui me audierunt duobus praeteritis annis norunt quod tractauerim de prima et 2 parte missae id est de consecratione et oblatione a Christo in cena instituta et in illo uerbo fundata, H o c f a c i t e [in m e a m c o m m e m o r a t i o n e m, Lc 22, 19; 1 Cor 11, 24 25]. Superest 3 pars de communione. . . . Dominicis quidem diebus nescio quid melius in medium adferre quam de communione et sumptione sacramenti sub una specie. Hic enim l a p i s est multis o f f e n s i o n i s [Is 8, 14; Rom 9, 32 33; 1 Petr

[1] Cenulam sive refectiunculam significat vespertinam, quam lex ieiunii (praeter prandium) permittebat.

[2] Hirsmontag = dies Lunae post Dominicam primam Quadragesimae (*A. I. Weidenbach*, Calendarium historico-christianum medii et novi aevi, Regensburg 1855, 197).

[3] Ad Dominicam IV. Quadragesimae.

2, 8]. 2 praecipua contentio et lis, de qua hodie disputatur 3 ein Blutfane der auffrurischen hodie contra Catholicam nostram fidem pugnantium 4 Communis morbus in fide infirmorum 5° curiosorum libenter se a sinu matris subtrahentium praetextus sub vmbra diuini mandati [1]. Quid autem per hebdomadam in hoc munere tractabimus? Historiam mirabilem nobilis et celebris prophetae et patientis uiri Job. . . . Vt autem aliqui non querantur de longioribus concionibus in ipsa hebdomada instituendis, volo uobiscum pacisci, et promittere, quod statim hora septima finis erit concionis: Quod si pauci venient ad huiusmodi conciones, consolabitur me noster propheta et monebit me ad sanctam patientiam, quia scio quomodo mihi et alijs superioribus annis in hoc casu acciderit, id est, quomodo uulgus hominum pigrum inuoluntarium et negligens sit ad uerbum Dei. Si essem gauchlerer uel abenturer, non dubium quin plures accurrerent. Vnde autem hoc? 1 Ex uana et elata opinione nos non egere instructione de credendis, agendis et omittendis . . . 2 ex negligentia magistratus non urgentis subditos ad cultum Dei, nec utentis potestate sua ad sanam doctrinam conseruandam et prouehendam. Faciunt sicut ludimagister intermittens uirgam in pueris regendis 3 ex falsa opinione quod obligemur solum ad missam audiendam. . . ." Sequitur tertia tractatio, in qua haec, praeter alia, dicuntur: „Abusus. Protrahere Bacchanalia · abstinere velle tantum a carnib. non a peccatis · inebriari ut antea · comessari publice in hospitijs mane et uesperj, nullum ordinem seruare domi in mensa · nullum seruare discrimen inter cenam et collationem · opinio impossibilitatis. Jeiunabant [olim] omnes usque ad vesperam. Nobis modo permittit Ecclesia in meridie prandere, si uolumus. . . . Saltem triduum eligite [ad ieiunandum] ex comment. autogr.: l. c. f. 121^a—127^a). Contio habita est die Cinerum sive 6. Martii 1585.

„Prima concio de libro Job", habita, ut videtur, feria VI. post diem Cinerum sive 8. Martii 1585. De libro Job. De eius auctore. De persona Job, ex principio libri ex comm. autogr.: l. c. f. 127^b—128^b).

„De Dominicis Quadragesimae, et 1 de Dominica Jn[uocavit]" sive prima, quae erat 10. Martii 1585. „Dicam breuiter de tribus hoc sacro tempore cuique cognoscendis et faciendis, 2 pro fundamento dicendorum de Communione, dicam de triplici genere auditorum considerando 3 cur Neochristiani tam mordicus urgent calicem, et acceptare nolunt Catholicam informationem de Christi corpore sub vna specie panis percipiendo." In codice vero sequitur tantum pars prior, quae potius exordium quoddam est (comment. autogr.: l. c. f. 258^b—259^a). Idem dicendum est de contionibus Dominicarum proximarum usque ad Dominicam Palmarum sive dierum 17., 24., 31. Martii et 7. Aprilis 1585 „Dominica Reminiscere" l. c. f. 132_b—133^a; „De 3. dominica" l. c. f. 259; „Dominica Laetare" l. c. f. 141^a; „Dominica Passionis" l. c. f. 146^a); praeterquam quod in fine codicis (l. c. f. 266^b—267^a) comparent pauca aliqua „Collectanea de communione unius speciei" Canisii manu scripta. Cum tamen Canisius initio Quadragesimae sollenniter promiserit, se Dominicis huius sacri temporis de communione sub una tantum specie sumenda dicturum esse, et cum idem hanc promissionem in initio contionis prima Dominica Quadragesimae habitae confirmaverit, dubitari non potest, quin promissis steterit. Propterea etiam in * *Litteris* annuis collegii friburgensis, Friburgo 8. Novembris 1585 datis, affirmatur, orationes sacras habitas esse „de vnius tantum speciei communione" (Cod. „I. 36" f. 20^a). Existimo autem, eum Friburgi usum esse commentariis contionum de hoc argumento olim alibi habitarum: quae commentaria eum Friburgi secum habuisse satis certum est.

Hic ponam tantum aliqua ex exordiis Dominicarum 1. et 4. In primo Canisius monet: „Qui non potest aut vult quotidie ieiunare, saltem ter abstineat a cena. . . . Adhortor omnes ut sese in interiore et exteriore humilitate exerceant, ideoque coram Deo se humilient in corde uera contritione de peccatis assumpta, et quam primum fieri potest, facta etiam peccatorum confessione, sicut olim multi boni fecerunt et

---

[1] Anno 1584 Iodocus Alex patricius friburgensis hoc praetextu usus erat ad oboedientiam ecclesiae catholicae detrectandam: v. supra p. 650.

adhuc faciunt, in Quadragesima bis confitentes. . . . Si non vultis ipsi uos ita coram Deo et eius Vicario humiliare, ut Deus uos exaltet [1 Petr 5, 6], mittite saltem filios, seruos, ancillas et familiam, ut probe instrui et praeparari possint ad felix pascha" (comment. autogr.: l. c. f. 258ᵇ—259ᵃ). In altero exordio Canisius: „Scio", inquit, „Ecclesiae mentem [hoc die] eo spectare, ut praedicatores omnes obedientes filios suos, qui maiorem sacri temporis partem bene transegerunt, in bono instituto consolentur atque confirment. Doleo uero me huic ueteri et laudabili mori non posse respondere quum ansam habeam tristandi potius quam gaudendi et arguendi magis quam consolandi. Dolet mihi ex multis Friburgi habitantibus tam paucos uenire ad audiendam saltem consolationem spiritualem et futuram 2 ex omnibus auditoribus praesentibus tam paucos capaces esse ueri et interni imo et aeterni gaudij atque solatij, quod solum conuersi ad Deum [Lc 1, 16; Act 14, 14; 26, 20 etc.] sentiant. 3 maiorem partem ita disponi, ut egeant magis einer bußpredigen als Trostpredigen, et ut terreantur potius quam letificentur 3 ut ego potius illos deflere debeam sicut Paulus carnales Corinthios defleuit [1 Cor 3, 3; 4, 18—6, 20; 11, 20—34; 2 Cor 7, 8 9; 12, 20 21], quam ob ipsos laetari, sicut angeli gaudent super poenitentibus [Lc 15, 7 10]. Eterne Deus tibi conquestum sit in celis quod nos pauperes praedicatores debemus esse uoces in deserto clamantes [Is 40, 3; Mt 3, 3 etc.]. 2 inutiles seminatores qui licet late tuum semen spargamus, tamen exiguum adferre fructum possumus, quodque surdis clamemus. Habemus 14 dies tantum usque ad Palmarum, quando magna turba ad mensam domini accurret et deinde. Quam pauci uero se ad rem tantam praeparant sicut ab initio monui. Quam pauci peccata sua recogitant et se ostendunt sacerdoti, sollicite inuocant Deum, cum proximo se reconciliant, debitum ieiunium seruant uereque se ex toto corde conuertunt cum ieiunio fletu et planctu [Ioel 2, 12]. Ey lieben bruder tempus est e somno surgendi [Rom 13, 11]. Laetare adest, pascha prope est. Christus suo benedicto pane, imo carne et sanguine suo vult uos in deserto cibare [1]. iam oculos misericordiae suae aperuit, et in uos coniecit, ordinem statuit discipulis, ut uobis prouideant, uos consolentur et satient pane celesti. Per hunc et in illo paratus est uos tristes letificare 2 infirmos confortare. 3 fessos ergetzen und erfrischen. 4 famelicos saturare 5 indeuotos excitare ad Dei laudem et concordem confessionem. Quid autem requirit a nobis?" etc. (ex comm. autogr.; l. c. f. 141ᵃ).

De Job Canisius dixisse videtur, ut iam monui, diebus Martii 6., 8., 13., 15., 20., 22., 27., 29. et Aprilis 3., 5., 10., 12., 17., nisi forte d. 27. Martii contionando supersedit, quia 25. propter diem Annuntiationis B. Mariae V. contio habita est. Hae contiones in codice scriptae neque tamen ita inter se distinctae sunt, ut, quo quaeque die habita sit, certe dici possit. Aliqua ex iis ponam.

In „Altera contione" de Job, quae 13. Martii habita esse videtur, Job patribusfamilias ad imitandum proponitur (ex comm. autogr.: l. c. f. 129ᵃ—130ᵃ). In „5. contione", quae 22. Martii habita esse videtur, Canisius: „Videmus", inquit, „quam facile satan media inueniat ad nocendum, sicut hic inuenit Sabaeos et Chaldeos, nuntios, ignem, uentos, equites et pedites, raptores, fures, latrones ad sanctum cruciandum [Iob 1, 13—19], eo intentus ut quod per se non potest, per alios faciat, sicut per magos, nigromanticos, beschwerer, hexen vnd segererein aliosque trabantes vnd Teuffelskunstler saepe facit cum magno detrimento in bonis, corpore et uita multorum etiam innocentium, uel per applicationes lapidum, herbarum et aliarum creaturarum, quarum naturas intime cognoscit et ad hominum iniuriam conuertit. Vnde semper Ecclesia morem habuit creaturas aliquas benedicendi per Dei uerbum et orationem, sciens cogitationes et intentiones Satanae nos persequentis et laedentis, postquam terra ob peccatum primi hominis maledicta est [Gn 3, 1—18] (comm. autogr.; l. c. f. 136ᵃ).

[1] Evangelium huius diei erat de Christo Domino pane per miraculum multiplicato Israelitas in deserto cibante (Io 6, 1—15).

In contione sexta vel septima Canisius copiose de magis, strigis, superstitiosis dixit; v. infra, monum. 1385. Paenultima contio fuisse videtur „de uxore Job peccante et a uiro correpta", ultima eaque post Dominicam Palmarum habita „de tribus amicis Job" et „de usu dicti Job Si bona de manu Domini suscepimus, mala quare non suscipiamus? [Iob 2, 10]" (ex comm. autogr.: l. c. f. 149ª—156ª).

„In festo palmarum" sive 14. Aprilis 1585. „Non posset nocere, imo utile et consultum esset, si probus Christifidelis hoc die tria sibi proponeret et cogitaret. 1° quod hodie tota Christianitas suum Palmtag peragat. 2 quod statim post sequatur die Martyrwoche 3 quod hanc ultimam Dominicam breui sequetur nostrum Ostern, et quod quilibet qui ad discretionis annos peruenit Christi corpus, uerum Agnum paschalem in Sacramento sumere obligatur." „Vbi praeterire non possum abusum illorum, qui causam praebent nouis suermeris, ansam obtrectandi et ridendi nostras ceremonias, quod hodie multi accurrunt, knijn nider, betten an das geschnitze bildnuß Christi und den Eselin, kussent hend vnd fuß. 2 tollunt palmas aliquas et conuertunt ad malos usus, superstitiones exercent. Non est haec mens Ecclesiae, sicut orationes huius diei monstrant. 2 Nemo prudens laudare potest, sed merito carpunt boni haec et alia quae fiunt nunc in die parasceves et sabbato paschali, seminantes, auferentes von Ostertauff, Osterkerse. 3 Peccant hic maxime mulieres proprij sensus uanae et curiosae, lassen sich nit maisteren, quicquid dicat Episcopus et Parochus et praedicator. Jta nonne manifestus abusus quod nolunt audire conciones et uesperas 2 quod in Missa excurrunt quando dicitur pater noster, licet hoc uiri faciant. Omitto alia quae corrigi aegre possunt sine seculari magistratu." In postrema contionis parte Canisius narravit complura „Miracula diuinitus facta circa sacramentum [eucharistiae] tum ad infideles et errantes Ecclesiae hostes et dubios ad fidem ueram conuertendos, tum ad fideles in uera et Catholica fide fideique doctrina confortandos et conseruandos". In horum numero hoc est: „Anno 1384. Exemplum Oswaldi Mulser nobilis petentis a sacerdote magnam hostiam sibi prae reliquis dari ex mera temeritate et elatione. Cum in Seueld ante altare procumbit, terra se aperit Osualdum absorptura, in qua usque ad genua cecidit, manibus altaris latus apprehendens. Sacramentum sanguine tinctum mansit, et adhuc remanet, ibique multa fiunt miracula. Terrae hiatus ferreis cancellis obtectus. Ossualdus poenitentiam egit. Vxor insana facta, quia noluit credere" [1] (ex comm. autogr.: l. c. f. 151ᵇ—154ª).

„In die sancto Paschatis" sive 21. Aprilis 1585. „Rectum est et laudabile quod C. uestra modo cantauit, das Christus Dei et Marie filius der sei erstanden von seiner Marter allen, vnd were er nit erstanden, so were die welt vergangen." [2] „Dicam 1 quam differenter ueteres et noui Christiani celebrent hodie suum pascha. 2 quomodo communicantes et alij ex Euang. discere possint, quomodo se hoc die et sequentibus gerere debeant. . . ." „Propter" diem paschatis „celebratur dominica quaelibet cum processione et sacrificio Eucharistico" (ex comm. autogr.; l. c. f. 156ᵇ—160ª).

„Jn festo S. Marci" sive 25. Aprilis 1585. „Statui mecum non uersari et morari circa festi huius Euangelium, quod alio tempore explicaui, sed redire ad historiam prophetae Job, et solum proponere illius uerba dicta et scripta de duplici resurrectione, Christi scilicet et electorum. . . . Dicam ergo 1° quomodo Job se et nos omnes excitet ad ueram fidei confessionem resurrectioni Christi debitam. 2 de fructu resurrec. in nobis et electis complendo 3 quomodo non consolationem articulus de

[1] Haec relatio propterea notatu digna est, quod Canisius ipse m. Ianuario a. 1574 mandatu Ferdinandi II. archiducis Austriae Oeniponte Sefeldiam (Seefeld, pagum tirolensem) venit et, quomodo ibi res se haberent, accurate cognovit; v. *Can.* VII 160 185.

[2] „Christ ist erstanden von der Marter allen; des sollen wir alle froh sein, Christ soll vnser trost sein, Kyriöleis. Wär er nit erstanden, die welt die wer zergangen" etc. Haec cantio in libris cantionum catholicarum a. 1537, 1567, 1573, 1576, 1584 etc. editis exstat; atque hymnologi censent, eam iam saeculo XII. exstitisse (*Meister* I 331—335).

carnis resurrectione futura, sed terrorem reprobis adferat" (ex comm. autogr.: l. c. f. 160b—164a).

„In festo S. Philippi et Jacobi" Apostolorum sive 1. Maii 1585. „Tempus ipsum anni ad gaudium excitat, quia hodie incipimus mensem Maij, in quo non solum homines siue fideles, siue infideles, sed et pecudes specialiter delectantur frolocken, aues cantant, terra se ornat, arbores frondent, gramina prodeunt et ad gaudium nos prouocant magis quam in toto anno ita ut cum sponsa dicamus: Jam hyems transijt, imber abijt, et recessit, flores apparuerunt in terra nostra" [Ct 2, 11 12]. Ostendit Canisius, Christum in evangelio diei (Io. 14, 1—13) fidelibus „multiplicem consolationem proponere", et quaerit, unde fiat, ut pauci „uerum inde fructum sentiant, maxime in sua cruce et aduersitate" (ex comm. autogr.: l. c. f. 164b—165b).

„Jn Festo S. Nicolai Patroni" (Translationis reliquiarum S. Nicolai) sive 9. Maii 1585. „S. Nicolaus . . . specialis patronus est semperque fuit huius templi, oppidi et totius ditionis." „Quia non est animus totam historiam et uitam Patroni nostri repetere et etiam quia non possum prophetae Job obliuisci, cogitaui solum aliqua proponere, in quibus Propheta Job et Patronus noster pulchre conueniunt, et ubi Nicolaus illum excellat: Vnde palam erit Patronum nostrum uerum fuisse discipulum et sectatorem prophetae." „De uero usu et abusu festi praesentis." „Quales hominum classes S. Nicolao displiceant hodie. Displicent iniusti mercatores, auari diuites, grauantes usuris proximos, . . . ad militiam non necessariam procurrentes, corpusque et animam periculis magnis obijcientes, potius, quam ut in patria Deo quiete seruiant, et suae uocationi satisfaciant uel honeste panem suum domi lucrentur[1]. . . . 2 Displicent illi rectores et domini siue spirituales, siue seculares in officio suo dormientes et infideles" . . . qui „ex humano timore impunita sinunt publica et foeda scandala, ut blasphemorum, adulterorum, peierantium, scandalizantium, Dei Ecclesiaeque praeceptis publice rebellantium. Non uigilant contra uiolantes politiam publicam, et ut seruentur iuramenta ac leges antiquae. . . . 4 Displicent illi hypocritae Christianos et Catholicos se foris simulantes, et cum pijs in templo uersantes et eisdem utentes ceremonijs. Alij uero propter timorem fingunt se Catholicos, in corde Catholicismum odientes et maledicentes unde multi etiam a sacramentis de anno in annum abstinent, expectantes et optantes nouam religionem" (ex comm. autogr.: l. c. f. 166a—169a).

„Jn Euangelium Dominicae tertiae post pascha" sive 12. Maii 1585. „An alicui liceat sibi mortem uel mali aliquid precari" (ex commentario manu ignota scripto et a Canisio recognito: l. c. f. 169a—172b).

„De Historia Dominicae Ascensionis" in die Ascensionis Domini sive 30. Maii 1585. „Jm anfang dieser predig achte ichs fur gut vnd ratsam, das ich mit khurtzen vberlauffe die gantze heiliche vnd frewdenrewche histori uon disem heuttigen furtrefflichen feiertage." „Quid a simplice Christiano respondendum de tribus locis Euangelij saepe obiectis a Neochristianis?" „Wie sich die Aposteln gegen Christo vnd seiner himmelfart gehalten vnd mit ihrem exempel zue rechtem brauch dieses heuttigen feiertags ermanet haben" (ex commentario a Canisio recognito: l. c. f. 172b—177a).

„Jn die Penthecostes" sive 9. Iunii 1585. „An neochristiani eandem fidei confessionem non habeant cum Catholicis de Spiritu sancto." „Quid maxime confirmet nos Catholicos in antiqua fide." „Cur hodie non sumus spirituales, nec replemur bono, sed malo potius spiritu" (ex commentario a Canisio recognito: l. c. f. 177b—180a).

„In festo uenerabilis Sacramenti" sive 20. Iunii 1585. „Neminem ob festi huius celebrationem grauari debere, sed illud libenter et lete acceptandum et celebrandum esse." „Quid Catholici circa hoc festum praecipue cogitandum habeant." „Quomodo Catholici etiam circa hoc sacramentum peccare possunt." In ultima hac contionis parte Canisius hoc, praeter multa alia, monet: „Multi detrahunt quantum

---

[1] Ipso hoc m. Maio Friburgo in Galliam ad Henricum III. regem profecti sunt quattuor duces, quorum signa fere 1400 milites sequebantur; v. infra, monum. 1391.

possunt sacris aedibus, pauci contribuunt ad calicem, corporale, Casulam uel alia ornamenta necessaria, nil curant quomodo se habeat tectum, fenestrae uel lumen quod ante sacramentum die ac nocte ardere debebat · multae aedes sunt quasi roß uel Küstelle" (ex comm. autogr.; l. c. f. 180[b]—183[a]). Plura vide infra, monum. 1388.

„Jn festo Ss. Apostolorum Petri et Paulj" sive 29. Iunii 1585. „Dico 1 de Euangelio quo confutantur errores et confirmatur nostra fides." „An deceat Petri successores tantam et temporalem habere potentiam, sicut principes seculares." „Dico . . . Petri successores et spirituales omnes potuisse acceptare a fidelibus quod illis oblatum et donatum est in temporalibus, et oblatis uti ad Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem pro ratione temporum. . . . Dico . . . non esse prohibitum usquam ut Pontifex tantum habeat regimen spirituale in animas et solum curet uerba et sacramenta . . . sancti fuerunt multi Pontifices, qui praeterea cum laude temporalem iurisdictionem habuerunt et exercuerunt. . . . Quibus diuitiae et imperium et uires externae seruierunt ad res fidei melius promouendas, ad impios refrenandos, ad haereticos deterrendos, ad synodos celebrandas, ad legatos mittendos in uaria loca, ad templa extruenda et ornanda, ad Christianitatem defendendam, ad pauperes Episcopos et Praelatos alendos. Exemplum nobis praebet Pius quintus, qui si pauper fuisset, minus facta fuisset confaederatio contra Turcam, neque classis instructa contra talem hostem, neque tam insignis reportata uictoria, qualis uisa non fuit multis abhinc seculis. . . .[1] Dices non decet tamen pontificem bellum gerere et gladio pugnare. Licet autem pro religione pugnare ad Christi gloriam, et pro Ecclesia Catholica pugnare gloriosum est" (ex commentario, quod maximam partem ab alio scriptum et a Canisio emendatum est; l. c. f. 183[b]—189[b]).

„Jn Festo uisitationis beatae Virginis" sive 2. Iulii 1585. „Quomodo Euangelium hoc seruiat ad Confirmationem Catholicae deuotionis erga Dei matrem habendae." „Quomodo parentes per historiam admoneantur de offitio suo et filiorum." „Vnde contingat, paucos hodie reperiri uere deuotos B. Virgini" (ex commentario quod eodem modo atque superius scriptum et emendatum est; l. c. f. 189[b]—193[a]).

„Dominica quinta post Pentecostes" sive 14. Iulii 1585. De evangelio diei dicens Canisius: „Quomodo", inquit, „intelligendum N o l i t e i u d i c a r e · n o l i t e c o n d e m n a r e etc. [Lc 6, 37]. . . . Falsus esset sensus, si quis putaret a Christo uetari quod magistratus secularis utatur potestate iudicandi et ad mortem condempnandi facinorosos. . . . Falsus esset sensus si quis intelligeret a Christo prohiberi hoc loco, quod Christianus unus alterum iudicare non posset in religione, nec illum tenere pro Schwermero et Sectario, uel sicut antiqui dixerunt, pro haeretico. . . . Huc spectat die alte löbliche Statordnungk, ut hostes Catholicae religionis non admittantur sed excludantur, sicut semper in Ecclesia obseruatum est, praesertim quando tales errores defenderentur, qui semel a tota Christianitate et in Concilio generalj damnati fuissent. Mirum sane, quod puniamus fures, raptores, pecuniam uel monetam adulterantes, uel proximo uim inferentes et dubitamus tamen an puniri possint seductores simplicium qui adulterant et furantur uerbum dei, qui uendunt uenena, qui ante annos 1000 iudicati sunt a Christianitate[2]. . . . [Catholici] multi habent morem obloquendi Ecclesiasticis, quod omnia faciant ex cupiditate. 2. habent morem male interpretandi quae dicuntur a concionatore, quasi contra ipsos uel alios dicta sint. 3. Credunt facile mala quae sparguntur de magistratibus, et denigrant illorum statuta et ordinationes, immo se iudices partium illorum faciunt. . . . En qui se a nobis segregarunt, et Euangelici uocantur, in nullo magis repugnant Euangelio, quam in misericordia praestanda omnibus statibus Catholicorum, et praesertim Ecclesiasticis.

---

[1] Significatur victoria, quam classes hispanica, veneta, pontificia, S. Pii V. opera inter se coniunctae, apud Echinadas insulas sive Naupactum (Lepanto) 7. Octobris 1571 de classe turcica reportarunt.

[2] M. Martio a. 1585 Iodocus Alex patricius senatui friburgensi libellum obtulerat, quo et se de abiecta religione catholica purgare et civium animos sibi conciliare conabatur; v. infra, monum. 1391.

qui etiamsi tam male uiuerent, sicut ipsi praetendunt, nonne ponderarent uerbum domini, Estote misericordes [Lc 6, 36]. Ubi spiritus mansuetudinis [1 Cor 4, 21], qui nunquam docebit Pont. nominare Antichristum, Episcopos Baalspfaffen, presbyteros den geschoren Hauffen, Missam abominationem, Ceremonias Kinderwerck, Ecclesiae ordinationes Menschentand, Catholicos Phariseos, hypocritas, Apostelcatzer, Pfaffenknecht und Gottzendiener" (ex comment. scripto ut supra p. 667; l. c. f. 193ᵇ—198ᵇ).

„Jn Festo M. Magdalenae" sive 22. Iulii 1585. Historia Magdalenae Canisius utitur ad errores quosdam protestantium refutandos. Dein ostendit: „Ad quos maxime pertinet conuersio et exemplum Magdalenae." „Mirum nos tam raro cogitare de misericordia" publicis meretricibus „exhibenda, ut conuertantur a uia mala [Ion 3, 10]. Nam et Judeis fuit praeceptum · Non sit meretrix de filiabus Israel. Deutero: 23" [17]. „Cur tam paucae Magdalenae et uere poenitentes?" (ex commentario [ut supra p. 667]; l. c. f. 198ᵇ—202ᵃ).

„Jn Festo S. Jacobj" maioris Apostoli sive 25. Iulii 1585. „De tribus hominum statibus circa Euangelium admonitis" („Patres et matres familias", „iuniores", „Christi fideles omnes") (ex commentario a Canisio recognito; l. c. f. 202ᵇ—205ᵇ).

„1. Concio de Indulgentijs. Ich halts dafür nec dubito das alle Christen hie gegenwerttig schon wissen die rechte vrsach, wie vnd warumb das wir spirituales et seculares heuttiges tages, die erste Procession oder Creutzgang halten, vnd vns in disem Gotteshaus versamblen. Die rechte vhrsach ist, das wir zu der ehren Gotts den schuldigen gehorsam leisten gegen vnseren Geistlichen Obersten vnd seelsorger wollen und sollen. . . . Was nun disen schuldigen gehorsamb belangett, ist am nechstuergangenen Sontag nicht in einem, sondern in vilen Khirchen offentlich vnd einhelliglich verkhundiget worden, wie alle Christglawbigen die woch bei dreien Procession oder kreutzgang in dreien vnderschidlichen Khirchen sich finden sollen lassen, vnd darbei ein gemeines Gebett halten gleich wie es ist erstlich vnd anfenglich von dem newen Obersten Hirten Prelaten vnd Bischoff zu Rom mit Nam Sixto dem fünften aus gutten beweglichen vhrsachen angstellett vnd befholen. . . . Diweil aber mir aufglegt ist worden bei solcher Procession dem gemeinen man zu guttem etwas zu predigen, damit vnser angstelter Gottesdinst mit mehrern nutz vnd frucht abgehe, so hab ich mich entschlossen, in diser ersten predig zu handlen .1. Warumb wir vns billich sollen gefallen lassen die Gottselige meinung vnd Commission des itzigen hohen priesters vnd obersten Bischofs zu Rom. 2. Das alle fromme Christen gutte vnd wichtig vhrsach haben, die angebotene gnad, indulgentz vnd ablas mit guttwilligen, bereitten vnd frölichem hertzen anzunemmen, vnd on alle entschuldigung gehorsamlich zu gbrauchen. Darauf wöllen wir in der zukhünftigen predig auch ausfüren, was fur ein glaub dahin ghort damit wir vns diser gnaden vnd Indulgentz theilhaffig machen khönten. . . . So khönnen vnd mögen wir vns des itzigen Bapsts desto weniger beklagen, diweil er in disem seinen gthanen schreiben [1] vns nichts anders furstellet vnd befihlcht dan das seiner person seinem ampt vnd verwaltung wol vnd christlich geburet . . . sein vnwürdigkeit bekhennet er offentlich, in dem das er ohn alle vorgehend verdienst zu dem hohen Apostolat khommen sei · verschweigt nit sein eigne schwacheit vnd vntaugligkeit ein solchen schweren last seelsorg vnd hirten ampt zu tragen · er helt heftig an vnd begert von allen vnd jeden, das sie ihm zu hulf khommen bei Gott in der dancksagung vnd in dem Gebett von wegen seiner gluckseligen Regierung, vnd vmb den sieg wider die gewaltig feind der Khirchen. . . . Desto mehr haben wir zu hoffen vnd zu erwartten von dem gegenwertigen Statthalter Christi, welcher sein hohen stand vnd ampt, so fürsichtiglich vnd Gottseliglich anfaht. . . ." Orationem hanc die 7. Augusti 1585 (quae erat feria IV.) habitam esse cognoscitur ex exordio orationis proximae (ex commentario a Canisio recognito; l. c. f. 209ᵃ—212ᵃ).

[1] Litterae *Sixti V.*, Romae 25. Maii 1585 datae, quibus hoc iubilaeum indicebatur, exstant in „Magno *Bullario* Romano" II, Luxemburgi 1727, 526—527.

„Jnitium secundae concionis." „Proximo die Mercurii primam et heri secundam Processionem instituimus. . . . Hodie ad hanc Dei domum uenimus, ut tertiam Processionem fecerimus atque ut ita nos oblatae Jndulgentiae participes faciamus. Qui uero hactenus huiusmodi processiones non frequentarunt neque die Mercurij et heri ieiunarunt, neque hodie ieiunare uolunt, neque per orationem et eleemosinam se praeparant ad gratiam accipiendam . . . melius facere non possunt quam ut sequenti septimana compensent quod in ista neglexerunt. . . . Quantum ad hodiernum Euangelium et festum S. Laurentii spectat, non possum diu immorari quia promisi tractare de Jndulgentijs. . . . Quaeret iam aliquis quomodo me gerere debeo ut huius tanti thesauri particeps fiam. Opus hic est primum et ante omnia fide. . . . Cur noui ministri tam parum curent et spernant Jndulgentias. . . . Quarta causa ignorantia quia persuasi sunt Jndulgentiam esse rem nouam ueteribus ignotam quae inceperit uix ante 300 annos uel 500. Nec possunt tamen monstrare a quo Pontifice et sub quo concilio fuerit inchoata. . . . Nos probare possumus etiam Gregorij Papae tempore[1] id est ante 900 annos Jndulgentiam cognitam et usitatam et distributam Romae fuisse. Probare possumus in usu fuisse Jndulgentiam tempore Concilij Nicoeni[2] ante mille ducentos annos immo etiam in Concilio Laodiceno Carthaginensi et Agathensi. . . .[3] Dici potest quod etiam Paulus dederit Jndulgentiam impudico ciui Corinthio, remittens illi poenam temporariam prius impositam, tradens illum Sathanae in interitum carnis [1 Cor 5, 5], solt leiden an seinem leib verfolgung vnd anfechtung des theuffels. Cui aliquid donastis et ego: nam et ego quod donaui, si quid donaui propter uos in persona Christi: 2 Corinth. 2 [v. 10]. Das er nicht in grosser treierigkeitt ersauffe [2 Cor 2, 7]. So ihemand etwas schenckt dem schenck ichs auch vmb eurent willen an Christi stadt. Das ist nicht im namen der Weltlichen Oberen, sondern als ein Bissoff vnd prister im Namen Christi aufferlegt die straff vnd widerumb schenckt ihm." Contio haec, ut ex eius exordio cognoscitur, habita est die S. Laurentii sive 10. Augusti 1585, quod erat sabbatum. Eam Friburgi in ecclesia monasterii Eremitarum S. Augustini, S. Mauritio sacra (quae nunc, monasterio sublato, a rectore parochialia fere iura habente administratur), habitam esse intellegitur ex contione proxime secuta (ex commentario a Canisio recognito: l. c. f. 206ᵇ 212ᵇ—217ᵃ).

„Dominica 9ª post Pentecosten sive 11. Augusti 1585. Evangelium diei explicans Canisius: „Peccant", inquit, „magistratus non prohibentes ea quae ad mutationem et detrimentum uerae fidei pertinent, nec sunt zelosi ad defensionem Religionis, sacramentorum, cultus diuini et ministrorum Nam sola conniuentia principum et magistratuum in Religione dat occasionem, ut et mali confirmentur in Religione innouanda, et populus fiat propensior ad noua sequenda dogmata: peccant parentes suos filios mittentes ad loca de fide suspecta ubi facile corrumpi possunt propter malos magistros et socios et praedicatores. Hoc enim est dare illis ansam ut ex corruptis locis redeant peiores et alios etiam sanos inficiant." Monet deinde auditores, ut diligenter et frequenter „audiant Catholicas contiones librosque et scriptores Catholicos legant". Deinde ait: „Ex hesterna concione apud Augustinianos facta intelligi potuit quid proposuerim mihi tractare de certis fundamentis quibus oportet superstruere totum aedificium de Jndulgentijs." Haec fundamenta deinde recenset. Ubi etiam „dolendum est", inquit, „magistratus non melius uti gladio suo contra publice peccantes, et publicam poenitentiam non saepius iniungere et exempla seueritatis proponere per modum medicinae populo necessariae, ita ut homines discant

[1] Gregorium Magnum († 604) dicit.

[2] Concilii oecumenici a. 325 Nicaeae habiti.

[3] Significare videtur concilium laodicense primum (343—381? circa a. 400?), unum ex conciliis Carthagine sub S. Cypriano (249—258) habitis (IV.?), concilium agathense (Agde) a. 506 sub S. Caesario Arelatensi habitum. Novissime de hoc argumento disseruit Dr. N. *Paulus*, Geschichte des Ablasses im Mittelalter I. Paderborn 1922. Neque tamen vacat hoc loco hisce de rebus disputare.

melius timere Deum et homines nec tam enormiter exorbitent. Dolendum etiam confessarios nostros tam esse meticulosos, ut non ausint corripere peccantes et poenas mediocres [*sic? meliores?*] imponere, sed nimium personas respiciunt et male consulunt saepe sibi et confitentibus, nimium illis indulgendo, vnde nunquam minus in Ecclesia uiguit tertia poenitentiae pars, quae dicitur satisfactio". Deinde quaerit: „An non consultius sit et utilius nunc magis confiteri et communicare quam alio tempore." Eos, qui iubilaei gratia non utantur, „graue peccatum facere" affirmat (ex commentario a Canisio recognito; l. c. f. 217ᵇ—220ᵇ).

„Jn Festo Assumptionis Virginis" sive 15. Augusti 1585. „Puncta de festo notanda." „De usu festi." „Ecclesia quotidie petere nos docet dicens: Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae. Jtem Maria Mater gratiae Mater misericordiae tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe." [1] Addit Canisius „vltimam contionem de Jndulgentia", qua explicat, „quid sit remitti a Deo culpam aliquando cum poena, aliquando sine poena quam sibi suaeque iustitiae reseruat" (ex commentario a Canisio recognito; l. c. f. 221ᵃ—225ᵃ).

„Jn festo D. Bartholomaej" sive 24. Augusti 1585. „Dicam 1 de Euang. congruente Bartholomeo · de tentationibus hodie grauioribus, per quas satan multos perdit. 2 de modo se consolandi tempore tentationum" (ex commentario a Canisio recognito; l. c. f. 225ᵇ—228ᵃ).

„In festo S. Matthei" Apostoli sive 21. Septembris 1585. „Tria consideranda . . . Est unus dies in nostro Fronfasten 2 dies ordinationis pro ministris Ecclesiae. 3 festum Apostolicum . . . Ac de his tribus primum agemus . . . Duae personae in Euangelio inprimis notandae, Christi et Matthei . . . Qui hodie Mattheo conferri possunt." In parte priore Canisius „Nec dubito", inquit, „inter causas alias quae iram Dei excitant et caristiam praesentem quam in praeterita Angaria percepimus inducunt, esse unam non minimam, quod praeceptum ieiunium tam male seruemus, et nimium uentri seruiamus crapula et ebrietate, qua nostra corpora et animas grauamus contra Christi praeceptum, unde tam multa peccata in omni statu sequuntur." In parte posteriore: „Sibi cauere debent telonarij et uectigalia publica exigentes, uel pecuniam et bona communitatis accipientes, tractantes, expendentes, ac breuiter officijs publicis destinati et occupati, in quibus possunt fraudare Remp. et suum lucrum potius quam publicam utilitatem quaerere. Huc spectant quaestores, molitores, nummularij, Muntzmeister, Finantzer, Pfennigmeister, Ambtleut vnd Vochten" (ex comm. autogr.; l. c. f. 228ᵃ—229ᵇ).

„Jn festo S. Michaelis" sive 29. Septembris 1585. „Duplex Euangelium hodie legitur et cantatur apud Catholicos · alterum est de Dominica. . . . Alterum Euangelium quod iam praelegi, ad festum praesens pertinet." „1ª pars concionis fuit, D i c o u o b i s [Q u i a A n g e l i e o r u m i n c o e l i s s e m p e r u i d e n t f a c i e m P a t r i s m e i, q u i i n c o e l i s e s t. Mt 18, 10] in fine Euang. 2 de 4 capitibus sive punctis Euangelii [Mt 18, 1—10] notandis si uolumus esse salui [de scandalis] 3 quare bonum sit et utile Angelorum frequentem nobis memoriam esse." „Doctrinae ex Euang. capiendae . . . Non solum respiciendi et honorandi praelati Ecclesiae ut uicarij Apostolorum, sed et inferiores parochi et ministri . . . qui illos spernit, Christum spernit" [Lc 10, 16]. „Operarii perfecti" sunt „semper pauci comparatione erga inutiles et infideles mercinarios". „Nullus maior defectus quam ex parte bonorum sacerdotum, ex quibus ouium pendet salus 2 nulla ars difficilior 3 nullus status sublimior." Sacerdotes „non spernendi, si non sint tam pauperes sicut Franciscani. . . . Non enim vult Christus ad haec obligare Christianos. . . . Nunc vtrinque peccatur tum a Clericis abutentibus saepe bonis Ecclesiae, ut nec Deo, nec Ecclesiae in-

[1] Verba priora salutationis angelicae partem alteram constituunt, quae addito „Amen" a. 1568 a S. Pio V. in breviario romano posita est et deinceps, relicta formula breviore, magis magisque in usum communem fidelium recepta est. Posteriora autem verba sunt in hymno completorii et horarum minorum Officii parvi Beatae Mariae Virginis.

seruiant, sed multos etiam scandalizent, tum a laicis nec decimas soluentibus nec ad altare offerentibus, imo et abripientibus bona, et uiolantibus libertatem Ecclesiasticam. . . . Si uerum fateri uelimus, uere nos uisitauit Deus hoc anno, ut nos ipsos humiliare et timere possimus. En qualem aestatem et autumnum sumus experti · quam frequentes insalubres raras pluuias et tempestates et aëris mutationes. Vnde factum est quod arbores tam parum fructuum dederint. 2 quod agri multis in locis frumenta nòn habuerunt et allerley mißgewechs. 3 non dicam de mala uini crescentia et caristia secutura. 4 in oppido ignis accensus est, et multi ex peste perditi, nec potest hic ignis extingui facile ubi semel ingreditur, sed sicut cancer serpit et perdit uicina. Bellum habemus graue et periculosum in Gallia, et in eo bello multos nec paruos Friburgenses, pro quibus iure sollicitj esse debemus[1]. 6 Qualem habeamus pacem in ditione, quidque confidere debeamus vicinis, id sapientibus cogitandum relinquo" (ex comm. autogr.; l. c. f. 230^{a}—235^{b}).

„Jn festo S. Simonis et Judae Apost." sive 28. Octobris 1585. „Duo Apostoli Simon et Judas ad magnum et commune festum Sanctorum breui post celebrandum pertinent. Multi reperiuntur nescientes de cultu Sanctorum. . . . Haec materia late patet, nec potest vna concione et in uno festo expediri. Vnde nullus mihi, vt spero, male uertet, quod hodie incipiam aliqua iacere fundamenta ad tale festum omnemque cultum sanctorum pertinentia. Multi Catholici indigent bona informatione hac in parte, ut confirmentur in uera fide, et discant quae aliquando respondere decet et oportet Neochristianis nos rogantibus de cultu Sanctorum" (ex commentario maximam partem autographo; l. c. f. 236^{a}—238^{a}).

In festo Omnium Sanctorum sive 1. Novembris 1585. „Dicam 1 de fundamento super quod fundatur festum 2 quomodo Catholici vtamur Euangelio circa praesens festum 3 de tribus conclusionibus nunc considerandis ad fidem et cultum in Catholicis confirmandum" (ex comm. autogr.; l. c. f. 238^{b}—241^{a}).

„Jn festo S. Martini" sive 11. Novembris 1585. Canisius S. Martinum ad imitandum proponit et evangelium diei explicat (ex comm. autogr.; l. c. f. 241^{b}—243^{b}).

„Dominica 22 de seruo debitore Matt 18." Quod evangelium Friburgi (ex ritu dioecesis lausannensis) legebatur Dominica XXII. post festum SS. Trinitatis sive XXIII. post Pentecosten[2], quae tunc erat 17. Novembris 1585. „Quomodo" hoc evangelio „arguantur Suermeri". „Ad quos maxime pertinet Euangelium et praeceptum de ignoscendo." „Ex quibus causis libenter ignoscere proximo debeamus." „Quando liceat negare remissionem fratribus" (ex commentario magnam partem ab ipso Canisio scripto; l. c. f. 244^{a}—246^{a}).

„Jn Festo Sanctae Catharinae" virginis et martyris sive 25. Novembris 1585. „Festum hoc est uniuersale per Ecclesiam, sicut nullum aliud habemus de aliqua virgine tam receptum et probatum Catholicis. A solis sectarijs non agnoscitur et acceptatur cum suo festo Catharina, iccirco nobis diligentius honoranda ad supplendum cultum Dei et Sanctae, quem hodie uidemus apud uicinos tam male intermitti et abrogarj. Festum est proprium Friburgensium qui iam olim hanc Patronam elegerunt et honorarj uoluerunt et inuocari hodie specialiter in oppido et ditione." „De fructu et vtilitate festi." Quomodo utile sit iuventuti, virginibus etc. (ex commentario a Canisio emendato et amplificato; l. c. f. 246^{b}—249^{a}). Plura vide infra, monum. 1393.

In codice sequitur pars contionis „Jn festo Sancti Andreae" sive 30. Novembris 1585 habendae. Cuius tamen exordio manu eadem adnotatum est: „Ob Rectorem Lucernensem non fuit hoc die habita concio" (l. c. f. 249^{b}—251^{a}). Verisimile est, P. Martinum Leubenstain rectorem collegii S. J. lucernensis invitatum esse, ut eo die Canisio loco contionaretur.

---

[1] Bellum erat inter Calvinianos sive Hugonottos et catholicos, qui se „foedere sancto" sive „Liga" iunxerant.

[2] *Missale* Lausannense f. CXXXII.

„Jn Festo Sancti Nicolaj“ sive 6. Decembris 1585. Evangelium diei interpretatur. Usum eligendi patronos defendit. „Cur Friburgenses S. Nicolaum amare et libenter in precio habere debeant. . . . Nicolaus uelut speculum uiuum, in quo se uarij status contemplentur.“ „Quos S. Nicolaus odit, et quibus irascitur, nec vult benignus esse patronus.“ „Quomodo nobis patronum fauentem et propitium reddemus“ (ex commentario, cuius partem Canisio ipse scripsit; l. c. f. 251[a]—254[b]).

„Jn festo S. Thomae Apostoli“ sive 21. Decembris 1585. Etsi autem ex adnotatione orationi 27. Decembris habendae addita cognoscitur, hanc contionem (propter Canisii infirmitatem, ut videtur) habitam non esse, aliqua tamen ex ea ponam, quia pulchra et utilia sunt et, quid Canisius senserit, ostendunt. „1 dicam: Quomodo Euangelium nos monet de vera et falsa fide. 2° Quid cogitare possit fidelis de Jndia uel nouo orbe, in quo Apostolus fuit S. Thom. Apostolus.“ Ita habet huius contionis commentarium latinum, a Canisio recognitum, quod est in Can. 38 f. 255[a]—258[a]. Eiusdem autem contionis exstat commentarium germanicum, idque et ipsum a Canisio recognitum, in Can. 40 f. 1[a]—5[a]. „An S. Thomas tag“ „Nach guetter vnd löblicher ordnung der Catholischenn Kirchen werden vns heutigs tags drey ding fürgestellet, welche wir billich betrachten vnnd vns zu nutz machen solten. Das erste ist Gott loben vnnd preysen in seinem heiligen würdigen Zwölffbotten S. Thoma. . . . Das ander ist, das wir den letsten tag begehnd in vnserer Christenlichen fronfasten. . . . Das dritte ist das wir . . . haben vnnd haltten den letsten Sambstag vor vnseren zukhünfftigen weihenachten. . . .“ Admonet auditores, ut ieiunium quattuor temporum servent et ad diem Nativitatis Domini confessione peccatorum se praeparent et sacram eucharistiam sumant. In explicatione deinde evangelii diei sacri ostendit, quomodo catholici cum christianis in rebus fidei errantibus agere debeant. „Nach dem exempel Christi müessen wir vns durch die lauter lieb bewegen lassen, das wir vns diser armen blinden vnnd irrigen leutten annemen, wen sie schon sollichs nit verdient haben. Infirmum in fide assumite. Rom. 14. [v. 1] debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum portare [Rom 15, 1]. Alter alterius onera portate et sic adimplebitis legem Christi [Gal 6, 2]. Zum andern lehret Christus mitt seinem exempel, das wir in dem geist der sanfftmüttigkeit mit disen gefalnen brüeder handlen, vnnd nit zänckhisch sein, damit sie nit böser vnnd erger werden gleich wie auch mit den bösen weibern nicht zu gewinnen ist, wen man schon lang zanckhet. Es heißt Vos qui spirituales estis huiusmodi instruite in spiritu lenitatis. Galat. 6. [v. 1]. Zum dritten lehret Christus man soll die sach für die geistlichen Obersten bringen vnnd der Kirchen anzeigen, wen man mit gueten worten vnd ermannung sie nitt bekheren vnnd von den irrigen weg abfüeren khan. Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus et publicanus [Mt 18, 17], id est membrum putridum et abscissum et fugiendum sicut lepram et pestem et uenenum. Zum vierdten vnnd vor allen dingen wil Christus selbst gebetten sein das er mit sollichen außsetzigen vmbgeht, solche blinden imwendig erleuchte, vnnd auß solchen steinen mach ihm rechte khinder Abrahae [Mt 3, 9; Lc 3, 8], ia das er solliche Todten zum leben wiederumb erweckhe, wie er den auch wunderbarlich den verfolger Paulum erleuchtet, vnnd Augustinum in der Manicheischen secten bekheret hat zu großem nutz seiner Khirchen. Demnach haben wir alle zu diser Zeit offt vnnd vleissig zubetten für allerley irrige schaaff vnnd verkhertenenn Christen, damit sie mit dem Thoma nit allein ihren ihrtumb erkhennen, sonder auch den wahren selig machenden glauben durchauß annemen vnd bekhennen, vnnd nit auff dem irrigen weg ewig verderben.“ Deinde Canisius ostendit „was ein frommer Christ zubedenckhen hatt wenn er höret oder liset von den newen Königreichen vnd Jnseln der newen welt“. Plura vide infra, monum. 1395.

In codice (Can. 40 f. 5[b]—9[a]) sequitur commentarium, idque maximam partem germanicum, orationis sacrae „An dem heiligen Christag“ sive 25. Decembris 1585 habendae. Cui tamen adnotatum est: „Jmpedita fuit concio propter catharrum.“

„In ‚Festo S. Ioannis“ Apostoli et Evangelistae sive 27. Decembris 1585. Commentario huius contionis (l. c. f. 9[b]–12[a]) manu eius, qui illud et duo commentaria ei praeposita scripsit, adnotatum est: „Nota, haec tota concio fuit praetermissa, sicut et priores duae.“

1383. 1. Ianuarii 1585.

Ex commentario a Canisio scripto. Can. 38 f. 116[a]–117[a].

Canisius e sacro suggestu „xenia“ pro more distribuens, auditoribus apes ad imitandum proponit.

Canisius Kalendis Ianuariis a. 1585 Friburgi Helvetiorum in templo S. Nicolai, quod totius urbis primarium est, pro aetatis illius more auditoribus „xenium“ novi anni distribuit hac ratione: „Bonae spei sum, neminem aegre laturum, ut sicut promisi xenium aliquod ex cathedra distribuam. Quid enim est Xenia dare suis auditoribus, nisi signum et testimonium Christianae charitatis, per quam unus alteri aliquid boni[a] ex animo fauet et precatur. . . . Etsi autem uereor quosdam non fore contentos illo simplici Xenio quod omnibus et singulis coniunctim et separatim dare statui, tamen hoc tempore nil habeo aliud quod uobis precer et tribuam nisi einen impen[b], bijem[1] ymen[c] korb. Sperarem tamen[d] tale Xenium uobis utile futurum, si recte et sedulo acceptaretur. Nam reuera inter parua animalia uix ullum est sic nobiliter a Deo decoratum, tanta prudentia et industria instructum, et ad hominum instructionem aptius Matt. 6[e]. Considerate lilia agri quomodo crescunt, Respicite volatilia celi[2] inquit Christus, ut sciamus Deo placere, quod etiam pro magistris accipiamus et teneamus bestias irrationales et dona Dei specialia in illis contemplemur, et in nostrum commodum utamur.

Vos Domini spirituales et seculares, qui potestatem a Deo accepistis in spiritualibus et secularibus negotijs subditos regendi, et ministri[f] et uicarij Dei[g 3] et iudices[h] et capita populorum[i 4] imo Dij[5] [uocamini][k] ne contemnatis meas charas apes, sed potius status[l] et officij uestri necessitatem ex illis cognoscite, quia et illae sine certo capite et Rege[6] nec uolunt, nec possunt uiuere. Vbi est rex, ibi statim

a) *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.* b) *Sequitur* oder, *a C. oblitt.* c) *Sic C. correxit ex* iedem. d) *A C. correctum ex* etiam. e) *Haec duo vv. a C. in margine posita sunt.* f) *Duo vv. sqq. in margine addita sunt.* g) *Sequitur* uocamini, *oblitt.* h) *Sequitur* pop, *oblitt.* i) *Sequitur* admon, *oblitt.* k) *Cf. supra, adnot. g.* l) *Sequitur* vestri, *oblitt.*

---

[1] „Bij“, „bijen“ neerlandice = apis, apes.
[2] Mt 6, 26 28; Lc 12, 27. [3] Rom 13, 6; 1 Thess 3, 2 etc.
[4] Am 6, 1. [5] Ps 81, 6; Io 10, 34.
[6] Apibus „reges“ praeesse olim existimabant. Ita e. g. *S. Cyprianus:* „Apes habent regem“, Epist. 69, n. 6 (*Migne,* P. lat. IV 416). Item in *S. Francisci Salesii* († 1622) „Philothea“ (P. 3, ch. 1) apparet „le roy des abailles“ (Œuvres III, Annecy 1893, 123). Verum nunc inter omnes convenit, „reginas“, non reges, iis imperare. Alia quoque nonnulla, quae in sequenti apum descriptione proferuntur, nunc a rei apiariae peritis falsa habentur; velut cum dicitur, apes virginitatem suam servare; eas sonitu aeris delectari; rege mortuo eas edere nolle et, nisi mortui corpus iis subducatur, fame mori. Ceterum vide, quae sub ipsam hanc orationem notabuntur.

et illae cateruatim adsunt, et eum satellites et lictores[a] et custodes semper comitantur[b], tegunt, defendunt, cingunt. Adeo Regem suum amant, ut quaeque uelit ei esse proxima, fessum humeris subleuant uel ex toto portant. Si rex capiatur, omnes se capi sustinent. Si moritur, lugent omnes, a labore cessant, et circa corpus eius morantur, et edere nolunt, et nisi corpus regis subducatur[c], fame moriuntur. Quomodo se gerit Rex? Non egreditur nisi quando migrandum est in alium locum. 2[d] Viget iustitia. Alijs exeuntibus et laborantibus domi manet, et circuit, similis exhortanti. Punit non per se sed lictores suos, imo seipsos occidunt, quando Regem laeserunt et eius uoluntatem ac regimen neglexerunt. ([Discite][e] authoritatem et reputationem retinere, non esse nimium familiares. Prudenter et sollicite uigilare 3 exequi leges 4 punire malos, amari ab omnib.).

Vos honesti (probi[f]) ciues respicite apes uobis hodie propositas, ut Dei opera cognoscere, imo et uos ipsos emendare discatis[g] (Non date satane [locum][1] per ocium pigritiam leuitatem. Vocati ad uineam laborate[2]. Qui non laborat [,nec manducet][h][3]. Suam quisque vocationem curet[4]. Vigeat charitas et commune bonum vrgeatur, iustitiam amate.) Cum aliquando pigritia uos occupat, et ad laborem segnes facit, cogitate de his apibus non ociosis sed laboriosis[i] et tam pulchre in sua quaeque vocatione uersantibus. Aliae manent iuxta Regem, aliae pugnant uelut in militia, aliae uolant ad[k] flores et herbas, aliae apportant intro, aliae conficiunt cellulas, aliae ceram mel et fauum. Quomodo uictum suum comparant, non ex[l] furto uel rapto uiuunt[m], non quaerunt luxum[n], non sibi sed alijs laborant, non aliae alijs insidiantur, sed secundum charitatem et iustitiam uiuunt suum lucrantes uictum[5]. Omnes inimicae ociosorum et inutilium quas ferre non possunt, imo etiam occidunt. O quam arguunt tam multos luxui deditos et uentri deditos. Apes non ferunt habentes magnos uentres et edaces[o]. Amant vitam communem, unam habitationem, unam portam, communem cibum, laborem, fructum, omnia communia, nulla superbia.

Nonne docent ciues et mulieres ueram habere charitatem, quoniam aegrotantibus subueniunt, et cibum apportant, et mortuis exequias quasi celebrant tragen sie auss.

a) *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.* b) *Tria vv. sqq. in margine addita sunt.* c) *Sequitur* more, *oblitt.* d) *Duo vv. sqq. in margine scripta sunt.* e) *Quae sequuntur, usque ad* ab omnibus *incl., a C. postea in margine ascripta sunt.* f) *Hoc v. a C. postea supra versum scriptum est.* g) *In margine C. scripsit:* In ociosos ciues. *Quae sequuntur, usque ad* iustitiam amate *incl., a C. postea in margine addita sunt.* h) *Vide infra, adnot. 3.* i) *C. paullo superius in margine scripsit:* arbeitsam klug wacker geschwind. k) *Sequitur* faciendum *vel simile v., oblitt.* l) *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.* m) *Tria vv. sqq. supra versum scripta sunt.* n) *Quinque vv. sqq. in margine scripta sunt.* o) *Quae sequuntur, usque ad* superbia *incl., in margine addita sunt.*

[1] Cf. Eph 4, 27. [2] Cf. Mt 20, 1–7; 21, 28–30. [3] 2 Thess 3, 10.
[4] Cf. 1 Cor 7, 20–24.

[5] At apes aegrotae a reliquis non curantur sive foventur, sed occiduntur et efferuntur. Et sunt etiam ex apibus, ait *O. Schmeil*, „die die ehrliche Arbeit scheuen und durch Diebstahl zu Besitz kommen wollen. Sie dringen in fremde Stöcke ein, um Honig zu rauben“: Lehrbuch der Zoologie[25], Leipzig 1910, 393–394.

(En[a] mulieres discite castitatem[b], mundiciam interiorem et exteriorem.) Virgines notate[c] innocentiam et mundiciam Apum, quae suam seruant uirginitatem immaculatam, nec laborant nisi uitantes omnem[d] in opere spurcitiem[e], ex mundis herbis et recentibus floribus mel colligunt, ita ut fugiant etiam malum odorem, vnd was vnrein ist, exportant si quid intus est foetidum[f].

En iuuenes et senes qui nullum seruatis ordinem in esu et potu, in uigilando et dormiendo, in thun vnd lassen. Discite ab apibus sapientiam, qui tempus suum tam belle utiliterque consumunt. Sciunt quando post laborem redeant[g], expectant uesperi quando[h] per signum monentur dormire, quando mane[i] ad laborem euolare. Norunt quando tempus est pluuiosum aut uentosum, et tunc domi se continent[k], (Tempus pacis et belli[1], Tempus serenum et turbulentum.) Norunt quando irasci et se vindicare debeant, maxime wider die hornisch vnd hommel et quando debeant schwarmen vnd ausszigen.

Amant serenam auram et mite tempus, gaudent de sonitu aeris uel plausu ac tinnitu, diuinant de tempestate, i. e. imbribus, tunc tecta non exeunt.

Vultis o Friburgenses bonum nouum et felicem annum habere, sequimini apes tam sedulas, et relinquite das fawle wesen, den grossen mussigang, nec sinatis tot esse inutiles gassen tretten [?][l]. Exercete filios in mechanicis artib. non fidite in pensionib. annuis[2], non in praefecturis[m][3]. (Quid destruit Friburgum? turba ociosorum[n].) Nam inter alia peccata ob quae Deus tam grauiter puniuit Sodomitas [?][o] sunt abundantia et ocium ipsius et filiarum eius, et quia manus egeno non porrigebant Ezech. 16[4].

2 Discite ab apibus in politia meliorem et firmiorem tenere ordinem, magis manutenere antiquum et iuratum ordinem[p] (destruit inordinata politia in superioribus non castigantibus 2 non zelosis 3 non prouidentibus). Jta fiet vt publica crimina diligentius puniantur · 2 apertius inspiciatis quomodo frumentum[q], caro, pisces, pannus, caseus[r], candelae, cera uendatur, ut precium non[s] semper augeatur · 3 fiet etiam, vt in festis pauciores vnder der linden[5] et in hospitijs, plures autem in templis[t]

a) *Hoc v. et quae sequuntur, usque ad* exteriorem *incl., a C. postea inserta sunt.* b) *Hoc v. supra versum scriptum est.* c) *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.* d) *Duo vv. sqq. in margine addita sunt.* e) *Quae sequuntur, usque ad* colligunt *incl., in margine addita sunt.* f) *In autogr. sequitur alterum* intus. g) *Sequuntur vv.* nocte exp, *oblitt.* h) *Duo vv. sqq. in margine addita sunt.* i) *Sequitur* surg, *oblitt.* k) *Octo vv. sqq. in margine addita sunt.* l) *Sic; fortasse C. volebat scribere* gassentretter. *Quae sequuntur, usque ad* praefecturas *incl., in margine scripta sunt.* m) *Quattuor vv. sqq. a C. postea paullo superius in margine addita sunt.* n) ociosum *autogr.* o) *Sic; sed ex vv. sqq. colligendum esse videtur, C. scribere voluisse:* Sodomam. p) *Quae sequuntur, usque ad* prouidentibus *incl., a C. postea in margine addita sunt.* q) *Sic C. corr. ex* panis, *sequitur* caseus, *oblitt.* r) *Sequitur* etc., *oblitt.* s) *Sequitur* semel, *oblitt.* t) *Duo vv. sqq. a C. postea in margine addita sunt.*

[1] Eccle 3, 8.

[2] Friburgenses multi a Galliae regibus pensiones annuas accipiebant (*Berthier*, Bonh. LV—LVI).

[3] Praefecturas in terris imperio senatus populique friburgensis subiectis.

[4] Ez 16, 49. [5] Vide supra p. 571 628.

(et concionibus) conspiciantur cultusque diuinus diligentius a uiris et mulieribus uisitetur, maiorque fructus appareat publicatae confessionis fidei [1].

3 Discite ab apibus inter uos magni et parui esse fideliores, maioremque charitatem ostendere, nec locum dare tot litibus, fraudibus, practicis, mendacijs, usuris."

Quod Canisius in hac oratione profert de apibus, longe maximam partem haustum est ex *Plinii* Historia naturali, idque ita, ut Canisius ipsis Plinii verbis saepe utatur. Plinius enim de apibus haec, praeter alia, scribit: „Noctu quies in matutinum, donec una excitet gemino aut triplici bombo, ut buccino aliquo. Tunc universae provolant, si dies mitis futurus est. Praedivinant enim ventos imbresque, et se continent tectis. . . . Quibus est earum adolescentia, ad opera exeunt . . . seniores intus operantur. . . . Aliae struunt, aliae poliunt, aliae suggerunt, aliae cibum comparant ex eo, quod allatum est. Neque enim separatim vescuntur. . . . Cessantium inertiam notant, castigant mox et puniunt morte. Mira munditia. Amoliuntur omnia e medio, nullaeque inter opera spurcitiae iacent. Quin et excrementa operantium intus, ne longius recedant, unum congesta in locum, turbidis diebus et operis otio egerunt. Cum advesperascit, in alveo strepunt minus ac minus, donec una circumvolet eodem, quo excitavit, bombo, ceu quietem capere imperans: et hoc castrorum more. Tunc repente omnes conticescunt. . . . [2] Apium coitus visus est nunquam. . . . [3] Constat, imperatorem aculeo non uti [4]. Mira plebei circa eum obedientia. Cum procedit, una est totum examen, circaque eum globatur, cingit, protegit, cerni non patitur. Reliquo tempore, cum populus in labore est, ipse opera intus circuit, similis exhortanti, solus immunis: Circa eum satellites lictoresque assidui custodes auctoritatis. Procedit foras non nisi migraturo examine. . . . Se quaeque proximam illi cupit esse. . . . Fessum humeris sublevant: validius fatigatum ex toto portant. . . . Esse utique sine rege non possunt. . . . Certum est ab apibus fucos interfici. Odere foedos odores, proculque fugiunt. . . . [Aegrotis] cibos ministrant. . . . Defunctas progerunt, funerantiumque more comitantur exsequias. Rege ea peste consumto moeret plebs ignavo dolore: non cibos convehens, non procedens, tristi tantum murmure glomeratur circa corpus eius. Subtrahitur itaque diducta multitudine: alias spectantes exanimem, luctum non minuunt. Tunc quoque ni subveniatur, fame moriuntur. . . . Praeparcae, et quae alioqui prodigas atque edaces, non secus ac pigras atque ignavas proturbent. . . . Gaudent plausu atque tinnitu aeris, eoque convocantur": Liber XI, n. 10—22.

1384. Ab 1. Februarii ad 10. Iulii 1585.

Ex Baderi epistulis autographis, quae sunt in Germ. 164 f. 56ᵃ—228ᵃ, et ex commentariis epistularum Aquavivae, quae sunt in G. Sup. 1 f. 142ᵃ—147ᵇ. Baderi litteris usus est et pauca ex iis ad verbum protulit *Sacchinus*, Can. 310—311. Earum partes aliquas germanice reddidit *Duhr*, Jes. I 231—232.

Canisium praepositus generalis Friburgo avocat. Verum eum, ut ea re absistat, et Socii et maxime Friburgenses adducunt. Canisii auctoritas maxima.

P. *Georgius Bader* praepositus provincialis Germaniae superioris Claudio Aquavivae praeposito generali Societatis Monachio 1. Februarii 1585 de P. Theodorico Canisio, qui autumno anni 1584 Romam missus

[1] Anno 1584 in urbe friburgensi et in omnibus huius reipublicae terris senatus iussu catholicae fidei professio solenniter facta erat: v. supra p. 635—640.

[2] Hoc verum non est. [3] Hic fit extra domum, inter volatum.

[4] Regina aculeo raro utitur.

erat provinciae suae procurator, haec scripsit: „P. Theodoricus Canisius significauit mihi mandato R. P. V. ex Heluetia reuocandum P. Petrum Canisium, ad quodcunque ipse uelit collegium, ut hac aetate paulo habeat commodius · qua de re etiam ad meam aliquam consolationem iam aliquoties cogitaui. Verum existimo hanc loci mutationem parum ad eius ualetudinem allaturam, cum plures hic quam isthic et scribendi et uaria tractandj occasiones sit habiturus; atque in ratione uictus et reliqua corporis cura, ne ex aliorum quidem consilio uel etiam mandato sibi temperare soleat. Deinde, quam aegre eius praesentia sint Friburgenses cariturj, satis superiori aestate sum expertus, cum dicerem eum ad Congregationem necessario debere uenire, suspicabantur enim aliud latere. Si tamen in sententia maneat V. R. P., imperata faciam libentissime."

Ad haec *Aquaviva* Badero Roma 6. Martii 1585 rescripsit: „Quod [Reuerentia V.] scribit Friburgenses aegre laturos discessum P. Canisij, id quidem nos etiam antea suspicati eramus: sed et P. Theodoricus ea nobis de illius affecta ualetudine narrauerat, et eadem illius aetas facile persuaserat, ut omnino bono seni quietem aliquam, locumque commodiorem debitum putauerimus. Qua etiam ratione ciuibus illis facile satisfactum iri confido, ne dum eum pertinacius retinent aliquid contingat quo neque ipsi, neque alij eo fruantur. Quare oportebit capaces eos facere, idque in primis poterit ipse P. Canisius si eos doceat quo statu sit eius ualetudo." At *Bader* Lucerna 26. Maii 1584 ad Aquavivam haec rettulit: „Absolui uisitationem Collegij Friburgensis. . . . Valent nostri in utroque homine optime ne ipso quidem P. Canisio, quantum haec aetas permittit, excepto. . . . De P. Canisij auocatione, egi cum ipsomet, cum nostris, et obiter etiam cum quibusdam externis. Verum nostrj multo uehementius deprecatj sunt, quam ipse precatus · externi pene precibus armatis, ne id fieret, urserunt · omnium una ratio fuit: Senatum ac populum Friburgensem, quin et Ecclesiasticos, grauissime offensos iri, quod omnes et propter sanctitatis existimationem, et nominis celebritatem secundum Deum, tutissimum reip. praesidium et ornamentum in eo constitutum habeant, adeo ut et coram catholicis et coram haereticis de eius praesentia aperte glorientur. Denique putabant omnes, collegium circa fabricam magnum detrimentum accepturum si id fieret. Ab eo ut caussam suam externis probaret, impetrari non potuit. Cupiebat ut ego caussas quasdam non satis firmas, nec ueras praetexerem; nimirum quod a Duce Bauariae peteretur · item scribendum sibi aliquid, et ad id desiderari libros: cum omnes facile intelligant nihil aliud adeo eius ualetudini obesse, quam assiduum studium: a quo multo minus abstrahi posset si copia librorum suppeteret · postremo putabat facili negocio me caussam obtenturum, si reditum eius post vnum annum pollicerer. Verum nec hoc satis tutum uidebatur. Jtaque tandem se dedit. Mandaui ut magna eius cura habeatur: sed bonus pater sibi nimis durus est · nec facile ac-

quiescit in eiusmodi rebus, ob nescio quos scrupulos[1]. Faciet tamen spero aliquid." Ad haec *Aquaviva* Roma 10. Julii 1584 Badero respondit: „De P. etiam Canisio quando auelli non poterit, et ipse contentus est, non uidetur aliud iam agendum · tamen curandum erit, quod non dubito quin Reuerentia V. fieri iusserit, ut omnia necessaria illius et aetati, et ualetudini affectae cum omni caritate suppeditentur."

1385. M. Martio vel Aprili 1585.

Ex commentario Canisii manu scripto. Can. 38 f. 138a—139b.

Canisius e sacro suggestu docet: Daemones per strigas (Hexen) magosque, qui ipsis se deroverint, hominum et corporibus et bonis plurima inferre damna. Cur Deus id permittat. Daemonibus etiam aliqua ratione famulari eos, qui varias exerceant superstitiones. Quomodo daemonibus obsisti possit.

Canisius Friburgi Helvetiorum sacra Quadragesima anni 1585 librum Job explicans: „Ex historia", inquit, „nostri prophetae Job[2] clarum est, sicut audiuit C. V.[3], magnam et terribilem esse potestatem satanae contra hominem licet fidelem, iustum et innocentem, sicut Job erat ex Dei testimonio[4]. . . . Vnde primum sequitur crassum[a] errorem esse non credentium quod sint mali spiritus in mundo, quia non uidentur. 2 aut si sint quod nil possint contra fideles Christo fidentes, 3[b] uanum esse phantasma quod dicitur de magis swartskuntzler[c], adiurantibus, warseger, warsegerin, hexen, Zauberin, vnd dergleichen anderer Teuffels hoffgesind." Id deinde Canisius ex sacra Scriptura probat. „Certam habemus experientiam quod Satan habuit et habet inter Christi fideles plurimas personas utriusque sexus sibi seruientes et multis nocentes in bonis, corpore et uita per magicam artem et necromantiam vnd hexenwerck, sicut tales etiam aperte fatentur. Quod Satan fecit Job, facit, etiam per tales sibi subditos, nempe ut admiranda operentur mutando auram[d], immittendo uentos, creando grandinem, fulgura, excitando tempestates, comburendo oues, perdendo fruges et bestias, euertendo domos, sanitatem auferendo, infirmitates graues infligendo, coniuges impediendo ne proles generent, immo etiam innocentes occidendo, sicut satan seruos et filios Job occidi procurauit[5].

Cur Deus permittit[e] tantam potestatem Satanae et Satanicis hominibus? 1 propter grauia peccata fidelium ut puniantur in hoc mundo. Sic Saul quia inuidus Dauid, a Satana exagitatus[6]. 2 Judas obstinatus et auarus, intrauit in illum Satanas[7]. 2 etiamsi non mereantur hanc poenam ob speciale peccatum, tamen habent super se peccatum Adae, propter quod maledicta terra[8], et demon mundi princeps[9] factus etiam potestatem in bonos sicut in Job, Paulum[10], Antonium[11] et alios sanctos accipit. Raro tamen deus permittit hos[f] a magis et ueneficis cruciari et ledi. Immo et infantes mox a baptismo leguntur obsessi a Satana. 3 ob mundi huius peruersitatem, in quo fides et deuotio antiqua multum deficit, crescit autem omnis impietas homi-

a) *Sequitur* eorum, *oblitt.* b) *Sequitur* quod, *oblitt.* c) *Hoc v. in margine additum est.* d) *Sequitur* excitando et, *oblitt.* e) *Sequitur alterum* deus. f) *Sequitur alterum* Deus.

[1] „Scrupuli (quantum coniecturam aperit tenor vitae totius) erant necubi communis seueritatis expers haberetur: neu quid priuatim indulgeretur sibi. Vt enim humana procliuitas coërcenda in multis est, ne vltra desideria naturae excedat, ita erat in Canisio stimulanda virtus, ne citra necessitatem plus aequo consisteret": Ita recte *Sacchinus*, Can. 311.

[2] Cf. Iob 1, 13—19. [3] I. e. Caritas Vestra. [4] Cf. Iob 1, 1—8.

[5] Cf. Iob 1, 15—19. [6] Cf. 1 Rg 16, 13—15; 18, 5—11.

[7] Lc 22, 3. Cf. Io 12, 3—6; 13, 18—27. [8] Cf. Rom 5, 12; Gn 3, 1—18.

[9] Io 12, 31; 14, 30; 16, 11. [10] Cf. 2 Cor 12, 7—9.

[11] Quam dire S. Antonius abbas a daemonibus caesus sit, narrat S. *Athanasius* in Vita Antonii P. 1, n. 8 9 (*Migne*, P. gr. XXVI 855—858).

num, ita ut multi immemores pacti in baptismo facti, quod uelint Christo adhaerere et Satanae abrenuntiare, nunc non modo Christum deserant, sed et se totos satanae mancipent, fidem, baptismum, s. Crucem[a], Chrisma, sacramenta omnia abiurent, corpore et animo se Satane tradant, fidelitatem illi iurent, propria manu, aliquando et sanguine scribant Chirographum, expressa pacta cum illo faciant, aliquando carnaliter cum demone permisceantur, uel aliquid de capillis aut corpore illi donent. Tales discipuli docentur et impelluntur deinde ad omne malum, et discunt a magistro uel alijs modum nocendi. Aliquando inuocant demonem et adorant, habent illum in annulis et phialis apparentem, insidiantur pueris non baptizatis, inuisibiles se reddunt, peccant in omnia sacramenta, impediunt coniuges, conturbant omnia elementa.

4 Alij non tam crasse cum demone paciscuntur[b] [1], sed habent occultos modos illi inseruiendi et complacendi, et praetextum quendam ac speciem religionis, ut quia orant aliquid, incendunt candelas, genua flectunt, ponunt aliquid sub palla altaris, tegunt imaginem sancti, legunt uel portant aut scribunt hanc illamue precationem, utuntur tot crucibus, ignota proferunt nomina, Missam dici faciunt. Sub hac specie pietatis arrogant sibi potestatem benedicendi infirmos, imponunt manus, exigunt certum numerum orationum. 2° audent medicam artem exercere, 3° faciunt scribi schedulas a uirgine dicta Maria, et hae debent appendi febricitantibus 3 coniurant enses[c], portant chartas uel benedictiones ea intentione et fide, quod sint liberi a morte, igne, aqua, peste, hoste[d].

Peiores qui confugiunt ad diuinos Warsager, ut sciant de rebus suis perditis, quas cupiunt recuperare. 2 de suis filijs quid futurum sit, 3 de rebus occultis et curiosis, ut de futuro anno, de morte principum, de nouo coniuge. Item cum habent lesa pecora, scribunt 4 uel 5 uerba in scheda, et eam dant bestiae deuorandam, ut sanetur intra 24 horas. Rursus in uigilia S. Andreae uel S. Thomae [2] stricte ieiunant et orant ad sciendum de persona noui coniugis in anno sequenti ducendi . . . aperitur uia Demoni ad fideles fallendos, aliaque uana et falsa et impia persuadenda simplicibus. Vt[e] credunt quosdam dies infelices esse uel periculosos in agendo[f] et inchoando opere, nempe in die S. Innocentum, S. Ioannis et Pauli[g], S. Viti, S. Vdalrici[3], 2 machen ettliche Wetterheiligen, ut S. Paulum, S. Medardum[4], 3 seminare uolunt die Veneris sancto 4 saltare super ignem S. Joannis[5], ieiunare die natali Christi, in paschate uel dominico, uelut hoc sit melius. 6 superstitiones uarias adhibent in nocte natiuitatis domini[6] et in festo S. Ioann. bapt.[7] . . .

Quomodo maleficijs demonis obsistendum, ne uim in nobis habeant, utque[h] praesentia tollantur? Nihil hic ualent coniurationes et wundsegen, quibus fidunt milites, sed excecat eos superstitio. . . . 2 Vetitum est Christiano quaerere et petere remedium a mago . . . . multo minus utendum opera demonis ad soluendum maleficium . . . optimus modus tollendi maleficij adscribendus est deo. . . . Juuat autem nos Deus ordinarie, praesertim in corpore, per sanctos Angelos. . . . 3 Deus sanat aliquando per electos amicos uti per Apostolos. . . . 4 Deus etiam vtitur Exorcistis, qui semper fuerunt in Ecclesia in hoc instituti, ut succurrerent obsessis et a demone afflictis . . . 5 Vtilis est etiam vsus rerum a sacerdotibus benedictarum iuxta perpetuum Ecclesiae morem, quae idcirco iubet benedici aquam, salem, ceram, palmas

a) *Sequitur* Sanctus, *oblitt.* b) *Vide infra, adnot. 1.* c) *Sequitur* cum fide, *oblitt.* d) *Sequuntur vv.* 4 Omitto communes superstitiones nimis receptas in hac regione, quia contra Pauli praeceptum dies obseruamus, et illis multum tribuimus. Vt die S. Stephani facimus equos ad fleubotamiam duci, uel in festo S. Ioannis et Apost: Petri et Pauli, *oblitterata.* e) *Primum C. scripserat* ac etiam et quod. f) *Tria vv. sqq. in margine addita sunt.* g) *Duo nomina sqq. a C. in margine addita sunt.* h) *Sequitur* uel, *oblitt.*

[1] In margine Canisius scripsit: „Qui fratres et sorores et uicini magorum."

[2] 29. Novembris vel 20. Decembris.

[3] 28. Decembris, 26. Iunii, 15. Iunii, 4. Iulii.

[4] Significari videtur S. Paulus primus eremita, cuius dies festus est 10. Ianuarii. S. Medardi memoria recolitur die 8. Iunii.

[5] S. Ioannis Baptistae. [6] Cf. supra p. 565 573. [7] 24. Iunii.

et alias creaturas: . . . obsessi maxime Agnum [?][a] Dei[1] auersantur. 6 Valet timorata conuersatio, frequens et deuota consignatio s. Crucis facta, benedictio sacerdotis in Missa reuerentur accepta, exercitium orationis cordialis et confirmatio seu renovatio[b] uoti in baptismo facti."

Haec contio, quae usque adhuc plane ignota erat, tres habet partes. In prima Canisius de magis et strigis (Hexen) ea fere dixit, quae iam in litteris Augusta Vindelicorum 20. Novembris 1563 ad Iacobum Lainium Sociatatis praepositum generalem datis et in contione ibidem in ecclesia cathedrali 5. Martii 1564 habita protulerat (*Can.* IV 400—402; 868—883). His duobus monumentis commentarios addidi, quibus ostendebam, quomodo Canisius ibi res veras cum falsis miscuisset et de strigis ita fere errasset, ut omnes temporum illorum aequales, sive catholici illi erant, sive non erant. Hoc tantum noto: Augustae in utroque illo monumento Canisius poenas quoque, quae a magistratibus civilibus iis infligerentur, et commemoravit et approbavit (l. c. 400 877—878). Friburgi vero, cum alias saepe senatum ad maleficos puniendos e sacro suggestu hortatus esset, in hac contione, quantum quidem ex eius commentario intelligi potest, ea monitione supersedit. In secunda deinde contionis parte plurimas superstitiones singillatim recensuit et rectissime improbavit. In tertia denique remedia adversus daemonum malitiam, eaque sacra et ecclesiae usu commendata, sapienter indicavit.

1386. 5. Aprilis 1585.

Ex commentario autographo. Can. 38 f. 144^b—145^b. Exhortationem hanc, paululum tamen immutatam, ex eodem autographo posuit *Schlosser* 190—195.

Canisius ad Socios collegii exhortationem de passione Christi pie colenda habet. Meditationum colloquia. Poenitentiae.

Exstat commentarium Canisii manu scriptum et ab ipso sic inscriptum: „Exhortatio ad fratres domi facta". Ex pulchra hac oratione ad omnes collegii friburgensis Socios habita pauca excerpam. Incipit: „Nolo me excusare quod[c] exhortationem facturus ueniam, quoniam scitis quantum debeamus superiori nostram operam petenti uel aliquid committenti. Quid uero in hac exhortatione tractandum? Suadeo de Christi passione, quia cras in uesperis incipit Ecclesia serio se conuertere ad[d] hoc mysterium[2]. 2 sequens dominica nomen habet a passione. . . . Spero igitur nullum in malam partem accepturum, quod tractem de hac materia et primum cur bonum, utile et consultum sit, de illa cogitare, loqui et tractare. 2 quomodo circa illam recte uersari possimus hoc tempore. Fatendum est historiam[e] de pass. Christi esse super omnes historias habendam, maximamque et optimam Euangelij partem. . . . Quomodo circa passionem domini nos geremus cum fructu? Dicere posset aliquis, Ego his diebus legam saepius passionem domini. 2 cursum de S. Cruce[3]. 3[f] alias preces de passione. 4 honorabo 5. uulnera uel 7 effusiones sang. Christi[4] uel septem

a) *Corrigendum esse videtur:* Agnos; *cf. infra, adnot. 1.* b) *Sequitur* facta, *oblitt.* c) *Sequitur* monitus adst, *oblitt.* d) *Sic C. correxit ex* Ecclesia celebrare hoc. e) *Sequitur* Euangelicam, *oblitt.* f) *Sequitur* uel, *oblitt.*

[1] De cereis Agni Dei figuris a summo pontifice sollemniter sacratis vide *Can.* I 771[8].

[2] Ecclesia id facere incipit sabbato ante Dominicam Passionis; quae eo anno erat 7. Aprilis.

[3] I. e. Officium sive Horas parvas de S. Cruce. Cf. *Can.* IV 992.

[4] Alias sex effusiones recensentur. Ita *Ludolphus a Saxonia* O. Cart. († 1377): „Sciendum quod Salvator sex vicibus fudit sanguinem suum pro nobis: primo, in circumcisione . . .; secundo, in oratione [in monte Oliveti] . . .; tertio, in flagellatione, et quarto, in coronatione . . .; quinto, in crucifixione . . .; sexto, in lateris apertione": Vita Iesu Christi P. 2, c. 10, n. 3 (Tom. I, ed. *L. M. Rigollot* P. 1, Parisiis-Bruxellis 1878, 83). *Martinus a Kochem* O. Cap. († 1712) his sanguinis effusionibus addit eam, quae ante crucifixionem in detractione vestium Domini facta est, et septem has

uerba in cruce prolata, uel 9 transitus Domini in passione factos[1] totidem Pater noster. Alius forte dicet, Non solum aliquid peculiariter in honorem patientis Domini precabor, sed et meditabor per partes praecipuos articulos passionis, incipiendo ab horto uisitabo domum Annae, Cayphae, Herodis, Pilati, ac Caluariae montem, vbi cum Maria stabo sub cruce, flebo cum Magdalena, sepeliam cum[a] Joseph et Nicodemo dominum[2]. Vrgebo autem maxime 3 colloquia sicut liber Exercitiorum praescribit[3]. Dicet aliquis non solum meditabor, sed et in poenitentiae operibus me solito diligentius exercebo. . . . Jnueniuntur adhuc in pane et aqua uiuentes, cilicia portantes, extentis brachijs orantes[b] super faciem, Xenodochia uisitantes, Jesum in pauperibus consolantes. . . . Ego uero relinquo liberum[c] cuique id facere, quod ex permissu superioris uel Confessarij putauerit in Domino sibi assumendum et perferendum." [4]

1387. M. Maio 1585.

Ex autographo. Germ. 164 f. 228[a].

Collegii friburgensis prosperitas. Canisii valetudo.

P. *Georgius Bader* S. J. praepositus provinciae Germaniae superioris Lucerna 26. Maii 1585 Claudio Aquavivae praeposito generali de rebus collegii friburgensis, ad quod visitandum 14. Maii Friburgum advenerat, haec, praeter alia, scripsit: „Absolui uisitationem Collegij Friburgensis, iamque in Lucernensi uersor. Porro Friburgi, res nostras domi forisque ita constitutas ex singulari Dej beneficio inueni, ut meliores optari quidem possent, sperari certe uix poterant. Valent nostrj

a) *Sequitur* amico, *oblitt.* b) *Duo vv. sqq. a C. in margine addita sunt.* c) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

---

effusiones septem peccatis „capitalibus" opponit: Güldener Himmels-Schlüssel. Augspurg u. Dillingen 1718, 233—234.

[1] „Nouies mitissimus ille dominus hinc inde ductus est, primo ad Annam, secundo ad Caipham, tertio ad Pilatum, quarto ad Herodem, quinto rursus ad Pilatum, sexto in praetorium, septimo ex praetorio in locum iudicij, octauo ex iudicij loco iterum in praetorium, nono ex praetorio in caluariae locum": *Ioannes Eckius,* Homiliarum sive Sermonum Tomus I, s. l. 1534, 545 (Passio, Art. III, Enarratio). Anno 1574 Coloniae editus est libellus „Christliche walfart der neun führungen oder gang vnsers Herren Jesu Christi, in heiliger Passion" (*Georgii Willer* Catalogus novus ex Nundinis autumnalibus Francofurti ad Moenum Anno 1574 celebratis, Franckfurt am Mayn 1574, f. D 11[a]). Cf. etiam *K. Al. Kneller* S. J., Geschichte der Kreuzwegandacht, Freiburg i. Br. 1908, 109—114.

[2] Hanc meditandi rationem, qua quis mysteriis vitae Christi quasi praesentem se sistit et, quae in iis aguntur, pro viribus adiuvat, *S. Ignatius* indicavit in Libro Exercitiorum, maxime in „puncto primo" contemplationis secundae hebdomadis secundae.

[3] *Ignatius* complures meditationes et considerationes terminari iubet trinis colloquiis, quorum primum sit ad Christi matrem, secundum ad Christum ipsum, tertium ad Patrem aeternum; ita in hebdomadis primae exercitiis tertio et quarto et in hebdomadis secundae meditationibus de duobus vexillis et de tribus binariis ac consideratione trium modorum humilitatis etc. Ubi autem Ignatius de passione Christi contemplanda agit, tria illa colloquia non praescribit quidem, sed commendat in notatione primae contemplationi hebdomadis tertiae adiecta.

[4] „Poenitentias vel corporis afflictiones . . . illas assumere quivis poterit, quae sibi videbuntur cum approbatione Superioris ad maiorem sui spiritus profectum convenire": *Summarium* Constitutionum S. J., reg. 4. Superior autem „vices suas Confessario, vel aliis, quando expedire censuerit, poterit delegare": *Constitutiones* S. J., Ex. c. 1. C.

in utroque homine optime ne ipso quidem P. Canisio, quantum haec aetas permittit, excepto. Laborant in uinea dominj strenue : quo nomine omnibus sunt gratissimi."

In * *Litteris* annuis collegii friburgensis 8. Novembris 1585 datis narratur: „Vt vniuersim de Senatus in nos beneuolentia dicam, sumptus magnitudo quem in scholis, collegioque nostro exaedificandis necessario insumere cogitur, efficit vt apud multos, non externos modo, verum etiam ciues, et huius reipub. incolas magna invidia flagremus" (ex apographo eodem tempore vel paullo post scripto. Cod. „I. 36" f. 22).

Petro Schnewly praeposito friburgensi *Ioannes Franciscus Bonhomius* nuntius apostolicus Gandavo (Gent) 2. Decembris 1585 scripsit: „Gratissima fuere quae de collegio, deque Reverendi Patris Canisii authoritate scribis; sed non aeque, ut vere dicam, quae mihi innuis . . . Caeterum et haec sunt divinae misericordiae aperta satis argumenta. Neque enim nisi a Patribus sibi multum Diabolus timeret, non tam acris et vehemens contra illos insurgeret; nisi collegium istud Dei opus esset, non ad illud destruendum tam diligenter vigilarent adversarii, Diaboli videlicet ministri. . . . Sed pergite aedificare et materialem et spiritualem Domini domum. Nolite timere a facie eorum, sed Domini magni et terribilis mementote[1], qui utique liberabit vos de insidiis et manibus inimicorum vestrorum[2], et dabit vobis victoriam et pacem in Israel"[3] *Berthier*, Bon. 131—132.

1388. 20. Iunii 1585.

Ex commentario autographo. Can. 38 f. 183[a].

Canisius pro contione reprehendit eos, qui eucharistiam non comitentur, cum ad repellendam tempestatem circumfertur vel ad aegrotum defertur, vel qui reverentiam ei non exhibeant.

Canisius die festo Corporis Christi Friburgi orationem de sacra eucharistia habens et, quomodo catholici „circa hoc sacramentum peccare possint", ostendens (cf. supra p. 666) haec, praeter alia, protulit: „Peccant subducentes se tempore orientis tempestatis, cum pulsatur zum gewetter, et sacramentum circumgestandum in processione. Hi non cogitant, quanta sit virtus satanae uentos tempestates grandinem saepe per se et suam familiam excitantis, et nobis semper insidiantis. 2 non cogitant quanta sit virtus communis orationis fidelium in nomine domini congregatorum[4] Matth. 18. 3 quam potens reddatur nostra oratio per praesentiam sacramenti ad frangendam uim omnem tali Tyranno, ut iure dicere possimus, Exurgat Deus et dissipentur inimici eius, et fugiant qui oderunt eum a facie eius[5]. Nonne deus uictoriam dedit[a] populo suo contra Jericho, cum Leuitae septies arcam Domini circumtulerunt[b] [6]. Campanae[c] quid sunt nisi tubae nostri Regis conuocantis milites ad uigilandum et pugnandum contra praesentem hostem, et ad gratiam obtinendam ab eo, qui est dominus uirtutum[7] potens in proelio[8] contra daemones in hoc aëre habitantes[9] et semper nobis uicinos ad nocendum in bonis, corpore et anima.

Peccant parum curantes cum defert sacerdos sacramentum ad aegrotum[d]. Non accedunt uicini, ut alibi solet, nemo mittit caereum aut lumen. Multos pudet attingere pileum, uel in platea genuflectere Christoque honorem exhibere, uix unus ducit et reducit sacerdotem, neque curat accipere ab illo benedictionem. Sumus ut crassi rustici in diuino cultu, malum praebemus exemplum uicinis et exteris huc uenienti-

a) *Hoc v. supra versum scriptum est.* b) *Vide infra, adnot. 6.* c) *Huic v. et 4 sqq. linea subducta est.* d) *C. in margine scripsit:* Circa exportationem sacramenti.

[1] 2 Esr 4, 14. [2] 1 Esr 8, 31; Lc 1, 74. [3] Lv 26, 6; 2 Mach 10, 38.
[4] Mt 18, 20. [5] Ps 67, 2.
[6] Canisius in margine scripsit: „Josue 6". Cf. Ios 6, 1—21.
[7] Ps 22, 10; 45, 8 12; 47, 9; 68, 7; 83, 2 4 etc.
[8] Ps 22, 8. [9] Cf. Eph 6, 12.

bus, Catholicum nomen maculamus nimia leuitate, et si aliquando imus in processione, nullum deuotionis exemplum, sed ociositatis et fabulationis praebemus. Ve ingratis non cogitantibus bonitatem Christi etiam pauperes uisitantis per ministrum, imo per suam carnem et praesentiam corp. q. d.[1] Ego ueniam et curabo eum[2], et prouidebo illi de optimo uiatico."

1389. 26. Iunii 1585.

Ex cod. Can. 42 f. 142b—143b.

Canisius „exhortationem domesticam" ante renovationem votorum habet.

Exstat „exhortationis" a Canisio Friburgi ad Socios collegii habitae commentarium maximam partem manu ignota scriptum, a Canisio autem recognitum et suppletum, quod ignota illa manu sic inscriptum est: „Exhortatio .26. Junij 1585." „Congregati sumus", ait Canisius, „ad audiendam exhortationem, quae nos aliquo modo disponat ad futuram renouationem, sicut moris est in Societate. . . . Quae sunt impedimenta quae possint nos remorarj, ut fructus debitus ex renouatione non consequatur. . . . 1 Jmpedit renouationem facere bis in anno ex sola consuetudine. . . . 2 facere ut rem non magni momenti . . . 3 ignorantia et imperitia, inexperientia pugnandi contra hostes quotidie se nobis offerentes . . . 4 non amare et quaerere progressum in uocatione. . . . Quae conducunt ad bonam renouationem. Vera et humilis sui contritio. . . . Renouare memoriam promissae paupertatis . . . desiderium perfectae castitatis . . . desiderium obediendi."

1390. Initio mensis Augusti (2. Augusti?) 1585.

Ex commentario autographo. Can. 38 f. 207b—208b.

Canisius ad Socios de indulgentia iubilaei consequenda dicit.

Canisius Friburgi initio mensis Augusti a. 1585 (2. Augusti? Qui dies erat Veneris) ad collegii Socios exhortationem domesticam habuit de indulgentia iubilaei a Sixti V. novo pontifice fidelibus omnibus proposita (vide supra p. 668): Explicavit „qua de causa" et quibus cum condicionibus indulgentia illa oblata esset. Quod ad conciones attinet (quas vide supra p. 668—670), haec, praeter alia, notavit: Precatio facienda est pro pontifice, „ob quam expedit aliquid peculiariter legere, sicut 7 Psalmos poenit. cum Litania, uel 33 pater noster in honorem uitae Christi · de eleemosyna non opus est nos curare, sed cura superiori relinquenda de hoc sicut et de processione adeunda. Expediret tamen aliquid spiritualis eleemosynae conferre quemque nostrum in principes Christianos nunc ualde periclitantes · 2 in hostes Ecclesiae tam violentos et nociuos · 3 in animas purgatorij, praesertim quibus diebus ieiunandum est. . . . Puto non esse opus alicui nostrum petere uel accipere gratias hic nobis oblatas et a Confessario exequendas. Nempe ut externum quaeramus Confessarium extra Societatem, 2 ut absolui se quis faciat in casibus reseruatis in Bulla coenae Domini 3 ut dispensetur nobiscum circa censuras Ecclesiae · 4 ut uota facta nobis commutentur in opera pietatis. Est autem peculiaris gratia nobis promissa ob Jndulgentiam plenariam obtinendam." Deinde ostendit „beneficia ex Jndulgentijs expectanda" et „quid nos impediat circa Jndulgentiarum thesaurum".

1391. 1585.

Ex apographo eiusdem vel paullo posterioris temporis, quod est in Cod. „I 36" f. 20a—22b. Pauca ex hac litterarum parte typis exscripta sunt in „*Annuis Litteris* Societatis Iesu Anni M.D.LXXXV", Romae 1587, 270.

Friburgensium Sociorum numerus. Exercitia. Libellus apostatae refutatus. Legati principum. Odium Genevensium et aliorum. Socii in pagis, apud aegrotos, in carceribus et valetudinario. Lites compositae.

---

[1] I. e. corporis, qui dicit. [2] Mt 8, 7.

In *Litteris annuis* collegii S. J. friburgensis Friburgo 8. Novembris 1585 datis haec, praeter alia. narrantur: „Habitauimus Friburgi hoc anno decem et quatuor: quorum erant sacerdotes 7: praeceptores non sacerdotes 3: nam quartus, (tot enim hic sunt scholae,) sacerdos fuit: coadiutores 4. . . . Meditationibus spiritualibus [1], quibus ad vnum omnes vacauerunt, et [quas] alijs item plerique tradiderunt, singularis quaedam alacritas, immensaque Deo seruiendi uoluntas eluxit." Duobus tribusve locis linguis germanica et gallica „doctrina Christiana explicata est. . . . Mense Martio quidam [a] amicitijs et opibus cumprimis florens [2], Ecclesia Catholica deserta, Caluinianam sectam amplexus est. Quod ne temere fecisse videretur, libellum Senatui [b] obtulit, quo se de abiecta religione Cath. purgare, tum gratiam quoque a ciuibus suis colligere conabatur. Res erat sane ob hominis dignitatem, amicorumque multitudinem periculi plena, ne vel malum latius serperet, et in ciuitate [c] inclinatio aliqua fieret. Verum cum Cleri diligentia, tum argumentis perspicuis contra libellum illum a nostris in medium adductis, quicquid erat turbatum, foeliciter sopitum est [3] [d]. Ac vt primarios huius ciuitatis omittam qui sua consilia nobiscum communicare solent, vt Praepositus [4] ac Clerus maxime, Archiepiscopi etiam Coloniensis [5] [e], nec non Sabaudiae Principis legati [6], nos in suas consultationes adhibuerunt, varijsque argumentis suam in nos beneuolentiam testatam fecerunt. Quas ob res, cum caeteros plurimos, tum Geneuenses, in primis infensos infestosque sensimus, quod tanti nos ab omni ordine fieri animaduertant. Jtaque in vltima Caluinianorum Jnstit. editione, in nomen nostrum atrociter inuecti, debacchatique sunt, et ad pugnam tantum non petulanter lacesserunt [7]: sicut et reliqui haeretici passim, quibus id persuasissimum est, sicuti et e

a) *Scriptum erat* ciuis quidam Friburgensis; *sed vv.* ciuis *et* Friburgensis *oblitterata sunt.* b) *Sequitur* Friburgensi, *oblitt.* c) *Sequuntur vv.* iampridem erroribus labefactata, *oblitt.* d) *Sic haec sententia immutata est; quae primum sic habuerat:* Verum Cleri primum diligentia, deinde nostrorum tum consilijs, tum contra libellum illum scriptis, quidquid erat turbatum, foeliciter sopitum est. *Sequuntur vv.:* Nam poena capitis constituta, palinodiam canere iussus est, qui Ecclesiae Rom. obtrectarat, deinde exilio atque infamia mulctatus. *Quae vv. postea oblitterata sunt.* e) *Sequuntur vv.* Reipub. Solodurensis, *oblitt.*

[1] Significantur exercitia spiritualia S. Ignatii; v. supra p. 652.

[2] Iodocus Alex., patricius friburgensis et unus de senatu maiore illius reipublicae: v. supra p. 650.

[3] Canisium contra Alexium scripsisse satis certum est, praesertim cum testatum sit, eum verbis quoque contra eum pugnasse: v. supra p. 650. *Boero* tamen (quem secutus est *Séguin* 307) haec litterarum annuarum verba minus recte interpretatus esse videtur (Can. 387). Rem enim ita narrat, ut existimes, Alexium et Canisium libros typis exscribendos curasse. Neque vero eiusmodi libros quisquam, quantum equidem norim, vidit. Canisium saltem non talem librum, sed commentarium manu scriptum libello Alexii opposuisse tantum non certo constat.

[4] Petrus Schnewly, praepositus capituli S. Nicolai.

[5] Ernesti principis Bavariae.

[6] Ab a. 1582 ad 1588 Hieronymum de Lambert, dominum de Croisette, Friburgi legatione Caroli Emmanuelis I. ducis Sabaudiae functum esse scribit *Berthier*, Bonh. 66[2]. Gasparum de Bathy a. 1584 Friburgi ducis illius oratorem fuisse narratur in *„*Continuatione* Historiae Collegij S. J. Friburgi Heluetiorum" circa a. 1635 scripta, f. 1[a].

[7] Institution Chrestienne l. 3, ch. 3, n. 2: „Au reste, ceux qui inventent une nouvelle maniere de Chrestienté: c'est que pour recevoir le Baptesme on ait certains iours auxquels on s'exerce en penitence, devant qu'estre receus à communiquer à la grace de l'Evangile, n'ont nulle apparence en leur erreur et folie. Je parle de plusieurs Anabaptistes, et principalement de ceux qui appetent estre dits spirituels, et telle racaille comme sont les Jesuites et autres sectes. Mais ce sont les fruits que produit cest esprit de phrenesse, d'ordonner quelque peu de iours à faire penitence, laquelle doit estre continuée de l'homme Chrestien toute sa vie": *Ioannis Calvini* Opera quae supersunt omnia, ed. *G. Baum, E. Cunitz, E. Reuss*, Vol. IV, Brunsvigae 1866, 70. Editor monet, verba „et telle racaille comme sont les Jesuites et autres

Catholicis nonnulli libera voce praedicant: Religionem Friburgi minime saluam futuram, ni illam Jesuitae, omni ope propugnarent. . . .

Jn pagos hoc anno, plures, quam superioribus, sacerdotes nostri concionatum profecti sunt, nec vicinos modo, sed etiam bene remotos, vt 12 aut supra facile numerentur: cumque tres subinde sacerdotes, ad pagos euocati exiremus, nequaquam tamen omnium desiderijs satisfacere potuimus. Elaborarunt in eo nostri, vt non tantum populum illum incultum, poenitentia rite obeunda, alijsque christianis virtutibus erudirent, verum etiam parochos ipsos ad officium suum sedulo scienterque[a] fungendum cohortarentur, praecipue vero catechismum parvulos docerent, qui caeteroquin concionandi facultate praediti non erant. . . .

Jn visitandis aegrotis, saepe caritatem, prudentiamque suam declararunt nostri. Etenim cum res id postulabat, vigilatum est etiam nocte tota, cum ijs qui obituri putabuntur. Curatum item vt mature sacro oleo invngerentur, dum mentis essent adhuc compotes. Jd enim antea secus fiebat, vt non prius hoc sacramentum infirmis adhiberetur, quam rationis vsu penitus spoliarentur. Quae nostrorum caritas non solum apud plebeios homines, quos etiam eleemosynis interdum recreauimus, verum etiam senatorios, aliquoties constitit. Reos omnes quotquot hoc anno publicis iudicijs moriendum fuit, ad supplicium comitati sumus, eosdemque carcere adhuc inclusos, frequenter consolati, et quam minime fallacem salutem, ex tolerato patienter supplicio sperare possent edocuimus. Par fuit eos quoque qui in hospitali domo excipiebantur iuvandi studium. Qui cum varij, ac fere semper novi accedere soleant, nec vno calamitatis genere oppressi, magnam commiserandi, consolandique materiam nobis praebuerunt. . . . Lites inter coniuges et ciues saepe compositae. Quarum vna tanto erat momenti maioris, quod inter duos primarios ciues quotidie glisceret, ac demum per nostros sublata, eam authoritatem peperit, vt nostri perinde tanquam honorarij arbitri, ad discordias tollendas modo accersantur. . . ."

1392. 1585.

Ex apographo eiusdem vel paullo posterioris temporis: quod est in Cod. „I. 36" f. 20ª—21ª.

Contionum Friburgi a Sociis, inprimis a Canisio, habitarum argumenta et fructus pietatis ex iis collecti.

In collegii friburgensis *Litteris annuis* Friburgo 8. Novembris 1585 datis multa narrantur de fructibus a d. 8. Novembris 1584 usque ad illud tempus ex Sociorum friburgensium contionibus collectis. Quae si cum Canisii contionibus modo descriptis (v. supra p. 662—682) contuleris, maximam horum fructuum partem ex Canisii contionibus collectam esse videbis. Ita igitur Litterarum auctor: „Nunc vt de concionum summa fructuque primum agam, intelligendum initio, binis[1], interdum ternis in templis, ijsdemque huius ciuitatis omnino celebrioribus, concionatores nostros munus suum obijsse. . . . Pertractata sunt fere semper argumenta eiusmodi, quae huic populo recte intellecta esse quam plurimum interfuit. Ea fuere de Eucharistia, de vnius tantum speciei communione.

a) *Sic correctum est ex* suum bene.

sectes" in postrema operis recognitione addita esse. Similiter in editione latina: „De plurimis Anabaptistarum loquor: iis praesertim qui spirituales haberi mire gaudent, eorumque sodalibus Iesuitis, et similibus quisquiliis. Tales scilicet fructus profert spiritus ille vertiginis" etc.: *D. Ioannis Calvini* Institutio Christianae Religionis, Lausannae 1576, f. 143 a ª.

[1] In templis S. Nicolai et B. Mariae V.

de Historia Job siue de poenitentia [1], de Jubilaeo [2] ac indulgentijs : quas huius vrbis Praepositus [3] per nostros non solum e Latino in Gallicum conuerti, typisque nouo exemplo excudi, verum etiam ex superiori loco, supplicationum diebus populo explicari petijt [4]. Qua nostrorum assidua diligentia ac contentione, convulsi primum errores, qui in multorum animis alte diuque insederant, aucta bonorum pietas, leges item de religione Catholica tuenda latae, aut quae iamdudum obsoletae erant reuocatae. . . . Confitendi praeterea, communicandi, orandi concionesque audiendi consuetudo frequentior introducta. Erat id videre, vt saepe alias, tam maxime, ferijs Natiuitatis Domini, Quadragesimae, ac Jubilaei diebus, quibus negant homines aut crebriores in concionibus, aut in sacramentis percipiendis diligentiores, se vllo vnquam tempore animaduertisse. Qui vero nostris vtuntur confessarijs ea est pietas, vt subinde pane et aqua victum tolerent, peregrinationes tridui, in Burgundiam [5], aut in Suitios [6], ad templa sanctissima suscipiant, nec ita multo ante, ob quaedam huic reipub. imminentia mala depellenda, quatridui orationem peregerint. Cum perversus hic mos inveterasset, ne mulieres, ita frequenter conciones audirent, nostrorum tamen admonitu [7], correctus is modo est, vt haud minus quam viri, mulieres iam assidue in concionibus inueniantur. Juuentus Decalogi, orandique scientia, imbuta, ac praemijs etiam saepius invitata atque affecta. Ritus superstitiosi, et qui magiam continebant, concionando patefacti primum [8], deinde penitus abrogati. His enim milites vt tuti in bello esse possent, ac mulieres, vt certos morbos depellerent, crebro vsas intelleximus. . . . Libris haereticis investigandis, (quibus haec ciuitas abundat), vtiliter saepe a nostris opera data est [9]. Plus enim decies, tum discipuli, tum ciues, libros aut haereticos, aut turpia argumenta tractantes nobis censendos attulerunt, aliqui bibliothecas etiam integras examinandas obtulerunt."

1393. 25. Novembris 1585.

Ex autographo. Can. 38 f. 249[a].

Canisius Friburgi e sacro suggestu commendat, ut ibi domus virginibus bene instituendis constituatur.

Canisius in commentario orationis sacrae Friburgi die 25. Novembris 1585, quo festum S. Catharinae virginis et martyris ibi solenniter agebatur, a se habitae haec sua manu notavit: „Optandum Friburgi domum erigi Virginibus bene instituendis ut multa peccata[a] multae leuitates et pericula euitentur. Sexus fragilis, iuuentus ad malum propensa, mundus periculosus[b], exemplum in pistrino bey der brottschale

a) *Sequitur* euitentur, *oblitt.* b) *Sex vv. sqq. in margine addita sunt.*

[1] Vide supra p. 663—666.
[2] De hoc iubilaeo a Sixto V. proposito v. supra p. 668.
[3] Petrus Schnewly. [4] Vide supra p. 668—670.
[5] Ad monasterium Sancti Claudii de quo plura infra dicentur.
[6] Maxime ad aedem B. Mariae V. in Eremo (Einsiedeln) : v. supra p. 523 593.
[7] Vide supra p. 665. [8] Vide supra p. 664 679. [9] Cf. supra p. 654.

2 Vt[a] iuuentur parentes, qui uel non sciunt, uel non possunt filias recte instituere, et earum curam gerere debitam 3 Vt ex honestis deuotisque uirginibus plures bonae coniuges fiant[b] et tum statim ita nubant puellae 4 Vt separatae melius exerceantur in Catechismo, in legendo, scribendo, orando, nendo[c], confitendo et pijs exercitijs ante coniugium · 5[d] non est nouum. Exemplum alibi cernimus, ubi sunt domus spirituales pro talibus puellis 6 Non deessent honestae, prudentes et peritae matronae libenter inseruientes 7 Essent optima eleemosyna, et insigne pietatis opus, cui multi fauerent et prodesse possent."

1394. **10. Decembris 1585.**

Ex opere „Die Eidgenössischen Abschiede aus dem Zeitraum von 1556 1586. Bearbeitet von *Joseph Karl Krütli*. Der amtlichen Abschiedesammlung Band 4, Abtheilung 2", Bern 1861, p. 902, et ex P. Michael autographo, quod est in Germ. 166 f. 116[b].

Quinque pagi catholici Helvetiae cum alios, tum inprimis Canisium consulere statuunt, quid scribere debeant quattuor civitatibus zwinglianis Helvetiae, quas audiunt Henrico Navarrae regi eiusque Hugonottis permissuras, ut clam 12000 militum arcessant, qui non solum Galliae regem, sed etiam pagorum catholicorum milites ab eo conductos oppugnaturi sint. Canisius scripti auctor habetur.

In corpore „recessuum" („Abschiede") confoederationis helveticae, ipsius reipublicae helveticae mandatu edito, haec referuntur de consultatione Lucernae 10. Decembris 1585 a „quinque locis catholicis" (qui erant Lucerna, Urania, Suitium, Subsilvania, Zugium [l. c. 901—902]) habita: Auditum est, „dass die IV Städte[1] ungeachtet ihrer schönen Worte[2] damit umgehen, dem rebellischen König von Navarra[3] sammt dessen hugenottischen Anhang nicht allein wider den König von Frankreich[4], sondern auch gegen die in dessen Dienst befindlichen Truppen der katholischen Orte, auch wider Eid und Ehre, wider den ewigen Frieden, die Bünde und den Landfrieden einen Aufbruch von 12000 Mann unter Herzog Casimir[5] zu erlauben, ferner daß der Aufbruch unversehens und in aller Stille vor sich gehen soll und daß auch die Obersten und Hauptleute schon bestellt seien. Daher wird für angemessen erachtet, die Antwort noch zu verschieben, bis man sieht, wohinaus die Sachen wollen. Inzwischen soll jedes Ort die Einsichtsvollen unter den Geistlichen und Weltlichen zu Rathe ziehen und dann einen Vorschlag zu einer Antwort entwerfen, damit man auf nächstem V-örtischen Tag sich vereinbaren kann. Lucern insbesondere soll den Rektor des Jesuiten-Collegiums[6] dahin vermögen, daß er sich mit Dr. Canisius in Freiburg darüber unterrede."

a) *Sequitur* separatae, *oblitt.* b) *Sex vv. sqq. in margine addita sunt.* c) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.* d) *Tria vv. sqq. in margine addita sunt.*

[1] Significantur Tigurum, Berna, Basilea, Scaphusum civitates zwinglianae.

[2] Significantur earum litterae ad septem pagos catholicos datae; quas posuit *Krütli* l. c. 896—901. [3] Henricum. [4] Henricum III.

[5] Ioanne Casimiro comite Palatino et Calvinianorum patrono.

[6] P. Martinum Leubenstain.

Dubitari nequit, quin Canisius ea de re consultus sit. P. *Petrus Michael* collegii friburgensis rector Friburgo 6. Iulii 1586 Aquavivae praeposito generali de „Calvinianis Bernatibus“ *scripsit: „Extimulat illorum animos ad inuidiam, responsio Catholicorum Heluetiorum data Cantonibus haereticis, cuius P. Canisium auctorem faciunt.“ Septem cantones catholici in hac responsione m. Aprili 1586 facta fidem suam aperte professi erant et adversus protestantium obiectiones ac criminationes strenue defenderant; simul negaverant se (id quod Zwingliani postulaverant) nuntios pontificios finibus suis arcere posse. Responsi capita praecipua posuit *Mayer* II 261—262; integrum responsum est apud *Krütli* l. c. 920—940. *Io. Dierauer* de eo scribit: „La partie théologique paraît trahir la main des Jésuites“: Histoire de la Confédération Suisse. Ouvrage traduit de l'allemand par Aug. Reymond III, Lausanne 1910, 439.

1395. 21. Decembris 1585.

Ex commentario a Canisio emendato et amplificato. Can. 38 f. 255^b—257^b. Eiusdem orationis commentarium germanicum, brevius tamen, exstat in Can. 40 f. 1^a—5^a.

Canisius de „missionibus exteris“. Ob tam multorum paganorum conversionem Deus laudandus est, regnum suum ad eos ab ingratis transferens. Gaudendum cum conversis. Petendi a Deo missionarii. Animi in fide confirmandi.

Canisius anno 1585 Friburgi Helvetiorum in aede primaria S. Nicolai die sacro S. Thomae Apostoli, qui erat 21. Decembris, orationem sacram habere voluit. Etsi autem ab ea habenda (infirmitate, ut videtur) impeditus est (v. supra p. 672), eius tamen partem hic ponam, quia in nulla alia oratione, quod equidem sciam, Canisius tam copiose tamque diligenter de missionibus exteris egit. Potest haec oratio vere oratio de missionibus — „Missionspredigt“ — dici. Ita igitur ille:

„Nullum adesse puto, qui non audiuerit aliquid de nouis repertis Insulis[1] nostra aetate per Hispanos et Lusitanos[a]. 2º Easdem insulas amplissimas esse, licet hactenus multis saeculis fuerint incognitae non solum uulgo sed etiam Cosmographis antiquis 3. Multos ex[b] nostris regionibus illuc esse profectos et praedicasse illis barbaris et impijs gentibus[c], daemones colentibus Christum Christique Euangelium et quidem cum magno fructu. 4. Nondum annus est uenisse legatos ex sola Insula Japonia a suis Regibus missos Romam, ubi non modo fidem suam professi sunt, sed etiam publice Christi vicario praestiterunt obedientiam, postquam triennium in sua profectione consumpsissent[2].

Quid boni hac de re utiliter cogitare possunt et debent? I[um] Ex praecipuis mirabilibus Dei operibus[3] in hac ultima Mundi aetate

a) *Sequuntur vv.:* Ex praecipuis Dei operibus in hac ultima mundi aetate factis, *oblitterata.* b) *Sequitur* his, *oblitt.* c) *Sequitur* quae, *oblitt.*

[1] Repertae sunt insulae iaponicae, philippinae, canariae etc. Et quia notiones geographicae illius aetatis obscuriores erant, probabile mihi est, Canisii animo obversatas esse etiam terras quasdam continentes, velut Brasiliam, Peruviam, Mexicum etc. In commentario germanico dicitur: „Inseln vnnd Königreich“.

[2] Tres hi iuvenes nobilissimi, a regibus Bungi et Arimae et regulo Omurae missi, cum P. Alexandro Valignano S. J. duce a. 1582 ex Iaponia discessissent et m. Martio 1585 in Italiam pervenissent, cum a Gregorio XIII. tum a Sixto V., qui in eius locum successerat, amantissime excepti sunt. Cf. *Pastor* IX 717—722.

[3] Ps 138, 14.

factis hoc non esse minimum, sed fere praecipuum, ingenti admiratione dignum[a]. In quo Deus suam potentiam, sapientiam et bonitatem mundo uoluit demonstrare, sicut per Sanctam Brigittam praedixerat nouis gentibus ostium fidei se aperturum esse[1], imo sicut per Isaiam quoque promisit gentium conuersionem[2], et Math. 24 Praedicabitur hoc[b] Euangelium[c] Regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc ueniet[d] consummatio[3].

Vnde sequitur tanto magis finem mundi appropinquare, quo certius uidemus Euangelium annunciari nouo orbi et a multis Euangelium acceptari cum[e] fructu obedientiae et iustitiae christianae, quae mirabiliter in illis regionibus lucet et floret, ita ut indies magis et magis homines ad Baptismum accurrant, idola sua destruant, noua templa erigant magnamque gratitudinem et deuotionem erga Christum eiusque Ecclesiam ostendant et sacramenta habeant in magna reuerentia[f].

Dico praeterea in hac noui orbis inuentione laudandam esse magnam Dei potentiam in Principibus christianis, dando illis uoluntatem quaerendi, inueniendi et expugnandi tam multas et potentes insulas et Prouincias gentesque tam barbaras, ut etiam suos parentes occiderint et comederint, ut suos filios immolauerint Sathanae, ut sine lege, sine Deo, sine ordine uixerint in[g] tenebris omnis infidelitatis et idololatriae. Mirabilis Deus qui dedit hanc uirtutem[h] et prosperitatem christianis ad uisitandos et conuertendos eiusmodi diaboli seruos et Dei inimicos omni gratia et fide destitutos. Populus enim erat sedens in tenebris et umbra mortis[4].

Rursus hinc discimus mirabilem Dei sapientiam, qui suum Euangelium suamque gratiam non uult uni genti uel populo alligari, sed transfert illud ab uno loco ad alium pro suo beneplacito, sicut transtulit fidem a Iudaeis ad Graecos, a Graecis ad Germanos, et nunc a Germanis ad Indos nouasque Insulas[i].

a) *Canisius sua manu in margine et supra versum scripsit:* 1 Opus insigne et mirabile in principibus fidelibus 2 in barbaris gentibus 3 in migratione Euangelij 2 signum iudicii 3 ec. b) *Hoc v. a Can. ipso additum est.* c) *Sequitur* Dico secundo, *oblitt.* d) *Sequitur* consolatio, *oblitt.* e) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.* f) *Can. in margine et supra versum sua manu scripsit:* Signa nouae conuersionis relinquere antiquam superstitionem, damnare errores, idola reijcere. 2 fidem dare praedicatoribus, 3 desiderare baptismum 4 suscipere sacramenta 5 deuote se gerere erga Christum eiusque vicarios. g) *Sequitur* omni, *oblitt.* h) *C. sua manu in infima pagina:* Quales Indi, ceci et idololatrae, ignorantes tot seculis, ambulantes in tenebris [Ps 81, 5; Is 50, 10; 59, 9]. 2. imitatores Magorum, parati et desiderantes lucem sequi, gratiam oblatam amplecti [cf. Mt 2, 1—12]. Ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui Esai. 60 [v. 3]. i) *C. sua manu in margine:* Quomodo Christus de gente migret in gentem cum suo Euangelio. Non est acceptor personarum Act. 10 [v. 34].

[1] „Mittam amicos meos, qui Salomonem filium meum, id est Paganos, introducant in lucum, id est in Ecclesiam, quae ex septem Sacramentis, quasi ex septem arboribus subsistit, . . . et requiescent in sede mea, id est fide recta sanctae ecclesiae. Christiani autem mali fient eorum servi“ etc.: Revelationes l. 2, n. 5 (Revelationes Caelestes Seraphicae Matris S. Birgittae Suecae, ed. *Simon Hörmann* O. SS. Salv., Monachii 1680, 103).

[2] Cf. Is 2, 1—4; 9, 2; 11, 10; 42, 6; 60, 1—6 etc. [3] Mt 24, 14.

[4] Lc 1, 79; cf. Ps 106, 10; Is 42, 7.

Vnde sequitur quomodo Deus suam etiam ostendat iustitiam mirabilem et terribilem auferendo quibusdam Prouincijs gratiam fidei ante datam, et concedendo alijs praeter nostram expectationem et opinionem[a]. Sic impletur adhuc quod Christus dixit Judaeis: Ideo dico uobis auferetur a uobis Regnum Dei et dabitur genti facienti fructum eius[1]. Deserit enim iustus Deus ingratos et abutentes suis beneficijs, et uisitat in ira gentes non agnoscentes uisitationis suae tempus[2], sed oblatam gratiam repudiantes[b]: Potens est ipse de lapidibus suscitare filios Abrahae[3] ubi et quando ipsi uisum est, qui et mortuos uiuificat[4] et uocat ea quae non sunt[5], qui suscitat de puluere egenos et pauperes, et collocat eos cum Principibus populi suj[6]. Vnde Paulus monet ne in uacuum Dei gratiam accipiamus[7] sicut Judaei acceperunt, et quia steriles manserunt arbores sine fructu[8] exiuit Iesus de templo[9] illorum et maledixit eis[10] secundum Christi vaticinium Mat. 8. Dico uobis quod multi ab Oriente et Occidente uenient et recumbent cum Abraham Isaac et Iacob in Regno coelorum, filij autem Regni eijcientur in tenebras exteriores[11]. Vnde Paulus etiam nos iubet sollicitos esse, licet in locum Judaeorum a Deo uocati et Euangelij participes facti. Vide, inquit, bonitatem et seueritatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt seueritatem, in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioqui et tu excideris[12]. Nonne excisa est Aphrica, bona pars Asiae, Graeciae, et in Europa Prouinciae multae, quae a Regno Dei, id est a uera Ecclesia se separarunt, et quotidie separant, dicentes: Ecce hic est Christus, ecce illic[13]. Impletur enim Christi dictum: Surgent multi Pseudoprophetae et seducent multos[14]. Hoc est horrendum ergo iudicium Dei, quo Deus punit indignos et inobedientes filios, maxime quod in fide deficiant et discedant ab unitate et ita relinquentes pastores uulnerantur et perduntur a lupis[15], Christo interim nihil perdente, sed nouos populos, nouasque Ecclesias acquirente, in quibus Euangelium facit fructum[16] et Spiritus operatur[17], facitque mirabilia magna[18], sicut fide dignae historiae probant.

Ad haec nouus orbis cum sua mirabili conuersione nos admonet, ut si Christum et Christi fidem amamus, ex uera charitate gaudeamus

a) *C. sua manu in margine:* Justitia Dei nos ut Judaeos ingratos punientis et priuantis gratia.
b) *C. in margine sua manu:* Euomit nos Deus de ore [Apc 3, 16], maledicit, noluerit [noluit] benedict. et elong. ab eo [Ps 108, 18]. Deserit deserentem se et Ecclesiam suam et pastores.

[1] Mt 21, 43. [2] Lc 19, 44.
[3] Mt 3, 9; Lc 3, 8. [4] Io 5, 21; Rom 4, 17. [5] Rom 4, 17.
[6] Ps 112, 7 8. [7] 2 Cor 6, 1. [8] Cf. Lc 13, 6 9; Iud 12.
[9] Io 8, 59. [10] Cf. Mt 21, 19; Mc 11, 13 14. [11] Mt 8, 11 12.
[12] Rom 11, 22. [13] Mc 13, 21; Mt 24, 23; Lc 17, 23.
[14] Mt 24, 11. Cf. Mc 13, 22. [15] Cf. Mt 7, 15; Act 20, 29.
[16] Cf. Mt 3, 10; 13, 8 23; 21, 43 etc. [17] 1 Cor 12, 11. [18] Ps 135, 4.

cum nouis fratribus[a], qui ex diaboli seruis quotidie Dei filij et Christi haeredes efficiuntur[1], qui in peccatis mortuj ad vitam sanctam resurgunt, et Ecclesiae domum implent[2], abundantes fructibus iustitiae[3] christianae. Nonne pater habens filium prodigum laetatur, et laetari uult fratrem eius, dicens: Epulari et gaudere oportet, quia frater tuus hic mortuus erat et reuixit, perierat et inuentus est[4], Pastor laetus reportat ad ouile ouem perditam[5], Angeli laetantur in caelo de uno peccatore poenitente[6].

Rursus admonemur Dominum messis rogare, ut mittat plures operarios in messem[7] multam et desertam apud Indos[b] ne propter defectum ministrorum tam multa millia pereant animarum, sicut pereunt sine Baptismo, sine sacerdote, sine sacramentis, quia non est qui frangat panem paruulis[8], sed sunt sicut oues sine pastore[9], paruuli sine lacte[10], discipulj sine Magistro, aegroti sine medico. Vnde scribunt ex India saepe petentes plures operarios ad se mitti, ut habeant seminatores fertilis agri[11], et piscatores spirituales[c], qui tractare norint Euangelicum rete, et pisces ad littus trahere salutis aeternae[12].

Postremo confirmare nos debet in Catholica fide[d] cum audimus et legimus de nouo orbe tam multos conuerti[e], non ad sectariam et nouam, sed ad catholicam et veterem fidem, eamque esse tam efficacem[f], ut multa quottidie fiant miracula circa infirmos et obsessos, quemadmodum et in primitiua Ecclesia fiebant per manus Apostolorum[13]. Mirantur multi et offenduntur audientes quasdam ciuitates, Dominia et gentes a ueteri fide deficere et nouis sectis adhaerere. Cur illi non cogitant magnam Dei uirtutem in orbe nouo sic fidem veterem exaltantis, ut integra regna catholicam fidem cum desiderio audiant, acceptent, profiteantur et ornent ueris uirtutum fructibus, et sancta vitae conuersione, cum prompta obedientia in agendo et omittendo iuxta praescriptum catholicae Ecclesiae, et sinentes se per omnia regi a catholicis sacerdotibus et in magna unitate fidei[14] persistentes, idipsum sapientes[15], et fidem suam operibus declarantes."[16]

a) *C. sua manu in margine:* Excitamur ad gratulandum conuersis. b) *C. sua manu in margine:* Inuitamur et uocamur ad orandum pro operarijs. 2 pro confirmatione nouitiorum. c) *Sic C. sua manu correxit ex* hominum. d) *C. in margine:* Confirmamur in fide. e) *C. sua manu in margine:* Quem fructum faciunt noui schuermeri? reddunt sacrilegos, inobedientes, rebelles, contemptores, abrogatores pietatis, sacra conculcant. f) *C. hic in margine et supra versus scripsit:* sicut fuit in prima Ecclesia ob miracula 2. ob obedientiam delatam Ecclesiasticis 3 ob vnitatem spiritus 4 ob zelum in cultu. Act. 2 [v. 42] Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum et in communione fractionis panis et orationibus. Act. 4 [v. 32] Multitudinis credentium erat cor unum et anima una Act 6 [v. 7] Verbum domini crescebat, et multiplicabatur numerus discipulorum · habebant Stephanos potentes in disputando 2 in miraculis .3. in arguendo, conuertendo, patiendo propter verbum [cf. Act 6, 8—15; 7, 1—59].

[1] Cf. Rom 8, 17. [2] Lc 14, 23. [3] Phil 1, 11; Iac 3, 18. [4] Lc 15, 32. [5] Cf. Lc 15, 3—6. [6] Lc 15, 7. [7] Mt 9, 38; Lc 10, 2. [8] Thr 4, 4. [9] Nm 27, 17; 2 Par 18, 16; Mt 9, 36 etc. [10] Cf. 1 Cor 3, 2; Hebr 5, 12. [11] Cf. Mt 13, 3—30; Mc 4, 3—20; Lc 8, 5—15. [12] Cf. Lc 5, 3—10; Io 21, 1—11. [13] Cf. Act 5, 12. [14] Eph 4, 13. [15] Rom 15, 5; Phil 4, 2. [16] Cf. Iac 2, 18.

1396. Exeunte m. Decembri 1585.

Ex exhortationis commentario ignota manu scripto et a Canisio recognito. Can. 38 f. 262ᵇ—265ᵃ. Exhortationem, aliqua tamen parte omissa, ex eodem commentario posuit *Schlosser* 314—320.

Canisius ad Socios exhortationem de votis renovandis habet.

Exstat commentarium a Societatis sodali, ut videtur, scriptum et ab eodem „De renouatione uotorum 1586." inscriptum, quod Canisius sua manu emendavit et amplificavit. Incipit: „Instat tempus quo tria nobis consideranda et peragenda[a] proponuntur. 1um est concludere ueterem annum et nouum inchoare. 2 est festum nominis Iesu[1] cum fructu celebrare. 3 Renouare uota in societate facta". Ex his verbis intellegitur, Canisium Friburgi exeunte m. Decembri a. 1585 (29.—31. Decembris?) ad Sociis collegii exhortationem sacram habuisse, qua ad vota religiosa Kalendis Ianuariis renovanda praepararentur. Agebat autem de votis 1. Ianuarii 1586, non 1587, renovandis. Exstat enim alia exhortatio, „De renouatione uotorum a. 87" inscripta, quam de votis 1. Ianuarii 1587 renovandis habitam esse certo constat: v. infra, monum. 1421. In priore illa Christum infantem proponit in paupertate, castitate, oboedientia imitandum. Deinde demonstrat, renovationem hanc „utilem et laudabilem" esse, et ostendit, quibus rebus eius fructus impediatur.

Haec quoque *Canisius* monet: „Inter alia Societatis nostrae instituta propria et peculiaria non est minimum frequens et anniuersaria renouatio uotorum, quae non sine Spiritu Sancto inspirata patri nostro Ignatio semper durauit et multa habet super se consideratione digna. . . . Vnde semper aliqua exhortatio talem renouationem praecedere debet, ut omnes intelligant rem utilem sanctam et frugiferam esse huiusmodi renouationem.

Eiusdem exhortationis commentarium eadem illa manu ignota scriptum et „Renouatio uotorum a.º 1586" inscriptum, cui Canisius pauca verba sua manu addidit, exstat in Can. 42 f. 133ᵃ—134ᵇ. Hoc commentarium cum superiore illo in verbis multum discrepat, in rebus plurimum convenit. De renovatione votorum in eo dicitur: „Instituit illam P. Ignatius instinctu spiritus sancti" (f. 134ᵃ).

1397. Anno 1585 et 1586.

Ministri protestantes attribuunt Canisio librum „Fragstuck" a Verronio parocho adversus ipsos editum. Canisius a Verronio et ab Hansonio contra eos defenditur.

Ioannes Hayus (Hay) S. J. scotus a. 1580 Parisiis ediderat „Certain Demandes concerning the Christian Religion and Discipline, proposed to the Ministers of the new pretended Kirk of Scotlande, by Johne Hay, ane Clerke of the Society of Jesus". Hunc librum *Michael Coyssard* S. J. a. 1583 Lugduni edidit sic inscriptum: „Demandes faictes aux Ministres d'Escosse touchant la Religion chrestienne, par Maistre Jean Hay Escossois, de la Compagnie de Jesus, Professeur en Theologie au College et Université de Tournon, reveues et de l'Escossois mises en notre langue Françoise". Eodem anno Viroduni (Verdun) quoque hic liber in lucem prodiit. Eum ex lingua gallica in germanicam transtulit et amplificatum a. 1585 Friburgi Helvetiorum ex officina typographica Abrahami Gemperlin in lucem emisit Sebastianus Verronius parochus friburgensis: „Joannis Hays auss Schotten Fragstuck dess Christlichen Glaubens an die neuwe Sectische Predigkandten, auss dem Franz., durch *Sebastian Werro,* Pfarrherr zu Freyburg im Uchtland, ins Teutsche gebracht, mit angehengtem andern Theil gemehrt" (*Sommervogel* II 1599. IV 162). Mense autem Septembri a. 1585 *Senatus tigurinus* (Zürich) reipublicae suae et pagorum sive cantonum bernensis, basileensis, scaphusani (Schaffhausen) nomine per *litteras a Friburgensibus poposcit, ut librum „Fragstuck" auferrent neve in posterum eiusmodi libellos criminosos (Schmaachbüchlj") et paci publicae contrarios typis exscribi paterentur; secus enim,

a) *Sequuntur vv.* in Societate, *oblitterata.*

[1] Festum Circumcisionis Domini, quod Kalendis Ianuariis agitur; v. supra p. 575.

aiunt Tigurini, necesse erit nos libello illi scriptum, quo ex Sacra Scriptura solide refutabitur, opponere („mit gründlicher Widerlegung uß heiliger göttlicher Schrifft gebürlichen antworten“ ex harum litterarum apographo recenti, quod adiunctum est exemplo libri „Fragstuck“, quod servatur Friburgi Helvetiorum in bibliotheca monasterii ordinis Fratrum Minorum Conventualium). Calviniani autem galli adversus Haii librum ediderunt Nemausi (Nimes) a. 1584 „L'esprit et conscience jesuitique. . . . Par *Jaq. Pincton* de *Chambrune*“ et a. 1586 „Defence de la vérité catholique, et troisieme anti Jesuite de *Jan de Serres*“ (*Sommervogel* IV 162). Germanice autem editus est libellus: „Einfaltige Antwort | Auff die arg vnd listige | Fragstück der Jesuiter an die Lutherische= | Predikanten, dardurch das Jesuitisch schleichendt Gifft, vnterm schein grosser Witz außgegossen, dem Ar= | men Einfaltigen Mann entdeckt wirdt. | Vnderscheiden in zwen Theil. Der erste, beantwortet die Fragstück, so newlich zu | Freiburg inn Vchtland, vnterm namen Sebastian Werro Prie= | sters daselbst, dem H. Euangelio vnd desselben Dienern, zur schmach | vnd Lästerung außgangen, Gestellt durch etliche Diener des | Euangeliums Christi in Teutschen Landen. Der ander, widerlegt die Lästerung, so Johan Haius der Jesui= tische Münch, vnterm namen Herren Johannis Caluini se= | ligen, den reformierten Kirchen zu= gemessen. | Durch Herrn Jacob Pincton von Schambrun, erst= | lich in Frantzösischer Sprach beschriben, jetzo aber inn hoch Teutsch verdolmetschet. | Wer da fragt, der vernimpt, | Prouerb .26. | Antworte dem Narren nach seiner Narrheit, damit er | sich nicht für weiß halte. O frommer Christ, | Liese mich mit fleiß, | Des Lugners List, | Erwieg darbey, | Wer du auch bist, | Daß dich nit bschmeiß | Den du hie sihst, | Welchs dwarheit sei. ANNO M. D. LXXXVI.“ sine loco et sine nomine typographi: 4°: ff. sign. 138 et in initio 4 non sign., addito titulari).

In praefatione dicitur: Nunc Satan magis quam unquam antea in sancti evangelii doctrinam saevit, „vnnd das in allen seinen Dienern, besonders aber inn den Jesuwidern, als den fürnemesten Principalen vnnd Obersten Rädelführern, aller Feinden Christi vnnd seines Heyligen Euangeliums, welche zu keinen zeiten können ruhen, sonder wie das vngestüme Meer, den Schaum vnd Kaht jrer Lästerungen täglich vnd on vnderlaß außwerffen.“ Friburgum Helvetiorum hi proximis annis invaserunt, „freilich des Vorhabens nicht, den Frieden vnd die Einigkeit, sondern viel mehr die Trennung vnnd Zerstörung einer gantzen löblichen Eydnoschafft, mit practicieren, schreiben vnnd lästern, nach allem jrem vermögen, auff das fleissigest zubefürdern, wie sie dann dasselbige im brauch haben in allen Landen, inn denen sie sich eintringen. Auff welches End hin sie dann auch newlich eine newe Truckerey zu Freiburg haben auffgericht, damit sie jren Kaht vnd Wust desto ehe vnd mehr mit hauffen in ein Eydgnossschaft außtrucken, Zanck vnd Zwitracht anrichten, vnd entlich alles mit Mord vnd Blut erfüllen mögen.“ Deinde de Verronii libro „Fragstuck“ affirmatur: „Ein jeder verständiger Leser, besonders welchem der Werro bekant ist, gar leichtlich vnnd augenscheinlich sehen vnd erkennen kan, Daß ein anderer Alter, listiger vnnd Erfahrener Fuchs darhinder steckt, welcher allen Vngunst vnd Vnglimpff ab jm zuschieben, disem Ehrgeitzigen vnd hoffertigen Pfäfflin seine Figment vnnd Lästerungen vndergeschoben.“ Postremis hisce verbis satis perspicue significatur, Canisium libri „Fragstuck“ verum esse auctorem.

Genevenses quoque et Bernates librum Verronii refutare conati sunt. Prodiit enim (id quod *Sommervogel* ignorabat): „AD SEBASTIANI | VERRONIS FRIBVR- | GENSIVM APVD HELVE | tios Parochi ac Sacerdotis Iesuastri, quae stiones de Verbo Dei, S. Scriptura com- | prehenso. | *RESPONSIONES ANALYTICÆ* & ἀνασκευαστικαὶ. | Per CHRISTIANVM AD PORTVM Sacræ | Theologiæ in Schola Bernensi Doctorem. GENEVÆ, *APVD EVSTATHIVM VIGNON*. M.D.LXXXVI.“ (16°; pp. numeris signatae 119, non sign. in initio 8, addito folio tit.; in fine 1; in fine libri: „Bernae Heluet. 15. Nouemb. 1585“). In initio posita est epistula (Geneva 4. Augusti 1586 a *Theodora Beza* data, in qua Beza auctorem libri laudat et ei fatetur, se eius opus ab ipsius filio acceptum ipso inscio et quasi invito genevensi tradidisse typographo.“ „Christianus“ ille semel atque iterum indicat, Verronium (quem saepe „Gerronem“, i. e. hominem inutilem, scurram, vocat) a Canisio adiutum et

edoctum esse: velut cum scribit: „Intricatis istis quaestiunculis, quas tibi asinus ille Canisius dictauit, et quas ne ipse quidem explicate intelligis, sperasti te laudem conequuturum" (p. 6). „Aduoca Asinum tuum cum pullis suis in subsidium. Apostoli ex aeterno et immoto Dei praecepto dicunt et edicunt, non esse scortandum. Tu, et infernales ranae vestrae, quae nuper ex inferis prorepserunt, vobis in subsidium excipere audetis, et Deo in faciem responsare" etc. (p. 23). Catholici maximis conviciis et calumniis afficiuntur. Eodem anno, atque, ut videtur, iam ante latinum illum librum Genevae in lucem emissa est „*Reponse* aux cinq premieres et principales Demandes de Fr. Jean Hay, Moine Jésuite" (*Sommervogel* IV 162). P. *Petrus Michael*, collegii friburgensis rector, Friburgo 6. Iulii 1586 Aquavivae praeposito generali *scripsit: „A Caluinianis Bernatibus, qui summo odio nos persequuntur, libro nuper aedito, denuo nobis bellum indicitur, appellamur patriae proditores, Canes, coniurationum uariarum auctores, exitijque Heluetici machinatores; sed his et similibus blasphemijs plurimum huic Collegio prosunt, cunctisque testantur conceptum erga nos odium. Vereor tamen ne non fraude aliqua vineas Collegij in Bernensium terris sitas circumueniant, et praeter fas et aequum ijs nos priuent, quando Franciscanis et Canonicis idem ante paucos menses fecerint. Exstimulat illorum animos ad inuidiam, responsio Catholicorum Heluetiorum data Cantonibus haereticis, cuius P. Canisium auctorem faciunt, et Quaestiones P. Haij a Parocho huius loci, in linguam germanicam conuersae, quas nostris attribunt" (ex autogr.; Germ. 166 f. 116b).

Reapse Canisius eiusque sodales friburgenses edendi libri „Fragstuck" neque auctores neque adiutores Verronio fuerunt. Friburgi enim in bibliotheca Patrum Minorum Conventualium, quam supra dixi, servatur *Codex in 4°, ipsius *Sebastiani Verronii* manu scriptus et ab eo sic inscriptus: „EXAMEN. Eygentliche Prob der sectischen predigkanten vermeinter Antwort, so sie auf die Fragstuck des Christlichen Glaubens, gelifert haben, durch Sebastianum Verronium, Pfarherren zu Fryburg in der Eydgnoschafft." In huius paginae margine superiore Verronius scripsit: „26. Augusti 1586." In corpore autem libri (f. 4b) affirmavit: „Wiewol aber diß mein Fragbuchle selbst zuverstehn gibt, es sej mer eynes Lehr Jungen dan eynes hochverstendigen Theologj arbeytt, dannocht der warheytt zu lieb, so gezeüg ich vor Christo dem Herren vnd seinen Engeln, daß weder der teüre Mann, vnd erwürdig altvatter H. Petrus Canisius, noch eyniger ander Priester der Societet Jesu, mir derren fragstucken, keins gestelt, geschriben, noch angeben habe, sonder daß mich sie zubeschreiben ettliche Burger haben ermant" [1].

Bonhomius nuntius apostolicus in litteris Gandavo 2. Decembris 1585 ad Petrum Schnewly praepositum friburgensem datis „expostulationis" a Bernatibus de libro „Fragstuck" cum Friburgensibus factae mentionem fecit. Confidebat tamen, consulem senatumque friburgensem „prudenter ac pie neque minus fortiter" iis respondisse. Deinde ait: „Mitto vero hisce adiunctum alterum responsionum libellum, qui fortasse istic edi non sine fructu posset . . ., qua de re tamen consultare maturius poteritis, vna cum Reuerendo admodum Patre Canisio, parocoque ipso" (ex archetypo, quod est in cod. friburg. „Epp. ad Schn." f. 82. Etiam apud *Berthier*, Bonh. 132—133).

Fortasse a Bonhomio significatus est libellus: „Offenbarung | DEr newn er=|schröck=|lichen vnnd Teufflischen Landlügen, so | diß 1586. Jahrs wider die Societet IESV | im | Reich vnd andern Landen hin vnd wider auß=|gesprengt worden. | Sampt kurtzer Ver=|zeichnuß viler grossen | vnd groben Lugen, so newlich ein abschewliche Nacht Eul, | welche sich selbst zůnennen schämet | in seinem schandlosen vnnd | schmächlichem Bůch, wider die Werro=|nische Ca=|tholische Fragstuck, außgestossen. | Durch PETRVM HANSONIVM Saxonem. | zu Schutz der Warheit in Truck verfertigt. | Getruckt zů Freyburg in der Eyd=|gnoschafft, durch Abraham Gemperlin | im Jahr M.D.LXXXVI." [2] (4°: pp. sign. 85 et fol. titulare). Auctor primum refutat libellum a. 1586 Dantisci (Danzig) typis exscriptum, quo

[1] In indicis huic operi additi pagina ultima Verronius notavit, „a Canisio quaerenda" sibi esse aliqua, quae ad „Autoritatem Lutheri" etc. spectarent.

[2] Libellum hunc satis rarum vidi Lucernae in bibliotheca civica (Bürgerbibliothek).

fabula de muliere Cracoviae a Jesuitis trucidata (cf. *Duhr*, Jes. I 833—834) disseminabatur. Sequitur refutatio libelli „Einfaltige Antwort auff die Fragstück der Jesuiter." Ministri illi evangelici, ait *Hansonius*, qui responsum hoc conscripserunt, „melden auch dar neben das Doctor Canisius dise Fragstucken gestellet, vnd zusammen getragen habe. Derhalben er wiewohl vnschuldig, angetastet, vnd ohn alle Billigkeit von disen Gifftspinnen offentlich geschmächt vnnd sampt der gantzen Societät. mit allerley Lästerungen beladen wirdt" (p. 22).

1398. 1586.

„SVMMA | DOCTRINAE Christianæ. | PER QVÆSTIONES CONSCRIPTA, | A R. Doct. Petro Canisio | Theologo societatis Iesv. | *Et nunc recens ab eodem recognita, & aucta.* | Iussu, & auctoritate Sacratissimæ | Rom. Hung. Boem. &c. Regiæ | Maiest. Archiducis Au- | striæ, &c. | *VENETIIS, | Apud Ioan. Baptistam Hugolinum.* | MDLXXXVI."

12°; folia signata 100; in fine libri 1 f. non sign. Canisii praefatio, cui nec locus nec annus ascriptus est, incipit: „Non est ignotus hic liber, ut qui ante per aliquot annos" etc.; terminatur: „iucundissimumque fructum percipiamus. In Christo bene vale." In f. 3—5 edictum Ferdinandi I., anno 1554 datum. In folio ultimo conspectus rerum catechismi. Librum vidi Romae in bibliotheca angelica (O 10 29). Idem commemoratur a *Sommervogel* II 625.

1399. 1586.

Canisii „Parvus Catechismus Catholicorum" Dilingae latine et germanice (?) editur.

1. „Institutiones | CHRISTIANÆ | PIETATIS, | *SEV* | PARVVS CATECHI- | SMVS CATHOLI- | CORVM. | *Auctore* | *PETRO CANISIO SOCIE- | tatis IESV Theologo.* | PRECES HORARIAE DE | æterna Dei sapientia. | *Cum gratia & priuilegio Cæs. Maiest.* | DILINGAE | *Excudebat Ioannes Mayer.* | CIↃ. IↃ. xxcvi." Reliqua, ut supra p. 560. Librum vidi Monachii in bibliotheca nationali (Catech. 83). Eius mentionem fecit *Sommervogel* II 637.

2. In bibliothecae, quam Societatis collegium trevirense habebat, * *Catalogo* ibidem circa a. 1770 scripto comparet liber: Petri Canisii „Catechismus et preces germanice", Dilingae „1586" in 8° editus („Catalogus univers. Bibl. Trevir. Coll. S. J." p. 199: Treviris in bibliotheca urbana). Editionem neque ipse conspexi, neque a Societatis bibliographis memoratam vidi. Fortasse, qui catalogum illum scripsit, pro „1586" ponere debuit „1587". Hoc certe anno eiusmodi liber Dilingae editus est; v. infra, monum. 1423.

1400. 1586.

„Opus catechisticum" editur Coloniae.

„OPVS CATECHISTICVM, | SIVE | DE SVMMA | DOCTRINAE CHRISTIANAE, D. PETRI CANISII THEO- | LOGI SOCIETATIS IESV, PRÆCLARIS | DIVINAE SCRIPTVRAE TESTIMONIIS, SOLI- | disque sanctorum Patrum sententijs, vt nunquàm anteà, sedulò | illustratum & auctum, quemadmodùm ex proxima | Præfatione constabit. | *EDITIO TERTIA, QVÆ ET PARISIENSEM | multis partibus excellit, & prioribus omnibus est copiosior lima- | tiórque, vt reipsa Lector comperiet.* | Cum duplici indice, locorum nempe Scripturæ sacræ, quæ hoc opere | explicantur, & rerum atque sententiarum. | COLONIAE, | Apud Geruinum Calenium, & hæredes | Iohannis Quentelij. | ANNO M.D.LXXXVI. | *Cum gratia & priuilegio summi Pontificis, ac Romanorum Imperato- | ris* in Decennium."

2°; pp. numeris signatae 833; praeterea ff. non sign. in initio 16 et in fine 31. In 16 illis foliis sunt Canisii litterae dedicatoriae ad Iulium Echter episcopum herbipolensem Friburgo Helvetiorum a. 1585 datae (v. supra p. 217), privilegium S. Pii V. 24. Septembris 1569 datum (v. *Can.* VI 685), Busaei praefatio Colonia 13. Augusti 1569 data (v. *Can.* VI 685—686). Admonitio ad Lectorem, chronologia ecclesiastica, laudes

Patribus quibusdam tributae. S. Augustini pro authore Catechismi responsio (v. supra p. 660), conspectus rerum. In 31 illis foliis postremis positi sunt indices: cf. supra p. 660. Librum vidi Romae in bibliotheca Patrum Poenitentiariorum basilicae S. Petri. Editio haec magni aestimata et multum vulgata est. Quae adhuc exstat e. g. Berolini in bibliotheca nationali (Ep. 3730 3730"), Bonnae in bibliotheca universitatis, in bibliotheca escoriacensi (Escurial), Fuldae in bibliothecis seminarii maioris et provinciae, Hafniae (København) in bibliotheca universitatis, Luxemburgi in bibliotheca publica (n. 1885), Matriti in bibliothecis S. Isidori et nationali, Maihingae (Maihingen) in bibliotheca principis Öttingen-Wallerstein, Monachii et Oeniponte in bibliothecis universitatum illarum, Monasterii Westphalorum in bibliotheca seminarii clericalis, Coloniae in bibliotheca seminarii archiepiscopalis, Neapoli in bibliotheca nationali, Parisiis in bibliotheca nationali. Eandem posuit *Sommervogel*, Bibl. II 441.

1401. 1586.

Canisii „Evangelia et Epistolae" Dilingae (cum eius parvo Catechismo) et Antverpiae eduntur.

1. „EVANGELIA | ET EPISTOLAE | QVAE DOMINICIS ET | Festis diebus, de | more Ca- | tholico in Templis re- | citantur. | *Accedit paruus Catechismus* | *D. Petri Canisij.* | Cū gratia & priuileg. S. Cæs. Mai. | *DILINGAE* | *Excudebat Ioannes Mayer.* | M. D. LXXXVI." Versus 1, 2, 7, 8, 9, 11, 12 rubri sunt. Titulus ornamentis cinctus est. 16°; ff. numeris signata 255, addito titulari. Liber neque praefationem, neque „summaria" evangeliorum etc. habet. Plurimae autem in eo cernuntur imagines ligno incisae et dimidias fere paginas occupantes. F. 211—251 Canisii „Parvus Catechismus Catholicorum" cum testimoniis Sacrae Scripturae contra haereticos adhibendis. Sequuntur precationes ante scholam recitandae et per singulos hebdomadis dies distributae. Librum vidi Monachii in bibliotheca nationali (Liturg. 380). Idem (minus accurate) memoratur a *Sommervogel* II 673.

2. „Epistolæ et Evangelia per totum annum, secundum Missale Romanum: præfixis summariis et argumentis in easdem Epistolas ac Evangelia, per Petrum Canisium . . . Antverpiæ, Ioannes Steelsius, 1586. 12°.": Ita *De Backer*, I 1049, et ex eo *Sommervogel* II 673.

1402. 1585—1587.

Agitur de catechismo Canisii toti Societati praescribendo. Idem catechismus in Austria superiore, Silesia, Anglia, Hollandia.

In prima illa „Ratione Studiorum" Societatis Iesu, quam a. 1584 et 1585 sex variarum nationum Patres doctrina insignes Romae composuerant, quamque Claudius Aquaviva praepositus generalis Romae typis exscribendam curaverat et a. 1586 ad omnes Societatis provincias, ut, quid de ea sentirent, sibi scriberent, miserat, haec dicta sunt in capite illo, quod „de tuenda puerorum disciplina ac pietate" inscriptum est (n. 7): „Doctrinam Christianam Feria sexta vel Sabbato postrema scholae antemeridianae semihora recitent pueri memoriter: ex eaque aliquid Magister quilibet exponat accommodate potius ad pie exhortandum, quam ad subtiliter disputandum. Idque paulo plenius praestari poterit in scholis superioribus, quarum auditores, cum Fidei rudimenta iam teneant, rarius ad ea recitanda cogendi sunt. Ea vero de re plurimi licet circumferantur libelli, breuior tamen ille P. Canisii cathechismus toti Societati (nisi alicubi introductus iam sit libellus alius nihilo minus vtilis) videtur praescribendus, cum eo nihil magis perspicuum, distinctum, bene latinum, tutum ac solidum habeamus." Notandum autem hoc est: Verba illa uncis inclusa („nisi alicubi" etc.) non sunt typis exscripta, sed manu addita; id quod factum esse videtur in ultima quadam recognitione, quae, antequam libellus in provincias mitteretur, habita est. In eiusdem „Rationis" capite illo, quod „De Controversiis praelegendis" est, praeceptum est (n. 8): In collegiis, in quibus de casibus conscientiae, Sacra Scriptura, controversiis nihil doceri potest, „nec legitur Theologia, lectio Catechismi

Romani vel doctrinae Patris Canisij, quae solet haberi in sextis ferijs, habeatur etiam, et quidem paulo plenior, in Dominicis et festis, ut fiat major progressus." *Pachtler*, Ratio Studiorum II 16 118 182).

Haec igitur habuit „Ratio Studiorum" illa, quae experimenti causa a. 1586 per Societatis provincias missa est. In illa vero „Ratione Studiorum", quae, provinciarum sententiis auditis, a. 1599 et paucis rebus additis a. 1616 Romae edita est et deinceps usque ad a. 1832 viguit, catechismi canisiani mentio facta non est.

Usum atque explicationem catechismi canisiani diligentissime urgebat *Ferdinandus II.* archidux et Austriae superioris princeps. Ita, ut exemplum ponam, 23. Martii 1585 per „regimen" oenipontanum abbati monasterii praemonstratensis „Wilthau" sive Wilten prope Oenipontem siti *mandavit: Efficeret, ut in vico „Höttingen" sive Hetting (cui in rebus divinis providere monasterii huius erat) in posterum singulis diebus dominicis catechismus Canisii explicaretur (ex litterarum apographo eodem tempore scripto, quod est Oeniponte in archivo praefecturae, „Causa Domini Lib. 13. 1584—1590" f. 161ᵇ—162ᵇ). Idem archidux 16. Decembris 1586 omnibus ludorum et latinorum et germanicorum magistris praecepta in scholis observanda („Schulordnung") dedit; in quibus haec sunt: Ludimagistri omnes debent „alle Freytag die letzte stund vormittag die Lection, so jnen [den Schuelkindern] am verschinen Sontag im Catechismo des Herrn Petri Canisij auffgeben, Recitiern und auffsagen lassen" (*Fr. Krus* S. J., Petrus Canisius und die älteste Jesuiten-Katechese in Innsbruck, in „Zweites Jahrbuch des Vereins für christl. Erziehungswissenschaft, Kempten und München 1909, 249—250). Integram institutionem illam scholasticam edidit *K. Th. Zingeler* in „Diözesan-Archiv von Schwaben" II, Stuttgart 1885, 36—78). Inito dein vere anni 1587 Ferdinandus II. iterum magistratibus Tirolis, Suebiae, Alsatiae aliarumque terrarum imperio suo subiectarum graviter commisit, ut id exsequendum curarent, ac plane monuit, catechismum ita explicandum esse „wie er durch D. Peter Canisium aussgangen" (ex huius mandati exemplo, quod est Oeniponte, „Causa" etc., ut supra).

Anno 1587 etiam in reformatione gymnasii parochialis urbis Nissae (Neisse) in Silesia statutum est, ut discipulis „adultioribus" singulis diebus Veneris hora septima catechismus Canisii in schola explicaretur (*Aug. Kastner*, Geschichte der Stadt Neisse 1. Th. 3. Bd., Neisse 1866, 242).

Anno 1586 Canisii „Summa" inventa est in libris Antonii illius Babington, viri nobilis et catholici, qui nefario consilio vitae insidiatus est Elisabethae reginae Angliae (*Kerryn de Lettenhove*, Marie Stuart, L'œuvre puritaine, Le procès, Le supplice 1585 ad 1587 I, Paris 1889, 309).

In ipsa etiam illa Germaniae inferioris parte, quae a Philippo II. rege defecerat et, catholica religione explosa, totam se Calvinismo dederat, erant, qui, Calvinianorum decreta nil curantes, Canisii catechismum pueris explicarent. Sic enim habent acta „synodi particularis" Hollandiae meridionalis Delphis (Delft) 24. Augusti 1587 a ministris illis protestantibus habitae: „nr. 56 [Catechismus Canisii *geleert*] — Alsoo men ook verstont, dat Wilhelmus Assendelft binnen Leijden leerde den Catechismum Petri Canisii, ende datter noch andere zyn in andere plaetsen, die tselfde doen, is den synode verclaert worden, hoe dat den president ende raden van den Provincialen Rade van Hollandt den dienaren, vergadert zynde in den Haghe omtrent voor Pinxteren van desen jare [verclaerd hadden][a], datt et Hof[1] begheert hant te houden aen de kerckenordeninge. Ende waer de dienaren bij haerselven ende bij den overheden niet en konden wtrichten, dat sij den president ende raden tselfde te kennen gheven ende sullen dieselfde daerinne versien ende banthouden." (Acta der Provinciale en Particuliere Synoden, gehouden in de Noordelijke Nederlanden gedurende de Jaren 1572—1620, verzameld en uitgegeven door *Dr. J. Reitsma* en *Dr. S. D. Van Veen* II, Te Groningen 1893, 305).

a) *Haec 2 vv. non sunt in omnibus „actorum" exemplis, sed omnino videntur esse ponenda.*

[1] Significantur iudices huius regionis sive „Hof van Hollandt".

1403. 1586.

„DIVI | HIERONY- | MI STRIDONENSIS | EPISTOLAE SELECTAE. | ET IN LIBROS TRES DI- | stributæ opera D. Petri Ca- | nisij Theologi: *Nunc verò ad exemplar Mariani Victorij Reatini, Epi- | scopi Amerini, emendatæ nouisq; argumentis illustratæ.* | De operis huius noua ratione, ordine & vtili- | tate singulari, ex sequenti D. Petri Ca- | nisij Præfatione plenè | intelliges. | COLONIAE, | Apud Maternum Cholinum. | ANNO CIↃ. IↃ. xxxvi."

12°: pp. numeris signatae 651; praeterea ff. non sign. in initio 8 (addito titulari) et in fine 1. In 7 ff. quae sequuntur folium titulare praefatio Canisii ad academiam dilinganam, data Augusta Vindelicorum anno 1565 (cf. *Can.* V 26). In tribus ultimis libri paginis index epistularum. Librum vidi Valkenburgi in Hollandia, in bibliotheca collegii ignatiani S. J., et Werdae (Weert) in Hollandia in bibliotheca monasterii PP. Franciscanorum. Idem exstat Coloniae in bibliotheca seminarii archiepiscopalis. Brevissime eum posuit *Sommervogel* II 670.

1404. Circa initium a. 1586.

Canisius meditationes, precationes, doctrinas, prophetias B. Nicolao a Rupe (Flue) attributas adornat et cum eiusdem Nicolai, S. Beati, S. Meinradi vitis Friburgi vulgat.

Apud Helvetios summo in honore et Canisii tempore habebatur et nunc habetur *Nicolaus a Rupe* („Nicolaus von Flüe", „Bruder Claus"). Is (1417—1487) ex Subsilvania superiore (Obwalden) ortus, cum agricolam, magistratum, iudicem, militem egisset, per 20 paene annos vitam ibi eremiticam maxima cum poenitentia egit, nullo prorsus cibo utens, vitam sola sacra eucharistia sustentans. Magnis is a Deo gratiis, consolationibus, visionibus illustrabatur, miracula patrabat, homines plurimos undique ad se venientes consiliis adiuvabat, Helvetiam aliquando periculo belli intestini liberavit. Anno 1669 a Clemente IX. in Beatorum album relatus est. Meditationes, precationes, prophetias etc., quarum Nicolaus habebatur auctor, Canisius in lucem edidit. Praefationis, quam eis praeposuit, partem hic pono, eamque a P. *Petro Hugone* (Hugo) S. J. latine redditam in libro „Nicolai de Rupe vitae et res gestae brevi commentario comprehensae", qui primum a. 1636 Friburgi Helvetiorum typis exscriptus, deinde iterum editus atque etiam in „*Acta Sanctorum* Martii" Tomus III, Antverpiae 1668, 398—439 receptus est. „Sciendum est", ait *Canisius*, „a seruo illo Dei pio ac deuoto meditationes sequentes cum adiunctis diuersis suis preculis, dum adhuc viueret, confectas, dictatas, atque dubio procul saepe saepius noctu diuque ingenti cum fructu ac pietatis sensu vsurpatas fuisse. Multorum item testimonio constat, a Deo idipsum calidis desiderijs saepe expetijsse, vt eae denique precandi formae in ordinem redactae ac typis vulgatae, Christianae plebis manibus passim tererentur; probe enim satis intelligebat, quanti referret, vitam mortemque Christi sanctam atque innocuam assidue animis hominum obuersari, Deoque de tantis beneficijs grates saepius agi" (*Acta SS.* l. c. 311). En editionem:

„Zwey vnd neuntzig | Betrachtung vnd | Gebett, deß Gottseligen, fast andächtigen Einsidels Bru- | ders Clausen von Vnder- | walden, | Sampt seinen Lehre, Sprü- | chen vn Weyssagungen, | von seinem | Thun vnd Wesen, so nie zuvor | im Truck außgangen. | Durch den Ehrwürdigen vn | Hochgelehrten Herrn | D. Petrum | Canisium, der Societet Jesu Theo- | logum, von newem Corrigiert vnd gebessert. | M.D.LXXXV." Versus 2, 7, 11, 16 et verba „Bruders Clausen" et „D. Petrum Canisium" rubra sunt. In fine libri: „Getruckt zu Freyburg in Vchtlandt, Bey Abraham Gemperlin, Anno 1586." In pagina altera folii titularis est signum „Ioannis a Landten", vocati „Heydt", equitis et consulis („Schultheiss") friburgensis.

16°. Paginae numeris signatae 267; praeterea paginae non signatae in initio 20 (addito folio titulari) et in fine 1. Folium titulare sequuntur pagg. 9 litterae dedi-

catoriae Friburgo 24. Octobris 1585 a Gemperlino typographo ad Ioannem a Landten-Heydt datae et pagg. 8) praefatio ad lectorem christianum, cui nec tempus nec nomen auctoris ascripta sunt. Vitam Nicolai sequuntur p. 219—244, 245—267 breves vitae S. Beati et S. Meinradi [1] (de quibus plura dicentur infra, monum. 1426 1490). In tribus hisce vitis Canisius vitam cremiticam et monasticam adversus protestantes defendit, atque ostendit viros illos vere fuisse Sanctos ecclesiae catholicae, magistratibus ecclesiasticis oboedientes, non in sola fide acquiescentes, sed per opera Deo famulantes, a Deo miraculis illustratos. Helvetios autem vehementer hortatur, ut horum patronorum vestigia premant neve novatorum doctrinas sequantur. In litteris dedicatoriis *Gemperlin* haec, praeter alia, scribit: Sicut Alexander Magnus in bellis, quae gerebat, semper ad manum habebat Homerum, ita Ioannes a Landten-Heydt librum hunc precationum per Nicolaum a Rupe in suum et aliorum Dei amatorum usum conscriptum [2] non solum in bellorum expeditionibus gallicis, in quibus modo iam quartum tribunatus ei collatus est, semper secum gestavit, sed etiam sua manu descripsit, „hernach auch dem Hochgelehrten Theologo vnd Ehrwürdigen Herren Petro Canisio in sein rechte, gründtliche Form, zu dem Gebett vnd Betrachtung dienstlich, zubringen, vbergeben, fürnemlich dieweyl dess Brůder Clausen Exemplar, so bissher verborgen gelegen, vnd wenig Personen bekandt gewesen, altgeschaffen, an etlichen Orten auch mangelhafftig vnd desshalb schier vnverständtlich war, welchs gedachter Herr Canisius auss sonder Liebe hat gethan, sie etwas Weitlåufftiger aussgeführt vnnd erlåutert, ein Erjnnerung auch hinzu gesetzt, was von diesem lieben frommen Mann, dessgleichen von S. Beat vnd S. Meinradt . . . zuhalten sey." Addit *Gemperlin:* Spero me hac editione gratificaturum esse etiam generoso domino „Melchiori Lussi", equiti sancti sepulcri ac landamanno Subsilvaniae, qui has precationes meditationesque Heydtio equiti subministravit („zu handen verschafft hat") atque etiam generoso domino „Melchiori von der Flů", quippe qui eiusdem generis est atque Nicolaus. Negari nequit, 92 illas meditationes, quamquam valde breves sunt, totam tamen Christi vitam atque etiam vitam matris Dei complecti et pietate, perspicuitate, venustate insignes esse. Nunc tamen viri docti demonstrarunt, eas non a Nicolao († 1487) compositas, sed quod ad rei summam attinet, idem esse, atque „precationem maiorem" sive „Das grosse Gebet" Helvetiorum. Constat autem haec orandi ratio brevibus meditationibus totam salutis humanae historiam a creatione mundi usque ad effusionem Sancti Spiritus complectentibus, quibus precationes intermixtae sunt, et quae vario corporis habitu (modo stando, modo genua flectendo, modo sedendo, brachiis extentis etc.) fieri solebant. Hoc orandi genus, quod iam multo ante B. Nicolaum et in monasteriis et apud populum, in gravibus maxime necessitatibus, usurpabatur et a saeculo XV. imprimis ex monasterio einsidlensi in alia monasteria disseminabatur, singulariter acceptum erat Beato Nicolao a Rupe, qui meditationum illarum exemplum sibi comparaverat. Vnde factum est, ut diu homines crederent, earum auctorem esse ipsum Nicolaum. Haec tamen laus Canisio manet: Ipse primus eas (a se recognitas) typis exscripsit. Deinde vel ex Canisii recognitione vel ex aliis fontibus variis locis editae sunt a. 1671, 1713, 1725, 1777, 1841, 1864, 1867, 1890, 1905, 1917 etc. (*A. Lütolf* in „Der Geschichtsfreund" XXII, Einsiedeln 1867, 117—150; *Theod. von Liebenau* in „Katholische Schweizerblätter" XV, Luzern 1899, 254—255; *Odilo Ringholz* O. S. B. in „Zeitschrift für Schweizerische Kirchengeschichte" XI, Stans 1907, 126—130).

---

[1] S. Meinradus natus circa a. 797, sacerdotio initiatus circa 822, monachus benedictinus factus circa a. 823, deinde eremita in „silva obscura", a latronibus in odium fidei occisus a. 861. De quo cf. *Odilo Ringholz* O. S. B., Die Ausbreitung der Verehrung des hl. Meinrad, in „*Schweizerisches Archiv* für Volkskunde" 4. Jahrg., Zürich 1890, 85—130.

[2] Iam constat, B. Nicolaum scribendi inscium imperitumque fuisse (*Robert Durrer*, Bruder Klaus. Die ältesten Quellen über den seligen Nicolaus von Flüe, sein Leben und seinen Einfluß, Sarnen 1917—1918, 213).

P. *Benno von Stans* O. Cap. in magno illo opere de Beato Nicolao a Rupe scripto „Wunder- und Tugendt-Stern, der in dem Schweitzerischen Alp-Gebürg entstanden“, Lucern 1732, ait: „Der seelig-mässige Petrus Canisius, welcher die Eydtgenossenschaft mit Lehr und sonderer Heiligkeit erleuchtet, schreibet vortrefflich von dem seligen Bruder Clausen. Erweiset auch durch das Leben dess seeligen Manns die Nichtigkeit der neuen Religion“ (p. 223).

Librum hunc a. 1586 editum esse scribunt *De Backer* (I 1050), *Sommervogel* (II 676), *Mayer* (Kirchenlexikon IX² 318) etc. Horum sententiae congruit annus 1586 positus in fine exempli, quod modo descripsi; quamquam in folio eius titulari „LXXXV.“ legitur. Atque in alio quodam eiusdem editionis exemplo „LXXXVI.“ positum esse vidi. Immo probabile est, in priore illo exemplo ex numero anni numerum „I“ deletum esse; videbar enim mihi in folio illo titulari vestigia rasurae cuiusdam animadvertere. Ex altera parte, etiamsi liber ante a. 1586 in vulgus emissus non sit, verisimillimum est, aliqua saltem eius exempla iam anno 1585 ex officina typographica prodiisse. Nam in „*Joannis Fryeo*“ quaestoris friburgensis *Codice dati et accepti a d. 25. Iunii ad 31. Decembris 1585 (v. supra p. 220) paullo ante exitum huius anni in codicis capite, quod „Gemein Vssgeben“ inscriptum est, haec sunt notata: „M: Joachim Schnell, vmb binderlohn 13 büchlinen, bruder Clausen leben, XJ lib. 6 schill. 8 d.“

G. E. von Haller ponit: „Zwey und zwanzig Betrachtung vnnd Gebätt des Gottseligen, fast andächtigen Einsidlers Bruder Clausen von Unterwalden, sampt seinen Lehren, Sprüchen vnd Weissagungen, von seinem Thun und Wesen. Nürnberg, bey Marcus Ayrer, 1585 in 4to“. Quam editionem a Canisio factam esse censet: Bibliothek der Schweizer-Geschichte III, Bern 1786, 555—556. *De Backer* (l. c.) et *Sommervogel* (l. c.) tantum editioni friburgensi, quam supra posui, addunt verba: „Nurnberg, bey Ayrer[1], 1584 (?), 4°.“ Certe si forte circa hoc tempus Norimbergae, ubi protestantes imperium habebant, similis editio facta sit, non est facta probante Canisio.

Libri exempla vidi Lucernae in bibliotheca reipublicae (F. 4. $\frac{35}{12}$) et Friburgi Helvetiorum in bibliotheca reipublicae. Idem exstat Einsidlae in bibliotheca monasterii benedictini. *J. Mings* notat, librum hunc valde rarum („sehr selten“) esse: Der selige Eremite Nicolaus von Flüe III, Luzern 1871, 316.

Exemplo illo friburgensi ipse Beatus *Petrus Canisius* usus est. In eius enim folio ultimo, quod vacuum erat, sua manu complura de Helvetiis notavit; velut: „Res ipsa docet, Suiteros siue ut nunc uocamus Helueticos et olim et nunc esse pugnaces, fortesque milites bellandi uirtute praeditos. . . . Auenticum[2] a Cor. Tacito dicitur totius Helueticae gentis caput[3]. Auenticus et Muretanus[4] ager adhuc uberior tum ob frumenti, pascuorum et syluarum copiam, tum ob nobilissima uina, quae ab eo tractu non procul proueniunt, et a lacus ripa Ripensia uocantur. Accedit et lacus circa Muretum[5] piscosissimus, abunde Friburgensib. et Bernatib. prouidens.“ In folio autem vacuo, quod in eiusdem exempli initio positum est, haec scripta sunt manu P. *Sigismundi Ilsung* S. J., cuius opera Canisius saepissime ad scribendum utebatur: „Dem gestrengen Edlen Nottuesten fürsichtigen, fürnemen vnd weÿsen Herrn Herr Johann von Landten genandt Heidt Schultheissen der löblichen Stadt Freyburg in Vchtland, weylandt Königklicher Mayestet zu Franckreich dienst, Obersten, Rüttern, meinem ietz hochgeachteten vnd gebütenden Herrn, zu vberlieffern.“

E. L. Rochholz, scriptor catholicis infensus, affirmat: Canisium praeter libellum hunc 92 meditationum etc. Friburgi apud Gemperlinum a. 1585 edidisse libellum

[1] „Marcum Ayrer“ Norimbergae et Erfordiae typographum egisse et deinde a. 1497 Ingolstadii opus quoddam iuridicum typis exscripsisse narrat *Kapp* 174 334.

[2] Avenches (Wiflisburg), nunc oppidum cantonis vadani (Vaud, Waadt).

[3] *Tacitus*, Historiarum lib. 1, n. 68.

[4] Murten, Morat, civitas cantonis friburgensis.

[5] Lac de Morat, Murtener See, nunc maximam partem ad rempublicam friburgensem, reliquam ad vadanam pertinens.

„Von der Abgeschiedenheit" eumque perperam Nicolao a Rupe attribuisse: Die Schweizer Legende vom Bruder Klaus von Flüe. Aarau 1875, 137. Neque vero quisquam huiusmodi editionem canisianam unquam neque vidit neque commemoravit.

1405. 1586.

„Hortulus animae. Der Seelen Garten, mit sonderlichem fleiß zugericht vnnd ernewert etc. Dillingen 1586. Roth und schwarz gedruckt. Mit zahlreichen Holzschnitten u. Bordüren. 8°. Bll. 333 344 die ‚Gebett S. Brigiten'": Ita *L. Rosenthal*, Katalog 65 p. 59.

1406. 1586.

Orationes sacrae a Canisio Friburgi habitae. Per Quadragesimam de Iona propheta, hebdomade maiore de sacra communione dicit. Friburgenses reprehendit, quod contionibus dierum festorum et processionibus non intersint vel non recte intersint, item, quod nimis proni sint ad militiam capessendam. Alia eorum vitia vituperat. Fidem disciplinamque catholicam defendit. Contra fenerationes et blasphemias dicit. Misericordiam in pauperes vehementer commendat. Magistratus, ut gladio utantur, excitat. Quae remedia divina et humana caritati annonae adhibenda sint, docet. Vino aut abstinendum aut modice utendum esse. Infirma valetudine a contionibus nonnullis habendis impeditur.

Canisius Friburgi anno 1586 contiones fere 40 easque maximam partem in templo S. Nicolai, alias diebus festis, alias diebus dominicis habuit. Quarum commentaria nonnulla ipsius manu, reliqua manibus librariorum scripta, ab ipso vero recognita et emendata sunt.

„Am heiligen newen iars tag" sive 1. Ianuarii 1586 (ex commentario a Canisio recognito. Cod. „Can. 40" f. 12a—20a). Maximam huius orationis partem vide infra, monum. 1407.

„Propositio. Dicam igitur circa hoc Euangelium [Mt 8, 1—13], quomodo duo miracula illic comprehensa de paupere leproso et seruo Centurionis nos moneant de uera fide erga Deum et charitate erga proximum 2. Quomodo mundus nouus circa Euangelium se male gerat in fide et charitate." „Quomodo nunc sequimur Christi et Centurionis exemplum in misericordia? Multi reperiuntur Domini et patresfamilias, quibus aegrotant seruus et ancilla, liggent zu bett aliquando, non possunt laborare, sunt in pena Dei. Quid fit? Extruduntur ex aedibus fur die thur hin auß. 2 ponitur in stabulo uel sub tecto. 3 Jmpatientes efficimur, klagen den vnkosten, obliuiscimur omnis fidelitatis praeteritae . . . non curant eos nisi ut pecudes et Mammeluck. . . . Huc pertinent auari diuites hoc tempore caristiae obliuiscentes omnis charitatis erga pauperes sanos et infirmos in hoc oppido, non semel cogitantes, quomodo succurrant miseris in extrema necessitate. Alij uentri seruiunt et bibendo consumunt quae poterant dare den armen haußleuten. . . . Contra Dei ordinationem agit non soluens — nit ordenlich leistet — decimas et oblationes a Deo praescriptas et a Christianitate acceptatas in sustentationem ministrorum" (ex commentario, cuius partem Canisius ipse scripsit; l. c. f. 20b—24a). Ex evangelio diei intellegitur, Canisium haec dixisse Dominica III. post Epiphaniam [1], quae erat d. 26. Ianuarii 1586.

„De festo purificationis" B. Mariae V., quod erat d. 2. Februarii 1586. „Duplex Euang. hoc die nobis proponitur meditandum: alterum ad festum Virginis spectat, et modo praelectum est. . . . Alterum Euangelium adaptatur praesenti Dominicae nomen proprium Septuagesimae habenti. . . . Nos autem de festo tantum agemus in hac contione." „Tractatum fuit de 3. Quomodo historia sit figura eorum quae Christus facit uel fieri disponit in Ecclesia 2 Cur Christus venit ad illuminandum gentes et tam multi in intellectu obscurantur et errant, ut haeretici, uel circa affectum deficiunt" (ex commentario, magnam partem ab ipso Canisio scripto; l. c. f. 24b 27b).

[1] *Missale* Lausannense f. XVIII.

„Dominica sexagesima" sive 9. Februarii 1586. Canisius, evangelium diei explicans, ostendit, „quomodo nouus mundus circa semen Dominicum hodie peccet", et „quae nos catholicos praecipue impediant, ut bonum semen corrumpatur uel saltem parum fructus adferat". Queritur: „Aperta tentatio daemonis est, quae nos excaecauit, ut nec dimidia nec quarta pars Friburgensium dignetur diebus festis concionem audire. . . . Abusus uenientium ad solas conciones dominicae. Quidam ueniunt ad concionem, sed ad iudicandum potius quam ad discendum, nec amant conciones nisi breues, imo tantum Euang. volunt audire, alioquin murmurant statim. 3. Nec praeparant se ad concionem, ut petant gratiam Praedicatori et auditori necessariam, nec signant se signo crucis ut praeseruentur a daemone et eius inspiratione, nec orant post concionem ad cibum spiritualem bene digerendum, sed statim sicut canes excurrunt, si est hyems tarde surgunt et saepe negligunt concionem, praecipue propter frigus. Aestate libenter dormiunt. 4. Multas tentationes suggerit daemon auditoribus, ut nimium sint occupati circa personam et uitam sacerdotis, nec attendant Christum in illo loquentem. . . . 5. Peccant qui tantum ex uerbo uolunt consolari uel audire placentia et facile offenduntur, cum illis dicitur de angusta uia salutis, de usura fugienda, de poenitentia, de sacramentis saepe frequentandis, de obedientia intus et foris praestanda" (ex commentario: l. c. f. 28ᵃ—30ᵇ).

„In die Cinerum" sive 19. Februarii 1586. Propositio. „Was dise erste Fastpredig belanget, will ich das heutig Euangelium erstlich für mich nemen, vnnd darbey kürtzlich anzaigen warumb alle Christglaubigen von wegen deß ietz anfahenden fastens sich mehr trösten dan betrüeben sollten, ob schon die welt vnnd das fleisch, ia auch der böse feind darwider streitete. Zum anderen muß ich auch meldung thun wie übel das es vns Christen anstehe, wen wir die alte löbliche khirchordnung von der viertzigtägigen fasten nit annemen vnd halten wolten. Zum letsten will ich red vnd antwort geben warumb ich bey mir entschlossen hab durch dise gantze fasten allhie ettwas besonders zuhandlen, alß nemblich das Buch vnnd die Historj deß heiligen Propheten Jonae." In secunda contionis parte Canisius monet: Es ist „löblich vnnd heilsam vnd der vernunfft gemesß das iunge knaben vnd meidlein, ettliche mal in der wuchen sich zum vasten gewehnen" (ex commentario: l. c. f. 31ᵃ—38ᵃ 143ᵇ).

„Feria sexta post Cinerum" sive 21. Februarii 1586. Primum ex evangelio diei misericordiam commendat. „Die eüsserste noth erforderts zu disen ellenden schweren thewren zeiten darinnen so vil armer leütt in der Statt vnnd auff dem land also klagen, schreyen weinen vnnd heulen das die reichen khein entschuldigung haben khönnen wen sie nach vnbarmhertzig bleiben, ihre ohren verstopffen, vnd ihr seckhel beschliessen. In vil iaren hat man nie gesehen vnnd gehört mehr gemainen iammer ellend vnnd noth allerley armen, welche mitt speiß, kleider, gelt, so übel seind versorget gewesenn. Darumb welcher ein gnedigen gott haben wil im himmel, derselbig sey ietz milt vnnd freygebig gegen den armen. Ich red aber nitt allein von den gemeinen vmbgehenden bettler, sonder auch von allerley haußarmen, welche das lieb brodt nit kauffen khönnen vnnd in grossen schulden steckhen, vnnd allerley hilff trost vnnd handtreichung entsetzt seind, sonderlich in disem strengen winter. Aber von disem genueg. Ist mir ia leid das ich sihe wie das man zu friburg so khalt ist in der lieb vnd so wenig getrewe handtreichung steur vnnd wolthaten den armen ellenden leuten erweiset." [1] Deinde explicat: „Was man von vnserm fürgenomnen Jona glauben vnnd haltten soll" „de persona officio uita et excellentia". Rogat etiam: „Bitt alle elteren vnnd haußvätter das sie ihre khinder vnnd haußgesindt baldt zu der heyligen beycht schickhen damit sie nitt ein mal sonder zwey mal bey solchem Sacrament vor Ostern vnderwisen vnnd gereiniget werden. Den solches auch vor zeiten bey den alten breüchlich vnd löblich gehalten. . . . Wolt Gott das die Obrigkeit ein guete Ordnung machete das man die heiligen beicht nit biß auff die marterwuchen [2] schube sonder bey zeiten verrichteten, wan es den beychtvätteren so übel

[1] Canisius haud frustra haec monuit: v. infra, monum. 1417.

[2] Hebdomadem „maiorem" sive eam, quae Pascha proxime antecedit, significat.

gelegen allen vnd ieden genueg zuthuen wen sie mit hauffen zu der beicht vnnd Sacrament lauffen" (ex commentario; l. c. f. 38b–40b 144a–147b).

„In festo S. Mathiae" sive 24. Februarij 1586. „Propositio. Hodie non tractabo de Jona Propheta sed primum de Sathana perpetuo ieiunij hoste. 2 Quomodo idem adhuc disputet contra ieiunium, nec solum nouum mundum sed etiam catholicos a christiano ieiunio abducat, ita ut Christus et Ecclesia paucos habeant praecepti ieiunij obseruatores." In catholicis Canisius hoc, praeter alia, reprehendit: „Proponimus in ieiunio collationem, quae pauperi pro prandio sufficeret die paschatis. Quidam currunt ad hospitia non solum post sed etiam ante Primam[1] et ante finem concionis sunt semiebrij" (ex commentario; l. c. f. 41a–43a).

In Ion. 1, 1 2. „Sicut plane confido, nullus mihi uitio uertet, si posthac Euangelia, Dominicis exceptis, e suggestu non legam, sed solum apud Jonam prophetam nostrum et eius textum maneam. Sic enim plus temporis lucrifaciemus ad Prophetam declarandum et melius in textu procedemus, quoniam bis tantum in hebdomada nobis datur hoc loco concionari" (ex commentario; l. c. f. 148a–150b). Contio habita est feria IV. vel feria VI. (id quod mihi magis probatur) post Dominicam primam Quadragesimae, sive 26. vel 28. Februarii 1586.

Dominica Reminiscere (secunda Quadragesimae) sive 2. Martii 1586. „De ieiunio et oratione." Deinde: „Quae peccata sint illa quae olim coram Deo contra Niniuitas ascenderunt [Ion 1, 2] et nunc etiam ascendant et horrendam Dei iram et poenam publicam promerentur." „Quomodo Cananaea [in evangelio diei, Mt 15, 21–28] nobis exemplum praebeat huiusmodi grauia peccata et horrendas illorum poenas a nobis auertendi Deique gratiam in nostris tribulationibus consequendj" (ex commentario: l. c. f. 43b–46a).

„De fuga Jonae. Audiuimus in proximis concionibus Dei uerbum et mandatum Prophetae Jonae factum esse. . . . Quomodo se Jonas erga Deum Deique commissionem exhibuerit. . . . Quid Jonas hac sua fuga nobis cogitandum porrigat." Contio habita esse videtur feria IV. post Dom. II. Quadr. sive 5. Martii 1586 (ex commentario: l. c. f. 150b–152a).

„Quid Jonas in sua fuga fecerit. Concio proxime habita declarauit quam fragilis et imperfectus fuerit Jonas imo quam grauiter ceciderit." Jam quaeritur: „An Ecclesiae minister aliquando possit se Jonae conformare, de loco fugiendo." „Qualem se habuerit Jonas fugiens. . . . Quomodo Jonas a somno excitatus nos moneat." „Qui sunt Jonae similes hoc tempore? Virgines et uiduae quae sentiunt se uocari a Deo ad statum castitatis; nolentes dare locum Spiritui sancto. . . . 2. Spirituales a Deo uocati et per Spiritum excitati ad seruiendum Deo in spiritu et ueritate [Io 4, 24], ut in uita sint irreprehensibiles coram mundo et Symeones in templo [cf. Lc 2, 25–32], neque tamen cultum diuinum ex corde amant et promouent, neque zelum habent animarum. 3. Fugiunt cum Jona uocati a Deo saeculares, ut quiete domi maneant suis bonis contenti, curam domesticorum habentes, et tamen obcoecari se sinunt ambitione et auaritia, ut ad magna suspirent officia, procurrant ad bella, relinquant uxores. Quid fit autem? Vbi putant lucrari, saepe perdunt, seipsos exponunt periculis corporis et uitae. Pro rosis inueniunt spinas, pro uino bibunt aquam, dant sibi et alijs occasionem adulterandi, nonnunquam et furandi et rapiendi" (ex commentario; l. c. f. 152b–154b). Contio habita esse videtur feria VI. post Dom. II. Quadr. sive 7. Martii 1586.

„Dominica Oculi" (tertia Quadragesimae) sive 9. Martii 1586 Canisius evangelium diei interpretatus est (ex comm. autogr.; l. c. f. 46a–47a).

„Quomodo multi hodie se gerant sicut Jonas in sua fuga. Proposuimus nobis librum et historiam Jonae tractare, et iam intelleximus quomodo" etc. „Quomodo et cur Deus coeperit Jonam in sua fuga punire." „Quomodo nautae et socij Jonae in naui se gesserunt et quomodo nobis prodesse possunt mit jhrem wesen." „Discunt

[1] Horam illam canonicam vel partem illam divini officii dicit, quae mane fere post auroram, orto iam sole, recitabatur vel canebatur.

ex hac historia omnes magistratus officio suo satisfacere, sed uigilent sedulo noua exoriente tempestate contra nauem sibi commissam ad regendum et promouendum. 2. non satis est secundum humanam prudentiam uigilare, et humanis uti medijs sicuti sunt facere confederationes, confirmare castra et oppida, parata habere arma, bonam facere prouisionem in uarijs locis. Nauclerus iubet dormientem Jonam surgere et Deum inuocare, imo hoc etiam faciunt aethnici haud dubie per nauclerum excitati, qui non fidebat suis et nautarum laboribus, sed in necessitate ad communem orationem tanquam ad extremum asylum recurrit, et in illo spem suam ponit. 3. Ad Magistratus spectat ac proprium illorum est munus, ut in magnis motibus diligenter inquirant causas malorum praesentium, et authores uel incentores tribulationum propter sua peccata enormia, ob quae Deus iratus saepe totam ciuitatem immo regionem affligit per morbos, ignem, aquam, tempestates, caristiam, famem bellum et caetera. . . . Cur enim Deus magistratui commisit gladium, nisi ad utendum contra improbos, et ad iustitiam administrandum"[1] (ex commentario: l. c. f. 154b—158a). Contio habita esse videtur feria IV. post Dom. III. Quadr. sive 12. Martii 1586.

„Proxime audiuimus quid Jonas Propheta scripserit de nautis et socijs alijs". Jam quaeritur, „an nobis Christianis liceat sortes mittere sicut socij Jonae fecerunt." „Quomodo intelligendum quod propter Jonam omnes cum illo nauigantes tam grauiter flagellantur." „Quis usus huius doctrinae?" Fortasse ad eandem contionem pertinet etiam brevis tractatio proxima, sic inscripta: „Quomodo historia Jonae nobis seruiat ad confessionem peccatorum hoc tempore faciendam" (ex commentario; l. c. f. 158a ad 161a). Contio habita esse videtur feria VI. post Dom. III. Quadr. sive 14. Martii 1586.

In codice manu librarii post contionem Dominica III. Quadr. habitam notatum est: „Deest tractatio de Dominica Laetare et Passionis ob languorem supervenientem". Erat autem eo anno Dominica Laetare sive IV. Quadragesimae 16. Martii et Dominica Passionis 23. Martii. Initio deinde Quadragesimae anni 1587 Canisius e suggestu sacro affirmavit, se anno superiore propter „occurrentem tunc aegritudinem nec dimidiam historiae a Jona descriptae partem potuisse absoluere" (l. c. f. 47a 164a).

„In Dominica Palmarum" sive 30. Martii 1586. „De triplici exercitio fidelibus omnibus nunc commendando" sive de memoria passionis Domini, confessione peccatorum, sumptione ss. eucharisticae. „Prima concio de Eucharistia". „Non dicam de sacramento confessionis et poenitentiae, quia scio multa de illo esse tractata. Nobis propositum est solum de sacramento altaris aliquid inchoare, quod cras et die Mercurij continuetur et primum quidem de dignitate et excellentia huius sacramenti quod unusquisque annos discretionis assecutus hoc tempore sumere et libenter sumere debet. 2 Qui indigne hoc ipsum sacramentum accipiant. Cras dicemus quomodo se quisque probare debeat ut digne possit accedere et cum fructu accipere" (l. c. f. 47a—52b).

„Proposui mihi et heri promisi uobis de Eucharistia tractare." „An sufficiat communicaturum se in Dei uerbo probare et iudicare, et quid de hoc sacramento tenendum." „Puncta praecipue noscenda de institutione sacramenti." „Ex quibus causis tam multi et graues errores contra hoc sacramentum militent" (ex commentario: l. c. f. 52b—54b). Contio habita est feria II. post Dom. Palm. sive 31. Martii 1586.

„De communione sub utraque specie. Ex concionibus proxime habitis sicut spero intellexit charitas uestra" etc. „Cur difficile sit neochristianos ad communionem catholicam inducere et permouere". „Quomodo catholici erga huiusmodi Calixtinos se praestare debeant. De nullius conuersione et salute desperandum est. Deus omnipotens etiam ex lapidibus facere potest filios Abrahae [Mt 3, 9; Lc 3, 8]. 2 Debet in nobis regnare christiana charitas, quae benigna et patiens est, omniaque sustinet [1 Cor. 13, 4 7] ad proximum adiuuandum praesertim in necessitate. . . . Pro illis orandus est Deus. . . . 2. opus est syncera compassione. . . 3 Monendi sedulo . . . 4. Instruendi sunt . . . Quid catholicum con-

[1] Magistratus friburgenses hoc anno varia praestiterunt ad improbos coërcendos; v. infra, monum. 1417.

firmare et consolari debet ut quieto animo sacramentum sub una specie capiat, neque curet noui mundi contrarias contentiones. . . . Multi sibi faciunt conscientiam in communione sub una specie accipienda, et timent ubi non est timor" [cf. Ps 13, 5] (ex commentario: l. c. f. 55ᵃ—59ᵃ). Contio habita est feria IV. post Dom. Palm. sive 2. Aprilis 1586.

„Jn die Paschatis" sive 6. Aprilis 1586. „Nota, tractatum est in hac concione. 1°. Quam sit mirabilis Christi resurrectio. 2. An neochristiani uere Pascha celebrent. Quomodo Mariae in Euangelio nos moneant de Paschate recte celebrando". „Jnfirmitas mea corporalis impediuit, ut secundum desiderium meum historiam Jonae in Quadragesima potuerim absoluere." „Quod ad neochristianos attinet, quia persistunt in ueteri Calendario et mordicus illud retinent, nolunt hodie nobiscum Pascha celebrare, sicut nec Judaei faciunt". Variis deinde rationibus Canisius defendit emendationem kalendarii a Gregorio XIII. factam; ubi etiam dicit: „Jn ultimo Concilio Tridentino ut ita fieret conclusum" est (ex commentario: l. c. f. 59ᵇ—64ᵃ).

„Dominica 1 post Pascha" sive 13. Aprilis 1586. „Quomodo Euangelium in uera et catholica fide confirmet". „Qui peccatores arguantur in hoc Euangelio". Praeter alios „arguuntur die Wundenhansen [qui] ex mera leuitate malaque consuetudine bey Christi Creutz, Marter vnd leyden fluchen et ita suo blasphemo ore suum Redemptorem iterum crucifigunt. . . . Tales blasphemi merentur non modo temporalem poenam, vt auris, lingua uel digitus cuique abscindatur, sed et infernalem et perpetuam" (ex commentario: l. c. f. 64ᵃ—67ᵃ).

„Dominica Misericordia" (secunda post Pascha) sive 20. Aprilis 1586. „Vetus et probata Ecclesiae ordinatio tenet et exigit, ut Catholici omnes hac dominica et sequentibus usque ad Pentecosten non obliuiscantur uictoriosae resurrectionis Domini, sed eam cum gaudio spirituali celebrent, et tali potenti Domino gratias agant, ideoque singulis Dominicis Processiones instituuntur und blutfarbe Fanen mit dem Creutz vorgetragen werden et simul canitur salue festa dies." [1] „1ᵃ concionis pars. Quae Christi intentio in Euangelio et quae in illo notanda. 2ᵃ Nouos doctores non habere ius hic clamandi et seditiose praedicandi contra Catholicos praelatos et pastores. 3ᵃ Ex Euang. argui nouos schuermeros." „Quomodo seculares se erga pastores malos gerere debeant" (ex commentario: l. c. f. 67ᵇ—72ᵃ). Plura vide infra, monum. 1409.

„Jn festo S. Marci Euang." sive 25. Aprilis 1586. „Priuilegium S. Marci est, quod nullus [alius] ex Apostolis et 72 discipulis fuit ad nostras regiones missus, quia venit Aquileiam principi Imperij subditam et primum illic praedicans erexit Episcopatum [2] · agnoscitur etiam ab Ecclesia Curiensi patronus, et corpus etiam requiescit in Reichenhaw in hunc diem vsque [3], ubi diaconus cantans Euangelium S. Marci uertit se ad tumbam eius dicens Sequentia S. Euangelij secundum istum." Canisius evangelium diei et litanias Omnium Sanctorum, quae hoc die cantantur, explicat. Quaerit „an bonum et vtile sit processiones et communes preces instituere et nos illis interesse". Reprehendit „abusus ex parte Catholicorum, qui se excusant 2 non audiunt superiores. 3 pauci ex consuetudine veniunt sine deuotione 4 in uia

[1] Hic hymnus a Venantio Fortunato saeculo VI. compositus (*Migne*, P. lat. CXXXVIII 1084; etiam alibi saepe typis exscriptus; v. *Ul. Chevalier*, Repertorium hymnologicum T. II, Louvain 1897, 507—508) alibi quoque a Paschate usque ad Ascensionem Domini in processionibus, quae circa ecclesias fiebant, cantabatur. De eius versione germanica („Sei gegrüßt, du hoher Festtag" etc.) v. *Meister* I 364—367.

[2] De hac ecclesiae aquileiensis traditione v. *Acta* Sanctorum Aprilis III, Antverpiae 1675, 346—347.

[3] Reichenau, Augia dives, in insula lacus brigantini sita, olim monasterium celeberrimum ordinis S. Benedicti. Corpus S. Marci ibi a Carolo Magno imperatore positum esse ferebant (*Acta* SS. l. c. 346). At idem corpus saeculo IX. Alexandria Venetias translatum esse Veneti iam inde a saeculo X. palam affirmarunt. Quod nunc quoque ibidem colitur.

garriunt et rident"[1]. Queritur: „Nonne plaga quod nubes se uindicent contra nos dieweil sy vberflüssigen regen geben, vnnd verfinsteren die Sonnen, vnnd verhinderenn die frücht deß erdtreichs, das schier der saamen ertrenckt vnd versenckt wirdt. Nonne plaga quod aër sit tam inconstans vnd vergifftet excitans multis in locis pestilentiam vnnd vngewöhnlichen kranckheiten, ut homines per illos cito pereant, oder mit langwiriger kranckheit behafft werden. Aerem inficiunt daemones et nigromantici et uenefici. 4. Nonne plaga quod anno superiore arbores infrugiferae manserint, frumenta perierint, et parum uini creuerit, das der weinwachs nit besser gerathen, Darauß dan erfolget dise grosse thewrung allgemeine Hungersnot vnnd armut ut multi etiam moriantur uel desperent se et suos posse in uita conseruarj praesertim si hic annus non bene succederet · uix pro pecunia inuenimus emenda et corpori necessaria. Wann ist das fleisch in der statt thewrer gewesen, vnnd alleß auff höhern werd gestigen. Non dicam wie wir stohnd in grosster gefahr deß kriegs, et quod intra annum quo milites nostri discesserunt souil hundert feiner frischer vnd sterckher männer vmbkhomen, vnd so wenig biß hieher außgerichtet habendt"[2] (ex commentario: l. c. f. 72b–75b).

„Jn festo Translationis S. Nicolai patronj" sive 9. Maii 1586. „Duae personae notabiles in Calendario nouo et Romano nobis hodie proponuntur, et maxime in Heluetia nostra honorificam tenent memoriam apud nos maioresque nostros. Quae sunt hae personae? S. beatus et S. Nicolaus. S. Beatum[3] prius nomino, quia fuit antiquior ducentis annis S. Nicolao, qui uixit sub Constantino anno Domini 343., S. beatus autem tempore Apostolorum, conuersus et baptizatus a S. Petro Apostolorum principe. Nec puto ullum Sanctum in toto Calendario reperiri, de quo Heluetij iustius glorientur, et cui plus debeant. . . . Reliquiae illius Lucernae seruantur et Catholico ritu honorantur. Festum eius Soluturni et alibi etiam nunc deuote celebratur in hac Prouintia. . . ." S. Nicolaus „post mortem non cessat esse misericors, quia manat oleum ex corpore, et fluit aqua ex pedibus eius ad sanandos infirmos vt docuit experientia non solum Mirrea[4], ubi sepultus primum, sed etiam in Bari, ubi nunc quiescit in Apulia". „Quomodo Friburgenses S. Nicolaum patronum suum magni facere, et eum sibi fauentem et beneficum retinere debent". „Queritur s. Nicolaus de Ecclesiasticis in domo sua non maiorem zelum et deuotionem in choro exhibentibus, quodque non iuxta suum exemplum sint uoces clamantes [Is 40, 3; Mt 3, 3; Mc 1, 3 etc.], piscatores hominum [Mt 4, 19; Mc 1, 17], forma gregis [1 Petr 5, 3], lux mundi [Mt 5, 14]. Jmitatores mei estote [1 Cor 4, 16; 11, 1; Phil 3, 17] in sacrificio offerendo, in reconciliandis Deo peccatoribus, sicut Moyses et Aaron. 2 de Magistratibus in iudiciis in gladio exercendo, in pauperibus tuendis. Non uigilamus, non punimus, sinimus crescere zizania, accipimus munera, offendimus populum, sine zelo fidei. Vbi opera Nicolai? amare iustitiam? 3 queritur de ciuibus tam superbis, immorigeris auaris, fraudulentis, mendacibus, infidelib., sunt non fratres sed neidische und zornige hund, 2 vnfletige sew, reissende vnd fressige wulff. Murmurant contra superiores, pigri in laboribus, in diuino cultu negligentes, quaerunt quae sua sunt [Phil 2, 21]. 4 Queritur de immisericordia diuitum erga pauperes. . . . Non spectamus mendicos, non clamantes audimus. Vbi Nicolaus oculis, manibus, corde?" (ex commentario; l. c. f. 76a–79a).

„De festo ascensionis" Domini, quod erat d. 15. Maii 1586. „Quomodo super hoc Euangelium male aedificent suos errores die newen Euangelischen, widertaüffer, Sacramentstürmer vnd Vbiquisten": „De fructu festi ad quos ille maxime pertineat" (ex commentario: l. c. f. 79b–81b 161a).

[1] Hoc ipso anno senatus friburgensis constituit, ut et viri et feminae „processionibus" interessent; v. infra, monum. 1417.

[2] Bellum dicit, quod in Gallia catholici cum Calvinianis sive Hugonottis gerebant. [3] De hoc vide plura infra, monum. 1490.

[4] Myra (Dembre), urbs Lyciae sive Kariae in Asia minore; ubi S. Nicolaus episcopus fuerat.

„Jn festo Pentecostes" sive 25. Maii 1586. Ratio sacri temporis et evangelium diei explicantur. „Quomodo hoc festum nos consolari debeat in praesenti caristia et tribulatione". „Ex parte fidei undique oppugnamur, ab his, qui se a nobis et catholica religione separarunt et contra nos catholicos tentant omnia . . . nullus nostrorum in uita sua uidit maiorem caristiam deß lieben korns vnd brodts in vrbe, in ditione, et in multis Prouincijs circumiacentibus. Puniuit nos Dominus anno superiore im mißgewachs desß obs, deß weins vnnd korns, et eo res peruenit, ut multi fame et penuria perierint, et adhuc quotidie pereant . . . Einen langenn, scharpffen vnd strengen winter habuimus" (ex commentario: l. c. f. 82^{a}—86^{a}).

„Jn festo Corporis Christi" sive 5. Junii 1586. Ostenditur, praeter alia, „quae media apprehendenda Catholico, ut hoc misero tempore recte vtatur hoc sacramento, et plus faciat quam maiores fecerunt." Queritur Canisius: „Abusus est circa exportationem et delationem sacramenti ad infirmos[1] . . . Nonne abusus, tam paucos ex uicinis comitari uelle sacramentum et sacerdotes. 2 tam parum honoris utrique tribui. . . . Multi hodie diuites et nobiles mittunt unum ex domo famulum, uel cereum uel facem, si coram adesse non possunt. Laudo Friburgenses, quod ordinarint duos pueros prosequentes cum suo uestitu honesto sacerdotem exeuntem cum sacramento. Magis laudarem, si nos etiam accederemus" (ex commentario: l. c. f. 86^{b}—91^{a}).

„Jn festo Apostolorum Petri et Pauli" sive 29. Iunii 1586 (quae simul erat Dominica V. post Pentecosten). In exordio Canisius queritur: „Nos Catholici . . . aduersarijs ansam praebemus nos et festa nostra ridendi et contemnendi. Nam si uerum fateri uelimus, multi in huiusmodi festis apud nos reperiuntur, qui aperte uel occulte tunc laborant, pauci ad Ecclesiam accedunt, et diuino cultui commorantur, pauciores dignantur concionem audire, quasi sufficiat diebus dominicis audire. Magna pars in Ferijs ita se gerit, ut peccet leuitate et gula et luxuria plus quam reliquis diebus. Jn summa, licet Catholico nomine gloriemur, tamen ex media parte Lutherani euasimus in feriando, nec solum in feriando, sed etiam in ieiunijs, quasi sufficiat in vigilia S. Joannis et Apostolorum a carnibus abstinere. Jdem feruor deuotionis nostrae apparet in nostris processionibus, in den Kirchengengen et oratione publica, maxime post prandium, quasi solum feriandum sit ante prandium". Deinde explicat: „Quomodo praesens festum nobis utile reddemus". „Quomodo Euangelium Dominicale de piscatione Petri, et festi de confessione Petri pulchre conueniant". „Quomodo Christus in Euangelio catholicos omnes in uera et ueteri ipsorum fide consolatur atque confirmat" (ex commentario: l. c. f. 93^{a}—98^{a} 101^{b}).

„Jn festo visitationis b. Virginis" sive 2. Iulii 1586. Sequitur commentarium contionis. „Deus peculiariter et inusitato more sicut antea nunquam in uita cuiusquam hominis per famem et caristiam nos uisitat, neque solum nos, sed etiam regionem et nationem Germanicam, Gallicam, Italicam aliasque plures". Nec tamen haec oratio habita est die 2. Iulii. Nam post hoc commentarium posita est „Melior dispositio de caristia, et cui sit adscribenda. 2 quod fames sit plaga immanis". „Ante octo dies promisi tractationem de caristia et in festo Virginis praestitissem hoc promissum, si fuisset mihi concionandum. . . . Cogitaui ergo bonum et utile fore, ut populus cognoscat quid circa hanc Dei permissionem et punitionem cogitare et facere debeat ut u e x a t i o d e t n o b i s i n t e l l e c t u m [Is 28, 19], et ea quae nocent doceat (ex commentario: l. c. f. 98^{a}—103^{b}). Contio habita est Dominica VI. post Pent. sive 6. Iulii 1586.

„In festo S. Mariae Magdalenae" sive 22. Iulii 1586. „Quid nos doceat Magdalena in historia de sua conuersione." „Prosecutio materiae de causis plerisque contingentibus, ob quas Deus uisitet charistia populum". „Propter Magistratus et Rectores a uera fide deficientes", „tirannizantes Dominos": propter diuites, „qui uexant, grauant et opprimunt pauperes", et sunt „immisericordes erga pauperes et mendicos"; propter populum „ingratum" et „infideliter agentem in cultu Dej." „E centum non est unus cui sit cordj structura, ornatus et augmentum diuini cultus

[1] Cf. supra p. 576 618.

in templis, super altare, circa usum sacramentorum. Nec possumus nec uolumus tegere et conseruare a pijs maioribus extructa et fundata et dotata annuis censibus"[1] (ex commentario: l. c. f. 103b—107b). At haec contio habita non est; cuius rei causa indicabitur infra, post contionem Nativitatis B. Mariae V.

„Jn festo S. Laurentij" sive 10. Augusti 1586. „Secundum bonum ordinem Ecclesiae Catholicae non solum habemus hodie feriari ratione Dominicae, cuius Euangelium iam praelectum est, sed etiam propter S. Laurentij festum. . . . Quomodo autem potest et debet Catholicus hoc festum sibi frugiferum reddere? Duplici modo · 1° ut se in uera Catholicaque fide confirmet · 2° ut inde discat uitam emendare." Deinde explicatur evangelium Dominicae (ex commentario Canisii manu scripto: l. c. f. 108).

„In festo assumptae Virginis" Mariae sive 15. Augusti 1586. Canisius protestantes, qui solemnitati huic adversantur, refutat. Deinde evangelium diei explicat. Ubi ait: „Bonam et sanctam uocationem" habent „omnes Christiani in bono, approbato et licito statu uersantes siue sint spirituales, siue seculares" (ex commentario: l. c. f. 109—112a).

„Jn festo Natiuitatis b. Virginis" Mariae sive 8. Septembris 1586. „Quid tenendum de Mariae natiuitate." „Quae confirment nos in antiqua deuotione ad amandam, laudandam et colendam Virginem". „Depulsio obiectionum quae fiunt contra cultum Virginis". „Qui praecipui abusus circa Mariae cultum Friburgi?" Notantur hi, praeter alios: „Pauci purgant conscientias ad festa eius digne celebranda . . . Pauci ueniunt ad Vesperas praesertim diebus festis . . . Pauci adsunt cum cantatur Salue Regina. . . . Non habent signum deuotionis erga Virginem in domo circa lectum . . . Male sentiunt et garriunt de fraternitate" sive congregatione mariana. (ex commentario: l. c. f. 112b—115a). At in fine huius commentarii ipsius Canisii manu notatum est: „Nota. Concio de b. Magdalena et natiuitate Virginis praetermissa fuit propter scriptum editum a sectarijs contra Parochum" Sebastianum Veronium. De quo scripto v. supra p. 693. Videtur igitur duobus illis diebus parochus ipse e suggestu templi sui scriptum illud refutasse et honorem suum vindicasse.

„Jn festo exaltationis S. Crucis cum in Dominicam incidit" (incidit in Dom. XVI. post Pent.) sive 14. Septembris 1586. „Duplex Euangelium hodie in praesenti Episcopatu legitur et cantatur, alterum de Dominica [correxi pro „Euang."] sicut auditum est, alterum de festo S. Crucis. Euangelium festi idem quod in die Trinitatis praedicari solet." „Ad quid nobis conferre possit festum sanctae Crucis, de qua in Choro tam multa leguntur et cantantur." Deinde explicatur evangelium Dominicae, et inprimis ostenditur, quam illud sit „consolatorium" (ex commentario: l. c. f. 115b—118a).

„Jn festo b. Matthaei Euangelistae" sive 21. Septembris 1586. „Quomodo festum seruiat catholicis ad antiquae fidej confirmationem." „Quomodo usurarij se monere debent de Mathaei uocatione". Sua manu Canisius notavit haec: „Quid est vsura? omne quod amplius accipitur, quam mutuatum est außgelihet. 2 quoties pecuniam mutuas cum animo lucrandi, cum eget proximus et est in necessitate possesque ei ex charitate subuenire. Quae charitas dicit Quod tibi non uis fieri[2]. 3 Vis pecuniam tuam facere jungen. 4 Quicquid accipis uber den anzal, non est pecunia tua, sed usura, sed furtum coram Deo, et cum ea pecunia saluari non potes, sed debes penam Deo et magistratui, et restitutionem fratri quem fraudasti"[3] (ex commentario: l. c. f. 118b—122a).

Dominica 17 [post Trinitatis vel XVIII. post Pentecosten] sive 28. Septembris 1586. „de hydropico" sanato Luc. 14, 4. „Quomodo Christianus magnifacere debet praeceptum 3m de Sabbatho, et in eo benefacere" (ex commentario: l. c. f. 122a—125b).

[1] Ipso hoc anno a Friburgensibus sacrae aedes instauratae et ornatae sunt; v. infra, monum. 1417.

[2] Supple: Vide, ne tu aliquando alteri facias: Tob 4, 16. Cf. Mt 7, 12; Lc 6, 31.

[3] Cur Canisius rationes sive titulos, propter quos aliquid ultra sortem accipi potest, non commemoret, v. supra p. 510[2].

„Jn festo Michaelis“ sive 29. Septembris 1586. „De Euangelio“. „De intentione Ecclesiae festum celebrantis.“ „De Angelis cognoscenda.“ „Quomodo seruiat nobis cognitio Angelorum ad fidem catholicam confirmandam.“ „Quomodo Angeli nobis ad deuotionem seruire possunt?“ „Seruiunt Angeli ad timorem comparandum et conseruandum“ (ex commentario; l. c. f. 126^a—128^b).

„Dominica 17. Quid nobis uidetur de Christo? Matt. 22.“ Ita quidem Canisius: sed dixerim, eum scribere voluisse „Dominica 18“ [post Trin., vel XIX. post Pent.] sive 5. Octobris 1586. „Quomodo ueteres Christiani duo charitatis mandata seruarunt.“ „Qualis nunc charitas reperiatur“ (ex commentario; l. c. f. 129^a—133^b).

„Jn festo Symonis et Judae“ Apostolorum sive 28. Octobris 1586. „Quomodo seruit nobis Euangelium [diei] ad hoc festum.“ „Cur cuique consultum sit ad instans festum [Omnium Sanctorum] sedulo se praeparare sibique utile reddere“, „Iustum et dignum est, ut mentes nostras mundemus ieiunio et confessione et nos Christo incorporemus per sacramentum Eucharistiae.“ „Quid fidelis cogitare habeat circa praesentem uini caristiam qua nos uisitat Deus ut inde se consolari et corrigere possit“ „Satis constat omnibus de praesentis anni caristia graui et praesertim de vini defectu in hac regione praeter omnem consuetudinem. . . . Non modo pauperes sed etiam diuites non parum hinc affliguntur, quidam etiam locum mutare coguntur, ex 20 dolijs uix unum colligi potest aut alterum. Male agitur etiam cum multis uino indigentibus propter senectam, infirmitatem et indispositionem corporis. Vix potuit maior excogitari poenitentia quam quod multi pro uino aquam bibere debeant. Putassent se non posse uiuere sine uino. . . . Requiruntur a nobis fructus poenitentiae . . . Facimus sicut muscae die sich gern auff den honig setzen vnnd daran kleben vnnd bhangen, das sie sich nit mehr können entlösen sondern werden also dabey gfangen vnnd vmbracht. Peccant hic superiores nimium amantes uini quia diutius assident, malum praebentes exemplum intemperantiae, non punientes ebriosos diebus ieiuniorum. . . . Peccant parentes uino filios cum summo damno communitatis assuefacientes. Peccant nobiles et diuites propter immisericordiam, quia egentibus uinum negant, et propter auaritiam quia expectant maius precium uini uendendi, et propter commessationes et compotationes. Peccant hospites non bona et pura uina proponentes, uel carius uendentes, neque impedientes crimina ebriosorum. . . . A uino abstinendo nemo peccat, non fit pauperior sed ditior, non infirmior sed sanior, ut se liberet podagra Zipperlin et alijs morbis. Habet ansam non tam diu dormiendi et citius surgendi, plura legendi et orandi. Non obscuratur sed arguitur ingenium, monemur etiam tam multos esse diuites et nobiles, abstemios, imo etiam in coelo cum Christo regnare multos, qui nunquam in uita gustarunt uinum. . . . Fructus est Prudentiae colligendus ex hac penuria, ut de necessitate uirtutem faciamus. Quisque sibi mensuram uini certam proponat, et si potest egentibus communicet aliquid“ (ex commentario; Can. 40 f. 261^a—265^b).

„Jn festo Sanctorum“ Omnium siue 1. Novembris 1586. De Evangelio diei. „De intentione Ecclesiae in hoc festo instituendo“ „Quomodo Nouatores contra praesens festum et omnem Ecclesiae ordinationem de Sanctis militent.“ „Quomodo catholici circa cultum Sanctorum se male gerant.“ „Aduersarijs unum concedere cogimur quod apud nos catholicos multi reperiantur abusus circa cultum Sanctorum siue propter ignorantiam simplicium, siue ob superstitionem mulierculárum.“ In horum abusuum numero a Canisio ponitur „leuitas et vnchristlich freiheit, quae auditur in nostris uerbis, cum narramus ludicra de sanctorum uita, cum iuramus per illorum nomina et blasphemamus ex ira et odio, maledicentes proximo per S. Antonij fewr, per S. Veitztantz [1], per S. Welten [2] (ex commentario: l. c. f. 235^b—240^b).

---

[1] I. e. imprecando alteri morbos, qui vocantur ignis (erysipelas, Rose) S. Antonii (abbatis) et saltatio S. Viti (martyris).

[2] Alio codicis loco Canisius: Maledicunt „durch S. Veltins siechtag“. S. Valentini martyris auxilium invocabatur praecipue adversus morbum comitialem.

„Vltima Dominica ante Aduentum" sive 23. Novembris 1586. „Dicam 1 quomodo Euangelium seruiat nobis ad consolationem tempore famis et caristiae · 2 quomodo instruat de faciendis tali tempore 3 quibus medijs egeamus ad caristiam depellendam uel mitigandam" (ex commentario: l. c. f. 133ᵇ—137ᵃ). Plura vide infra, monum. 1419.

„Jn festo S. Catharinae" sive 25. Novembris 1586. „Vnde fiat tam multos ex regno Dei excludi non modo Judaeos, Ethnicos, Turcas, infideles et excommunicatos, sed etiam fideles et catholicos." „Vnde fit tam paucos esse in vtroque sexu virginitatis et castitatis amatores et obseruatores" (ex commentario: l. c. f. 137ᵃ—140ᵃ).

„Jn festo D. Nicolai" sive 6. Decembris 1586. „S. Nicolaum nobis agnoscendum et colendum esse non modo ut uirtute diuitem Episcopum, sed etiam ut peculiarem patronum oppidi et territorij ad Friburgum pertinentis" (ex commentario Canisii manu scripto: l. c. f. 142ᵇ—143ᵃ).

Reliquae codicis contiones ad a. 1587 pertinent. Neque alibi contiones Adventu a. 1586 a Canisio habitas repperi praeter illam unam, de qua mox dicetur. Poterat certe Canisius contionibus aliis locis habitis et in alio codice iam ante scriptis uti. Sed si a. 1586 contiones, quae tempore sacri Adventus haberi solebant, habuisset, in iis, puto, partem illam prophetiae Ionae explicasset, quam Quadragesima eiusdem anni explicare voluerat, sed propter infirmam valetudinem explicare non potuerat. Hanc vero Quadragesima a. 1587 ab eo explicatam esse constat.

In codice „Can. 2" f. 10ᵇ—11ᵇ exstat contionis „1586 DE Conceptione b. Virginis" Mariae (quod festum 8. Decembris agebatur) commentarium ex parte manu ipsius Canisii scriptum. „Si de peccato orig. agitur, an in eo Maria concepta sit in matris Annae utero . . . dicimus nos Catholici, doctos de hoc olim in scholis disputasse . . ., sed post Concilium Basileense et Tridentinum bonos in eo consentire, Virginem ab orig. peccato ex gratia speciali Dei praeseruatam fuisse." Deinde Canisius immaculatam hanc conceptionem demonstrat probatque ac, quae sit „festi huius utilitas" ostendit.

1407. 1. Ianuarii 1586.

Ex commentario, quod Canisius dictavit et sua manu emendavit. Can. 40 f. 12ᵃ—20ᵃ.

Canisius Kalendis Ianuariis pro contione dicens queritur, orationes sacras parum frequentari. Christianorum vitiis fieri, ut tempora valde infausta sint. Friburgensium vitia recenset. „Xenia" distribuens dat ecclesiasticis virgam Moysis, magistratibus civilibus leonem, civibus agnum, feminis columbam.

Orationem sacram, quam *Canisius* anno 1586 Kalendis Ianuariis, qui dies Circumcisionis Christi memoriae sacer est, Friburgi Helvetiorum in aede primaria S. Nicolai habuit, hoc loco copiosius proponam. Haec enim singulariter notatu digna est. Nam Canisius plerasque orationes, quas germanica lingua ad populum habiturus erat, pro aetatis illius more latine adumbrare solebat et earum commentaria rarissime tam plene in codice scribebat, ut, quibus verbis eas concludere statuisset, cognosci posset. Huius vero orationis commentarium paene totum germanice scriptum est idque ita, ut oratio usque ad „perorationem", quam vocamus, et ultimum „Amen" perduceretur. Maximam igitur orationis partem huc ad verbum transcribam. In commentarii marginibus Canisius, habita iam (ut puto) oratione, complura latine notavit eius illustrandae vel immutandae causa. Haec tamen, quia ad rem nostram haud multum faciunt, et quia brevitati consulere debeo, paene omnia omittam.

Primum legit evangelium diei (Lc 2, 21) et ostendit, „magnum et multiplicem thesaurum[a] in hoc paruo Euangelio comprehendj." Deinde breviter dixit „de nouo anno vnnd wie sich ein Christ des newen iars annemen solle." Postea quaesivit: „Quid in genere precandum pro hoc nouo anno"? Respondet: „Khun [?] hab ich mich ein mal bedacht, das ich in gemain zureden euch allen zu friburg zu einem neuwen

a) *Ita C. correxit ex* Magnam et multiplicem Dei Sapientiam.

iar wünschen vnnd gern geben wolte. Erstlich das[a] in vns erfüllet werde die verheissung Gottes Amos 8 Ecce dies ueniunt dicit Dominus et mittam famem in terram, non famem panis neque sitim aquae, sed audiendi uerbum Dominj[1]. Dan warlich es staht diser statt gar vbel an, ist auch sünd vnnd schand, ist ein vrsach alles vbels, das auss vilen so wenig erfunden werden, die rechten ernst begird vnnd lust haben Gottes wort zuhören, ohn angesehen das Christus frey sagt, darumb höret irs nit das ir nit auss Gott seit[2], vnnd der weissman frey bezeuget, non recipit stultus uerba prudentiae, nisi ea dixeris quae uersantur in corde suo[3]. Wo man Gottes wort also gering achtet, so vnfleissig höret, da veracht man Christum selbst in seinen predigern. Da handelt man wider die gantzen Christlichen Kirchen, da wirdt der guete Saam nimmer guete frücht bringen, da wirdt der böse feind desto leichter in alle sund vnnd laster stürzen, vnd in Summa das new iar wirdt vns nitt zum gueten gerathen dieweil wir so faul vndvirdige [?] seind, das wir auch den Gebotten dess allmechtigen nit hören, ich geschweige, thun vnnd halten wellen. . . ." „Woher kombt es das bey vns Christen von iar zu iar souil gueter glücksäliger vnd newen iaren gewünshet vnd geschenckt werden, vnd das laider so weniger nutz vnd heil ervolget, ia das wir schier alle in dem alten vnglücksäligen bösem jar stecken bleiben. Es ist ia allenthalben khundtbar vnd breüchlich, das wir Christen vns selber vnnd den vnsern zu einem gueten anfang dess newen iars auch ettwas guetes von hertzenn wünschen, vnnd dergleichen das wir auch gern hören, das die andern geistlich oder weltlichen freunden vnnd bekhandten vns vnnd den vnsern auch etwas guets zu einem newen iar anbietten, ia auch vns mit sondern geschenckh vnnd newen iar gaben verehren vnnd ergetzen. Das ist vns lieb vnnd werd, wir haltens auch für ein besondere freundtschafft. Solliche breuch wil ich nitt schmehenn vnnd schenden[b] Ob sie schon auch vor Zeiten bey den heiden angenomen vnd getriben seind, dieweil ich auch in vergangenen iaren hab dargethon vnnd bewisen, es sey dem heiligen Euangelio gemeßs das ein Christ dem andern den friden wünschet, wie auch Christus sambt seinen Aposteln das selbich mit vnss gethon haben[4]. Jetzunder ist die frag, warumb wir mit vnsern newen iaren, sie geschehen von der Cantzel herab — oder sonst so wenig aussrichten. Dan es seind lehre wort, vnnd haben von Got khein krafft vnd nachtruckh, wie es laider die erfahrung erzeiget. Wie khan ein guetes seligs new iar da sein, da man hat khein friden von oben, von innen vnnd aussen, da allerlay Zwispalt vnd[c] vnglauben vns die religion zertrent, da die erschrockhenlichen geisslen Gottes vns truckhen vnnd straffen, es sey mitt krieg, auffrur, pestilentz, missgewächs, tewrung, schaden, geferligkaiten vnnd allerlay anderen rebellion meittereij vnnd vntrew. Das fewr brent in Franckhreich, wer will es ausslöschen[5]. Der leidig türckh schlaffet vnnd feiret nit mit seiner grossen Armaden. Die Khirchenfeind habenn nichts guets im sinn[d] Sonder sterckhenn sich wie sie immer mögen mit gelt reuter vnd knecht, mit allerlej bösenn bracticen, verretherey, list[e], betrug vnd nachstellung · vnnder dem schein dess Euangelij wellen sie[f] hershen vber die Obrigkhait. Grosse Bluttuergiessung haben wir allenthalben zuerwarten, ich wil geschweigen die trawrigen erschrockhenlichen Prognostica, so die natürlichenn maister von disen anfangenden iaren vns fürstellen. Gott erbarme sich vber vns vnnd die gantze betruebte Christenheit.

Woher khombt dan diser grosse vnrath das wir mitt wünschen vnd gebet so wenig aussrichtenn, ich antwort mitt khürtzen, es ist nichts anders dan wie Gott

a) *Sequuntur vv.* wir kheinen hunger v, *oblitterata.* b) *Quae sequuntur, usque ad* getriben seind *incl., in margine addita sunt.* c) *Hoc v. supra versum scriptum est.* d) *Quae sequuntur, usque ad* nachstellung *incl., a librario in margine addita sunt.* e) *Sequitur* vnnder, *oblitt.* f) *Sequitur* vber, *oblitt.*

[1] Am 8, 11. [2] Io 8, 47. [3] Prv 18, 2.
[4] Cf. Mt 10, 12; Lc 10, 5; 24, 36; Io 20, 21 26; Rom 1, 7; 1 Cor 1, 3; 1 Petr 1, 2; Iudae 2 etc. [5] Bella hugonottica dicit.

selbst lang zuuor beklaget hatt[a]. Peccata uestra prohibuerunt bona a nobis, Ieremiae .5.[1]. Ecce non est abbreuiata manus Domini[b] nit geringer vnd schwecher worden, ut saluare nequeat[c] nit helffen könne neque aggrauata est auris eius[d] nit also beschwert ut non exaudiat, sed iniquitates uestrae diuiserunt inter uos et Deum uestrum[e] haben vnderscheiden zwüschen euch vnd got, et peccata uestra absconderunt[d] verborgen von euch faciem eius ne exaudiret[2]. Esaie. 59. Et qualia haec peccata. Ecce haec fuit iniquitas Sodomae sororis tuae, superbia vbermuet[f], saturitas panis volle der speiss, et abundantia, et manum egeno et pauperi non porrigebant. Ezechielis 16[3].

Quae iniquitates maxime diuidunt inter nos et Deum, nosque circa nouum et foelicem annum impediunt? 1. Das vngotsförchtig leben bey dem gemainen mann, welcher ohn alle[d] sorg vnd scham rew vnd leid das böss alte vergangen iar beschliesset[g] vnnd das newe anfahende iar nitt recht in dem namen Jesu anzufahenn gedencket, ob schon Paulus allen vnnd ieden befolhenn. Omne quodcunque facitis in uerbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. Colossenses[h] 3[4]. Da ist bey vnns leider khein sorg das wir vor allen dingen vnns mitt Gott dem Herren versüenen, vnnd von hertzen vnns lassend leid sein[i], allerleuj sünd vnd laster in dem vorigen iar begangen. Der grosse hauff will nichts darumb wissen, das der leidig wuecher von Gott verhaßst vnnd verbandt sey[k] vnnd das khainer mitt dem[l] verbottnen wuecher immer khan Gottes gnad vnnd huld erlangen. Dan es heisst Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram[5]. 2 Jhrer vil bleiben halßsterrig in ihrem gefaßsten haßs, neid vnnd vnwillen, Das einer den andern weder sehen noch begrüessen will, Darumb sie auch das Vatter vnser nitt recht sagen khönnen[m][6]. 3. Gleichwie wir dem bauch vnd maden sackh so gar getrew vnnd genaigt seind, also leben wir auch in allerley vnreinigkeit, vnnd vnzucht, huererey vnd ehebruch vnnd haltends schier nit für sünd das Christus saget Quicunque uidet mulierem[7] 4 Seind wir nitt allein vnserm nechsten sonder auch vns selber so falsch vnnd vntrew das wir[n] die gebotten weder der ersten noch andern Taffel vns lassen zu hertzenn gehn[8]. Also hatt der eigen nutz vnnd die böse begirligkait v̈berhand genomen, vnnd wir v̈berreden vns selbst Gott[o] werde sein verhaissung an vns halten, wen wir schon seine gebott wissentlich vnnd muttwilligklich v̈bertretten, auch die mitt der beicht vnnd bußs nitt bedeckhenn vnnd gausstilen · vnnd sehen dan nuhn[p] liebe brüeder wie wir vns selbst so iämerlich

a) *Sequitur* Iniquitates uestrae, *oblitt.* b) *Quinque vv. sqq. in margine addita sunt.* c) *Tria vv. sqq. in margine addita sunt.* d) *Tria vv. sqq. supra versum scripta sunt.* e) *Sex vv. sqq. supra versum scripta sunt.* f) *Hoc v. et vv. sqq.* volle der speiß *supra versum scripta sunt.* g) *Hoc v. in margine additum est.* h) Collocenses *libr.* i) *Sequitur* die, *oblitt.* k) *Sequitur* 2, *oblitt.* l) *Sequitur* vn, *oblitt.* m) *Quae sequuntur, usque ad* mulierem *incl., in margine addita sunt.* n) *Sequuntur vv.* weder die ersten noch die andern taffel, *oblitt.* o) *Sequitur* weder, *oblitt.* p) *Sequitur* wie wir, *oblitt.*

[1] Ier 5, 25. [2] Is 59, 1 2. [3] Ez 16, 49. [4] Col 3, 17.

[5] I. e. is habitabit in tabernaculo Domini et requiescet in monte eius. Ps 14, 1 5.

[6] In oratione enim dominica dicitur: „Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris."

[7] Supple: „ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo". Mt 5, 28.

[8] Iam S. *Augustinus* decem „verba" sive praecepta, quae Deus in duabus tabulis lapideis scripta Moysi tradidit (Ex 20, 2 17; 34, 28; Dt 4, 13; 5, 6 18 22), in duos ordines ita diviserat, ut prior tria praecepta, „quae ad ipsum Deum pertinent", alter septem reliqua, „quae ad hominem pertinent", complecteretur (Quaestiones in Heptateuchum l. 2, n. 71; *Migne,* P. lat. XXXIV 620 622). Quae distinctio in tota ecclesia recepta est.

betriegen, den fluch lieb haben, vnnd den segen Gottes fliehend[1]. Wellen vns nitt der alten nutzen[?] entschlagen vnnd rechte Gottes khinder vnnd Christi iünger werden. Die gaben Gottes vnnd alless glückh begeren wir wol, aber fragend wenig nach gottes lieb vnnd gunste · wir bleiben in dem alten iar steckhen vnnd wellen den alten Adam nitt ablegen[2] · das zeitlich ist vns mehr dan das geistlich allzeit angelegen · wie wir vns zu Gott bekherend also kheret er widerumb zu vns[3].

Xenia data utrique Magistratui ·

Damitt ich meiner verheissung nachkhomme, will ich den geistlichen Herren Prälaten, Seelsorgern vnnd der Catholischen Kirchen Priester vnd Dienern zu einem gueten seligen newen iar gewünschet vnd geschenckhet haben, deßs grossen Propheten Moysi rueten, durch welche er vil grosse herrliche vnnd wunderliche werckh so wol in Aegiptenland, alßs in der wüeste gewürcket hat. Exodi .4. et 17[4]. Durch dise rueten hat er bey dem volckh Gottes bewisen, das Gott ihnn alss ein wahren Propheten gesandt, vnnd alss ein Obersten v̈ber die anderen gesetzet hette. Bey disem newen iar wil ich allen geistlichen Herren vnd Personen zubedenckhen geben[a], das sie samt dem Moyse sich ihres empfangnen gewalts dermassen gebrauchen, damit sie auch recht sagen khönnen, Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei[5]. Jst ihnen ia bevolchen nitt allain Christi schäfflein zu weiden, sonder auch zu regieren; nit allain mitt wortten zutrösten die frommen, sonder auch die bösen mit dem Euangelischen gewalt zuschreckhen vnnd zustraffen. Darumb sie auch mitt Paulo sagen mögen, quid uultis in uirga ueniam ad uos, an in charitate et spiritu mansuetudinis? 1a Cor. 4.[b][6] Petrus vnnd Paulus haben sich auch gebraucht desss geistlichen schwerdts wider die vngehorsamen, vnnd ettwan auch dem teuffel v̈bergeben die glaubigen zu der straffung[7]. Gott gebe allen geistlichen in disem newen iar das sie wissen vnnd khönnen sich ihres grossen gwalts von Gott gegeben, recht vnnd beschaidenlich zugebrauchen.

Souil meinen Herren Schultheißs, Regenten vnnd gewaltgeber diser Statt vnnd deßs landts, sambt allen weltlichen Obersten, den weißs ich nichts bessers zu einem newen iar zugeben, dan das mechtigste thier vnnder allen vierfüessigen, nemblich ein löwen[c], von welchem auch Christus vnser aller Herr den namen hatt, das er heisst ein sighafftiger löw von dem geschlecht Juda[8]. Gen. 49 et Apocalip. 5[d]. Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum Prouerbiorum 30[9]. Bey disem newen iar werden sich die weisen Herren wol zuerinnern wissen, das sie nach rechten eigenschafften eines natürlichen löwens sich von den feinden vnnd anstössen nitt bald erschreckhen lassen, sonder freimüetig vnnd dapffer sich erzaigen. 2. Jhren gewalt vnnd sterckhe nitt wie ein hirtz oder has sonder wie ein löw im werckh erzaigen, wie dan auch der[e] gewaltig Haubtman Josue der vnv̈berwindlich König Dauid vnnd der allersterckiste Samson wider ihre vnnd Gottes feind bewisen. Lasset euch den lewen dermassen befolhen sein, das ir sambt im gegen den armen, schwachen, ellenden vnnd demuetigen, gnedig[f], gegen den stoltzen aber hoffertigen vnnd halßstarrigen feind dapffer vnnd erschröckhenlich

a) *Canisius cum hoc contionis commentarium recognosceret — id quod eum habita iam contione fecisse puto — verba* deßs grossen Propheten Moysi *usque ad* das sie sambt dem Moyse *incl., lineis transmissis quasi delevit, et in margine sua manu haec, praeter alia, scripsit:* Xenium Ecclesiasticis flagellum Christi ad repurgandum templum. Vnde datur baculus Episcopis bischoffsstab ut oues contra lupos tueantur. b) 1a Cor. 4.ᵉ *in margine scriptum est.* c) *Sequitur* von, *oblitt.* d) *Sequitur* darum, *oblitt.* e) *Sequitur* erste haub, *oblitt.* f) *In comm. correctum ex* gnedigen.

---

[1] Ps 108, 18. [2] Cf. Eph 4, 22; Col 3, 9.
[3] Cf. Ier 15, 19; Zach 1, 3; Mal 3, 7 etc.
[4] Cf. Ex 4, 2–5; 7, 17–21; 9, 23; 10, 13; 17, 5–7 etc.
[5] 1 Cor 4, 1. [6] 1 Cor 4, 21. [7] Cf. Act 5, 1–11; 1 Cor 5, 1–5.
[8] Apc 5, 5. Cf. Gn 49, 9. [9] Prv 30, 30.

seyedt. dan es heisst[a] parcere subiectis et debellare superbos[1]. Die löwen thuend khein gewalt an den weibern vnnd khindern, wen in der eusserste hunger nitt zwingett. Vergessen auch nit der löwen, welhen ihr lang regieren vnnd leben dieweil sie offt gantze tage innen die speiss abbrechen, vnnd darumb desto lenger leben · wachet auch v̈ber ewer ambt vleissig gleich wie der löw nit schlaffet dan mit auffgethonen augen · vnd steht allzeit in sorgen der feind halben[2].

So muess ich auch nitt vergessen der gantzenn Burgerschafft, darinnen vil vom Adel, Reiche, Handtwerckh, Herren vnnd knechte, alte vnnd iunge, was ambts vnnd standts sie immer seind begriffen werden[b], denen allen wünsche ich samentlich vnnd sonderlich zu einem seligenn newen iar ein schönes[c] weisses vnbefleecktes lemblein. Dasselbig wirdt nutzen vnnd ermanen das kheiner sich bald mit dem zorn, haßs, zwitracht, frechhait oder gewalt vnnd vnrecht sich versündige, oder sonst wider die Christliche liebe vnd trew[d] rede vnnd handle. Dan was ist immer sanfftmüetiger, stiller, vnnd gedultiger dan ein lamb, es beisst nitt mitt den Zänen, es stosst nit mit den hörnern, es beschediget nit mitt den klauben, es schlecht auch nit mit den füessen. Wann es schon in die metz gefüert[e] vnnd bald getödt wirdt, so murret es nitt, sonder lasst sich füeren vnnd sihet auch einen freundtlich an, derhalben auch Christus sich einem lamb vergleicht, Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad uictimam[3] Vnd Joannes von im saget; Ecce Agnus Dei[4] etc. Ja Christus will kheine andere im himmel habenn dann die lämber vnd schaff[f][5] · die will er an sein gerechte setzenn vnnd gebenedeyenn[6]. Was mangelt vnns aber am meisten zu friburg? Das wir haben so vil streitige[g] geissen vnnd böckh, ia souil wilde ochsen, vnnd brüllende stier, wenig aber der recht einfeltigenn, vnnd sanfften lämber[h]. Nullus uult alteri cedere. Den lämmern gehört zu das sie vor allen dingen[i] ire muter vnnd derselbigen stimmen erkennen. 2. Das sie vor keinem ding mehr förchtend alss vor ihrem todtfeindt dem reissenden wolff, wen sie ihn schon nit gesehen hette. 3. Volgen gern ihrem fürgesetzten hirten, volgendt seiner stimmen vnnd nit der frembden[7] · 4. lassen sie mit schlechtem fueter benüegen, vnd seind doch so gar nutzlich ihrem herren, geben im von der wullen die klaidung, speisend in mit ihrem flaisch, mit ihrem mist thungend sie das erdtreich, mit den hornenn klawen vnnd schüelin, dienend sie im zu der artznej. Das heisset seinem nechsten zum gueten dienen vnnd helffen, auch sich danckbar gegen allen vnnd ieden erzeigen, ia auch Christi deßs Obersten hirtens[8] vnnd vnbefleecktenn lemblein[9] exempel nachkhomen.

Was soll ich aber für ein guets seligs news iar geben, den Jung vnnd wittfrawen, ia auch allen frommen Elichen weibern, damit sie nit vngetröstet heimbgehn? den allen wünsche ich zugleich für ein news iar ein feine tauben[k]. Bey diesem vogel sollen sie offt sich erinnern, das sie alle vnnütze geschnetz vnnd fürwitz meiden, vnnd gedenckhen an den spruch deßs Herren[l] Estote simplices sicut columbae Mathei 10[m][10]. 2. wenig redenn vnnd vil betrachten gehört den Christlichen

a) *Sequitur* pascere sub, *oblitt.* b) *Sic librarius correxit ex* sich samentlich erfinden lassen. c) *Sequitur* vnb, *oblitt.* d) *Sic librarius corr. ex* Christliche tugendt. e) *Sequitur* wirdt, *oblitt.* f) *Novem vv. sqq. in margine addita sunt.* g) *Hoc v. in margine additum est.* h) *Quattuor vv. sqq. a C. ipso supra versum scripta sunt.* i) *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.* k) *Sequuntur vv.* so auch Christus allen seinen glaubigen gelobt vnd Commendiert mit dem spruch: Estote simplices sicut columbae, *oblitterata.* l) *Quattuor vv. sqq. in margine addita sunt.* m) *Sequitur* wen, *oblitt.*

[1] *Vergilius*, Aen. l. 6, v. 853.

[2] Quae Canisius de leone narrat, ex parte saltem hausta esse videntur ex *Plinio*. Qui scribit: Aristoteles „tradit", leones „vesci alternis diebus ; a saturitate interim triduo cibis carere. . . . Vitam iis longam docet". . . . Leo, „ubi saevit, in viros potius, quam in feminas fremit : in infantes non nisi magna fame": Historia naturalis l. 8, n. 17—19. Norunt omnes, quam non adulta fuerit Canisii aetate doctrina de natura animalium. [3] Ier 11, 19. [4] Io 1, 29 36. [5] Cf. Io 21, 15—17. [6] Cf. Mt 25, 31—34. [7] Cf. Io 10, 4 5. [8] 1 Petr 5, 4. [9] 1 Petr 1, 19. [10] Mt 10, 16.

tauben zu, darumb auch von Maria geschriben steht, Maria conseruabat omnia uerba haec[a] [1]. Maria sedens circa pedes eius[2] etc. 3. zorn, haßs, neid vnnd grimmigkeit rachgirigkeit[b] findt man nit bey den tauben, dieweil sie in inen khein gall haben[3] vnnd tragen, seind darumb lieblich vnnd freundtlich gegen einander 4. Sie hüeten sich vleissig vor dem weien vnnd stoßsvogel, ia auch vor seinem schatten[4], verbergend sich fein Jn foraminibus petrae · in dess fells löcheren, in den stainritzenn[5] das ist in den heilsamen wunden Christi deßs Herren. 5. Gott wolt sein opffer habenn im tempel von tauben alss von den reinen thierlin[6], welche auch einandern getrew vnnd gesellig sein, dan die lieb gefellet Gott vber alles, vnnd wer nitt die brüederliche vnnd schwösterliche liebe vnuerletzt mitbringet, den wirdt Gott mit seinem opffer verwerffen, gleich wie den neidigen vnnd zornigen Cain[7] vnnd Moisi schwöster Mariam[8] so murret[c].

Wie khombts aber das solche new iars gaben, nitt allen, ia wenig zunutzen geraichen[d]. Der mangel ist nitt an Gott, der das sein gethon hat vnnd noch thuen will mitt höchster liebe. Esaiae 59[e] [9]. 2. Jch hab auch gern das mein gethon auss rechter vngefelschter liebe, welche nit suecht das ihre[10]. 3. Ein ieder schawe mehr das er sich vor Gott demüetige, vnnd bitte vmb genedige verzeihung der alten begangnen sünd in den vergangnen iaren, vnnd also versüen er sich mitt Gott, der ein zerknürschtes[f] vnnd demüetigs hertz nimmer verwürffet[11]. 2. Ein ieder, spreche frey mit dem Petro: Per totam noctem laborantes nihil caepimus[12]. Das ist, durch das vergangen iar haben wir in wahrer Gottseligkeit[g], vnnd in vnserm Christlichen fürnemen mehr verlohren dan gewunnen · Jn uerbo autem tuo laxabo rete[13]. Pax hominibus bonae uoluntatis[14]. 3. Da gedenckh ein ieder warinnen sein gewissen in am maisten truckhe vnnd straffe, vnnd warinnen er wider sein berüeffung[g] wider Gott vnnd seinen nechsten am allermaisten handle; es sey mitt dem leidigen wuecher vnnd finantz, mit Ehebruch oder huererey, mitt dem vngerechten vnnd frembden guet oder gewin, mit fluechen vnd schweren, mit fressen vnd sauffen, mit haßs vnnd neid. Solche vnnd dergleichen alte netze [?][h] oder saurtaig, müessen wir mit gewalt auss dem inwendigen hauss abschaffen[15], vnnd vnns heutt wie auch alle Sontag[i] in disem newen iar vns von hertzen mitt Gott verainigen, vnnd das für gewüss halten, es sage der geitz der teuffel vnnd die welt dazu was sie wellen, das wir mit predig hören vnnd betten nit werden ettwas versaumen. 2. das vnns allmusen geben nie werde verarmen. 3. das vns der wuecher vnnd vnrechts guet nimmer werd reich machen, sonder mehr zu zeitlichen geistlichenn vnnd ewigen schaden bringe. Gott geb vnns gnad demselbigen nachzutrachten, vnnd Gott mit einem newen geist vnnd leben in disem newen iar rechtschaffen zu dienen. Amen.

a) *Sex vv. sqq. in margine addita sunt.* b) *Sic librarius corr. ex* neid vnnd betrugheit c) *Quinque vv. sqq. in margine addita sunt.* d) *Sequitur* vnnd, *oblitt.* e) *A libr. correctum ex* 58. f) *Sequitur* hertz, *oblitt.* g) *Quinque vv. sqq. in margine addita sunt.* h) *Sequitur* vnd, *oblitt.* i) *Sequitur* von hertz, *oblitt.*

---

[1] Lc 2, 51.

[2] Supple: „audiebat verbum illius: Lc 10, 39. Haec de Maria sorore Marthae, illa de Maria matre Christi dicuntur.

[3] Ita quidem veteres censebant; velut *S. Thomas Aquinas;* qui: „Columba", inquit, „felle caret": Summa theol. P. 3, q. 39, a. 6 ad 4.

[4] „Columba secus fluenta habitat, ut inde viso accipitre, mergat se et evadat": *S. Thomas* l. c.

[5] Ct 2, 14. [6] Cf. Lv 1, 14; 5, 7; 12, 6 etc.

[7] Cf. Gn 4, 3—5. [8] Cf. Nm 12, 1—10.

[9] Cf. Is 59, 1—4. [10] 1 Cor 13, 5. [11] Ps 50, 19.

[12] Lc 5, 5. [13] Lc 5, 5. [14] Lc 2, 14.

[15] 1 Cor 5, 7. Cf. Ex 12, 15 19; Dt 16, 4.

1408. A d. 17. Ianuarii ad 21. Februarii 1586.

Ex commentariis a Canisio recognitis. Can. 40 f. 241a—245a. Ex iisdem commentariis has tres exhortationes, in unam tamen contractas et aliter quoque immutatas, posuit *Schlosser* 40—50.

Canisius ad Socios collegii tres „exhortationes" habet de spe et fiducia in Deo collocanda et de aliis rebus.

„Exhortatio de spe siue fiducia. Magna et celebris est hodie memoria magni Eremitae et S. Abbatis Antonij, de quo cogor in principio exhortationis huius pauca dicere. . . . Quia de fide uirtutum omnium fundamento et radice dictum est . . . nunc de sorore illius spe uel fiducia tractandum est. . . . Vbi nota .4.r esse in quibus quilibet suam fiduciam debet exercere et in illis nunquam deficere. . . ." Exhortatio igitur habita est die S. Antonii abbatis sive 17. Ianuarii. Videtur autem assignanda anno 1586, cum quia eo anno d. 17. Ianuarii erat dies Veneris, quibus diebus exhortationes eiusmodi haberi solebant, tum maxime, quia haec exhortatio proxime antecessit eam, quae modo ponetur et cum ea arcte coniuncta est; illam autem a. 1586 habitam esse satis certum est.

„Altera exhortatio cum tribus praeambulis. Tempus praesens me admonet, ut me et uos de tribus moneam. Primum de principio mensis, in quo placent Deo oblationes nouae, quae fiunt ex more societatis, ut simus u e r i I s r a e l i t a e [Io 1, 47] celebrantes festum Calendarum [cf. Nm 28, 11—15; 29, 6], sicut etiam diuisio sanctorum nos merito admonet, si debite fiat et non ex consuetudine tantum [1]. 2m est de festo B. Virginis, in quo cupio nos omnes esse Simeones [cf. Lc 2, 25—35], et cum illius spiritu concludere festa natalitia . . . 3 de Septuagesima . . . Diximus de quatuor sperandis a Deo." Deinde ostendit: „Aliter sperant catholici quam haeretici, et aliter catholici secundum mundi spiritum uiuentes, et aliter secundum Christi spiritum ambulantes." Anno 1586 Dominica Septuagesima incidit in diem Purificationis B. Mariae V. sive 2. Februarii. Exhortatio igitur habita esse videtur 31. Ianuarii 1586.

„Jn principio Quadragesimae." „Exorsi sumus nostram Quadragesimam. . . . Nullus nostrum conqueratur uel cogitet se nimium ieiunare, aut sibi non satis tribui in uictu quotidiano. . . . Solliciti simus spirituales dare eleemosynas proximis debitas in hisce afflictis temporibus. Orandum est pro miseris pauperibus, pro seductis uicinis, pro inimicis Ecclesiae et capitibus haereticorum, et pro afflictis Catholicis in multis regionibus, pro Principibus spiritualibus et saecularibus ac demum pro Societatis nostrae operarijs, ut hoc sacro tempore in uinea Domini cum fructu laborent. . . . Quantum ad uirtutem confidentiae multa iam diximus ex quibus .3. breuiter cupio repetere et uobis commendare. . . . Vnde discimus falli religiosos, qui nimium fidunt in externis donis acceptis, cum sciunt bene scribere, docere, praedicare et alijs externis satisfacere atque placere in suis officijs vel actionibus. 2. Falluntur confidentes quod in grauibus peccatis non sunt reprehensibiles, ne poenitentias externas mereantur, neque grauibus tentationibus sunt obnoxij. Vera enim confidentia collocanda est in intentione simplici et conscientia pura et uictoria sui, et praesertim in contemptu et abnegatione sui ipsius zeloque perfectioris iustitiae nostrae uocationi congruentis, quae semper ad maiorem perfectionem nos iubet extendi." Exhortatio habita esse videtur 21. Februarii 1586.

1409. 20. Aprilis 1586.

Ex commentario a Canisio recognito et emendato. Can. 40 f. 70a—71a.

Canisius Friburgi e sacro suggestu explicat, quomodo fiat, ut in ecclesiasticis „multi defectus passim appareant".

Canisius die 20. Aprilis 1586, quae erat Dominica secunda post Pascha, Friburgi Helvetiorum pro contione dicens, quaesivit: „Vnde fit non melius stare cum

[1] De his „patronis menstruis" v. supra p. 615.

ministris. sed multos in illis defectus passim apparere[a]. Cui culpa tribuenda." Respondit: „Non est mirum sicut in omnibus statibus sic etiam in Ecclesiastico reperiri plures imperfectos quam perfectos. plures infirmos quam sanos. Plures geitzige. ehrsüchtige. eigennützige lohnknecht, alß rechtschaffne, ehrwirdige. geschickhte. fromme vnnd würdige Prelaten vnnd Kirchendiener[1]. Debent enim impleri Christi et Pauli uaticinia. quod mundus decrescat in bonitate. et augeatur in malitia. Fides paulatim deficiet. ut filius hominis ueniens uix inueniat fidem super terram[2]. 3. Refrigescet charitas[3] et omnis probitas antiqua. 4. Abundabit iniquitas[3] ubique gentium et in omni statu. Necesse est ut ueniant scandala[4]. Homines erunt seipsos amantes[5]. Pretiosa semper rara sunt. sicut aurum. margaritae. cypressus. Plures semper pauperes quam diuites · multi uocati. pauci electi[6] · quid ergo mirum, paucos etiam inueniri sanctos. et perfectos Praelatos ac spirituales. Dicente ipso Christo. Luc. 12. Quis putas est fidelis dispensator et prudens. quem constituit Dominus super familiam suam. ut det illis in tempore tritici mensuram[7]. Possunt tamen rationes quaedam adferri de hac paucitate bonorum et turba malorum. uel indignorum ministrorum.

Prima causa est ex parte ipsorum Praelatorum[b] cum Petro nimis dormientium[8] et parum sollicite curantium in hac magna tempestate. in qua nauigamus. Sunt enim sicut ianitores sine delectu admittentes eos qui uolunt in Dei domum ingredi. nec satis examinant ordinandos[c 9]. 2. Sunt sicut indulgentes Patres. quemadmodum Heli nimium indulgens erga filios sacerdotes[10]. Vnde non obseruant illud: Manus cito nemini imposueris. nec communicaueris peccatis alienis[11]. 3. Sunt prodigi dispensatores concrediti sibi thesauri. quando pueris dant claues Ecclesiae. coronant asinos. honorant indignos. 4. Non oues sed seipsos amant et pascunt[12]. 5. Nunquam fuit difficilior functio Episcoporum. ob uarias tentationes hostium. et hisce turbulentis temporibus.

3. Causa est in parentibus non amantibus statum spiritualem et idcirco non curantibus filios ad eum mature educare[d]. Desunt illis desideria bonos fructus offerendi Deo et Ecclesiae, desunt orationes ad petendam a Deo gratiam ut cum Anna[13] offerant et donent filios ad ministrandum Deo et Ecclesiae. Mittunt potius filios ad scholas suspectas. ubi nouam fidem[e] et odium cleri inbibant. ad bellum lerna [?] malorum. ad aulas Principum. Docent ex uerbis et exemplis ordinem sacerdotum parui facere[f] et contemnere, dissuadent ne fiant sacerdotes et monachi. et saepe impediunt in hoc filios[g], sinunt ad ordines accedere. welche da am leyb prest-

a) *Sic Canisius sua manu correxit, quae librarius scripserat:* Vnde fit non meliores et peritiores hodie inueniri Praelatos pastores et ministros Ecclesiae. b) *Duo vv. sqq. a C. ipso addita sunt.* c) *Vide infra, adnot. 9.* d) *Sic C. ipse correxit ex* in Magistratibus saecularibus. qui cum maxime deberent spiritualem statum promouere. e) *Tria vv. sqq. a C. ipso addita sunt.* f) *Sic C. correxit ex* patefacere. g) *Sic C. correxit ex* impediunt tantum illos.

[1] A Canisio non clerum friburgensem, sed externum significari intellegitur ex laudibus. quas identidem illi tribuit (*Can.* VII 600 et supra p. 321).

[2] Lc 18, 8. [3] Mt 24. 12. [4] Mt 18, 7. Cf. Lc 17. 1. [5] 2 Tim 3. 2.

[6] Mt 20, 16; 22. 14. [7] Lc 12. 42.

[8] Cf. Mt 26. 40—43; Mc 14. 37—40; Lc 22. 45 46.

[9] Canisius sua manu in margine scripsit: „Spiritus s. constituit eos capita populorum [Am 6, 1]. Vocantur sal terrae [Mt 5, 13]. lux mundi [Mt 5. 14]. Dij et filij excelsi [Ps 81, 6]. Mali sunt et dicuntur canes muti [Is 56. 10] . . . propugnatores domus Jsrael [cf. Is 19, 20; 2 Mach 14. 34]. qui resistunt lupis [cf. Io 10, 11—13], sint medici aegrotantium [cf. Mt 9. 12; Lc 5. 31]. gubernatores nauis [cf. Ez 27. 27]. Attendite uobis et uniuerso gregi [Act 20. 28]. Sal infatuatum [cf. Mt 5. 13; Mc 9. 49; Lc 14. 34].

[10] Cf. 1 Rg 2. 12—17 22—36; 4. 1—18. [11] 1 Tim 5. 22.

[12] Ez 34. 2 8 10. [13] Cf. 1 Rg 1. 10—28.

hafftig, ungesundt vnnd scheutzlich, halb blind, krumb vnnd vngeschickt, seind, das sie bey der welt nichts gelten, solche müessen allen Pfaffen werden. Die andern solten nuhr welt khinder bleiben. Quomodo possunt ex talibus arboribus boni fructus nasci, aut ex illis boni fieri Praelati, cum Deus uoluerit in ueteri lege sibi offerri optima quaeque [1].

4. Causa est in Magistratibus saecularibus, qui statum Ecclesiasticum maxime amare, et per sacerdotes illum promouere deberent. Sed hi non prouident, ut sicut Christus ordinauit, ministri altaris habeant honestam et necessariam sustentationem [a] — D i g n u s e s t o p e r a r i u s m e r c e d e s u a [b] [2] — nec uolunt esse nutricij et patroni Ecclesiae [c] sicut Dauid, Salomon, Constantinus, Theodosius, Carolus. Sinunt igitur in multis locis perire bona Ecclesiae uel imminui potius quam augerj, libentius auferunt quam dant Ecclesiae ministris, et quod olim datum et fundatum est, id uenditur, alienatur, occupatur, uel pro nostro libitu expenditur [d], quasi Dominj simus [e] bonorum Ecclesiae. Impedimus saepe Praelatos [f], ut etiam si uelint non possint uti gladio spirituali [g] sicut Petrus et Paulus vsi sunt [3], et suo baculo punire inobedientes [4], sicut usurarios, adulteros, blasphemos [h], et alios excommunicatione dignos. Daemon [i] excitat diffidentiam quandam ut semper timeamus ne aliquid decedat nostro honori, et in malam partem rapiuntur, quae sacerdotes desiderant et petunt, uolunt enim oues esse super pastorem, et male interpretantur, si ueritas dicatur. Hoc in causa est, quod boni Praelati suo [k] instituto non possunt satisfacere.

5. Causa est ex parte populi merentis [l] apud Deum hanc poenam, ut quia peccant in sacerdotes, per sacerdotes etiam puniantur, ut uel nullos habeant nec habere possint, uel si habeant non dignos habeant et ineptos [m] Curatos atque pastores. Peccant autem in sacerdotes qui erga bonos se praestant ingratos, eorum uocem non audiunt, sed alienos potius sequuntur, ex leui causa contra illos murmurant, iudicant, damnant [n]. Peccant in sacerdotes non cogitantes institutionem Dei et excellentiam status maximi qui coelum aperit et claudit, peccata remittit et retinet, cui Verbum et sacramenta et animas commisit Christus id est optima quae habet imo et corpus et sanguinem suum. Non compatiuntur Praelatis tantam crucem ferentibus, et qui coguntur etiam inuiti indignos ordinare potius quam tot Ecclesias sine Parochis relinquere, et lupis exponere, nec possunt abusus cleri, sicut uellent reformare [o] ut olim fiebat nisi statim illis ansam praebeant fugiendi ad alia loca. Peccat populus in sacerdotes per auaritiam, quia nihil uult contribuere in Ecclesiam et ministros eius [p], sed curant propria, nihil largiuntur et fundant. Non orant [q] pro gratia bonos pastores accipiendi [r] et retinendi, non ieiunant in angarijs [5] sicut Ecclesia instituit ad r o g a n d u m D o m i n u m m e s s i s [6]. Peccant etiam bonos contemnendo propter malorum uitia. Peccant propter magnam irreuerentiam erga suos Patres spirituales et medicos. Jmmo [s] inueteratum odium et inuidiam contra illos conceperunt. Summa non sunt nec esse uolunt oues, id est simplices, obedientes, mansueti, paruo contenti [r], utiles pastoribus. Vnde irascitur Deus, qui in suis legatis et ministris spernitur et summam iram suam in eo declarat, auferens nobis ministros necessarios.

a) *Quinque vv. sqq. a C. ipso addita sunt.* b) *Sequuntur vv.* et sunt nutric, *oblitterata.* c) *Sex vv. sqq. a C. in margine addita sunt.* d) *Sic C. correxit ex* datum est sinimus uendi, alienari, occupari, uel pro nostro libitu expendimus. e) *Hoc v. a C. additum est.* f) *In margine:* De potestate spirituali. g) *Sex vv. sqq. a C. addita sunt.* h) *Hoc v. a C. ipso additum est.* i) *Sic correctum est ex* Daemoni. k) *Sic libr. correxit ex* suum. l) *Sic libr. correxit ex* maerentis. m) *Sic C. correxit ex* idoneos. n) *Quae sequuntur, usque ad* sanguinem suum *incl., a C. in margine addita sunt.* o) *Tria vv. sqq. a C. addita sunt.* p) *Septem vv. sqq. a C. ipso addita sunt. In margine, manu Canisii:* et inobedientia. q) *Sequitur* ac, *oblitt.* r) *Duo vv. sqq. a C. addita sunt.* s) *Sic C. correxit ex* et quia non u.

[1] Cf. Lv 22, 18—22; Dt 15, 21; Eccli 35, 14. [2] Mt 10, 10; Lc 10, 7.
[3] Cf. supra p. 669.
[4] „Baculum pastoralem" episcoporum significat.
[5] I. e. in „Quattuor temporibus".
[6] Supple: „u t m i t t a t o p e r a r i o s i n m e s s e m s u a m": Mt 9, 38; Lc 10, 2.

Vbi illi non sunt, non pluunt nubes, non seminatur semen[a], non crescit frumentum, non colliguntur fructus, pereunt paruulj, quia non sunt qui frangant illis panem[b][1]. Oues deuorantur, disperguntur, seducuntur. Sin adsunt sacerdotes Dei, uerbum potest praedicari et percipi, uera fide, illic sacramenta conficiuntur et uim suam obtinent. Illic gratia Dei distribuitur, ne lupi irruant erhaschen, zerströwen, vnnd würgen: illic omnis incredulitas, error, iniustitia et impietas crescit."

1410. 23. Aprilis 1586.

Ex autographo. Germ. 165 f. 376[a].

Canisii precationes pro P. Blissemio vita functo.

Die 24. Aprilis 1586 P. Henricus Blissemius S. J. de quo *Can.* I 619[5], cum rectorem collegiorum pragensis et graecensis, praepositum provinciae austriacae S. J., professorem theologiae, contionatorem, confessarium Caroli archiducis Styriaeque principis magna cum laude egisset, Graecii (Graz) admodum pie vita functus est. P. *Michael Tulmainer* S. J. in litteris Graecio 28. Aprilis 1586 datis, quibus Claudium Aquavivam praepositum generalem de eius morte certiorem reddebat: „Pridie quam moreretur", inquit, „suauiter subrisit cum in memoriam reuocarem pactum, quod habuit cum R. P. Petro Canisio, et dicerem ipsum pro sua anima diligentissime oraturum." Dubium esse vix potest, quin pactum illud de sacris precibus fuerit, quas, qui alteri superstes futurus esset, pro eo esset facturus; et probabile est, certam inter eos precum (sacrificiorum etc.) copiam statutam esse.

1411. **Inter ver et autumnum a. 1586.**

Ex commentariis a Canisio recognitis. Can. 40 f. 246[a]–253[b] 255[b]–269[a]. Ex iisdem commentariis has exhortationes, excepta ultima, edidit, nonnihil tamen expolitas et immutatas, *Schlosser* 50—72.

Canisius ad Socios collegii „exhortationes" de charitate habet.

„Jnitium de charitate . . . Dicamus ergo primum de charitatis dignitate et excellentia. 2. Quibus signis agnosci possit ueram in Deo habens charitatem."

„Circa charitatem nobis admiranda." „Quomodo diligendus Deus." „Qualis perfectio charitatis." Haec fortasse ad exhortationem superiorem pertinent.

„Alia exhortatio. Pauca nobis supersunt de Dei amore tractanda, praecipue quomodo sit implendum praeceptum illud diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo" etc.

„Repetitio superiorum. Quid debet mouere hominem et excitare ad Deum amandum . . . 2 Quomodo se homo habet humiliare respiciendo praeceptum et obligationem charitatis . . . 3 Quae maxime ad Dei amorem disponant . . . 4 Quae signa sint uere Deum amantis."

„De quaestione, cur Dei charitas in nobis tam raro et parum inueniatur. Statueram finire longam de charitate Dei tractationem, et incipere aliquid de proximi dilectione, sed occurrit una quaestio digna ut non praetereatur, sed prioribus dictis adijciatur, nempe, Qui fiat, vt" etc.

„De charitate proximi. Ex multis causis debemus sane loqui et libenter audire de proximi charitate Dicit enim Regula 18 Summarij" etc. „Quae nos ad charitatem excitare et in ea confirmare debeant." „Quae nos impediant circa proximi charitatem."

Tempus quidem his exhortationibus ascriptum non est; sed ex ipso codice codicisque loco, quo earum commentaria scripta sunt, cognoscitur, eas habitas esse post exhortationes „de spe et fiducia", quae mensibus Ianuario et Februario a. 1586 habitae esse videntur. Dixerim igitur, eas inter ver et autumnum a. 1586 habitas

a) *Sex vv. sqq. a C. ipso addita sunt. Qui in margine scripsit:* A necessitate ministrorum.
b) *Quattuor vv. sqq. a C. ipso addita sunt.*

[1] Thr 4, 4.

esse. Et quoniam in codice „alii exhortationi" et „repetitioni superiorum" exhortatio initio m. Septembris habita, exhortationibus autem „De quaestione" et „De charitate proximi" exhortatio ad initium m. Novembris spectans interposita est, priores illas inter m. Martium et Augustum, tres ultimas Septembri vel Octobri habitas esse probabile est; probabile, dico, non certum; neque enim in codice ordo temporis constanter servatus est.

1412. 6. Iunii 1586.

Ex commentario a Canisio emendato. Can. 40 f. 91b—92b.

Canisius exhortationem domesticam de eucharistia habet.

Exstat commentarium „Exhortationis domesticae de Sacramento Altaris" Friburgi a. 1586 a Canisio habitae, quam intra octavam Corporis Christi habitam esse ex ipso commentario colligitur. Quia autem eiusmodi exhortationes plerumque diebus Veneris habebantur (v. supra p. 616), hanc 6. Iunii 1586 habitam esse conicio. Dicit Canisius: 1. Quomodo obedientia ad vsum sacramenti huius in Societate nos obliget; 2. quibus modis impedimur in uero fructu sacramenti huius percipiendo; 3. quae media prodesse possunt ad meliorem Eucharistiae fructum percipiendum." In prima parte notat: Sacerdotes Societatis „habent quottidie celebrare Missam[a] [1] Romano ritu [2] ante, uel post meridiem [3]. . . . Non sacerdotes . . . debent . . . octauo quoque die communicare[b] siue sani sint siue infirmi, uel priuari cibo [4]. . . . Societas . . . saepe utitur hoc Sacramento, sicut nullus ordo fere."

1413. Ab exeunte a. 1585 ad exeuntem a. 1586.

Ex Michaelis et Alberi epistulis autographis, quae sunt in Germ. 165 f. 336 et Germ. 166 f. 53a 116a, et ex Litterarum annuarum collegii friburgensis exemplo eodem fere tempore scripto, quod est in Cod. „I. 36" f. 27a.

Collegii friburgensis aedificatio in discrimen adducta. Adversariorum conatus ab amicis elusi. Aedificatio incohata.

a) *Duo vv. sqq. a Canisio ipso addita sunt.* b) *Quinque vv. sqq. a C. ipso addita sunt.*

[1] „Ita viuere studeant, vt quotidie merito celebrare possint": Regulae Sacerdotum, n. 3 (*Regulae* Societatis Iesu, Romae 1582, 160).

[2] In Missae caeremoniis Societas „usum romanum, ut magis universalem, et quem peculiari quadam ratione Sedes Apostolica amplexa est, quantum patietur regionum varietas, sequetur": *S. Ignatius* in Constitutionibus S. J., P. 4, c. 8, n. 2. In Societatis prima *Congregatione* generali (decr. 93 post el.) „de Missa et eius ceremoniis actum est, et constitutum: ut sequeremur usum romanum secundum rationem Constitutionum" (*Institutum* S. J. II 176). „Caerimonias Missae ex vsu Romano accurate vnusquisque obseruet": *Regulae* Sacerdotum n. 4 (l. c.).

[3] *Gregorius XIII.* 7. Maii 1578 concesserat sacerdotibus Societatis, „vt Missas . . . infra horam post meridiem, itineris, vel alterius legitimi impedimenti caussa de . . . Praepositi Generalis vel cuiusvis alterius ad id ab eo deputati licentia celebrare valerent" (*Litterae* apostolicae etc. 189).

[4] „Octavo quoque die saltem, ad confessionis et communionis sacramenta accedant, nisi aliqua de causa aliud Superiori videretur. . . . Tempus etiam eis designetur, intra quod, si ad confessionem non accederent, subtrahatur eis cibus corporis, donec cibum spiritus sumant": *S. Ignatius* in „Constitutionibus S. J." P. 3, c. 1, n. 11 et Q. Cf. Ex. c. 4, n. 25; P. 4, c. 4, n. 3 et B; P. 6, c. 3, n. 2. „Confiteantur oportet, et sanctissimum sacramentum Eucharistiae sumant octauo quoque die": *Summarium* Constitutionum, reg. 6. „Si quis intra tempus designatum ad confessionem, aut communionem non accederet, [Minister] intelligat a Superiore, num subtrahendus ei sit cibus corporis, donec cibum spiritus sumat": *Regulae* Ministri n. 9. „Si aegrotus diu, licet sine periculo decumbat, [Infirmarius] curet vt octauo quoque die pro more Societatis communicet": *Regulae* Infirmarii n. 13 (*Regulae* Societatis Iesu l. c. 4 127 203).

P. *Ferdinandus Alber* praepositus provincialis Lucerna 31. Maii 1586 Claudio Aquavivae praeposito generali scripsit: „Tribus hebdomadis in Visitatione Collegij Friburgensis positis. 17 Maij Lucernam ueni. . . . Erant nostri, quando Friburgum ueni, nonnihil consternati, propter impeditam et quasi reuocatam Collegij nostri aedificationem, conatu et persuasione cuiusdam Primarij Viri, qui non optime rebus nostris Friburgi consultum cupit, totque huius Fabricae nomine hinc inde mouit difficultates, ut nonnullis iam e praecipuis huius Vrbis persuasis et in sententiam suam adductis, deliberationem hanc de aedificando Collegio, ad magnum quem Friburgi uocant, Senatum [1] promouerit, sententiam ex animj sui Voto ex illo Senatu, quod Amici et Patroni nostri quoque timebant, se relaturum confidens. Sed Deo iuuante aliter res cecidit, ac communi Senatus consulto statutum, Collegij aedificium quamprimum inchoandum esse. Eiusque rei cura illi, cui alioqui ex officio incumbebat, propterea quod hactenus res nostras impedire semper conatus fuerit, adempta, alteri Viro strenuo Societatis singulari Patrono demandata fuit: Qui dissoluto Senatu, illo ipso Die rem aggressus est, et ita in opere feruet ut admirationi sit: Jstudque curat maxime, ut sine quaerelis et subditorum maiori grauamine, aedificium hoc quamprimum perficiat."

Collegii „grauem semper adversarium" fuisse „Quaestorem" scripsit Aquavivae 3. Aprilis 1586 Petrus Michael collegii rector. Vocabatur ille Ioannes Frijeo sive Friivo: v. supra p. 220[1]. „Patronus" autem ille, cui aedificationis cura demandata est, fuisse videtur Pancratius Wild senator; cui adiuncti sunt Christophorus Reiff et D. Leimer, senatores et ipsi (Cod. frib. „Hist. coll. Frib." p. 7; *Berthier*, Bon. 135). Trium horum virorum „labore, industria, sedulitate", ait *Balthasar Adornus* S. J. in Litteris annuis collegii 16. Novembris 1586 datis, „fundamenta fodi statim coepta sunt, primusque lapis cum solemni caeremonia positus." Atque hoc, puto, significavit Canisius, cum morti proximus affirmavit: „Collegii novi" friburgensis „fundamenta ego benedixi": v. supra p. 443.

1414. 1570 1590.

Haud recte dicitur, Canisium esse auctorem regularum collegio virginum a Magdalena regina Halae condito praescriptarum. Magdalena tamen in iis condendis Canisii consiliis usa est.

Si quis leges sive regulas collegio virginum halensi a Magdalena regina († 1590), collegii fundatrice et prima antistita, praescriptas (apud *Rapp* l. c. ed. 2 p. 80—128) legerit, facile animadvertet, eas regulis Societatis Iesu valde similes esse. Affirmatur, ait P. *Paulus Hoffaeus* S. J. Lucerna 2. Novembris 1595 Claudio Aquavivae praeposito generali *scribens, „Virginum ordinationes conformatas esse Regulis nostris, ideoque illas videri posse ac dici Jesuitrices" (ex autogr.: Germ. 175 f. 217b). Et in **Commentario* quodam de collegio Societatis halensi dissolvendo scripto, qui a. 1608 Romae congregationi generali Societatis oblatus esse videtur, haec de virginibus illis halensibus notantur: „Licet solum Castitatis votum eae virgines emittant, Obedientiam tamen, earum Antistiti etiam promittunt; et a suo Confessario, Patre nostro, ipsoque Rectore Collegij ita pendent, ut ex horum voluntate, et directione omnia peragant: et id quidem consulto ac necessario: hos namque si praeterirent, Institutum earum statim concideret. Paupertatem Societatis in eo imitantur, quod ex communi viuant, singulisque pro necessitate ministretur. Officia inter se more Societatis instituta

[1] „Senatum ducentorum" dicit: cuius erat leges ferre.

habent; Item, ordinem domesticum, et distributionem horarum, quoad orationem, Meditationem, Lectionem, Examina, Triclinium, et mensam, labores, recreationes, poenitentias in triclinio et extra, prout in Collegijs fit. In vsu Sacramentorum, admissione et dimissione, Societatem aemulantur; uestitu itidem sexui accommodato, ita ut reipsa IESVitissae sint, licet non nominentur" (ex archetypo. G. Sup. 99 f. 32ᵃ). Quod ad vota paupertatis et oboedientiae attinet, in **Responsis* circa medium saeculum XVII., ut opinor, scriptis, quae supra p. 242 dixi, affirmatur: Virgines illae ea „sine obligatione studiose obseruant" (Can. 63 f. 118ᵃ). „Antistitae", inquit P. *Ignatius Agricola* S. J., provinciae Germaniae superioris historiographus, „obedientiam exhibent, qua perfectior expeti nequeat, sed ad hanc alio nexu haud tenentur, quam voti, ut appellant, ad manus Antistitae praestiti, quodque ab eadem denuo relaxari queat. Pari obligatione paupertatem . . . illae ad Moderatricis manus promittunt". Idem *Agricola* testatur, in collegio illo virginum vitae rationem, quam Magdalena exorsa sit, „ultra centum jam et sexaginta annos illibatam, et nec vel minimum mutatam religiosissime observari", et leges illas „perseverare in primaevo vigore". Scripsit autem ille anno 1727 (I Dec. 13 n. 213 214).

Quod deinde ad legum illarum originem attinet, *Hoffaeus* in *litteris, quas supra dixi, hoc tantum notat: Cum dicitur, eas „conformatas esse Regulis nostris", „id etiam Romae a quibusdam pijs viris factum est, et facile caueri nequit, et forte non debet impediri: quot enim sunt Religiones etiam quae imitatae sunt Regulam vel D. Augustini vel S. Bernardi etc. Si tamen verum est quod dicitur [leges illas a Societatis hominibus compositas esse], id factum est clam, opera Hezcouaei [1], qui parum curabat obedientiam superiorum" (ex autogr.: Germ. 175 f. 217ᵇ). In **Responsis* vero illis circa medium saeculum XVII (ut opinor) scriptis affirmatur: Virgines illae „in commune sub certis (a ven. P. Canisio, quantum constat) praescriptis regulis uiuunt" (Can. 63 f. 118ᵃ). Planius postea *Agricola*: „Delecta hac institutaque" a. 1569 „Congregatione . . . rogarunt Canisium Reginae [Magdalena et Helena], ut ne qua deerrarent a recti orbita, leges, methodumque praescriberet, quas, cum Magdalena pro coelesti, qua pollebat, sapientia, videret esse saluberrimas, servavit ipsa, ac caeteris, quas secum habebat, Virginibus . . . servandas proposuit" (l. c. n. 214). Item *Maria Eleonora ab Arcu*, collegii eiusdem antistita, in *litteris Hala 17. Decembris 1729 ad Benedictum XIII. datis, quibus Canisii beatificationem petebat: „Petrus Canisius fuit, qui pro Parthenone nostro . . . utilissima statuta condidit" (l. c. [v. supra p. 242] p. 91—92). Item paullo post P. *Jacobus Schmid* S. J. tirolensis narrat: Magdalenae rogatu Canisius statuta aliquot pro illius virginibus composuit, quae hodie quoque in collegio illo observantur;

[1] Significatur P. Paulus Hetzcovaeus S. J., collegii virginum halensis confessarius † 1585; cf. supra p. 193.

unde fit, „dass es desswegen ungemein berühmt, und belobet wird": Heiliger Ehren-Glantz der Gefürsteten Graffschafft Tyrol III, Augspurg 1732, 143—145. Et *Felix Joseph Lipowsky:* „Die Regeln ihres geistlichen Ordens hat auf Ersuchen der Prinzessinnen der Provinzial der Gesellschaft Jesu, Peter Canisius, entworfen": Geschichte der Jesuiten in Tyrol, München 1822, 27.

Neque tamen dici potest, Canisium legum illarum auctorem esse. Nam ille, ut erat moderatoribus valde oboediens, rem tam gravem iis insciis non suscepisset, praesertim cum sciret, S. Ignatium prohibuisse, ne Socii „curam mulierum religiosarum, vel aliarum quarumcumque susciperent, ut ordinarie illarum confessiones audirent vel ipsas regerent" (Constitutiones S. J. P. 6, c. 3, n. 5), et ex sola praepositorum generalium indulgentia ac dispensatione virginibus halensibus confessarium de Societate „ordinarium" obtigisse. At Canisium regulas eis praescripsisse neque in ipsius litteris, neque in epistulis praepositorum generalium, provincialium Germaniae superioris, rectorum halensium, quae quidem ad hoc tempus pertinent et adhuc supersunt, ulla ratione commemoratur. Ignorabat id, ut supra ostensum est, Hoffaeus, qui frequenter Halam venerat et saepe cum Magdalena negotia tractaverat. Silent epistulae Magdalenae. Haec, si Canisius leges illas composuisset, id certe in codice, in quo eas memoriae posteritatis tradebat, significasset; magnam enim ea res legibus illis additura erat vim et auctoritatem. Errant, ut iam dixi (supra p. 221), *Rapp* et *Engel*, cum varias codicis illius regulas Canisii manu scriptas esse putant. Addo silentium primarum Canisii vitarum, raderianae a. 1614 et sacchinianae a. 1616 editarum, et primae vitae Magdalenae, anno 1625 Oeniponte a collegio S. J. halensi (P. Egolpho Altheer S. J.) vulgatae.

Ex altera parte hoc certo constat: Magdalena Canisium magni faciebat et cum eo saepe de rebus suis et sui virginum collegii agebat. Quare dubitari non potest, quin eum etiam de vivendi ratione in collegio illo servanda consuluerit et eius consiliis in legibus illis condendis usa sit. Atque ita — ita, dico, neque aliter — affirmari potest cum *G. Tinkhauser*, Magdalenam leges illas adumbrasse „in Vereinbarung mit . . . dem Jesuiten Peter Canisius" (Topographisch-historisch-statistische Beschreibung der Diöcese Brixen II, Brixen 1858, 408), et cum *I. Hirn*, eas esse „von Magdalena mit Canisius entworfen" (Erzherzog Ferdinand II. von Tirol II, Innsbruck 1888, 464), et cum *L. Rapp:* „Bei der Abfassung der Statuten gieng der Königin ihr erprobter geistlicher Rathgeber, der ehrwürdige P. Canisius, an die Hand" (l. c. ed. 2, p. 79).

Hoc factum in virginum illarum memoria servatum et in earum collegio per manus traditum est, atque, ut „fama crescit eundo", sensim temporis progressu ita est auctum et exaggeratum, ut initio saeculi XVIII., si non ante, Canisius verus legum illarum auctor haberetur.

1415. 1586—1626.

Canisii epistula ad collegium virginum halense typis exscripta.

Exstat libellus in 12°, paginarum numeris signatarum 78, folium titulare non habens, qui in pagina 1 sic incipit: „Ermahnung deß Ehr- | wirdigen Patris, Petri Can- | nisij, der Societet IESV Prie- | sters, Monatlich bey Tisch | zulesen." Libello neque quando, neque ubi, neque a quo typis descriptus sit, adnotatum est. Continet libellus illam epistulam sive illam ad pietatem institutionem, quam Canisius anno 1586 Friburgo Helvetiorum Halam Tirolis ad collegium virginum a venerabili Serva Dei Magdalena Austriae archiducissa conditum misit (v. supra p. 222—242). Haec tamen institutio in hoc libello accommodata est collegio illi, quod Guilielmus V. Bavariae dux ad exemplum, ut videtur, collegii halensis Monachii instituit. Id cognoscitur ex fine capitis primi (v. supra p. 225[1]), ubi pro verbis, quibus Canisius virgines ad preces pro Magdalena fundendas hortatus erat, posita sunt alia, quibus virgines iubentur imprimis orare pro Guilielmo Bavariae duce et collegii illius fundatore ac pro principibus Bavariae, Lotharingiae, Austriae ceterisque collegii benefactoribus (Guilielmi V. uxor erat Renata Lotharinga, mater Anna Austriaca). In unico, quod superest, huius libelli exemplo paginam primam antecedit folium vacuum, in cuius pagina prima, non signata, manu Reginae a Mersperg scriptum est: „Sibila v. Wolkhenstein · bitet got für mich · regina .v. merspurg." In parte autem interiore involucri manu recenti notatum est, exemplum hoc provenire ex virginum collegio halensi, iam exstincto. Ex * „*Libro professionum*" collegii virginum halensis (v. supra p. 242 et *Can.* IV 945) cognoscitur, Sibyllam a Wolkenstein ibidem 2. Februarii 1600 professionem emisisse et 20. Februarii 1652 mortuam esse. Ex eodem libro hoc intellegitur: Regina libera baronissa („Freiin") in Mersperg Halae perfectam castitatem Deo vovit 11. Aprilis 1574. Die autem 17. Decembris 1608 Guilielmi V. ducis rogatu profecta est in Bavariam, ut collegii virginum ab eo duce instituti res componeret. Huius deinde prima fuit antistita. Suecis autem Monachium venientibus Halam aufugit ibique 30. Augusti 1632 mortua est. Huic narrationi congruunt ea, quae anno 1746 *Franc. Xav. Kropf* Iesuitarum Germaniae superioris historicus refert (IV 372—373) de Guilielmo V.: „Monachii eximii operis ac magnitudinis aedes . . . quasdam illustribus virginibus Mersburgiis, quas ex Regio parthenone Halensi, cum talem Monachii quoque parthenonem meditaretur, evocaverat, insigni sane munificentia donavit." Quodsi animadverteris, in libello hoc Guilielmum V., quem a. 1626 mortuum esse constat, ita commemorari, ut homines vivi commemorari solent, libellum hunc inter a. 1607 et 1626 typis exscriptum esse dixeris. Fortasse Regina Merspergia eum Oeniponte exscribendum curavit, antequam Hala Monachium proficisceretur. Typi huius libelli iidem, paucissimis rebus exceptis, sunt atque illi quibus Ioannes Baur (Pawr, Agricola) Oeniponte a. 1588 „Speculum Catechismi, d. i. Augenscheinliche Erklärung" etc. et a. 1592 partes aliquas libri „Geistliche Ristkammer von Georg Füeger" exscripsit. Fortasse igitur libellus exscriptus est a Daniele filio eius, qui et ipse Oeniponte typographus fuit. (Cf. *F. Waldner*, Quellenstudie zur Geschichte der Typographie in Tirol bis zum Beginne des XVII. Jahrhunderts, in „Zeitschrift des Ferdinandeums für Tirol und Voralberg", 3. Folge, 34. Heft, Innsbruck 1890, 156—255.)

In libello genus loquendi tirolense, quod in epistula manu scripta codicis oenipontani comparet, immutatum est in aliud, quod Germaniae vel Bavariae superioris fuisse dixerim, quodque ab eo, quo Canisius ipse uti solebat, haud multum abest. Praeterea — id quod ex lectionibus variantibus supra p. 223—242 positis intellegitur — verba haud ita pauca, atque etiam sententiae aliquot, vel omissa vel addita vel immutata sunt. Imprimis sententiis ex *S. Ignatii* „epistula de virtute obedientiae" a Canisio in hanc institutionem transcriptis additi sunt, oboedientiae etiam magis inculcandae gratia, alii eiusdem epistulae loci (v. supra p. 227—229 et *Monumenta* Ignatiana I, IV 672—678). Unde conicere possumus, in hac editione paranda operam hominis alicuius de Societate intercessisse. Omissum est etiam totum epistulae exordium itemque eius conclusio.

Editionis huius, quam Societatis bibliographi non commemorant, unicum, quod equidem sciam, praesto est exemplum. In cuius possessionem, R. D. Rapp mortuo (cf. *Rapp*, ed. 2., 260), venit Reverendus Dominus Knabl parochus pagi Gramais. Hic humanissime a. 1920 libellum Oenipontem in collegium Societatis Iesu portandum curavit, unde ab aliquo Societatis sacerdote ea, quae hic posui, mecum communicata sunt.

1416. 12. **Septembris et 7. Novembris 1586.**

Ex commentario magnam partem ipsius Canisii manu scripto et ex commentario a Canisio recognito. Can. 40 f. 254ᵃ—255ᵇ, 266ᵃ—267ᵇ. Ex priore commentario aliqua posuit *Schlosser* 230.

Canisius ad Socios „exhortationes" de virtutibus B. Mariae V. et de cultu Sanctorum habet.

1. „De uita b. Virginis, eiusque uirtutibus, et maxime charitate. Causae tractandi. Versamur in octaua Natiuit. Mariae. 2 quotidie de illa cantatur et legitur in templis · et inter alia illud Cuius uita cunctas illustrat Ecclesias [in Vesperis et Laudibus officii divini]. 3 Omnes de societate singularem deuotionem hactenus habuerunt et habere debent erga hanc nostram dominam, patronam, aduocatam, cuius patrocinio egent et gaudent hoc prauo saeculo maxime. Constat de P. Ignatio et primis Patribus, quantopere coluerint et amarint hanc uirginem, sicut et S. Dominicus, S. Bernardus, S. Anselmus, S. Ildefonsus, S. Damascenus, Rubertus [abbas tuitiensis] etc." In exhortationis fine Canisius „psalterium Virginis" sive „rosarium" valde commendat.

Ex primis exhortationis verbis et ex loco, quo in codice posita est, conici potest, eam 12. Septembris 1586, quae erat dies Veneris, habitam esse.

2. „De Sanctorum cultu ad fratres exhortatio. De causis tractandi propter Ecclesiae institutum in festo celebrando · 2. in sanctorum memoria quottidie repetenda, et in legendo martyrologio. Cur nos in societate erga sanctos cultum deuotionis specialem adferre debemus. Receptum iam pridem est, ut quottidie de sanctis ad mensam legatur[1]. 2. Vt singulis mensibus sancti eligantur et distribuantur[2]. 3 [Nemo] de nostris est, qui non Patronos sibi deligit et assumit. 4. Primi quoque Patres erga Sanctos praesertim Deiparam, Petrum et Paulum ualde deuoti fuerunt. 5. Constat de multis nostris martyrij laurea coronatis. 6. Quottannis augetur numerus nostrorum in Ecclesia triumphante[a] magis quam in alijs ordinibus forte licet ignoremus qui et quando beentur. 7. Curant nostri scholasticis hunc deuotionis affectum infigere et augere, sicut et Catechistae solent pueros et puellas de sanctis admonere." Deinde ostendit: „Quibus ex causis haec deuotio laudanda et promouenda est." „Qui sunt abusus in sanctorum cultu cauendi." „An sanctorum gloriam augere possimus."

Exhortatio habita esse videtur (cf. supra p. 716) 7. Novembris 1586: qui erat dies Veneris intra octavam festi Omnium Sanctorum.

1417. 1586.

Ex Michaelis epistulis autographis, quae sunt in Germ. 165 f. 337ᵃ et Germ. 166 f. 116, atque ex collegii friburgensis Litteris annuis, quarum exemplum, eodem fere tempore scriptum, est in Cod. „I. 36" f. 24ᵃ—27ᵇ. Aliqua ex Litteris annuis excerpta et transcripta sunt in librum „*Litterae* Societatis Iesu duorum annorum M.D.LXXXVI et M.D.LXXXVII", Romae 1589, 242—244.

Pietatis fructus Friburgi ex Sociorum, maxime Canisii, sacris orationibus orti. Frequentia sacramentorum. Amor in Societatem. Beneficentia. Ornatus templorum. Superstitiones sublatae. Decreta in feneratores, meretrices etc. Liberi ex famulatu haereticorum revocati. Libri pravi abiecti.

a) *Sex vv. sqq. ipsius Canisii manu addita sunt.*

[1] Quotidie saltem Martyrologium legebatur: cf. *Can.* III 797; V 548.

[2] De his „patronis menstruis" v. supra p. 615.

P. *Petrus Michael*, collegii friburgensis rector, ad Claudium Aquavivam Societatis praepositum generalem haec rettulit Friburgo 3. Aprilis 1586: „De fructu spirituali hoc unum affirmo, me nunquam maiorem ad nostros confitentium concursum perspexisse, nec maioris auctoritatis homines ullo tempore nostrorum auxilio ad fidem Catholicam conuersos, quam hoc anno[1]. . . . Populus fere totus Societatem complectitur et eandem in hanc urbem aduenisse gaudet, solum quidam in Senatu sunt, quibus nec dum nostrorum studia probantur, quique fabricam impedire contendunt." Et 6. Julii 1586: „Cum superioribus annis in festo Pentechostes[2] nec centum communicarint, hoc anno aliquot supra mille numerauimus[3]: Vtilissimae praeterea decretae Ciuibus leges, quibus vsurarij contractus in perpetuum sublati."

In collegii friburgensis *Litteris* annuis Friburgo 16. Novembris 1586 datis haec narrantur: „Conciones in aede summa diebus festis, et ijsdem, Dominicisque in percelebri vrbis paraecia . . . habitae sunt. . . . Effectum est, ut in maxima annonae caritate, locupletes tenuioribus inopiaque pressis, et fame tantum non enectis, liberalissime subuenirent, aedes sacras ruinam minantes, situ uetustateque pene collapsas instaurarent, aras peristromatis conuestirent, parietes uarij generis picturis, sacris imaginibus, pictisque tabellis exornarent. . . .

Mirum dictu est, quam gens haec a teneris annis militiae assueta, misere omni superstitionis genere conflictetur[4]; usque eo certe, ut nonnullos reperias, qui libere profiteri audeant, se suis hisce ueneficijs seu cantionibus, difficillimos quosque periculosissimosque corporis morbos ab hominibus haud difficulter depulsuros. . . . Cum aliquando unus e nostris, in nefarium hoc superstitionis genus pro concione inuectus esset[5], a concione statim Vir Reipublicae huius facile Princeps[6], Patrem conuenit, et eum, quae pater disputarat de superstitionum sollicitudinibus, cantionibus, impijsque huiusmodi fraudibus, quibus humanum genus daemonis astu implicitum uarie exagitatur, ueritati multo maxime consentanea esse confirmauisset; quo facilius, quos secum in comitatu eodem scelere obligatos habebat, ad mentem reduceret, uanaque superstitionum religione liberaret; noui, inquit, ego decem bellica quidem laude cumprimis illustres, superstitionibus tamen his plus aequo deditos, qui omnes septimo uel octauo anno abhinc miserrimo mortis genere extincti perierunt. Abusus uarij, consuetudinesque prauae, quas uel militaris licentia, uel legum contemptus inuexerat, earundem concionum

[1] De his vide plura infra, monum. 1418.

[2] Dominica Pentecostes erat 25. Maii.

[3] „La fréquentation des sacrements est à peu près le thermomètre de la moralité publique": *Chr. A. Fontaine* 51.

[4] Quas superstitiones Canisius e sacro suggestu recensuerit et improbaverit, vide supra p. 549 572/3 610 622 627 664/5 678.

[5] Canisium significari verisimillimum est: v. supra, adnot. 4.

[6] Is erat, nisi valde fallor, Ioannes a Lanten-Heid, vir bellicis in Gallia expeditionibus clarus et Canisio amicus; v. supra p. 312.

beneficio sublatae, et illarum loco utiles, laudatae, et Christiano homine dignae Magistratus authoritate inductae. Cuius generis uel hanc numerauero, ne quis ciuium, peracta concione, nisi etiam finito Missae sacrificio, templo digressus, uel domum abeat, uel in foro, triuijs, compitis, circulos consectetur [1]. Lata in foeneratores lex est, cautumque graui poena proposita, ne quis pro mutuata pecunia solito plus quicquam exigat. Scorta, quae, ut perfrictae frontis sunt, omnemque honestatem exuerunt, multos suis lenocinijs in peccata illexerant, vrbe exturbauit Senatus. Eiusdem mandato, loci huius medicus, solum uertere iussus est, ne homo de fide suspectus, uirulentis haereticarum opinionum telis, diroque ueneno, quod pectore inclusum occulte circumgestabat, incautiores impeteret, multisque errorum inuolucris illaquearet.... Effecerunt et illud nostri, ut Catholicorum liberi, qui magno salutis periculo, ad loca haeresum labe inquinata, seruitum discesserant, parentum cognatorumque litteris reuocati, heris catholicis operam suam locarent [2].... Quadragesimae tempore, in tribus urbis huius templis, de recta confitendi ratione, pro concione actum est, et Jonas Propheta populo explicatus [3].... Impetratum quoque est, post multos eam in rem collatos labores [4], ut abiectis haereticorum libris, a catholicis profecti scriptoribus, potius lectitarentur. Cuius consilij rationem complexi plerique sponte magnam haereticorum librorum uim ad Collegium detulerunt, ut comburerentur, quorum iacturam (si rerum pessimarum amissio, iactura appellanda ueniat) pij libelli hic in lucem emissi, resarserunt." [5]

Exstat adhuc praeceptum 9. Ianuarii 1586 a *Senatu friburgensi* datum, quo omnes urbis patresfamilias iubentur singulis diebus dominicis et festis in ecclesia aliqua missae solenni adesse et, dum „Kyrie" cantatur, in altari, quae offerri oporteat, ponere. Item mandatur, ut et viri et feminae sacris pompis et supplicationibus intersint [6] (Cod. „Mandatenbuch 2" f. 42ª—43ª; Friburgi, in archivo reipublicae). Exstat etiam edictum sive institutio ad fenerationem spectans sive „Ordnung des wuchers halb" eaque 17. Iulii 1586 data ac gallica quoque lingua scripta, qua Senatus et urbem friburgensem, et terras eius imperio subiectas teneri volebat. In ea, praeter alia, prohibetur, ne quis pro pecunia mutua data plus quam 5% sumat, neve ex frumento, vino, feniculo, rebus similibus „gûlt vnnd Zinnsbrieff" conficiat. Si quis autem secus fecerit, sortem eius integram a senatu in fiscum redactum iri (l. c. f. 48ᵇ—50ª). Exstat denique „Extrait des ordonnances de la ville de Frijbourg. Comme Contracts se doiuent faire et quelles choses y sont requises." Tempus quidem

---

[1] Querelas ea de re a Canisio prolatas v. supra p. 702 707 711.

[2] Quid Canisius ea de re in sacra oratione monuerit, v. supra p. 669.

[3] Vide supra p. 702—704. [4] Canisii monitiones v. supra p. 629.

[5] In his erant certe libelli „Betrachtung vnd Gebett deß Bruders Clausen" et „Fragstuck dess Christlichen Glaubens"; hunc Sebastianus Verronius parochus friburgensis a. 1585, illum Canisius a. 1585/6 Friburgi ex nova illa typographia Abrahami Gemperlin in lucem emiserant; v. supra p. 692 698. Ex eadem a. 1585 prodierat „Christliche Haussordnung vnd vnterrichtung zur Gottes forcht", libellus ex lingua italica in germanicam ab eodem Verronio translatus (*Catalogus* novus Nundinarum Autumn., Francoforti ad Moenum 1585).

[6] Quomodo Canisius Friburgensium ea in re neglegentiam reprehenderit, vide supra p. 705 707—708.

ei ascriptum non est; sed quia in codice proxime praecedit mandatum diei 31. Iulii 1586 et proxime sequitur mandatum Kalendarum Septembrium 1586 et reliqua mandata omnia ex ordine temporum disposita sunt, hoc scriptum circa m. Augustum a. 1586 factum esse videtur (Cod. „Mandatenbuch 1“ f. 103ᵇ–104ᵃ; Friburgi in archivo reipublicae). Fortasse tamen haec „ordinatio“ versio est mandati illius germanici, quod magistratus friburgenses 8. Augusti 1587 de pactionibus recte faciendis dederunt; v. infra, monum. 1436.

1418. 1586.

Ex exemplo eiusdem fere temporis. Cod. „I. 36“ f. 24ᵃ–27ᵇ. Complura ex his litteris excerpta et transcripta sunt in librum „*Litterae* Societatis Iesu Duorum Annorum M.D.LXXXVI et M.D.LXXXVII, Romae 1589, 242–244. Earum particulam germanice posuit *Riess* 479.

Collegii friburgensis prosperitas. Frequentia sacramentorum. Conversi. In fide confirmati. Carcer. Xenodochium. Socii a proceribus, maxime a praeposito, consuluntur. Apud aegrotos. Sodalitas Mariana. Fautores. Generensium calumniae.

In collegii friburgensis „*Litteris* annuis“ Friburgo Helvetiorum 16. Novembris 1586 a *Balthasare Adornio* sive *Schreivogel* S. J., uno ex collegii praeceptoribus (G. Sup. 19. I f. 3ᵇ; II f. 31ᵃ), datis haec, praeter alia, narrantur: „Numerat hoc Collegium socios quattuordecim, sacerdotes septem, quorum unus supremam Grammatices scholam moderatur, Praeceptores alios tres, qui res domesticas curant, quattuor. De Confessionibus quid? Etsi nostrorum opera ab eo tempore quo primum hac in urbe sedem fiximus, quotannis de peccatis confitentium sacramque Synaxin percipientium auctus sit numerus; hoc tamen anno maius incrementum sumpsit quam polliceri nobis ausi fuissemus. Vt enim de Paschate sileam, praecipuis certe festis diebus, non raro quadringentos, quingentos, sexcentos, trecentos etiam supra mille, et eo amplius, qui uitae maculas eluerent, numerare licuit. . . . Ab haeresi Caluiniana, ad catholicam fidem reducti sunt uiginti duo. . . . Venit sub Quadragesimae initium prouecta aetate Vir, qui post multas Galliae et Germaniae peragratas Prouincias, multasque cum putidis nuper nati Euangelij buccinatoribus, initas uerborum pugnas, cum nusquam tuto consisteret, nusquam sibi satisfieret, a nostris, ut uera fide imbutus est, haeresim eiurauit. . . . Huius uestigijs inhaeserunt sacerdotes duo, quorum alter Monachus, cum a religione fideque catholica turpiter desciuisset, sacrilegis se nuptijs miscuit, et primo ad lacum Lemannum[1] infaustus praedicans, mox alibi ludimagister effectus est; alter oppidi cuiusdam parochus catholicus, Zwingliana peste hausta, Minister, uti uocant, constitutus, cum esset et aetatis flore[a] et corporis mole conspicuus, putareturque eximius aliquando haereseos propugnator futurus, nullis non promissis ab eiusdem sectae cultoribus detentus est, incestasque nuptias cum flagitiosa muliere, quam catholicus adhuc pessimo exemplo domi suae aluerat, contraxit[2], ut sic uidelicet nefarijs amoribus licentius operam daret. Vterque parum recte factorum conscientia, cuius uis omnem in partem est maxima, stimulatus, per litteras et fidos internuncios, auxilium nostrum implorauit, uotisque potiti, ac edita domi nostrae, ex instituta concilij formula, fidei professione[3], haeresum soluti sunt nexu, diuinisque instructi armis: ille coenobium aliquod religionis illius, quam deseruerat ingressurus; hic quaesiturus apud catholicos certam sedem, a nobis recesserunt. Duabus Monialibus, quae ante annos quindecim uel octodecim uotorum,

a) *Tria vv. sqq. supra versum scripta sunt.*

[1] Lac de Genève, Genfersee.

[2] „Parochus ex Villesau“ (Willisau, oppidum reipublicae lucernensis), „qui Bernae . . . nuptias celebrauerat“; *Historia collegii friburgensis (Cod. frib. „Hist. coll. Frib.“ p. 8). Leonardus Risi, a. 1582 parochus illic constitutus, a. 1585 ab ecclesia defecerat (*Th. v. Liebenau* in „Der Geschichtsfreund“ LVIII, Stans 1903, 109).

[3] Fidei professionem tridentinam dicit.

quibus obstrictae tenebantur immemores, religionis iugum excusserant, et in omni scelerum impuritate uixerant, persuasum est, ut tantis expiatis sceleribus, se dignam uitam instituerent, desertaeque religionis castra repeterent. . . . Duodecim, qui in fide dubij, animo uacillabant, confirmati non modo, uerum et argumentis rationibusque e sacris litterarum monumentis desumptis muniti, quibus suscepta cum haereticis dimicatione uterentur, eorundemque artes et conatus facile[a] refutarent[1]. . . .

Itum in carcerem publicum frequenter: et Xenodochium pietatis et officij causa, minimum bis quouis mense frequentatum. . . .

Societatis nostrae magna apud omnes opinio est, magnique et consilia et labores nostrorum faciunt uiri primarij: praesertim uero Reuerendus et clarissimus Dominus Praepositus[2], nostrae Societatis amantissimus, qui ad omnia nostrorum opera utitur, nec quicquam pene maioris momenti uel tractandum suscipit, ni re prius cum nostris communicata: uel decernit, ni nostrorum sententia et audita et comprobata[3]. Ciues quoque nostros suspiciunt et amant uehementer. Qui aduersa ualetudine premuntur, sacerdotes nostros accersunt frequenter, sacrificijs precibusque nostrorum, se et liberos commendant, sibique persuasum habent, non ante se pristinae sanitati restitutum iri, quam illius ergo, nostri uel sacrificent, uel alias ad Deum preces fundant. . . .

Sodalitas Dei matris . . . hoc demum anno R. P. N. Generalis[4] opera, confirmata est. . . . Ex horum numero duo, uotiuas peregrinationes Lauretum et Romam usque susceperunt. Alij ad celeberrimum illud B. Virginis in Eremo coenobium[5]: alij ad S. Claudium, apud Burgundiones[6], religionis ergo profecti sunt. Corporis porro lacerationibus [?][b] adeo dediti illorum nonnulli, ut in singulas hebdomadas ieiunium sibi indicant, soloque pane et aqua uictitent. . . .

Ordinis senatorij uiri non pauci, ut nostri amantissimi et studiosissimi sunt, ita missis ad Collegium, tum saepe, tum maxime natalitijs et Paschatis ferijs, omnis generis munusculis, suam in nos beneuolentiam liberalitatemque declararunt. Idem honestae et praediuites matronae praestiterunt. . . .

Etsi Geneuenses illi, et alij nobis uicini, in Caluini educati schola homunciones non semel antehac nos exagitarint, hoc tamen anno, et saepius et uehementius, quam alias unquam. Nec enim his satis erat, publice nos, ac priuatim probris maledictisque proscindere, nisi etiam sparso in uulgus libro, miris nos modis depingerent, petulantissime calumniarentur, conuitiis lacerarent, patriae proditores, humani sanguinis

a) *Hoc v. supra versum scriptum est.* b) *Sic; sed ea, quae sequuntur, suadent, auctorem scribere voluisse:* macerationibus.

[1] Dubitari non potest, quin harum conversionum et institutionum Canisius quam maxime particeps fuerit. Ipse enim Sociorum omnium et doctissimus et ad animas iuvandas paratissimus erat.

[2] Petrus Schnewly, praepositus capituli S. Nicolai et vicarius generalis episcopi lausannensis.

[3] Potissimum Canisii opera eum usum esse ostendunt quae tradita sunt de familiaritate et necessitudine, quae inter duos hosce viros intercessit.

[4] Claudii Aquavivae. Gregorius XIII. bulla 5. Decembris 1584 data praeposito generali Societatis potestatem fecerat, in omnibus Societatis collegiis scholarium et aliorum fidelium „Societati devotorum" sodalitates marianas „sub titulo Annuntiationis B. Mariae" auctoritate pontificia instituendi, eas sodalitati romanae sive „primariae" aggregandi, gratias omnes huic concessas cum illis communicandi (*Institutum* S. J. I 103—107). Die 23. Martii 1586 sodalitas lucernensis ab Aquaviva cum titulo Annuntiationis B. Mariae V. canonice confirmata et congregationi romanae aggregata est (*Kratz* 100). Sub eodem titulo Friburgi sodalitas scholarium sive iuvenum litteris studentium a. 1586 confirmata et aggregata esse videtur (*Genoud* 121).

[5] Einsiedeln.

[6] Exstabat tunc monasterium benedictinum Sancti Claudii (St. Claude), nomen ex S. Claudio abbate suo et episcopo bisuntino sortitum ac reliquiarum sacrarum copia illustre.

cupidissimos, homines denique, qui omnia susque deque ferrent, appellarent, aliisque id genus titulis cohonestarent [1]. Quid plura? etiam pro concionibus se continere non potuerunt, quia palam et libere in nos, ut in eos qui Friburgensibus nostris authores fuerimus, ut nouo se foedere catholicis Cantonibus [a] obligarent, debacharentur. Vt breuis sim, nihil boni uiri non moliuntur, nihil non mouent, intentatum nihil relinquunt, ut nos mordacibus chartis, scriptisue in uulgi odium rapiant, uitae periculis obiectent, omnium in nos animos concitent atque inflamment. Sed haec et alia incommoda catholicorum uidelicet pietate ac beneuolentia compensantur. Quo enim pluribus nos configunt maledictis haeretici, eo maiora catholicorum in nos summae beneuolentiae officia constant, quibus nihil aeque curae est, quam defensionem nostram suscipere, societatem summis laudibus extollere, nostrosque omni humanitatis genere complecti."

Friburgensium litteris edoctus *Ioannes Franciscus Bonhomius* nuntius apostolicus in *epistula ex urbe Sancti Audomari (St. Omer) 9. Februarii 1586 Romam ad cardinalem Azzolinum missa de collegio friburgensi haec testatus est: „Mi godo che faccia in quella provincia frutto mirabile all' honor di Dio et a confusione delli heretici circonvicini" (ex apographo antiquo totius epistulae, quod est Londini in museo britannico, Bibl. Egerton 1079 p. 121—128). *Senatus friburgensis* autem in *litteris, quas de sacerdote quodam ordinis Minorum ad Sixtum V. dedit, mentionem fecit etiam Patrum Societatis Iesu, „inter quos multum Reuerendus Pater Petrus Canisius eiusdem Societatis Theologus sui temporis facile celeberrimus primas tenet" (ex apographo eiusdem temporis, a Guilielmo Techtermann archigrammateo, ut videtur, scripto, quod est Friburgi in archivo reipublicae, „Lateinische Missifen 1579").

1419. 23. Novembris 1586.

Ex commentario a Canisio dictato et ipsius manu emendato. Can. 40 f. 134[b]—136[b].

Canisius e sacro suggestu ostendit, quomodo annonae caritas Helvetiam premens mitiganda sit: Supplicationes. Providentia magistratuum. Parentes de filiis monendi. Mendici discernendi et ad laborem urgendi. Sumptus moderandi. Collectio stipis. Mulctae distribuendae. Mendici ad pietatem excitandi.

Canisius Friburgi in sacra oratione Dominica ultima post Pentecosten sive 23. Novembris 1586 habita haec potissimum tractavit:

„Quae media et remedia possunt prodesse hoc tempore [b], ad praesentem caristiam auertendam uel mitigandam · zu miltern vnnd lindern.

Difficilem materiam mihi tractandam sumpsi, ut [c] timeo [?] [d] ne aliqui aegre ferant quod audeam de causa tam graui meam dicere sententiam, quae potius ad alios prudentes pertinet, et ab illis forte iam ante tractata et definita est. Sed hoc me consolatur, quod sapientibus occasionem dare cupiam, ut diligentius cogitent de communi ista miseria et necessitate tam multos premente, et quasi compellente, ut omnes qui possunt ad commune periculum depellendum concurrant et collaborent ad Rempublicam conseruandam, et pauperes consolandos.

a) *Sequuntur vv.* authores fuerimus, ut nouo s, *oblitterata.* b) *Sequuntur vv.* ut praesens caristia, *oblitterata.* c) *Sic C. correxit ex* et d) *Corrigendum esse videtur:* timeam.

[1] Cf. supra p. 693 694. Iesuitas quaerere „nur Mordt- und Todschlag, Krieg und Blutvergiessen, und alles Unheyl", et esse „die rechten Seelenmörder und Ertzdiebe, welche alle Welt voll Aufruhr und Zweytracht, voll Krieg und Kriegsgeschrey füllen" affirmatur in libello a. 1586 (sine loco) edito „Ein sehr Nohtwendige und Ernstliche Warnung und Vermanungsschrifft an die dreyzehen Ort der loblichen Eydgnoßschafft . . . in Truck verfertiget durch *Eusebium Philadelphum*" (*W. Th. Streuber*, Die

Primum igitur[a] et praecipuum medium et remedium iuxta meam sententiam hoc tempore adhibendum est[b] agnoscere[c] praesentem caristiam[d] ut uirgam Dei[1] et asperam medicinam, per quam[e] nos uisitat ac percutit sicut olim fecit Judaeis tempore Joëlis Amos et Aggei[f][2] ita ut merito nostra Prouincia dicat Manus Domini[g] tetigit me[3], et Heluetij omnes gemendo testari possunt Merito hoc patimur quia peccauimus[4]. Magna certe et aspera uirga qua percutit nos Deus offensus nostris peccatis, et sicut timendum est magis percutiet impoenitentes iuxta suam interminationem[5].

2 Remedium est diffidere nostris et humanis praesidijs et in spiritu humilitatis[6] recurrere ad Patrem misericordiarum[7] et suppliciter petere et supplicationem publicam instituere ut pacem cum Deo faciamus. Jnuoca me in die tribulationis, eruam te et honorificabis me[8]. Ad hoc multum iuuabit si de necessitate faciamus uirtutem et praesertim sacro tempore Aduentus bene utamur ad faciendos fructus poenitentiae[9]. Rogo igitur spirituales et saeculares, ut[h] si ante vnquam nunc magis in cultu Dei sint eo [?] tempore [?][i] diligentes[k] in Aduentu ut quottidie qui possunt conueniant in templo D. Virginis, ut cum deuotione celebrent [festa][l] immaculatae Virginis, et nostri Patroni Nicolai[10]. Rogo ut more maiorum in oratione et ieiunijs aduentum suum sanctificent, corda sua mundent confessione[m], conciones uisitent, et[n] se praeparent ad Natalitia, maxime autem ut pauperes sibi habeant commendatos et elemosynis iuuent. Scriptum est enim Eleemosyna a peccato et morte liberat[o][11]. Sicut aqua ignem extinguit[12].

De remedijs specialibus[p].

Primum est in Magistratibus positum, ut Christi sequantur exemplum, qui cum esset summa sapientia uoluit tamen cum discipulis suis consultare de pauperibus in necessitate sustentandis[13]. Sic etiam fecerunt Apostoli cum uiderent pauperes uiduas negligi, et consilio adhibito constituerunt septem diaconos qui curam illarum gererent[14]. Sic etiam

a) *Duo vv. sqq. a C. ipso addita sunt.* b) *Sequuntur vv.* cum timore, *oblitt.* c) *Sequuntur vv.* et timere Dominum, *oblitt.* d) *Octo vv. sqq. a C. in margine addita sunt.* e) *Sequitur* aeque, *oblitt.* f) Achej *libr.* g) *C. in margine scripsit:* Agnoscere iram et flagellum Dei meritamque penam qua percutimur et percutiemur magis, si manemus in peccatis impenitentes 2 bonam esse orationem — *[verba obscura duo]* et publicam, sed ex corde contrito manantem ut uere humiliemur. h) *Quinque vv. sqq. a C. supra versum scripta sunt.* i) *Haec 2 vv. oblitteranda fuisse videntur, propter vv. sqq.* in Aduentu. k) *Sic C. correxit ex* diligentiores. *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.* l) *Hoc v. supplendum esse res ipsa ostendit.* m) *Duo vv. sqq. a C. ipso addita sunt.* n) *Sequitur* saepe, *oblitt.* o) libera *libr.* *Quattuor vv. sqq. a C. in margine scripta sunt.* p) *Sic C. correxit ex* spiritualibus.

erste Berufung der Jesuiten nach Luzern, in „Beiträge zur vaterländischen Geschichte" IV, Basel 1850, 362—363).

[1] Ex 4, 20; 17, 9; Iob 21, 9.

[2] Cf. Ioel 1; 2, 1—27; Am 2, 4—16; 3; 4, 1—14; Agg 1, 2—11 etc.

[3] Iob 19, 21. [4] Gn 42, 21. [5] Cf. Eccli 2, 22; Lc 13, 3. 5; Apc 2, 5 etc.

[6] Dn 3, 39. [7] 2 Cor 1, 3. [8] Ps 49, 15. [9] Mt 3, 8; Lc 3, 8.

[10] Haec futura erant d. 8. et 6. Decembris. [11] Tob 12, 9.

[12] Eccli 3, 33. [13] Cf. Io 6, 5—7; Mc 6, 38. [14] Cf. Act 6, 1—6.

cum magna esset caristia sub Claudio constituti sunt quidam ad Eleemosynas colligendas, et mittendas Hierosolimam, ut fratrum necessitati succurreretur · sicut Paulus etiam sollicite procurauit[1]. Igitur non solum[a] honestum et laudabile sed etiam necessarium est aduigilare Magistratus, et per se oder durch die vier fänder[2], aut alios cogitare serio de facienda prouisione, et de legibus conscribendis ac exequendis hoc tempore, sicut ipsa necessitas exigit[b]. Cogitent inter alia sitne consultum intelligere, quomodo se ciues habeant in den vier Theilen oder quatieren diser statt[c]. Visitentur semel saltem in hebdomada domus[d], cognoscantur et scribantur nomina magis afflictorum ob praesentem paupertatem.

3. Moneantur sedulo parentes de suis filijs non extrudendis foras, ut toto die discurrant, et per integras horas clament ante fores, ut non discant sic otiari neque se assuefaciant an den bettelstab[e].

4 Habeatur delectus mendicorum si forte sunt, qui laborare possint[f], et si non possunt cogantur esse modestiores, ne molestent aegrotos suis clamoribus, nec tam importune et inuerecunde agant per totum diem sine omni ordine, et aliquando contentiose ita ut boni pauperes propterea etiam patiantur apud diuites uel contemnantur[g].

Aliud remedium est si deputati a Senatu diligenter prohibeant et tollant magnum sumptum, qui fit in nuptijs et hospitijs publicis sine necessitate, et cum magno praeiudicio pauperum, quorum multi possent ali auss den stattlichen mälerenn vnnd gastereyen[h] propter quae deus nos modo punit. Praecipue uero praescribi posset den Zünfften quomodo se contrahere et minus expendere deberent an ihren versamblungen praesertim circa natalitia, et maxime an der heiligen 3 König tag[3] quando omnes fere uino se grauant, et magnam leuitatem exercent, et hoc sub praetextu honorandi tres Reges.

Remedium aliud fuerit inuenire uel praeparare pecuniam, frumentum, habitationem[i] uel scheunen in utilitatem pauperum. Id uero fieri posset impetrando gratiam et eleemosynam apud nobiles et diuites, ut sibi faciant amicos de mammona iniquitatis[k][4]. Diuites meminerint Apostolorum qui parum habentes tam se largos ostendunt, Christoque offerunt suos 5 panes et 2 pisces · et hinc ditantur[5]. Quantum potueris esto misericors[6]. 2. Vt Dominicis diebus fiant

a) *Sequitur* laudabile sed etiam, *oblitt.* b) *C. sua manu in margine scripsit:* Magistratus [illegible] suum munus uigilent, consultent, deputent sapientes qui uelint et possint conferre sententias, [illegible] leges concipere et exequi. c) *Sequitur* Vis, *oblitt.* d) *Sequitur* et, *oblitt.* e) *C.* [illegible] Parentes monendi. f) *Sequitur* et, *oblitt.* g) *C. in margine:* Mendici discernendi et urgendi. h) *Sex vv. seq. a C. addita sunt. Qui in margine scripsit:* Sumptus moderandi. Quae [illegible] huius caristiae. Auaritia, immisericordia, prodigalitas, luxus, Ingratitudo, Abusus opum. i) [illegible] k) [illegible] 2 Vt Dominicis [illegible]

[1] Cf. Act 11, 27–30; 1 Cor 16, 1–3.
[2] Quattuor tribunos plebis (Bannerets, Venner) significare videtur.
[3] Die Epiphaniae sive 6. Ianuarii. [4] Lc 16, 9.
[5] Cf. Mt 14, 13–20; Mc 6, 34–44; Lc 9, 11–17; Io 6, 1–13.
[6] Tob 4, 8.

collectae et congregentur per deputatos[a] in usum pauperum. 3 Vt ijdem diuites clementer agant cum debitoribus, nec tantum exigant sicut alias. 4. Curam habeant diuites suorum uicinorum et notorum et amicorum qui magis egent, ne faciant sicut diues epulo obliuiscens pauperis Lazari[1]. O foelices qui Christum nunc pascunt, potant, uestiunt, uisitant in suis membris[2], et carnem suam non despiciunt[3].

Posset etiam iuuare, si mulctae exigantur a blasphemis, festa uiolantibus, templa non uisitantibus, conciones non audientibus, ebriosis siue Friburgi siue foris in hospitijs reperiantur, imo etiam ab omnibus die Stattordnung transgredientibus. Collecta autem illa pecunia distribui posset in pauperes pro ratione necessitatis[b] per fide dignos.

Quid si etiam mendici per Aduentum cogerentur adire conciones hebdomadarias, audire catechismum et[d] templum saepius uisitare quam nunc fieri solet, quia nullus illorum curam gerit, sed sicut pecudes[c] tractantur, et quasi nos pudet talium hominum, qui sunt Christo tam dilecti sicut nos et saepe chariores, quos qui non recipit, Christum non recipit[4], nec dignus erit regno quod Christus promisit pauperibus[5].

1120. Initio m. Decembris 1586.

Ex exhortationis commentario per Canisium dictato et ipsius manu emendato. Can. 40 f. 140b–142a. Exhortationem totam atque etiam nonnihil amplificatam posuit *Schlosser* 158–165.

Canisius ad Socios collegii exhortationem de Adventu habet.

Exstat commentarium orationis Friburgi a. 1586 habitae, a librario sic inscriptum „De Aduentu Domini apud fratres“ sive Socios collegii Societatis. „Dicam“[e] inquit Canisius, „de praesentj tempore Aduentus, cur omnes Catholici Aduentum acceptare, et cum speciali deuotione et fructu tenere [debeant]“. 2 Quid nobis hoc sacro tempore faciendum, ut maiorem ex eo fructum colligamus[f] et tempus hoc sanctificetur.“ „Quomodo Aduentus nobis incipiendus et sanctificandus.“[6] Respondet, praeter alia, haec: „Opus peculiariter honorare matrem Domini sicut populus quottidie uisitans templum eius et sacrum Rorate[7] audiens. Vnde horas b. Virginis et Rosarium B. Virginis deuotius recitare conuenit. . . . Quod ad mortificationem et poenitentiem attinet, . . . usu et[g] exemplo[h] piorum ac fratrum[i] confirmatum habemus, ut aliquid[h] praeter morem amplius faciamus. . . . Nostis morem in scripto notandi et superiori offerendi poenitentias[k]. . . . Merito[l] confundimur nobis esse nomen paupertatis, rem uero et opus penes alios qui non obligantur ad paupertatem ex uoto seruandam, sicut nos, et interim uix contenti sumus illis quae abunde nobis suppeditantur. Specialiter nobis commendatae sint Regulae modestiae in loquendo, agendo incessu et gestu, in silentio et conuersatione.“

a) *Sequitur* et, *oblitt.* b) *Tria vv. sqq. Canisii manu addita sunt. In margine librarius scripsit:* Mulctae. c) *Sic libr. correxit ex* pedes. d) *C. in margine:* Mendici ad spiritualia [illegible]. e) *Sic C. ipse correxit, quae librarius scripserat:* cur omnes Catholici in illo se mutare debeant, et cum speciali cura illud transigere. f) *4 vv. sqq. a C. ipso addita sunt.* g) *Haec 2 vv. a C. ipso addita sunt.* h) *Duo vv. sqq. a C. ipso addita sunt.* i) *Sequitur* est, *oblitt.* k) *Haec sententia ipsius C. manu addita est.* l) *Hoc v. et omnia, quae sequuntur, a C. ipso scripta sunt.*

[1] Cf. Lc 16, 19–21. [2] Cf. Mt 25, 35–40.
[3] Is 58, 7. [4] Cf. Mt 25, 41–45. [5] Cf. Lc 6, 20; Mt 5, 3.
[6] Adventus eo anno incohatus erat 30. Novembris.
[7] „Missam votivam de S. Maria ab Adventu usque ad Nativitatem Domini“ significat, cuius „Introitus“ a verbo „Rorate“ incipit.

1421. Exeunte m. Decembri 1586.

Ex commentario magnam partem ab ipso Canisio scripto, quod exstat in Can. 43 in folio in 4° duplici eoque separato. Exhortationem hanc ex eodem commentario haustam, nonnihil tamen politam posuit *Schlosser* 321—326.

Canisius ad collegii Socios de votorum renovatione dicit.

Canisius ultimis diebus m. Decembris a. 1586 Friburgi ad Socios collegii exhortationem „de renouatione uotorum" religiosorum habuit. In cuius exordio iis in memoriam revocavit annonae caritatem, qua Friburgum eo anno laboraverat [1], et pestilentiam, quae „uicinis etiam in locis et alibi pullulat, et sequenti anno magis saeuiet ut praedicunt Mathematici, multa mala nobis de anno futuro pollicentes." Deinde ait: „Est et hoc speciale anno praesente quod litteras Patris Generalis et Prouincialis [2] accepimus, quibus serio excitamur ad spiritualis uitae studium et perfectionem ut u o c a t i o n e s u a d i g n e quisque a m b u l e t [3]. 2. Vt in fraterna charitate cuncti [a] sedulo se exerceant, nullam admittentes [b] differentiam nationum et personarum. 3. Vt crescamus in uera deuotione et ueneratione sanctissimae Virginis. 4 Vt specialiter Deo commendemus regna Chinensium, quae per nostros ad ueram fidem conuertuntur. Praeterea inter alia [c] scribit illic Pater noster Generalis inexcusabiles nos esse, si acceptam in societate gratiam et cognitam Dei uoluntatem non sedulo exequamur. Ac iubet etiam ut omnes qui gratiam Iubilaei a Pontifice [4] nobis concessam consequi cupiunt ut minimum octo diebus in meditationibus exerceantur [5], et ita se colligant et uniant cum Deo." Deinde Canisius varia commemorat, quae praeparationem ad votorum „futuram renouationem" atque ipsam renovationem spectant. In quibus haec notatu digna sunt: Renovaturi recogitant quomodo post ultimam renovationem se gesserint, „et idcirco multi etiam scribunt sua peccata. . . . Vnusquisque si potest [c] [6], formulam uouendi scribit, et ex chartula legit circa communionem, et ita renouat uota. Quae omnia debent tanto deuotius fieri, quoniam in principali festo nostrae Societatis et nominis Iesu fiunt ad altare, et specialiter ipso Christi Iesu sanguine tum primum fuso sanctificantur" [7].

Exhortationis huius commentarium in codice inscriptum est „De renouatione uotorum a. 87." In ea autem actum esse de votis 1. Ianuarii 1587 renovandis ideoque exhortationem ipsam exeunte a. 1586, non 1587, habitam esse intellegitur ex commemoratione litterarum a Claudio Aquaviva praeposito generali ad Socios datarum. Litteris enim Roma 19. Mai 1586 datis *Aquaviva* eos omnes et ad fraternam charitatem cultumque B. Mariae V. et ad animos iubilaeo per Sixtum V. concesso parandos exhortatus est simulque promisit, de huius praeparationis ratione ac modo ad praepositos provinciales „mandata perscriptum iri" (*Epistolae* Praepositorum Generalium ad Patres et Fratres Societatis Iesu, Antverpiae 1635, 156—190). In horum mandatorum (quae nunquam typis exscripta esse videntur) numero etiam precationem pro Sinensibus et exercitia spiritualia octo dierum fuisse censendum est; neque enim haec in litteris ad Socios omnes recta quasi via datis, quae modo dictae sunt, leguntur.

1422. 1587.

„SVMMA | DOCTRINAE CHRISTIANAE, EX POSTREMA RECOGNI- | tione Doctoris PETRI CANISII, | Societatis JESV Theologi. | ANTVERPIAE, | Ex officina Christophori Plantini, | Architypographi Regij. | M. D. LXXXVII."

a) *Hoc v. a C. ipso additum est.* b) *Sic C. ipse correxit ex* admittens. c) *Haec 2 vv. ab ipso C. addita sunt.*

[1] Vide supra p. 670 671.

[2] Claudii Aquavivae et Ferdinandi Alber. Vide, quae sub ipsam hanc exhortationem dicentur. [3] Eph 4, 1. [4] Sixto V.: v. supra p. 668.

[5] I. e. exercitiis spiritualibus, quae nunc vocamus, vacent.

[6] Erant tunc inter fratres laicos qui scribere non poterant.

[7] Renovatio igitur futura erat die sacro Circumcisionis Christi sive Kalendis Ianuariis.

16°: pp. numeris signatae 392 addito folio titulari; praeterea in extremo libro 12 ff. non sign. In pagina aversa folii titularis summa privilegii a Philippo II. Hispaniae rege concessi. Sequuntur Plantini litterae dedicatoriae ad Philippum II. a. 1566 datae, Canisii praefatio ad Colonienses, Ferdinandi I. et Philippi II. edicta a. 1560 et 1557 data, catalogus Patrum et conciliorum, conspectus rerum (cf. *Can.* V 814). P. 365–392 appendix de hominis lapsu et iustificatione. In duobus foliis proximis „Auctoris confessio" (cf. *Can.* VI 745). Sequitur index alphabeticus rerum. Librum vidi Londini in museo britannico. Idem exstat Berolini in bibliotheca nationali (Ep. 3732), Cracoviae in bibliotheca universitatis, Dilingae in biblotheca seminarii clericalis, Parisiis in bibliotheca nationali (D. 2768). Editionem commemorat *Sommervogel* II 625.

1423. 1587.

Canisii „Parvus Catechismus Catholicorum" latine Antverpiae et Parisiis, germanice Dilingae editur, in Hollandia adhibetur.

1. *De Backer* I 1060 posuit: „Institutiones Christianae pietatis, seu parvus Catechismus Catholicorum auctore P. Canisio S. J.: accedunt preces horariae. Antverpiae, ex officina Christophori Plantini. 1587. 16°." Eandem editionem brevius posuit *Sommervogel* II 637.

2. „PARVVS | CATECHISMVS CATHOLICORVM, | NVNC PRIMVM INTEgritati suæ restitutus, & singu- | lari auctoritate Sac. Cæs. | Maiest. editus. *Auctore Petro Canisio, Societ. nominis | Iesu Theologo.* | PARISIIS, | Apud Thomam Brumennium, in clauso | Brunello, sub signo Oliuæ. | M. D. LXXXVII."

18°: ff. signata (addito titulari) cernuntur in exemplo, quod huic descriptioni adhibitum est, 31; in huius tamen fine unum saltem folium deest: f. 2 Canisii praefatio Augustae Vindelicorum m. Maio 1561 data; f. 3ª—28ª Catechismus; f. 28ª—31ᵇ Testimonia Scripturae contra haereticos; sequitur „Diplomatis Caesareae Maiestatis Summa." Exemplum modo descriptum exstat Parisiis in bilbiotheca nationali (D. 27 759). *Sommervogel* hanc editionem non posuit.

3. „Der Kleine | Catechismus, oder kur- | tze Summa deß wahren | Christlichen vnd Catholi- | schen Glaubens. | Mit angehencktem Calen- | der vnd nutzlichen Gebetten, | zu täglichem gebrauch sehr | dienstlich. | Auch kurtzer vnderricht von der | Beicht, vnnd wie man sich in empfa- | hung deß hochwürdigen Sacra- | ments deß Altars, Christlich | halten soll. | Alles mit hohem fleiß von newem | gemehrt vnd gebessert. | Gedruckt zu Dilingen, durch | Johannem Mayer. | 1587." Versus 1, 2, 6, 10, 15, 17, 18 rubri sunt.

16°: ff. non signata, addito titulari, 115. F. Aijª—A iijª: „Petri Canisij, der Heyligen Schrifft Doctors, Vorred". Praefationi huic nec locus nec tempus ascripta sunt. Quae incipit: „Freundtlicher, lieber Leser, man hat diss Büchlein vormals offt getruckt"; terminatur: „Herren vnd Hayland Amen". F. M 8ª—O 8ª precationes. Sequitur institutio ad sacramenta confessionis et communionis recte suscipienda. Librum vidi Monachii in bibliotheca nationali. Eandem posuit *Sommervogel* II 644.

4. Hoc anno 1587 ministri aliqui Calvinianorum ad ordines Hollandiae detulerunt, Leidae (Leiden) et Vespae (Wesp) scholas haberi, in quibus „catechismus iesuiticus" (qui certe erat catechismus Canisii) explicaretur (*Limburg's Jaarboek* I. II., Roermond 1894, 722[1]).

1424. 1587.

„Epistolæ et Evangelia, Qvæ Dominicis, Et Festis diebus, de more Catholico in Templis recitantur. Accedit parvus Catechismus D. Petri Canisij. Posnaniæ. Excudebat Ioannes Wolrab, M. D. LXXXVII, 8°, ff. 240." Haec mecum a. 1889 sic communicavit P. *Carolus Sommervogel* S. J. Qui huius editionis mentionem fecit II 673.

1425. 1587.

Canisius „Manuale Catholicorum" Friburgi Helvetiorum et Ingolstadii edit. Laudes ei tributae.

1. „MANVALE | CATHOLICORVM | IN VSVM PIE PRE- | CANDI COLLE- | ctum. | ET CVM ROMANO | *Calendario nunc primùm* | *editum.* | FRIBVRGI HELVETIORVM. | Typis Abrahami Gemperlini. | CI). I). LXXXVII." Versus 1, 2, 6, 9, 11 rubri sunt.

16°; paginae numeris signatae 457; praeterea ff. non sign. in initio 17 (addito titulari) et in fine 6. Liber multis imagunculis ligno incisis ornatus est. In extremo libro conspectus rerum et „errata" posita sunt. In hac editione nec Canisii nomen, nec litterae dedicatoriae ad cardinalem Philippum Bavariae ducem cernuntur, quas editio eodem anno Ingolstadii facta habet. Id autem factum esse puto, quo facilius et latius hoc „Manuale" per Helvetiam disseminari posset; Canisii certe et cardinalis Philippi nomina protestantibus Helvetiae ingrata erant. Exemplum huius libri vidi Friburgi Helvetiorum in bibliotheca reipublicae; in cuius folio titulari scriptum est: „Collegij Societatis JESV Friburgj. 87." Liber exstat etiam Monachii in bibliotheca nationali (Ascet. 3038). Editionem posuit *Sommervogel* II 677; qui tamen haud recte affirmat, in ea esse litteras dedicatorias, quas modo dixi.

2. „MANVALE | CATHOLICORVM | *IN VSVM PIE PRE-* | *candi collectum,* | A R. P. PETRO CANISIO | SOCIETATIS IESV. | *CVM CALENDARIO* | GREGORIANO. | INGOSTADII [*sic*]. | Apud Dauidem Sartorium. | *Anno M.D.LXXXVII.*"

16°; pp. sign. 424; praeterea ff. non sign. in initio 24 (addito titulari) et in fine 4. F. *2a—[*6a] litterae dedicatoriae; quas vide supra p. 256; f. [*6b]—**3a tabulae litterarum dominicalium, numeri aurei, epactarum, festorum mobilium etc.; f. **3b—[***8b] „Calendarium Romanum". In fine f. d 5a—[d 8a] Index. Liber habet imagunculas aliquot ligno incisas et continet, praeter alia, „Horas septem de aeterna Sapientia", longam quandam „precationem" S. Thomae Aquinatis, Passionem Domini secundum Evangelium S. Ioannis, „Officium de sancta Cruce", orationes „pro ciuilibus Magistratibus et Principum Consiliariis", „pro aduersariis Ecclesiae Catholicae", „Litaniam de sacrosancto nomine Iesu" (ab ea, quae nunc recitari solet, nonnihil diversam), litanias lauretanas, litanias Omnium Sanctorum. In fine (f. d 5a—[d 8a]) Index. Librum vidi Friburgi Helvetiorum in bibliotheca cantonali (G r 2624). Idem exstat Tubingae in bibliotheca collegii Guilielmini (Wilhelmsstift). Editionem breviter posuit *Sommervogel* II 677.

3. Exstat liber „Promptuarium Catholicae Devotionis, selectissimas orandi formulas continens, ex optimis quibusque auctoribus sacris congestum, opera *Dauidis Gregorij Corneri,* Silesij. Cum licentia Superiorum. Editio absoluta. Monasterii Westphaliae. Anno M.DC.XXV." In libri praefatione Cornerus indicat, quibus usus sit auctoribus. Commemorat Ioannem Iustum Lanspergium O. Cart., Ioannem Fabrum O. Pr., Ludovicum Blosium O. S. B. etc. Deinde (f. :) 5a) scribit: „Prodiere denique (vt compendium caeterorum faciam) e Soc. Iesu familia quam plurimi, qui, vt in aliis, ita hic quoque facile palmam inter recentiores obtinuerunt. Petrus Canisius celeberrimus ille Theologus, et de Catholica Christi Ecclesia praeclarissime meritus, Manuale condidit Catholicorum, in vsum pie precandi conscriptum, quod merito piorum manibus manuale fuit, et est." Praeterea exstat eiusdem „Promptuarii" editio Ingolstadii a. 1614 facta; in cuius praefatione (f. + 4b) „Pragae e Collegio conuictorum Soc. Iesu" 25. Martii 1610 data *Cornerus* Canisio eiusque „Manuali" easdem prorsus laudes tribuit, atque in editione illa monasteriensi. David Gregorius Cornerus sive Korner (1587—1648) Hirschberga (Hirschberg) in Silesia ortus, cum aliquamdiu parochum egisset, ordinem Sancti Benedicti ingressus est. Is et verbis et scriptis magnam operam dedit catholicae religioni in Austria instaurandae, pro qua etiam vincula sustinuit. Anno 1636

abbas gotvicensis (Göttweig) electus est. Optime meruit colligendo sacra carmina germanica, quorum corpus a. 1625 et 1631 ab eo editum „Gross Catholisch Gesangbuch" omnium eiusmodi librorum, qui saeculis XVI. et XVII. in lucem prodiere, maximum et optimum est (*G. Westermayer* in „Allgemeine Deutsche Biographie" IV 498—499. *Meister*, Kirchenlied I 75—79. *Magnoald. Ziegelbauer* O. S. B. et *Oliv. Legipontius* O. S. B., Historia rei litterariae ordinis S. Benedicti II. Augustae Vind. et Herbipoli 1754. 219).

1426. 1587.

Meditationes etc. B. Nicolai a Rupe cum vitis SS. Beati et Meinradi, a Canisio denuo recognitae, Ingolstadii eduntur.

„Zwey vnd neuntzig | Betrachtung vnd Ge= | bett deß Gottseligen fast an= | dächtigen Einsidels Bruder | Clausen von Vnder= | walden: | Sambt seinen Lehrē, Spru | chen vnd Weissagungen, von | seinem Thun vnd Wesen: | Neben angehängtem kurtzen be= | richt, was von jhme einmal | zuhalten sey: | Auch von zweyē andern namhafften | vnd seligen Einsideln S. Beat | vnd S. Meynrat: | Durch | Den Ehrwirdigen vnd Hochgelehr= | ten Herrn D. Petrum Canisium d. Societet | Jesu Theologum, von newem cor= | rigiert vnd gebessert: | An jetzo zum andern mal im Truck | außgangen. Getruckt zu Ingolstatt. Anno 1587." Versus 2. 3. 7. 10. 13. 17. 23 rubri sunt.

16°; paginae litteris signatae 134; praeterea in initio 4 ff. non sign. (addito titulari); in quibus est praefatio, cui nec locus nec tempus ascripta sunt. Libellus duas habet imagines ligno incisas, quae dimidias fere paginas occupant. Plura vide supra p. 698. Librum vidi Monachii in bibliotheca nationali. Editionem posuit (minus accurate) *Sommervogel* II 676—677.

1427. 1587.

Num Canisius vitam S. Meinradi etc. sive „Chronicon Einsidlense" a. 1587 Friburgi ediderit.

Exstat opus: „Warhafftige vnd gründliche | Histori, vom Leben | vnnd Sterben deß H. Einsidels | vnd Martyrers S. Meinradts, Auch von dem An= | fang, Auffgang, Herkommen vnd Gnaden der H. Wallstatt vnd | Capell vnser lieben Frauwen, Deßgleichen von der ordentlichen | Succeßion aller Prelaten desselben Gottßhauß zu den Einsidlen, | sampt etlichen herrlichen Wunderwercken, die Gott der | Herr allda durch sein gebenedeyte Mûtter Maria gewirckt hat. | Mit angehenckten Leben vnd Ley= | den der vbrigen Patronen desselben Gottßhauß, nem= | lich, Deß heiligen Martyreres vnnd Hauptmanns S. Mauritzen | sampt seiner Gesellen, S. Sigmunds, S. Justen deß neunjäri= | gen Knabens, S. Gerolds deß Einsidels, vnnd Sanct | Wolffgangs Bischoff zu Regen= | spurg. | Auffs neuwe gemehrt vnd mit fleiß vbersehen. | Gedruckt zû Freyburg in der Eydgnoschafft, | bey Abraham Gemperlin, CIↃ. IↃ. XXCVII" (4°; pp. sign. 91 et 141; ff. non sig. 19).

Opus hoc *Sommervogel* II 679 in numero librorum a Canisio editorum ponit. Ex ipsa tamen ratione, qua id facit, cognoscitur, eum opus ipsum non vidisse et ad id Canisio attribuendum inductum esse auctoritate *Catalogi* bibliothecae friburgensis typis exscripti in quo editio haec Canisii nomini addicitur (*Catalogue* de la Bibliothèque Cantonale de Fribourg. T. I., Fribourg 1852, p. 476 n. 2588). Neque vero hac in re fide dignus est Catalogus ille; quem haud ita diligenter compositum esse ex viro rerum illius bibliothecae peritissimo accepi. Certe neque in opere ipso, neque in aliis monumentis eiusdem temporis sive manu scriptis, sive typis exscriptis, neque in Societatis bibliographiis, quae opus Patris Sommervogel praecesserunt, neque in Canisii vitis haec editio tribuitur Canisio. In operis praefatione ex Eremo Deiparae Matris 10. Augusti 1586 data *Udalricus Witweyler* abbas ait: Se, superiorum abbatum exemplum secutum, vitam S. Meinradi fundatoris, quod exempla eius typis exscripta iam praesto non fuissent, piorum rogatu denuo prelo commisisse; reliquorum quoque patronorum einsidlensium vitas a se additas esse; prodigia vero sacro eo loco patrata iussu suo F. Ioachimum Müller, monachum parochumque einsidlensem, diligenter

collegisse et descripsisse. Sequitur admonitio ad lectorem satis longa, quae et ipsa a Witweylero subscripta est. Neque ulla, quod equidem noverim, Canisii mentio in toto illo libro fit. Prodiit a. 1648 Lucernae pretiosum opus a. P. *Henrico Murer* (1588—1638) cartusiano ittingensi conscriptum: „Helvetia sancta, seu paradisus Sanctorum Helvetiae florum; das ist ein heyliger lustiger Blumen-Garten vnnd Paradeiss der Heyligen.“ In eo Murer (qui in Societatis Iesu collegiis lucernensi et bruntrutensi litteris operam dederat), ubi de SS. Ida, Fridolino, Beato, Mauritio scribit, horum vitas a Canisio compositas singillatim recenset; cum autem de S. Meinrado agit, omnes quidem libros de eo scriptos enumerat, atque in his etiam „die klein teutsche Einsidlische Chronik im Jahr 1587 . . . getruckt“ (qui est liber, quem supra descripsi); neque tamen Canisium hoc chronicon edidisse significat (p. 145). Ita etiam *G. E. von Haller*, cum editionem illam admodum accurate describit, de Canisio silet (Bibliothek der Schweizer-Geschichte III, Bern 1786, 385—388). Similiter silet P. *Gallus Morel* O. S. B., Das Büchlein vom Anfange der Hofstatt zu den Einsiedeln und die Einsiedlerchroniken vom 14.—19. Jahrhundert, in „Der Geschichtsfreund“ XIII, Einsiedeln 1857, 154—195. *Catalogi* illius friburgensis auctor in errorem inductus esse videtur eo, quod in ea bibliotheca vidit volumen illud, in quo vita S. Fridolini a. 1589 a Canisio edita iam antiquitus (in folio titulari legitur „Societatis Iesv Friburgj. 90“) conglutinata est una cum Chronico illo einsidlensi sive vita S. Meinradi etc. Caeterum etiam in secundo *Catalogo* bibliothecae collegii friburgensis circa a. 1627 incohato (v. supra p. 352) in Canisii libris ponitur „Histor. S. Fridol. Menrad. Iust. Gerold. Wolf. Frib. Helv. 1589. 4°.“

1428. 1587.

Molanus Canisium laudat eiusque catechismum Lovanii explicari testatur.

In opere, quod inscribitur „D. *Ioannis Molani*, sac. Theologiae Lovanii professoris, pontificii et regii librorum Censoris, De Canonicis Libri tres“ Coloniae Agrippinae a. 1587 edito, insignis ille Molanus (de quo *Can.* VI 667) sic scribit (l. 2, c. 25, p. 185): „Ferdinandus, Augustus Romanorum rex, conscribi curauit Catholicum catechismum, summam doctrinae Christianae complectentem, a Petro Canisio, Belga, excellentissimo Societatis IESV Theologo: et hunc, nullumque alium, in prouincijs suis Austriacis, et Comitatu Coritiae, per ludimagistros, praeceptores, ac paedagogos, pueris in scholis, publice, ac priuatim, proponi, praelegi, ediscendumque tradi, curauit. Quod Christianissimi Principis institutum, cum tam sanctum esset, vt externa nulla commendatione egeret, mox omnibus Christianis valde placuit. In nostra catholica et alma Vniuersitate Louaniensi statim assumpti sunt in omnibus paedagogijs, hoc est, in ijs scholis vbi grammaticalia et philosophica docentur, celebres Theologi, qui studiosos Dominicis et festis diebus in catechistica doctrina instruerent. Editumque Ferdinandi auctoritate Catechismum suo etiam edicto Philippus Austriacus, Catholicus Hispaniarum rex, et Belgarum princeps, publicauit.“ [1]

1429. 1587.

Ex opere „Stanislai Hosii Epistolae. Tomus I.“ Edd. *Franciscus Hipler* et *Vincentius Zakrzewski*, Cracoviae 1879, XVI—XVII XXVII.

Rescius, quanti Hosius Canisium et Canisius Hosium fecerint, narrat et Canisium laudibus extollit.

Stanislaus Rescius (Reszka) posnaniensis in clarissimi illius Stanislai Hosii episcopi varmiensis et romanae ecclesiae cardinalis, viri de ecclesia et republica christiana egregie meriti, familia per 20 annos, usque ad eius mortem, vixit, eius secretarium et „camerarium“ agens. Variis dignitatibus ecclesiasticis ornatus, post Hosii mortem Andreae Báthory, Stephani regis nepoti, qui postea cardinalis factus est, „vitae et

[1] Philippus II. a. 1559 Canisii catechismum, huncque solum, in omnibus Belgii scholis explicari iusserat (*Can.* VI 706).

morum rector" fuit et compluribus regum polonorum legationibus functus est, vir a Sancto Carolo Borromaeo, cardinali Baronio, Clemente VIII. papa ob morum integritatem et insignem eruditionem magni aestimatus. Is, praeter alia opera, Romae a. 1587 edidit librum „D. Stanislai Hosii S. R. E. Cardinalis Maioris Poeniten. et Episcopi Varmiensis, Vita. Auctore Stanislao Rescio, Protonotario et Referendario Apostolico", quem Sixto V. dedicavit. Liber a. 1591 per Io. Bapt. Ficklerum Ingolstadii germanice editus, latine autem Olivae a. 1690 iterum typis exscriptus est; tandem eum, quia nunc rarissimus est, denuo ediderunt Hipler et Zakrzewski in opere quod supra dixi, editionem principem per omnia, praeter interpungendi rationem, diligenter secuti. *Rescius* igitur in hac Hosii vita (lib. 1, c. 14) de eo narrat: „Viros doctos, religionis Cathol. defensores, veri verbi Dei veros et legitimos ministros ubique quos posuit libentissime salutavit, amicitiae fundamenta iecit, ope, opera, consilio, auxilio re iuvit: de pace religionis, de haeresibus extirpandis, de scripturarum locis, de haereticorum argumentis, de omni artificio Ecclesiae Dei tranquillandae sollicite consuluit, et, ut ex omnium sermonibus et vitae ratione quotidie proficeret, laboravit: inter quos fuerunt doctissimus ille Dominicus de Soto, Roardus Tapper, Petrus Canisius, Fridericus Staphylus, Martinus Eseingreinius, Vitus Amerbachius et alii nonnulli, qui vicissim Hosium, illam antiquae pietatis imaginem, sic intuebantur, ut quendam ex annalium Ecclesiasticorum memoria, aut de coelo in terram delapsum divinum hominem putarent." Alio deinde huius libri loco (l. 1, c. 20) Canisius a *Rescio* vocatur „vir doctissimus et omnibus pietatis artibus instructissimus, strenuus Ecclesiae Dei contra omnes inferorum portas propugnator et utilissimus Iesu Christi servus Petrus Canisius, S. Societatis Iesu Theologus."

1430. 1587.

Orationes sacrae a Canisio habitae. Xenia. Contiones quadragesimales de Iona propheta. Querelae de Friburgensium neglegentia aliisque vitiis. Crimina per magistratus punienda. Misericordia in pauperes et infirmos exercenda. Filii probe educandi. Quid tempore communis calamitatis agendum? Orationes communes. Templum S. Mariae in Monticulo. Cultus Sanctorum. Pietas erga mortuos.

Canisius Friburgi anno 1587 contiones fere 40 easque maximam partem in templo primario S. Nicolai diebus festis habuit. Reliquas diebus dominicis et operosis habuit. Paucas habuit in templis B. Mariae V. Friburgi et Monticuli constitutis. Contionum commentaria nonnulla, ex parte saltem, ipsius manu, reliqua manibus librariorum scripta et ab ipso emendata sunt.

„In principio anni 87" sive 1. Ianuarii 1587. „Dicam 1 de Euangelio [festi Circumcisionis Domini]. 2 Xenia inter status praecipuos distribuam. 3 nobis ad felicem annum necessaria indicabo." . . . „Für die Geistlichen Prelaten Seelsorger vnd Kirchendiener ja für die gantze priesterschafft. Zu einem neuwen iar schenckh ich ihnen ein schöne weisse Tauben . . . Für die weltlich Oberkheit. Disen Herren weiß ich nichts bessers zuwünschen vnd zu ein seligen iar schenckhen alß einen herlichen Adler . . . Für die Burger vnnd Burgersgenossen. Dise haben ihnen zu einem newen iar ein feinen grossen herrlichen Hirtzen mit seinen Hörner gezieret . . . Für Christliche Weyber. Die sollen ein khranchen ihnen für ir newies iar bhalten vnnd bei solchen feinen vogel lernen" etc. Haec deinde Canisius similiter interpretatur, atque xenia anni superioris explicaverat: v. supra p. 713) ex commentario a Canisio recognito. Can. 40 f. 226ᵇ—233ᵇ.

„In die Cinerum 1587" sive 11. Februarii 1587. „Tractatum fuit, Cur Catholicus contra mundi morem ex praecepto Christi gaudere et non tristari debeat, ordinationem Ecclesiae nunc auspicando et acceptando. 2 Quomodo Euangelio Christus retundat uarios errores aduersariorum Christiano ieiunio oblatrantium. 3. Cur electus Jonas ad explicandum per Quadragesimam." Ad tertiam hanc quaestionem Canisius

respondet: „Prima et principalis causa est mea promissio ante annum facta, et per occurrentem tunc aegritudinem impedita, ita ut nec dimidiam historiae a Jona descriptae partem potuerim absoluere. Aequum est igitur et iustum praestare promissum et hoc anno eandem materiam continuare." „Nonne et nunc multa et magna flagella Deus ostendit in signum iracundiae suae. En praesentem discordiam in fide. 2. En horrendam et insolitam caristiam. 3. En morbos passim grassantes, et cito extinguentes homines. 4. En asperam, longam et grauem hiemem ex qua multi pereunt. 5. En infortunia, quae experimur in nostris propositis, in rebus bellicis, in comitijs et alijs rebus agendis" ex comm.: l. c. f. 162b–166a.

„Prima concio in Jonam, propositio. Quoniam in proxima concione promisi hoc sacro tempore Jonam prophetam tractare, et quae anno superiore promiseram persoluere, pauca praefabor quid sentiendum de illius persona et conditione, quis nempe et qualis fuerit. Et deinde utilitatem libri eius et historiae proponam. Postea breuiter exponam summam 1i capitis, ut omnia rectius intelligant auditores. 4 quid inde nobis discendum ex comm.: l. c. f. 166b–169a. Contionem habitam esse sabbato post Cineres sive 14. Februarii 1587 colligitur ex contione proxima „Hesterna contio" etc.

„Dominica inuocauit" i. e. Dom. I. Quadragesimae sive 15. Februarii 1587. „de Euangelio" diei. Deinde: „Quid sentiendum de non ieiunantibus." „Scio me imbecillum et insufficientem, ad huic mundo persuadendum, ut ieiunium Quadragesimale libenter acceptent, et obedienter obseruent, sicut alias faciendum ostendi. . . . Dicam de communi grege catholicorum, nusquam alibi frigidiore, magis inuoluntario et inobedientiore, quam cum urgentur ad hoc ieiunium, quia omnes excusant sese." „Moneo tantum auditores de tribus. Primum ut hoc sacrum tempus sibi commendatum habeant, et certum ieiunandi ordinem instituant atque seruent. Qui non possunt quottidie saltem ter ieiunent hebdomadatim, nec solum a cibis et peccatis, sed etiam cum uera conuersione cordis et emendatione uitae. 2 Moneo, ut se humilient coram Deo et Dei uicario petentes absolutionem et ita Deo et Ecclesiae se reconcilient, ut certum signum habeant se participes [esse] passionis Christi, et suos etiam tempestiue ad confessionem instruendos mittant. 3. Exhortor omnes ad opera misericordiae, quibus egent nunc pauperes, et ad orationem pro ordinandis clericis in Angaria." In eadem contione facta est „Continuatio historiae Jonae. Hesterna contio assignauit multa et magna contineri illis uerbis Jonae dictis ad socios, T o l l i t e m e e t m i t t i t e i n m a r e" [Ion. 1, 12]. Explicantur deinde verba sequentia, Ion. 1, 12–14 ex comm.: l. c. f. 169a–172a.

„Proxime auditum est de miranda Jonae humilitate. . . . Nunc dicendum est de nautis et socijs in eadem naui connauigantibus." „Docentur hinc spirituales non seuere sed clementer agere cum lapsis iam poenitentibus. . . . Similes sunt nautis Magistratus saeculares ius gladij obtinentes ad puniendos malefactores ex officio ipsis commisso, sed qui tamen per se cuperent miseris parcere, et quantum in ipsis est, humanum sanguinem non effundere, si per iustitiam liceret, animo saltem lugent, et inuitj exequuntur suum officium." „Jn Euangelium Matt. 12" feria IV. post. Dom. I. Quadr. [1]. „Octo sunt dies, quibus poenitentiae tempus inchoauimus et primam de poenitentia contionem audiuimus." Contio igitur habita est 18. Februarii 1587 ex comm.: l. c. f. 172b–174a.

„Vltima concio in primum caput Jonae." „Hoc expendant superiores dissimulantes saepe peccata non unius sed multorum publica ut blasphemantium 2 fornicantium et adulterorum. 3 usurariorum et grauantium populum mendacijs, fraudibus et iniustitia. Cur tam multae ciuitates pereunt. 4 cur lepra malae doctrinae latius extenditur indies? Jonae tolerantur in naui, et sic omnes in discrimen ueniunt" ex comm.: l. c. f. 174b–176a. Contio habita esse videtur feria VI. post Dom. I. Quadr. sive 20. Februarii 1587.

„Jn festo S. Mathiae" sive 24. Februarii 1587. „Quomodo Euangelium dictum nobis in hoc festo utendum." „Ad meum Jonam redeo aggressurus initium secundj

[1] *Missale* Lausannense f. xxviiia.

capitis, illudque declaraturus. Dicam deinde, quomodo Jonas exemplo suo nos doceat praesentem crucem et poenitentiam nobis iniunctam ferre patienter. Jtem quomodo Dei potentia, sit ex hoc textu consideranda, nostraque fides exercenda in omni periculo" (ex comm.; l. c. f. 176^{b}–179^{b}).

„Dominica Oculi" i. e. Dom. III. Quadrag. sive 1. Martii 1587. Canisius primum evangelium diei interpretatus est. Dein: „Nunc", inquit, „causas exponemus cur Deus uoluerit orationem Jonae in uentre caeti factam describi et proponi Ecclesiae suae" (ex comm.: l. c. f. 179^{b}–182^{b}).

„Quid nos doceat Jonas orans in uentre ceti. Proxime tractarj coeptum est de oratione, quam Jonas in medio maris, imo in uentre coetj habuit." Hanc tractationem Canisius iam prosequitur (ex comm.: l. c. f. 183^{a}–184^{a}). Contio igitur habita esse videtur feria IV. post Dom. III. Quadr. sive 4. Martii 1587.

„Vltima concio de Jonae oratione." Ostenditur etiam: „Quid factum post Jonae orationem et gratiarum actionem" (ex comm.: l. c. f. 184^{b}–187^{a}). Contio habita esse videtur feria VI. sive 6. Martii 1587.

„Dominica Laetare" i. e. Dom. IV. Quadr. sive 8. Martii 1587. „Juxta ueterem et laudabilem morem essent mihi hac Dominica laetificandi et consolandi auditores mei quod hoc sacrum tempus bene expenderint, seque non solum in ieiunando sed etiam in alijs poenitentiae operibus ut obedientiae filij [1 Petr 1, 14] exercuerint iuxta illud Conuertimini ad me [Is 45, 22; Ioel 2, 12; Zach 1, 3].... Sed quomodo audeo contra conscientiam propriam eos auditores laudare, consolari non lugentes, non intrantes in templa, non pugnantes contra Satanam, non utentes armis, qui maiore ex parte digni sunt reprehensione, quoniam hoc sacrum tempus non optime peregerunt, siue spectemus ueterum studium in audiendo uerbo Dei, siue seriositatem in seruando ieiunio, siue curam in purgandis cordibus per confessionem, siue in cultu diuino frequentando. Friget proh dolor apud nos antiqua pietas. Viuimus magis secundum carnem quam spiritum [Rom 8, 1 4 12 13], non audientes in Ecclesia Spiritum, nullum obseruantes ordinem; ebrij et carnales manemus, grauantes audire dimidia hora concionem, et 4 uel sex horis sedentes in mensa · amara et fastidiosa sunt nobis quae contra ueterem Adam fieri debent, manemus in antiquo more, non curamus Ecclesiae ordinem. Studemus crapulae et ebrietati, non exercemus misericordiam erga pauperes, non deuotionem erga Deum, sicut extra sic intra Quadragesimam, nolumus ferre crucem et poenitentiae fructus edere. Nihilominus rogo pios et obedientes Ecclesiae filios, qui iam cum Deo se reconciliarunt, ut pergant in uia Dei et seipsos consolentur, non dubitantes ipsorum poenitentiam ipsis utilem et Deo Angelisque gratam esse. Bonorum operum gloriosus est fructus [Sap 3, 15]. Qui seminat in lachrymis [in exultatione metet. Ps 125, 5]. Qui iustus est iustificetur adhuc [Apc 22, 11] 2 Pigros et inobedientes atque hactenus dormientes hortor, ut surgant de somno et reliquam partem Quadragesimae melius instituant, et ex corde se conuertant ad Dominum, seque praeparent ad sanctum et foelix pascha. Tempus est de somno surgere [Rom 13, 11]. Exuite ueterem hominem [Eph 4, 22; Col 3, 9]. Tempus prope est [Apc 1, 3; 22, 10] imo ultima hora est in uinea laborandi [cf. Mt 20, 6 7]. Nisi poenitentiam egeritis [omnes similiter peribitis". Lc 13, 3 5]. Deinde Canisius ostendit: „Quomodo Euangelium [diei] monstret opera misericordiae et quid sentiendum de immisericordibus erga pauperes hoc tempore caristiae." Postea incipit „Caput tertium" Jonae interpretari (ex comm.: l. c. f. 187^{b}–192^{a}).

„Alia concio" de Jona, Ninivitas ad poenitentiam exhortato. Habita esse videtur feria IV. post Dom. IV. Quadr. sive 11. Martii 1587 (ex comm.: l. c. f. 192^{a}–197^{a}).

„De Rege Niniuitarum. Proxima concio nobis proposuit Niniuitas et miram eorum conuersionem." „Dicam de rege 2 de usu historiae" (ex comm.; l. c. f. 197^{a}–201^{b}). Contio habita esse videtur feria VI. post Dom. IV. Quadr. sive 13. Martii 1587.

Proxima hebdomade, quae erat „hebdomas Passionis", fortasse Canisius vel eius loco alius contionator de animis ad confessionem et communionem paschalem rite praeparandis dixit, sicut superioribus quoque annis fiebat.

In codice sequitur „Dominica Palmarum" sive 22. Martii 1587. Explicata „historia huius diei" Canisius ostendit: „Quid credendum et tenendum sit, de externis poenitentiae operibus quae catholici uel sua sponte uel ex commissione superiorum obseruant" (ex comm.: l. c. f. 201ᵇ—204ᵃ).

„Die Sancto Paschatis" sive 29. Martii 1587. „Propositio. Cur articulum fidei de Christi resurrectione pro magno precioso clenodio reputare debemus. 2 Quibus Ostern est inutile et noxium. 3 Quomodo Mariae [in evangelio diei] considerandae, ut ad paschale gaudium seruiant" (ex comm.: l. c. f. 204ᵃ—210ᵃ).

„Feria tertia Paschae" sive 31. Martii 1587. „De resurrectione mortuorum 2 quomodo competat omnibus. 3 quomodo tantum electis." „Quis usus doctrinae huius de resurrectione" (ex comm.: l. c. f. 210ᵇ—214ᵃ).

Sequitur in codice orationis „Jn festo S. Philippi et Jacobi" sive 1. Maii 1587 habendae commentarium ipsius Canisii manu scriptum; cui tamen idem adnotavit „Non est habita concio". „Multi", ait Canisius, „etiam nunc reperiuntur, qui cum Apostolis sunt tristes tum ob difficilem annonam, tum ob grassantem morbum in multis, tum ratione mirabilis temporis, in quo sentimus Reiffen vnd kalte lufft, schnewetter so windig, ut multi timeant magnum damnum in nouis frugibus" (l. c. f. 218ᵇ—219ᵇ).

„Jn die Ascensionis" sive 7. Maii 1587. „Propositio. Tractabo in hoc Euangelio Christum non solum consolari suos discipulos, sed etiam terrere ipsos et nos omnes. Vnde clare uidebunt omnes falso hodie affirmari Euangelium esse nudam promissionem gratiae, et quod solam fidem requirat. Postea dicam de Christi ascensione, quomodo ex illa damnum quidam, alij fructum capiunt hoc tempore." „Quomodo festum et Euangelium nobis hoc tristi tempore seruire possit ad ueram consolationem." „Notum de uicinis Burgundis, quod breui tempore amiserint centum millia per pestem perdita. 5. Intra biennium multos et praeclaros uiros amisimus. 6. Augentur omnium rerum pretia ut etiam utcumque diuites se et suos alere uix possint. 7. Bellum in Gallia nondum habet finem sed potius augetur, et magnam potest religioni detrimentum adferre. 8 Non dicam de fidei dissensione et quam parum sit speranda pax et fidelitas cum nostris uicinis" etc. (ex comm.: l. c. f. 219ᵇ—224ᵇ).

„Jn festo S. Nicolai" i. e. Translationis eius, sive 9. Maii 1587. „Luc. 13 de ficu infructuosa" [Lc 13, 6—9]. „Posset mirari aliquis, cur ego insolitum hoc Euangelium hodie mihi delegerim et uobis proposuerim, cum tamen secundum ordinem huius Episcopatus legi et cantari non soleat [1]. Respondeo, quod prioribus annis alia Euangelia de ueteri more tractauerim, et nunc istud acceperim, quod hodierno festo etiam bene conuenit, et ad nostrum patronum facile applicari potest imo docet quid de nostro patrono Nicolao credere et tenere debeamus. . . . Trifariam potest explicari et intelligi haec parabola. Primum ut ad Judaeos teste Ambrosio. 2. ut ad quemlibet nostrum secundum Theophilactum. 3 ut ad urbem Friburgensem referatur" (ex comm.: l. c. f. 225ᵃ—226ᵃ).

„Jn festo Pentecostes" sive 17. Maii 1587. Explicatur ratio diei sacri et evangelium eius. „Quomodo se habere debet erga Spiritum Sanctum, qui cupit eius fieri particeps?" (ex comm.: l. c. f. 233ᵇ—235ᵃ).

„Jn festo Apostolorum Petri et Pauli" sive 29. Iunii 1587. „Cur hoc festum ab omnibus fere Christianis magni faciendum et deuote celebrandum". „Quomodo ueri Catholici ex praesenti Euangelio uarijs modis in sua ueteri Catholica fide confirmantur". „Quomodo Euangelica historia de Petro consideranda, ut ad uitae correctionem nobis seruiat" (ex comm.: Can. 41 f. 2ᵃ—7ᵃ).

„Jn Festo Visitationis" B. Mariae V. sive 2. Iulii 1587. „Dicam de hymno Mariae ut vocant, Magnificat, cur illud magni faciendum, 2 tres partes in eo notandas esse maxime" (ex comm.: l. c. f. 7ᵇ—9ᵇ).

[1] In *Missali* Lausannensi huic diei assignatum erat evangelium Lc 12, 35—44 (f. CLVIIᵇ).

„Jn festo Sanctae Magdalenae" sive 22. Iulii 1587. „Bonae sum spei praesentes fere omnes cognoscere ex quibus causis spirituales hodie fecerint institui processionem, et nos in isto loco velint congregari. Quatuor huius rei sunt causae principales. Prima, quia non parum premit difficultas annonae Die theurung vnnd Hungers Noth. 2. Timor ne male cedat nouis fructibus aurae inconstantia. 3. Terret nos insolitus et uicinus belli apparatus, qui urbi, regioni et multis damnum adferre posset, ut cogamur etiam inter spem et metum haerere[1]. 4. Interior et exterior dissensio nos sollicitos reddit[2]. . . . Hae causae praegnantes sunt, quae superiores laudabiles nostros iure mouent ad processionem instituendam, et ad communem orationem saltem semel in hebdomada feria quarta faciendam. . . . Spero igitur quod nemo nostrum grauabitur tali processioni interesse, nec solum hoc die sed etiam per septimanam quotidie suas preces et ieiunium feria 6 offeret Deo, siue legat 5. Pater noster, siue Litaniam, siue septem Psalmos, siue aliud simile, nimirum ad Dei gratiam nobis, ciuitati, prouinciae et toti Christianitati obtinendam." (Alio eiusdem commentarii loco Canisius ait: „Suadeo, ut boni non solum hodie sed et quottidie orent et domesticos orare faciant hoc tempore periculoso, imo ut etiam orationem suam ornent et confirment ieiunio saltem diebus Veneris". Deinde explicat, „quomodo Magdalena inter alias beatas et laudatas feminas nobis chara esse, et in honore magno teneri debeat." „Cum tam multi hodie cum Magdalena peccent et remissionem cupiant peccatorum, cur pauci cum illa in uera poenitentia sine qua non obtinetur remissio sese exercent?" (ex comm.: l. c. f. 12ª—16ᵇ).

„Jn Festum Jacobi Apostoli" sive 25. Iulii 1587. „Cur nos Catholici maiorem causam habeamus de Apostolis gloriandi quam noui Christiani, et idcirco etiam Apostolorum festa libentius et laetius celebrare debeamus." „An uerum sit quod praetendunt Nouatores, Apostolos sanctos ab ipsis maioris aestimari et honestius teneri quam a Catholicis, ipsorumque doctrinam cum Apostolorum doctrina congruere magis, quam cum nostra Catholica doctrina." Ex evangelio denique diei Canisius docet, „quibus modis parentes peccent et se damnent circa filios." Vbi haec, praeter alia, monet: „Graue peccatum est, praesertim matres indulgenter educare, das sie so zart waicli vnnd schleckherhafftig aufferzogen werden, vnnd dess wollebens gewennen, früe wein sauffen, so kostlich vnnd prächtig kleidt gehn, das die medlein sich schmuckhen mit gold vnnd silber, das sie alß bald lernen dantzen springen vnnd singen. Jtem quod non corrigantur cum uirga" (ex comm.: l. c. f. 17ᵇ—22ᵇ).

„Jn Dominica 9. post Trinitatis" sive 26. Iulii 1587. Tres causae sunt bonis Christianis in hoc templo libentius hodie conueniendi et diuinum cultum complendi .1. hoc festum dedicationis annuum et idcirco legitur Euangelium de Zachaeo .2. propter

---

[1] In Gallia Hugonotti sub Henrico Navarrae rege calviniano cum Henrico III. Galliae rege et Guisiis sive „Liga" catholica bellum gerebant.

[2] P. *Ferdinandus Alber* praepositus provincialis 28. Februarii 1587 Friburgo, ubi collegii visitationem peragebat, Claudio Aquavivae praeposito generali *scripsit: „Friburgenses cum vicinis Bernatibus Calvinistis frequentes habent controversias ob injurias sibi illatas: quae in bellum tandem erupturae non immerito timentur, praesertim quod superiori hebdomade. Foederi, quod Bernates Friburgensibus astu intruserunt, pro defendendis ditionibus Bernatum, quas Duci Sabaudiae et Episcopo Lausannensi vi ademerunt, Domini Friburgenses legatione eo nomine ad Bernates missa, renuntiarint" (ex autogr.: Germ. 167 f. 87ª). Antiqua autem collegii friburgensis **Historia* haec habet de anno 1587: „Excitata est hoc eodem anno a discordiarum auctore Doemone, inter praecipuae dignitatis homines atrocissima seditio, ex qua clades plerisque impendebat: fuit in duas quasi partes distracta ciuitas, quarum utraque alteram de honoris gradu deijcere moliebatur: Praetor Tribunum; hic Senatores, et quotquot literarum, quibus Bernensibus pro conseruatione Episcopatus Lausanensis auxilium promissum est, auctores suspicabatur; sed a parte aduersa et multitudine et nobilitate superatus, non solum Tribunitia dignitate priuatus est, uerum etiam maximo bonorum luctu a Senatu exclusus" (Cod. friburg. „Hist. coll. Frib." p. 9).

festum S. Annae quae merito cum speciali deuotione coli debet ubi filia eius unica et illibata praecipue colitur, sicut et mater cum filia simul depingi et proponi solet[1] .3. propter Dominicam quae proprium habet Euangelium vonn dem Reichen Man vnd vngerechten Schafner. Ex eo maxime nobis commendo finem et summam Euangelij. Facite nobis amicos de Mammona iniquitatis [Lc 16, 9]. Tale autem Euangelium pulchre congruit cum Euangelio dicto de Zachaeo qui fecit sibi amicos de mammona iniquitatis, de dimidio bonorum [quod] dedit pauperibus [cf. Lc 19, 8]. . . . Haec mihi dant ansam hodie nobis commendandj habitantes hic pauperes leprosos, non ut dimidium bonorum illis communicetis sicut Zachaeus fecit, sed in anno saepius erga illos misericordiam uestram exerceatis, et illos faciatis nobis amicos, et per illos thesaurum nobis in coelo colligatis [Mt 6, 20][2]. Deinde Canisius evangelium de Zachaeo explicat et inprimis „de templi dedicatione" dicit (ex comm. l. c. f. 22^b^—26^a^). Ex orationis exordio plane cognoscitur, eam habitam esse in templo B. Mariae V., quod est in Monticulo sive in vico Bourgillon sive Bürglen; cf. supra p. 510. Plura vide infra, monum. 1439.

„Jn festo Natiuitatis Mariae" sive 8. Septembris 1587. „Duplicem ob causam in hoc templo congregamur, primum ratione festi in hac aede Virgini dedicata sicut maiores nostri deuote fecerunt hic matrem Domini specialiter honorantes quamdiu stetit hoc oppidum .2. propter processionem hebdomadatim institutam ad orandum Deum hoc tempore, quod merito ad orandum nos excitare deberet. . . . Debet quilibet ponderare quam male et periculose modo uersemur in Heluetia. Nam his annis durat fons malorum i. e. destructio Politiae, nouitas et dissensio in religione .2. mala crescentia in arboribus frumentis et vineis · unde mira charistia secuta .3. aer corruptus generans pestem nunc repullulantem .4. Consilia inauspicata nullam pacem adferentia .5. bellum ingens et ignis uere inextinguibilis per potentatos .6. perpetuus timor et anxietas ut neque pacem neque bellum habeamus. . . . Ecclesiasticorum est ut orent et offerant pro peccatis [Lv 5, 6 8; Hebr 5, 1 etc.]. . . Magistratuum est, ut se ostendant ministros Dei [Rom. 13, 4 6] praecipue ad uindictam malefactorum et idcirco punire habent publica peccata in coelum clamantia (Gen. 4, 10; Iac. 5, 4) et aerem corrumpentia et generantia omne malum. Peccata haec sunt blasphemia, perfidia, adulterium, fornicatio, furtum, usura, odium, inuidia, quae tanto magis nocent communitati quo magis tolerantur et impunita manent nullaque poenitentia depelluntur · 3. diuitum est se corrigere in immisericordia et tyrannide erga pauperes ·4. ciuium et mercatorum est sine ira et inuidia charitatem fraternam exercere, priuatas dissensiones relinquere, cum offensis se reconciliare, nec locum dare usuris malisque contractibus .5. militum est non prodire contra hostes nisi prius facta pace cum Deo per contritionem et confessionem ita ut in timore Dei utantur armis, et cogitent ueram causam accipiendi et merendi stipendium .6. mulierum est ad Deum confugere cum maiore sollicitudine . . . 7. magni et parui diuites et pauperes audiant Prophetam consulentem Scrutemur vias nostras et reuertamur ad Dominum [Thren. 3, 40] · ad hoc iuuaret etiam bona consuetudo quae in multis locis recepta est quod publicam orationem instituant aliquot diebus ad impetrandam gratiam cum urget ingens et publica necessitas." Deinde ostendit Canisius: „Cur hoc festum honeste et festiue sit celebrandum"? „Quid sit respondendum Nouatoribus contra hoc festum et Mariae cultum sese opponentibus?" „Aperta calumnia est", ait, „quod asserunt nos Mariam pro Dea tenere et idololatriam exercere cum illam inuocamus et ita nos matrem Christo praeferre vnnd [ihn] hinder den Offen setzen · semper enim Catholici latriam uni Deo ascripismus et Christum

---

1 Festum S. Annae fit 26. Iulii. Monticuli praeter ecclesiam B. Mariae V. exstabat sacellum S. Annae; quod saeculo XIX. sublatum est (*Ch. Raemy*, Bourgillon, in „Bulletin littéraire et scientifique suisse" VIe année, Fribourg 1882, 15—16).

2 Anno 1589 Friburgenses permiserunt, ut in posterum valetudinarii huius famulus singulis diebus dominicis per urbis vias, campanulam pulsans, circumiret et stipem pro infirmis suis colligeret (*Ch. Raemy* l. c. 15—16).

solum facimus redemptorem qui nobis peccata [illegible] gratiam, qui saluet et damnet homines. Solum Deum adoramus [illegible] et Christum pro sole, Mariam pro luna tenemus. Mariam uero sanctis alijs et creaturis praeponimus quantum ad cultum venerationis." [illegible] Canisius [illegible] multi Catholici circa Mariam se male gerant" [illegible]. Habita est igitur haec oratio non in templo S. Nicolai, ubi Canisius [illegible], sed in aede B. Mariae V.

"Jn festo S. Matthaei" Ap. sive 21. Septembris 1587 Canisius evangelium diei [illegible] ex comm.: l. c. f. [illegible].

"Jn festo S. Michaelis" sive 29. Septembris 1587. "Quid David [illegible] de Angelis nobis tribuat dicens · Mandauit etc." [Ps. 90, 11–13]. "Q[illegible] Angelis praecipue placent et cum illis in coelo magis [illegible]." "De [illegible]" ex comm.: l. c. f. 39a–41b.

"Dominica 19." post Trinitatis sive 4. Octobris 1587. Ex evangelio [illegible] Matth. 9, 1–8 Canisius explicat: "Ob vergebung der sünd so balt dem menschen widerfahre wie die Neue welt achtet vnd glaubet." "Wie man nutzlich bedencken soll das Exempel deren frommen Leuten welchen den Bethrisen vor Christo brachten." "Wie sich die gesunden vnd Krancken bey dem heutigen Euangelio [illegible], was sie zur zeit ihrer kranckheit thun vnnd lassen sollen" (ex comm.: f. 42–[illegible]).

"Dominica 20. post Trinitatis" sive 11. Octobris 1587. "Dicam primum de confirmantibus fidem nostram [illegible] Euangelio contra [illegible]. Dicam secundo. Cur multi uocati et pauci electi [Mt 22, 14]. Dicam 3 de motiuis ad timoratam [illegible]" ex comm.: l. c. f. 47–51.

"Dominica de [illegible]" [illegible] 22. post Trinitatis sive 25. Octobris 1587. Canisius primum explicat evangelium; ubi haec, praeter alia, queritur: "[illegible] est, quod in concepto rancore et odio contra proximum procedimus ad [illegible]. Du Narr, Dieb, Schelm, Bosuicht, Ehrloser, optamus illi mala omnia, et si possemus in cochleari submergeremus, imo non abstinemus a blasphemijs. [illegible] est quod manibus et pugnis percutimus, et nos uindicamus contra proximum, ac si essemus canes, lupi, ursi, leones et non homines. Quam multi habent in ore, Jch wär ihm vergelten. Si remittam, non tamen obliuiscar. Nolunt aspicere, salutare, colloqui. . . . Sequamur laudanda nostrorum maiorum et uere piorum exempla, qui in more habuerunt et adhuc habent, cum mutuo a se discedunt, ignoscentiam petere. 2° solebant in salutando se inuicem osculari. 3 confessuri peccata [illegible]. 4 morituri petunt a praesentibus et alijs ignosci sibi, et [illegible]." Deinde Canisius auditores monet, appropinquare diem festum Omnium Sanctorum et Commemorationem omnium fidelium defunctorum; hortatur [illegible] dies recte agendos confessione et communione se [illegible] ecclesiam recte agere, cum dies illos celebret (ex comm.: l. c. f. [illegible]).

"Jn festo SS. Simonis et Judae" sive 28. Octobris 1587. [illegible] 1° ubi proxime promisi, ex quo fundamento Catholicus [illegible] debeat. 2 quid illum confirmare debeat [illegible] locum non tribuat, cum disputant contra Sanctorum cultum, et bona opera quae fiunt pro animabus defunctorum" (ex comm.: l. c. f. 58a–59b). Ex proxima orat[illegible] orationem hanc in aede B. Mariae V. habitam esse.

"Jn festo Sanctorum" Omnium sive 1. Novembris 1587 Canisius evangelium diei explicat et "repetitionem dictorum de cultu Sanctorum" [illegible]: "Qui meam ultimam concionem apud D. Virginem audi[illegible] possunt" etc. Deinde ostendit, "qui in Sanctos [illegible] ab illis fructum percipiant." In horum numero [illegible] machen sie vngeburlich blos uppig vnd gar welt[illegible] quasi fuissent grobe, frechen, stoltzen und [illegible]." "[illegible]

[illegible]

hoc festum et Sanctos omnes sibi utiles reddet." „Quomodo inuocandi Sancti". „Quae a Sanctis petenda cum inuocantur" (ex comm.: l. c. f. 60ᵃ—64ᵇ).

„Jn die animarum" sive 2. Novembris 1587. „Qui sit mos Ecclesiae Catholicae ut curam habeat defunctorum." „Quid Catholicum confirmare debet in frequenti oratione, et deuotine pro iuuandis animabus." „De abusibus hic occurrentibus." In his Canisius, praeter alia, haec commemorat: „Credunt statim esse animam defuncti, So man in Haus ein Rumpeln hörett." „Sine deuotione accurritur von den Zünfften vnd Bruderschaften ad anniuersarium celebrandum magis ex more quam deuotione, et diligentius in hospitio quam in templo. Parum orant et cito abeunt, quaerunt et quidam honorem si multos habent socios cum offerunt ad quinque altaria Ein faulen falschen Kartt." „Peccant nimiam pompam adhibentes funeri, treiben eitelen bracht vnd pomp über die Landes Ordnung." „Vbi antiqua pietas maiorum Friburgensium? Dominica die uesperi pulsari fecerunt in memoriam defunctorum, 2 feria 2 missam celebrari fecerunt [1], 3 Libenter uisitarunt die beinheusser, et orarunt, 4 Coniuges diu luxerunt, nec statim iterarunt coniugia, 5 orarunt audientes pulsum pro mortuis factum 6 instituerunt Missas, altaria etc." (ex comm.: l. c. f. 65ᵃ—67ᵇ).

„Jn festo S. Martini" sive 11. Novembris 1587. „De tribus praeceptis Christi cuique Christiano seruandis ex Euangelio" diei (ex comm.: l. c. f. 67ᵇ—70ᵃ).

„Dominica ultima" post Trinitatis sive 22. Novembris 1587. „Duplex Euangelium in Catholicis templis hodie legitur, unum ex Joannis sexto de Christo cibante populum in deserto [Io. 6, 5—14], alterum ex Matth. 24 [15—35] iam recitatum de fine mundi." Canisius relicto evangelio priore, quod habebat ritus lausannensis [2], explicavit alterum, quod habet ritus romanus (ex comm.: l. c. f. 70ᵇ—74ᵃ).

„Am ersten Sontag des Aduents" sive 29. Novembris 1587 Canisius contra „novatores" ecclesiam defendit sacrum hoc tempus singulari pietate observantem et ex evangelio auditores exhortatur, ut „adventum" magno studio animique fervore peragant (ex comm.: l. c. f. 74ᵇ—81ᵃ).

„Jn festo Conceptionis" B. Mariae V. sive 8. Decembris 1587. Canisius rationem diei festi declarat et quae „utilitates" inde inprimis pro parentibus et puellis et ad Adventus tempus pie peragendum oriantur, ostendit (ex comm.: l. c. f. 81ᵇ—86ᵇ). Plura vide infra, monum. 1447.

„Jn festo S. Thomae" Apostoli sive 21. Decembris 1587. Canisius ex evangelio diei dicit „de uera et falsa fide": deinde „Wie ein frommer einfeltiger Christ sich richten vnd halten soll bey seinem heiligsten Christag" (ex comm.: f. 87ᵃ—92ᵇ).

„Am heiligen Christag" sive 25. Decembris 1587. „Quomodo Pastores docent nos in Euangelio" diei. „Qui se priuant uero fructu festi" (ex comm.: f. 93ᵃ—98ᵃ).

„Jn Festo S. Joannis" Evangelistae sive 27. Decembris 1587 Canisius evangelium diei explicat et ex exemplo S. Joannis virginitatem laudat. In numero eorum, „qui peccant circa uirginitatem", ponit etiam „parentes cogentes filias inuitas uiuere in religione et uirginitate . . . quia non habent in hoc potestatem super proles" (ex comm.: l. c. f. 98ᵇ—103ᵇ).

1431. Initio a. 1587.

Ex autographo. Germ. 167 f. 140.

Calvinianorum ministri bernenses Socios friburgenses invitant, ut contra Musculum decanum suum scribant.

P. *Petrus Michael* S. J. collegii friburgensis rector Friburgo 8. Aprilis 1587 Claudio Aquavivae praeposito generali scripsit: Calvinistae helvetii „scripserunt nuper nostris familiariter, rogantes obnixe, ut librum ordinationum Reip: Bernensis, quam una mittebant, a Musculo [3]

[1] Cf. supra p. 627. [2] *Missale* Lausannense f. cxxxivᵇ.

[3] Abraham Musculus sive Mäußlin vel Müslin (1534—1591) Bernae ministrorum protestantium caput sive „summus decanus" erat (*Blösch* in „Allgemeine Deutsche Biographie" XXIII 97).

confectum acerrime oppugnarent, sed non alia de causa, quam ut confutatione edita, Bernatibus occasionem darent vineas Collegij hac ratione occupandi[1]. at nihil a nostris Ministris responsum est, sed literae R. D. Praeposito[2] Patronisque ostensae, illorum consilio hic conseruantur, ut cum opus fuerit Bernatibus in testimonium fraudis exhiberi possint."

In collegii friburgensis *Litteris annuis sub exitum a. 1587 datis haec ita narrantur: „Quod mirum dictu, ipsimet Ministri Caluiniani operam nostram implorant. Nam cum Respublica Bernensis Musculo authore quaedam ad sanctiorem et morum et uitae rationem instituendam Ministris seruanda tradidisset: En tibi non uulgaris Caluinianae Haereseos [minister] literas ad Collegium destinauit, petens et orans, ut ipsi quoque Ministrorum partes, contra Musculum tueremur, et quo rectius id muneris a nostris praestari posset, Commentariolos suos nostris legendos transmisit. Verum quia res periculi plena uidebatur, et ad fraudem composita, idcirco eidem nihil promissum" (ex apogr. eiusd. fere temp.: Cod. „I. 36" f. 29b; loco hoc usus est *Riess* 480). Certe si quid ministri illi ex Sociis friburgensibus sibi sperabant, ex Canisio sperabant: hic enim solus et theologiae doctor et scriptor erat.

1132. Initio a. 1587.

Ex autographo P. Michaelis, quod est in Germ. 167 f. 140b—141a, et ex litterarum annuarum apographo eodem fere tempore scripto, quod est in Cod. „I. 36" f. 30b—31a, et ex contionis apographo eodem fere tempore scripto, quod est in Cod. „I. 37" f. 1. Contionis apographo usus est *Riess* 481.

Friburgi aliqui dicunt, Societatis confessarios usum matrimonii prohibere, Socios foederis hispanici auctores esse, pecunias asportare, abigendos esse. Schnewly praepositus eos e sacro suggestu defendit.

1. P. *Petrus Michael* collegii friburgensis rector Friburgo 8. Aprilis 1587 Claudio Aquavivae praeposito generali scripsit: „Grauem perturbationem ferijs Paschalibus[3] attulit Collegio rumor falsissimus tota Vrbe de quodam ex Patribus diuulgatus, qui de rebus Matrimonij minus honesta rogasse coniuges ferebatur, sed eundem ita suppressit auctoritate sua, Vir Societatis nostrae amantissimus Reuerendus D. Praepositus[4], ut Patris innocentia cunctis probaretur. . . . Instructus praeterea amens a maleuolis, qui triduo ad raucedinem usque uociferatus est: cauete a JESVitis, auctores sunt ciuibus, ut Rege Galliarum[5] deserto, noua cum Hispano[6] foedera ineant: quibus rumoribus cum uulgi et quorundam nobilium animos, qui illius partes sequuntur, contra nostros exacerbatos aduerteret Quaestor[7], denuo fabricam[8] remorari uel etiam impedire molitus est: ac initio quidem clam auocare coepit murarios, deinde lapidum uecturas inhibere, denique in Senatu agere de fabricae dilatione. Sed patronorum nostrorum auxilio maxime uero industria Reuerendi D. Praepositi in irritum illius conatus cecidere, decretumque nulla habita ratione sumptuum in extrema etiam

---

[1] *Ferdinandus Alber* praepositus provincialis Friburgo 28. Februarii 1587 Aquavivae *scripsit: „Imminet Collegio, uel timetur probabiliter, damnum a Bernatibus inferendum, in Vineis suis, quae in Bernatum ditione, rectius in Episcopi Lausanensis ditione, a Bernatibus modo occupata, cum caeteris Monasterij [marsensis] bonis Collegio accesserunt, et ex quibus omne suum Vinum Collegium colligit. Has sibi Emphiteuticas Bernates sed falso pronuntiant" (ex autogr.: Germ. 167 f. 87).

[2] Petro Schnewly.

[3] Dominica Paschatis fuit d. 29. Martii.

[4] Petrus Schnewly, praepositus capituli S. Nicolai idemque vicarius generalis episcopi lausannensis. [5] Henrico III. [6] Philippo II.

[7] Ioannes Frůyo.

[8] Fabricam sive aedificationem collegii Societatis: v. supra p. 643.

rerum omnium penuria pergendum esse, absoluendumque quod Aedilis Pancratius Wildius priusquam e uiuis excederet, magna laude inchoauerat."

2. In *Litteris* annuis collegii friburgensis circa exitum a. 1587 datis haec narrantur: „Jnuenti sunt non pauci, qui falso nomen nostrum traducere moliti sunt, confessionem peccatorum odiosam reddere, nec ueriti in uulgus spargere Confessarios nostros Coniugatis continentiae legem indicere, quin imo ut nos Regi Galliarum exosos redderent, nouae confoederationis ab Heluetijs cum Rege Hispaniarum initae auctores facere [1]: amentem quendam subornare, qui Patriae proditores nostros clamitaret: denique in suspicionem apud plerosque uocare, quasi quotannis magnam pecuniae uim in Germaniam exportarent, ob eamque causam rationem expensi et accepti more aliorum Religiosorum Senatui reddere nollent. Taceo de haereticis qui denuo libro aedito in nostrum nomen petulanter debacchati sunt. Verum quo magis haereticis et maleuolis Societatis inuisa est hic opera, tanto gratior bonis Catholicis eadem accidit."

3. Exstat praeterea apographum inscriptum: „Pars concionis R. D. Praepositi in defensionem Collegij Friburgensis habitae." *Petrus Schneuly* eam Dominica II. post Pascha sive 12. Aprilis 1587 Friburgi in templo S. Nicolai habuisse videtur. In ea haec sunt: „Zu vnnseren Zeitten wißt ir wol, das ein Mietling, ein vnkeuscher verloffner Münch, ein reissender wolff [2] vnnder der Herd Christj erstanden ist Martin Luther, vnnd nach ime Caluinus, welche die vernünfftigen schäfflein der teutschen auff vil irrthumb, vnnd langstzuuor verdampten Ketzereyen gewisen. Aber eben zu derselben Zeyt hatt der gnedig Gott seiner verheissung nach, gesendet wahre hirtten, welche die verfüerten irrigen schäfflein widerumb auff die rechte weid deßs glaubens, vnnd zu dem wahren schaffstall der Römischen Kirchen bringen solten [3]. Vnnd wilst du wissen wer dise hirtten seyen, besihe die Histori vnnd geschicht schreiber, die werden sagen das es seyen die Jesuiter, welche eüch, O Friburger, von Gott, alß ir sie nitt begerett, nach sie selbs khomen wollten, durch verordnung Bäpst. Heiligk. [4] deßs Obersten Hirtens seind geschickt worden. Fragstu warzue? Jch antworte dir, das sie dich vnnd deine khinder in wahrer Catholischer Römischer lehr vnderwisen, dich in der Religion sterckten, durch Predigen, Beichthören dir nützten, was durch lisst der Newgläubigen verfüert, widerumb zu frucht brächten. Aber, O du vnndanckbare Statt Freiburg, was khan ich anders von dir sagen, den mein Herr vnnd Gott, mein Heiland vnd Seligmacher Christus gesprochen zu der vnndanckbaren Statt Jerusalem, Math. 22 Jerusalem, Jerusalem, quae occidis et lapidas eos, qui ad te missi sunt [5]. Wirffstu nitt auff deine Hirtten, deine vätter, stain deßs gottlosen nachredens, tödest du nitt die Jesuiter mitt deiner gifftigen Zungen, dieweil du in offner gesellschafft reden darffst, ein Bürgerschafft solle sie mitt schwerdt vnnd fewr auß der Statt vnnd land veriagen. Du sagst die Jesuiter haben in der beicht eheliche werckh verbotten, haben gefragt wie offt solche beschehen, leügst aber alß ein offentliche Mätz, du seiest mir gleich gefreundt oder nitt. Es wirdt sollichs khein ehrlicher mann beweisen khünden. Magst wol vil sagen vom Beichtvatter, dieweil du weist, das er nichts auß der beicht reden darff. Bist du ein guets schäfflein, ey lieber wo ist die woll vnnd milch die du gibst deinen hirtten? Was hast du doch für hilff vnnd handtreichung gethon den Jesuiteren, das dir dieselben so beschwerlich, dorn vnnd distel seind in deinen augen? . . . Wie soll ich dich dan für ein Nachtigall halten, du heülest mitt den wölffen, vnnd

[1] Septem loci catholici Helvetiae, cum 5. Octobris 1586 „foedere aureo" se ad religionem suam catholicam conservandam ac defendendam coniunxissent, postea, quo certius id praestare possent, cum Philippo II. „foedus hispanicum" Solodoro excepto inierunt; quod 16. Maii 1588 Mediolani iureiurando firmatum est (*Mayer* II 263—267). Dubium esse non potest, quin ex Sociis friburgensibus nemo magis quam Canisius harum pactionum auctor dictus sit.

[2] Mt 7, 15. [3] Cf. Ier 3, 17; 23, 4; Mt 28, 20; Io 14, 16; Eph 4, 11.

[4] Gregorii XIII. [5] Mt 23, 37.

wilst mich doch überreden du seiest ein Schäfflein der Catholischen Kirchen. O wehe nein, du hast . . . den wolff mitt dem Schaaffbalg bedeckhett. Ich will dir sagen, wohin dises gedicht vnnd fabel werde gelangen, gewißlich dahin, das vnseren Nachbawren, so tag vnnd nacht auff die Jesuiter lüsteren, materi fürgeschnitten werde, ihre schmützbüechlin anzuspickhen. Vnnd solte das nitt heissen heulen mitt den wölffen, vnnd die vnschuldigen Jesuiter helffen in verdacht bringen. Es geht auch auff die beicht dieselbigen auffzuheben, vnnd gantz außzureüten. Darumb reitet dich der Satan, auß welches verhelffen du den gemeinen Mann von disem notthwendigen Sacrament der Beycht abhaltest. Ich könnet dir auch wol die dritte vrsach fürwerffen, aber weil man mitt fingeren auff dich zeigen wurde, will ich still steen, vnnd ein weltliche Obrigkheit vmb Gotts willen bitten, sie welle solches klaffergeschwatz vnnd übel nachreden nitt lenger gedulden. Es hatt nun schier sechs iar lang gewehret, es wäre Zeyt, das es einmal sich änderte. Wo nitt, so wirde ich anderst mitt dir fortfahren. Magst dich wol darnach richten."

1433. Circa d. 3. Aprilis 1587.

Ex commentario ipsius Canisii manu emendato. Can. 40 f. 214ᵇ 216ᵃ. Ex eodem commentario integram exhortationem posuit *Schlosser* 195 201.

Canisius ad Socios exhortationem de resurrectione futura habet.

Exstat „Exhortatio ad fratres de Paschate" a *Canisio* habita. „Dicam ergo de causis quae nos et fideles omnes recreent ob futuram resurrectionem, quae in nobis etiam implebitur, sicut in Christo capite fuit impleta. . . . Deinde quomodo uti debeamus fide et spe huius vltimae resurrectionis, adiungam." Canisius haec, praeter alia, notat: „Hinc habemus ansam aliquando nos colligendi et meditandi in horto [ubi][a] nil uidemus quod contristet sed laetificantia. Tunc enim ueniet nostra aestas, fulgebit sol plene, prodibunt odoriferj flores, et fructus arborum. Tunc uidebunt oculj tantum pulchra et delectantia. Aures tantum audient aues et dulce melos[b] ex arboribus" etc.

Ex codicis loco, quo haec „exhortatio domestica" ad collegii Socios est posita, cognoscitur, eam a Canisio a. 1587 haud multum post Dominicam Paschatis habitam esse; ac probabile est, eam habitam esse 3. Aprilis 1587, qui erat dies Veneris intra hebdomadem Paschatis.

Canisius hac in re discessit a *S. Thoma* docente, „plantas et animalia non remansura esse in illa mundi renovatione" (Summa theologica P. 3, qu. 91, art. 5; cf. etiam Summam contra gentiles l. 4, c. 97). Quem secuti sunt *Franc. Suarez* S. J. (In P. 3 S. Thomae, Disp. 58, sect. 3, n. 5: „Probabilius videtur", ea non esse remansura et multi alii. Canisium puto motum esse auctoritate „Elucidarii" Parisiis 1560 et Coloniae 1575 cum nomine *S. Anselmi* editi (nunc attribui solet *Honorio Augustodunensi*, theologo scholastico saeculi XII). Quod sic habet: In innovatione illa „terra . . . odoriferis floribus, liliis, rosis, violis immarcessibiliter erit perpetuo decorata" (l. 3, n. 15: *Migne*, P. lat. CLXXII 1168). Caeterum sunt etiam theologi recentes, qui haec admitti posse censeant; v. *Jos. Bautz*, Der Himmel, Mainz 1881, 179 189; *Der Katholik*, 57. Jahrg. II, Mainz 1877, 135—158; *Christ. Pesch* S. J., Praelectiones dogmaticae T. III, ed. 4., Friburgi Brisgoviae 1914, 305 306.

1434. 25. Aprilis 1587.

Ex commentario Canisii ipsius manu emendato. Can. 40 f. 216ᵃ 218ᵃ.

Canisius, ad Socios exhortationem habens, litanias Omnium Sanctorum cotidianas eis commendat, et, pro quibus recitandae sint, eos docet.

Exstat Canisii „Ad fratres exhortatio in festo S. Marci" sive 25. Aprilis 1587 (qui annus ex loco codicis, quo commentarium hoc positum est, cognoscitur) habita. „Quomodo", inquit ille, „festum hoc solenne in hoc praesenti Episcopatu ad orandum nos excitat". Et quoniam eo die ex ecclesiae praescripto ubique „Litaniae Omnium

a) *Vox rr. sqq. a C. ipso addita sunt.* b) *Duo rr. sqq. a C. ipso addita sunt.*

Sanctorum" cantantur vel saltem recitantur. *Canisius* ea occasione usus est ad easdem litanias Sociis commendandas. „Cur litaniae usus nobis magnifaciendus." Ubi haec, praeter multa alia, profert: „Non desunt multorum exempla, qui more nostro quottidie saltem sub noctem legant litaniam pro suis et alienis necessitatibus et tribulationibus[1]. Nihil dubium litaniae usum tanto esse Deo gratiorem et nobis efficaciorem orationem, quanto purius illa instituitur non ex consuetudine sed ex deuotione. 2 Ex uera obedientia et uoluntate superiorum. . . . Quanto autem litania per se laudabilior, usitatior et sanctior est oratio, tanto sumus nos culpabiliores, quum illa per somnolentiam[2], pigritiam, euagationem mentis et negligentiam abutimur, ut saepe mentem nec ad Deum, nec ad sanctos eius excitemus et erigamus, neque cogitemus pro quibus personis et rebus in litania uersemur, nostramque debitam praestemus obedientiam. Hoc autem nihil est aliud quam labiis honorare Deum[a][3] mit außschwaiffen hertzen vnnd zerstoirten gemüet. Sed pro quibus maxime nobis litania utiliter recitanda? . . . Litania nobis utendum uidetur pro illis rebus et personis quae in Constitutionibus nobis maxime commendantur[4], nempe pro P. N. Generale et superioribus alijs Societatis, uel pro ipsa tota Societate per totum orbem außgespraitet. 2 pro Jndia et conuersione infidelium. 3. pro Septentrionalibus Ecclesijs mittnachtlendischen Kirchen et conuersione haereticorum. 4. pro Pontifice maximo et Principibus catholicis Ecclesiasticis et saecularibus. 5 Pro benefactoribus Societatis uiuis et defunctis in genere et in specie. 6. pro defunctis[b] in societate patribus et fratribus. 7. pro apertis uel occultis persecutoribus et aemulatoribus Societatis. 8 Pro fundatoribus, patronis, et amicis in genere et specie. 8 Pro omnibus nobis et Societati commendatis alijsque, quibus aliquo modo sumus obligati. Qui alij nobis ad orandum saepe debent[c] proponi et in litania commendari Deo et sanctis eius? Hoc anni tempore peculiariter orandum est contra bella, quae circa initium Veris inchoari solent, et magnam saepe humani sanguinis effusionem adferunt, plurimaque damna multis excitant, et urbes Prouinciasque saepe destruunt. 2 Tempus admonet ut Deum et sanctos eius imploremus[d] ad teneros fructus custodiendos et ad fruges conseruandas atque multiplicandas. 3. Contra tempestates et iniurias aëris petenda Dei benedictio, unde et campanae pulsantur ad uim daemonum et daemoniacorum reprimendam. Orandum praeterea pro alijs incidentibus necessitatibus, quae hoc tempore sunt multae et magnae in multis locis, ut qui uere Christianus est illarum debeat saepe recordari, et orare feruenter. Primum quidem pro consolatione pauperum[e] ad depellendam praesentem famem et penuriam rerum omnium tam late regnantem. 2. pro praesentibus et futuris aegrotis quia periculosi morbi iam multis annis ubique fere grassantur meritoque timentur. 3 Pro periculosissimis hostibus Ecclesiae, per quos satan tot animarum millia in fide corrumpit et per eos Ecclesiam persequitur id est pro nouis Doctoribus et fautoribus potentibus haereticorum. 4 Ad iram Dei et flagella eius auertenda, quia licet omnes agnoscant Deum iratum et nos percutientem, tamen pauci Deum illum placare student, ueramque agunt poenitentiam."

a) *Sequitur* cum, *oblitt.* b) *Sequitur* societatis, *oblitt.* c) *Sequitur* Deo, *oblitt.* d) *Sic librarius correxit ex* sanctos pro gratia conser. e) *Sequitur* qui, *oblitt.*

[1] Dubium non est, quin longiores hae litaniae Omnium Sanctorum, non litaniae Lauretanae, significentur, cum *Everardus Mercurianus* Societatis praepositus generalis Paulo Hoffaeo provinciali Germaniae superioris Roma 20. Augusti 1575 *scribit: „Litaniae non solum adhuc a nostris recitantur; sed ut earum recitatio continuetur Pontifex iterum propter tot ac tantas Christianismi necessitates mandauit" (ex commentario; G. Sup. 1 f. 32[b]).

[2] P. *Hieronymus Natalis* Societatis visitator a. 1567 in collegio moguntino statuit: „Litaniae fient post recreationem paululum ante finem, quae fit post coenam": Epistolae P. Hieronymi Nadal IV, Matriti 1905, 328.

[3] Is 29, 13; Mt 15, 8; Mc 7, 6.

[4] Cf. *Constitutiones* S. J. P. 4, c. 1, n. 4; P. 6, c. 4, n. 3; P. 7, c. 4, n. 3 et A; P. 10, n. 1 et B.

Sacerdotibus quoque saecularibus *Canisius* recitationem frequentem litaniarum Omnium Sanctorum commendabat. Ita in „Notis“ illorum maxime usui destinatis sacerdotem haec sibi proponentem inducit: „Quanto maiora Dei irati flagella vbique fere gentium inundantibus hodie sceleribus infliguntur, tanto studiosius ego Litaniae vsum mihi et aliis commendare, et si possim, familiarem efficere conabor, vt illa in priuatis etiam aedibus hoc tristissimo tempore saepius recitetur“: Notae in Evangelicas Lectiones, quae Dominicis diebus recitantur. Friburgi Helvetiorum 1591, 585.

1435. **Vere vel aestate a. 1587.**

Ex folio duplici eoque separato (2°; 2 pp.). Ex eodem haec oratio primum edita est a R. D. *Romualdo Pastè* in „Archivio della Società Vercellese di Storia e d'arte, Anno XII., Vercelli 1920, 73–78.

Canisius Bonhomii nuntii apostolici laudes celebrat in contione funebri Friburgi habita.

Apud Societatem exstat commentarium laudationis, quam Canisius Friburgi Helvetiorum habuit in contione funebri, qua Friburgenses parentabant Ioanni Francisco Bonhomio episcopo vercellensi et nuntio apostolico, 24. Februarii 1587 Leodii in legatione belgica mortuo[1] (cf. *Berthier*, Bonh. XVII). Orationi tempus ascriptum non est; sed quia loco aliquo exordii, quem Canisius postea delevit, legitur, Bonhomium „non ita pridem e uiuis excessisse“, eam aliquanto post eius mortem habitam esse censendum est; quare eam habitam esse vere vel aestate anni 1587 existimo. Canisium in templo S. Nicolai dixisse valde probabile est. Totum commentarium ipse sua manu scripsit et plurima in eo delevit, correxit, iterum delevit, addidit, immutavit; difficillimum itaque est lectiones variantes ponere; quare iis ponendis prorsus supersedere malui.

Oratio haec significari videtur, cum in **Litteris annuis* collegii friburgensis sub exitum anni 1587 datis haec, nulla Canisii mentione facta, narrantur: „Rogatu“ Petri Schnewly, vicarii generalis episcopi lausannensis, „in frequenti Parochorum conuentu orationes tum de Sacerdotij dignitate, tum Reuerendissimi Vercellensis Episcopi laudibus primi post Deum huius Collegij Authoris magno omnium applausu et admiratione recitatae“ (Cod. I 36 f. 29b). Caeterum conventui illi praeter parochos interfuisse alios quoque viros, eosque amplos et honoratos, colligitur ex ipsa oratione; idem res ipsa ferebat. Ita igitur *Canisius:*

„Recte et sapienter facitis uenerande mihi coetus quod hodierno die conueniatis, magnique uiri funus pijs uotis ac religiosis animis parentetis. Equidem nullum hoc loco tam hebetem et stupidum adesse puto, qui nesciat catholico ritu uiri percelebris memoriam celebrari, qui de Rep. nostra Friburgensi sit optime meritus et uitae sanctimonia non minus quam ecclesiastica dignitate floruerit magnumque sui desiderium bonis reliquerit omnibus, quem ego non sine acerbo dolore nominare possum. Jd [?] est [?] D. Joannem Franciscum Bonhomium

[1] „*Vespasianus Agatia* Abbas Sanctae Mariae Abundantiae“ rectori collegii friburgensis *affirmavit: Bonhomius Leodii „inter manus Patrum societatis IESV, quos vnice diligebat, spiritum Deo reddidit“ (ex apogr.: Cod. „I. 37“ f. 161a).

Vercellensem antistitem et Legatum uere Apostolicum, ob res mirabiliter et diuine gestas nunquam satis laudatum et qui posteris non satis commendari posse uideatur. Etsi uero non sum nescius ad hoc dicendi onus sustinendum firmos nec seniles requiri humeros, passus sum tamen hoc mihi munus iniungi, quod postulantib. honeste defugere non poteram, quodque tanti patroni singularibus in me meritis debebatur, ipsaque loci ratio non paulo leuius efficiebat, quoniam si usquam alibi tum Friburgi maxime hoc argumenti genus gratiosum fore auditoribus uidebatur. Vos tamen uti praeclare coepistis, non solum attentis auribus, sed benignis etiam animis me dicentem, ut res ipsa postulat, excipite, bonique consulite omnia, humaniss. auditores.

Joannes Franciscus Bonhomius, quem honoris causa nominatum uolo, apud Jtalos natus[1], ex illustri Comitum Bonhomiorum genere prodijt, suamque nobilem et uetustam familiam insigniter exornauit. Js primam aetatis partem non luxu rebusque ludicris et puerilibus vane contriuit, sed praeclaris bonarum artium studijs et pia exercitatione excoluit, ac breui tantum profecit, vt ingenio, doctrina, iudicio, tum scribendi, loquendi agendique dexteritate aequalibus antecelleret. Tractauit et grauiora studia, in poesi quoque exercitatus, ut inter equitandum saepe carmina conderet atque scriptitaret, sed pudica et ab ethnicorum poetarum sordibus libera[2]. Ad res Ecclesiasticas et sacra studia se mature contulit ita pietati deditus, ut s. patrum exempla sibi maxime seruanda proponeret et seueram a seipso exigeret disciplinam. Optimum uitae ducem et magistrum habuit Carolum Borromaeum laudatiss. simul et religiosiss. Cardinalem, cuius et moribus et familiaritate plurimum delectabatur, et cuius iudicia semper maximi faciebat[3]. Praeclara iecit fundamenta illius acrimoniae, peritiae et eloquentiae, quam Episcopus postea factus ad multorum admirationem usque secutus est. Difficile sit prorsus aliquem reperire in Legati munere, in conuersatione, in scribendj officio feliciorem, in conficiendis negotijs siue Ecclesiasticis siue politicis tam serium magisque indefessum. Vnus amanuenses multos defatigabat: ipseque dictabat, immo scribebat epistolas, ut cunctis siue magnis siue paruis satisfaceret. Et

[1] Anno 1536 Cremonae natus erat.

[2] Anno 1589 Mediolani a *Luca Burgio* edita est „*Jo. Francisci Bonhomii* Vercellarum Episcopi Borromeis", in quo carmine laudes S. Caroli Borromaei celebrantur: additum est eiusdem *Bonhomii* „Eucharistirion ob victoriam ad Echinadas partam". *Bonhomius* ipse Leodio 9. Octobris 1585 Guilielmo Techtermann archigrammateo friburgensi *scripsit: „Mitto hisce adiuncta etiam nonnulla carmina, a me superioribus mensibus, in itinere Westphalico, audita Gregorij Pontificis morte, composita; quae quidem actis quibusdam Romanis, Louanij recusis, adiecta sunt ad finem, sed vti fuit ibi celatum authoris nomen, ita cupio, non ab alijs, quam a patribus Societatis id resciri" ex archetypo, Bonhomii manu subscripto. Cod. „I. 37" f. 153ª.

[3] S. Carolus Borromaeus, qui in universitate papiensi (Pavia) cum Bonhomio iuri studuerat, eundem cardinalis creatus Romam ad se arcessivit suumque theologum constituit.

quoniam candelabrum sub modio diu latere non potuit, adeoque in domo Dei longe lateque lucere et splendere debuit[1], praeclari uiri dotes magis in dies emicuerunt, ut uirtutum eius fragrans odor in urbem quoque Romanorum perueniret. Jtaque tam gratus ille fuit Pont. Max. Greg. huius nominis 13. ut ab eo abbas primum Nonantulanus[2], deinde Vercellensis Episcopus crearetur, postea Nuntius Apostolicus Comum[3] et in Heluetias cum potestate ampliss. missus fuerit, in qua legatione summam fidem et solicitudinem maximam declarauit[4]. Iam uero de Heluetia reuocatus, quum ad suum Episcopatum redire percuperet, in Germaniam concedere et maximo principi Rudolpho Jmperatori suam in Legatione operam dare uel inuitus debuit[5]. Rebus autem multis et praeclaris in Germania, Boemia, Hungariaque confectis, ut Jmperatori Rudolpho gratissimus fuit, ita et multa haereticorum milia praesertim apud Hungaros ut Catholicae Ecclesiae reconciliarentur effecit. Ab aula porro Caesaris reuocatus difficile iter Coloniam Agrippinam instituit, ubi Archiepiscopum Truchsessium[6] exauctorauit, eiusque loco Ernestum Bauariae ducem substituit, haereticis licet vndique circumfrementibus omniaque tentantibus, quae optimos huius Legati conatus et noui Catholicique Archiepiscopi electionem atque institutionem poterant propedire. Jam uero confectis Coloniae negotijs, ubi et clerum ad meliorem disciplinam, quae obsoleuerat, reuocauit[7], ex pontificis authoritate profectus licet [?] non sine uite discrimine peruenit in Belgium, cum bellicus furor multas illic prouintias perturbaret et haeresum facibus cuncta fere conflagraret. Et postremos quidem uitae annos apud Belgas consumpsit, graui quidem cum incommodo ualetudinis, nec sine singulari rei familiaris dispendio, sed ingenti cum fructu Ecclesiarum. Nam cum eiecti et extincti essent non pauci antistites, nouos ipse instituit Episcopos, Leodij synodum preses ipse celebrauit, monasterijs et collegijs Ecclesiasticorum reformandis operam dedit, uarias leges dissolutis cleri moribus corrigendis praescripsit, nouis clericorum seminarijs erigendis et alendis author fuit, sua consilia cum altero ut sic dicam Josue Parmensi principe[8] contulit, ut ipso tanquam Moyse precante et Josue pugnante impij Amalechitae profligarentur[9], multaque

[1] Cf. Mt 5, 15; Mc 4, 21; Lc 8, 16.

[2] Nonantulae (Nonantola, haud procul a Mutina [Modena]) tunc erat monasterium cisterciense, quod abbates habebat „commendatarios".

[3] Episcopatum novocomiensem (Como) a. 1578 visitavit.

[4] De rebus a Bonhomio tum in Helvetia tum in Germania praeclare gestis copiose scripsit *Pastor* IX 520—530 584—587 655—661.

[5] Cf. supra p. 46.

[6] Gebhardum a Truchsess, catholicae fidei desertorem; v. supra p. 617[1].

[7] De rebus Coloniae a Bonhomio gestis multa referuntur apud *Jos. Hansen*, Nuntiaturberichte 1572—1585, I 332—702; II 644—645.

[8] Alexander Farnesius princeps parmensis a. 1578—1592 multum laboravit, ut Germaniae inferioris provincias recuperaret, quae ab Hispaniae regis imperio et magnam partem etiam a religione catholica defecerant; atque effecit, ut provinciae meridionales sive belgicae ad Philippi II. obsequium redirent.

[9] Cf. Gn 17, 9—12.

ad prouincias illas tum catholicae religioni, tum suo Regi restituendas suggessit, persuasit, obtinuit, imo et Authoritate Apostolica probe confirmanda curauit[1]. Ab eorum consuetudine semper abhorruit, qui nouandae religioni student et ueterem pietatem cum perfidia commutant, nec solum in fide et authoritate S. Rom. Ecclesiae totus acquieuit, sed etiam eius aduersarijs ubicumque liceret fortiter obstitit.

Non est meum dicere, sed Friburgensium potius perpetuo praedicare, quam integre, religiose [?] et sancte apud Heluetios suum ille munus obierit, qui nulli obesse, sed cunctis prodesse, ac de omnibus bene mereri studuit uehementer. Vestram ego fidem testor uiri Friburgenses, an multo abhinc medicum peritiorem, Episcopum ornatiorem, et patronum Reip. uestrae studiosiorem atque vtiliorem acceperitis cui uestra publicaque salus magis cordi esset[2]. nihil dubito diuino numini et Sedi Apostolicae gratias ingentes deberi, quod huius Legati consilijs monitis decretis scriptis et beneficijs multa utiliter sancteque procurata atque constituta sint, quae perfecerunt [?] partim vt causa religionis in meliorem locum adduceretur, partim ut Ecclesiastici ordinis disciplina et dignitas ab interitu uindicaretur, partim ut noua schola optimum Catholicorum seminarium hoc loco constitueretur et noui simul operarij ad messem dominicam excolendam iubente ita Pont. Max. introducerentur[3]. Qua de re pluribus dissererem, si tempus ita ferret, et quorundam offensionem non pertimescerem.

Ad haec tanti uiri mors, quam deplorare satis non possumus, iustum doloris vulnus nobis debet augere, dum hic etiam impleri cernimus Isaiae dictum Justus perit et non est qui recogitet in corde suo, et uiri misericordiae colliguntur[4]. Quis enim merito non lugeat cum animaduertit hos exquisitos Dei amicos per quos publicis mortalium commodis prouidetur malaque publica saepe depelluntur, nobis intempestiue abripi, uiros tam sapientes probatos atque perfectos quorum ingens nunc ubique est paucitas e mundo tolli, afflictam tot modis Ecclesiam suis optimis ducibus et fortiss. militibus in medio uelut conflictu praeter omnem opinionem orbari atque destitui.

Postremo tanti uiri ad meliorem uitam transitus magnam admonendi uim obtinet, ut quotquot boni publici sumus amantes, diuinae misericordiae pulsemus ostium atque ardentibus precibus expetamus nouos nobis Bonhomios dari qui uelint et possint his extremis sacro-

[1] „Bonhomme", inquit *M. de Ram*, „jouissait de la réputation d'un négociateur habile et intelligent, doué d'une grande activité, non moins distingué par ses connaissances littéraires et théologiques, que par les charmes de son éloquence: des contemporains, même peu prévenus en sa faveur, rendent ce témoignage à ce prélat": Compte rendu des séances de la commission royale [du royaume de Belgique] Sér. III. T. VI. Bruxelles 1864. 14.

[2] De rebus Friburgi a Bonhomio gestis v. *Berthier*, Bonh. XXV LXXXII.

[3] Canisius Societatis sodales et collegium Friburgi iis constitutum significat.

[4] Is 57, 1.

sanctae Ecclesiae calamitatibus opem praesentem adferre, tot tantosque flatus grassantis tempestatis mitigare, errantes passim oues[1] ad uerum ouile Christi reuocare et Ecclesiasticos praesertim homines ut suum faciant officium non minus exemplo quam doctrina impellere atque promouere."

1436. **Aestate a. 1587 (ante m. Augustum).**

Ex Codd. „Hist. coll. Frib." p. 10 et „Can. 14" f. 84^{b}–92^{b}.

Canisius (aliique Socii?) in usum reipublicae friburgensis „scriptum de legitimis contrahendi modis", imprimis de 5$^{0}/_{0}$, conficiunt.

Antiqua illa „*Historia* collegii friburgensis" in anno 1587 haec narrat de Petro Schnewly vicario generali episcopi lausannensis: „Rogatu Reuerendi D. Vicarij optimi nostri Patroni, scriptum quoddam de legitimis contrahendi modis confectum, iuxta cuius normam singuli in posterum contraherent."

In uno autem ex codicibus illis, in quibus *Canisius* multa in suum aliorumque usum tum ipse scripsit, tum per alios scribenda curavit, manu librarii illius, qua multa commentaria contionum a. 1587 a Canisio habitarum scripta sunt (P. Sigismundi Ilsung S. J., puto), haec sunt notata: „Formen mancherley Contracten der Stadt Freyburg zu guttem gsteldt. Anno Domini 1587 den VIII. Augusti."

Incipit haec institutio sic: „Form allerley Geltsverschreibungen vnd Zins Ordnung der Stadt vnd Landts Freyburg. Dieweil in Vnserer Stadt Freiburg vnd deren Landtschafft nun etliche Jahr her, seltzame, frembde, vnd niemals zuuor brauchliche gültenn eingerissenn sein, so den gebotten Gottes vnd der Kirchen vngemäß, deßgleichen bei reichen vnd armen der vnleidliche wucher vber handt genommen, von gelihenes geldts wegen, on alle forcht, der ewigen pein, mit großer beschwärnuß der Jnwoner, vnd Landtleut der wucherische zins der 5 von hundert gefordert wirdt, Dieweil auch andere vnpassirliche Contract vnd kauf im schwung sein, welche zum verderbenn, des gemeinen mans gericht, So haben wir Schultheißen, Räth, Sechtzig vnd Burger, auf heutigen tag angesehen, das forthin alle vnchristliche güllten, wucher vnd ernante weis außzuleihenn, gäntzlich sollen verbotten vnd abgestellet sein, vnd das dem ienigen, welche wider volgende Zinß Ordnung handlen wirdt, weder in der Stadt noch aufm Landt, kein Recht deßhalben soll gehalten werden sondern er vil mehr der straff gewartten. Damit aber menigklichenn wisse wie er sich im kauffen vnd verkauffen halten solle, welcher Zins iust vnd zuegelassen, auch auf was weis vnd weg ein iegklicher von seinem geldt, ein gebürlichen gwin haben möge, darauf haben wir die verbottne Conträct in ein Ordnung stellen lassen, deßgleiche auch gwiße Formen ider Zinsen stellen, welche die Notarij vnd alle andere Personen welches standes die sein mögen, halten sollen." Quod si quis neglexerit, primum dimidia parte sortis mulctabitur; sin iterum peccaverit, officiis et honoribus excidet. Praeterea omnes iubentur pactiones a se feneratorum more factas intra 6 menses ex formulis iam proponendis reformare. Sequitur: „Verbottne Zinns vnnd Keuff. I Erstlich verbieten wir allen vnd ieden vnsern vnderthonen . . . das keiner von dem andern dieser vrsach halber allain, das er im gelt leihet vnd fürsetzt, etwas erfordere, weder gelt, noch Gelts werth von Jhme, aus Crafft des Scheins oder Schuldtbriefes begere, er habe gleich dem selben auf Zwey drey oder mehr Jahr geldt furgestreckt, es wäre dan sach, das damals, als er die

[1] 1 Petr 2, 25. Cf. Ps 118, 176; Is 53, 6.

Summe gelts dem Entlehener vbergeben. des Leihens wegen. eintweder in ein schaden oder verlust gerathen wer. vnd wie man sagt. ein Jntereße gelitten hette. welches der Entlehener ime zu erstatten sich verbunden hette. Derhalben wir gemäß der Heiligen Schrifft. welche spricht: Thuet guts. leihet vnd hoffet nichts darfür[1]. nit meer für einen gottlichen zins. sonder für einen warhafftigen wuecher halten. funff. sechs. acht. weniger oder meer vom Hundert des Leihens halber. nebenn dem Capital oder Haubtsumme zufordern." Deinde prohibetur, ne quis alteri pecuniam mutuam det „mit diesem geding. das er Jme zu einer würde oder ambt verhilfflich sey. iärlich für sein Haus so viel Holtz führe. etliche iuuert erdtreich vmbackere. verbunden sey. in seiner mül für sich vnd sein Hauß zu maalen. vnd dergleichen andere beschweernüßen aufbindet. Dieser vrsach halben soll auch keinem meer zugelassen werden. die Nutzung der vnterpfanden. als äcker. berg. Küe. oder Gärten. so der außleiher an statt des gelihenen geltts besietzt. es sey den sach. das er nach abziehung seiner müe vnd arbeit. auch angewendten Costens. den werth der nutzung von der geliehenn Haubtsum abziehe. vnd dem herrn des vnderpfandt darfür gnueg thue. 3. Wir wollen ferner das dieser vnchristliche brauch. da der Leiher dem Landtman ein zimliche Summa gelts fürsetzt. on allen benanten termin. auf ieder zeit anhalten vnd begern. wider zu geben. kein statt noch platz meer haben solle. dieweil wir genugsam erfahren. vnd noch täglich mit verlust vnd verderben der Baursleuth sehen. das die außleiher eben zu derselbeu zeit den Entlehener vnbarmhertzigklich zur bezalung tringen. wan er es weniger sich versiehet. oder doch wan es ime sonst von wegen fürgefallenen mangels vnmüglich. vnd also wider seinen willen von Gut. Hauß vnd Hoff bringen. 4. Weiters soll auch gar verbotten sein. die beschwärliche. vnd gar zu tief eingewurtzelte gewonheit. da der außleiher dem Entlehener das vnderpfandt vmb halbes gelt abtringet. oder auf dem marckt. was 400 werth. vmb 2. oder 300 bar verrüeffen vnd verkauffen lasset. wan Jhme nach verschinem termin. das gelihene Capitaln nit erlegt wirdt. Nichts desto weniger vergünnen wir. das gemeldes vnderpfandt nach guetter frommer leut. oder von vns darzu verordneter Tax geschetzt werde. vnd das der außleiher von dem gantzen werth. die geliehene Haubtsum zuuor abziehen möge. vnd so es im geliebt. vnd mit verwilligung des Entleheners oder dessen Erben. vnd befreundten beschehe. das vnterpfandt besitzen vnd behalten kündte. doch das dem Entlehener der rest des werths volligklich bezalet werde. Kains wegs aber wollen wir gedulden. das der leiher etwa einen suche. der vmb geliehenes gelts wegen. Jme zum vnterpfandt. Berg. Matten. Äcker. Gärtten. Khue. Roß. oder Schaf. etc. sambt derselben nutzung einsetze. vnd nachmals denselben zwinge. so feer er nach fünff oder sechs Jaren. die Haubtsum nit erlegen kündt. Jme das vnterpfandt. welches im werth zweymal die Haubtsumm vbertrifft. einzureumen vnd zu vbergeben. 5. Verrer so verbieten wir auf ein neues. das keiner vnserer Burger oder Vnderthonen weder in dieser Stadt Friburg. noch in andern vnsern Stätten. vnd Fläcken. auf ains oder mehr iar läng. den Landtleuten wein. korn. etc. außleiht. mit angehengter beschwärnuß. das nach verloffnem termin. sie den werth in gelt oder in der vile vnd menig größern vnd staigern wellen sagen. Das keiner ein ding thewrer vnd hoher im gelt anschlagen soll. darumb das er der bezalung. nach einem oder zweyen Jahren gewertig sein müße. noch auch nit meer dieser vrsach halben in der mas erfordere. Dan mit billigkeit ein iegklicher so vil empfangen soll als er zuuor außgeben. Es wer dan sach. das ein solcher wer willens gwest. sein Wein vnd Korn .etc. hinderzuhaltenn auf weil vnd zeit. da es in einem höhern vnd größern werth sein würde. 6. Es soll auch forthin keiner mehr an statt bares gelts vngewissene schulden. oder doch welche on mercklichen kosten nit mögen eingezogen werden. anderen entleihen vnd fürsetzen. Nachmals aber neben den angewandten kosten. noch fünff vom hundertt Jährlich darzu anforderen. seytemal solches nit allein ain aufrechter wucher ist. sonder auch ein beschwärnus mit welcher der nechste gezwungen wirdt. vnd genötigett dem Entlehener

[1] Lc 6, 35.

sein Summa gutt zu machen. 7. Dieweil bey mans gedencken, die erkauffte zins entweder auf ewig gestellett, oder doch allein auf des verkeuffers seiten für ablösung zugelassen worden, vnd gar neulich in vnserer Stadt, die ablössliche zins auf beiden seiten, eingerissen, welche selten mit rechtmäßiger intention beschehen, vnd mit ienigen vmbständen, so zu rechtfertigung dies Contractes nottwendig. Dieweil auch der gemeine Tax, da man vmb 100 Cronen .5. Järliches einkommen kaufft, anfengklich vnd von alters her, alhie bey vns niemals auf den ablösslichen Zinss beeder theile gericht worden, So wollen wir in betrachtung der beschwärden, welche dem verkauffer, aus gemeldtem ablösslichen zins eruolgen, deßgleichen auch zu versicherung der Gewissen[1], das ferner kein Contract der ablösslichen zinsen auf beede theilen, mehr sollen gehalten werden, sonder das alle Erkauffte Zins entweders ewig vnd vnablösig, oder doch allein von dem verkauffer mögen abgelösett werden."

Sequuntur formulae notariis et scribis publicis servandae. „Form und weis einer Verschreibung vmb ausgeliehenes gelt, daraus dem leiher ein gwin entgeet, lucrum cessans genant, den er mit seiner Haubtsumen hatt künden vnd wöllen bekhommen. Jch N. Bekenne in Crafft dies brieffs, für mich vnnd alle meine Erben, das mir auf heut dato der Ernuest .N. also par fürgestreckt 300 Pistolet Cronen, eine iegkliche vmb 28 Schweitzerbatzen gerechnet, vnd das ich dieselbe von im sechs iar lang zu nutzen empfangen habe. Dieweil aber Er N. der leiher nit willens war, dieselbe Summa aufszuleihen, sonder auf ligende vnbeschwärtte gütter zuschlagen, darauß er iärlich 15 Cronen sichers gewins hett haben künden, oder ein gwerb damit treiben, daruon er gleichen gwin verhoft, dergleichen dieweil er auch sonst gutte glegenheit zubekommen gwist (wie er dann schon allbereit willens gwest sich derselbigen zugebrauchen) auf andere billiche rechtfuegige weg mit gemeldem geldt iärlich 15 procent zugewinnen, da er mir dasselbige nit hett leihen sollen etc. vnd sich meinethalben vnd mir zu guettem gemeldes zins vnd sichern gwins entschlagen. So versprich Jch ime, vnd seinen Nachkommen, in craft dies briefes das ich N sambt meinen Erben, zu erstattung des abgewendten Zinnß vnd gewins, die sechs iar nacheinander, alle iar 5. von 100. erlegen vnd ersetzen will, vnd nach verlauffnen sechs iaren, auf N.tag vngefärlich, die 15 Cronen sampt der Hauptsumm, in lauffender wehrung bezalen. Alles nach bester form vnd meinung wie solches nach Geistlichen vnd weltlichen rechten beschehen mag. Dessen zu wahrer versicherung, verschreib Jch dem außleiher mein Guett N. N. in N. Vogtey gelegen, welches er vnd seine Erben sollen gwalt haben, mit vnd on Recht anzugreiffen, so veer ich an der bezalung seumig vnd hinderstellig sein würde, vnd on allen schaden vnd kosten die Haubtsumen darvon abzuziehen. Actum Freyburg." Sequitur „Form vnd weis einer verschreibung vmb ausgeliehenes gelt, daraus dem leiher ein schaden ervolgt, damnum emergens genannt, den er damit hett wenden künden vnd wollen. Jch N. bekenn etc. alles wie zuuor bis auf volgende Clausul. Dieweil aber Er der leiher willens war gemeldte Suma die 300 Cronen zue verhüettung vnd ableinung seines schadens zu gebrauchen als nemblich die schulden abzuzahlen. Jetzunder aber auf mein ernstliche bitt vnd anlangen, mir dieselben fürgestreckt, ia selbs von N. gelt entlehnen vnd für die 100. fünff verzinsen mues, dessen er sonst die 300 C. nit hette fürgesetzt. So versprich Jch Jhme vnd seinen Nachkommen, das ich .N. sambt meinen Erben, zu entsetzung des zuegefüegten schadens, die sechs iar nacheinander, iärlich 5 vom 100 erlegen vnd bezalen will, wie oben etc." Sequitur „Nottwendiges auffmercken bey ietztgemeldten Contracten zubrauchen. Jn angezognen formen zu pactirn, wirdt gehandelt von dem Jnteresse des abgehenden Gwins vnd zuegefuegten

[1] Constitutione a *S. Pio V.* 19. Ianuarii 1569 data prohibebatur, ne census emptor venditorem ad redimendum censum adigeret. Qua tamen constitutione fideles extra statum ecclesiasticum habitantes teneri saltem incertum erat. Cf. *Franc. Zech* S. J., Rigor moderatus doctrinae pontificiae circa usuras. Diss. 2, c. 2, sect. 7, § 206–210 229 (*J.-P. Migne*, Theologiae Cursus completus XVI, Parisiis 1841, 954–955 965).

schadens so der Leiher von dem Entlehener leidet. Vnd ist erstlich zu mercken. das der Entlehener guet wißen mues haben. das er durch sein anhalten vnd bitt dem Leiher des abgeenden gwins. oder eines schadens vrsach sey. Dan so veer er deßen vnwissend wär. so wär es nit billich das die ersetzung vnd erstattung des abgeenden gwins oder zugefuegten schadens von Jme dem Entlehener gefordert würde. Zum andern so das lucrum cessans. das ist der hindergestelte gwin. oder damnum emergens. das ist der künfftige schaden. von dem Entlehener ersetzet soll werden. ist von nötten. das der Leiher warhafftig das außgeliehene gelt habe auf billichen aufrechten gwin gewendet vnd angelegt. oder doch willens gewest mit nechster gelegenheit zu seinem scheinbaren billichen gwin zuwenden. Jtem das Er mit gemeldtem geldt warhafftig entschlossen gewest seinem schaden fürzukommen. Dan wann der Leijher das gelt zu seinen henden genommen hett. selbs vom gewin abgewendt, oder kein gelegenheit hette gehabt einen billichen sichern gwin darum zuerwartten. noch willens gewest, dasselbe zu verhüetung des schadens anzulegen. so wer der Leiher selbs an seinem verlassnen gwin schuldig, vnd an dem zuegefuegten schaden. kündte auch der Entlehner dessenhalben billich nit angesprochen werden. Zum Dritten. mues der gwin, den der Leiher mit seinem gelt hett schaffen mögen oder wöllen. gleichsam menschlich gwiß gewesen sein, wen er anders ein erstattung des verlusts begeren will. Seitemal keines vngewissen vnnd zweifelhafftigen dings, ersetzung anzufordern ist. sonder nach dem vngewiß vnd zweifelhafftig der gwin oder schaden ist. soll auch groß oder gering sein die erstattung. Letzlich wirdt nottwendig sein. das zu anfang des Contracts, der außleiher den abgang des gwins oder den schaden. so er gelitten, dem Entlehener fürhalte. nit aber nach einem. zweyen oder meer Monaten ein genuegthueung des Jnteresse von Jm erfordere." Sequuntur aliae formulae. quarum solos pono titulos. quia eas ipsas ponere longum est. „Form einer Gesellschafft. in welcher der ienige so mit seinem gelt gwinnen will. so wol seines Capitals. als gebürlichen gwins der 5. von 100 versichert wirdt." „Ein Form gwises gwins der 5. von 100 aus einer Gesellschaft, darin die 3 Conträct nit ausdrücklich genennet werden, derer sich die Notarij allein gebrauchen sollen gegen den Einfeltigen. welchen der Contract der Gesellschaft vnbekandt vnd sie doch gwärbigen personen ir gelt darstrecken. vnd mit demselben aufs beste vnd sicherste als immer müglich gewinen wöllen." „Form ewiger vnablösiger Zinnsverschreibung". „Form einer ablößlichen Zinsverschreibung. da die abkhündung bey dem verkauffer allein sein soll." „Form von leihung auf ein fruchtbares vnderpfandt". Sequitur alia formula eiusdem pactionis.

Duabus de causis commentarium hunc ex parte saltem hic ponere volui: 1. Verisimillimum est, Canisium illius non unicum quidem, sed tamen praecipuum quendam auctorem esse. Verba iurisperitus aliquis, velut Guilielmus Techtermann archigrammateus, concinnaverit; rerum magnam vel maximam partem Canisius suppeditaverit. Nam inter Socios friburgenses, qui Petri Schnewly vicarii generalis rogatu „scriptum de legitimis contrahendi modis" a. 1587 confecerunt, ipse et maximus aetate, et doctissimus, et prudentissimus erat et a Schnewlino maxime diligebatur atque honorabatur. Civiles quoque magistratus, inprimis praetores sive sculteti et Techtermann archigrammateus, eum permagni faciebant.

2. Ex commentario hoc patet, Friburgi eo tempore reapse pactiones varias viguisse, quae fenerationis notam effugere non possent. Unde intellegitur, cur Canisius e sacro suggestu tam saepe tamque vehementer Friburgenses vituperarit, quod pauperes dure tractarent, alios iniuria afficerent, fenerationis crimen committerent etc.

In collegii friburgensis *Litteris* annuis sub exitum a. 1587 datis narratur: „Viri quidam opibus florentes stimulis conscientiae exagitati quod contractus minus aequos uel certe non ita securos inijssent, ad nostros ter quaterue consultum uenerunt, de eorumque consilio et sententia contractus suos emendarunt" ex apogr. eiusd. temp.: Cod. I 36 f. 29b–30a.

1437. Aestate anni 1587.

Ex commentario. Can. 42 f. 183b–184a.

Canisius Friburgi ad Socios de votorum renovatione dicit.

Exstat commentarium a librario sic inscriptum: „Exhortatio de renouatione. 1587." *Canisius* in hac exhortatione de votis religiosis Friburgi per Socios collegii renovandis habita quaesivit: 1. „Cur haec renouatio magnifacienda in societate?" 2. „Quae facienda ad fructum renouationis accipiendum." 3. „Quae impedimenta praecipue cauenda se renouantibus?" In prima parte Canisius de renovantibus affirmat: „Celebrat quisque nouum baptismum, et nouum init foedus cum Deo, nouamque accipit puritatem, et indulgentiam plenariam, ut n o u a sit c r e a t u r a[1] et Pater de illo testetur: h i c e s t f i l i u s m e u s d i l e c t u s."[2]

Exhortatio haec plane differt ab ea, quam Canisius de votis 1. Ianuarii 1587 renovandis habuit (v. supra p. 734); quare dicendum est, eam in altera ex binis illis renovationibus habitam esse, quae quotannis fiebant, ideoque aestate a. 1587 habitam esse.

1438. Inter d. 3. et 21. Iulii 1587.

Ex commentario Canisii manu emendato. Can. 41 f. 9b–12a. Ex eodem exhortationem totam, aliqua tamen ratione immutatam, posuit *Schlosser* 424–429.

Canisius, belli tempore ad Socios exhortationem habens, eos monet, ut caveant a curiositate, partium studiis, iudicandi pruritu.

Canisius Friburgi a. 1587 inter 3. et 21. Iulii — id intellegitur ex loco codicis, quo commentarium hoc positum est — exhortationem sacram ad Socios collegii habuit, qua eos docebat: „Quid faciendum nostris in grauis et publicae calamitatis tempore." Exorsus est sic: „Notum est omnibus quam uaria et tristia scribantur, legantur, audiantur, narrentur passim. 2 Varia inde iudicia exoriri, ut alij sperent bonum progressum, alij metuant infortunia. 3 Magistratus consultant, milites colliguntur, magna fit praeparatio exercitus ab utraque parte[3]. 4 Non desunt et alia mala ob Ciuium uel Senatorum dissensiones[4], ob aeris et aurae intemperiem, ob grauem caristiam quae tam multos premit et enecat. Recte igitur statutum est frequentiores nunc fieri processiones. Quid nobis interim faciendum pro nostra uocatione. Dico primo ualde cauendum esse ne propter haec pericula praesentia et futura nos[a] si iuuare non possumus aliquid amittamus et debiliores in spiritu efficiamur. Hoc autem fieret si nimium sequeremur communem curiositatem in rebus ex rumoribus nouis audiendis et narrandis sine utilitate, quod etiam in regulis nostris prohibetur[5]. 2. Si inde sequatur sicut fieri solet, distractio quaedam et torpor in cultu Dei et oratione. 3 Si uaria fantasmata inde concepta in nobis pariant timorem, anxietatem, et sicut dicunt partialitatem, ut uni parti magis quam alteri simus addicti. . . . 4 Peccamus nimium nobis sumendo censuram de his quae fiunt in rebus et personis, in agendo et omittendo. Haec enim omnia non conueniunt religiosis[b]

a) *Quattuor vv. sqq. a C. ipso addita sunt.* b) *Duo vv. sqq. ab ipso C. addita sunt,*

[1] 2 Cor 5, 17; Gal 6, 15.

[2] Mt 3, 17; 17, 5; 2 Petr 1, 17.

[3] Ea, quae in hac exhortatione exordium hoc sequuntur, ostendunt, Canisii animo obversatum esse potissimum bellum, quod in Gallia Hugonotti sub Henrico Navarrae rege calviniano cum Henrico III. Galliae rege et Guisiis sive „Liga" catholica gerebant; item, ut ipse ait, „confoederationem turcarum cum Haereticis, ut non solum in terra, sed etiam in mari Catholici [Hispanos dicere videtur] infestentur et debilitentur".

[4] De his dissensionibus friburgensibus v. supra p. 743[2] et infra, monum. 1446.

[5] „Saeculares rumores, qui foris audiuntur, ne temere, et sine fructu narrentur": Regulae communes, n. 37 (*Regulae* Societatis Iesu. Romae 1582, 22).

mundo mortuis, sed filijs saeculi[1]. Nolite conformari huic saeculo[2]." Monet autem Canisius Socios, ut Dei iustitiam agnoscant, in timore Dei crescant, se in charitate Dei, patientia, poenitentia exerceant.

1439. 26. Iulii 1587.

Ex commentarii parte illa, quam Canisius sua manu scripsit. Can. 41 f. 25[a].

Canisius Monticuli (Bourgillon) contionem habens ecclesiam hanc valde commendat.

Canisius in vici Monticuli (Bourgillon, Bürglen) prope Friburgum siti templo B. Mariae V. sacro 26. Iulii 1587, qui erat dies anniversarius dedicationis huius templi, orationem sacram habuit (v. supra p. 510), in qua haec, praeter alia, dixit:

„Debet hoc templum nobis esse commendatum

1 Propter maiores nostros et pios tamdiu illud habentes in precio, et suam devotionem implentes.

2 ob facta hic saepe miracula erga illos qui deuote uisitarunt suaque vota fecerunt et obtulerunt[3].

3 Nullum templum uicinum toties a Friburgensibus inuisitur ad honorem Virg.

4 Admonet nos peregrinationis quam fecit Deipara ascendens per montana ad uisitandam cognatam quae cum fructu magno facta est[4].

5 Ornata Ecclesia amicis Dei habitantibus in dem Sighausse[5], et sic monet nos charitatis et misericordiae praestandae, sicut et Maria praestitit in Cana pauperibus[6].

6 Monet nos montis Caluariae, ad quem Christus ascendit portando crucem Maria sequente[7].

7[a] Confitemur fidem nos non esse nouatoribus adhaerentes qui ferre non possunt Mariae imaginem, templa, altaria, quod salutetur et inuocetur.

8 Testimonium nos optare participes esse bonorum operum quae hic facta sunt et fiunt orando, uouendo, offerendo, donando, cantando."

1440. 31. Iulii 1587.

Ex commentario. Can. 41 f. 26[a]—28[a]. Ex eodem exhortationem totam, nonnihil tamen amplificatam, posuit *Schlosser* 255—260.

Canisius exhortationem ad Socios habens, dona singularia Ignatio fundatori a Deo data illiusque virtutes enarrat.

Exstat „Exhortationis de P. Ignatio" commentarium ipsius Canisii manu emendatum. Quam exhortationem a *Canisio* Friburgi Helvetiorum ad Socios collegii 31. Iulii 1587 habitam esse colligitur ex illius verbis et ex loco codicis quo commentarium illud positum est. Exhortationem totam hic ponere longum est. Aliqua tamen ponenda esse existimo. Est enim haec oratio testimonium quoddam historicum idque minime spernendum de persona et de opere Ignatii. Nam Canisius non solum plurimos, qui Ignatio familiariter usi erant, noverat, sed etiam ipse Romae a m. Octobri 1547 ad Martium a. 1548 sub Ignatii disciplina vixerat et ab ipso ad pietatem institutus erat (*Can.* I 47 56—57 254—263).

a) *Sequuntur vv.* Situs monet etiam quomodo Maria saepe inui. *oblitterata.*

[1] Lc 16, 8. [2] Rom 12, 2.

[3] Ecclesia haec a *Chronista* friburgensi, qui a. 1687 scripsit, „miraculis celebris", „miraculosa" vocatur (Friburgum Helvetiorum Nuythoniae. Chronique Fribourgeoise, ed. *Hel. Raemy de Bertigny*, Fribourg en Suisse 1852, 283).

[4] Cf. Lc 1, 39—56. Ab urbe Friburgo ad Monticulum ascensus est satis arduus.

[5] In valetudinario cum ecclesia coniuncto habitabant homines pauperes et leprosi; v. supra p. 510.

[6] In nuptiis, in quibus vinum deficiebat; v. Io 2, 1—11.

[7] Via, qua a templo S. Iohannis friburgensi ad Monticulum ascenditur, imaginibus ornata erat, quibus passio Salvatoris ad vivum repraesentabatur (*Dellion* VI 501—502).

„Quae causae tractandi [de Ignatio]. ob diem anniuersarium optimi Patris et primi praepositj nostrae Societatis. 2° ob morem aliarum religionum. in quibus ualde laudatur fundator ordinis et ab illo nomen saepe accipiunt posteri[a] 3° ab officio gratorum filiorum de Patre suo libenter cogitantium. loquentium. audientium. Putant illius laudem et honorem ad se pertinere. 4° ab utilitate consequente si sedulo patrum exempla spectentur et saepe in memoriam reuocentur. . . .

Sunt primum multa in quibus eum patrem non possumus imitarj. Habuit enim multas diuinas reuelationes. . . . Mansit aliquando in extasi. uidens mirabilia. et animas suorum euntes in coelum statim post mortem. Non possumus assequi tantam sapientiam. quantam in illo multj merito sunt admirati. Habuit mirabilem discretionem spirituum ualde uersatus in scrupulis et cogitationibus discernendis. sicut satis ostendit liber exercitiorum. et liber constitutionum. Jn quibus Deus illi multa et magna revelauit, propter commune commodum Societatis. Perfectus erat in spiritu deuotionis et orationis erga Deum et in intima cum Deo familiaritate. Vnde spectando coelum. tam saepe tam facile tam ubertim fundebat lachrymas. Fecit et multa miracula. . . . Speculum fuit et exemplar omnis perfectionis. praesertim in affectibus mortificandis.

Sunt etiam multa in quibus P. nostrum non debemus nobis imitandum proponere. quia fuit miles . . . 2° non est sequendus nobis in asperitate vitae quam sibj delegit statim post conuersionem . . . contraxit sibj magnam debilitatem stomachi[b] ex operibus poenitentiae. ex multis meditationibus et orationibus et lachrymis . . . uaria fecit. et sustinuit. non consulto superiore. Quae nobis certe non conueniunt. imo prohibita sunt iuxta ipsius constitutiones. certasque regulas. in quibus cum gaudio metimus quae ipse cum lachrymis seminauit[1]. . . .

Jn quibus maxime nobis hic P. imitandus. Nihil in eius conuersione magis elucet quam sancta patientia. per quam seipsum castigauit et uicit. magnamque crucem sustinuit 35 annis post suam conuersionem supputandis. Vere magnam crucem illi Deus imposuit, et uarias et graues persecutiones. . . . Eundem calicem etiam suis filijs bibendum reliquit Jgnatius. non sine magna consolatione nostrorum. quod non solum cum Christo sed etiam cum Jgnatio in cruce probemur. 2° Jmitandus nobis Jgnatius in deuotione erga Sanctos praesertim B. Virginem . . ., coluit etiam ualde Apostolum Petrum. . . . Sed praecipue fuit deuotus erga christum et familiaris admodum cum Deo tanquam fonte bonorum. maximamque habuit in orando consolationem. et fiduciam. quidquid tandem uellet constituere. sicut de modestia religiosa addens non solum orationes sed etiam lachrymas. Jn singulas horas se colligebat. et Deum in rebus omnibus praesentem cernebat. et rogari uolebat in omni actione a suis. 3° Sequendus P. Ignatius in locutione. ubi ualde cautus erat ille. nihil temere loquens, sed deliberate et prudenter. parcus in laudando et parcior in uituperando sine superlatiuis. Non ferens detractores. silens de aliorum erratis. loquens grauiter sententias. non iudicans alios sed excusans potius quam accusans.

4° Jmitandus in prudentia naturalj et supernaturalj cum esset expertus in se uarias tentationes et scrupulos. Cum hac prudentia coniungebat animj fortitudinem ut nihil solicitus esset de praesentj caritate et difficultate rerum. nihil dubitans Deum sibi adfuturum, licet pauper esset et multis egeret. Libenter alios audiebat. sed in Deo magis quam in hominibus confidebat animo semper laeto et tranquillo. quicquid diceret uel faceret. . . . Romae multa reformauit. 5° Sequendus est P. in puritate intentionis quam rebus omnibus adhibebat, habens hoc symbolum ad maiorem Dei gloriam.“[2]

a) *Hoc v. supra versum scriptum est.* b) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.*

[1] Ps 125. 5.

[2] Mosaetraiecti (Maastricht) in bibliotheca collegii S. J. servatur Vitae Canisii a Radero scriptae et a. 1615 Antverpiae editae exemplum. in cuius initio manu antiqua varia de Radero et de P. Theodorico Canisio. Petri Canisii fratre. notata sunt. De Theodorico *notatum est: „Il avait été gueri lorsqu'on lui mit sur la teste le chapeau de S. Ignace a ausbourg.“

1441. 6. Augusti 1587.

Ex apographo manu (ut videtur) Guilielmi Techtermann archigrammatei friburgensis scripto, quod est Friburgi in archivo reipublicae. Cod. „Latinische Missifen 1579—1591" f. 36[a]ᵇ—37ᵇ.

Canisius a senatu friburgensi laudatur.

P. Gregorius de Valentia S. J. theologiae professor in universitate ingolstadiensi opus suum „De reali Christi praesentia in Eucharistia et de Transsubstantiatione Panis et Vini in Corpus et Sanguinem Christi Libri tres", Ingolstadii 1587 editum (*Sommervogel* VIII 394) senatui friburgensi dedicavit (*Petrus Michael* rector friburgensis *Aquavivae praeposito generali, Friburgo 10. Iulii 1587; Germ. 167 f. 279ᵇ). Pro hac dedicatione *Senatus* Valentiae gratias egit litteris Friburgo d. 6. Augusti 1587 datis, in quibus de collegio friburgensi haec scripsit: „Faxit Deus ut Collegium hocce insigni, ac omnibus et doctrinae et exempli numero absoluto Viro, R. P. Petro Canisio, ceu fundamento, caeterisque R. Patribus, feliciter instructum non solum Ciuitati, agroque nostro, eos fructus porrigere, sed et latius diffundere, ouesque passim errantes ad Christi ouile reducere non desinat, sicque vna cum Republica nostra laudem mereatur, consequatur, retineatque aeternam."

1442. Inter 14. et 19. Septembris 1587.

Ex commentario a Canisio emendato. Can. 41 f. 34ᵇ—36ᵇ.

Canisius Friburgi ad Socios de „quatuor temporibus" dicit.

„De quatuor anni temporibus et ieiunijs" sive de quattuor „Angariis" *Canisius* Friburgi ad Socios collegii „exhortationem" habuit, qua eos docebat: „Quomodo utemur Angaria 1. ad gratiarum actionem pro beneficijs in priore Angaria perceptis .2. ad faciendam poenitentiam pro peccatis praesertim intemperantiae commissis in priore Angaria .3. ad acquirendam gratiam in futuram Angariam nobis in animo et corpore necessariam." Exhortationi tempus ascriptum non est; sed eam inter 14. et 19. Septembris 1587 habitam esse intellegitur ex loco, quo eius commentarium in codice scriptum est.

1443. 1587 (circa m. Septembrem).

Ex autographo. „G. Sup. 19" II f. 30ᵃ.

Canisius a rectore suo laudatur. Eius infirmitas.

In „Catalogo Personarum Collegij Friburgensis pro anno 1587" a P. *Petro Michael* collegii rectore composito et scripto ac (sub m. Septembrem a. 1587, ut videtur) Romam ad praepositum generalem misso haec sunt: „Reuerendus P. Canisius Nouiomagensis Gelder annorum est 66, laboribus et senio confectus, fuit in Societate annis 44, in eadem studuit nunquam [1]. Doctor est Theologiae, concionator, confessarius [a], fuit Prouincialis et Theologiae professor; est professus quatuor Votorum. Vir est magni ingenij et iudicij, de Ecclesia DEI et Societate nostra bene meritus, usu rerumque experientia insignis.

[a] Sequitur est, oblitt.

[1] Rectius idem *Michael* in *Catalogo* a. 1584 dicit, Canisium in Societate „tribus aut quatuor annis studuisse" l. c. I f. 36ᵃ.

et quamuis complexionem corporis bonam habeat, ita tamen laboribus eneruatus est, ut deinceps illi a laboribus sit quiescendum; dignus profecto quem in studio virtutum et laboribus imitemur."

1444. 1587.

Ex apographo eodem fere tempore Friburgi scripto. Cod. „I 36" f. 28ᵃ–29ᵇ. Aliqua ex hac litterarum parte transcripta sunt in „*Litteras* Societatis Iesu duorum annorum M. D. LXXXVI. et M. D. LXXXVII", Romae 1589. 243.

Fructus contionum a Canisio et alio Societatis sacerdote Friburgi habitarum: Pauperes liberaliter adiuti. Ieiunia. Confessiones. Meretrices pulsae vel conversae. Peregrinationes sacrae. Bibliothecae expurgatae. Haeretici ad ecclesiam reducti.

In „*Litteris annuis*" collegii friburgensis m. Novembri a. 1587 datis haec narrantur: „Duobus in huius urbis locis, semen uerbi DEj spargunt nostrj, sat magna auditorum frequentia et fructu, unus in Paroecia D. Joannis Dominicis et Festis diebus[1], alter in Summa aede D. Nicolao sacra Festis duntaxat diebus[2]. . . . Aduertentes Concionatores nostri propter extremam omnium rerum inopiam fame pauperes cruciari, plateas egenorum uocibus perstrepere, honestas matronas ac uiduas ob copiosam prolem, uirorum absentiam, et annonae summam caritatem in uitae uersari periculo effecerunt, ut Senatus auctoritate Tribuni plebis eleemosynam a ditioribus in usum pauperum et indigentium corrogarent, frumentoque coempto, illorum inopiam subleuarent: Qua in re ciuium nunquam satis laudanda liberalitas enituit, qui aliquot aureorum millibus in unum collatis indigentibus in singulas hebdomadas, pro cuiusque necessitate, subuenerunt. Quinetiam Concionatorum exhortationibus illud effectum, ut copiosiores pauperes in aedes suas reciperent, receptisque benigne facerent, animo illud uersantes non tam se pauperes quam Christum in paupere recipere[3]. Juuentus inter caeteros est spectatae uitae ciuis, qui cum impensis illis communibus sibi haud satisfactum putaret, mulierem quandam rebus domesticis destitutam tribus eam filijs comitantibus, alendam, domum adduceret, per uias et compita uagantes noctu colligeret, quotidieque in aedibus suis pernoctandi facultatem faceret: nec defuere alij, qui puerulos parentum officijs orbatos in filios adoptarent. Denique multi reperti qui misericordia suorum ciuium capti, singulis hebdomadibus uel certam tritici mensuram, uel panis uel argenti partem cum ijsdem largissime diuiderent. Mos erat ciuibus, isque peruetustus, tempore quadragesimae in tribubus[4] una coenitare. Sed cum sibi religionem obijci aduerterent, facile illum

[1] Ex *„Catalogo* Personarum Collegij Friburgensis pro anno 1587" a P. *Petro Michael* rectore scripto colligendum esse videtur, ipsum P. Michael hoc officio functum esse (G. Sup. 19, II f. 30ᵃ). [2] Is erat P. Petrus Canisius.

[3] Quam diligenter Canisius a. 1586 et 1587 e sacro suggestu Friburgensibus curam pauperum commendaverit, v. supra p. 701–707 713 715 730–744.

[4] Singula artificum etc. collegia „Zünfte" suam habebant domum, in quam statis temporibus congregabantur. In has igitur domos diebus ieiuniorum vespere ad coenandum conveniebant, atque ex Canisii verbis (v. supra p. 732) conici potest, eos, si quid forte de cibis sibi subtrahebant, certe tanto plus in vino sibi indulsisse.

dimiserunt, domique suae refectiunculam sumentes, reliquis suo exemplo ieiunij authores extitere[1]. Confitentium numerus in tali Ciuitate bellis exhausta frequens est, et non paruus, nulla enim per totum annum fere praeterlabitur hebdomas, quin uel ex incolis, uel e longinquis locis ad Collegium nostrum animas salutari confessione expiandi gratia aliqui confluant. Numerantur diebus solennioribus trecenti quadringentiue, nonnunquam etiam plures. . . . Qui uero ad S. Jacobum Compostellae inuisendum proficiscuntur, dum hac transeunt[2], non prius ad iter se accingunt, quam recte de peccatis apud Sacerdotem e nostris confessi angelico cibo sese refecerint. . . . Delitescebant in urbe quaedam feminae quae in coeno libidinis instar pecudum sese inuolutantes plurimos secum ad tartara pertrahebant, animaduertentes id Tribuni pleb. ne tantum malum latius serperet et radices ageret, quasdam reste colligatas ductore Carnifice ex vrbe eiecerunt[3]: duae tamen ex illis quae annis pluribus sui copiam omnibus fecerant confessione non sine magna doloris significatione facta ad honestatem traductae sunt. Ad celebrem praeterea D. Virginis in Eremo aedem[4] Friburgo itinere trium dierum dissitam plus quam trecenti hoc anno peregrinationem susceperunt. Cum nostri saepius pro Concione illorum salutem qui Caluinianae sectae fauent librosque haereticos lectitant in dubium uocarent eorundem Tribunorum pleb. industria factum est ut omnium ciuium bibliothecae subito perscrutarentur, plurimique libros sanae doctrinae expertes ad Collegium flammis exurendos, nonnulli etiam uiri primarij nostris censendos afferrent. Quidam etiam necromanticos quos multis annis instar thesauri custodierat, cum diu persuaderj ut abijceret haud potuisset, igne tandem cremandos obtulit. Neque uero minora ex haereticis lucrefacta sunt. Nam ex illorum Castris ad Catholicorum signa unus de triginta nostrorum opera rediere: quo in numero extitit uir quidam honestus, qui triginta octo annos in haeresi contriuerat[5]. . . . Alius ex Catholicis quidem parentibus originem suam ducens, cum ueram religionem deseruisset, ad eam decimo quinto post anno suorum magna laetitia reuersus est: Septem alij in fide quam abijcere statuerant confirmati, alijs nonnullis rationes suppeditatae, quibus uersutias atque fraudes haereticorum eluderent."

1445. 1587.

Ex apographo eodem fere tempore Friburgi Helvetiorum scripto. Cod. J 36 f. 29.

Vir doctissimus Ioannes Pistorius a Canisio ad fidem catholicam instituitur et cum ecclesia reconciliatur.

In collegii friburgensis **Litteris* annuis exeunte a. 1587 (mense Novembri?) scriptis haec narrantur: Magna per nos „ex haereticis

[1] Quomodo Canisius eiusmodi pravas consuetudines reprehenderit et ieiunium commendaverit, v. supra p. 701 703 732 741. [2] Cf. supra p. 654.

[3] Fornicationes per magistratus puniendos esse Canisius identidem monuit: v. supra p. 631 666 740 744. [4] Einsiedeln.

[5] Ioannes Pistorius, ut videtur. De huius conversione v. plura infra, monum. 1445.

lucrefacta sunt. Nam ex illorum Castris ad Catholicorum signa unus de triginta nostrorum opera rediere: quo in numero extitit uir quidam honestus, qui triginta octo annos in haeresi contriuerat, et eandem pene cum nutricis lacte suxerat: hic a nostro Sacerdote aliquot diebus institutus in doctrinam catholicam fidemque iurauit: Adeo uero hoc tempore constans est, et in semel assumpta religione feruens, ut paucis post conuersionem hebdomadibus de rebus quae Caluinianis cum Catholicis controuersae sunt librum scripserit, cuius etiam nomine potissimum uero quod Societatis alumnus falso credatur in summum uitae discrimen incidit".

Quisnam ille erat? Certe non erat sacerdos aliquis monachusve apostata: neque enim eiusmodi homo „vir honestus" in his litteris vocatus esset. Neque erat sacrorum minister lutheranus vel calvinianus vel anabaptista: id enim litterarum auctor diligenter notasset (cf. supra p. 728). Erat igitur laicus in theologia bene versatus: nam post „aliquot dierum" institutionem in ecclesiam recipi poterat; immo etiam paucis hebdomadis post iam librum de rebus fidei inter Catholicos et Calvinianos controversis scribere poterat. Dolendum est sane, eius nomen positum non esse. Nec tamen id mirum est: nam eo tempore litterarum annuarum auctoribus nomina personarum non ponere tam solenne erat, ut haud facile ab ea consuetudine recederent[1]. Quaerenti autem mihi singularem illum hominem, unus mihi occurrit, in quem omnia conveniunt, quae hic dicuntur: Ioannes Pistorius Niddanus „iunior", Iacobi III. marchionis badensis consiliarius intimus, qui non solum iuri et medicinae sed etiam theologiae protestantium studuerat (v. supra p. 298). In collegii Societatis spirensis *Litteris* annuis de anno 1588 datis, quae anno 1590 typis exscriptae sunt, de ipso hoc „Ioanne Pistorio" haec, praeter alia, narrantur: „Incidit in vnum e Nostris, euocatum a quodam Principe: communi vtebantur diuersorio: et instituitur disputatio de religione: ea cum feruet, profert Pistorius locum beati Augustini: docetur a Nostro quomodo intelligendus, et qua trutina expendendi sancti patres: ex eo tempore multus ille in Catholicorum doctorum monumentis, incerta consilia voluendo ... Biennio post, in alium [e Nostris] incidit, cum quo biduum (idem enim iter vterque faciebat) interrogando, et respondendo consumpsit ...: et ex ea collocutione, et e missis postea persaepe litteris vltro citroque, nutare incepit ... denique, obstrepente licet segregum turba, apud Nostros sanctissimo die Pentecostes, pleno pectore, conuertit incensam linguam ad vitae prioris detestationem, et ad laudes Dei."[2] Palam igitur Pistorius catholicam fidem professus et in ecclesiam catholicam ingressus est Spirae Dominica Pentecostes anni 1588; id quod in Societatis templo

[1] Quam sapienti consilio id factum sit, ostendit *Thom. Hughes* S. J., History of the Society of Jesus in North America. Text. Vol. I. London 1908, 52.

[2] *Annuae Litterae* Societatis Iesu Anni M. D. LXXXVIII. Romae 1590. 169—170. Cf. etiam *Sacchinum*, Hist. S. J. V[1], l. 8, n. 95.

factum esse verisimillimum est. Facile autem fieri poterat, ut Pistorius, qui Friburgi Helvetiorum tunc ignotus erat, iam anno 1587 (aestate vel autumno), clam et privatim ab haeresi absolveretur atque ecclesiae restitueretur, publicam vero sollennemque fidei professionem graves ob causas ad annum 1588 differret. Ita ipse *Pistorius* affirmare potuit, se 14. Februarii 1546 stylo novo (4. Februarii 1546 stylo veteri) natum per 42 annos in Lutheri erroribus mansisse (Anatomiae Lutheri Pars prima. Cöln 1595. Praef. f. [*6a]. Ita illa quidem aetate haud admodum raro fiebat. Scribit litterarum friburgensium auctor, virum illum 38 annos in haeresi contrivisse eamque „pene" cum lacte nutricis suxisse. Haec in Pistorium conveniunt, si dixeris eum, cum quartum fere aetatis annum ageret, prima elementa doctrinae protestantium hausisse et ad preces lutherano ritu fundendas institutum esse. Congruunt etiam, quae de libro a viro illo paucis post conversionem hebdomadis scripto dicuntur. Nam Pistorius in „Analysi Thesium D. Jacobi Heerbrandi" a. 1587 edita fidem catholicam adversus protestantes defendit[1]. „Sacerdotem" denique illum, a quo vir ille paucis diebus ita institutus est, ut deinceps fidem constanter ferventerque teneret, Canisium fuisse certum est. Novem enim sacerdotum illorum, qui in collegio friburgensi degebant, hic longe et doctissimus, et clarissimus, et animas iuvandi studiosissimus erat. Et valde probabile est, Pistorium Canisii fama allectum Friburgum petisse, ut postremae dubitationes, quae ipsius conversioni obstabant, ab illo diluerentur. Fortasse iam antea commercium litterarum cum eo habuerat. Constat eum Canisio a. 1590 scripsisse (v. supra p. 299). Anno 1592 Friburgi Helvetiorum per Gemperlinum duas suas „Epistolas ad Ioannem Pappum Lutheranae Theologiae Doctorem et Concionatorem Argentinensem" typis exscribendas curavit. Pistorius († 1608) postea Jacobum III. marchionem badensem ad ecclesiam catholicam reduxit, vicarius generalis episcopi constantiensis, praepositus cathedralis ecclesiae vratislaviensis, protonotarius apostolicus, consiliarius bavarus et caesareus fuit ac pro ecclesia catholica plurimum laboravit, inprimis multis editis libris, quibus Lutherum impugnabat et fidem catholicam adversus multos adversarios tuebatur; quamquam fatendum est, eum more aetatis illius modestiae caritatisque limites in scribendo nonnunquam transgressum esse. Societati Iesu se amicum et fautorem praestitit. Celebratur eius nomen etiam apud historicos, maxime propter „Polonicae historiae corpus" et Rerum Germanicarum Scriptores ab eo editos.

1146. Anno 1587.

Ex litterarum apographo eiusdem fere temporis. Cod. „A 36" f. 28a–30b. Pauca ex hac litterarum parte relata sunt in „*Litteras* Societatis Iesu" annorum 1586 et 1587 cf. supra p. 309[1] 243.

Sociorum friburgensium auctoritas apud vicarium generalem, nuntium apostolicum, cives. Doctrina christiana. Casus conscientiae. Labores apud aegrotos, carceribus

[1] *Fel. Stiere,* Die Politik Baierns 1591–1607. I. München 1878, 10[1].

inclusos, capitis damnatos, in valetudinario. Inimici inter se reconciliati. Sodalium marianorum pietas, poenitentia, caritas. Discipuli. Dialogus. Bonhomius.

In „*Litteris* annuis" collegii friburgensis m. Novembri 1587 datis haec, praeter alia, narrantur: „Versati sumus hoc anno . . . in Collegio Friburgensi fere semper tredecim aut quattuordecim. . . . Ita magni nostros facit Reuerendissimi Lausanensis Episcopi in Spiritualibus Vicarius[1], ut quicquid ad suae Dioecesis reformationem spectat, cum nostris conferat et nonnisi ex illorum consensu et approbatione perficiat. . . . Nuncius etiam Apostolicus tam scripto quam coram de rebus grauibus ad religionem fidemque orthodoxam in Heluetia propagandam spectantibus nostrorum iudicium expetijt[2]. . . . Vir magnae authoritatis et his in locis late imperans aduertens se a Ministris Caluinianis maxime uero a Geneuensibus oppugnari a nostris auxilium postulauit, argumentaque sibi suppeditari quibus se contra eosdem muniret, cupiuit. . . . Reuerendi D. Vicarij iussu sacerdotes externi quamplures et Franciscanae Augustinianaeque[a] familiae religiosi a nostris instituti sunt, quo rectius expiandorum peccatorum munere et maiore cum DEj honore et uberiore poenitentium fructu fungerentur . . . Et quoniam hoc in loco non solum fuit extrema rerum omnium penuria, sed uaria etiam morborum genera extitere, Jdcirco suam quoque infirmis nostri operam locarunt, animamque agentibus praesto fuerunt[3]. . . . Quinque de quibus extremum supplicium successiuis temporibus sumptum est, nostri ad tormentorum locum usque ad fortiter constanterqe mortem oppetendam exhortantes prosecuti sunt: Captiuos etiam frequenter uisitando colloquijs pijs recrearunt, et Sacramento Confessionis expiantes sacro Christi corpore refecerunt. Jtum quoque singulis fere mensibus ad Hospitale, certisque temporibus peccatorum Confessiones ibidem exceptae. . . . Laboratum insuper ut ij qui totius anni spacio inter se inimicitias exercuerant, ac in perpetuis rixis magna uicinorum offensione uixerant, sibi inuicem reconciliarentur, ueniamque a se mutuo peterent, item ut filij, qui parentum monitis diu restiterant, probris ac maledictis eos prosciderant, cum parentibus in gratiam redirent. Excitata est hoc anno a discordiarum authore Daemone inter praecipuae nobilitatis ac dignitatis homines seditio, nulli ciuium memoria antegressae atrocitate comparanda[4], ex qua ciuitati non parum magna clades impendebat. Erat haec in duas quasi distracta partes, quarum utraque alteram de honoris dignitatisque gradu deijcere moliebatur, in quibus inter se componendis cum nostri quaecumque humanitus potuerant, adhibuissent remedia, incassum tamen: tum ad diuina confugerunt, remqe totam aliquot dierum spatio Deo in precibus commendarunt: et sic illius benignitate utriusque partis incensus furor non parum deferbuit. Sodalitas Dei Matris duplex est: vna Scholasticorum: altera externorum, quam hoc anno illustriorem reddidit uir magna authoritate et Senatorij ordinis non postremus, qui eidem nomen suum dedit. Orandi studio adeo insistunt, ut pro Patriae necessitatibus, auertenda rerum penuria, proque felici Regis Galliarum[5] de Ecclesiae hostibus impetranda uictoria, sponte uigintiquatuor horarum preces, et triduo quidem durantes, suscipiant: nonnulli octauo quoque die sacra synaxi sese muniunt: alij ieiunijs tertianis in singulas hebdomades

a) Augustianaeque *apogr.*

[1] Petrus Schnewly.

[2] Significari dixerim Joannem Baptistam Santonio episcopum tricaricensem, qui m. Octobri 1587 legatione perfunctus est, non Octavium Paravicinum episcopum alexandrinum, qui m. Novembri 1587 in Santonii locum successit (*Mayer* I 308—309). Cf. supra p. 252—254.

[3] P. *Petrus Michael* collegii rector Friburgo 10. Iulii 1587 Aquavivae praeposito generali *scripsit: Nostrorum nemo „communi patriae lue, licet quotidie fere aegris adessent, correptus decubuit, plerique tamen corporum alterationes sat graues passi sunt. . . . Potissimum hoc trimestri spatio nostrorum labor fuit, aegros inuisere illorumque confessionibus auditis ad foelicem exitum praeparare" (ex autogr.: Germ. 167 f. 279[a]). [4] Cf. supra p. 759. [5] Henrici III.

corpus macerant: in Quadragesima, mirum dictu, nihil calidi, nec cocti sumunt: et ne communi Patriae uitio quemquam offendant, legem de non gustando uino sibi ultro indicunt. . . . Ex Scholasticis qui se B. Matris seruitio totos consecrarunt, nonnulli horas non paucas assidua precatione traducunt: alij egenorum misericordia capti, uel panem illis uel pecuniam elargiuntur, aut si pecunia inopiam subleuare nequeunt, uestimentis Scholasticorum nuditatem contegunt. Alij in aliorum salute procuranda, non minus operae studijque, quam si reuera de nostris essent, impendunt: non paucos ad frugem bonam reducunt, qui uel ab honestis officijs uel a fide catholica desciuerunt: Summo uero odio detestantur libros haereticos, et frequenter ad Magistros suos comburendos adferunt. Qui scholas nostras studiorum gratia accedunt, praeter Heluetios ciuium filios, sunt Itali, Burgundiones, Valesij, et [ex] conterminis Galliarum partibus non pauci. . . . Reuerendus D. Joannes Bonhomius Episcopus Vercellensis" collegium „paulo ante uitae exitum ducentis florenis donauit" [1].

Friburgi in archivo reipublicae servatur *epistula autographa eaque germanica Augusta Vindelicorum 3. Septembris 1587 a P. *Ferdinando Alber* S. J. praeposito provinciali ad senatum friburgensem data, qua ei pro litteris 10. Augusti 1587 ad se datis gratias agit; magno cum gaudio se ex iis cognovisse, quantopere senatores faverent Societati, inprimis „vnserem lieben Patre Canisio" et collegii rectori, et quam studiosi essent catholicae religionis; fore, ut Societas fidelem ipsis praestet operam.

1447. 8. Decembris 1587.

Ex commentario ipsius Canisii manu emendato. Can. 41 f. 84ᵇ—85ᵇ.

Canisius e sacro suggestu Friburgensibus suadet, ut domum condant, in qua puellae a probis viduis, ut bonae matresfamilias evadant, instituantur.

Canisius Friburgi Helvetiorum die 8. Decembris 1587, quo festum „Conceptionis B. Mariae Virginis" agebatur, pro contione dicens, haec, praeter alia, Friburgenses monuit: „Wir lesen bey den alten Kirchenlehrern vnd Historienschreiber das die heilige Mutter Gottes von ihren eltern in dem tempel zu Jerusalem Gott aufgeopfert vnd daselbst vil iahr sampt andern feinen meidlein aufgezogen sey. . . . Das gibt mir nun vrsach etwas zu reden wie ich oft gedacht habe, ob es nit sein kinde, das man ein eigens haus für guter leuten Jungkfrauen verordnete vnd aufgerichtete. Die vrsach sein diese, die offentliche erfahrung gibt es das vil eltern nit haben die witz vnd tauglichkeit ihre kinder recht vnd Christlich aufzuziehen, sonderlich dieweil sie sich so frü verheiraten, vnd darnach auch in der Kindheit andere kinder gewinnen, wie solten sie dann ihre kinder lehren, das sie nie zuuor gelernet haben, können kaum betten vnd ihren Catechismum, haben kein Zucht vnd Gottesforcht gelernet, wie solten sie dann gute Zuchtmeister vnd Zuchtmeisterin geben. 2. So sehen wir wol was vnrhat daraus erfolget täglich das man die Megdlein so vnordentlich vnd frech aufwachsen last, vnd lauffen dahin auf der gassen, sein müssig im haus, gewehnen sich zu der schleckerey vnd Bauch sorg, ist ihr sorg vnd arbeit schone hoffertige kleider zu haben vnd zu tragen, weltliche lieder zu singen im haus vnd auf der gassen, dantzen vnd springen mit den Jungen gesellen, lachen vnd spotten vber sünd vnd schand

[1] „In usum bibliothecae": *Petrus Michael* *Aquavivae 8. Aprilis 1587 l. c. f. 141ᵃ.

so sie sehen vnd hören. Jch will geschweigen was fur vnzucht etwan heimlich von ihnen wirt begangen, das leider ihrer viel ihre Jungkfrauschafft verlieren, ehe das sie zu dem Ehestand tretten, wie auch der fürwitzigen Dina Jacobs Tochter widerfahren[1]. 3 Wenn nun aber ein fein Haus vorhanden wehre, darinnen fromme eltere Megdlein versamlet vnd aufgezogen würden, so hetten[a] sie gewisslich weniger vrsachen[b] sich zu versündigen vnd ihre Junge iahren in der vppigkeit zu verlieren, da würde man sie wol halten können zu der arbeit vnd lehr, zu dem heiligen Gebet vnd Gottesdienst, würden fein lernen lesen vnd schreiben neben wircken vnd spinnen, möchten auch etwan gute vnterweisung haben damit sie desto frommer[c] gehorsamer vnd Gottesfürchtiger blieben, Summa ich hette keinen zweifel, sie würden vil tauglicher vnd geschickter sein mit der zeit gute vnd ehrliche Haussmütter zu werden, vnd der Haussorg besser wissen[d] obliegen, wen sie zu den Ehestant kemen. Ja sagstu wie künd man aber die sach recht anfahen? Jch meine es kündte nichts schaden, sonder zu dem gemeinen nutzen rathsam sein, das ihr etliche darzu verordnet würden von der Obrigkeit welche sucheten ein gelegne behausung es würde dan verliehen oder verkauft in welcher zwantzig oder dreissig Meidlein sambt zweyen ehrlichen[e] betagten vnd erfahrnen wittfrauen beyeinandern woneten vnd also ein anfang machen möchten. Die reichen köndten für ihre Jungkfrauen alle Fronfasten bezalen, mit der Zeit möchten etlich gelt darzu schencken[f], oder in ihrem Testament verordnen, damit solches Gotteswerck vnd ehrlichs Haus besser beferdert würde. Nun wol angefangen wer halb gethan wie man zu sagen pflegt. Es wird Gott ohn zweifel sein segen auch darzu geben das fromme Christliche hertzen dieser sachen gunstig seyen auch rath vnd hülf geben, damit solche behausung ihren gewünschten vortgang gewinne. Es meinen wol etliche man solt solche Jungkfrauen zusammen in ein Kloster thun vnd in der zucht aufziehen lassen. Jch bin aber der meinung nit, dieweil solcher Frauenkloster in dem land gar wenig vnd nit wol regulirt sein[2]. 2. Vnd wen sie schon solten reformirt werden, so würde man alzeit darinnen wenig personen finden welche könden vnd wölten sich dieser Jungkfrauen recht annemen vnd taugliche Meisterinen sein, sonderlich wenn der Jungkfrauen[g] vil sein solten, so hielt ich es für

a) *Sic librarius correxit ex* würden. b) *Sequitur* haben, *oblitt.* c) *V. sequens a libr. supra versum scriptum est.* d) *Haec 2 vv. a libr. postea addita sunt.* e) *Sequitur* vnd, *oblitt.* f) *A libr. correctum ex* verschencken. g) *Sic libr. corr. ex* wenn ihrer.

[1] Cf. Gn 34, 1–3.

[2] Exstabat iam tunc Friburgi monasterium virginum cisterciensium, quod „la Maigrauge" (Augia macra) vocatur. De quo *Sebastianus Verronius* urbis parochus 25. Septembris 1584 ad S. Carolum Borromaeum *scripsit: Friburgi unicum hoc esse „Monasterium Sanctimonialium" idque „longis temporibus corruptum". Proximo quidem m. Augusto illud per visitatorem quendam ex ordine cisterciensi „ex parte reformatum" esse, sed „parvo, metuo, successu". „Non audent Virgines se talj coenobio committere" (ex autogr., quod est Mediolani in bibliotheca ambrosiana, Cod. „F i. inf. 175" f. 232).

rathsamer das man fein eingezone fromme vnd geschickte weiber aus der stad erwölete welche nit allein weise Meisterin sonder auch getreue vnd erfarne Hausmutter wehren. Solches alles aber will ich den weysen fürsichtigen vnd Gottliebenden Herrn vnd freunden weiter darum zu bedencken gütlichen befehlen. der hofnung es wirt mir[a] niemandt solche rathschlagung verargen. dieweil dergleichen auch an[b] anderen orten geschicht. vnd Christus auch herrlich belohnen will. alle die so die kinder in seinem namen[c] aufnemen. vnd dieselbigen[d] zu im füren." [1]

Sic igitur Canisius, quod iam 25. Novembris 1585 Friburgensibus suaserat (v. supra p. 686), iterum idque multo clarius et enucleatius quam antea proposuit.

1448. **Exeunte m. Decembri a. 1587.**

Ex Can. 42 f. 29a–31b.

Canisii exhortatio domestica de votis renovandis.

Exstat orationis commentarium a P. Sigismundo Ilsung S. J. magnam partem scriptum et a Canisio emendatum, quod sic incipit: „Initium exhortationis ad annum .88. Visum est bonum ut renouemus uota 1° die anni". Ex hoc commentario cognoscitur, *Canisium* Friburgi ad Socios collegii exeunte m. Decembri 1587 „exhortationem domesticam" habuisse, qua eorum animos ad vota religiosa die sacro Circumcisionis Domini sive 1. Ianuarii 1588 renovanda praeparabat. Respondit autem ad duas quaestiones: 1. „Qui fit nos a Deo vocatos ad statum spiritualem et perfectum, non magis spirituales et perfectos esse?" 2. „Quae facienda ut cum fructu uota renouemus?"

1449. **Anno 1587 vel 1588. (inter m. Iunium 1587 et Novembrem 1588?)**

Ex Can. 41 f. 178a–183a. Ex eodem codice exhortationem tertiam, posuit *Schlosser* 140–144.

Canisius ad Socios exhortationes de votis paupertatis et castitatis habet.

Exstant exhortationum a Canisio Friburgi ad Socios collegii habitarum commentaria tria ab eodem dictata atque emendata, quorum primum inscriptum est „De paupertate", secundum „Secunda exhortatio de paupertate", tertium „De uoto castitatis". Prima exhortatio sic incipit: „Eligenda est materia loco et tempori praesenti congrua, quae et digne et utiliter in exhortatione proponi possit. 2. incoauimus uirtutes tres Theologicas hac ratione tractare ac illas expediuimus post quas commodum est de tribus alijs hic proponere, ad quas maxime obligamur, sicut omnes proposuimus et ad quas tenentur omnes religiosi. Vouimus enim omnes seruare perpetuam paupertatem, castitatem et obedientiam" etc. Ex his verbis colligi potest, has exhortationes habitas esse post autumnum anni 1586. De caritate enim, quae est tertia in „virtutibus theologicis", Canisius ad sodales quinquies vel sexies dixit anno 1586, idque, ut videtur, inter m. Martium et Octobrem (v. supra p. 719). Has autem de paupertate et castitate exhortationes inter m. Iunium 1587 et Novembrem 1588 habitas esse dixeris eo, quod in Cod. Can. 41, qui contiones a Canisio ad populum ab exeunte Iunio a. 1587 ad exeuntem m. Decembrem a. 1588 habitas complectitur, scriptae sunt, et quod in eodem ante exhortationem 8. Novembris 1588 ad Socios habitam positae sunt.

In prima exhortatione Canisius haec tractat: „Quid est paupertas religiosa?" De „excellentia et dignitate paupertatis". „Quomodo paupertas nobis in constitutio-

a) *Sequitur* solche, *oblitt.* b) *Sequitur* all, *oblitt.* c) *Sic libr. corr. ex* so seine kleine an vnd. d) *Sic libr. corr. ex* die Kinder.

[1] Cf. Mt 18, 5; 19, 13–14; Mc 10, 13–14.

nibus commendatur? „Quae utilitates paupertatis?" In secunda exhortatione: „Quomodo peccatur circa paupertatem?" „Quam graue noxium et damnabile sit peccatum proprietatis". In tertia: „Vbi fundatur haec castitas religiosorum?" „Spirituales et saeculares conueniunt et differunt inter se circa castitatem"; ibi simul agitur de „impedimentis" et de „mediis" castitatis servandae.

1450. 1588.

Canisii Catechismus Leodii editus. „Summa" ab Adamo King scotice reddita.

1. *Ant.-Alex Barbier*, Dictionnaire des ouvrages anonymes, 3me éd., T. I. Paris 1872, col. 533, ponit hanc editionem Summae canisianae sive nomine auctoris factam: „Catéchisme ou sommaire de la doctrine chrétienne etc. Liège 1588". Eandem brevissime commemorant *De Backer* I 1059 et *Sommervogel* II, 633, dicentes, eam in 16° factam esse.

2. Anno 1588 Canisii Summa Parisiis ab Adamo King, philosophiae et mathematicae professore, in linguam scoticam translata et in lucem emissa est: „ANE | CATHECHISME | OR SCHORT INSTRV- | CTION OF CHRISTIAN | Religion dravven out of the scri- | pturs and ancient Doctours com- | pyled be the Godlie and lerned | father Peter Canisius Doctour in | Theologie. | *Vvith ane Kallendar perpetuale contining baith the | auld and nevv Kallendar, Vvith dyuers vthers | thingis pertining thairto verie profitable for all | sort of men: maid be M. Adame king professeur | of Philosophie and Mathematikis, at Paris.* | In the end ar adionned certian godlie prayers and | ane schort methode Vvhairby euery man may ex- | ame his conscience hovve he hes offendet | the maiestie of god or his nichtbour. | AT PARIS. | Imprented be PETER HYRY. | 1588." Verba „Cathechisme" et „At Paris" et numerus „1588" rubra sunt. 16°. Titulum sequitur in 75 foliis non signatis kalendarium eiusque explicatio; cui interposita est „The table of fvll sey at all ye costes of Scotland". Sequitur in 232 ff. signatis Summa scotice reddita; cuius prima quaestio sic habet: „Quha aucht to be callit ane a Christiane? He quha professis the sound, and helth full doctrine" etc. Salutatio angelica sic terminatur: „halie Marie mother of god, pray for vs sinneris novv, and at ye hour of ovvr deathe. Amen."

Post haec in 45 ff. seorsim signatis institutio ad recte confitenda peccata et variae precationes positae sunt. Typi subtiles sunt et elegantes. Parvam huius versionis partem edidit *Thomas Graves Law* in „The Scottish Text Society. Catholic Tractates of the sixteenth Century 1573—1600", Edinburgh 1901 (*Historisch-politische Blätter* CXXX, München 1902, 306—310). Librum vidi Londini in museo Britannico et Parisiis in bibliotheca mazariniana (nr. 24 785)[1]. Idem exstat Parisiis in bibliotheca genoveviana (Geneviève) et Pragae in bibliotheca universitatis (XXI. M 106). *Sommervogel* eum posuit II 630.

1451. 1588.

Canisii catechismus minor „abbreviatus" cum Thomae a Chaves O. P. Summa Sacramentorum Venetiis editus.

Venetiis a. 1588 editus est liber: „INSTITVTIONES | CHRISTIANÆ PIETATIS, | Siue abbreuiatus Catechismus | Petri Canisij Theologi So- | cietatis IESV. | VENETIIS, | Apud Iacobum Cornettū. | MDLXXXVIII."

12°; ff. sign. 38, addito titulari. Sequuntur 2 ff. non sign., in quibus sunt „Diffinitiones omnes quae in hac doctrina Christiana continentur". Ponitur quidem in hac editione „Parvus Catechismus Catholicorum" Canisii, sed ita, ut non distinguatur per quaestiones et responsiones. Omittuntur „testimonia sacrae Scripturae adversus haereticos". Caeterum haec editio additamentum vel partem constituit

[1] In hac bibliotheca est n. 24 191 eiusdem editionis exemplum alterum, cui et in folio titulari et in catalogo bibliothecae manu scripto perperam, ut existimo, annus 1587 ascriptus est.

operis, quod sic inscribitur: „SVMMA | SACRAMENTORVM ECCLESIÆ. EX DOCTRINA R. P. | F. Francisci à Victoria. *Ordinis Prædicatorum, & olim Primarij Cathedratici apud Salmat.* | Cum Indice locupletissimo. | Cui adiecimus Conclusiones in | singulis quæstionibus: | Et in calce Catechismum Petri Canisij abbreuia- | tum. vtilissimum Christianis omnibus. VENETIIS. | Apud Iacobum Cornettum. 1588." In fine libri: „Cvm licentia Sanctissimae Inquisitionis". 12°; ff. sign. 226, addito titulari, et in fine ff. non sign. 14, in quibus rerum index positus est. In f. 2—3 litterae dedicatoriae *Francisci Ziletti* ad „Basilium Issapicam", de quibus dictum est supra p. 496. Sequitur f. 4 praefatio „*F. Thomae a Chaves* Dominicani", tempore non ascripto: Se antea quidem concessisse, ut libri IV. Sententiarum (Petri Lombardi) explicatio a Fr. Victoria magistro suo tradita et a se in compendium redacta „alienis manibus potius quam nostris" ederetur; modo autem se ipsum eandem diligenter recognitam et valde amplificatam in lucem emittere[1]. Librum vidi Monachii in bibliotheca universitatis. Editionem posuit *Sommervogel* II 637.

1452. 1588.

Oeniponte cum Canisii catechismo minore editur admonitio de doctrinae christianae tradendae utilitate, necessitate, modo.

„SPECVLVM CATECHISMI. | Das ist, | Augenscheinliche Er- | klärung, wie nutz vñ not- | wen- | dig des Catholischē Catechismi lehr | vnd anstellung sey, vnd mit was ernst | Geist- | liche vnd weltliche Obrigkait darob hal- | ten sollen. Dessen fürnembste Puncten | nach der Vorred zusehen. | Sampt | Kurtzer anregung der Fürst. Drt. | Ertzher. Ferdinanden zů Oster- | reich x. | jüngst Publicierten Teutschen Schuelordnung, vnd | darinnen neben dem Catechismo, vermeldtē Zucht: | Gsang: vnd Ceremoni Bůchlins. | Vnd wie diser zeit der Catechismus zů | Ynßprugg der Jugent fürgetragen werde, mit an- | gehengtem D. Petri Canisij Catechismo. | Mit Röm. Kay. May. Freyhait. | Getruckt zů Ynßprugg, durch | Joannem Paur. 88." Versus 1, 3, 4, 11, 12, 16, 19 et annus 1588 rubri sunt.

16°. In initio ff. non sign. 8, addito titulari; sequuntur ff. sign. 59 et 1 non sign.; Catechismus vero (minor) Canisii, quem huic „Speculo" adiunctum esse in eiusdem Speculi inscriptione affirmatur, in exemplo, quod ipse vidi, deest; neque tamen hoc exemplum mancum esse videtur; quare existimo, catechismum illum suum proprium titulum suamque distinctam foliorum signationem sive numerationem habuisse. In f. 59ᵇ Speculi legitur eiusdem approbatio, ab *Alberto Hunger*, professore theologiae et procancellario universitatis ingolstadiensis, data; cui tempus ascriptum non est. Pulcherrime in hoc libello fideles monentur: „Das aller fürnemste Werck so man in der Christenhait zur ehr Gottes, vnnd der Seelen hail, wie auch zu pflantzung vnd erhaltung der Catholischen Religion, auch eusserlichen fridens, vnd zeitlicher wolfart thuen vnd anstellen kan, ist, die Jugent in der Religion vnd Christenlichen Glaubens stucken, zur Gottsforcht vnnd andacht, wie auch zur Tugent, gueten Sitten vnnd in der Lehr auffziehen, vnd vnderweisen."

Die 22. Octobris 1588 Austriae superioris „*Regimen*" Ferdinando II. archiduci principique suo *scripsit: Iam aliquot centena Speculi typis exscribenda curavimus. Idem *Regimen* 26. Octobris 1588 Ferdinando *commendavit, ut 200 florenos „Speculis", catechismis canisianis, libris similibus emendis destinaret, qui libri ad parochos mittendi forent, iuventuti distribuendi; id esse „ein vast miltes vnd Gottselliges Werckh" (ex apographis eiusdem temp., quae sunt Oeniponte in archivo praefecturae, „An die Fr: Dt: Lib. 24. 1588" f. 612ᵃ—619ᵇ).

Vide etiam, quae de hoc Speculo scripsit *Franc. Krus* S. J., Unbegründete Beschuldigungen der ältesen Innsbrucker Jesuitenkatechese, in „Zeitschrift für katholische Theologie" XXXIX, Innsbruck 1915, 171—180. Librum vidi Oeniponte in bibliotheca musei Ferdinandei (IV a 1). Eundem posuit *Sommervogel* II 658.

[1] Haec „Summa" Thomae de Chaves hispani, baetici († circa 1570), primum, a Victoria ipso approbata, in lucem prodiit ante a. 1546; dein edita est Pinciae 1565.

1453. 1588.

Canisii „Manuale" latine Antverpiae, germanice Ingolstadii editur.

1. *De Backer* (I 1049) affirmat, Canisii „Manuale Catholicorum" (cf. supra p. 736) prodisse „Antverpiae, ex officina Christophori Plantini, 1588", in 12° min., pp. 358. Post *De Backer* idem dicit *Sommervogel* II 677.

2.) Praeterea *De Backer* (III 2054) ponit: „Catholisch Handtbüchlein: voll schöner andächtiger Gebett durch den ehrwirdigen Herrn Petrum Canisium der Societet Jesu Theologum neuwlich in Latein zusammen getragen, jetzt aber in Teutsche sprach verfertigt. Gedruckt zu Ingolstatt durch Dauid Sartorium. 1588. 12°". Ex *De Backer* haec transcripsit *Sommervogel* II 677.

1454. 1588.

„D. HIERONYMI | STRIDONIENSIS | EPISTOLÆ SELECTÆ, | & in libros tres distributæ, | opera D. Petri Cani- | sij Theologi. | *Nunc denuò ad exemplar Mariani Victorij | Reatini, Episcopi Amerini, emendatæ, | argumentisque illustratæ.* | Epistolarum, atque aliorum opusculorum, | quæ tribus hisce libris continentur, ordo & numerus adiectus est. | *Cum rerum & verborum Indice | locupletissimo.* | PARISIIS, | Apud Sebastianum, & Robertum Ni- | uelle, sub Ciconiis, via Iacobaea. | M.D.LXXXVIII. | CVM PRIVILEGIO REGIS."

12°: ff. sign. 417; praeterea ff. non sign. in initio, addito titulari, 16 et in fine 48. Titulum sequitur „Petri Canisii Theologi, ad florentis Academiae Dilinganae Rectorem, Professores et studiosos, Praefatio" a. 1565 data (cf. *Can.* V 26—30); dein index epistularum et opusculorum. . . . In fine libri (ff. 48) index alphabeticus rerum. Librum vidi Parisiis in bibliotheca nationali (Rés. C. 630); exstat is etiam Bonnae in bibliotheca universitatis. Editionem posuit *Sommervogel* II 670.

1455. 1588.

Orationes sacrae a Canisio Friburgi habitae. Xenia. Criminum punitio. Feneratio. Victus clero subministrandus. Sacra communio. Cultus Sanctorum. Magistratibus oboediendum.

Canisius anno 1588 Friburgi in templo S. Nicolai contiones fere octo habuit. Quarum maxima pars Canisio, ut videtur, dictante a P. Sigismundo Ilsung collegii friburgensis sodali scripta est. Canisius omnia recognovit et emendavit.

„Am Neuen Jarstag 1588". „Nota tractatum fuisse de celebritate festi. 2. distributa Xenia 3. dictum est de quatuor generibus nouum annum auspicantium". „Die neue iahr den Friburgern ausgetheilt". Pro xenio (cf. supra p. 565) Canisius dat clero Ieremiam prophetam, magistratui civili tres Reges magos, civibus Tobiam praeclarum illum patremfamilias, coniugibus Josephum et Mariam coniuges sanctissimos, virginibus et viduis Judith matronam. In parte tertia orationis Canisius dicit, „wie vns auch ein forcht einstossen solt die böse vnd gifftige kranckheit, welche von dem Landt in die Stad schon eingerissen vnd vil heuser inficirt vnd angezundet hat, darzu dan nit wenig schaden zuerwarten, von wegen des vngesunden vnd seltzamen lufts halber, vnd darumb die lobliche Obrigkeit billich verursahet ist, das sie in solchen gefehrlichen leüffen wachen vnd allerley bösen vnrhat vorkommen, vnd den gemeinen Man bey guter alter Christlicher Policey halte vnd regiere Damit alle Stende in rechter Gottesforcht, auch bey grosser straffen hausen handeln vnd wandeln. . . . Ich liebe die Friburger vnd bitte Gott vmb drey ding, erstlich das in der stadt groll vnwill zwispalt gar aufgehebt, vnd darfur lieb freundtligkeit vnd friede gespürt werde. 2. das nit vngestraffet bleibe die ÿbertretter der gutten alten Stadtordnung,

---

Salmanticae 1575, Venetiis 1571. 1579. 1580 etc., Antverpiae 1586. 1594. 1610. Turnone 1629 etc. *Quetif-Echard* II 192.

sonderlich aber die Gotteslesterer, Ehebrecher, Hurer vnd verleumbder. 3. das in dem iahr abgestellet werden allerley grosse vnd schendliche [Handlungen?], ia auch die grosse vnd schendliche wucherey vnd wucherische hendel, so wider das natürlich Göttlich vnd keiserliche recht streiten, vnd nit allein die stadt sondern auch das Land in gewisse verderbnus bringen werden. Jch bin guter hoffnung das durch diese 3 mittel oder gnade meine geliebte Friburger das böse alte iahr verlassen vnd ein gutes seliges neues iahr erreichen werden mögen" (ex commentario: Can. 41 f. 104a—110a).

Sequitur commentarium orationis die Purificationis B. Mariae V. sive 2. Februarii habendae (l. c. f. 111b—116b). Huius tamen commentarii fini adnotatum est: „Jn die festo Purificationis non fuit concio, unde sequitur de festo Matthiae Apostoli".

Die S. Matthiae, qui anno hoc bissextili erat 25. Februarii. „Dicam 1 de Matthia hodie cogitanda 2 quomodo seruiat nobis historia de illius electione scripta per Lucam." In secunda parte Canisius hoc, praeter alia, monet: „Jst auch kein ding, das zu der erhaltung vnd beförderung der Catholischen Religion ietzunder mehr von nöthen ist, als embsigklichen zu wachen, vnd zuuerschaffen, damit allerley Pfarrkirchen mit guten tauglichen Priestern vnd Seelsorgern besetzet vnd versorget würden, sonderlich dieweil solche Catholische Priester sich so schwer vnderhalten vnd ihre notturfft daruon haben mögen. Da will keiner mehr der Kirchen etwas geben vnd verschaffen, auch nit gedencken wie wir schuldig sein vor Gott vnd der welt, die Kirchendiener zu underhalten. . . . Man find vil Kirchenräuber, Bildstürmer, Pfaffenfeind vnd welche den geistlichen gütern, zehenden vnd einkommen nachtrachten etc. wenig aber [welche] Constantini, Theodosii, Henrici, Helenae, Kunigundes . . . sein" (ex commentario: l. c. f. 116b—120a).

„Jn festo Annunciationis B. Virginis" sive 25. Martii 1588. Canisius primum demonstrat, diem hunc admodum sanctum et venerandum esse. Ubi hoc quoque notat: „Zum dritten, soll vns der heutig Feyertag desto lieber vnd werther sein, dieweil derselbig von Gott mit andern grossen geheimnüssen geheiliget vnd gezieret ist. Dan heut wie die alten Christliche Vätter geglaubt vnd geschrieben haben, sein die ersten Menschen Adam vnd Eue ins Paradeis gesetzt, vnd am selbigen tag durch anfechtung der schlangen in Gottes vngnaden von wegen ihrer vngehorsam gefallen [1]. . . . Heut ist der ander Adam nit allein von der Jungkfrawen empfangen, sonder auch nach 33 iahren gekreutziget gestorben vnd begraben, wie auch solches Augustinus bestettiget." [2] „Nun bin ich des vorhabens nit von dem herrlichen lob der seligsten Jungkfrawen Marie, so in dem heutigen Euangelio begrieffen, auch nit von dem Englischen Gruß oder Aue Maria, abermals zu handeln, gleich wie solches in vergangenen iahren geschehen, sonder mein meinung vnd fürsatz ist diß Euangelium dahin zu ziehen vnd zu richten, damit der gemeine Man sehe vnd lerne solche lehrstücken, welche ihm vrsach geben seine zukünfftige Communion vnd empfahung des hochwürdigen Sacramentes wol vnd seligklichen zuuerrichten. Will derhalben E. L. dreyerley personen als des Engels, Christi vnd Marie ördenlich fürhalten, vnd darbey allein von dem rechten brauch der Communion meldung thun, damit es alles desto besser verstanden vnd behalten werde" (ex commentario: l. c. f. 122b—127b).

„In die Palmarum" sive 10. Aprilis 1588. Primum dicit „de Ceremonijs, Palmis et alijs rebus benedictis". „Propositio. Es seind sonst drei andere ding an welchen vns Christen zu der zeit hoch vnd vil gelegen, welche ich nit vbersehen vnd verschweigen kan, dieweil sie ad catholicam praxim gehören, vnd ein nottwendige vbung erfordern. Das erste ist, das wir vns recht in die Marterwochen schicken. Das ander, das wir vns durch die Buß mit Gott vnd der Kirchen versöhnen. Das dritte, das wir das recht Osterlemblein würdigklich empfahen. Nichts besser vnd füglichers weis ich E. L. ietzunder fürzuhalten. Nichts wird vns auch bequemer vnd heilsamer sein, begeren wir anders selige fröliche Ostern zuerreichen. Nichts ist auch gemäs

[1] Cf. *Can.* III 794.

[2] De civ. Dei l. 18, c. 54; De Trin. l. 4, c. 5 (*Migne*, P. lat. XLI 619; XLII 894).

vnd gleichförmiger der Kirchenordnung. Es sein eben die stucke, welche mit allem vleiß vnd ernst, die frommen alten Catholischen, zu der zeit an die hand genommen vnd getrieben haben" (ex comment: l. c. f. 129ᵃ—137ᵃ).

„In die sancto Paschatis" sive 17. Aprilis 1588. „Collatio passionis et resurrectionis." „Tractatio Evangelii de Mariis". „Quomodo peccent Nouatores". „Wie fromme Christen ihren glauben von der Vrstend Christi in ihrem hertzen ernewern vnd bestettigen sollen". „Wie wir vnsere Ostern, vnd die volgende Österliche Zeit recht vnd Christlich halten sollen" (ex comment.: Can. 41 f. 137ᵇ—145ᵃ).

„Dominica XIII. post Trinitate" [sic] sive 11. Septembris 1588. Evangelium diei (Lc. 10, 23—37)[1], quod est de Samaritano, explicans Canisius ostendit: „Was für irrthumen ietzunder im schwang gehen, so bey diesem Euangelio gemerckt vnd abgeleinet sollen werden". „Wie der Samaritan im Euangelio vns lehret, das wir die recht Christliche lieb erkennen vnd vben" (ex commentario: l. c. f. 149ᵇ—156ᵇ).

„In die Sanctorum Omnium" sive 1. Novembris 1588. „Propositio. Was sein dann die fürnemsten vrsachen aus welchen die newen Christen sich gegen den Heiligen so mißgünstig vnd widerwertig erzeigen. Zum andern warumb mag ein iegklicher Catholischer sich trösten vnd stercken in seinem wahren bewährten glauben so vil die Heiligen vnd ihre eherbittung belangt. Zum dritten, wie vns das heutig Euangelium zu rechter nachfolgung der Heiligen weyset vnd ermanet. Von diesen dreyen Haubt vnd Lehrstücken soll ietzunder weitleuffiger geredt vnd gehandlet werden" (ex commentario: l. c. f. 158ᵃ—165ᵇ).

„Am heiligen Christtag" sive 25. Decembris 1588. „Dicam 1 quibus hic dies est scandalum 2 qui fructum ex eo maxime capiunt". In secunda orationis parte *Canisius* haec, praeter alia, monuit: „Jhr lieben Kinder, schawet zu diesem schönen Christkindlein, dann kein kind ist ie schöner vnd hübscher geboren, vnd lehrnet von ihm die kindliche vnschuld zu lieben vnd vnuerletzt zubehalten. Nisi efficiamini sicut paruuli non intrabitis in regnum coelorum [Mt 18, 3]. Lehrnet von diesem Knäblein eweren lieben Eltern gehorsam zu sein, gleich wie das Christkindlein sich durchaus nach seiner Mutter willen regieren ließ, das er auch seine glieder nit rhüren wolte, vnd sich von der Mutter allein hin vnd wider heben vnd legen ließ, ia war auch dem Zimmerman Joseph gehorsam, wie sin vnd gnadreich vnd aller weyßheit vnd künsten voll war er vom anfang. Ey sollet ihr dann nicht dieses Kindleins erfrewen vnd mit ihm in der reinigkeit vnd gehorsam verharren. Jhr Bürger vnd Vnderthanen der Christlichen Oberkeit erfrewet euch mit dem newgebornen Christkindlein vnd lehrnet von ihm dem Römischen Keyser als der höchsten weltlichsten Oberkeit schuldige gehorsam zuleisten, ia aller fürgesetzten Oberkeit die auferlegte stewer zinß vnd tribut zu bezalen gleich wie diß Kindlein samt seinen lieben Eltern gethan hat, ob schon dasselbig Kindlein ein Herr war vber alle Herren vnd niemand etwas schuldig. Der Keyser war wol heidnisch vnd Cyrinus sein Statthalter ein Gottloser Mann. Der König Herodes war nichts werth, ia der baldt darnach ein ein blutgieriger Kindlemörder sich erzeiget. So stundt es auch vbel mit der Jüdischen Priesterschafft. Nichts desto weniger hat sich Christus aller Oberkeit, geistlicher vnd weltlicher vnderworffen, wie er auch hernacher gethan vnd gelehret" etc. (ex commentario; l. c. f. 166ᵃ—173ᵃ).

In numero fructuum a Canisio ex contionibus huius anni et annorum superiorum collectorum hi haberi posse videntur:

1. Quod ad meretrices attinet, *Senatus*, ut in * litteris quibusdam 31. Aprilis 1588 datis dicit, compererat, „[daß] die gemeinen metzen, so man vß vnserm beuelch, vß vnsern Landen verthrijben soll, sich huffen wijß vff die Alpen vnnd bergen begebend, allda sie in den stallen enthalten werdend". Propterea ab eo 30. Aprilis 1588 decretum est, ut scriberetur „an die vögt der Bergstetten das sy iren geschwornen beuelhind, die zuersuchen, den frembden den eid von Statt vnd Land, vnd den heimbschen in ir perrochiam zegeben. Vff die alte Landschafft soll man lütt aus-

[1] *Missale* Lausannense f. cxxii.

schicken die solliche lüt mitsampt den bättlern vff den Kilbinen rechtvertigind" (ex codd. archivi reipublicae friburgensis „Mandatenbuch 2" f. 88ᵇ—89ᵃ et „Rathsmanual Nr. 135" in 30. Apr.).

2. Kalendis Decembribus a. 1588 *Senatus* * edixit: Professione illa fidei iureiurando ab omnibus confirmata Friburgenses in id adiguntur, ut inprimis diebus sacris missis solennibus et contionibus intersint neve committant, ut earum tempore in locis communibus publicisque inveniantur. Contra eos, qui id neglecturi essent, mandatum a senatu a. 1586 editum et a. 1587 renovatum est. Quia autem adhuc ea in re peccatur, omnes paterne haec monentur: Quicumque diebus dominicis et festis missarum solennium et contionum tempore in viis aliisve locis publicis, sive sacris, sive non sacris, inventi erunt, quinos schillingos curatori mendicorum, cum postulaverit, pro multa solvent. Eodem modo multabuntur, qui contiones per Adventum et Quadragesimam habendas non audierint. Quibus autem hae habebuntur horis, omnes mercatores opificesque tabernas officinasque claudere debebunt; pistores quoque panum tabernam publicam claudent. (Mandatenbuch 2 f. 93ᵃ—94ᵃ).

1456. Circa d. 2. Martii 1588.

Ex commentario a Canisio, ut videtur, dictato. Can. 41 f. 120ᵃ—122ᵇ.

Canisius „exhortationem domesticam" de ieiunio quadragesimali habet.

Exstat commentarium „Exhortationis ad fratres de Quadragesima" anni 1588 a *Canisio* Friburgi habitae, quae sic incipit: „Jch weis diese heutige exhortation nit besser anzufahen dann mit einer sondern frölichen dancksagung darumb das vns der liebe Gott den anfang vnd eingang gibt zu dieser heiligen Zeit der viertztägigen Fasten." Canisius Sociis collegii ostendit: „Cur Quadragesima magni facienda": „Cur libenter ieiunandum": Qui „fructus ieiunij": „Wie soll sich aber einer zu dieser zeit verhalten."

Ex loco, quo haec exhortatio in codice scripta est, conici potest, eam circa Dominicam primam Quadragesimae, quae erat 25. Februarii, habitam esse.

1457. Circa initium m. Aprilis 1588.

Ex commentario partim per Canisium P. Sigismundo Ilsung S. J. ut videtur dictato, partim ipsius Canisii manu scripto. Can. 41 f. 128. Ex eodem commentario exhortationem hanc, edidit *Schlosser* 85—87.

Canisius ad Socios exhortationem de „examine particulari" habet.

Canisius Friburgi ad Socios collegii exhortationem sacram „de examine particulari" habuit; quam inter d. 25. Martii et 10. Aprilis 1588 habitam esse colligitur ex loco codicis, quo eius commentarium scriptum est; videtur igitur habita esse 29. Martii, qui erat dies Veneris. Aliqua ex ea hic ponam.

Examen particulare est „inuentum[1] et commendatum a primo Praeposito" Societatis Ignatio . . . „authorem habet illum qui saepissime illo utebatur[a] et dicere solebat indignum esse panis edulio qui se non examinaret . . . omnes[b] fortes et debiles uidentur egere tali medicina . . . Cur saepe hoc examen intermittitur aut frigide

a) *Undecim vv. sqq. ipsius Canisii manu in margine addita sunt.* b) *Tria vv. sqq. ab ipso C. addita sunt.*

[1] Hoc quidem iam Patres et medii aevi doctores, immo etiam philosophi aliqui ethnici affirmaverant: Ad vitium, quo quis maxime laboraret, exstirpandum vel virtutem, qua maxime indigeret, comparandam utilissimum fore, si de vitio illo vel virtute singulari cura „examen conscientiae" institueretur. Ignatius vero in „Libro Exercitiorum" (hebd. 1), quomodo id via et ordine fieri deberet, singillatim exposuit et de „examine particulari" nova eaque sapientissima praecepta dedit. Cf. *Alonso Rodriguez* S. J., Ejercicio de Perfeccion (Sevilla 1609 et saepe alias) P. 1, tract. 7, c. 1—8, et *H. Watrigant* S. J., De Examine Conscientiae iuxta Ecclesiae Patres etc., Enghien 1909, 27—29 39—41.

peragitur. Primo ob neglectum hominis interioris et ignorantiam defectuum quibus subiacemus, ambulantes in tenebris[1], nimium nobis indulgentes, nihilque solliciti de puritate conscientiae quae cuique religioso maxime debebat esse commendata. Sumus in uocatione liberiores neque ponderamus obligationem quam tenemus de cordis puritate, de mortificatione sensualitatis, de abnegatione et uictoria sui, de gratia comparanda conseruanda et augenda, de priuati amoris et passionum extirpatione. Non notamus damnum animae quando defectus nostros parum curamus, et in uitiorum extirpatione cessamus. Vix fieri potest ut in confessione bonam reddamus rationem conscientiae sine hoc examine, quod indicium praebet boni militis quotidie pugnantis et seipsum uincentis, et in uia Dei proficientis iuxta illud: Jbunt de uirtute in uirtutem donec uideatur Deus Deorum in Sion[2]. Vbi non fit examen tale, non fiat[?][a] etiam recte aliud generale quinque punctorum[3] iuxta illud: Sapiens timet et declinat a malo, stultus autem transilit et confidit[4]. Quomodo mortificari posunt mali habitus et passiones sine hoc examine? quomodo arbor mala[b] sine securi amputatur? quomodo crescent bonae herbae nisi malae prius extirpentur. Non autem extirpantur, nisi prius cognoscantur, non cognoscuntur nisi subinde considerentur et Dei gratia quaeratur atque per orationem adhibeatur. Beati mundo corde[5]. Talis autem cordis munditia consistit in sola Dei gloria et proximi utilitate quaerenda 2. in voluntate et intellectu sanando, qui autem modica negligit, paulatim decidit[6].

Qui[c] non exercet se in hoc examine, non seipsum cognoscere potest[d] per actum prudentiae. 2 non uincit[e] se, naturam et daemonem per actum fortitudinis. 3 priuat se corona quam bona voluntate et proposito posset acquirere: 3[f] priuatur gratia quae datur obedienti et conanti 4 caret gaudio spirituali, sicut aegrotus ex fructu sumpti pharmacj. Breuiter cum posset mereri per actum prudentiae, iustitiae, obedientiae, fortitudinis[g], priuat se bonis omnibus istis, nec solum gratia sed et gloria particulari. Reddet enim deus cuique mercedem secundum suum laborem. Non est bonus filius P. Jgnatij, qui nos docuit verbo et exemplo ut quisque saepius se colligat examinetque. Cur non obseruamus praesentiam Dei ubique: 2 cur non in particularibus formamus intentionem bonam 3 cur in obedientia debiles, in oratione distracti, in mortificationis studio frigidi? nempe ob defectum huius examinis."

1458. Initio m. Maii 1588.

Ex commentario a P. Sigismundo Ilsung S. J. (ut videtur) scripto et Canisii manu emendato. Can. 41 f. 145[b]—147[b].

Praefatiuncula editoris: Friburgi in senatu minore 30. Aprilis 1588 "dictum est: Comprecatio maior („das groß gepett"; de quo vide supra p. 699) iam per quinque loca catholica in orbem ivit et absoluta atque a Subsilvanis Friburgum transmissa est. Quare „articuli", quas ad eam recte instituendam vicarius generalis [Petrus Schnewly] composuit, approbati sunt. Habebitur igitur in dies et vexilla („von 24 zu 24 stunden, von Paner zu Paner"). In urbem evocandi sunt rusticani aliquot, ut quomodo comprecatio haec fiat, videant, et deinde ipsi quoque de ea facienda possint dare praecepta (Rathsmanual Nr. 135, in 30. Apr.: Friburgi in archivo reipublicae). Paucis post diebus idem *Senatus* in multa agri friburgensis

a) *Sic; corrigendumne* fit *an* fiet? b) *Hoc v. ab ipso C. additum est.* c) *Hoc v. et omnia quae sequuntur a C. ipso scripta sunt.* d) *Tria vv. sqq. a C. in margine addita sunt.* e) *Quattuor vv. sqq. a C. supra versum scripta sunt.* f) *Sic; scribendum fuit* 4, *et paulo inferius* 5 *pro* 4. g) *Sequitur alterum* iustitiae.

[1] Ps 81, 5; Eccle 2, 14; Is 9, 2; Io 8, 12; 1 Io 1, 6 etc. [2] Ps 83, 8.

[3] Examen conscientiae illud significatur, quod non de uno aliquo peccato, sed de omnibus peccatis certo aliquo tempore, ut integro vel dimidio die, commissis instituitur. *S. Ignatius* in Libro Exercitiorum (hebd. 1) proposuit huius examinis faciendi „modum" quinque „puncta" complectentem.

[4] Prv 14, 16. [5] Mt 5, 8. [6] Eccli 19, 1.

loca mandatum misit, quo haec *edicuntur: Ab Helvetiae locis catholicis constitutum esse, ut ad avertendas divinae iustitiae poenas comprecatio maior haberetur. Eam caeteris locis iam habitam, modo Friburgensibus traditam esse. Superiore igitur eam hebdomade (quae erat 28. Aprilis —4. Maii) in urbe, 3. Maii in agro veteri incohatam esse, atque proxima die dominica (quae erat 12. Maii) eandem in parochiis illis incohari debere. Ad eam faciendam omnes, quotquot sacram eucharistiam iam sumpserint, inprimis autem patresfamilias ac matresfamilias, teneri. Eam sine intermissione diebus ac noctibus per turmas fieri debere ita, ut singulae turmae tres horas orent, mulieres interdiu, viri autem noctu. Eos autem, qui ea in re neglegentes vel contumaces se praebituri sint, poenis corporum et fortunarum affectum atque urbe agroque eiectum iri (ex apographo eiusdem temporis, quod est Friburgi in archivo reipublicae, Cod. „Mandatenbuch 1" f. 150). Plura de huius orationis ratione ac modo v. supra p. 699.

Canisius Friburgi exhortationem ad Socios habens „orationem maiorem" a magistratibus praeceptam commendat.

Extat exhortatio a Canisio Friburgi ad Socios collegii initio m. Maii a. 1588 habita, cuius commentarium a librario inscriptum est: „De oratione publica indicta Friburgi"; ipse autem *Canisius* postea his verbis haec superscripsit: „In hac exhortatione nihil dicam nisi de oratione proxime promulgata". Exhortationis huius saltem partes aliquas hic ponendas esse existimo.

„Non possum committere, quin aliquid dicam de publica et communi oratione, quam brevi sunt celebraturi Friburgenses, sicut intellexistis, ex peculiari authoritate spiritualis et ciuilis Magistratus, et ad quam ciuitas et ditio tota conuocatur, et quae non solum interdiu sed etiam nocte peragi debeat. Suadetur etiam, ut haec oratio fiat praecedente[a] ieiunio et confessione Sacramentali. Ob quas uero causas haec oratio instituitur? Prima causa fuit ad gratiam et uictoriam impetrandam regno Galliae contra hostes fidei congregatos in magno numero ante aliquot menses. 2. ad succurrendum Catholicis in Heluetia, qui merito sibi[b] timuerunt et timent a malis uicinis et haereticis in eadem Prouincia insidiantibus uariasque praxes[c] in praeiudicium bonorum tentantibus. 3. propter unionem Principum christianorum, qui multis ab hinc annis inter se dissentiunt et tumultuantur. 4. ob uaria Dei offensi flagella nobis amouenda siue sunt praesentia siue imminentia. Docet enim experientia, tanto magis Deum irasci et mundum praesentem flagellare grauius, quanto plura et maiora peccata fiunt a Clero et populo in omnibus statibus absque omni timore et pudore[d]: deest pueris innocentia, uirginib. pudor, magistratibus iustitia, ciuib. charitas. Hinc insolita fames malaque crescentia omnium fructuum, sicut et uini. 2. hinc aeris infectio multis in locis, unde uarij morbi et pestes grassantur. 3. hinc seditiones, bella et Christiani sanguinis effusio 4. hinc tot fidei hostes, desertores et persecutores: tot magi nicromantici et ueneficae. . . ." „Dicam ergo primum quomodo dicta oratio fidelibus omnibus prodesse possit[e]. 2. quomodo nos circa illam laudabiliter gerere debeamus." „Interea dum sumus Friburgi nunquam tale mandatum promulgatum est per Superiores . . ." „Capitur et hoc commodum ex praesenti oratione quod liberamur graui obligatione qua tenemur[f] tanto magis orare quo certius cognoscimus tribulationes maximas Ecclesiae hoc nostro tempore. 2. prodest nos excitari, ut simus grati Heluetijs et maxime Friburgensibus apud quos Deus uoluit nos laborare et Collegium hoc conseruare . . . Quomodo igitur grauemur cum alijs Deum rogare qui plus alijs tenemur ad perfectam charitatem proximi hic exhibendam Deique gratiam comparandam? Monet etiam nos haec oratio tanto magis amare[g] et iuuare hanc prouinciam quanto illi[g] eorumque maiores solent esse ad orandum promptiores et deuotiores, quam reliqui Germani. Hi[h] non habent morem huiusmodi orationes longas"

a) *Sequitur* uigil, *oblitt.* b) *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.* c) *Tria vv. sqq. a C. ipso supra versum scripta sunt.* d) *Quae sequuntur, usque ad* charitas *incl., a C. in margine addita sunt* e) *Sic C. correxit ex* quomodo nos dictam orationem nobis utilem efficere possimus. f) *Quae sequuntur, usque ad* simus grati *incl., a C. ipso, deletis vv.* esse grati, *in margine addita sunt.* g) *Duo vv. sqq. a C. ipso supra versum scripta sunt.* h) *Sic correctum est ex* qui.

in pace belloque instituendi et celebrandi, neque cum Moyse precantur extensis manibus [1], sicut etiam primos Christianos [a] fecisse scribit Tertullianus in Apologetico cap. 30 [2]. Narrat et Hieronymus quod Paulus primus Eremita moriturus extenderit manus in altum et sic mortuus inuentus sit cum genibus complicatis et erecta ceruice [3]. Ita Christus etiam in cruce mori noluit nisi brachijs et manibus extensis, et in horto positis genibus, et procidens in faciem suam orauit [4]. Non inueni tantam fidem [5] et deuotionem in Germania. Heluetij uere dicunt: Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum in coelos [b]. Thren. 3" [6].

Antiqua illa *Historia* collegii Friburgensis haec habet in a. 1588: „Reuixit hoc quoque anno antiqua Heluetiorum pietas, nam mense Maio in templo D. Nicolaj, ab vtriusque sexus hominibus, extensis in modum crucis brachijs, nostris exemplo suo praeeuntibus, vigintiquatuor horis oratum, eademque oratio in vniuersa Friburgensium ditione, ad sex hebdomadas continuata, quibus ne vna quidem fuit horula, qua praedicto modo permulti non orauerint. Ad pestem etiam auertendam, quae [c] passim in pagis et oppidis grassabatur, supplicationes frequentissimae, ad B. Virginem Auf Bürgle decretae, quodamque die sub signis et crucibus ter mille numerati" (Cod. friburg. „Hist. coll. Frib." p. 12).

1459. **2. Iulii 1588.**

Ex Can. 41 f. 148ᵃ—149ᵃ.

Exhortatio ad Socios collegii friburgensis.

Exstat commentarium Friburgi a P. Sigismundo Ilsung (ut videtur) scriptum et a *Canisio* ipso recognitum, quod sic est inscriptum: „Jn festo Visitationis MARIÆ exhortatio ad Domesticos". Eam a. 1588 habitam esse intellegitur ex ipso loco, quo in codice scripta est. Incipit autem sic: „Quia festum hodiernum de Domina nostra in Ecclesia Catholica celebratur, non scio melius nisi de illa ipsa proponere et tractare in praesenti exhortatione, praesertim quibus modis consequi possimus, ut ipsi per illam nos uisitari a Deo sentiamus." Ostendit deinde Canisius, opus esse fide catholica, „singulari reverentia", „confidentia singulari", studio imitandi virtutes Mariae.

1460. **A d. 30. Augusti ad 3. Septembris 1588.**

Ex Verronii autographo, de quo infra dicetur.

Canisius Sebastiano Verronio urbis friburgensis parocho exercitia S. Ignatii tradit. Canisii oratio pro Societate et causarum Deo commendandarum indiculus.

Anno 1919 Friburgi Helvetiorum in bibliotheca cantonali et universitaria vidi codicem in 16° non signatum eumque membrana alba vestitum, qui, ordine temporis non servato, compositus est ex quattuor fasciculis, manu Sebastiani Verronii (Werro), praeclari illius parochi, decani, praepositi, vicarii generalis friburgensis scriptis, in quibus nec paginae nec folia numeris sunt signata.

Fasciculus tertius (f. [28ᵃ]—[56ᵇ]) a Verronio inscriptus est „EXERCITIA SPIRITVALIA institutore Venerando Patre P. Canisio suscepta · 30 die Augusti. 1588." [7] Verronius, qui eo tempore canonicus capituli

a) *Sic correctum est ex* de primis Christianis. b) *C. his vv. superscripsit:* auffheben der da ist. c) *Sic correxi ex* qua.

[1] Cf. Ex 17, 11 12.
[2] Apologeticus adversus gentes c. 30 (*Migne*, P. lat. I 503).
[3] Vita S. Pauli n. 15 (*Migne* l. c. XXIII 27).
[4] Mt 26, 39. [5] Mt 8, 10. [6] Thr 3, 41.
[7] Friburgi, ut videtur, aliquando *Canisius* coepit „Modum tradendi exercitia" conscribere; neque tamen ultra paucas sententias progressus est; quae ex autographo

S. Nicolai et parochus urbis friburgensis erat (cf. supra p. 283), in haec exercitia, ut ex eius scripto intellegitur, quinque dies impendit et ex iis haec notavit :

„31. Aug.[a] Dies II. Meditatio de peccatis" Sequuntur variae considerationes generales, veram meditationem non constituentes. Deinde

„Praescriptum Patris Canisij · de Verbo ad Verbum.

1. ORATIO praeparatoria.

2. Animum velut in carcere constitutum, et in medio hostium exulantem cernere.

3. Singularem de peccatis anteactis dolorem petere.

Meditandum I. Ad vitae superioris memoriam recolendam, expendere, quibus in locis vixerim, quae officia et negotia gesserim, et cum quibus vixerim.

II. Quanta sit mortalis peccatj foeditas, et nequitia, licet divina lege non prohiberetur.

III. Quis et qualis ego sim, si cum alijs multis, sj cum vniverso genere mortalium, sj cum sanctis Angelis, si cum DEO ipso conferar? Quid ego nisj spurcus, perversus, inanis, immo ulcus quoddam et apostema?

IV. Quid vero Deus tot a me modis offensus? nonne summa potentia, sapientia, bonitas, justitia? Cum Deo collatus ergo quid sum : nisj summa[b] et extrema infirmitas, ignorantia, malitia, iniquitas etc.?

V. Annon jure admirer Creaturas adeo indigno mihj parcere, tot in me conferre beneficia, et velut Dominj suj hostem tolerare? Cur mea peccata non vindicant Angeli, non Sanctj, non Coelum, et elementa? Cur me non absorbet terra? non deglutit infernus?

VI. CHRISTVM in Cruce fixum, totque modis misericordem intuebor; illius beneficia praedicabo; meam incusabo improbitatem et ingratitudinem, illius consilium et opem implorabo : Quid egerim illo dignum, et quid posthac agere debuerim, et debeam, in animum reuocabo. Pater noster[1].

Scripsit B. Augustinus libros Confessionum : ad ejus exemplum injunctum est ex totius vitae discursu et discussione, peccata universa describere : et generalem Exhomologesin postridie facere, quod[2] absolutum demum est hora decima ante meridiem.

1. Sept. a meridie · Praescriptum P. Canisij[c].

a) *Hoc tempus in margine notatum est.* b) *Sequitur* potentia, *oblitt.* c) *Verr. haec vv., incipiendo ab* 1. Sept., *in paginae huius margine scripsit.*

in Can. 5 f. 23[b] posito editae sunt in libro „Monumenta Ignatiana, Ser. II : Exercitia spiritualia *Sancti Ignatii de Loyola* et eorum Directoria", Matriti 1919, 986.

[1] Cf. S. *Ignatii* Librum Exercitiorum, hebdomada I, exercitium secundum (*Monumenta* Ignatiana l. c. 284—290 584—585 628—630).

[2] Cf. Librum Exercitiorum, hebd. I, „Examen conscientiae generale" cum monitione de „confessione generali" (*Monumenta* l. c. 260—273 581—583 625—626).

III Dies.

De rege CHRISTO subditos ad bellum evocante.

Praeludia. Oratio praeparatoria.

Spectare loca, in quibus docuit Christus.

Petere gratiam ad Christj vocem observandam.

I. Decere ut subditj suo principj ad bellum evocantj pareant: maxime ubj de rebellibus ad officium revocandis agitur.

II. Quomodo Rex, ut Constantinus et Carolus Magnus ad Christiana bella gerenda suos incitarint, et se duces eorum praebuerint, magnis laboribus et periculis sese exponentes.

III. Quid merito respondeant subditj a Rege ad hoc bellum excitatj, suas operas illi fideliter offerendo? Ignavorum esset militum hic sese subducere, et obedientiam detrectare.

IV. Haec ad Christum Regem Regum, qui mundum repugnantem suae potestatj subijcere cupit, ideoque milites fideles expetit, referam.

V. Officium meum in eo ponam, ut sanctae illius voluntatj me totum offeram, talem ducem sequar, communes cum illo labores et dolores subeam, quocunque vocet et mittat.

VI. Petam ab eoipso Rege gratiam, serio et fideliter aggrediendj et prosequendj, quod a me exigit ad ipsius gloriam et proximorum salutem. Petam lucem cognitionis, et robur auxilij, et donum perseverantiae. Implorabo et Sanctorum Ordines, ut faveant et succurrant meae imbecillitatj [1].

Hactenus Verba Canisij.

Ex his elicita."

Sequuntur ipsius Verronii considerationes et proposita varia. Deinde „2. Sept." [a] „IV. Dies. DE INCARNATIONE CHRISTI" et „de Christj agone in Horto" meditationes sive „puncta meditationum", quae vocantur [2]. Dein „3. Sept." [a] „V. Dies. De Deo ex toto corde redamando" puncta meditationis valde brevia [3], cum hac notatione: „Lege Granatenum tract. 7 Mem." [4] et considerationibus ad Deum amandum spectantibus. Postea „De recte orando Deo. Vt adoretur DEVS in spiritu et veritate (Ioan. 4) [5] 1 Praeparatio praecedat, quies animj; locus et tempus aptum. 2 Ante Sacrificium quadrans horae in oratione et meditatione consumendus. 3 Saepe, aut quotidie psalmus, aut unicus versus per integram horam in animo volvendus, ut eo penitius in

a) *Haec vv. a Verr. in margine scripta sunt.*

[1] Cf. Librum Exercitiorum, hebd. II, exerc. 1 (*Monumenta* l. c. 314—321 589—590 631—632).

[2] Cf. Librum Exercitiorum, hebd. II, primi diei contemplatio prima, et hebd. III, contempl. 2 (*Monumenta* l. c. 322—328 398—402).

[3] Cf. Librum Exercitiorum, hebd. IV, contemplatio ad amorem obtinendum (*Monumenta* l. c. 426—433).

[4] „Memorialis vitae christianae" a P. Ludovico Granatensi O. Praed. conscripti liber VII est de amore Dei.   [5] Io 4, 23 24.

meditationem animus penetret: aut saltem per quadrantem horae id fiat. 4 Festivis solennitatibus animus praeparandus ad puritatem: legendum est eo die et vigilia, vel etiam per octavas de eo argumento, quod ad Festum et Christi praesentia beneficia recolenda faciat." Sequitur: „Examen Conscientiae. Discurrendum memoria 1 per Decalogum, 2 Septem peccata mortalia: 3 et Virtutes oppositas: 4 Tres potentias animj. Quinque sensus[1]. Laus Deo. Finis."

Sic terminantur haec exercitia. Quae certe pretiosa sunt: nam usque adhuc, qua ratione Canisius exercitia tradidisset, prorsus ignotum erat. Verronius autem meditationes seu potius institutiones sive puncta ad meditandum de peccatis propriis et de regno Christi ita „de verbo ad verbum" transcripsit, ut ei a Canisio scripto tradita erant. De reliquis meditationibus ab eo notatis id saltem non constat. Utinam „de verbo ad verbum" transcripsisset omnes meditationes, easque haud paucas, quas ei ex praescripto libri exercitiorum a Canisio traditas esse certum est! Quodsi duas illas meditationes cum libro exercitiorum contuleris, haec videbis: Canisius in meditatione de peccatis librum illum, quod ad res attinet, integre, quod ad verba, magnam partem secutus est. Meditationem vero de regno Christi etiam, quantum ad ipsas res spectat, nonnihil immutavit, eam ad vitae condicionem, in qua Verronius erat, ad eiusque indolem accommodans.

Sequuntur in eodem illo exercitiorum fasciculo fructus quidam sive appendices exercitiorum, precationes dico et institutiones, eaeque a Canisio Verronio traditae; hic enim earum initio in margine ascripsit: „P. Canisii". Sunt autem „Precationes piae Matutinae", orationes praeparatoriae ad sacram communionem et ad missam, oratio post communionem, institutio „De conscientia examinanda", orationes pro aliis etc. In his est precatio, quam Verronius „Pro Sacerdotum fraternitate" inscripsit, addendo tamen in margine: „Pro instituto Societatis". Atque ex ipsa precatione patet, in ea Societatem Iesu Deo commendari; ad alias tamen sacerdotum sodalitates facile haec accommodari potest. Eam hic pono, quia a Canisio composita esse et usque adhuc ignota fuisse videtur.

„COMMENDO tibj Domine IESV corpus hoc universum nostrae Societatis, quod in capitibus et membris eius, in sanis et aegrotis, in proficientibus et deficientibus, in spiritualibus ac temporalibus rite gubernetur ad Nominis tuj gloriam, ac totius Ecclesiae[a] utilitatem. Per te numero et merito ubique gentium augeamur, nostramque vocationem recte cognoscamus, et cognitam amemus, perfecteque impleamus, ita ut Societatis nostrae ordines omnes Majestatj tuae digne et fideliter inseruiant: praeceptis et consilijs Evangelicis sedulo inhaereant, ac fraternae[b] charitatis compagine unitj, tuam benedictionem efficacem sentiant in suis provincijs, collegijs, missionibus, functionibus et ministerijs obeundis. Sint sobrij, simplices, prudentes, quietj, ac solidarum virtutum studiosj, ut vita eorum concordet cum nomine, et professionem suam reipsa testentur. Confirma Domine IESV quod coepisti in hac tua congregatione, ut quam religiosam obedientiam, paupertatem, atque castitatem te autore sancte promisimus, te adjutore ad mortem usque praestemus. Neque modo vivos, sed defunctos etiam Societatis hujus fratres, fundatores, et benefactores divinae tuae misericordiae commendamus."

Sequitur hic indiculus, et ipse Verronii manu scriptus:

„Oratio pro quibus potissimum fierj debeat.

Pro Germania, Gallia, Polonia, Indijs. Pro summo Pontifice, collegio Cardinalium. Pro Imperatore, rege Hispaniae, Galliae, Poloniae.

a) *Sequitur* salutem, *oblitt.* b) *Sic Verr. correxit ex* fraternitatj.

[1] Cf. Librum Exercitiorum, „Tres modi orandi", modus 1 (*Monumenta* l. c. 434—441).

Pro regno Angliae, repub. Veneta. Principibus Christianis. Pro Cardinalibus. Episcopis. Pastoribus animarum. Pro concionatoribus, confessarijs, Pro benefactoribus. Pro conversione infidelium in Indijs. Catholicis inter haereticos, peregrinis, hospitalibus, Christianis captivis apud infideles. Pro animabus purgatorij. Pro justitia bene administranda, pace universali, pereclitantibus in marj. Pro conversione infidelium. Pro reductione haereticorum, pro desolatis et afflictis · pro iter agentibus · pro perfecta regularum observantia. Pro dono orationis et devotionis augendo · pro unione et fraterna charitate augenda. Pro divino cultu et sacramentorum frequentia augenda. Pro omnibus religiosis. Pro concordia et unione Principum christianorum. Pro Ecclesia sancta Catholica. Pro fidej propagatione et augmento. Pro desiderantibus preces nostras. Pro morte mulctandis. Pro perseverantia in bene coeptis. Pro agonizantibus. Pro infantibus periclitantibus sine baptismo. Pro profectu spiritualj fratrum. Pro existentibus in peccato mortalj. Pro pauperibus et mendicis · Pro fidej propagatione. Pro habentibus bona desideria. Pro tentatis. Pro obstinatis in malo. Pro schismaticis, infirmis, persecutoribus. Pro vexatis a Turcis. Pro necessitatibus ecclesiasticorum. Pro officio sanctae Inquisitionis. Pro praeceptoribus. Pro Hybernia. Pro scholasticis. Pro incarceratis. Pro dono puritatis. Pro constantia certantium pro fide. Pro indevotis et libera conscientia. Pro propugnatoribus fidei Catholicae. Pro exaltatione nominis IESV in universo mundo · et caet."

Hunc indiculum non a Verronio, sed ab alicuius ordinis religiosi sodali aliquo compositum esse ostendunt verba „pro perfecta regularum observantia": et satis certum est, Canisium ipsum eius esse auctorem. De Canisio enim *Verronius* in *Commentario de rebus ab eo gestis narrat: „Habebant suum locum in eius precibus Prouinciae Christianae omnes sigillatim; habebant et Antistites ac Principes quique pro cuiusque statu; adhaec illi qui quovis discrimine sive in vita sive in agone mortis periclitarentur: Orabat pro donis a Deo varijs impetrandis, pro Ecclesiae pace et incremento et similibus, quorum descriptum μναμοσυνον supra quinquaginta varij generis sanctas solicitudines continebat" (ex apographo, quod exstat Monachii in archivo maiore reipublicae bavaricae, Jesuitica in genere, Fasc. 13, No 214, f. 3ᵃ). Haec certe optime in indiculum modo positum conveniunt, et Verronius, ut iam dixi, corpori orationum et institutionum a. 1588 a se collectarum adnotavit, eas „P. Canisij" esse.

In codice, quem supra dixi, secundo loco exstat *fasciculus 10 foliorum, a *Verronio,* qui a. 1590, parochi officio dimisso, Romam studiorum causa migraverat (v. supra p. 276) sic inscriptus: „Meditationes Romanj Collegij, festo S. Lucae inceptae. 1590". In folio sexto scripsit: „Confessio facta generalis, a superiore exercitio, de duobus annis et sesquimense"; et in folio decimo: „Laus Deo summo: Beataeque Matrj Virginj. 23 Octob. 1590". Haec ergo ille exercitia in Societatis collegio romano a d. 18. ad 23. Octobris 1590 peregit.

1461. M. Iulio 1588.

Ex epistularum commentariis eodem fere tempore scriptis „G. Sup. 2" f. 8ᵇ 9ᵃ.

De Canisio contionandi labore levando agitur.

Claudius Aquaviva Societatis praepositus generalis Roma 21. Iulii 1588 Augustam Vindelicorum ad P. Ferdinandum Alber praepositum

provincialem Germaniae superioris litteras misit, in quibus Alberum hoc monet: „Admonitus sum P. Canisium quotidie magis uiribus destitui, quod non solum uerisimile, sed ferme necessarium est in illa aetate: quare uideri omnino leuandum concionandi laboribus. Quamobrem si Reuerentia V. cum illic fuit nihil de hoc constituit, cogitabit hoc quoque." Quis autem Aquavivam ita amonuerit, cognoscitur ex litteris ab eo eodem die ad P. Petrum Michael collegii friburgensis rectorem datis, quibus ad Michaelis epistulas mensibus Aprili et Iunio ad se missas respondebat. Sic enim *Aquaviva* scribit: „De P. Canisio subleuando scripsi ad P. Prouincialem."

Aquavivae monitioni obtemperatum est. Nam a m. Iulio anni 1588 ad m. Decembrem anni 1597, quo Canisius mortuus est, quinque tantum contiones canisianae in litterarum monumentis, quae quidem supersunt, apparent. Ideo *Sebastianus Veronius* praepositus friburgensis in narratione rerum a Canisio Friburgi gestarum (v. infra, mon. 1621): „Exhaustis", inquit, „viribus annos natus circiter sexaginta septem a munere concionandi abstinuit". In **Catalogo* provinciae Germaniae superioris a. 1589 (ineunte, ut videtur) a Ferdinando Alber provinciali Romam misso Canisius tantum „Consultor et Exhortator" vocatur. In contionando autem ei successisse videtur P. Petrus Michael „Rector et Concionator" (G. Sup. 44 f. 78ᵃ).

Numerum contionum a Canisio Friburgi habitarum primus, quod sciam, indicavit *Dorigny* (a. 1707) scribens: Canisius „commença de prêcher regulierement toutes les Fêtes, et tous les Dimanches dans la grande Eglise dédiée à S. Nicolas" (360). Dorignium hac in re secuti sunt *Python* (305), *Berchtold* Histoire du Canton de Fribourg II, Fribourg en Suisse 1845, 272), *Raemy de Bertigny* (1. ed. p. 62—63), *Daurignac* (360), *Genoud* (101). Similiter, moderatius tamen, scripserunt *Degli Oddi* (228), *Séguin* (250), *Alet* (101), *Séguin-Allard* (254—255), *Boero* (Can. 379), *Michel* (386).[1] Jamvero ex monumentis historicis affirmari potest, Canisium a m. Decembri a. 1580, quo Friburgum advenit, ad Decembrem a. 1597, quo ibidem mortuus est, ibidem 320 fere contiones ad populum habuisse. Munere contionatoris in templo S. Nicolai functus est octo circiter annis (1581—1588), quo tempore, additis contionibus, quas aliquotiens in templis B. Mariae Virginis, Monticuli etc. habuit, 311 fere contiones habuit: quotannis igitur, si medium quendam numerum ponere volueris, 38 circiter orationes habuit sacras: quamquam diversorum annorum valde diversus est numerus: maximus 54 anno 1583, minimus 8 anno 1588. Quare longe abest, ut affirmari possit, eum singulis diebus dominicis et festis dixisse, praesertim cum constet, Friburgi numerum dierum festorum, qui praeter dies dominicos celebrabantur, valde magnum fuisse (cf. supra p. 460¹). Praeterea et ex Canisii ipsius et ex aequalium eius testimoniis constat, ei ad contionandum in templo S. Nicolai assignatos esse dies festos, non dies dominicos; his enim Petrus Schnewly vicarius generalis dicebat[2] (v. supra p. 31⁶). Ita v. g. *Petrus Michael* collegii friburgensis rector in *relatione de collegii origine inter a. 1583 et 1587 scripta: „Occupantur nostri praecipue concionibus habendis in summa aede, festis duntaxat diebus" (ex autogr.: Cod. „I 36" f. 11ᵇ). Neque tamen, quod ita constitutum erat, omnino accurate observabatur: nam praeter solemnitates, quae in dies dominicos cadebant, aliquot etiam aliis diebus dominicis Canisius sacrum suggestum ascendit: et erant dies festi nonnulli, quibus ille contionando abstinebat.

[1] Canisium „régulièrement" in templo S. Nicolai contionatum esse affirmatur in „*Dictionnaire* géographique, historique et commercial du Canton de Fribourg", Fribourg 1886, 183.

[2] Schnewly in templo S. Nicolai munus contionatoris, quo a. 1565 fungi coeperat, usque ad mortem († 1597) administrasse videtur. Cf. *Heinemann* 119—129.

1462. Aestate vel autumno 1588.

Ex Litterarum annuarum apographo eodem fere tempore scripto, quod est in Cod. „I 36" f. 34b, et ex commentarii verroniani apographo saeculo XVIII. scripto, quod est Monachii in archivo maiore reip. bavaricae, Iesuitica in genere Fasc. 13, No. 214, atque ex Cod. „Sibende Rechnung des Herrn Hansen Frûyo" sub v. „Zeerung", qui est Friburgi Helvetiorum in archivo reipublicae. Locus ille Litterarum annuarum germanice positus est a *Riess* l. c. 478. Eodem usus est editor „*Annuarum* Litterarum Societatis Iesu Anni M. D. LXXXVIII" Romae 1590 153.

Ad Canisium consulendum venit ex Geldria Theodorus eius nepos.

In *Litteris* annuis collegii friburgensis, Friburgo Helvetiorum 16. Novembris 1588 datis, narratur: „Alius in Geldria habitans excitatus fama doctrinae et pietatis cuiusdam Patris nostri, hac vna de causa Friburgum longissimum iter instituit, ut illius opera et consilio in difficillimis conscientiae rebus vsus mentis tranquillitatem assequeretur: qui generali confessione facta se adiutum sentiens, laetus et expeditus domum ad suos redijt." Patrem illum „fama doctrinae et pietatis" in Geldria florentem fuisse Canisium noviomagum facile intellegitur. Quis autem Gelder ille fuerit, colligi potest ex relatione quam *Sebastianus Verronius* praepositus capituli S. Nicolai friburgensis paullo post Canisii mortem de rebus ab eodem Friburgi gestis scripsit: „Venerat", inquit Verronius, „ad Petrum [Canisium] aliquando Theodoricus Canisius, ipsius ex tertio fratre nepos [1], cui ut animum tanti itineris suscepti causa gratum monstraret, rogavit Petrum Schneulin generalem Vicarium, quandoquidem pro eius liberalitate se persaepe ad convivia invitaret, si se amaret, vellet nepotem ad familiare prandium vocare; se omni officio et precibus ad Deum fusis id remuneraturum; negavit vir ille interpellatione opus esse, quod hoc ipsum animo iam cogitasset: exceptus itaque convivio est admodum lauto, et porro altero a Canonicis; tertio a cive primario; quarto ruri a Decano Tudingano [2]." In *Codice denique archivi reipublicae friburgensis, in quo *Ioannes Frügo* reipublicae friburgenis quaestor rationem reddebat dati et accepti a 24. Iunii ad 31. Decembris 1588, haec sunt notata: „Dem Würt zun Krämern vmb Escuijen Benoits vnnd des H. Canisij Vetters Zeherung, vnd für andere die jnen gesselschafft geleistet LIX librae 8 schilling."

In filiis Ottonis Canis, qui tertius Petri Canisii frater erat, neque „Theodoricus" neque „Theodorus" comparet. Idem de filiis Gisberti Canis dicendum est. Gerardus autem Canisius filium habuisse traditur „Theodorum", qui postea Societatem Iesu ingressus est (*Klejntjens* l. c. 196—198. Cf. etiam P. B. [P. *Bongaerts* S. J.], Stamlijst van de Familie Kanis, s. l. [1865], p. 6—8). De eo in antiquissimo collegii germanici * *Catalogo* notatum est manu prima: „Theodorus Canisius patria, et Dioecesi

---

[1] Vide, quae sub ipsam hanc relationem dicentur.

[2] Düdingen (Thüdingen), gallice Guin, pagus milliario et dimidio Friburgo distans; cuius paroecia mensae capituli S. Nicolai friburgensis „incorporata" est (*F. Kuenlin,* Dictionnaire géographique, statistique et historique du Canton de Fribourg I, Fribourg 1832, 148). Parochus decanusque tunc illic erat Iacobus Schnewly, magister artium, doctor theologiae, cum Petro Schnewly praeposito capituli S. Nicolai propinquitate coniunctus (*Dellion* VII 116).

Ruremundensi in Geldria honestis parentibus. Studuit Rhetoricae per annum Coloniae. A nemine commendatus uenit ad Collegium 6. Decembris 1588. annorum 19." Et manu posteriore: „Discessit Sacerdos 10 Maij 1593" (Cod. rom. „All. coll. germ." p. 126).

1463. **21. Octobris 1588.**

Ex Can. 41 f. 157^a—158^a.

Canisii exhortatio domestica de oratione.

Exstat commentarium manu P. Sigismundi Ilsung (ut videtur) scriptum et sic inscriptum: „Jn festo S. Vrsulae conferentia cum fratribus de oratione". Hanc exhortationem a *Canisio* Friburgi a. 1588 habitam esse cognoscitur ex loco, quo in codice scripta est. Monstrat Canisius: „Quid nos religiosos mouere debeat ad orandum magis quam saeculares". „Quae maxime ad orandum nos modo excitare debent". Pro quibus „orandum uidetur specialiter hoc tempore." „Quomodo perfectiorem et efficaciorem reddere possimus precationem nostram pro dictis negotijs".

1464. **8. Novembris 1588.**

Ex commentario a P. Sigismundo Ilsung S. J. (ut videtur) scripto et a Canisio recognito et amplificato. Can. 41 f. 183^b—185^b.

Canisius ad Socios collegii de octo beatudinibus dicit.

Canisius „Exhortationem de octo beatitudinibus in octaua Sanctorum" sive d. 8. Novembris ad Socios collegii friburgensis habuit, quam a. 1588 habitam esse colligitur et ex loco, quo in codice posita est, et ex manu, qua scripta est. „Ex more Societatis", inquit Canisius, „Sanctos uenerari debemus peculiariter primo quia de illis quotidie ad mensam legitur Martyrologium. 2 singulis mensibus Sanctorum nomina eliguntur et distribuuntur [a] et causam praebent multorum bonorum; quilibet suum habet patronum quem honoret. 4. Primi Patres ualde deuoti Sanctis praesertim DEIPARÆ PETRO et PAVLO. 5. Decet meminisse Sanctorum qui ex Societate migrarunt in coelum et praecipue martyrii laurea decorati. 6. quotannis noui e nostris assumuntur et augent numerum Sanctorum et Societatem nostram fortificant et promouent plusquam existimemus. [6.] [b] Multi solent de sanctis loqui et agere cum populo et iuuentute."

1465. **1588.**

Ex apographo eodem fere tempore scripto. Cod. „I 36" f. 33^a—37^b. Ex litterarum capitibus, quae hic ponentur, paucissima excerpta sunt in „*Annuis* Litteris a. 1588" (v. supra p. 785) 154 et a *Riess* 481.

Collegii friburgensis sodales. Contiones. Confessiones. Poenitentiae opera. „Comprecatio maior". Conversi. Moratenses scholam calvinianam collegio opponere conati. Infirmi etc. Sociorum (Canisii imprimis) apud ecclesiasticos, legatos, cives auctoritas. Calvinianorum machinationes.

In „*Litteris* annuis" collegii friburgensis Friburgo 16. Novembris 1588 datis haec, praeter multa alia, narrantur: Sodales in hoc collegio „toto hoc anno . . . non pauciores quam quatuordecim vixerunt: Sacerdotes nimirum octo, reliqui fratres partim scholarum Magistri, partim coadiutores temporales . . . Concionantur nostri duobus in locis ordinarie, in S. Ioanne diebus Dominicis, festis uero in Ecclesia Collegiata, vbi etiam per Sacram Quadragesimam ter quauis hebdomade de parabola filij prodigi magna frequentia conciones habitae; ita uero satisfit omnibus, ut ciues certa pecunia nostri concionatoris operam conducere cogitent . . . Multo plures hoc anno quam superiori apud nostros peccata sua confessi sunt. Nulla enim fere fuit hebdomas, quin aliquot salutari poenitentia animi maculas eluerint, et in sacello domestico communicauerint. Solenniotibus quibusdam festis diebus septingenti octingenti

a) *Quinque vv. sqq. ab ipso C. addita sunt.* b) *Quae sequuntur, ab ipso C. in margine addita sunt.*

ac nongenti interdum numerati, minus uero solennibus ducenti trecenti quandoque plures. Prima uero Dominica cuiusque mensis 40 50 interdum etiam 60 vel 70. . . . Neque ciues duntaxat confessionis causa ad Societatis Patres ventitant, sed ex haereticis, et longe dissitis locis veniunt. Tempore Paschatis integra quaedam familia itinere bidui huc contendit, ut apud eosdem transactae vitae rationem exponeret. Venerunt etiam Berna eadem de causa duo coniuges qui 20. annis in medio nationis prauae[1] habitantes, religionis tamen verae iacturam nullam fecerant. . . . Ex illis uero qui poenitentiae sacramentum frequentant, sunt qui maiorem partem diei diuinis commentationibus consumunt, quauis hebdomade ter ieiunant, vino diebus veneris abstinent, denique flagellis terga uerberant, uel certe veste cilicina corporis appetitiones coercent. Pietatis uero illud singulare fuit indicium, quod Friburgenses vtriusque sexus ad exemplum reliquorum Cantonum Catholicorum pro Ecclesiae necessitatibus 24 horarum spacium extensis manibus orando compleuerint, integrisque sex hebdomadibus [idem] in sua ditione obseruari mandauerint, intra quas hora fuit nulla, qua extensis brachijs oratum non fuerit[2]. . . . Ab haeresi ad fidem religionemque Catholicam reducti 17. In horum numero fuit nobilis militarisque rei peritus vir, ex Caluinianis parentibus natus, et a iuuentute in haeresi paterna educatus. Hic cum duce Heluetiorum[3] ex Gallia rediens priusquam illius filiam Matrimonio sibi copularet, a nostris in fide potissimisque religionis capitibus instructus est, et abiurata haeresi ad Catholica castra perductus[4]. . . . Laetis scholarum successibus speratoque fructu [?][a] omnis boni hostis daemon invidens rem pernitiosam aggressus est. Nam nuper cum vtraque Respublica propter rationes pecuniarias convenisset, deque communibus praefecturarum (quas iure belli per vices administrant) redditibus agerent[5], excitauit Hugenotarum quorundam animos, ut peritissimis quibusque ministris Friburgum, quo pridie Bernenses quoque cum potestate uenerant, missis, non dubitauerint frequentissimum Senatum ingressi, ab vtraque Republ. sumptus petere, quibus in Oppido vix tribus passuum millibus a Friburgo distante[6], scholas nouas ex fundamentis exstruerent, iuuentutem postea gratis liberales artes docturi, reuera autem eandem a scholis nostris abstracturi. Sed quanto diligentius ab haereticis pro hac re laboratum, tanto magis a Catholicis praesertim oculatioribus ne id fieret restitum. Neque infirmis aut captiuis vnquam defuit nostrorum opera: nam accersiti etiam tempore contagionis praesto semper fuere aegris, illorum confessiones audiendo et consolando in Xenodochio degentes. . . . Cum nuper huius vrbis Parochus[7] mores hominum et inimicitias ciuium pertaesus hinc discedere officioque suo cum maximo multorum detrimento renunciare statuisset, consilio nostrorum tantum tribuit, ut auditis illorum rationibus sententiam mutauerit exercitijsque spiritualibus in Collegio factis, quiete munere suo fungatur. Reuerendus Dominus Vicarius[8] quo nemo nostris

a) *Sic; corrigendum videtur:* fructui.

[1] Phil 2, 15. [2] De hac „oratione maiore" v. supra p. 699.

[3] Ioanne a Lanten-Heid?

[4] Haud scio an significetur vir ille, de quo in processu beatificationis Canisii a. 1627 Friburgi instituto *Antonius de Montenach* reipublicae archigrammateus affirmavit: „De nobili Domino Francisco Wallier Landeronensi, D. Gubernatoris Noui Castri Fratre, a R. P. Canisio eiurata haeresi ad catholicos traducto olim sub iuramento testatus sum, ac denuo, et de nouo libentissime testor" (ex testimonii apographo, a P. Petro Hugone S. J. scripto. Can. 63 f. 131[b]).

[5] Terrae illae significari videntur, quas Bernenses et Friburgenses duci Sabaudiae et episcopo lausannensi eripuerant; v. supra p. 53 103.

[6] Ex veteri illa **Historia* collegii friburgensis intellegitur significari Moratum (Muralt, Murten, nunc Morat, reipublicae friburgensis), quae urbs tunc utriusque reipublicae imperio subiecta erat et Calvinismum sequebatur (Cod. friburg. „Hist. coll. Frib." p. 13). [7] Sebastianus Verronius.

[8] Petrus Schnewly, vicarius generalis episcopi lausannensis. Et Schnewly, et Verronius Canisium valde magni aestimabant cum eoque familiariter agebant.

coniunctior, nullus fidelior in grauissimis quibusque rebus. Patrum consilijs vtitur nec quicquam uel ad Senatum uel ad Dioecesis reformationem spectans aggreditur, quod prius cum ijsdem non conferat. . . . Vtriusque etiam Regis Galliarum et Hispaniarum Legati [1], quando maximarum rerum causa hic morabantur, sua consilia cum nostris communicarunt, illorumque precibus sua negotia, sedulo commendarunt. Jdem faciunt et ciues multi qui de contractibus et rebus conscientiae libenter et frequenter confessarios nostros aliosue consulunt. . . . Verum quo magis boni viri nostros amant et Friburgum aduenisse gaudent, eo magis maleuoli tristantur, et Caluiniani eosdem abesse cupiunt, qui ut odium apud vulgus pariant duobus libris editis liberrime et impure in Soctetatis nomen debacchati sunt [a], secretarum inter Reges et Respublicas pactionum authores nos dictitant, et omnem mouent lapidem ut Friburgo nostros pellant · eo enim tempore quo typographus in exilium ob cantilenam de exitiali bello in Gallia editam illorum opera detrusus est, diligenter ab eodem etiam quaesitum an non quopiam ex Jesuitis conscio typis illam excuderit [2]. Alij dehortantur scholares ne ad nostras accedant scholas vrgentque ut alio proficiscantur, invident fabricae noui collegij eamque omnibus modis remorantur. At constans manet Senatus, et quemadmodum coepit, aedificando pergit, magnaque spes totum aedificium cui iam tectum impositum est breui perfectum iri."

1466. Exeunte m. Decembri 1588.

Ex Can. 41 f. 173ᵇ—176ᵃ. Ex eodem codice exhortationem, nonnihil tamen immutatam et amplificatam, posuit *Schlosser* 326—335.

Canisius ad Socios de „renovatione votorum" dicit.

Exhortationis a *Canisio* Friburgi ad Socios collegii habitae commentarium a P. Sigismundo Ilsung (ut videtur) scriptum et „De renouatione votorum 1589" inscriptum sic incipit: „Tria nobis hoc tempore consideranda et agenda sunt nec illa leuis momenti. 1. ut bene concludamus ueterem nouumque annum ordiamur. 2. ut festum nominis Iesu cum fructu celebremus. 3. ut uota in Societate facta renouemus." Quae renovatio ipso illo die festo sive Kalendis Ianuariis 1589 facienda erat; cf. supra p. 656 734. Canisius haec explicat: „Quid credendum de hac renouatione?" „Quae sint impedimenta bonae renouationis?" „Quomodo cum fructu renouanda uota?" „Quae impediunt aliquem in renouatione et eam infrugiferam reddunt?"

1467. 1586—1591.

Canisius Friburgi Sociorum aliquot vota religiosa excipit.

Friburgi Helvetiorum in archivo reipublicae exstat Codex in 2°, inscriptus in dorso „Liber votorum", in quo olim sodalium collegii S. J. friburgensis vota religiosa notabantur. Ibi (f. 155ᵇ) *Petrus Michael* rector testatus est, „Egolphum Alther" 15. Maii 1586 „celebrante P. Canisio" vota scholasticorum emisisse. Item ibi (f. 228ᵃ) scriptum est, „Stephanum Stauder" 22. Iulii 1589, sacrum faciente P. Petro Canisio, emisisse simplicia vota fratrum coadiutorum temporalium. Et

a) *Sic in apogr. correctum est ex* debacchantur.

[1] Vincentius Benoit (?) et Pompeius a Cruce.

[2] Abraham Gemperlin, quod cantilenam in Bernates aliasque civitates iniuriosam typis descripsisset, a senatu 6. et 7. Septembris 1588 urbe agroque friburgensi in perpetuum iussus est exulare; die tamen 9. Septembris ei eiusque filio permissum est, ut librum, quem typis exscribere coepissent, absolverent; qui liber erat vita S. Fridolini a Canisio scripta. Die tandem 9. Decembris 1588 rogatu locorum catholicorum ei venia concessa est (Cod. „Ratsmanual 136", in dd. 6., 7., 9. Sept. et 9. Dec. 1588. Friburgi, in archivo reipublicae).

(f. 158ᵃ) „Michael Eberius ex Schwaz Tyrolensis" sua manu notavit, se 29. Septembris 1591, „Sacris operante Reuerendo P. Petro Canisio" vota scholasticorum Societatis nuncupasse.

Egolphus Altheer sangallensis mortuus est a. 1639 Halae in Tiroli, cum ibi rector collegii esset. Erat is vir pietate in Deum, caritate in homines, sui contemptu insignis, qui per 32 annos virginum collegii halensis confessarius fuit et per 27 annos Sociorum conscientias rexit (*Sotvellus* 187). De Eberio v. supra p. 390.

1468. 1588. 1589.

Scheidlich lutheranus catechismum Canisii impugnat. Canisium defendunt Erhard et Scherer.

Anno 1588 Paulus Scheidlich sacrorum minister lutheranus Smalcadae edidit refutationem parvi catechismi canisiani sic inscriptam:

„Kurtze vnd einfeltige Widerlegung des kleinen Jesuitischen Catechismi D. Petri Canisij, aus heiliger Göttlicher Schrifft vnd Catechismo D. Lutheri. Sampt einem vnterricht, wie sich frome Christen in diesen gefehrlichen zeiten, mit empfahung der heiligen Sacrament, bey den Papisten vnd Ketzern halten sollen. Der lieben Jugendt zum besten, an die löbliche Ritterschafft vnd andere gottselige Christen in Francken gestellet, Durch M. *Paulum Scheidlichium*, Pfarrherrn zu Nider Massfeldt, in der Fürstlichen Graueschafft Hennenberg. 1588." In fine libri: „Gedruckt zu Schmalkalden, Bey Michel Schmück 1588." (8⁰ min., ff. 94).

Litterae operis dedicatoriae a Scheidlichio „Nider Massfeldt am tage Philippi Iacobi, Anno 88. veteri stylo" (sive 19. Maii 1588 calendarii gregoriani) datae sunt ad nobiles, consiliarios episcopales, equites, pios Christianos omnes Franconiae (cuius pars magna in civilibus etiam rebus imperio subiecta erat Iulii Echter episcopi herbipolensis, catholicae religionis in Franconia restituendae studiosissimi).

„Vnter allen Schwermern vnd falschen Lehrern", inquit Scheidlich, „so jetziger zeit wie die wilden Sewe in den Weinberg Christi einreissen, die edlen Stöcke vmbwülen, vnd die lieblichen Drauben zertretten, sind die Jesu zu wider (Jesuiter solte ich sagen), die aller ergsten, denn sie sind in der warheit die aller hefftigsten Feinde Jhesu, sollen auch mit aller warheit von jedermann dafur geachtet vnd genennet werden: Aber wie diese Antichristische Verführer gantz vnd gar wider JHesum sind, wird in diesem Büchlein aus jrem eignen Catechismo klar vnd deutlich erscheinen. Es ist furwar der listige betrug des leidigen Feindes, des Satans . . . das biss auff vnsere zeiten mehr denn ein halb hundert Orden oder Secten der München vnd Nonnen worden sind. Ja auch zu vnsern zeiten sind etliche auffgestanden, als der Capuciner, der Chatiner[1], der Jesuiter vnd etliche andere mehr. Aber die Jesuiter sind doch fur allen andern eine furnemliche ausbündige Rotte des Teuffels, die er als zum Stichblat in seinem Carnöffel Spiel behalten, vnd zu verfürung der Welt zu diesen letzten zeiten erwecket, vnd sie nur mit vielen bösen vnd betrieglichen Waffen oder Werckzeugen, zu verderbung vnd schaden viel listiger vnd geschwinder gewapnet vnd gerüstet hat, denn die vorige. Als dieselbige haben sich vnter namen der Menschen, Francisci, Dominici, Magdalenen, Claren, etc. ausgegeben vnd verkaufft, aber diese vnter Jhesu Namen alleine. Jene sind mit wunderlichen seltzamen Kappen gekleidet gegangen, aber diese nur mit gemeinen Kleidern der Priester. Jene sind gewesen vngelert, fratres ignorantiae, aber diese studieren mit fleis. Jene haben verkaufft jre gute Wercke der gantzen Welt, vnd die Leute damit wollen selig machen, aber diese schweigen fein still dauon. Jene haben gar demütig oder vielmehr heuchlerisch sich gestellet, aber diese sind kün vnd mutig allerley Jrrthumb vnd grewel des Antichrists, auch deren sich die andern Papisten biss anhero geschemet haben, auffs vnuerschemptest zu verteidigen. Jene haben nach grossen

[1] I. e. Chietiner = Theatiner.

Gütern vnd Reichthumb getrachtet, diese stellen sich als sie nach keinem Reichthumb fragten. Jene haben sich abgesondert von andern Menschen, sind gelauffen in eine Wildniss vnd einsame örter, oder haben sich in jhren Klöstern versperret, aber diese wöllen sein mitten vnter den Menschen, vnd sonderlich in den Schulen vnd Höfen der Regenten, auff das sie desto mehr gelegenheit haben die Leute zu verfüren, vnd auch grewliche verfolgung der armen Christen zu stifften vnd anzurichten. Sie sind freylich die rechte Hellische Frösche, so der Hellische Drache ausgespeyet vnd ausgesandt hat an die gewaltige dieser Welt, auff das sie sie versamlen wider diese vnaussprechliche heimsuchung Gottes, Ja wider Christum vnd sein heiliges wort, mit jrem vnd anderer Leute ewigem verderben, zu fechten vnd zu streiten, Apoc. 16. Summa der Tausentkünstler, der leidige Satan, hat sich in diesen seinen Laruen also gar betrieglich in einen Engel des Liechtes verstellet vnd verkleidet, als er jmmer hat können erdencken, damit er ja am besten vnd geschwindesten könte die armen Menschen betriegen vnd verführen, vnd der Göttlichen Warheit widerstehen. Damit sie aber ja jrem Vatter, dem Teuffel, sein Reich wol mehren, so haben sie sich an die arme Jugendt gemacht, vnd hat jhr Patron vnd Grosvater D. Petrus Canisius einen kleinen Catechismum fur die einfeltige Jugendt gestellet, darinnen er grewliche erschreckliche Jrrthüme vnd Abgötterey lehret, auch solche grewliche teuffelische gifft, wie ein grewlicher Basilisck, in die arme vnuerstendige Jugendt einblest. Darumb wil hoch vonnöten sein, das man die einfeltigen Christen (sonderlich die arme Jugend) fur diesen Teuffels-Laruen, vnd jhrem Teufelischem dreck vnd gestanck, so sie als die vnreinen Gefäss der Kirchen vnter die Jugendt geköcket vnd gespeyet haben, trewlich warne, damit sich jederman fur jhnen fursehe, vnd sie, als die rechten Beeren Wölffe fliehe vnd meide. . . . Weil ich aber weis, das ewre Ern. G. vnd H. in Francken fürnemlich mit diesen Irregeistern wol geplaget sind, jhre scartecken, lesterschrifft vnd kleine Catechismus auch von etlichen als lauter heilthumb gehalten werden: Habe ich diss Buch in Ern. G. vnnd G. Namen, in Druck wöllen ausgehen lassen, damit ich mich als trewer Nachbar (dem der Kirchen not in Francken auch zu Hertzen gehet) möge erzeigen" (f. 𝔄 vii^a^—𝔅 iii^a^).

Hac mente ac ratione ipse etiam liber scriptus est. Exemplis aliquot utar: „Lutheraner: Was halten die Jesuiten vnd Papisten von dem Ehestande? Die Jesuiter vnd Papisten rhümen den Ehestand hoch mit worten, halten aber im Werck nichts dauon. Denn der Ehestand wird vom Bapst fur einen grewel gehalten, denn er mit seinen geistlichen vnd Ehelosen solche Büberey, vnzucht vnd Sodomiterey treibet, das kein wunder were, das Rom, Romanisten vnd Florentisten, lange wie Sodoma mit hellischem Fewer verbrandt were. Denn es furwar ein recht Kunststück des Teuffels ist, der Priester Celibat oder Ehelos leben, dieweil si fleischliche freyheit damit suchen vnd auffrichten, auch auff das sie nicht, wie die armen Leyen, jhre Weiber vnd Kinder nehren dürffen, so haben sie jhre Concubinen, Köchin vnd Kellerin" (f. 𝔉 VII). „Worinne streiten die Papisten vnd Jesuiter wider diss Heuptstück der heiligen Tauffe? Erstlich in dem, das sie jr Kot, öel, Cresam, ohn vnd wider Gottes befehl an die Tauffe schmieren, so doch nur Wasser vnd Wort zur Tauffe gehöret. . . . Zum Vierden, das sie die Glocken vnd Kertzen teuffen, so doch Christus nur befohlen hat die Völcker zu teuffen. (Saget nicht: Gehet hin, vnd teuffet Glocken vnd Osterkertzen, denn die haben keine Sünde, vnd können auch nicht sündigen" (f. 𝔊 I^b^ ad 𝔊 II^b^). „Wie viel stücke der Buss lehren die Papisten? Auch drey. Erstlich, rew vnd leid, darnach die Beicht vnd erzelung aller Sünden, zum dritten, eigene gnugthuung. Vnd in jhrem kleinen Catechismo gedencken sie alleine der Rewe vnd Beichte, der glaub ist bey jhnen gar ausgelassen" (f. 𝔊 vii).

„Darumb sollen wir vns nicht jrre machen lassen, ob die Jesuiter etliche Sprüche der Schrifft (gleichwol in vnrechtem verstande) anziehen. Denn jr Vater, der Teuffel, hat selbs die Schrifft wider Christum angezogen" (f. 𝔎 v^b^).

„Nun ist aber diss des HErrn Christi gebot, das sich alle seine Christen mit Hertzen, Munde, worten, wercken, geberden, thun vnd lassen, von dem geoffenbarten Bapsthumb absondern sollen, bey vermeidung seiner ernstlichen straffe, vngnade vnd

hellischen Fewers. Denn also rüffet Christus, Apoc. 18. durch seinen Engel: Gehet aus von jr (das ist, vom Bapstumb) mein Volck, das jhr nicht teilhafftig werdet jrer Sünde (welche sind Abgötterey, falsche Lere, falscher Gottesdienst, lesterung des Namens Gottes, verachtung Christlicher Obrigkeit, geistliche vnd leibliche mörderey, Hurerey vnd Ehebrecherey, Blutschenderey, Sodomiterey, Seelenmörderey, vnd was dergleichen Sünde mehr sind) auff das jhr nicht empfahet etwas von jren plagen. Denn jhre Sünde reichen biss in den Himel, vnd der Herr dencket an jren freuel." (f. ℒ vii^a).

Haec singillatim refutari neque necesse est neque vacat. Exemplum pono unum: Affirmat *Scheidlich*, in Canisii catechismo parvo ad poenitentiam non exigi fidem. At fides ibi in ipsa definitione hominis christiani ponitur. Ita enim habet prima huius catechismi quaestio: „Quis dicendus est Christianus atque Catholicus? Qui Baptismatis Sacramento initiatus, Iesu Christi veri Dei atque hominis salutarem doctrinam in eius Ecclesia profitetur, neque sectis vel opinionibus ullis ab Ecclesia Catholica alienis adhaeret" (cap. 1, qu. 1). Item fides exigitur in explicatione primi praecepti Decalogi (cap. 3, qu. 7). Facillime igitur inde colligitur, immo per se intellegitur, fidem requiri ad poenitentiam recte agendam.

Canisii defensionem in se suscepit *Christophorus Ehrhard* clericus saecularis: qui edidit librum: „Newer Euangelischer Catechismus Das ist: Ein sehr nützliches, lustigs vnd kurtzweiliges Religionsgespräch, eines Catholischen Christen, vnd Euangelischen Lutheraners, in Form vnd Weise eines Catechismi. Sampt angehengtem Lutherischen Irrgarten: Entgegengesetzt, der eyteln vnd vermeinten Widerlegung, deß kleinen Jesuitischen Catechismi Herrn D. Petri Canisij, etc. Durch M. Paulum Scheidlichium Predigcanten zu Nider Manßfeldt im 88. Jar in Truck außgangen. Gestelt Durch den Ehrwůrdigen vnd Hochgelehrten Herrn *M. Christophorum Erhardum*, der heiligen Schrifft Licentiatum, etc. M. D. LXXXIX." In extremo libro: „Gedruckt zu München, bey Adam Berg. Mit Röm: Kay: Mayest: Freyheit. Anno M. D. LXXXIX" (8° min.: ff. sign. 91, non sign. 9, addito titul.; litterae dedicatoriae Erhardi ad Ferdinandum „seniorem" Bavariae ducem Monachio Kalendis Februariis 1589 datae). Erhard vehementer quidem pro aetatis illius more in Scheidlichium invehitur, sermone tamen utitur, qui est minus rusticus procaxque, quam sermo Scheidlichii. Hunc saepe ex ipsius Lutheri libris oppugnat; velut cum ei catholicis contemptum matrimonii exprobranti ostendit, Lutherum aliquibus cum condicionibus adulteria permisisse (f. ℌ 2^b; cf. *Can.* V 555—556).

Canisium defendit etiam *Georgius Scherer* S. J., vir et contionibus habitis et libris pro ecclesia scriptis per Germaniam, Austriam maxime, celeber (de quo *Can.* II 559). Is a. 1589 Ingolstadii edidit libellum: „Antwort, Auff die zwey vnuerschämpte vnd Ehrenschmähende Famos, Schandt vnd Lastercharten, M. Alexanders Vtzingers eines Predicanten zu Schmalkalden" (cf. *Sommervogel* VII 757). In libelli litteris dedicatoriis ad praepositos et consiliarios liberorum imperii equitum „sex locorum" in Franconia sitorum datis sic scribit: „Zum dritten vnd letzten hat mir zu diser Dedication Vrsach gegeben Petrus Scheidlichius, Predicant zu Nider Maßfeldt, welcher jüngstlich sein vermeinte Widerlegung deß kleinen Catechismi D. Petri Canisij, an die löbliche Ritterschafft zu Francken gestelt hat, vnd in der gantzen Vorred sich allein dahin bearbeitet, damit er bey E. G. vnd V. vns Jesuiter möcht feindtsälig vnd verhaßt machen. Wolte mich derhalben als der wenigist Jesuiter bey E. G. vnd V. mit disem Büchlein dienstlich praesentiert haben. Dann sie darinnen verhoffentlich genugsam finden werden, auß was Vrsachen solche Predicanten vns Jesuitern so vngünstig seindt, nemblich am allermeisten darumb, daß wir vns auff jhr Kreiden verstehn, jhren Betrug entdecken, den Leuthen die Augen öffnen, jederman vor jhren auffrhürischen, Rach vnd Blutgierigen Schrifften warnen, jhre Argument, die sie wider den Catholischen Glauben führen, mit Gottes Wort vnnd Altkirchischer Lehr ableinen vnnd abstossen, r. Hinc illae lachrymae. Belangendt aber sein Widerlegung deß kleinen Catechismi, gemahnet mich dieselb an ein klein Peluerley oder Busen vnd Polsterhündlein, das einem großen Englischen Hundt oder grossen Friesischen

Pferdt nachbellet. So kombt Scheidlichius mit seiner Widerlegung gar zu spat vnd post festum. Dann diser klein Catechismus nunmehr in die 40. Jahr, nicht allein im hohen vnd nider Teutschlandt, sondern auch in Franckreich, Welschlandt, Hispanien, Böhem, Vngern, Poln, vnd nahe in der gantzen Christenheit, auff allerley Sprachen der Jugendt bißher fürgetragen worden, vnd noch täglich ohn Auffhören mit merckhlichem großen Nutz vnnd Auffnemmen der Christenheit fürgetragen wirdt, welches Scheidlichius mit seiner einfältigen vnnd vngeschickten Widerlegung nicht verhindern wirdt können. Diser Floch wirdt kein groß Loch beissen" (Erster Theil, Aller Schrifften, Bücher vnnd Traktätlein, welche *Georg Scherer* . . . durch den Truck außgehen lassen, Closter Bruck in Mähren 1599, f. 394).

1469. 1589 (1588).

Caesar Baronius Canisium laudibus extollit.

Praeclarus ille cardinalis Caesar Baronius in „Annalibus Ecclesiasticis" ad annum Christi 9, domum nazarethanam, „in qua de Verbi incarnatione sanctissima Virgo coeleste accepit nuncium", Lauretum magno miraculo translatam esse breviter narrat. Deinde scribit: „Sed haec obiter: neque enim est in animo rei gestae historiam egregie testatam hic enarrare; agemus de ea suo tempore, quo facta scribitur. Interim his fruere, lector, quae venerandus Pater Petrus Canisius, cuius laus est in Euangelio per omnes ecclesias[1], non minus pie, quam ornate atque erudite, suo more, conscripsit." In margine autem ponit: „Canis. de sancta Maria Deipara li. 5 c. 25": Annales Ecclesiastici, Auctore *Caesare Baronio* Sorano Congregationis Oratorii Presbytero. Tomus primus, Antverpiae 1589, 96.

Idem in annum Christi 31 scripsit: „Nouatores eo deuenerunt stultitiae, vel potius merae iniquitatis, vt malint corrumpere verbum Dei, et Ioannem[2] vitae ociosae et deliciosae infamare, quam monasticam ab eo dimanantem vitam, in Ecclesia altissimis defixam radicibus, euangelica nempe attestatione, vt subripi aut euelli nequeat, adstipulari vel profiteri. Sed in his non immoramur diutius; quandoquidem, vt omnium fert sententia, sibilis potius, et risu, quam ampliori confutatione digni sunt: licet ad illos imperitiae, dementiae ac (vt vno verbo dicam) nequitiae redarguendos summo iure, non defuerit vigilans studium eruditissimi ac maxime pij viri Petri Canisij, ad quem, qui talia cupit, amandamus"[3]: L. c. p. 116.

Usus sum editione secunda huius tomi primi Annalium Ecclesiasticorum, compluriens editorum. Quae editio a. 1589 Antverpiae facta est. Editio prima, Romae a. 1588 facta, nunc est valde rara.

1470. 1589.

Ex *De Backer* (I 1056) et *Sommervogel* (II 625) intellegitur, plantinianam editionem „Summae" canisianae, a. 1587 Antverpiae factam, de qua supra p. 734 dictum est, iterum eademque ratione ac forma in lucem prodisse Antverpiae a. 1589.

[1] 2 Cor 8, 18. [2] S. Ioannem Baptistam.

[3] Canisius haec praestitit in opere de S. Ioanne Baptista, quod „Commentariorum de Verbi Dei corruptelis" primum tomum constituit; v. *Can.* VI 712—714 et supra p. 580.

1471. 1589.

Canisii „Parvus Catechismus Catholicorum" latine Antverpiae, Braunsbergae, Lugduni, italice Bergomi, germanice Friburgi Helvetiorum editur. Catechismus trevirensis.

1. Canisii „Institutiones Christianae pietatis" seu „Parvum Catechismum Catholicorum" Antverpiae a. 1589 in lucem prodisse iam *Philippus Alegambe* S. J. (Bibliotheca Scriptorum Societatis Iesu. Antverpiae 1643, 374) et *Nathanael Sotvellus* S. J. (Bibliotheca Scriptorum Societatis Iesu. Romae 1676, 663) affirmaverunt. Deinde *De Backer* (I 1060) scripsit, Canisii „Catechismum parvum Catholicorum" a. 1589 Antverpiae ex officina Christophori Plantini in 16°, cum Plantini litteris dedicatoriis 30. Ianuarii 1589 datis, prodisse. Id quod, omissa mentione litterarum illarum, repetiit *Sommervogel* II 637.

2.) Anno 1889 amicus quidam Bergomi (Bergamo, in Italia superiore) versatus me certiorem fecit, in bibliotheca illius urbis esse Canisii „Catechismo catholico, Bergamo 1589", in 24°. Haec deinde iisdem verbis posuit *Sommervogel* II 653.

3.) „*PARVVS* | *Catechismus* | Catholicorum. | *Auctore* | PETRO CANI- | *sio Societatis* | *Iesu.* | *Brunsbergæ* | 15 89. | *Excudebat* | *Ioannes Saxo:*"

16°: pp. sign. 174, non sign. in initio 17 (addito titulo) et in fine 1. Inscriptionem sequitur Canisii praefatio m. Maio a. 1561 scripta („Exiguum est" etc.) et edictum Ferdinandi I. a. 1560 datum. In extremo libro sunt testimonia Sacrae Scripturae, meditationes quotidianae de virtutibus Christi, orationes in schola cotidie ante lectionem dicendae, hymnus „Jesu dulcis memoria". Librum vidi Braunsbergae in bibliotheca lycei hosiani (Dg 637). Est is etiam Upsalae in bibliotheca universitatis. Editionem commemoravit *Sommervogel* II 637 et accuratius II vii.

4.) Canisii „Klein Cathechismus" germanice a. 1589 Friburgi Helvetiorum in 24° editum esse notatur in collegii friburgensis * *Catalogo* Bibliothecae veteri" ante exitum saeculi XVI., ut videtur, incohato et fere ad a. 1626 perducto, qui est Friburgi in bibliotheca cantonali. *Sommervogel* hanc editionem non posuit.

5.) „Institutiones christianæ pietatis, paruus cathechismus catholicorum: auctore D. Petro Canisio Societatis Jesu theologo. Additum est Kalendarium Gregorii summi pontif. iussu editum. Lugduni, apud Benedictum Rigamdum [Rigaudum?], 1589": 8° min., pp. sign. 110, ff. non sign. 16. Haec in Catalogo bibliothecae Hieronymi Pichon (P. II n. 1635), quae m. Februario a. 1898 Parisiis vendenda erat, indicari P. *Car. Sommervogel* mihi scripsit. Qui in „Bibliotheca" sua hanc editionem non posuit.

6.) Anno 1589 Treviris apud Henricum Bock iussu Ioannis a Schönenberg archiepiscopi principisque electoris in lucem emissus est libellus „Catechismus vnd Praxis, Das ist, Die Notwendigste Stück Catholischer Lehr, sampt einer Vnderweisung" etc. Hic catechismus a canisiano quidem differt; ei tamen componendo Canisii et „Parvus Catholicorum Catechismus" et „Summa" large adhibita sunt. Vide *Fr. Otterbein*, Verdienste des Trierer Erzbischofs Johannes von Schönenberg (1581—1599) um den katechetischen Unterricht, in „Pastor bonus", 6. Jahrg., Trier 1894, 372 376—377.

1472. 1589.

Doctrina christiana ad Canisii Parvum Catechismum Catholicorum Antverpiae figuris aeneis exprimitur.

„INSTITVTIONES | CHRISTIANÆ, | seu | PARVVS CATECHISMVS | CATHOLICORVM, | *Præcipua Christianæ pietatis capita complectens:* | PRIMVM quidem à P. IOANNE BAPTISTA Ro- | mano, Societatis Iesu, in rudiorum & idiotarum gratiam, | iuxta SS. Concilij Tridentini decretum sess. 25. imaginibus | distinctus, nunc verò æreis formis ad D. PETRI CANI- | SII, Societatis Iesu, Institutiones eleganter expressus. | ANTVERPIÆ, | Excudebat Christophorus Plantinus, Architypo- | graphus Regius, sibi & Philippo Gallæo. | M. D. LXXXIX."

16°; pp. signatae 212, addito folio titulari, et in fine 1 f. non sign. P. 3 praefatio, de qua plura infra dicentur. P. 212 approbatio, Antverpia 25. Februarii 1589 data, qua „Henricus Zebertus Dungaeus" canonicus antverpiensis ac theologiae doctor et librorum censor (de quo *Can.* III 471—472; IV 114) testatur, librum nihil religioni catholicae vel regi contrarium continere. P. 212 Summa privilegii Philippi II. Bruxellis 7. Aprilis 1589 dati, quo, multa sex „Caroleorum" fisco regio tribuendorum proposita, cavetur, ne proximis sex annis in terris Philippi imperio subiectis quisquam praeter Plantinum librum illum typis exscribat vel vendat.

In praefatione, cui neque auctoris nomen, neque locus, neque tempus ascripta sunt, commemoratur decretum concilii tridentini (Sess. XXV. De invocatione Sanctorum), quo iubentur episcopi docere, „per historias mysteriorum nostrae redemptionis, picturis vel aliis similitudinibus expressas, erudiri et confirmari populum in articulis fidei commemorandis et assidue recolendis". Propterea editum esse „libellum hunc picturis et imaginibus diuitem, Romano multo illustriorem". Operam autem datam esse, ut, quantum fieri posset, singulae fidei doctrinae factis in Sacra Scriptura narratis illustrarentur, et singulis imaginibus „explicationem" ex Canisii „Christianis Institutionibus" additam esse eo, „quod is libellus docendo et instruendo perutilis, pene omnium manibus teneatur". Liber autem ille „Romanus" est catechismus a P. Ioanne Baptista Eliano sive Romano († 1589) S. J. (qui ex Iudaeo alexandrino Christianus factus erat) a. 1587 Romae cum imaginibus ligno incisis, parum tamen nitidis, editus et sic inscriptus: „Dottrina christiana nella quale si contengono li principali misteri della nostra fede rappresentati con figure per instructione de gl' Idioti, et di quelli che non sanno leggere" (*Sommervogel* III 379).

Continet igitur antverpiensis hic catechismus 102 figuras aeneas easque ita dispositas, ut singula paene folia in pagina priore suam habeant figuram cum explicatione subiecta. Quae explicationes ex Canisii „Parvo Catechismo Catholicorum" exscriptae sunt, liberius tamen; desunt enim quaestiones; multa etiam alia omissa vel contracta sunt. Ex figuris pleraeque sunt biblicae; sunt autem satis nervosae et ad vivum expressae, fortasse tamen paullo nimium ad sensus corporum movendos accommodatae. Traduntur factae esse a *Petro van der Borcht,* qui a. 1565—1599 pro multis libris a Plantino edendis figuras delineabat et in aes sive cuprum incidebat (*Max Rooses,* Catalogue du Musée Plantin-Moretus, Anvers 1881, 18 78). Liber ipse a Plantino litterarum, a Gallaeo (Galle) figurarum formis descriptus est (*Max Rooses,* Christophe Plantin imprimeur Anversois, Anvers 1882, 269). Librum vidi Bruxellis in bibliotheca regia (H 1412) et Londini in museo britannico. Idem exstat Mediolani in bibliotheca nationali (Brera) et Parisiis in bibliotheca nationali et Hafniae (Köbenhavn) in bibliotheca regia. Editionem posuit *Sommervogel* II 637 et accuratius II 656—657; qui tamen labitur, cum Bibl. III 380 scribit, huius editionis imagines esse easdem atque figuras catechismi a. 1587 a P. I. B. Eliano editi.

1173. 1589.

Canisii catechismus in Alsatia et Bavaria.

1. In libro „*Annuae* Litterae Societatis Iesu Anni M. D. LXXXIX", Romae 1591, 233 de Societatis collegio molshemiensi (Molsheim in Alsatia) haec narrantur: „Octo oppidis pagisve, octauo quoque die explicatus Catechismus: quam ad rem vtilis fuit editio septemdecim millium exemplorum, liberalitate virorum Ecclesiastica dignitate aeque, ac pietate praestantium". Similiter *„*Synopsis* ortus et progressus Collegii S. J. Molshemii ab anno 1567 ad an. 1636": „Anno 1589. Pia quorumdam Praelatorum liberalitate septemdecim milia (17 000) catechismorum excuduntur, in catecheticam juventutem distribuenda" (*N. Paulus* in „Ecclesiasticum Argentinense. Strassburger Diözesanblatt. Jahrg. 1893, Straßburg 1890, 94). Ad haec verba Dr. *Luc. Pfleger,* rerum alsaticarum peritissimus, adnotat: „Es handelt sich hier mit größter Wahrscheinlichkeit, ja Sicherheit, um den kleinen deutschen Katechismus . . . des um die katholische Katechese Deutschlands so hochverdienten Canisius" (Beiträge zur Geschichte der katholischen Restauration im Elsaß, in „Historisch-politische Blätter"

CXLVII. München 1911, 179—180). Ita etiam in *Ioannis Rasser* theologi et poëtae, qui hoc tempore Ensishemii (Ensisheim) in Alsatia parochus erat, insigni schola statutum erat: Cotidie debet ludimagister aliquid, „doch wenig (damit sie nit überladen werden)" ex Catechismo Canisii exponierem und fürlesen" (*Pfleger* l. c.).

2. Anno 1589 scholis germanicis urbis ingolstadiensis (Ingolstadt in Bavaria) constituta est ratio docendi et discendi, in qua haec praecipiuntur: Ludimagistri debent discipulos „alle Freytag die letzte stund vormittags die Lection, so ihnen an verschienenen Suntag im Catechismo des Herrn Doctoris und Vatters petri Canisii in der Kürchen bei St. Morizen, auff unser lieben Frauen Schutter, oder in der schul aufgeben, recitirn und aufsagen lassen, doch ohne weittere, so wol bemelts Catechismi alß des heiligen Evangelii erlernung und außlegung". Item debent ludimagistri pueros „in aigner Person . . . alle Sunntage nachmittag zu der gewöhnlichen Zeit zum Catechismo . . . fueren . . . ob die Kinder auch am Sunntag oder Feyertag in dem Catechismo oder an der Predig etwas gemerkt haben, examiniren und fragen" (*J. B. Reiser*, Notizen über das katechetische Wirken des sel. Petrus Canisius, Ingolstadt 1869, 85—86).

1474. 1589.

Canisii „Manuale" Antverpiae latine, gallice, vlamice editur.

1. *De Backer* (I 1049) affirmat, Canisii „Manuale Catholicorum" prodisse „Antverpiae, ex officina Christophori Plantini, 1589", in 16°, cum litteris dedicatoriis Plantini 30. Ianuarii 1589 datis. Post De Backer idem dicit *Sommervogel* II 677.

2. „Le Manuel des Catholiqves, contenant la vraye maniere de prier Dieu: Recueilly et faict en Latin, par le R. P. Canisius: mis en François par Gabriel Chappuys. A Anvers, De l'Imprimerie de Christophle Plantin, Imprimeur du Roy. MDLXXXIX, 12°, pp. 421." Ita *Sommervogel* II 679. Paulo minus accurate idem posuerat *De Backer* I 1050.

3. Amicus quidam me certiorem fecit: Vidisse se librum „Handt-boeck Der Catholijcken om godtvruchtelijck te bidden. By een vergaedert Door den E. V. Peeter Canisius, des Brooderschaps Jesu, Doctoor in der Godtheydt. t' Antwerpen, In de Plantijnsche Druckerije, By Jan Mourentorf. MDXCVII. Met Gratie ende Privilegie." (12° min.; pp. 380; cum 18 figuris sive imaginibus in aes incisis.) Privilegium a. 1588 datum esse. Tabulam quoque „litterae dominicalis" ab a. 1588 incipere [perducitur ad a. 1700]. Litteras dedicatorias a Christophoro Plantino „30. Ianuarii MDLXXXX" datas esse „Aen de Eerbare, Discrete, eñ Godtvruchtighe Vrouwe, Jouffrou Josina de Meyere, weduwe van Heer François van den Cruyce Saligher, S." Unde colligendum esse videtur, vlamicam hanc sive neerlandicam versionem „Manualis Catholicorum" canisiani primum editam esse Antverpiae apud Christophorum Plantinum anno 1590. Verum existimo, in tempore litterarum dedicatoriarum aut a typographo aut ab eo, qui haec mecum communicavit, erratum esse, et pro MDLXXXX ponendum fuisse „MDLXXXIX". Nam et *De Backer* (I 1050), et post eum *Sommervogel* (II 678), cum huius „Handt-boeck" editionem Antverpiae a. 1604 factam describunt, in ea litteris illis dedicatoriis 30. Ianuarii 1589 et approbationi Kalendas Decembres a. 1588 ascriptas esse dicunt; cui tempori congruit tempus tabulae litterarum dominicalium, quod supra commemoravi. Prima igitur editio anno 1589 facta est. Quod autem Sommervogel (IX 1981), editionem anni 1597 breviter commemorans, litteras illas a. MDLXXX datas esse dicit, manifeste in eo anno erratum est; cf. supra p. 736.

1475. 1589.

Vita S. Fridolini a Canisio scripta et Friburgi Helvetiorum edita.

„Warhaffte | Histori von dem be= | rümbten Abbt S. Fridolino, vnd | seinen wunderbarlichen thaten, auß vielen | alten Scribenten zusamen gezogen, | jetz= under aber auffs new gebes= | sert vnnd in Truck ver= | fertiget. | Durch Petrum

Canisium Theologum Societatis IESV. *Cum facultate Superiorum.* | Getruckt zu Freyburg in Vchtland, durch | Abraham Gemperlin im jahr 1589." Versus 2, 3, 9, 12 rubri sunt.

4° min.; pp. numeris sign. 155; praeterea ff. non sign. in initio 10 (addito titulari) et in fine 3; f. a ii[a] — [(a iv[b])] litterae dedicatoriae, quae positae sunt supra p. 276—279; f. (b)[a] — [(b) vi[a]] praefatio; f. [B iii[a]] — X[a] index capitulorum libri. Sequuntur sententiae aliquot, „Gebett zu Gott von dem Heiligen Fridelino Beichtiger vnnd Abbt", errata. F. [(b) vi[b]] imagunculae SS. Fridolini et Hilarii episcopi pictaviensis ligno incisae.

In *Codice rerum Friburgi Helvetiorum a senatu minore gestarum haec notata sunt de consessu senatorum 13. Ianuarii 1589 habito: Abraham Gemperlin typographus dominis donavit „etliche S. Fridolinis leben exemplaria. . . . Dargegen habend jme m. H. 1. Miit Korns vnnd 20. libras gelt vereert" (Rathsmanual nr. 137. Friburgi in archivo reipublicae).

In *Litteris annuis collegii friburgensis circa m. Nov. a. 1589 datis haec de Maria Iacoba a Sulzbach abbatissa narrantur: „Misit ad nos pro munere Jllustris Domina Seckingensis viginti aureos nummos, cum opusculum ei de S. Fridolini vita a nostris conscriptum fuisset oblatum" (ex apogr. eiusd. fere temporis; Cod. „I 36" f. 41[a]).

Labitur certe *Virg. Rossel*, cum scribit canisianam hanc S. Fridolini vitam esse primum, qui Friburgi Helvetiorum typis exscriptus sit, librum (Histoire littéraire de la Suisse Romande, T. I. Genève-Bale-Lyon 1889). Vide supra p. 692 698 736.

Vidi exemplum huius libri, quod est Monachii in bibliotheca nationali (4° V. S.S. 260). Liber exstat etiam Halae in Tiroli, in bibliotheca PP. Franciscanorum. *Sommervogel* eum breviter memoravit II 679.

1476. Circa medium m. Februarium 1589.

Ex Can. 41 f. 185[b]—187[a]. Ex eodem codice hanc exhortationem posuit *Schlosser* 184—189.

Canisius Friburgi ad Socios collegii de ieiunio dicit.

Exstat exhortationis a *Canisio* Friburgi ad Socios collegii habitae commentarium a P. Sigismundo Ilsung S. J. (ut videtur) scriptum et a Canisio ipso recognitum, quod sic est inscriptum: „Exhortatio ad fratres de ieiunio Quadragesimale". Significari autem Quadragesimam anni 1589, quae 15. Februarii incohanda erat, colligitur ex loco codicis, quo hoc commentarium scriptum est. Exhortatio incipit sic: „Tempus monet tractare de ieiunio quid sit, et quare magni faciendum, et quomodo illo nobis utendum ut fructum eius percipiamus". Queritur Canisius: „Nunquam pauciores fuerunt ieiunatores in Clero et populo, nunquam plures uentrem pro Deo colentes [cf. Phil. 3, 19] et magis offendentes pueros aliosque simplices. . . . Vnde tam pauci Clerici casti, honesti et uere spirituales. Viuunt sicut in diebus Noe edentes et bibentes [Mt 24, 37 38; Lc. 17, 26 27] usque ad diluuium. Animales et carnales sunt et pauci spirituales qui gloriari possint de ieiunijs [cf. Mt. 9, 14] et castigent corpora sua" [1 Cor. 9, 27].

1477. 2. Aprilis 1589.

Ex commentario a. P. Sigismundo Ilsung S. J. scripto et a Canisio emendato. Can. 27 f. 160[b]—165[a].

Canisius Friburgi die Paschatis contionatur.

„In die Paschatis 1589" sive 2. Aprilis 1589 Canisius Friburgi in templo S. Nicolai, ut videtur, orationem sacram habuit, cuius argumentum sive „propositionem" sic indicavit: „Nun zu bestettigung vnd beförderung solcher Osterlichen frewden vnd frolockungen, will ich erstlich für mich nemen den Euangelischen spruch so Christus in einem gleichnuss einmal [Lc. 15, 6] gesprochen hat von einem Hirten der seine Freund vnd Nachbawren berufftete also sagend: Congratulamini

mihi quia inueni ouem meam quae perierat. 2. Müssen auch etwas melden, wie das die recht Osterliche frewde mehr vnd gewisser bey allen Catholischen als bey den Rotten vnd Secten ietzunder gespürt vnd befunden wirdt. 3. quomodo Mariae in Euangelio propositae monstrent modum celebrandi pascha id est paschalia festa." Tertiam hanc orationis partem Canisius sua manu sic indicavit, corrigens, quae Ilsung scripserat: „3. Will ich das heutig Euangelium ziehen auf ein freundlichs gespräch so zwischen den heiligen Engeln vnd den betrübten Marien bey des Herren grab gehalten wirt". Atque Ilsung quidem colloquium hoc scripsit, sic inscriptum: „De Evangelio ad Dialogum reducto." Canisius vero sua manu ascripsit: „Non est tractatum".

Haec, quantum sciri potest, est ultima oratio, quam Canisius Friburgi in templo S. Nicolai habuit. Superest atque adhuc usurpatur ibidem sacer suggestus, ex quo Canisius dicebat. Summo is artificio a. 1458 a Gasparo Hugonin ex lapide factus est (*H. Raemy de Bertigny* et *E. Perroulaz*, St. Nicolas de Fribourg. Fribourg [Suisse] 1853, 3).

1478. 1580—1596.

Ex commentarii verroniani apographo initio saeculi XVIII. scripto, quod est Monachii in archivo maiore reipubl., Jes. in gen. Fasc. 13. No. 214. f. 8ᵇ, et ex testimoniorum apographis, quae sunt in Codd. „Can. 63" f. 6ᵃ 115ᵃ 130ᵃ 131ᵃ et „Proc. Ap. 1" f. 683ᵃ et in Cod. diling. „Schmalzgr.", n. 295—299, atque ex libro *Raderi* p. 185.

Quanto cum ardore et fructu, quantaque cum laude Canisius Friburgi contionatus sit.

Sebastianus Verronius, capituli S. Nicolai friburgensis praepositus, in commentario de rebus Friburgi a Canisio gestis paullo post huius mortem conscripto haec de eiusdem contionibus narrat: „Comitabatur facundiam raram rerum et argumentorum pondus, dabat operam ipse perpetuo, ut simul partes catholicas illustraret, haereticorum perversitatem et stultitiam convelleret, atque abusus, si qui essent, perpurgaret. Cum autem pro concione in rerum abdita penetrasset, tum vero incalescente animo, prae spiritus exuberantia gestiebat, iucundabatur, exiliebat; ita quo maior vis spiritus erat, eo quoque animi motus maiores cieret, non gesticulatione levi et vulgari, sed quae virum plane generosum, magnum et Apostolicum demonstraret; quamvis posterioribus annis latera, roburque corporis vim animi non amplius expromebant."

In processu beatificationis Canisii Friburgi a. 1625 instituto *Antonius a Montenach*, qui tunc erat tribunus urbis, testatus est, „quod R. P. Petrus Canisius fuerit excellentissimus Concionator." Idem ibidem in processu anni 1627 affirmavit: „Audivit illum summo Divinae Gloriae, et Orthodoxae Fidei zelo, salutisque animarum ingenti desiderio ardentem, ad populum perorantem : ejus Conciones, quas audivit plurimas Deponens, nec sine gravi impedimento neglexit, ita ferventes et Auditorum corda efficacissimo eloquio penetrantes fuisse, testatur, ut quamplurimis lacrimas eliceret, cum ingenti fructu, et populi correctione." Nobilis autem vir *Pancratius Gerner* in eodem processu dixit, „se maximum concursum tam Summj Magistratus, quam Civium, et reliqui totius populi Friburgensis, ad ejus conciones vidisse." „Audiui ipsemet eius conciones doctas, solidas et feruentes Spiritu." Item *Michael Faber*

civis friburgensis, 61 annos natus, testatus est, se Canisium pro fide „acriter ex cathedra decertantem audiuisse saepius, et propterea ipse Canisius Haereticis uehementer exosus fuit". Item dixit, „se doctas eius Conciones audivisse, quibus plures, et praesertim extranei Opifices, Haeresi contaminati, ad veram Fidem redierint, quamvis in particulari eorum jam non recordetur."[1]

Jam aliquanto ante, anno dico 1614, *Matthaeus Raderus* S. J. in Vita Canisii de Canisio ac de Friburgensibus scripserat: „Quid dicam quanto illum studio dicentem audierint? imo et videre desiderarint? Quamprimum cognitum est Canisium in concionem proditurum, quamuis senem et viribus, et voce, et lateribus defectum, ingentes omnium ordinum concursus fiebant, non ad eum audiendum tantum (quamuis extremis annis peraegre, praesertim a paulo remotioribus vox debilior acciperetur) sed ad caelestem illam faciem senio et religione venerabilem contemplandam, tota Germania iam olim et notam et spectatam, cuius solo aspectu mira quadam dulcedine delectari, sed nunquam satiari poterant."

Quae Raderus de frequentia auditorum Canisii affirmat, cum grano salis, ut dicere solemus, accipienda sunt. Canisius enim identidem de Friburgensium multorum in concionibus audiendis neglegentia palam conquestus est et, ut illi per senatus mandata ad eas audiendas adigerentur, effecit (v. supra p. 776). Atque haec etiamsi forte praecipue ad contiones aliorum pertinere quis dixerit, etiam ad aliquas saltem contiones Canisii, velut ad eas, quas per Quadragesimam diebus operosis habebat, spectare ex ipsius verbis perspicuum est: v. supra p. 664. Item rei gestae veritatem excedunt, quae aliqui, velut *Degli Oddi* (231) et *Boero* (Can. 384), de fidei et pietatis fructibus ex Canisii contionibus iam primis post eius adventum annis collectis affirmant.

1479. 1581–1597.

Num Canisius catecheses publicas Friburgi habere consueverit et singulis hebdomadae diebus suam occupationem assignarit. Catecheses eius privatae.

Dorigny (360), postquam Canisium Friburgi singulis diebus festis et dominicis e sacro suggestu dixisse narravit, haec addidit: „Il faisoit souvent en d'autres jours des instructions familieres au peuples, et des Catechismes aux enfans". *Python* (305): „Profestis teneram aetatem primis doctrinae Christianae elementis imbuebat, familiari instructione Populum erudiebat." Similiter multi ex biographis posterioribus. At silent, qui primi, paullo post Canisii mortem, eius vitam scripserunt: Keller, Raderus, Sacchinus. Silent etiam testes a. 1625 et 1627 Friburgi in processu beatificationis Canisii auditi. Immo ex aequalium scriptis colligitur, iam inde ab initio non Canisium ipsum, sed eius sodales eo munere functos esse. Propterea assentiri non audeo R. P. *Canisio Boret* O. Min. Conv. scribenti: „Le P. Canisius . . . commença à faire le catechisme et à prêcher sur les places publiques: et suivant une tradition qui n'est point à mépriser, les images érigées en différents endroits de notre cité, et devant lesquelles pendant longtemps on vit brûler une lampe,

[1] Haec anni 1627 testimonia iisdem verbis posita sunt etiam in „*Positione*" a. 1734, Summ. p. 12 13 18 19 35; ubi p. 24 praeterea producitur *Simon Gurnel* (cf. supra p. 545) affirmans, Canisium Friburgi contiones habuisse „non minus doctrina quam pietate praestantes"; se earum partem maiorem audivisse „nec ullam facile neglexisse". Cf. etiam „*Positionem*" a. 1833, Summ. p. 123.

marquaient la place où le Bienheureux avait fait ses instructions (Vie et Apostolat du Bienh. P. Canisius, Paris-Fribourg 1881, 161).

Multo etiam minus testatum est id, quod primus (quod sciam) a. 1755 *Longaro degli Oddi* (228) et post eum alii, ut *Séguin* (250), *Alet* (101), *Raemy de Bertigny* (62—63), *Boero* (Can. 379), *Daurignac* (360) dixerunt: Canisium singulis hebdomadis diebus suam assignasse occupationem: eum alio die pueris catechismum explicasse, alio homines rudes agrestesque ad pietatem instituisse modo ad eorum captum accommodato, aliis diebus ad custodias publicas, ad valetudinaria, ad infirmos adisse etc. Id sane, si non alii, certe Sebastianus Verronius, qui urbis friburgensis tunc parochus fuerat, in commentario, quem de rebus a Canisio Friburgi gestis scripsit (v. infra, monum. 1621), commemorasset. Canisius Friburgum venit viribus iam fractis, et multum temporis insumebat contionibus praeparandis, novis libris scribendis et librorum iam antea scriptorum novis editionibus concinnandis, precibus ad Deum fundendis etc. *P. Oliverius Manareus* Societatis visitator Lucerna 25. Iulii 1581, cum Friburgi fuisset, ad Aquavivam praepositum generalem rettulit: Socios friburgenses usque ad id tempus pauca praestitisse; Canisium sat procul coetu hominum vivere („essere molto ritirato“), et socium eius curis rei familiaris distendi (v. supra p. 535). Ex collegii friburgensis Litteris annuis, quae quidem supersunt (incipiendo ab a. 1583), cognoscitur, Sociorum neminem ad custodiam publicam vel ad valetudinarium adisse singulis hebdomadibus; multo rarius illi eo accedebant. Hoc etiam de aliquot Sociis friburgensibus Canisio aequalibus notatum inveni: Eos sacerdotum coetibus, qui statis diebus ad „casus conscientiae“ excutiendos habebantur, praeesse; de Canisio id nusquam vidi testatum; nec tamen prorsus negarim, eum id quoque officium interdum administrasse.

Narrat vero *Verronius* in commentario, quem supra dixi, Canisium etiam extremo vitae tempore „paratum fuisse, quamdi per valetudinem posset, catechisandis haereticis exteris, qui eius doctrinam expetebant“ (v. infra, monum. 1621). Item in *processu a. 1627, quem supra dixi, prolatum est testimonium *Iacobi Stutz,* viri ex senatu maiore reipublicae friburgensis. Hic, 66 annos natus, de Canisio testatus est: „Ipse ego ab illo nouiter Basilea loco haeretico reuersus Friburgum egregie circa fidei mysteria instructus sum adeo ut quotidie bis memoriter Catechismum recitare debuerim“ (ex testimonii eius apographo a P. Petro Hugone S. J. [† 1657] scripto, quod est in Can. 63 f. 130ᵃ, et ex Cod. diling. „Schmalzgr.“ n. 242; etiam in „*Positione*“ a. 1734, Summ. p. 17). Eodem spectat testimonium *Guilielmi Lautenschlager* protonotarii apostolici et capituli S. Nicolai friburgensis canonici in eodem processu recitatum: „Opera P. Canisij multos artifices, qui de locis haeretica lue infectis Friburgum ad artes suas exercendas ueniebant, ad ueram fidem conuersos esse“ (ex apographo P. Hugonis l. c. f. 115ᵃ—134ᵇ, collato cum Cod. diling. „Schmalzgr.“ n. 298; etiam in „Positione“ a. 1734, Summ. p. 29).

In eodem processu pronuntiaverunt: *Pancratius Gerver:* „Canisium ardentissimo animarum zelo praeditum fuisse adeoque summa prudentia, charitate, patientia ac humilitate errantes ad viam salutis reduxisse, nominatim vero in Confessionibus, orationibus ac publicis concionibus“; *Michael Faber* „eum vidit aegrotos adeuntem, consolantem, confitentibus aures sedulo praebentem, magno zelo ad pia hortantem“; *Simon Gurnel* dixit, se Canisio „Confessario multis annis vsum, et extra Confessionem

frequenter, et familiariter cum eodem collocutum esse": *Antonius a Montenach* „scit illum in audiendis confessionibus solandisque aegris, et afflictis proximi salutem ardentissime sitijsse, et promouere omni opera, et labore studuisse" (*Positio* a. 1734, Summ. p. 12 18 20 34; cf. etiam „*Positionem*" a. 1833, Summ. p. 177—178).

1480. 1589.

Ex apographo eiusdem fere temporis. Cod. „I. 36" f. 38[a]—42[a]. Magna harum litterarum pars, verbis interdum immutatis, typis exscripta est in „*Annuis Litteris* Societatis Iesu Anni M. D. LXXXIX", Romae 1591. 205—210. Particulam germanice posuit *Rieß* 478—479.

Sociorum friburgensium numerus et ministeria sacra. Calvinianus heidelbergensis a Canisio in ecclesiam receptus. Cleri capita Socios consulunt. Synodus dioecesana. Vicarius generalis Sociorum opera utitur. Monasterium reformatum. Exercitia spiritualia. Favor et pietas senatus. Aedificatio collegii. Consilia civibus data. Sodalitas. Adversarii.

In „*Litteris* annuis" collegii friburgensis, Friburgo Helvetiorum circa m. Novembrem a. 1589 datis, haec, praeter multa alia, narrantur: „Jniti perlatique toto anni decursu labores quatuordecim omnino Societatis hominibus . . . nulla (Deo tutante) nisi exigua vnius atque alterius inualetudine; sic ut nulli neque haerere nec uacare ab officio suo licuerit. . . . Statae . . . conciones a nostris duobus habentur in locis: Dominica quidem ad D. Joannis, reliquis uero festis diebus vt in Aduentu et Quadragesima ad D. Nicolai cathedralem Ecclesiam . . . Nulla solennitas potior nobis transiit quin vt minimum ducentos, vt summum vero mille ducentos in poenitentibus, et ad sacram synaxim accedentibus numeraremus. . . . Jnter sex et viginti qui falsa religione abiurata sinceram fidem amplexati sunt atque a nostris per salutarem expiationem ex improborum coetu, gratia, vinculis excepti sacraeque Romanae Ecclesiae redditi, fuere tres praecipue insignes, quorum vnus Haidelberga (Caluinisticae faecis in Germania Metropoli) filius ipse cuiusdam isthic verborum clamatoris R. P. Canisij late fama excitatus ad nos longo difficilique multum itinere fidei causa contendit. Examinatus ille mutatae voluntatis rationem breuiter ac rotunde vnicam suorum doctorum inter sese tumultuantium dissensionem sibi contentiosae fidei deserendae causam extitisse professus est. Jdem cum absoluisset omnia, quibus ipse fuerat absoluendus, tanta in suae conuersionis auctorem exarsit charitate vt eidem sese pro primis gratiarum initijs, ad D. Jacobi, Compostellam peregrinatione deuoueret, quam illico, licet omnium rerum inops, vno DEj confisus auxilio suscepit. Altera nobili genere matrona e dominatu Bernatum" fuit. . . . „Praeter hos alij sex fuere, quorum dubia mens in fidei rebus uacillando haereret, quibus quam caeteris magis defuimus nil, eam enim de omnibus accepere a nobis institutionem, vt quae necessitas flagitaret ad Caluinianorum, quibuscum viuendum congrediendumque erat, machinas machinationesque disturbandas abunde satis instructa et apparata haberent. . . . Euocamur cum primis atque etiam vltro adimus ad aegros vel dandi solatij hortandique causa, vel certe vt in extremo constitutis robur addatur, et ipsi infirmi tantum animi corporisque vinculum pie recteque dissoluere doceantur. . . . Consiliorum de gravissimis helveticae reformationis negotiis conferendorum causa, Reuerendissimi Episcopi Lausanensis[a] hic Friburgi dominus Vicarius[1], nec non Domini Praepositus[2] et Decanus[3] saepe numero nostros accersunt et adeunt, praecipue vero ipse Dominus Vicarius vti nos toto animo omnibus prosequitur officijs, ita ferme semper in suum adhibet consilium, vt nihil facile constituat cuius ratam authoritatem a nostrorum iudicio et

a) Lausonensis *apogr.*

[1] Petrus Schnewly. [2] Erhardus Thorin, praepositus capituli S. Nicolai. [3] Sebastianus Verronius, eiusdem capituli decanus.

arbitrio non sumpserit. Cum ex tota dioecesi in conuentum quotannis agi solitum omnes Ecclesiastici pene uenissent, eiusdem rogatu Sacerdos de nostris vnus in magna Sacerdotum frequentia orationem habuit quam vbi perorasset, egregia pijssimaque de rebus admodum necessarijs facta decreta praelegi obseruarique iussit, quae vt executioni mandarentur singulis decanis animadversionem quam primum instituendam demandauit. Idem pro pietate, qua in Ecclesiasticam disciplinam feruide rapitur, nullius Ecclesiastici ob reatum aliquem suum euocati purgationem admittit, quin prius a Societatis homine sacrosancte se purgatum eiusdem manu uel signo aliquo testificetur. Hinc fit vt auersi alioquin a Societate Ecclesiastici nostram et auctoritatem et beneuolentiam agnoscere discant. . . . Si alias in vera vincula quicunque Laici inciderint, aut certe poenam Domini Vicarij iudicio dandam sint commeriti, eos nostrorum arbitrio primum vult DEO dependere poenas. Eodem animo Parochi quidam alij religiosi Confessarij nos pro ijs quos audituri erant saepe consuluerunt, imo vt suos audiremus plurimum rogarunt, atque vt veros decuit Pastores ipsi ouiculas humili confessione praeiuerunt. Et praecipuus ac singulari vir doctrina Friburgensis vrbis Parochus simul et Cleri Decanus [1] pluribus diebus domi nostrae spiritualibus vacauit exercitationibus, tanto cum animi feruore vt etiamnum ad idem opus velut postliminio redire cogitet. Tradita sunt eadem aptissima religionis arma certi ordinis hominibus quotquot in eodem ordine professi essent [2], quorum vsum breui tempore tantum obtinuerunt, ut neque ad propriam salutem melior, neque ad profligandos hostes acrior expectari potuisset. Erant illi primum negotiorum spiritualium prorsus expertes · nunc uideas totam familiam ad modum nostrae Societatis, instituta praeter horarum decantionem meditatione et examine accommodatam. Vagabantur alias in vrbe forisque singuli liberius, nunc intra claustra se continent. Patebant antea etiam mulieribus omnia, nunc ne viris quidquam, nisi quantum humana requirit necessitas, et necessaria postulat humanitas. Et ne temere quidquam agatur initio, aut ne prius res bene coepta dimittatur, quam confirmetur, ipse familiae totius Pater appensis sibi clauibus portitoris fungitur officio. Auditus e subordinatis potior exercitiorum suorum locum crebrius inclamare, in quo prima suae salutis initia, quod aiebat, felicissime reperisset." Magnam adfert haec mutatio admirationem „ijs, qui prius monasterio velut hospitio vti solebant, quin etiam illorum exemplo Laici quidam adducti eandem exercitationem meditantur, et quidem id posse videmur vt alios tam religiosos, quam seculares in eam pertrahamus mentem, sed ita angustiae nos domesticae contrahunt nullis vt commode locum cedere possimus, donec hyems dimissa laxiorem nobis habitationem relinquat. . . . Vniuersus Senatus, paucis quibusdam exceptis, aequus bonusque nobis esse cupit, quod frequenter experimur, dum bonorum nostrorum causa uel eum consulimus, uel ei supplicamus, aut coram iudicio contendimus: vbi semper facilem et placabilem nostrisque partibus fauentem sensimus, adeo vt cum ad pauculos e Senatu controuersia quaedam nostra delata esset ijque contra nos, quod non ita fauerent, sententiam pronunciassent, nullus tamen eorum fuerit, qui eam ad nos sustineret perferre [a], resque hac ratione integra manserit. Neque certe coeptum aedificium iam a sua perfectione longe abesset [3], nisi bellici tumultus adeo vicini obstitissent [4], in quibus unanimi omnium Senatorum sententia necessaria visa est moeniorum restauratio ad quam omnes pene operarij erant adhibendi. . . . Nostra quoque consilia ex his et e populo plures vt salutaria sectantur. . . . Cum ciues dissensione quadam varias in partes distraherentur, vt nonnulli regijs, alij vero Guisiacis partibus adhaerescerent, venere ad nos praecipui.

a) *Sic ex Annuis illis Litteris romanis posui pro* uel auderet aut perferret, *quae sunt in apogr.*

[1] Sebastianus Verronius; cf. supra p. 779.

[2] Significari puto fratres ordinis Eremitarum S. Augustini friburgenses; cf. *Berthier*, Bonh. 76 90[2]. [3] Aedificium collegii Societatis; v. supra p. 677.

[4] Gallia bellis hugonotticis flagrabat. Praeterea tota aestate prope fines friburgenses castra habebat exercitus, quem Bernates duci Sabaudiae opponebant (Cod. friburg. „Hist. coll. Frib." p. 13).

consilij causa, vtri potius bona conscientia parti sese adiungerent[1]. His ita consuluimus vt vna salutis ipsorum, nostrique instituti rationem secuti simus. Maximopere vero tum Senatus suam in DEVM pietatem declarauit cum insurgente bello periculoso petulantes cantus et insolentia tripudia idque generis leuitates alias, publico uetauit edictu"[2]. . . . Sodalitati marianae civium nomen dedit „Reuerendus D. apud S. Nicolaum praepositus. . . . Demens spiritus finitimis Friburgo verbi DEj deprauatoribus . . . sollicitudinem et stomachum mouet. Diuturno nocturnoque propter nos metu excitati praesertim Lacunarij illi[3] velut e stygio quodam tripode praedicant, hortantur, admonent Friburgenses sibi attendant ne Jesuitica gens subtilitatum plenissima, quo non putent eos quandoque abducant".

1481. 1589.

Samuel Huber lutheranus libro Tubingae edito Canisium calumniatur.

Samuel Huber (1547—1624) ex urbe Burgdorf prope Bernam ortus, qui ex Calvinianorum parocho burgdorfiensi circa a. 1588 minister lutheranus in pago „Derendingen" (Derdingen?) prope Tubingam sito evaserat, theologus rixosus et novarum sententiarum amator („Allg. Deutsche Biographie" XIII 248—249), a. 1589 Tubingae edidit et Ludovico Wurttembergae duci dedicavit librum: „Widerlegung des Büchlins, Welches Jörg Scherer ein Jesuit, von einer newen vnnd vnerhörten Monstrantzen, sampt angehenckten sibenzehen Vrsachen, daß man von den Lutherischen das heilig Nachtmal vnsers HERRN Jesu Christi nicht empfahen solle, in jungst verschiner Herbstmeß hat außgehn lassen". Ibi (p. 89—91) ex Nicolao Cusano miram quandam profert narrationem daemoniacam eique haec adnotat: „Solche Geschichten sein bey weittem in der Römischen Kirchen keine Fablen, dann das ist der Verstand deß Tridentinischen Conciliums: Alle traditionen, wie sie bißhero in der Römischen Kirchen gelesen vnd geschriben seien, sollen souil als das Wort Gottes gelten. Nun so hat dieselbige Kirch alle jhre traditiones, allein auß solchen Legenden. Also ist des Petri Canisij meinung gewesen vnnd noch, da er schreibt in seinem Catechismo: Das seie die Catholische Kirch, welche glaubt, was die Römische Kirch glaubt, es stehe in heiliger Schrifft geschriben oder nicht. So muß sie auch dises glauben."

Calumniatur *Huber* tum Concilium Tridentinum, tum Canisium. Nam eiusmodi narrationes, si quidem traditiones vocari possunt, traditiones sunt mere humanae et privatae. Canisius vero, doctrinam sequens concilii illius, credendas esse docet traditiones divinas. In Catechismo enim *Canisii* minore haec dicuntur: „Quid est fides? Donum Dei ac lumen, quo illustratus homo firmiter assentitur omnibus quae Deus revelavit et nobis per Ecclesiam credenda proposuit, sive scripta illa sint, sive non sint" (cap. 1, qu. 3). Et in „Summa doctrinae christianae": „Pro sacrosanctis habenda firmissimaque fide complectenda sunt, quae Spiritus sanctus credenda nobis revelat pronunciatque per Ecclesiam, sive scripto illa, sive vivae vocis traditione nobis commendentur" (cap. 1, qu. 22, D).

[1] Cum Henricus III. a. 1588 Henricum et Ludovicum Guisios nefarie interficiendos curasset, Carolus eorum frater ducem se addidit confoederationi ligisticae (Ligue), quae iam regis imperium detractavit. Ille vero Henrico Navarrae regi calviniano palam se coniunxit, mense autem Augusto a. 1589 necatus est. Tunc Navarraeus nomen regis Galliae sibi sumpsit; Hispani tamen et Ligistae eum, quod haereticus esset, hoc nomine salutare recusarunt.

[2] Die 15. Maii 1589 *Senatus friburgensis* saltationes diebus anniversariis dedicationis ecclesiarum aliisve temporibus, exceptis honestis nuptiis, fieri *vetuit. Simul prohibuit „das überflüssige Trinken, fürnemlich zu Unzeiten, und das Zutrinken"; item, multa 10 librarum proposita, „das Ringsingen" atque omnes alearum et paginarum sive chartarum ludos proscripsit (ex edicti apographo eodem tempore scripto, quod est Friburgi in archivo reipublicae, „Mandatenbuch 1" f. 166[a]).

[3] Calvinianorum ministri ad Lacum Lemanum (Lac de Genève) habitantes.

In eodem libro *Huber* sugillat exorcismum a Canisio a. 1570 Ottingae Veteris factum (*Can.* VI 641—654) sive, ut ipse ait, „Petri Canisij Wunderzeichen". „Merck", inquit, „das die Frösch, wie der heilig Johannes sagt, können Wunderzeichen thun." Iesuitas autem vocat „Mäuler des höllischen Drachens, Beelspfaffen, Opfermägen, Meßprasser, des Teufels Lügen- und Thyriaksführer und verloffne Landbetrüger" (p. 113 147—148).

Locum ex libello tribus annis post ab *Hubero* edito adiungo, cum quia in hoc quoque Canisius sugillatur, tum quia ex eodem amplius cognoscitur, quo dicendi genere lutheranus hic theologus uti consueverit. „Jetzt", ait Huber, „(wie dann die Welt je lenger je spitzfündiger vnd kunstreicher würdt) so sind herfür plumpet, vnd an das Tageliecht getretten, Eccius fast der ersten einer . . . Auß welches Ofen jetzige Papisten fast alle jhre Pasteten nemen vnd anrichten. Darnach Cochlaeus der nächst mit dem Kochlöffel bey dem Krauthafen: Lindanus . . . Weiter Surius, Hosius, Canisius, vnd vil andere mehr, welche noch erst von tag zu tag auß Petri vermeinten wol gedüngten vnd feißten Patrimonio vnd seinem Maierhoff herfür kriechen, wie die Kefer, so man sonst S. Peters Fliegen pflegt zu nennen, vnd Weber werden dises Römischen Gespünstes, vnd fürnemlich die hellschleichende Jesuiter, welche das Gestudel jetziger zeit fast allein (allein außgenommen, das Pistorius auch seine Füß hierein tringen thut) einnemen, vnd gut Arbeit machen, weben, stossen, treiben, hechlen, schmieren, vnd arbeiten mit Henden vnnd Füssen, besonder da sie jhren Kölsch, das ist, die blitzblawe Arbeit machen, vnnd jagen das Römische Schifflein hin vnd wider durch alles obgesamelt Garn, wie es von Heiden, Jüden, Vngläubigen vnd Ketzern gespunnen ist, darauß nun das Römische fein Mäntelin gemacht würdt": „Wider Georg Scherers des Jesuiters Bettlermantel, vnd seinen sibenzehen Flecken oder Lappen, Welche er nach der vorigen Außklopffung widerumb an die Sonnen gestelt vnnd gespieglet hat", Tübingen 1592, 124—125.

1482. Exeunte m. Decembri a. 1589.

Ex autographo. Can. 38 f. 260^b—262^a. Autographo usus est *Schlosser* 326—340.

Canisius ad Socios de votis renovandis dicit. „Examen particulare" commendat.

Exstat commentarium Canisii manu scriptum ab eoque sic inscriptum: „De renouatione uotorum ad fratres 1589". Quod sic incipit: „Instat tempus, quo tria nobis peragenda · ut post annum istum incipiamus nouum. 2 ut festum nominis Jesu [1] celebremus. 3. ut uota renouemus". Ex his verbis intellegitur, Canisium Friburgi exeunte m. Decembri a. 1589 (28. vel 29. Decembris?) ad collegii Socios „exhortationem" sacram habuisse, qua ad vota religiosa Kalendis Ianuariis 1590 renovanda praepararentur. „Dicam", inquit, „1° quomodo libenter et laete [a] renouari debeamus." „Quibus medijs promouenda renouatio, ut fructum maiorem adferat singulis uouentibus." „Quae impediunt bonam renouationem?" In „mediis" hoc, praeter alia, ponit: „Ex pura intentione [b] et amore Dei ac proximi res nostras incipere, et non ex consuetudine et naturali tantum inclinatione. Hinc opus est examine particulari et quotidiano, quo ualde indigent perfecti et imperfecti, si multas uelint tentationes et prauas naturae inclinationes et affectiones uincere. Alioquin spiritum bonum conseruare et in uia Dei progredi est difficillimum."

Schlosser unam hanc exhortationem in duas dividit, quarum alteram nescio qua ratione nixus anno 1590 habitam esse scribit.

1483. 1590.

P. Henricus Garnetus S. J. Canisii Summam anglice reddit, compluribus tractatibus auget, Londini typis exscribendum curat.

De P. *Henrico Garneto* (Garnett), qui a. 1555 Notinghamiae (Nottingham) natus, a. 1575 Romae in Societatem Iesu admissus, a. 1586 in Angliam reversus, aliquot

a) lete *autogr.* b) *Quinque vv. sqq. a C. in margine addita sunt.*

[1] Festum Circumcisionis Domini significat, quod Kalendis Ianuariis agitur; v. supra p. 656.

annis post missioni illi difficillimae praepositus, per iniuriam in crimen laesae maiestatis vocatus et a. 1606 Londini crudelissime interfectus est, viro, ut cardinalis Bellarminus ait, „omni doctrinae genere et vitae sanctitate incomparabili", *Philippus Alegambe* S. J. anno 1643 haec memoriae prodidit: Eum scripsisse, praeter alia, „Tractatus diuersos, De Peregrinationibus; De Indulgentiis; Rebus sacris etc. appositos Catechismo Petri Canisij, quem ipse maxima ex parte Anglice reddidit, Londini MDXC. et recenter Audomari MDCXXII. in 8°" (174). Haec iisdem verbis anno 1676 repetiit P. *Nathanael Sotvellus* S. J. (326). Deinde *Carolus Dodd* in opere anonymo „The Church History of England" (T. II, Brussels 1739, 400) Henrici Garneti libros recensens scribit: „Canisius' Catechism. A Translation from the Latin. Lond. 8vo 1590. S. Omer 1622". *De Backer* autem in numero librorum Garneti posuit: „A Translation of Summa Canisii, with supplements on pilgrimages, invocation of Saints, and indulgences. London, 1590. 8°, pp. 687. — S. Omer. 1622. 16°" (I 2045). Haec repetunt *Henry Foley* S. J., Records of the English Province of the Society of Jesus, IV. London 1878, 143—144, et *Sommervogel* III 1226. Quare dubium esse vix potest, quin a Garneto compositus sit liber: „A Svmme of | Christian Doctrine: | Composed in Latin. | By the R. Father P. CANISIVS, of the | Society of JESUS. | With an Appendix of the fall of Man | and Iustification, according to the Do- | ctrine of the Councel of Trent. | Newly translated into Englishe. | To which is adioined the explication of cer- | taine Questions not handled at large in | the Booke as shall appeare in the | Table. | 2 Thess. 3. 6. | We denounce vnto you, Brethren, in the name of our | Lorde Iesus Christ, that you withdrawe your selues | from euery Brother walking inordinately, and not | according to the Tradition which they haue recei- | ued of vs." Sine nomine interpretis, auctoris, typographi, sine loco et anno. 16°; pp. sign. 687 et non sign. in initio 8 (addito folio titulari) et in fine 1. In pagina altera folii titularis sententiae S. Augustini et Sacrae Scripturae „Against those which are ignorant of thinges necessary to saluation". In f. non sign. 2 et 3 „The Preface to the Reader"; incipit: „The gloriouse Apostle Saint Peter very fittely compareth the worde of God and the doctrine of the holy-Ghost, vnto a Candell": terminatur: „as we haue bene redeemed, so must we also be glorified". F. 4^a non sign.: „The Printer to the Reader"; ait ille: Promisi quidem, me in extremo hoc libro tractatum de officiis divinis et de Sacra Scriptura lingua patria legenda positurum esse; sed quia in hac regione bellare non cessant, et aliae mihi obstant difficultates, promissis plene stare non potui; in proxima tamen libri editione hunc defectum supplebo. F. 4^b—6^a catalogus Patrum et conciliorum in catechismo commemoratorum. F. 6^b—8^b conspectus rerum. Pg. 449—484 „appendix" de iustificatione. Pg. 485 „The Translator to the Reader"; ait ille, se modo de quaestionibus aliquot dicturum esse, de quibus in catechismo aut nullo modo, aut minus copiose actum sit, quam regionis, in qua ipse versetur, necessitas exigat. Sequuntur pp. 487—687 hi tres tractatus: „Of Hallowed and Sanctified Creatures, vsed in the Church; of Pilgrimage vnto holy places; of Indulgences or Pardons". Pag. ultima habet „Errata". Si quis cum hac editione contulerit librum „A Svmme of Christian Doctrine: Composed in Latin, by the R. Father Petrvs Canisivs . . . translated into English. To which is adioyned the explication of certaine Questions, not handled at large in the Booke, as shall appeare in the Table . . . At S. Omers For John Heigham, with permission of Superiors, Anno 1622": facile deprehendet, audomarensem hunc librum esse alteram editionem libri superioris. Ac quod in hoc promissum quidem, sed non plene effectum est, id Audomari a. 1622 suppletum est; in hac enim editione hae tractantur quaestiones (p. 382—475): „I. Of Hallowed and Sanctified Creatures, used in the Church. II. Of Pilgrimage unto holy Places. III. Of Indulgences or Pardons. IV. Of Service and Praier in the Vulgar tongue". Notatu dignum est hoc: In altera hac editione et locus et annus et typographus nominantur; solum nomen interpretis catechismi auctorisque tractatuum silentio tegitur; in priore illa haec omnia teguntur. Quae facile intelleguntur, si dicas, priorem illam editionem in ipsa Anglia factam esse, cum ibi Elisabetha regina catholicos crudeliter persequeretur. Constat autem aliunde,

alios quoque libros catholicos eo tempore in Anglia clam typis exscriptos esse (*Jos. Spillmann* S. J., Geschichte der Katholikenverfolgung in England 1535 1681, III, Freiburg i. Br. 1905, 357—358 455 457). Librum vidi Londini in bibliotheca archiepiscopi Anglicanorum cantuariensis (Lambeth Palace). Editionem, Garneti mentione non facta, posuit *Sommervogel* II 631.

1484. 1590.

„INSTITVTIONES CHRISTIANÆ | PIETATIS, SEV PARVVS CATE- | CHISMVS CATHO- | LICORVM. | Authore | PETRO CANISIO, | SOCIETATIS IESV | Theologo. PRECES HORARIAE DE | aeterna Dei sapientia. | WIRCE-BVRGI, | Excudebat Henricus Aquensis. | ANNO M. D. XC." Versus 2, 3, 9, 10, 11, 14 rubri sunt. Totus hic titulus cingitur margine nigro, in lignum inciso. 8° min.; nec paginae nec folia numeris signata sunt; ff. 82, addito titulari. F. A 2^a—A 3^b „De Calendario et eivs commoditate admonitio. Res planè triuialis, ac nullius ferè momenti vulgò existimatur, circa Calendarium versari" etc.: f. A 4^a—B 3^a Kalendarium secundum usum dioecesis herbipolensis. F. B 4^a incipit catechismus. F. G 1^a incipiunt testimonia Scripturae contra haereticos. F. G 4^a tres sententiae, quae S. Augustino attribuuntur. F. G 5^a—K 3^a Preces horariae. A f. K 3^b ad finem libri meditationes cotidianae de virtutibus Christi, precationes ad usum adulescentum litteris studentium, preces vespertinae, preces in schola ante lectionem dicendae. Liber ornatus est sex figuris in lignum nitide incisis, quae singulae tertiam paginae partem occupant. Librum vidi Herbipoli in bibliotheca monasterii PP. Minorum Conventualium. Diligenter eum descripsit *Ant. Ruland* in „Serapeum" XXVIII, Leipzig 1867, 15. Eundem breviter commemoravit *Sommervogel* II 637.

1485. 1590.

Venetiis a. 1590 cum Thomae a Chaves O. Pr. „Summa Sacramentorum" iterum editae sunt „INSTITVTIONES | CHRISTIANÆ | PIETATIS, | Siue abbreuiatus Catechismus | Petri Canisij Theologi So- | cietatis IESV. | VENETIIS, | *Apud Iacobum Cornettum.* | *M. D. XC.*" 12°: ff. sign. 38, addito titulari, et in fine 2 ff. non sign. Reliqua eodem modo se habent atque in editione anni 1588; v. supra p. 771. Librum vidi Romae in bibliotheca casanatensi (EE a. XII. 24). Est is etiam Taurini in bibliotheca nationali et Tubingae in bibliotheca universitatis. Eum breviter commemoravit *Sommervogel* II 637.

1486. Inter a. 1563 et 1595.

Canisii catechismus minor in genus linguae groningense translatus, semel atque iterum Steenwycae editur.

Ioannes Matthiae van de Velde S. J., a. 1601 natus, a. 1669 Groningae (Groningen, urbs regni neerlandici) mortuus, scripsit „Narrationem historicam seu descriptionem status Romano-Catholicorum civitatis Groningensis necnon agri circumiacentis . . . 1620—1624". In qua haec narrat: Circa a. 1590 duo Societatis sacerdotes Steenwycae in Transisalania (Steenwijk, urbs regni neerlandici) et Groningae ex scholis libros haereticos amoverunt. Groningae bibliopolae libros acatholicos vendere, ludimagistri eos „praelegere" vetiti sunt. „Eandem ob causam parvus Petri Canisii catechismus, a Reuerendissimo Ioanne Cnyphio Groningensium antistite pridem probatus, ac in idioma huic civitati familiare conversus, est iterum Steenwycae typis excussus ac Groningae divendi explicarique jussus. Exemplar illius etiamnum penes me est" (*Archief* voor de Geschiedenis van het Aartsbisdom Utrecht. Zesde Deel, Utrecht 1879, 78—79). Ioannes Cnyff (Knyff) O. Min. 1563 1578 episcopus groningensis fuit. Groningensium „idioma" erat genus linguae Saxoniae inferioris, colorem quendam habens peculiarem.

1487. 1590.

Canisii liber precum cum eius catechismo minimo Dilingae editur.

„Bettbůch vnd | Catechismus. | Nach rechter Catholischer | form vnd weyß, jetzt zum | öfftern mahl im Truck | außgangen. | Durch | Petrum Canisium der H. Schrifft | Doctor, rc. Letstlich gemehrt | vnd vast gebessert. | Mit Röm. Kays. May. Freyheit. | Getruckt zů Dilingen, durch | Johannem Mayer. 1590." Versus 1, 3, 8, 9, 13, 14 rubri sunt.

8⁰ min.: ff. sign. 391, non sign. in initio 46, addito titulari, et in fine 11. Catechismus (f. C 2^b—D 7^a) non est „Parvus Catechismus Catholicorum", qui in primis huius libri editionibus positus erat, sed catechismus minimus, isque ad imitationem Catechismi Romani sic divisus: Fides, sacramenta, praecepta, oratio dominica, iustitia christiana. Cf. *O. Braunsberger* S. J., Entstehung und erste Entwicklung der Katechismen des seligen Petrus Canisius, Freiburg i. Br. 1893, 110—111. Reliqua sunt eadem atque in editione dilingana anni 1575 (v. *Can.* VII 733), nisi quod in praefatione loco verborum „zum sechsten mal getruckt" dicitur „zum öfftermal getruckt", et f. C 2^b sub titulo „Catechismus" etc. cernitur pueri Iesu duodennis, in templo docentis figura in lignum parum eleganter incisa et dimidiam paginam occupans. Librum vidi Pragae in bibliotheca universitatis (xxxIII H 9). Editionem posuit *Sommervogel* II 628.

1488. 1590.

Canisii „Epistolas et Evangelia" dierum dominicorum et festorum cum eiusdem parvo Catechismo, quae a. 1587 Ioannes Wolrab Posnaniae typis exscripserat (v. supra p. 735), a. 1590 ibidem iterum in 8⁰ edita esse dicit *Sommervogel* II 673; qui hanc quoque editionem ab Ioanne Wolrab factam esse mihi scripsit.

1489. 1590.

Canisius rogatu abbatis fischingensis Friburgi vitam S. Idae scribit et edit. Idem efficit, ut confraternitas S. Idae instituatur, eique inter primos nomen dat.

Fischingae (Fischingen, Vischingen, nunc pagus cantonis turgoviani [Thurgau] in Helvetia) apud monachos benedictinos olim sepulta est femina cum magna sanctitatis fama mortua, quam Sanctam Idam (Iddam, Itham, Ytam) Toggenburgensem vocant. De ea haec tradita sunt: Ida, Hartmanni comitis kirchbergensis filia, saeculo XII. Henrico comiti toggenburgensi nupta, cum fidei coniugalis violatae crimen in eam falso collatum esset, a marito ex arcis fenestra in profundum proiecta, sed mira Dei virtute servata est. Quae deinde diu vitam egit solitariam, hancque etiam, postquam eius innocentia marito patefacta est, aliquamdiu continuavit ac tandem Fischingae apud virgines Deo sacras supremum diem obiit (1226?). Huius vita, cum primum a. 1481 ab Alberto de Bonstetten O. S. B. decano einsidlensi in lucem emissa esset, iterum scripta et vulgata est anno 1590: „Kurtze beschrei- | bung der Gottseligen Frau- | wen Sanct Yta Gräfin | von Kirchberg: Welche | Durch grosse Wunderzei- | chen biß auff den heutigen Tag in | dem würdigen Gottshauß Vischingen, in | der Landgraffschafft Turgäw gelegen, | von GOtt herrlich gezieret wirdt. | Sampt angehengter Vorred deß | Ehrwürdigen vnd Andächtigen in GOtt | Herren, Herren Christof jetztregierenden Abbts | obgedachten GOTtshauß | Vischingen. | Proverb. xxxi. | Gunst ist falsch, vnd die schöne ist eitel. Ein Weib | die den Herren förchtet soll man loben. | Gedruckt zu Freyburg in Vchtland */sic/* bey | Abraham Gemperlin. Anno | 1590". Versus 1, 2, 5, 6, 7, 11, 16, 19 rubri sunt.

8° min.: pp. sign. 131; praeterea in initio ff. non sign. 6, addito titulari. Folium titulare sequuntur litterae dedicatoriae Friburgo initio a. 1590 a Gemperlino typographo ad Christophorum abbatem fischingensem datae [1] (pp. 5) et praefatio ab eodem abbate Fischingae initio a. 1590 scripta (pp. 4). Dimidiam partem paginae sequentis occupat S. Idae vestitum abbatissae gerentis imago ligno incisa, cui suppositum est carmen, quo Idae laudes celebrantur. Vita eius terminatur in pagina 94, in qua imago modo commemorata iterum est posita. P. 97—105 confraternitatis S. Idae Fischingae institutae leges et indulgentiae. P. 106—107 conspectus vitae S. Idae. P. 108—131 „Die vorgehende Histori mit newen Reimen kürtzlich verfasset" cum praefatione. P. 131 errata. Librum vidi Friburgi Helvetiorum in bibliotheca reipublicae. *Sommervogel* eum non commemorat.

Canisii nomen neque in hoc libro, neque in altera eius editione, quae a. 1612 Constantiae facta est (*Sommervogel* II 679—680; IX 1981) positum est. Canisii biographi ac primi Societatis bibliographi, cum Canisii libros recensent, huius libri nullam faciunt mentionem. Attamen certum est, Canisium eius esse auctorem. Nam 1.) Si Gemperlini litteras, quas supra dixi, legeris, eas a viro theologiae perito compositas esse atque canisianum scribendi genus prae se ferre dixeris. *Christophorus* autem *[Brunner]* abbas in praefatione affirmat, se beneficiorum a S. Ida acceptorum memoria et pietate, qua fideles eius sepulcrum frequentent, „vervrsacht vnd bewegt worden, ernstlich anzuhalten, das die gantze Histori von diser vnserr getrewen Patrōnin auf ein newes beschriben, vnd mit sonderm fleis, als niemals zuvor beschehen, außgeführet, auch mit Sprüchen der heiligen Schrifft hin vnd wider gezieret, vnd also in offnen Druck gegeben wurde". 2.) In * *Litteris* annuis collegii friburgensis Friburgo circa m. Novembrem a. 1590 datis narratur: „Editi ad aliorum piam institutionem libelli precarij · vnus item qui S. Itae mores et vitam explicat. . . . Ut a nostris quidam libri pie in lucem editi, sic a pijs amicis nonnulii ad bibliothecam nostram additi: in editorum gratiam a Reuerendissimo D. Abbate Fissingensi, cui facta vnius dedicatio, 20 coronati Collegio donati" (ex apogr. eiusd. fere temp.; Cod. I 36 f. 46^a 47^a). 3.) In* „*Continuatione* Historiae Collegii S. J. Friburgi Helv.", Friburgi circa a. 1635 scripta, haec, praeter alia, in a. 1590 referuntur: „Vitam S. Itae, et Notas in Euangelia totius anni idem R. P. Petrus Canisius in proximorum utilitatem vulgauit" (f. 2^a). 4.) *Henricus Murer* badensis, helvetius (1588—1638), cartusiae ittingensis (Ittingen) in Turgovia sitae monachus, in libro „Helvetia Sancta, H. Schweitzer-Land", a. 1750 S. Galli typis exscripto, vitam S. Idae toggenburgensis sic incohat: „Von diser H. Wittib Jdda, schreibet R. P. Petrus Canisius Soc. Jesu in seinem Martyrologio, auf den 3. Wintermonat, und dann in einem besondern Büchlein ihr gantzes Leben, daraus wir unsere Historiam gezogen" (p. 262). 5.) Anno 1685 Constantiae in lucem prodiit „Vita et Confraternitas S. Iddae Comitissae Tockenburgi cum Genealogiis Illustrissimorum Comitum de Tockenburg, et Kirchberg. Accessit origo monasterii Fischingensis, et series Abbatum ejusdem coenobii, ex idiomate Germanico in Latinum traductae a Quodam Eximio Ejusdem S. Comitissae Cultore". In huius libri ab *Ioachimo Seiler* abbate fischingensi conscripti et a priore conventuque eiusdem monasterii baroni Fideli de Turri, praefecto aulae Principis S. Galli, dedicati prologo dicitur: Albertum a Bonstetten vitam S. Idae primum a. 1481 latine, deinde a. 1486 germanice edidisse. „Centum et quatuor annis post hunc auctorem vitam S. Iddae quasi de novo resumpsit, conscripsitque Venerabilis P. Petrus Canisius e Societate Iesu, eamque inspersis hinc inde mirificis quibusdam annotationibus, et morali doctrina amplificavit, pro eo affectu, et tenera pietate, qua erat Divae Iddae addictus Vir eximius: unde in omnem ejus cultum intentus non tantum laboravit, ut in honorem Sanctae, Confraternitas aliqua erigeretur, verum etiam ipse Dux Verbi, et Facti eidem Congre-

---

[1] Christophorus II. Brunner abbas fischingensis (1574—1594) „ließ sich die innere Reform" des Klosters „besonders angelegen sein": *A. Büchi,* Zur tridentinischen Reform der thurgauischen Klöster, in „Zeitschrift für schweizerische Kirchengeschichte" 1. Jahrg., Stans 1907, 82.

gationi, inter primos, nomen suum inscribi curavit." Eiusdem libri caput XXIII. sic incipit: „In Prologo monuimus, quod Venerabilis ac Beatae memoriae clarissimus vir P. Petrus Canisius vitam S. Iddae conscripserit." 6. In monumentis per *Franciscum* abbatem fischingensem collectis et a. 1745 per Mauritium Chardon S. J., rectorem collegii constantiensis, hagiographis bollandianis transmissis haec dicuntur: Christophorus Brunner abbas ac monasterii fischingensis secundus fundator „legendam S. Iddae" per virum doctum „omni studio et diligentia ac sub iurata fide rigidissime examinandam" curavit. . . . „Verum necdum volens acquiescere, legendam hanc D. Iddae, ut foret opus omnibus numeris absolutum, rite examinatam et approbatam venerabili et eximiae[a] sanctitatis viro et Helvetiarum antiquitatum peritissimo, R. P. Petro Canisio e Soc. Iesu, Friburgum Aventicorum[b] recognoscendam, et sua etiam auctoritate approbandam, tandemque prelo dandam transmisit. Devotus P. Canisius domni abbatis piae devotioni lubentissime annuens, legendam S. Iddae in ultima sua aegritudine, ut videre est apud illustrissimum Henricum Murer[c] in eius Vita, quasi de novo resumpsit, conscripsit, impressis hinc inde mirificis annotationibus et doctrina morali, maxime contra noviter acatholicos, sanctorum invocationem et cultum blasphemantes, ampliavit et tandem in lucem dedit Friburgi anno 1590 ad initium anni." Confraternitas S. Iddae „circa annum 1580 initium sumpsit in ecclesia ac monasterio Fischingensi, confirmata est 27 iuniii eiusdem anni ab eminentissimo principe et cardinali S. R. E. Marco Sittico, archiepiscopo Salisburgensi[1] et episcopo Constantiensi. Potissima causa fuit V. P. Petrus Canisius e Societate Iesu qui in omnem D. Iddae cultum intentus, non tantum laboravit, ut in honorem S. Iddae confraternitas aliqua erigeretur, verum etiam ipse verbis et factis eidem congregationi inter primos nomen suum inscribi curavit" (*Acta Sanctorum* Novembris, Tomi II Pars prior, Bruxellis 1894, 103—104 116).

Cur Canisius huic libro non ascripsit nomen suum, quod vitis SS. Fridolini, Beati, Mauritii, Ursi a se editis ascripsit? Fortasse, quo facilius liber ille a Fischingensibus atque a peregrinis Fischingam ad sepulcrum S. Idae venientibus emeretur et retineretur. Nam et Fischingam et eius viciniam protestantismus invaserat. Protestantibus autem Canisii nomen exosum erat.

Opus hoc, etsi multas continet doctrinas hominibus ecclesiasticis et religiosis utiles, praecipue tamen coniugibus destinatum est. *Canisius* planis verbis affirmat, matrimonium a Deo in paradiso institutum, a Christo in evangelio confirmatum et sacramenti dignitate ornatum esse (p. 7). „Gleich wie das gold alle anedre schöne vnnd edle Metall vbertrifft, also soll auch die Eheliche Lieb vber alle Menschliche Lieb geschätzet vnd gehalten werden" (p. 10). Pleraque ex miraculis, quae post Idae mortem eius intercessione a Deo patrata esse traduntur, locum, tempus, personarum nomina sibi habent ascripta; eorum aliqua annis 1576, 1579, 1586 facta sunt (p. 86—92). Versus illos, quos supra commemoravi, non ab ipso Canisio, sed eo auctore a *Fridolino Lautenschlager*, qui Friburgi „ludimagistrum germanicum" agebat, compositos esse puto. Is certe tum a. 1607 SS. Meinradi et Fridolini vitas carmine a se descriptas Friburgi edidit, tum a. 1608 ibidem vitam S. Mauritii a Canisio compositam versibus breviter comprehendit (*Haller*, Bibliothek VII 516 566).

Quod Canisius confraternitatis S. Idae et auctor et unus ex primis sodalibus esse traditur, huius traditionis vestigia ante a. 1685 non apparent. Facile quidem credi potest, eum, qua erat in Sanctos pietate, nomen suum confraternitati illi dedisse; sicut aliquot annis post Soloduri confraternitati S. Ursi, non rogatu suo, sua tamen voluntate ascriptus est (cf. supra p. 470 473). Sin autem affirmatur, Canisium confraternitati S. Idae instituendae operam dedisse hancque iam m. Iunio a. 1580 ab episcopo confirmatam esse, dicendum est, hoc Canisii factum, antequam ille in Helvetiam advenisset, contigisse; id quod forsitan minus facile creditu est. Attamen

a) *Correxi ex* eximio. b) *Correxi ex* Aventiorum. c) *Correxi ex* Moser; *v. supra p. 807.*

[1] Non hic, sed cognatus eius, idem nomen habens, archiepiscopus salisburgensis fuit.

hoc notari oportet: Ida in suebico illo comitatu Kirchberg, qui eius erat patria, colebatur (*Acta Sanctorum* l. c. 112); hunc autem Fuggeri, quibus Canisius coniunctissimus erat, possidebant. Affirmat *K. Kuhn*, a Christophoro Brunner abbate confraternitatem institutam esse (Thurgovia sacra II, Frauenfeld 1876—1879, 68—69). Fieri autem poterat, ut Christophorus eam institueret Canisii suasu et hortatu. Christophorus abbas, ait *Kuhn* (l. c.), „hat sich durch diese Stiftung, welche schnell eine große Ausdehnung gewann, und bis zur Stunde bei dem katholischen Volke sehr beliebt ist, um die Pflege des religiösen Lebens die größten Verdienste erworben".

1490. 1590.

Vitae SS. Beati et Fridolini a Canisio scriptae et Friburgi Helvetiorum editae.

„Zwo warhaffte, lu= | stige, recht Christliche Historien, | auß vilen alten Scribenten zusammen gezo= | gen, jetzunder aber auffs new gebessert, vnnd | in Druck verfertiget. | Die erste von dem vralten Apostoli= | schen Mann S. Beato | ersten Predi= | ger im Schweitzerland. | Die ander von dem berümten Abbt | S. Fridolino, ersten Prediger zu | Glaris vnd Seckingen. | Durch Petrvm Canisivm Socie- | tatis Iesv Theologum. | Superiorum permissu. | 1590. | Gedruckt zu Freyburg in Vchtland, | durch Abraham Gemperlin." Versus 1, 2, 6, 9, 12, 15, 16 et verba S. Beato, S. Fridolino, Iesv rubra sunt.

4°; pp. signatae 259; praeterea ff. non sign. in initio 18 (addito titulari) et in fine 3. Folium titulare sequuntur: Conspectus totius operis; litterae dedicatoriae ad Ludovicum Pfyffer scultetum totumque senatum lucernensem (ff. 6), quas vide supra p. 284—293; auctoris praefatio de Sanctis universis (15 pp. non sign.). Pg. 1—110 historia S. Beati; p. 111 precatio „zu Gott dem Herrn von S. Batt zu sprechen". P. 113—258 historia S. Fridolini; p. 259 precatio ad Deum „von S. Fridolin". In fine libri index rerum alphabeticus.

Praeclarus ille Helvetiorum historicus *Franciscus Guillimannus* (Friburgi Helvetiorum circa a. 1568 natus et a. 1612 mortuus), qui Friburgi Brisgoviae in universitate historiam tradidit, in opere de rebus helveticis scripto S. Beati res gestas breviter commemorat; deinde scribit: „De quibus dicerem plura, nisi praestitisset piissime, et doctissime R. P. Petrus Canisius e Societ. Iesu Theologus, cui Heluetios suum Apostolum, aliosque patronos merito acceptos referre fas est": De rebus Helvetiorum, sive Antiquitatum Libri V., Friburgi Aventicorum 1598, 135—136. De eadem S. Beati vita canisiana *Gottlieb Emmanuel von Haller* bernensis, vir historica et litteraria eruditione conspicuus, iudicavit: „Wenn schon diese Geschichte eben nicht mit aller der Kritik verfertiget ist, welche man in unsern Zeiten verlangt, so ist sie dennoch eine von den besten und verdient gelesen zu werden": Bibliothek der Schweizer-Geschichte III, Bern 1786, 536. Atque *Aloysius Lütolf* († 1879), qui et ipse de historia optime meritus est atque artem criticam considerate exercuit, monet, Canisio in vita S. Beati scribenda fuisse „nicht die actenmässige Darstellung, sondern die erbauende Paränese sein Hauptziel". „P. Canisius wollte dem katholischen Schweizervolke die Wahrheit auf historischem Wege zum klaren Bewußtsein bringen: unsere, die katholische, Religion und Kirche, sammt allen ihren Satzungen und heiligen Gebräuchen ist ganz dieselbe noch, wie sie vom heiligen Apostelschüler Beatus unseren Vätern dargestellt und überliefert worden ist. Das Buch war in jener Zeit eine gut angelegte Apologie, die ziemlich erreichte, was sie wollte. Kräftigung des religiös-sittlichen Gefühls und Bewußtseins. Daher gehört es zu jenen Geschichtsbüchern, welche selber historische Bedeutung erlangt haben. Man begrüsste es, leistete ihm allen Vorschub, und Männer, welche als Historiker hoch dastanden, wie Guillimann, wiesen, wo sie von St. Beat zu sprechen hatten, ihre Leser einfach an den Pater Canisius. Höchstens behält er darin eigene Meinung, daß er, mit Berufung auf Simeon Metaphrastes, den Petrus selbst nach Britannien reisen und dort den Sueto-

nius-Beatus bekehren ließ. Der Stadtschreiber Renwart Cysat in Luzern aber vermuthete, wie man in seinen, auf dortiger Bürgerbibliothek aufbewahrten Papieren sieht, Beat möchte von Petrus gleichzeitig mit Maternus seine Sendung empfangen haben. Murer, in der Helvetia Sancta, und Lang, im ‚historisch-theologischen Grundriß', halten sich genau an Canisius, ja selbst Protestanten, wie Joh. Stumpf in der Chronik und Usher (Britannicarum ecclesiar. antiquitates pag. 745), weichen in ihrer Darstellung nicht von dem Jesuiten und seiner Quelle ab. Nur daß bisweilen ein Späterer es noch besser zu wissen meint, wo der Schweizerapostel überall gepredigt habe. Nach Bucelin war auch in Rätia I sein Feld, nach Schöpflin auch in Raurachien. Bei Guillimann ist der Heilige besonders im Aventicensischen und Verbigenischen Gau beschäftigt. Fast gegen Ende des 17. Jahrhunderts erklärte I. I. Hottinger die Legende als Fabel, allein ohne für solche Behauptung hinlängliche Gründe vorzubringen. Canisius erzählt die Tatsachen mit so viel Zuversicht, als man nur kann. Er schenkte also seinen Vorlagen volles Vertrauen und hatte nicht die geringste Ahnung, daß nach hundert Jahren ein gelehrtes Mitglied seines eigenen Ordens die ersten schweren kritischen Bedenken gegen seine Beatuslegende erheben werde [1]. . . . In neuerer Zeit hat Rettberg, auf die Bollandisten gestützt, einfach erklärt, B. sei ‚für die Schweiz durchaus als Prediger des Glaubens zu streichen'; die ‚Beatushöhle bei Thun' sei unhistorisch." Deinde Lütolf demonstrare conatur, Helvetios reipsa suum habere Beatum. „Die Beweise für einen solchen sind so sprechend, daß auch jene Forscher, welche die alte Legende aufgegeben haben, wie Neugart, Bölsterli, Gelpke, Oberst I. L. Wurstemberger, Albert Jahn, Pfarrer Walthard, zugeben müssen, im Berneroberlande habe einst ein heiliger Beatus gelebt und gewirkt" (4—5 11—66: Die Glaubensboten der Schweiz, Luzern 1871).

Scite monet *Hermann Leo:* Canisius „behandelt das Werk Balthers [2] ‚sozusagen als einen Text, den er aus Schrift und Tradition und durch das Beispiel der Heiligen erläutert und begründet, um für das christliche Leben Folgerungen daraus zu ziehen, ganz besonders aber, um den Protestanten gegenüber darzuthun, daß die katholische Religion mit ihren Lehren, ihren Geboten, ihren Räthen und Gebräuchen noch ganz die nämliche sei, wie sie einst vom hl. Fridolin war gepredigt worden'": Der heilige Fridolin, Freiburg i. Br. 1886, 18.

Pauca ex hoc *Canisii* libro excerpo: „Jst nit ein geringes lob Fridolini, daß er auß seiner hohen Weißheit nit allein Gott dem Herren trawet, sonder auch die Göttliche Sach verrichtet durch ordenliche mittel, das ist mit rath vnd gewalt beyder der geistlichen vnd weltlichen Obersten. Dann er sich deß geistlichen Ampts vnd Kirchischen wesens nit annam, als nur mit bewilligung vnd gewalt seines Catholischen Bichoffs: erkennet darneben vnd ehret seinen König, als den fürtreflichen, wie S. Peter die König nennet [3], die auch zuerbawung der Kirchen vnd befürderung der Religion jren gewalt brauchen sollen. Ermanet also mit seinem Gottseligen Exempel alle Christen, daß sie steiff halten ob beiden geistlicher vnd politischer Obrigkeit, als die von Gott eingesetzt im alten vnd newen Testament: sonderlich aber daß die ware Gottes vnd Kirchendiener, wöllen sie anderst die Kirch geistlich widerumb bawen vnd auffrichten, sich beyden Obrigkeiten gemäß vnd gegen jhnen vnderthenig erzeigen, vnd alle Auffruhr, Widerspänigkeit vnd Ergernuß vermeiden, bey höchster vngnaden vnd straff deß Allmechtigen, wie S. Paulus anzeiget" [4]

[1] *Godefridus Henschenius* S. J. in „Actis Sanctorum Maii" Tomo II, Antverpiae 1680, 368. Hic tamen disputationis finem sic facit: „Nos haec cum omni reverentia ad ulteriorem et securiorem notitiam discutienda proponimus, nihil detractum Helvetiis volentes, si aliquem sibi Beatum Apostolum aliunde certius probare possint."

[2] Antiquam illam S. Fridolini vitam a Waltero sive Balthero monacho conscriptam, qua Canisii liber praecipue nititur; v. supra p. 278[1].

[3] In margine: „1. Pet 2." (v. 13: „βασιλεῖ ὡς ὑπερέχοντι"; versio vulgata: „regi quasi praecellenti"; germanice nunc verteris: „dem Könige als dem Oberherrn".

[4] In margine: „Rom. 13" (v. 2).

(p. 150—151). „Vnd warlich ist es ein grosse sondere gnad Gottes, vmb welche wir alle bitten sollen, daß beyde geistliche vnd weltliche Obersten zusammen stimmen, vnd von hertzen sich vereinigen zu Gottes Ehr, vnd zu fürderung seiner Kirchen. . . . Herwider aber ist es ein gewisses zeichen deß grossen Göttlichen Zorns, vnd gemeinen verderbens, wann vneinigkeit vnd zwitracht zwischen Geistlichen vnd Weltlichen Häuptern gesehen wirdt, vnnd ein Gewalt dem andern die hand nicht reichet, ja das diser vmbstosset, was der ander bawet: gleich wie wir jetzunder mit dem höchsten Schaden der Christenheit leider erfahren" (p. 162—163). „Alle König in Franckreich, nachdem sie vom Ertzbischoff zu Reims mit disem Chrismate gesalbet, empfahen sie von Gott ein vbernatürliche kraft, daß sie gewisse hilff der gesundtheit mittheilen denen, so mit einer schweren vnd schier vnheilbaren art der Kröpff, in Latein scrofulae, in Teutsch die Trüsen genaunt, behafftet seind, vnd auß vielen Landen dises jhren brestens halben zu den Königen lauffen. Es gebrauchen sich aber die König zu solcher Heilung keines andern mittels, als daß sie nach vorgehender fasten, beicht vnd H. Communion, mit jhrer gerechten Hand den brästhaften Menschen vmbgreiffen, vnd also sprechen: Der König berürt dich, Gott heile dich" (p. 178—179).

In huius operis exemplum, quod Eremi B. Mariae V. (Einsiedeln) in bibliotheca monasterii benedictini servatur, P. Gallus Morel († 1872) imposuit, ut R. P. *Paulus Schindler* O. S. B. Eremo 19. Decembris 1890 mihi scripsit, hoc Canisii autographum: „Illustri et Magnifico viro, Domino Pompeio de Cruce, Legato maximi et Catholici Hispaniarum Regis, Legato et Oratori apud Helvetios etc. Patrono singulari Auctor DD." [1]

Libri exemplum vidi Friburgi Helvetiorum in bibliotheca dioecesana. Idem exstat ibidem in bibliotheca PP. Minorum Conventualium, Aroviae (Aarau) in bibliotheca cantonali, Eystadii (Eichstätt) in bibliotheca episcopali (lit. A 1), Monachii in bibliotheca nationali, Vratislaviae in bibliotheca universitatis, Dusseldorpii in bibliotheca provinciae, Oeniponte in bibliotheca universitatis, Lausannae in bibliotheca cantonali, Tiguri (Zürich) in bibliotheca urbis.

1491. 1590.

Canisii opera Manuale Catholicorum germanice versum et alii libri pii Friburgi eduntur.

In **Litteris* annuis collegii friburgensis circa m. Novembrem a. 1590 scriptis narratur: A nobis sunt „editi ad aliorum piam institutionem libelli precarij" (ex apogr. eiusd. temp.; Cod. „I 36" f. 46ª). Et in *„*Continuatione* Historiae Collegii S. J. Friburgi Helv." Friburgi circa a. 1635 scripta et Romam ad praepositum generalem missa haec, praeter alia, referuntur in a. 1590: „Opera maxime R. P. Canisij vita S. Beati, itemque S. Fridolini, Formula de peccatis confitendi, Precationes, et Cathechisticae cantiones praelo ciuitatis non sine magno operae pretio in lucem prodierunt" (f. 2ª). De vita SS. Beati et Fridolini hoc anno ab Abrahamo Gemperlin civitatis friburgensis typographo edita v. supra p. 809. Reliquos libros non repperi. Accepi tamen ab amico quodam hunc titulum ex librorum Catalogo nundinarum vernalium Francofurti ad Moenum a. 1590 habitarum exscriptum: „Catholisch Handtbuchlin: Zu nutzen vnnd wolfart den frommen vnd andächtigen Christen, erstlich zu Latein jetzunder aber zu teutsch in Truck auffgangen durch

---

[1] In **Litteris* annuis collegii friburgensis circa m. Novembrem a. 1589 datis narratur: „Auxit quoque Bibliothecam tribus D. Antonini Tomis Catholici Hispaniarum Regis Legatus amplissimus" (ex apogr. eiusdem temp.; Cod. „I 56" f. 41ª).

Petrum Canisium. Gedruckt zu Freyburg in Vchtland durch Abraham Gimperlin. 1590. 24°." De editionibus latinis huius „Manualis Catholicorum" v. supra p. 736. *Sommervogel* germanicam hanc editionem non habet. Praeterea in * „Catalogo Bibliothecae veteri" collegii friburgensis, qui ante exitum saeculi XVI incohatus et fere ad annum 1626 perductus esse videtur (nunc Friburgi in bibliotheca cantonali asservatur), haec, ubi Petri Canisii libri indicantur, notata inveni: „Klein Cathechismus, germ.: Vide Catholische gsäng — — Frib: Neo: 1589 24°." Cantionum catholicarum earumque germanicarum et Catechismi canisiani minoris editionem Friburgi Helvetiorum a. 1596 factam vide infra, monum. 1573.

1492. 1580–1597.

In Canisii Vitis aliisque libris de operibus eius complura perperam affirmari.

Dorigny (365—366) scribit, Canisium praeter Notas in Evangelicas lectiones, quae modo meditationes, modo sermones sacri vocentur, et Vitas Sanctorum Helvetiae alios duos libros ad pietatem excitandam scripsisse eorumque exempla aliquot Halam ad archiducissas misisse. Haec sic amplificantur a *Pythone* (310): „Pro perfectioris vitae studiosis, geminos libellos edidit, inscriptos feminis Principibus, Austriae Archi-Ducibus, in Parthenone Regio Hallensi, degentibus, quos postremos ingenii sui partus, monumenta esse voluit perpetuae suae erga eas observantiae." *Séguin* (308) hoc tantum monet: Notas in Evangelicas Lectiones modo „Sermons", modo „Meditations" vocatos esse. *Boero* autem (388) affirmat: Canisium paullo postquam „Notas" illas duobus voluminibus edidisset, composuisse librum germanicum de Dominicis Adventus et Feriis Natalitiis, institutionem ad sacramenta Confessionis et Eucharistiae recte suscipienda, duos „libri di meditazioni", unum clero friburgensi, alterum senatui friburgensi dedicatum, deinde libros „Esercizi di pietà" et „Manuale dei Cattolici", et haec duo opera ab eo archiducissis collegii virginum halensis dicata esse. *Daurignac* quoque (370) ait, Canisium Friburgi praeter duo volumina „Notarum" duo volumina meditationum composuisse atque horum unum clero, alterum senatui urbis dedicasse; praeterea ab eo „Manuale" et „Exercitia pietatis" composita et archiducissis halensibus dedicata esse.

Ex his narrationibus aliquae verae, multae dubiae vel etiam manifeste falsae sunt. Constat, Canisium libri precationum germanici „Betbuch" a. 1560 primum a se editi exempla 12 a. 1560 vel 1561 Oenipontem ad quinque archiducissas ibi tunc habitantes misisse (*Can.* III 695). Probabile etiam est, eum reliquorum quoque librorum precatoriorum a se compositorum, imprimis „Exercitamentorum Christianae Pietatis" (cf. supra p. 561) et „Manualis Catholicorum" (cf. supra p. 736) exempla aliquot misisse Halam, ubi Magdalena et Helena archiducissae a. 1569 sedem fixerant et, Helena a. 1574 mortua, Magdalena usque ad a. 1590 superstes erat, ut nihil dicam de institutione ad pietatem, quam Canisius a. 1586 manu scriptam Magdalenae et toti illi virginum collegio misit (v. supra p. 221). Neque tamen Canisius ullum librum cum litteris dedicatoriis ad archiducissas vel archiducissam unam typis exscribendum curavit, neque praeter „Notas" duos alios meditationum libros edidit magistratibus friburgensibus dicatos, sed tantum meditationes, quae B. Nicolao a Rupe tunc attribuebantur, Ioanni a Lanten-Heid a typographo dedicatas, et has perinde atque „Exercitamenta" et „Manuale" et contiones de Adventu et libellum confessionis et communionis ante „Notas" in lucem emisit.

Alegambe (374) et post eum alii, velut *Mederer* (II 151), in numero operum Canisii ponunt: „Palaestra hominis Catholici · Duaci 1599". Accuratius huius libri titulum posuit *Sommervogel* II 638. Ipse librum vidi Vindobonae in bibliotheca palatina. Qui non est solius Catechismi minoris canisiani nova editio, id quod ex *Sommervogel* colligi debere videtur, sed est nova editio operis „Institutiones et Exercitamenta Christianae pietatis" a. 1592 Antverpiae editi, de quo v. infra, monum. 1514.

„Enchiridion itinerantium" a Canisio scriptum et (eo mortuo) Antverpiae „1599 in 32" editum esse legitur in opere „Vnius Seculi; Eiusque Virorum Literatorum Monumentis tum florentissimi, tum fertilissimi: ab Anno Dom. 1500. ad 1602. Nundinalium Autumnalium inclusiue, Elenchus Consummatissimus Librorum Auctore *Ioanne Clessio*", Francofurti 1602, I 150. Clessius librorum nomina partim ex singularum nundinarum catalogis, partim ex bibliothecis a se hausta esse scribit. Haec est prima, quam vidi, „Enchiridii" huius commemoratio. Quod deinde iisdem fere verbis (nisi quod in libelli forma indicanda discrepant) commemorant *Alegambe* 374, *Sotvellus* 663, *De Backer* I 1052, *Sommervogel* II 682. Nec tamen eorum quisquam libellum ipse vidisse videtur. Quem ne ego quidem vidi. Silent de eo *Petri Ribadeneirae* S. J. „Illustrium Scriptorum Religionis Societatis Iesu Catalogus" Antverpiae 1608 editus (152—156) et P. *Antonii Posserini* S. J. „Apparatus sacer" Coloniae 1608 editus (II 244—245). Equidem existimo, „Enchiridion" hoc non ab ipso Canisio conscriptum, sed ab alio aliquo Societatis homine ex Canisii libris compositum esse.

Prorsus falso Petro Canisio attribuuntur alia quaedam opera. Ita *Io. Alb. Fabricius* (Bibliographia antiquaria, ed. 2. Hamburgi et Lipsiae 1716, 522) et *Io. Henr. Zedler* (Grosses vollständiges Universal-Lexikon V, Halle u. Leipzig 1733) faciunt eum auctorem libri „De decimis, primitiis, oblationibus" Ingolstadii a. 1609 editi; quod opus ab Henrico Canisio Petri propinquo et universitatis ingolstadiensis professore scriptum esse iam apud omnes constat [1].

Ad eundem Henricum Canisium, virum valde doctum et pium, qui tamen numquam de Societate Iesu fuit („Antiquas Lectiones" is Ingolstadii 1602—1608 7 voluminibus edidit), non ad Petrum Canisium, ea referri debent — si quidem vera sunt —, quae circa a. 1710 P. *Mauritius Müller* O. S. B. monasterii sangallensis monachus in litteris Romam ad P. Devie eiusdem ordinis sodalem rettulit: Ex bibliothecae nostrae sangallensis codicibus antiquissimis, qui numero fere 800 sunt, „etiam multa R. P. Canisius s. J. in tomis antiquae lectionis licet nobis invitis edidit". Epistulam edidit *J.-B. Vanel*, Les Bénédictins de Saint-Germain-des-Prés et les savants Lyonnais d'après leur correspondance inédite, Paris-Lyon 1894, 342.

1493. 1590.

Canisius in vita S. Ignatii germanica honorifice commemoratur.

Anno 1590 Ingolstadii apud Davidem Sartorium edita est vitae S. Ignatii a P. Petro Ribadeneira S. J. scriptae (v. supra p. 646) versio germanica: „Historia Von dem Leben vnd Wandel Ignatij Loiole, Anfengers vnd Stiffters der Religion, die Societet IESV genannt: Erstlich von *Petro Ribadenera* in Spanischer Sprach beschriben, Nachmals durch *Johannem Jolitum* inn die Welsche, vnd ferner in vnser hochteutsche Sprach versetzet." In huius libri litteris dedicatoriis Monachio 25. Martii 1590 a *Ferdinando Alber* praeposito provinciali Germaniae superioris ad Renatam, Guilielmi V. Bavariae ducis uxorem, datis Canisii honorifica fit mentio. Commemorat enim Alber, Ignatium rogatu Guilielmi IV. Bavariae ducis a. 1549 Ingolstadium in commodum facultatis theologicae misisse professores „vnnd dise nicht andere, als zwen, auß den ersten zehen, mit welchen er, der selig Vatter, disen Orden vnnd Societet angefangen, nemblichen Alfonsum Salmeronem vnnd Claudium Jaium, sampt vnserm inn der Kirchen Gottes woluerdienten Ehrwirdigen P. Petro Canisio" (f. b 11ᵃ).

1494. 1590.

Ex *Litterarum* annuarum apographo eiusdem fere temporis. Cod. „I 36" f. 43ᵃ—47ᵇ. Aliqua ex iisdem litteris transcripta sunt in „*Litteras* Societatis Iesu duorum annorum MDXC et MDXCI.", Romae 1594, 320—324. (Apographo, quod dixi, usus est *Riess* 479.)

---

[1] *Franciscus Falk* questus est: „Die Bibliographie des Reformations-Zeitalters und überhaupt des 16. Jahrhunderts liegt arg darnieder, wie Kundige zugestehen werden" („Katholik", 71. Jahrg. I, Mainz 1891, 131).

Sociorum friburgensium discipuli. Cantiones catechisticae. In fide confirmati. Conversi. Illustris homo augustanus per Canisium ecclesiae aggregatus. Confessiones. Praeclara pietatis et poenitentiae opera. Aegroti. Prior cartusianus. Calumniae.

In *Litteris* annuis collegii friburgensis Friburgo circa m. Novembrem a. 1590 datis haec, praeter alia, narrantur: Nostrorum „plerique morbis tentati, pauculi diutius nonnihil detenti, nulli, Deo summe bono acceptum, oppressi[1]. . . . Quatuor in classes adulescentulos circa 250. nostri Praeceptores distinentur quatuor“. . . . Per pueros puellasque, quibus catechismum explicamus, „non ita pridem commoti ad pietatem plurimi, cum per distinctos ordines Catechista Patre comite Christianam doctrinam modulate canentes[2] (hactenus invisum) ex vrbe ad d. virginis in monte[3] supplicationis causa adierunt. . . . Sex potissimum in fide titubantes aut nutantes uel de hac uarie tentati, ruptis caluinianarum tricarum uinculis, erecti atque confirmati: Alij viginti quinque nimirum sua peruicatia a coetu fidelium penitus exclusi, ad eundem saniore mente reuocati aggregatique sunt . . . e quibus celebris ante ceteros vnus · quod eius de familia qui seditionis olim apud Vindelicios excitatae nota Germaniam totam peruasit insignis[4] · quod mutandae fidei causa 50 passuum millia decurrerit · quod praeclara vnius de nostris[5] fama excitus, in Heluetiam huc procul iter contenderit · quod recte iam in fide constitutus nouum beneque longum iter ad d. Jacobi Compostellam sit ingressus. Alter longe lateque Germaniam, Galliam Jtaliam peruagatus vt in Papistarum vitam et mores inquireret“, ministros haereticos „ut despicatissimos homines arrepta veritate prorsus cum erroribus suis dimisit. . . . Praeter discipulos nostros et externorum ludimoderatorum, qui suos festis solennioribus ad nos poenitentiae causa mittunt; praeter sodales d. Virginis viros foeminasque quorum numerus ad quinquagesimum accedit, quique mense quouis confiteri et communicare solent, plures quam hactenus Deo nobisque sunt expiati“. Ex iubilaeo a Sixto V. concesso „1172 poenitentes obtinuimus“. In iis, qui peccata nobis confitentur, erant, qui „seipsos castitatis voto religarunt, vel ex hominum consortio ad religionem sanctimoniamque demigrarunt, qui fame flagellisque corpus edomarunt, ut qui nunquam uel tota quadragesima collationem quam vocant sumpserint“. Nostri

[1] De Canisio P. *Petrus Michael* rector in **Catalogo* collegii a. 1590 Romam misso testatus est: „Vir est eruditus, magno ingenio et prudentia praeditus, de Societate et Ecclesia bene meritus, quique multa tam intra eandem quam extra experientia didicit, complexionem naturalem habet optimam, laboribus tamen et senio eneruatam, aptus cui multa, si per aetatem liceret, committerentur“ (ex autographo; Germ. Sup. 19 III p. 72).

[2] De cantionibus catecheticis hoc anno Friburgi Societatis (Canisii) cura typis descriptis v. supra p. 811.

[3] Ad ecclesiam B. Mariae V. in Monticulo (Bourgillon).

[4] Significari arbitror „sedicionem“ illam, qua a. 1368 opificum collegia („Zünfte“), patriciorum imperio detrectato, rerum in urbe potiti sunt. Coniuratorum caput erat Ioannes Weiß textor.

[5] Canisium significari certum est.

„aegris adfuere frequentes in solatium: aduigilauere diligenter in subsidium, quo sua praesentia dolores leuarent, sua vigilia vacuos redderent: quam operam cuiusdam religiosae Carthusiensium domus Reuerendus Pater Prior cum in vrbem a suo monasterio longe dissitam medicorum causa commeasset[1], magno suo solatio multis diebus expertus est: quibus ferme singulis eum invisimus. Tanti nos ille fecit ut vni nostrorum animi secreta pie committere voluerit". . . . Adversarii nostri „vulgo loquuntur periculum fore proditionis maximum, si JESVitae in munitum istud montanumque Collegium (audaces nimirum facinorosique milites) intra firmissimum praesidium immittantur: ita facile hostes intromitti posse, qui ciuitatem totamque patriam liberrimam in miserandam seruitutem adducant".

1495. Exeunte m. Decembri 1590.

Ex Can. 42 f. 25.

Canisius ad Socios de renoratione rotorum dicit.

Exhortationis a *Canisio* Friburgi ad Socios collegii habitae commentarium ipsius Canisii manu scriptam sic incipit: „Jn exordio huius exhortationis committere non possum, quin pro me et uobis omnibus Deo omnipotenti[a] gratias agam: Jpse est qui nos hoc toto anno in corpore et animo conseruauit, ut nemo sit mortuus, uel diu et grauiter aegrotarit. 2 Jpse est qui laetum Christum nobis et huic oppido dedit, et breui nouum annum dare uult ut laetam agamus memoriam suae amarae circumcisionis, sui dulcis nominis Jesu, suae primae bluturgiessung. 3 Jpse est qui nobis offert gratiam ad felicem renouationem et in ea se nobis unire uult hic et perpetuo,[b] iuxta ueterem et laudabilem morem nostrae societatis." Deinde Canisius: „Statui", inquit, „de renouatione praedicta duo tractare puncta 1 Cum apud alios religiosos mos non duret uota sua in anno saepe renouandi, cur quotannis hoc fieri solet et debet a nostris. 2 Quomodo isthaec renouatio utiliter instituenda." De „aliis religiosis" Canisius hoc tantum monet: „Nec damnant nec prohibent id quod nos facimus uota saepe renouando, immo fateri coguntur, in multis casibus recte, utiliter et sapienter hoc fieri, Deo placere, et nostris[c] ad multa bona prodesse." De more (v. supra p. 656) haec renovatio facienda erat ipso die sacro Circumcisionis Domini sive Kalendis Ianuariis.

Canisius commentarium hoc inscripsit „Jn renouatione uotorum 1591". Eam autem 1. Ianuarii 1591, non 1592 factam esse intellegitur inde, quod in codice eam proxime sequitur „Exhortatio" de renovatione votorum „pro initio anni 92'" a Canisio habita. Accedit, quod anno 1591 Socii aliquot friburgenses graviter aegrotarunt (v. infra, monum. 1504): cui rei exhortationis exordium, quod modo positum est, haud bene congruit.

1496. 1591.

Catechismus minor Canisii latine editur Coloniae, Leodii, Turnone.

1. „Petri Canisii Institutiones Christianae pietatis seu parvus Catechismus Catholicus. Coloniae 1591. 8°." Ita *Io. Clessius* I 150. Quem secutus est *Sommervogel* II 637.

a) *Sic C. corr. ex* Diuinae bonitati. b) *Sic C. corr. ex* qui facit nos admoneri, ut nos praeparemus ad bonam sanctam et salutarem uotorum renouationem. c) *Sequitur* pro, *oblitt.*

[1] In republica friburgensi tunc duae erant Cartusiae: Pars Dei (La Part-Dieu), cuius prior erat a. 1589 Ioannes des Essarts, a. 1590—1600 Petrus Bernard, et Vallis Sancta sive Vallis Sanctorum Omnium (Valsainte), cuius priorem a. 1574 et a. 1593 fuisse constat Iacobum Dufour sive de Furno (*Mülinen*, Helvetia Sacra I 233—240).

2. „INSTITVTIONES | CHRISTIANÆ | PIETATIS. | SEV | PARVVS CATECHISMVS | CATHOLICORVM. | Auctore D. PETRO CANISIO. | Societatis IESV Theologo. | *Accessere Preces horariæ de æterna Dei Sapien- | tia, cum pijs quibusdam & Christianis exer- | citationibus, vna cum Litanijs.* | LEODII. | Apud Henricum Houium. Anno CIↃ. CI. XCI. | *Cum Priuilegio.*"

12°: pp. sign. 166, addito folio titulari. P. 3—4 praefatio Canisii, Augusta Vindelicorum m. Maio 1561 data. P. 5—10 Ferdinandi I. caesaris edictum 10. Decembris 1560 datum. P. 11—63 catechismus. Sequuntur Preces horariae de aeterna Dei Sapientia, quae Henrico Susoni O. Pr. attribuuntur et omnibus litterarum studiosis commendantur cotidie recitandae, meditationes cotidianae de virtutibus Christi, duae orationes S. Thomae Aquinatis, preces ante scholam dicendae etc., Litaniae denique Omnium Sanctorum. In extremo libro: „Nutu ac consensu suae Celsitudinis" (i. e. Ernesti Bavariae principis, archiepiscopi principisque electoris coloniensis, episcopi principis leodiensis etc.). Quaestiones descriptae sunt typis cursivis sive italicis. Librum vidi Vindobonae in bibliotheca palatina (18 J. 68). Qui breviter commemoratur a *Sommervogel* II 637.

3. Vidi Londini in museo Britannico librum „Catecismo católico trilingüe del P. Pedro Canisio, teólogo de la Compañía de Jesus. Dispuesto para uso de la juventud española por D. *Joseph Goya y Muniain*, presbítero. De orden superior. En la imprenta de Don Benito Cano, Año de 1798", sine loco (Madrid). In huius operis „Prologo" (f. 4—6) Goya y Muniain de „Beati Augustini sententiis tribus" et de „Testimoniis Scripturae Sacrae contra haereticos in promtu semper habendis", quae ipse in eo libro ponit, affirmat: „Se hallan todas en la impresion de este Catecismo en Turnon año de 1591." Catechismus igitur minor Canisii Turnone in Gallia (Tournon) a. 1591 editus est. *Sommervogel* hanc editionem non novit.

1497. 1591.

Catechismus Canisii in dioecesibus augustana et olomucensi.

1. *Carolus Egger* cathedralis ecclesiae augustanae (Augsburg) canonicus narrat: „Johannes Otto von Gemmingen hatte kaum den bischöflichen Stuhl der Kirche Augsburgs bestiegen, als er schon am 7. Februar 1591 strengen Befehl ertheilte, daß der Katechismus des Peter Canisius fleißig in der Kirche und in den Schulen, in diesen wenigstens einmal in der Woche, erklärt werde": Lebensgeschichte des Ehrwürdigen Vaters Peter Canisius, von Vater *Johann Dorigny*, übersetzt von *Dominik Schelkle*, I, Wien 1837. p. v—viii (Praefatio).

2. *Stanislaus Pawlowsky* episcopus olomucensis in synodo dioecesana Olomucii (Olmütz, in Moravia) m. Novembri a. 1591 habita constituit (cap. viii): Parochi „Catechismum Catholicum Canisii minorem, cujus exemplaria, tam Bohemica, quam Germanica venalia facile haberi possunt in locis, in quibus scholae sunt, a pueris memoriae mandari, ac demum in Templis per interrogationes ac responsiones mutuas in lingua vernacula recitari curabunt, diligenterque ipsimet explicabunt, adeoque unice incumbent, ut anno quolibet, delecto ad id quadragesimali tempore, circa Salve, vel etiam alias, prout illis commodius visum fuerit, universam doctrinam Christianam percurrant: quo ea non solum in puerorum, sed etiam eorum, qui maturiori sunt aetate, mentibus plantata, ad reddendam rationem suae fidei instructi reddantur" (Concilia Germaniae. Tom. VIII. Ed. *Herm. Scholl* S. J., Coloniae 1769, 343).

1498. 1591.

Bastingii Catechismus.

De Backer (I 1058) et post eum *Sommervogel* (II 630—631) in numero versionum catechismi canisiani posuerunt: „A Catechisme of Christian Religion, taught in the Schooles and Churches of the Low-Countries, and Dominions of the Countie Palatine. With the Arguments and Vse of the seueral Doctrins of the same Catechisme by *Jeremias Bastingius*. And now authorised by the Kings Maiestie for the use of Scot-

land. Whereunto is adioyned certain Praiers for sundry Proposes. Edinburgh, 1591, 16°." Verum haec est una ex editionibus famosi illius catechismi heidelbergensis („Heidelberger Katechismus"), qui iussu Friderici III. comitis palatini et principis electoris, hominis catholicae religioni infensissimi, a Zacharia Ursino et Gasparo Oleviano calvinianis a. 1563 editus est. Ieremias Bastynck sive Bastinck a. 1551 Ipris (Ypern) vel Calisii (Calais) natus, a. 1575 Heidelbergae doctor theologiae protestantium factus, a. 1579—1585 Antverpiae contionator, a. 1593 usque ad mortem († 1595) Leidae (Leiden) professor theologiae fuit. „In Catechesim religionis" heidelbergensem „Exegemata sive Commentarios" scripsit (*A. A. van Schelven* in *P. C. Molhuysen* et *P. J. Blok* „Nieuw Nederlandsch biografisch Woordenboek" I, Leiden 1911, 239—241).

1499. 1591.

Exstat Guelpherbyti (Wolfenbüttel) in bibliotheca publica, ut ex eiusdem bibliothecae **Catalogo* manu scripto intellegitur, libellus: „Evangelia et Epistolae quae de more Catholico in Templis recitantur, accedit parvus Catechismus Petri Canisii. Dilingae 1591."

1500. 1591.

„Hortuli animae" editio illa latina, quae, ut videtur, Canisii opera interposita primum Dilingae a. 1563 facta est (*Can.* IV 994—995), a. 1591 Vesontione (Besançon) cum aliqua immutatione repetita esse videtur. Sic enim habet „*Collectio* in unum Corpus, omnium librorum, qui in nundinis Francofurtensibus ab anno 1564. usque ad 1592 venales extiterunt, Francofurti, ex officina typographica Nicolai Bussaei · 1592" p. 146: „Hortvlvs Animae suauissimis floribus refertus. In quo officium B. Virginis et defunctorum, septem Psalmi poenitentiales et alia posita sunt. Dilingae 1574. 16° et Vesontione · 1591 · in 16."

1501. 1591.

„Hortulus animae" germanicus, primum Canisii opera a. 1563 editus, Dilingae iterum editur.

„HORTULUS | ANIMÆ | Der Seelen | Garten, mit sonderlichem | fleiß zůgericht, vnd ernewert, | zů Geistlichem lust vnd trost al= | len Liebhabern Christlicher | andacht. | Den gemainen Jnhalt dises Lustgartens | findet man alßbald hernach, das Re= | gister aber, in= sonderheit am ende. | Gedruckt zů Dilingen, durch | Johannem Mayer. | M.D XCI." Versus 3, 4, 9—13 rubri sunt. 16°: ff. sign. 343, non sign. in initio 16 (addito titulari) et in fine 8. Fol. [A I^b] „Der gemaine Innhalt dises Buches": f. A II^a—[B VIII^b] „Ein gemainer Christlicher Kalender"; f. 1^a—4^a. „Die vier anfäng Euangelischer Lehr"; f. 4^b incipit „Der Seelen Garten". Liber habet 93 imagines ligno incisas easque variae magnitudinis; singulae paginae ornamenta habent marginalia. De „Hortulo" hoc, primum a. 1563, Canisio operam praestante, Dilingae edito, v. *Can.* IV 991 ad 995. Liber exstat Bonnae (Bonn) in bibliotheca universitatis. *Sommervogel* eam non posuit.

1502. M. Ianuario a. 1591.

„*NOTÆ* | IN EVANGELICAS | LECTIONES, QVAE PER TOTVM ANNVM DOMINICIS DIE- | BVS IN ECCLESIA CATHO- | LICA RECITANTVR. | *OPVS AD PIE MEDITANDVM* | *ac simul ad precandum* DEVM *accommo-* | *datum, & nunc primum in lu-* | *cem editum.* | *AVTHORE* | R. P. PETRO CANISIO SOCIETATIS | IESV Doctore Theologo. | *Cum peculiari Priuilegio Sac. Cæs. Maiest. ad decennium.* | FRIBVRGI HELVETIORVM. | Ex officina Typographica Abrahami Gemperlini. | *M.D.XCI.*"

4°; pp. sign. 1156; praeterea ff. non sign. in initio 8 (addito titulari) et in fine 8. In pagina aversa folii titularis „Summa Priuilegij Caesarei“ Pragae 25. Martii 1589 a Rudolpho II. Gemperlino typographo in decennium dati, quo, „poena confiscationis et amissionis bonorum“ aliaque „mulcta“ proposita, cavetur, ne quis invito Gemperlino Canisii Notas in evangelicas lectiones et dominicorum et festorum dierum in caesaris „Regnis, haereditariis prouinciis, adeoque in vniuerso Romano imperio“ typis exscribat vel exscriptum vendat. Sequuntur f. (?) 2ª—(?) 5ª Canisii litterae dedicatoriae; quas vide supra p. 320—325. F (?) 5ᵇ Petri Schnewly vicarii generalis episcopi lausannensis litterae Friburgo a. 1591 „ad Clerum sibi subiectum vniuersum“ datae: „Opus hoc . . . Nos vt vere Catholicum lectuque dignum studiose amplectimur, et hoc testimonio palam comprobamus. Deinde omnibus et singulis Decanis, Parochis et Concionatoribus, siue saeculares illi, siue regulares fuerint, serio praecipimus, vt hunc librum emant, sibi et aliis commendatum habeant, eiusque lectione et instructione frequenter vtantur.“ F. [(?) 6ª]—[(?) 7ª] Index dierum dominicorum. F. [(?) 7ᵇ] ad [(?) 8ᵇ] „Ad Christianum Lectorem“. In extremo libro f. DDdd 3ª—EEeeª „Index rerum in hoc Opere magis memorabilium“ alphabeticus; f. EEeeᵇ—EEee 2ª „Errata in hoc Opere potissimum corrigenda“.

Pauca pono, ex libro hoc excerpta: „Solus Christus existit, qui obcoecatis visum restituit, omnemque errorum ac vitiorum depellit caliginem, vt clare videant ac sapiant, sed et illuminati alacriter laeteque per viam regiam[1] ambulent, quia cognitum Redemptorem perfecte sequuntur, illique se totos deuouent ac impendunt“ (p. 307). „Quid verbo Dei illustrius, augustius, solidius, fructuosius, cum in eo tanquam pulcherrimo speculo, Deum Deique voluntatem cernamus. . . . Quare nullum mihi Manna dulcius, nullum pignus charius, nullum studium praestantius, iucundius ac frequentius erit, praeterquam in Dei verbo versari, et in diuina lege nocte ac die meditari[2]; hoc quippe officium filiorum Dei est proprium, ac mortales vere sapientes facit. . . . Hoc verbum si vsquam alibi, tum in Euangelio elucet maxime“ (p. 289—290). „Est ingens profecto malum haeresis, est morbus omni lepra perniciosior, est pestis omni peste nocentior, est crimen omni furto et flagitio detestabilius. Nec desunt antidota et pharmaca, quibus tales aegroti saepe curantur, nimirum precatio, admonitio, disputatio, instructio, interminatio, correptio et coram iudice accusatio. Quid vero, si haereticus ita sit praefractus et contumax, vt nullam prorsus curationem admittat, ipsumque contemnat iudicem, a quo legitime damnari potest ac excommunicari? Nullum sane Christi praeceptum extat de illo in Ecclesia tolerando aut fouendo. . . . Prudenter Augustinus colligit, praeceptum illud: Sinite vtraque crescere[3], in eo seruandum esse, quando zizania sine extirpatione tritici nequeunt extirpari, quod nimirum haeretici non possint extingui, nisi cum eis et Catholici trucidentur. Alioquin vbi hic metus et hoc periculum abest, neque damnum sed emolumentum Ecclesiae ex haereticorum punitione sperari et percipi posse videtur sapientibus, haereticos velut zizania eradicare non modo licet, sed etiam decet ac expedit, nonnunquam et praesens postulat necessitas, vt summi Dei gloriae, puritati religionis, et vtilitati publicae consulatur“ (p. 255—256).[4] Attamen „ego vicem sectariorum dolebo, qui cum inter se maxime dissentiant, hactenus tamen mire conspirant, vt quemadmodum Ioannes Baptista viam vero Messiae praeparauit, sic ipsi pestilenti Antichristo aduentanti regnum apparare, et nescio quem Atheismum inducere indefesse procurent. Neque tamen intermittam, seductores et seductos vera prosequi charitate, quae iuxta Christi legem inimicis quoque debetur, et quacunque ratione possum, de illis bene mereri studebo, vt eorum nonnulli, sicut Iudas Apostolus monuit, de igne rapiantur atque saluentur[5], et ego supra capita il-

[1] Nm 21, 22. [2] Iosue 1, 8; Ps 1, 2. [3] Mt 13, 30.

[4] Cf. S. *Augustinum,* Contra Epistolam Parmeniani l. 1, c. 14; In Ioannis Evangelium Tract. 11, c. 2, n. 13 14; Epistolam 93 (alias 48), c. 5, n. 17 18; Retractationum l. 2, c. 5 (*Migne,* P. lat. XLIII 49—50; XXXV 1482—1483; XXXIII 330—331; XXXII 632). [5] Iudae 23.

lorum prunas congregem[1]" (p. 1150 1151). „Multo laudabilius est bellum pro religione vera tuenda susceptum, quam illi paci dare operam, quae nos a Deo Deique ecclesia et religione vera disiungit ac separat" (p. 521). „Ego colligam ac discam, communes publicasque calamitates, quae florentibus etiam ciuitatibus ac integris regionibus ingens periculum et certum exitium frequenter accersunt, non fortuito vel casu accidere, sed propter populi peccata diuinitus infligi, et frequenter augeri" (p. 910). „Ex animo petam, vt Christiani parentes et filij suum officium faciant. . . . Quin et meam operam, quacunque ratione potuero, talibus ego libenter impendam, quum ad Dei gloriam et reipublicae vtilitatem promouendam res momenti sit maximi proba institutio liberorum" (p. 200). „Sine amicis non viuitur, et amicitiam e medio tollere, nihil est aliud, quam mundum sole priuare" (p. 1114). „Quis credat" primos Christianos hierosolymitanos „domesticis ac profanis negotiis implicitos fuisse, qui sacrosanctam Eucharistiam quotidie reciperent[2], vt coelesti alimonia roborati, omne malorum genus pro Christo facilius ferre, ac in bene beateque viuendo maiores indies progressus facere possent?" (p. 654). „Probatus et solennis ille mos apud multos durat, vt communicaturus, praesertim aegrotus, et veniam offensoribus tribuat, et vicissim ab offensis petat" (p. 852). „Esto sane, multa in Episcopis et sacerdotibus desiderari, nec est quisquam sanae mentis, qui Catholici cleri vitia vel excuset vel defendat" (p. 1116). „Dormiunt in primis Ecclesiastici pastores ac doctores, et cum summo Ecclesiae detrimento stertunt, quia huius mundi curis malisque cupiditatibus distracti, pro pastoribus mercenarij[3], pro doctoribus canes muti, et pro vigilantibus custodibus in Sion coeci speculatores[4] non raro esse videntur" (p. 250). „Dolebo interim, Ecclesiae ministros multos ita viuere, vt male illis cum suo patrono et hospite Spiritu sancto conueniat, quoniam non sunt cum primis diaconis viri boni testimonij, pleni Spiritu sancto, fide et sapientia[5], sed vt Christi more loquar, mercenarij potius quam pastores[6], et sicut Paulus dicit, sua quaerentes, non quae Christi sunt[7] ac aliorum: tantum abest vt messem dominicam magno cum fructu excolant, et commisso sibi gregi praesint vigilanter" (p. 649). „Dolebo, preciosissimam poenitentiae herbam in agris nostris incultam iacere, et exarescere partim concionatorum, partim auditorum seu communium fidelium vitio et corruptela. Videmus enim plaerosque contionatores (de Catholicis loquor) in Christi gratia credentibus commendanda vehementes, sed in poenis peccatorum denunciandis, et in ira Dei proponenda tam flaccidos et languidos esse, vt merito cum Ieremia queramur de praesenti Ecclesia: Prophetae tui viderunt tibi falsa et stulta: nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad poenitentiam prouocarent: viderunt autem tibi assumptiones falsas et eiectiones"[8] (p. 802). „Absit, vt pastorum et praepositorum in Ecclesia vitam inquiram, et ex illorum meritis sacramentorum dignitatem aestimem, ac ouillam interim obedientiam simplicitatemque negligam, deque his qui animarum sunt constituti a Deo iudices, praepostere iudicem. . . . Alter fructus huius Euangelicae doctrinae mihi notandus fuerit, vt pastorum ac praepositorum vitia, quae nec Apostolis Domini defuerunt, quando de primatu contenderunt[9], mihi non offensionem vel admirationem, sed iustam potius compassionem hoc iniquissimo seculo pariant. Quis enim tam seuerus ac durus esse iure valeat, nullum vt dolentis et commiserantis affectum sentiat, in hac tanta rerum omnium perturbatione, quae nauim Ecclesiae in summum discrimen adduxit, vt procellis ac tempestatibus iamiam mergenda esse videatur? . . . Quare pastorum munus ac onus sustinere, si verum fatebimur, nunquam difficilius fuit" (p. 692—693). „Illos ego mihi maxime imitandos proponam, qui sacerdotium, vti ordinem diuinitus institutum, non solum in bonis ac honestis, sed etiam in vitiosis ac indignis presbyteris haud grauatim honorant, seque ad prae-

[1] Prv 25, 22; Rom 12, 20. [2] Cf. Act 2, 42 46.
[3] Io 10, 11—14. [4] Is 56, 10; et cf. Is 21, 11; 62, 6.
[5] Act 6, 3 5. [6] Io 10, 11—14. [7] Phil 2, 21. [8] Thr 2, 14.
[9] Cf. Mt 20, 20—24; Mc 9, 33; Lc 9, 46; 22, 24.

sentis cleri abusus extenuandos et excusandos, quam ad perstringendos et exaggerandos procliuiores ostendunt" (p. 743). „Valde mirabor insignem Christi prouidentiam in naui Ecclesiae gubernanda, quam ille contra immanes hostes tot seculis praeclare tuetur, atque ita prosperat, vt hostiles etiam conatus et impetus ad Ecclesiae suae commodum vertat. . . . Est ita quidem, nostri temporis haereticos magnum dedisse damnum Ecclesiae, nec solum perturbasse, sed etiam ex infirmis Catholicis perdidisse plurimos, dum vti lupi rapaces[1] in Dominicum ouile grassantur. Rursus vero, si verum fatebimur, ex illis ipsis haereticis multa commoda magnique fructus in Ecclesia quotidie colliguntur, nosque mirandae Christi sapientiae gratias agentes, cum Zacharia merito dicimus, Salutem ex inimicis nostris[2]. Etenim praesens haereticorum vigilantia et furor, dum bono tritico sua zizania inspergere, et inspersa promouere moliuntur, pastores velut dormientes, vt e somno surgant, exuscitat[3], Episcopos ad suos greges rectius custodiendos impellit, Magistratus ad hostes Ecclesiae comprimendos adigit, doctores ac Theologos sacra studia diligentius tractare cogit, ac omnes demum verae salutis amantes huc propellit, vt addiscendae conseruandaeque doctrinae orthodoxae maiorem curam ac operam tribuant" (p. 241 ad 242).

Plura de hoc opere dicentur, cum de altero eius volumine agetur, infra, monum. 1527.

Friburgi Helvetiorum in bibliotheca cantonali (Gr. 196) vidi huius operis exemplum ligno, quod corio fusco vestitum est, compactum et frontem habens auratam, in cuius initio Canisius sua manu scripsit: „Reuerendo in Christo Domino et Patrono D. Petro Schneulino Friburgensi, Reuerendissimi D. Episcopi Lausannensis in spiritualibus Vicario generali, Author ipse D. D. ueteris amicitiae ac familiaritatis ergo". Huius dedicationis „facsimile" quod vocatur posuit *Raemy de Bertigny*, Can. 193. Liber est etiam Bonnae in bibliotheca universitatis, Tiguri (Zürich) in bibliotheca urbis, Oeniponte in bibliothecis PP. Capucinorum et PP. Servorum B. Mariae V., Luxemburgi in bibliotheca publica, Upsalae in bibliotheca universitatis. Editionem posuit *Sommervogel* II 680.

1503. A m. Martio ad m. Iunium 1591.

Ex commentario litterarum Aquavivae et ex Alberi autographo. G. Sup. 2 f. 127[a]. Germ. 169, f. 161[b]—162[a].

Scriptio Canisii aliquibus molesta. Num senescat. Adiutores.

Claudius Aquaviva praepositus generalis Roma 13. Martii 1591 Ferdinando Alber provinciali Germaniae superioris scripsit: „Friburgo scriptum est ad me nec ab uno scriptiones P. Canisij satis onerosas esse Collegio non solum propter scriptorem externum qui Collegij impensis alendus est in tanta penuria, sed et quia alios nostros domi occupat: et praeterea, quia ipsa opera iam cum authore consenescere uidentur, nec eam uim habere quam priora. Quod si ita fuerit, fortasse bonum fuerit ut Reuerentia V. persuadeat bono seni ut ab eo labore quiescat, sibique, et aetati suae parcat. Haec autem quae scripsit non sinet imprimi nisi digna sint et ipsius authoritate et Societatis." *Alber*, collegio friburgensi visitato, Aquavivae Lucerna 2. Iunii 1591 respondit: „Sine scriptione P. Canisius Friburgi uitam nequit agere, et nisi Amanuensem habeat seipsum meditatione et scriptione ita conficit ut in morbum incidat, et vitam aliquorum judicio sibi abbreuiet, nec ratio est bonum senem hac in re mutare. Scriptiones uero illius non adeo

[1] Mt 7, 15. [2] Lc 1, 71. [3] Cf. Mt 13, 24—30.

cum ipso consenescere, ostendet 1.us tomus Notarum in Euangelia iam excusus et P. V. ni fallor missus. Sequetur alius tomus Notarum in Euangelia de Sanctis, quem iam perpoliet et ad praelum disponet. Auxilium ei praestabit siue scribendo siue corrigendo tribus tantum horis in die P. Sigismundus Jlsung, nec alius externus Amanuensis adhibebitur. Censebitur autem hic 2.[us] tomus quemadmodum cum priore factum antequam praelo committatur."

1504. Aestate a. 1591.

Canisius graviter aegrotat. Eius corpus imbecillum. Eius scriptio.

In **Litteris* annuis collegii friburgensis Friburgo 24. Novembris 1591 datis narratur: „Commoda fere omnes usi sunt ualetudine : deteriore unus et alter; qui tamen post aliquot hebdomadum cum morbo conflictationem pristinae sanitati cito restituti" (ex apographo eiusdem fere temporis: Cod. „I. 36" f. 49[a]). **Historia* autem collegii friburgensis haec habet in a. 1591: „Plerique commoda semper usi sunt ualetudine, uno P. Petro Canisio, duobusue alijs exceptis qui licet Medici iudicio, periculose admodum decumberent, et insuper ille membrorum rationisque usu sensim destitueretur, post aliquot tamen hebdomadarum cum morbo conflictationem, a diuina bonitate, pristinae ualetudini restituti sunt" (Cod. friburg. „Hist. coll. Frib." p. 19—20). Ad hoc igitur tempus pertinent, quae *Sebastianus Verronius* praepositus friburgensis paullo post Canisii mortem de eo memoriae *tradidit: Cum viribus exhaustis contionandi munere se abdicasset, „incurrit graviter in morbum, ex quo cerebrum quoque laesum existimaretur : verum valetudine recuperata integre, ad studia redijt solita; corpore tamen penitus debilitato, ut plerumque nonnisi scipione fultus et incurvus incederet" (ex apographo saeculo XVIII., ut videtur, scripto, quod est Monachii in maiore archivo nationali [f. 9[a]], Jesuitica in genere Fasc. 13 No. 214).

Aquaviva porro P. Petro Michael rectori collegii friburgensis Roma 28. Septembris 1591 scripsit: „R. P. Canisio melius esse gaudeo, optoque illi etiam integram valetudinem : nec dubito quin R. Vestra vt aequum est, bonum senem iuuet quacunque re potest · de scribendi autem labore, vt tandem sibi quietem aliquam indulgeat, bonum erit vt R. Vestra suauiter illi persuadeat, vbi opus hoc absoluerit, quod nunc habet in manibus" (ex commentario; G. Sup. 2 f. 70[a]).

Canisius hoc morbo correptus esse videtur inter m. Iunium et Augustum a. 1591; cf. supra p. 333; *Dorigny* a. 1707 (365) scribit: Nuntius de Canisio graviter aegrotante in vulgus elatus „causa une consternation generale, chacun le pleurant déja, comme s'il eût perdu son propre pere: son heure n'étoit point encore venuë, Nôtre-Seigneur voulut bien le rendre aux prieres, et aux larmes de ce bon peuple". Et *Agricola* a. 1729 (II n. 8): „Fusae fuerunt pro aegro, et domi, et in urbe continentes ad Deum preces optato effectu." Haec facile possunt credi. Neque vero scio, ex quibus fontibus historicis probari possint ea, quae posteriores aliqui scriptores, Dorignii et Agricolae verba amplificantes et exornantes, narrarunt: Velut *Boero* (Can. 386) et post eum *Séguin* (255), *Garcia* (315 316), *Daurignac* (369). Ita Boero:

„Sparsasi voce della periculosa malattia, tutta la città se ne commosse. Una turba di popolo venne difilato al Collegio per vederlo; la nobiltà, i Senatori, il Clero mandarono tostamente i lor famigliari per chiedere e averne più accertata notizia. Ad ottenere dalla divina bontà la guarigione dell' infermo, ordinaronsi in varie chiese pubbliche preghiere; in altre si espose il divin Sacramento; e non pochi visitarono pellegrinando a piedi i più celebri santuarii di nostra Signora“.

1505. 1591.

Canisii effigies a pictore exprimitur.

Anno 1891 vidi Friburgi Helvetiorum in domo quadam privata vitrum parvum quidem, sed coloribus eleganter pictum, in quo Canisii facies cum parte pectoris cernitur. Vitri possessor mihi dixit: Se id emisse a venditore quodam rerum antiquarum; ei autem vitrum vendidisse sacerdotem quendam rusticanum cantonis friburgensis. Addidit friburgensis vir ille, historiae et artis valde peritus, de anno 1591 imagini subscripto: Eam quidem subscriptionem perinde atque ornamenta Canisii caput cingentia esse recentia; sed eundem annum 1591 iam fuisse subscriptum, cum ipse vitrum emeret; atque et vitri illius condicione et aliis rationibus suaderi, ut picturam illam reapse anno 1591 factam esse censeremus. Existimo igitur, unum ex friburgensibus Canisii amicis et admiratoribus hoc vitro aliquam aedium suarum fenestram ornandam curasse.

Immo valde probabile est, ad hoc vitrum aliqua saltem ratione spectare ea, quae *Sebastianus Verronius* praepositus friburgensis Friburgo 28. Ianuarii 1598 Hildebrando a Riedmatten episcopo sedunensi de Canisio *scripsit: „Ejus effigiem ad vivum excepit pictor ipso adhuc superstite, nec tamen animadvertente, procurante id Capitaneo Johanne Wild“ (ex totius epistulae apographo, ex archetypo exscripto, et Friburgi Helvetiorum a. 1730 publico authenticitatis quam vocant testimonio munito, quod est Monachii in archivo maiore reipublicae bavaricae, Jes. in gen. Fasc. 13 No. 214). Capitaneus hic Wild idem fuerit atque ille „Houptman Willdt“, qui a. 1593 mandatu senatus friburgensis Canisio opera S. Augustini Lugduno afferenda curavit; v. supra p. 352.

Omnium verarum Canisii imaginum, quarum quidem tempus cum aliqua certitudine cognosci potest, ea, quam supra dixi, est antiquissima.

Eadem ex exemplari friburgensi pulchre expressa et reddita est ab *A. Büchi*, Die Katholische Kirche in der Schweiz, München 1902, 66. Qui recte dicit, per eam conservata esse lineamenta quasi aetherea („die durchgeistigten Züge“) vultus huius venerabilis.

Friburgi Helvetiorum anno 1627 in processu episcopali beatificationis Canisii testatus est *Iacobus Stutz*, Canisii imagines „in magna esse veneratione“; et *Simon Gurnel*, Canisii „Imagines, ac Effigies passim in aedibus spectari“. *Antonius a Montenach* autem, reipublicae cancellarius, coram iudicibus affirmavit: „Eius effigiem accurate a Pictore, viuo et ignaro Patre, expressam, varieque postmodum maiore minoreque forma descriptam depictamque honoris causa in fenestris,

ac parietibus plurimarum aedium spectari; eandem venerationis ergo palam ex plurium domibus pendulam exponi, dum Eucharistici ferculi pompa . . . celeberrima festo Sanctissimo Sacramento die per plateas Vrbis nostrae instituitur": *Positio* a. 1734, Summ. p. 18 27 35; cf. etiam Cod. „Proc. Ap. I" f. 685ᵇ, et „*Positionem*" a. 1833, Summ. p. 316 317.

In processu apostolico Friburgi a. 1740 1742 habito „*Franciscus Petrus a Griset de Forell*", ex senatoria familia friburgensi ortus, testatus est: „Quod ad Imagines" Canisii attinet, „scio, ac video plurimis in domibus hic Friburgi haberi, et servari, et specialiter a Majoribus meis habeo traditum, et quasi praeceptum . . . exacte in Domo mea servandam ejusdem Effigiem vitro depictam, quod et facio": *Positio* a. 1833, Summ. p. 311.

1506. **15. Augusti 1591.**

Ex codice „L. 193" (qui est Friburgi Helvetiorum in bibliotheca cantonali) f. 54ᵇ.

Canisius dialogo de B. Maria V. adest.

In congregationis marianae Friburgi pro adulescentibus litterarum studiosis institutae *Historia* quadam, quae ab ipsis sodalibus a. 1584 incohata et deinde per singulos annos usque ad a. 1633 perducta est, haec narrantur: „15. Aug. [1] An. 1591 Sodalitas exhibuit Dialogum in aula scholarum de uita B. Virg. et Assumptione, magno senatorum et nobilium concursu, et sodalium maioris congregationis [2]. Jnterfuit huic et, praeter consuetudinem R. P. Canisius."

Haec ex eodem fonte hausta rhetorice ornavit *Ios. Hildebrand* S. J., Sodalis Marianus Friburgensis, Friburgi Helvetiorum 1757, 47.

1507. **1591.**

Ex apographo eiusdem fere temporis. Cod. „I 36" f. 49ᵃ—53ᵇ. Ex litterarum capitibus, quae infra ponentur, aliqua recepta sunt in „*Litteras* Societatis Iesu duorum annorum MDXC et MDXCI", Romae 1594, 320—324.

Confessiones, communiones, conversiones opera Sociorum friburgensium factae. Libri pravi. Institutiones variae. Discordiae sublatae. Sodalitas mariana. Fautores. Fabula pulverum tormentariorum.

In collegii friburgensis Litteris annuis Friburgo Helvetiorum 24. Novembris 1591 a P. *Ernesto Mayrhofer,* uno ex collegii praeceptoribus, datis haec, praeter multa alia, narrantur: Peccata confessi sunt „in altera quauis hebdomada, singulis uero mensib. angelico cibo refecti, qui sunt de Parthenica sodales, et complures foeminae maritorum exemplo prouocatae. Celebrioribus uero dieb. festis numerare fuit 200. 300. 400. 500. et 600. . . . Praetereo bellicos duces cum bene magna parte militum, sordib. animi ante ablutis, quam S. Pontifici militatum abirent [3]. . . . [Nostri] a falsis erronum opinionibus abstraxerunt duodecim, quorum aliqui simul cum lacte illas suxerant [4]. Jnter quos fuit aetatis maturae Zuinglianus, qui decennio eum ad finem partim Germaniam, partim Jtaliam peragrauerat, ut de religione uera, quam citra omnem dubitationis aleam sequeretur, certius quid secum statueret. Friburgum tandem delatus, haeresim eiurauit, et ut se priores errores eiecisse clare testaretur,

[1] I. e. die Assumptioni B. Mariae V. sacro.

[2] Haec erat adultorum, ut civium, sacerdotum etc.

[3] Octavianus Paravicinus, apostolicus apud Helvetios nuntius, ab Helvetiis catholicis impetraverat, ut legiones aliquot copiis italis adiungerent, quas Gregorius XIV. in illa de regia Galliae corona contentione Ligae adversus Henricum (IV.) Navarrum eumque calvinianum auxilio mittebat (*Mayer* II 270).

[4] In his conversionibus, imprimis in ea, quae proxime narrabitur, Canisii operam intercessisse valde probabile est.

aspera hyeme Lauretum usque peregrinationem suscepit. . . . Ex inuectiua in haereticos alii nostris libros doctrinae Catholicae aduersantes obtulerunt; alii ut inspicerent, eosdem rogauerunt. . . . [Nostri] diuersis hominum generib. instructiones et salutaria consilia subministrarunt: Sacerdotibus, ut se gerere debeant in expiandis hominum peccatis; belli ducibus, ut in uitiis militum abolendis; hinc discedentibus, ut extra patrios fines; oratori Nuncii Apostolici, ut in causa senatui proponenda. Pacem inter patrem et filium, inter socerum et generum, inter toparcham et Euangelij noui ministrum, a quo magnam ille iniuriam acceperat, composuerunt. . . . Excreuerat inter patrem et filios tam grauis quaedam simultas, ut horum ille ferre non posset uel adspectum. Ea posita ut in gratiam redirent mutuam, cum alij uiri graues non pauci, tum ipse Senatus Friburgensis cuius est summa apud homines huius ditionis auctoritas, laborarunt nisu maximo; attamen semper irrito, quasi Aethiopem dealbassent. Tandem rem quidam ex nostris[1] aggressus, laudabili quodam animi feruore semet ad pedes immitis parentis abiecit, adeoque sermonem efficacem habuit, ut uni saltem tunc filio paternum fauorem beneuolentiamque pristinam sua humanitate promeruerit; imo etiam spem ingressus sit magnam, fore breui, ut etiam inter alterum filium (Deo adiuuante) et patrem amicitiam quamprimum redintegret. . . . [Mariana] sodalitas externorum quib. uiris constet, ex sequentib. certum fiet. Legem nuper unanimi consensu tulerunt, ut quoties iurantem aliquem temere aut obscoena proloquentem inaudiant, palam uerbis corripiant, id quod faciunt. Visunt quandoque Xenodochij alumnos; certas pro Ecclesiae angustijs laxandis preces sua sponte persoluunt; imo cum nuper germanus miles in Galliam proficisceretur, et de nostris ciuib. non pauci numero, ijs se adiungere in Nauarri auxilium discuperent[2], utque facultatem a senatu extorquerent manib. pedibusque laborarent, sex dies noctesque per uices in Christi et D. Virginis honorem preces continuarunt, perniciosos horum ut conatus impedirent. . . . [Reverendissimi Episcopi Vicarius generalis[3]] consulere nos, tueri, laudare, nostra promouere, quandocunque potest, nunquam praetermittit. . . . Senatus . . . contra uoluntatem aemulorum quorundam obtendentium accisos nimium aerarij publici neruos, noui Collegij fabricam resumi praecepit; . . . contra sectae Caluinianae quosdam asseclas nos pro more suo calumnijs cooperientes et apud populum traducentes, nobis publicum innocentiae testimonium exhibuit. . . . Reperti, qui ad nostros in odium commune ciuium uocandos, cum non possent nostro merito, sparserunt in uulgus, asseruari intra Collegij parietes pulueres tormentarios in urbis incendium praeparatos. Qui rumor adeo ciuitatem peruaserat, ut amicorum nonnulli, ne nostris aliquod inde periculum crearetur (celeres enim populi sunt impetus) insomnes totam noctem in excubijs posuerint, citius proprium sanguinem fusuri, quam paterentur fundi nostrum."

1508. Exeunte m. Decembri 1591.

Ex Can. 42 f. 25b—26b.

Canisius ad Socios exhortationem de votis renovandis habet.

Exhortationis, quam *Canisius* Friburgi ad Socios collegii habuit, commentarium a P. *Sigismundo Ilsung* S. J. scriptum et „1592 · Exhortatio pro initio anni 92i." inscriptum, ab ipso autem Canisio recognitum, sic incipit: „Notum est omnibus huius anni[a] finem instare, et cito initium fore noui anni, et praecipuum Societatis nostrae festum ob dulce nomen IESV circumcisi celebrandum esse, quando et nostri solent uota sua renouare in collegijs omnibus[4]. Doleo autem me non esse aptiorem ad officium boni exhortatoris, qui ad debitam renouationem vos praeparet: dicam tamen sicut Dominus suggeret, quomodo de hac renouatione, sicut de singulari dono Dei quisque cogitare et illud magnifacere debeat; 2o, quomodo nos circa renouationem

a) *Super hoc v. (a C., ut videtur) scriptum est* 91.

[1] Canisius? [2] Vide supra p. 823[3]. [3] Petrus Schnewly.
[4] Kalendis Ianuariis.

gerere habeamus, ut uerum eius fructum assequamur." [a] Affirmat deinde *Canisius:* Renovationem hanc „Deus haud dubie fons bonorum inspirauit primum Patri nostro Jgnatio".

1509. 1592.

„SVMMA DOCTRINÆ CHRISTIANÆ. EX POSTREMA RECOGNItione Doctoris PETRI CANISII, | Societatis IESV Theologi. | ANTVERPIAE, EX OFFICINA PLANTINIANA. Apud Viduam, & Ioannem Moretum. M.D.XCII."

32°; pp. numeris signatae 30—392; praeterea ff. non sign. in initio 14½ (addito titulari) et in fine 12. In pagina altera folii titularis „Summa Privilegii" a Philippo II. rege „intra omnes ditionis eius fines" Bruxella 16. Maii 1591 Ioanni Moreto pro Canisii Summa concessi. F. A 2ª—A 4ª Chr. Plantini litterae dedicatoriae Antverpia a. 1566 ad Philippum II. datae; f. A 4ᵇ—A 6ᵇ Canisii litterae dedicatoriae ad senatum populumque coloniensem a. 1566 datae; f. A 7ª—Bª Ferdinandi I. imperatoris edictum a. 1560 datum; f. Bª—B 2ª Philippi II. edictum 16. Decembris 1557 datum; f. B 2ᵇ—B 5ᵇ „Catalogus Patrum et Conciliorum, qui in hoc libello citantur"; f. B 6 Index totius libelli ordinem et summam complectens; f. b 5ª—b 6ᵇ (in fine) „Auctoris Confessio"; f. b 7ª—c 8ª Index rerum alphabeticus. Librum vidi Confluentibus (Koblenz) in bibliotheca gymnasii. Qui est etiam Schaffnaburgi (Aschaffenburg) in bibliotheca gymnasii, Parisiis in bibliotheca nationali, Cenomani (Le Mans) in bibliotheca publica, Tubingae in bibliotheca universitatis. Editionem memoravit *Sommervogel* II 625.

1510. 1560—1592.

Canisii Summa a Nin. Winzet scotice reddita.

Canisii „Summa doctrinae christianae" in linguam veterum Scotorum translata est per virum doctissimum et catholicae pietatis studiosissimum *Ninianum Winzet*, qui ab a. 1577 usque ad mortem († 21. Septembris 1592) Ratisbonae abbas monasterii benedictini Scotorum fuit (plura de eo *Can.* VII 357). Id affirmatur in operis „De rebus gestis Scotorum" a *Ioanne Leslie* episcopo rossensi (Ross) conscripti versione scotica a *Iacobo Dalrymple,* qui sub Winzeto vel paullo post eum in monasterio illo Scotorum vixit, facta: „In favour of the Scotis natione quhais author to wit of the Scotis Catechis maid be Peter Canisius that gret Catechis he turnet in Scotis." Haec ex versionis illius exemplo manu scripto, quod in Benedictinorum monasterio scotico „Fort Augustus" asservatur, exscripta sunt a *Jacobo King Hewison* sacrorum ministro presbyteriano, in „Certain Tractates by Ninian Winzet. Edited with Introduction, Notes and glossorial Index", Edinburgh 1888, LXVIII, et ex eo libro posita ab *Alph. Bellesheim,* Ninian Winzet, in „Historisch-politische Blätter" CIII, München 1889, 38 (cf. ibidem CVII 704—712). Facta esse videtur haec versio Summae inter annos fere 1560 et 1592. Typisne exscripta est? Num haec est eadem atque illa, quae cum nomine Adami King Parisiis 1588 edita est (v. supra p. 771)?

1511. 1592.

„Institutiones christianae pietatis seu parvus catechismus catholicorum. Auctore D. Petro Canisio, societatis Iesu theologo. Leodii, apud Christ. Ouwerx, MDXCII. 12° pp. 143": Ita *X. de Theux,* Bibliographie Liégeoise T. I, Bruxelles 1867, p. 10, et ex eo (ut videtur) *De Backer* I 1060 (qui tamen ponit „Ouwercx"). Quem secutus est *Sommervogel* II 637.

1512. 1592.

„INSTITV- | TIONES CHRIS- | TIANÆ PIETA- | TIS. Siue abbreuiatus Catechismus Petri Canisij Theologi So- | cietatis IESV. BARCINONE. Ex Officina Sebastiani á | Cormellas. Anno. 1592."

a) *Sic C. ipse correxit, quae Ils. scripserat:* quomodo utiliter haec renouatio sit facienda.

24°; ff. sign. 36. et praeterea in initio folium titulare et in fine 3 ff. non sign., in quibus sunt „Diffinitiones omnes quae in hac doctrina Christiana continentur“; f. 1ᵃ—2ᵃ: „Summa eorum, quae in hoc paruo Cathechismo tractantur“. Omissae sunt quaestiones „Parvi Catechismi Catholicorum“ canisiani et testimonia Scripturae contra haereticos. Institutiones hae adiunctae sunt „Summae Sacramentorum Ecclesiae. Ex doctrina R. P. F. Francisci a Victoria Ordinis Praedicatorum, et olim Primarij Cathedratici apud Salmat. Cum indice locupletissimo. Cui adiecimus Conclusiones, in singulis quaestionibus. Et in calce Catechismum Petri Canisij abreuiatum, vtilissimum Christianis omnibus. Barcinone. Ex officina Sebastiani a Cormelias. Anno .1592. Venense en Barcelona en casa de Honofre Guari Mercader de llibres.“ Titulus quidem et foliatio catechismo propria sunt; sed „custodes“ foliorum, qui vocantur, cum custodibus Summae P. Victoriae unam seriem constituunt. Approbationes Summae sequuntur litterae Ziletti, de quibus dictum est supra p. 772. Librum vidi Parisiis in bibliotheca „Mazarine“ (nr. 24518). *Sommervogel* eum non posuit.

1513. 1592.

Magister „*Wolfgangus Betulanus*“ in libri „Der Catholische Catechismus oder Kinderlehr Reimweiss gestellet“ Constantiae a. 1595 editi (plura v. infra, monum. 1552) litteris dedicatoriis scribit: Ante tres annos cum parochus essem „zu der Scher“ (Scheer, urbs wurttembergensis), Petri Canisii parvum catechismum in versus latinos transfudi („in Lateinische Vers gebracht“). Quod cum nonnullis viris doctis bene placuisse intellexissem, eundem catechismum germanicis quoque versibus iisque inter se extremis verbis consonantibus comprehendi („auch in Teutscher sprach Reimweiss gestelt“). Verisimile igitur est, latinos hosce versus a Betulano a. 1592 Constantiae editos esse.

1514. Circa m. Aprilem 1592.

„INSTITVTIONES | ET | EXERCITAMENTA | CHRISTIANÆ | PIETATIS, | Auctore D. Petro Canisio Societatis | IESV Theologo. | *His accedunt* | Epistolae & Euangelia, quæ Dominicis & Festis diebus, | tum per Quadragesimam & Paschalem Hebdoma- | dam, de more Catholico, iuxta ordinem Romanæ | Ecclesiæ, in templis recitantur. | Quibus præmissa sunt succincta scholia, quæ vice | commentarij esse possunt. | *Quæ præterea hoc opere continentur, statim a præ- | fatione cognosces.* | ANTVERPIAE, | Apud AEgidium Beysium, Generum, & Cohæ- | redem Christophori Plantini. | M. D. XCII. | CVM PRIVILEGIO REGIS.“ Versus 1, 3, 6, 7, 17, 20 rubri sunt.

12°: pp. signatae 414 (addito folio titulari), et in fine 1 p. non sign. P. 3—4 praefatio auctoris, data „Augustae 1565“; p. 5 „Index totius libri“; p. 6—18 Kalendarium. P. 19—52 „Institutiones“; dein „Testimonia Scripturae Sacrae“ etc.: p. 61—62 „B. Augustini sententiae tres notatu dignissimae“. P. 63—69 praefatio in „Opus Epistolarum et Evangeliorum“; sequitur opus ipsum. In extremo libro approbatio ecclesiastica, data 16. Martii 1592 a Michaele Bruegel canonico antverpiensi, censore librorum, et „priuilegij sententia“, Bruxellis 20. Martii 1592 in 6 annos data. Librum vidi Darmstadii (Darmstadt) in bibliotheca publica et Friburgi Helvetiorum in bibliotheca monasterii PP. Capucinorum. Idem est Salisburgi in bibliotheca monasterii S. Petri, ordinis S. Benedicti, et Oeniponte in bibliotheca monasterii PP. Servorum B. Mariae V. Eum posuit *Sommervogel* II 668.

1515. 1592.

Canisii Manuale Catholicorum gallice editur Antverpiae.

„LE | MANVEL DES CATHOLIQVES: CONTENANT LA VRAYE | maniere de prier Dieu: | *Recuelly & faict en Latin, par le | R. P. Canisius: mis en François par Gabriel Chappuys.* | A ANVERS, | En l'Imprimerie Plantinienne, | Chez la Vefue, & Iean Mourentorf. M. D. XCII.“ Versus 1, 2, 3, 4, 5, 8, 11 rubri sunt.

16°; pp. sign. 3—434; praeterea fol. titulare et in fine 5 ff. non sign.; p. 3—7 litterae dedicatoriae Christophori Plantini „D'Anuers en notre Imprimerie, ce XXVIIJ. iour de Ianuier .1589", „a tres-vertueuse et honorable Dame Barbara de Renuerse, espouse du Sr Flam. Garnier, Seig. de Nil, et de Schelde, etc. Secretaire du Roy notre Sire". Ait Plantinus, se opus hoc gallice reddendum curasse; p. 8 imago Christi e cruce pendentis; p. 9 „Table temporaire des Fetes mobiles"; p. 10 „Aduertissement del Aduent . . . Des Quatre temps. Nopces selon le decret du Concile de Trente . . . Aduertissement du nombre d'Or"; p. 11—22 Kalendarium romanum. In fine f. [1ª]—[4ª] „Table du contenu en ce Manuel"; f. [5ª] approbatio data 19. Novembris 1588 a „Michaële Hetsroey Bruegelio, sacrae Theologiae Licentiato et B. Mariae Antuerpiensis Canonico"; f. [5ᵇ] Summa privilegii dati Bruxellis 16. Maii 1591: „*Signé*, S. de Grimaldi. Semblable Priuilege est aussi donné au conseil de Brabant et païs d'outre Meuze. *Signé*, I. de Buschere." Liber plus quam 20 imagines habet. Hanc descriptionem humanissime mihi suppeditavit R. P. *Arthurus Codina* S. J. ex huius operis exemplo, quod est Matriti in bibliotheca facultatis philosophiae et litterarum. Editionem breviter posuit *Sommervogel* VII 1981.

1516. 1592.

Canisii de sacro Adventu et de Nativitate Domini contiones a Mörlino Ingolstadii eduntur.

„Christliche vnd Catholische | Predigen, | Von den vier Sontä- | gen im Aduent vnd H. Christag: | In welchen, von den vier Zukunfften | Christi vnsers lieben Herren vnd Seligma- | chers gehandelt wirdt: | In Frag vnd Antwort gestellt, durch den Ehrwir- | digen vnd Hoch- gelehrten Herrn, D. Petrum Canisium, | der Societät JESV Theologum, vor | 22. Jaren geprediget: | Vnd an jetzo widerumb zum Truck | verfertiget. | Getruckt zu Ingolstatt, durch Wolff- | gang Eder. | ANNO M. D. XCII." Versus 3, 5, 8, 9, 14, 16 rubri sunt.

4°; pp. sign. 114; praeterea in initio ff. non sign. 3 (addito titulari); f. A ijª—A iijª litterae dedicatoriae Ingolstadio 25. Ianuarii 1592 ad Christophorum abbatem monasterii benedictini Sanctae Crucis Donawerdae („Thonawwerdt", nunc Donauwörth in Suebia bavarica) constituti et totum eius „conventum" monasticum datae a „*Dauid Mörlin* Studiosus vnd Notarius Pontificius". Ait Mörlinus, „M. Ioannem Croesselium" Sacrae Scripturae baccalaureum et amicum sibi singulariter carum [1] has contiones sibi commodasse legendas. „Wann aber obgemeldter Herr M. Johan Croesselius, mit mir wolmeynend conferiert vnnd angehalten, wie vnd auff was Weiss doch solche schöne, nutzlich vnd herrliche Predigen widerumb zum Truck befürdert, vnd andern, so denen fleissig nachgefragt, auch communiciert vnd mitgetheylt werden möchten, Habe ich den Buchtrucker Wolffgang Eder dahin vermögt (dieweil er auch derenthalben bey mir embsig angehalten) dass er solche zutrucken mir gewillfahret. Also hab ich desswegen nicht sollen vnderlassen noch wöllen, mein Müh vnd Arbeit auch nit zusparen, vnd benendte Predigen, auss dem vor 21. Jarn getrucktem Exemplar (wegen dess grossen vnnd vilfältigen Nutzes, welchen so wol Geistliche als Weltliche darauss haben mögen) abzuschreiben, mich in Gottes Namen vnderfangen." F. A iijᵇ loci quidam Sacrae Scripturae. P. 1, 23, 41, 88 imagunculae ligno incisae. Sine approbatione et indice. Vidi huius libri exemplum, quod est Monachii in bibliotheca universitatis (Homil. 143, 2). Liber exstat etiam Guelpherbyti (Wolfenbüttel) in bibliotheca publica, Halae in Tiroli in bibliotheca PP. Franciscanorum, Fuldae in bibliotheca provinciae, Londini in museo Britannico. Editionem posuit *Sommervogel* II 672.

1517. 1592.

Enchiridion pietatis a Canisio in usum principum scriptum.

Vindobonae in bibliotheca palatina exstat Codex membraneus in 12°, signatus 11,758 et sic inscriptus: „Hanndtbüechlein | Der Andacht, darinen

[1] Cf. supra p. 501—502.

ein Christlicher vnnd Catholischer Fürst züe Gott mit Andechtig= em gebett züeflechen vnder= wißen wirdt Zü vbüng vnnd braüch Irer Fürstlichen Dürchleücht Ertz= Hörtzogen Ferdinandi dem Jü= ngern in latein beschriben. Von P. Petro Canisio der Societet IESV Theologen. Verdeutscht von M. Blasio Laubich. Hochstgedachter Fürstlicher Dürchleücht HoffCaplan."

Codex habet ff. numeris signata 180 et in initio 1 f. non sign. ac litteris germanicis iisque valde elegantibus scriptus est. Singularum paginarum margines aurati sunt. Litteras dedicatorias ad Ferdinandum filium Caroli ducis Stiriae et Carinthiae 1. Octobris 1592 a Canisio datas (quas vide supra p. 337) sequitur institutio ad rite fundendas per principes preces. Deinde preces et meditationes singulis hebdomadae diebus assignatae; orationes pro principibus ecclesiasticis et saecularibus; principis pro se ipso oratio; orationes pro propinquis, amicis, inimicis, haereticis et ecclesiae adversariis; orationes temporibus belli, famis, similium angustiarum faciendae; orationes pro afflictis maestisque, pro omnibus populi christiani ordinibus, pro patre denique pie in Deo vita functo. Postea Theodosii iunioris vita ex Socratis († circa 440) Historia ecclesiastica excerpta principibus ad imitandum proponitur, et „Regula aurea ac christiana" a Sancto Ludovico IX. Galliae rege Philippo filio natu maximo testamenti cuiusdam loco relicta ponitur, quam principes iuniores non solum legant, sed etiam sibi valde commendatam habeant.

In prima illa institutione *Canisius* ostendit, quam gravem officii administrati rationem principes Deo reddere debeant, et quantopere illi oratione indigeant; principes esse magnos, qui a daemone decepti neque mane, neque vesperi Deum precentur, neque ullum orandi ordinem servent; tempus iis suppetere ad se vestiendos lavandosque, ad equitandum, venandum, ludendum, manducandum, bibendum, canendum; solum ad orandum non suppetere. In extrema institutione Canisius Manuale Catholicorum „Catholisch Handtbüechlein" antea a se editum commemorat. In oratione pro haereticis haec dicuntur: „Verzeiche ihnnens o Herr, dieweil ihrer vil nit wissen, wass sie thun [Lc. 23, 34] vnnd sich mehr auss vnwissenheit dan auss füsötzlicher bossheit von der einigkeit der hl: kürchen sich absondern."

Codicem hunc Vindobonam esse „adlatum e Parthenone Halensi Tyroleos" affirmat *Michael Denis*, Codices manuscripti Theologici bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini aliarumque Occidentis linguarum. Vol. II. P. II., Vindobonae 1800, 2210—2212. Inde conici potest, codicem olim fuisse Christianae † 1621 et Leonorae † 1620), sororum Ferdinandi, quae Halae in collegio illo virginum a Magdalena amita sua condito Deo famulatae sunt (*Rapp* 207—219).

Latinum Enchiridii huius exemplum manu scriptum Philippo III. Hispaniae regi, ex Philippo II. et Anna Austriaca, Maximiliani II. imperatoris filia, nato, traditum est a *Maria Barara*, Ferdinandi matre. Haec enim, cum in Hispaniam profectura esset, Mediolano 25. Ianuarii 1599 Ferdinando, qui Stiriam tunc iam regebat, scripsit: „Mein ferdinand! lass mir dein schreiber das Lateinische Petbiechel patris Canisij abschreiben, Vnd schikh mirs als dan mit ehester gelegenheit, ich sey wo ich woll; Jch wils dem khinig schenkhen, lass mirs fein sauber in Zäppe[1] ein Pinden, aber nit beschlagen, ich wöls als dan wol beschlagen lassen; befilch Jme, das ers auf das vleissigest Vnd schenest schreibe" (*Hurter* IV 439—440; *Ferd. Khull* in „Gaben des Katholischen Pressvereins in der Diöcese Seckau für das Jahr 1897", Graz 1897, 215—218).

Denis, bibliographus ille vindobonensis, ait, exemplum operis huius latini archetypum nunquam sibi visum esse; historiae litterariae scriptores de eo silere; dubitare se, num unquam typis sit exscriptum (l. c.). At vidi Pragae in bibliotheca universitatis (XXXIII. H 66) libellum in 8° min. vel 12°, typis descriptum et sic inscriptum: „ENCHIRIDION PIETATIS QUO AD PRECANDUM DEUM INSTRUITUR PRINCEPS CATHOLICUS *IN USUM* SERENISSIMI ARCHIDUCIS AUSTRIAE

[1] Chagrin, genus quoddam corii piscarii.

FERDINANDI JUNIORIS &c. | A P. PETRO CANISIO SOCIETATIS JESU THEOLOGO | OLIMCON SCRIPTUM. *[sic]* | *NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITUM.* MDCCLI." Neque editor, neque typographus, neque locus indicantur. Canisii litterae dedicatoriae ad Ferdinandum archiducem (v. supra p. 337) omittuntur. Liber habet pp. 186, addito folio titulari.

Dubito, utrum hic liber textum exhibeat, ut ab ipso Canisio latine scriptus est, an ut ab ignoto aliquo ex exemplo germanico latine redditus est. En latinitatis huius exemplum aliquod: „Inter alias vere satanicas technas ac fraudes illa non est minima, quod eximii ac praepotentes aliorum Duces et Principes a laudabili more, et quotidiano instituto precandi se facile abduci atque abstrahi patiantur, quodque sacram orationem pro re vulgari magis quam necessaria ducant, ac nescio, quibus curis et negotiis abrepti in postremis illam habere et curare videantur. Accedit quod raro mane ac vesperi suarum precum pensum absolvant, ac nullum fere certum precandi ordinem servent, sed breve illud, quod adhibent precationi, tempus sine mentis attentione, sine fructu transigere et amittere consueverint. Non deest interim illis tempus bene longum, quod curando corpori quotidie tribuunt, dum sese vestiunt, lavant, edunt, bibunt, cantillant, dormiunt, dum insuper variis vitae oblectamentis, et sensuum illecebris vacant, neque minus in equitando, venando, ludendo, multas horas absumunt. Sed nescio, qui fiat, ut aliae curae et occupationes, veluti blandi fures reliquum tempus persaepe suffurentur, nullumque fere permittant otium, quantum Principi sat est ad suam animam et conscientiam, qua nihil habere debet antiquius, probe constituendam, atque ad summum aeternumque Principem quotidie adeundum atque honorandum, ex cujus nutu cum omnia pendent, tum Principum incolumitas, dignitas et authoritas maxime proficiscitur, atque conservatur" (p. 12—14). In oratione pro haereticis dicitur: „Ignosce illis Domine, quod plurimi eorum nesciant, quid faciant[1], ex ignorantia potius, quam destinata malitia ab Ecclesiae sanctae unitate seipsos segregantes" (p. 151—152).

Alterum huius libri exemplum vidi in bibliotheca monasterii benedictini Montis Sancti Hungariae (Pannonhalma, Martinsberg). Editionem posuit *Sommervogel* II 682. Cf. etiam „*Zeitschrift* für katholische Theologie" XIV, Innsbruck 1890, 740—743.

1518. 1592.

Ioach. Landolt B. Mariae V. mortuae et in caelum assumptae historiam ex Canisii Opere Mariali germanice reddit et Dilingae edit.

„Christenlicher, | Catholischer, wolbegründ= | ter Bericht, von dem seligen Ab= | leiben, Sterben vñ Entschlaffen: Auch | von der heyligen vnd frewdenreichen Auffer= | weckung vnd Auffnemung in den Him̃el, | der Allerheiligsten Junckfraw vnd | Gottes Gebärerin Marie. Begriffen inn siben Capiteln. | Genommen vnd verteutscht auß | dem fünfften Bůch deß Ehrwürdigen, Hoch= | gelehrten vnd woluerdienten Herrn *Petri Canisij, So-* | *cietatis Iesu Theologi,* von Maria in Latei= | nischer Sprach außgangen. | Durch | H. Joachimum Landolt, H. Schrifft | Doctor: Alten Pfarrherrn zů Freyburg im | Breißgöw, in vnser lieben Frawen | Münster, etc. | Mit Röm. Kay. Mayest. Freyheit. | Gedruckt zů Dilingen, bey | Johann Mayer. | M.D.XCII." Versus 1, 2, 3, 10, 11, 16, 17, 21, 22, 23 rubri sunt.

16°; ff. sign. 146; non sign. in initio 14 (addito titulari) et in fine 10. Folium titulare sequuntur litterae dedicatoriae, Friburgo Brisgoviae 3. Martii 1592 a Landolto[2] ad „Renwardum Göldlin von Tieffenaw" cathedralis ecclesiae basileensis cano-

---

[1] Lc 23, 34.

[2] Ioachim Landolt ex „Waldsee" ortus, Friburgi Brisgoviae a. 1554 albo universitatis inscriptus, ibidem a. 1558 vicarius ecclesiae parochialis B. Mariae V., a. 1574 licentiatus theologiae, inter annos 1576 et 1588 compluriens decanus facultatis theologicae fuit. Idem a. 1577 pastor ecclesiae friburgensis, a. 1582 decanus capituli friburgensis vocatur. Postea cathedralis ecclesiae basileensis canonicus constitutus est (*Herm. Mayer*, Die Matrikel der Universität Freiburg im Breisgau I, Freiburg i. Br. 1907, 402).

nicum custodemque, apostolicum protonotarium etc. datae (9 ff.); sequitur oratio quaedam nomen S. Augustini prae se ferens ($3^1/_2$ ff.). In ultimis 10 ff. index rerum per capitula libri dispositus et Ioannis Mayer insignia ligno incisa, cum hac inscriptione: „Arte Typographica claro hoc insigne decorum, IOANNI MARIO iura dedere Patrum". Vidi huius libri exemplum, quod est Monachii in bibliotheca universitatis (Theol. 401). Liber exstat etiam Guelpherbyti (Wolfenbüttel) in bibliotheca publica et Heidelbergae in bibliotheca universitatis. *Sommervogel* eum non commemoravit.

1519. 1592.

Ex processus dilingani Romam missi apopraphо eodem fere tempore scripto, quod cum archetypo plene convenire testatus est Dilingae 25. Ianuarii 1627, sigillo suo ad apographum apposito, *Ioannes Schrall* notarius. Can. 63 f. 35^b—36^a.

A. Velserus S. J. a Canisio in Monticulum ductus convalescit.

In processu Canisii in Beatorum album referendi causa Dilingae 1. Septembris 1626 ab Henrico a Knöringen episcopo augustano instituto „Reuerendus Pater *Antonius Welserus*, Patricius Augustanus, SS. Theologiae Doctor, et Societatis Jesu, quam Anno Domini 1587 ingressus est, sacerdos, aetatis annorum sexaginta unius, testis iuratus, uir pius et maturi iudicij" haec, praeter alia, examinatus respondit: Canisii „magnam" fuisse „erga Dei Matrem fiduciam, et quantum eius preces apud eandem possent, ipse Dominus testis expertus est, Friburgi Heluetiorum Anno 1592. Quando pro affecta et deplorata quasi ualetudine sua recuperanda, ipsum P. Canisius grandaeuus, magna cum charitate secum peregrinatum duxit, ad D. Virginem in Birgel dictam [1], ibique pro teste ipsi seruiente sacrum deuotissime dixit, ex quo tempore melius habere coepit, Dominus testis, et recuperatam ualetudinem suam, eius ad diuam Virginem precibus adscripsit".

Hoc testimonium ex processu dilingano prolatum est etiam in processu de Canisii virtutibus et miraculis „in specie" Friburgi Helvetiorum a. 1740—1743 auctoritate apostolica instituto (Cod. „S. R. C. Lausan. V. S. D. Petri Canisii. P. II. Copia sup. virt. et mir. in specie" f. 1464^a).

In *Catalogis collegii friburgensis initio a. 1592 et (initio, ut videtur) a. 1593 scriptis (G. Sup. 44, f. 81^b 91) Velserus non commemoratur. Facile tamen fieri poterat, ut intermedio eo tempore per breve tempus Friburgi versaretur, sive ex Italia, ubi Societati nomen dederat, in Germaniam per Helvetiam rediens, sive ex Germania in Helvetiam missus.

Antonius Velserus sive Welser (1565—1640), Ioannis Velseri consulis augustani filius, postea Societatis collegiis ingolstadiensi, ratisbonensi, neoburgensi rector praefuit et a. 1631—1634 inter maximas belli illius triginta annorum difficultates Germaniae superioris Socios provincialis rexit. Eius vitam accurate descripsit *Fr. Ant. Veith*, Bibliotheca Augustana II, Augustae Vindelicae 1786, 138—147. Insignes eius virtutes enarravit *Flotto* V, n. 781—786.

In processu friburgensi anni 1627 *Guilielmus Lautenschlager* protonotarius apostolicus et canonicus friburgensis testatus est, Canisium „in aedem Beatae Virginis in Colliculo Vrbis vicino positam frequenter non sine viae difficultate ascendisse, et ab ea ibi deprecanda colendaque aegre avelli posse visum esse": *Positio* a. 1734, Summ. p. 29. Cf. Positionem a. 1833, Summ. p. 139—150.

---

[1] De templo B. Mariae V., quod est in Monticulo prope Friburgum sito (Bürglen, Bourgillon), v. supra p. 510.

1520. 1592.

Ex apographo eiusdem fere temporis. Cod. „I 36" f. 55^{a}–58^{b}. Litteris usus est *Riess* 480.

Sociorum friburgensium numerus. Confessiones. Poenitentiae. Paces conciliatae. Vicarius generalis. Sacerdotes. Religiosi. Calviniani.

In Litteris annuis collegii friburgensis, Friburgo Helvetiorum 30. Novembris 1592 a „*Ludovico Clerick*" S. J., magistro „scholae rudimentorum" datis, haec, praeter multa alia, narrantur: „Aluit e nostris Friburgum hoc anno . . . 15; ex his Sacerdotes .8.[1] reliqui fratres quorum tres teneris animis et literas, et pietatem instillant, quatuor reliqui Martham agunt[2]. Firmi omnes, uno alteroue excepto, qui morbo subinde tentati. . . . Crescit in singulos annos numerus confitentium, ita ut praesens superiores 400 capitibus superarit, et quidem in Paschate. . . . Qui ieiunijs, flagellationibus, orationibus extentis brachijs soluendis, odium admissorum facinorum contestantur, eorum permagnus est numerus. . . . Factum, ut tam Paroeci, quam rustici, conciones nostrorum expeterent, ut ad urbem, apud nostros animi sordes abluturi, saepe ititarent: nec defuerunt qui ex remotioribus locis, eandem ob causam, Friburgum aduolarent. . . . Ab haereticis ad Catholicam fidem defecerunt unus et viginti, quorum aliqui cum lacte materno virus illud hauserant. . . . Quidam quem ingrauescens aetas et morbi grauissimi allisum lectulo, letho iam consecrare properabant, irarum et vindictae pestem imis visceribus ita conceperat, ut neque ad eius praesentiam, qui pro inimicis patrem coelestem exorauit[3], a Parocho sibi medicinam fieri passus fuerit, et immobilior ad indulgentiam quouis durissimo saxo perstiterit. Vltimum re desperata remedium superesse videbatur, si quis ex nostris accerseretur. Placet mittere, vocatus adest[4], agit cum deplorato, minas precibus, precesque minis dextere miscet: hisque emplastris primo malum pestiferum emollit, extrahit dein emollitum, communi omnium qui coram praesentes aderant gratulatione · tum vero aeger noxam inimico condonat, supplex pedibus Sacerdotis fit, culpam fatetur, Symbolum Pacis accipit, pacatusque mortis denunciationem expectat. Pergrauis inter duos belli duces orta erat dissensio, quam pecunia bello Pontificio in Gallijs parta[5], inter eos et milites distribuenda effecerat, eo magis timenda multis, quod in apertum odium sensim erumperet, quo qui laborant, plerumque maledictis inter se digladiari, et in famam nomenque linguam soluere insueuerunt. Jtaque cum id ad aures cuiusdam nostrorum patrum acciderat, omni mora abscissa, protinus utrumque conuenit[6] seorsum, explicat mala quae contentionem illam exceptura uiderentur, persuadet, posito odio laetae pacis signa volitant, et in re pecuniaria, quae totam controuersiam texuerat, bonorum virorum iudicio statur. . . . Dux quidam militiae, ne milites in discrimen corporis et animae classico vocarentur, nostrorum suasu, nullum sub se mereri patitur, qui prius animi sordes non eluerit, aliamue mulierem, praeterquam legitimi thori consciam, abduxerit. . . . Reuerendus D. Vicarius[7] qui nutu suo urbem sustinet, totus noster est, et omnia sua consilia nobiscum communicat, ut ne in mores sacerdotum animaduertere, illosque componere sine nobis voluerit. Continuat diem nuper introductam consuetudinem, ut praeter poenas Canonibus definitas, multamque pecuniariam, sacerdotibus quoque confessionem faciundam imperet. . . . Religiosi[8] toti a nobis faciunt, et nostra, quantum valent, promouent. . . . Amplissimus Senatus . . .

---

[1] „P. Petrus Canisius Consultor et in scriptione occupatus": * *Catalogus* collegii friburgensis initio anni 1592 scriptus. „P. Petrus Canisius, Consultor": Catalogus eiusdem collegii, „ad initium anni 1593 in Vrbem missus" (G. Sup. 44 f. 81^{b} 91^{a}).

[2] I. e. rem domesticam curant. Cf. Lc 10, 40; Io 12, 2.

[3] Cf. Lc 23, 34. [4] Canisius? [5] Vide supra p. 823[3].

[6] Satis probabile est, Canisium eos convenisse. Hic enim huiusmodi proceribus familiariter utebatur.

[7] Petrus Schnewly vicarius generalis episcopi lausannensis.

[8] Eremitae Augustiniani et Minores Conventuales.

voluit . . .. ut e nostris quidam[1] iudicio interes... Caluinianus Buccinator, quod petulantem linguam in Catholicos acuisset, ad Pa...iam cogendus erat, sed iustis de causis illud detrectatum. . . . [Calviniani], quamuis nobis in rebus fidei disiunctissimi sint, quidam tamen de Arrianismo postulatus, qu.. se purgaret Professionem de Sanctissima Trinitate, nobis censendam misit. Ex Valle quadam incolarum nomine duo ablegati, qui Catholicorum media contra Strigas et praestigia exquirerent, quibus libenter se usuros affirmarent. . . ."

1521. 30. Decembris 1592.

Ex Can. 14 f. 98ᵇ—100ᵇ et ex Can. 43, f. in 4° duplici, non signato. Exhortationem ponit, nonnihil tamen immutatam, *Schlosser* 340—347.

Canisius ad Socios exhortationem de votis renovandis habet.

1. Exhortationis domesticae a Canisio Friburgi exeunte a. 1592 habitae exstat commentarium sat copiosum, idque manu ignota scriptum, Canisii autem manu emendatum. Quod inscriptum est: „IN RENOVATIONE initio anni 1593" et sic incipit: „IN principio nobis omnib. tria[a] opto 1° ut feliciter cras annum veterem absoluamus, et deinde nouum peragamus. 2.° ut proprium[b] et praecipuum festum Societatis quod agetur die Veneris[2], cum fructu celebremus, sicut fieri solet in Societate cum magna deuotione. 3.° et praecipue ut vota nostra, sicut fieri solitum est, renouemus et offeramus Deo, qui vere nos sanctificet in Christo, suum pro nobis sanguinem spargente, et exemplum praebente, ut nos etiam totos ipsi dedicemus. Dicemus 1° quoties bonum et utile sit Vota nostra Renouare. 2°, quomodo se quisque ad praesentem Renouationem debeat praeparare. 3°, quae maxime requirantur ad promissa vota bene complenda. Dico igitur 1° nulli nostrum prohiberi ut vota sua saepe in anno renouet, et hoc utiliter et consulte fieri tempore tentationis grauioris, cum quis[c] impugnatur circa suam vocationem. . . . 2° Consultum est renouare vota in maiorib. Festis, immo et omnibus Dominicis, quando communicare solemus . . . 3° Ex antiqua et probata consuetudine Societatis[d] a P. Jgnatio inducta, et ordinis nostri propria, et a Sancto S[piritu] inspirata bis institui solet haec renouatio ubique gentium et magno cum fructu" etc.

2. Eiusdem exhortationis superest alterum quoque commentarium, idque brevius atque a P. Sigismundo Ilsung S. J. et scriptum et „Exhortatio ad initium anni 93" inscriptum, ab ipso autem Canisio recognitum. Quod sic incipit: „In principio huius Exhortationis habeo tria optare, quae mihi et omnibus nobis valde sunt desideranda. I.ᵐ ut veterem hunc annum bene absoluamus, et nouum deinde sic instituamus, ut non solum nos in corpore et anima custodiamur a Deo, sed etiam Ecclesia Orientalis et Occidentalis contra suos hostes defendatur et benedicatur hoc difficillimo tempore, in quo videmus indies mag. ac mag. deficere Christianitatem" etc. „Propositio" deinde sic enuntiatur: „Proponam I° An votorum Renouatio recte fiat in anno saepe, 2.° quod illam renouationem magni facere, et in honore tenere debeamus. 3° quomodo se quisque ad illam habeat praeparare." Circa finem exhortationis Canisius angustias, in quas ecclesia catholica et imperium romanum eo tempore per Turcas, Calvinianos, Lutheranos, Anglicanos adducebantur, denuo commemorat, his verbis sua manu commentario ascriptis: „Parum deflemus pereuntem patriam ob Turcas et haereticos."

1522. 1592. 1595.

Ex apographo Friburgi Helvetiorum a. 1910 a Dr. *Friderico Speiser*, iuris canonici in universitate friburgensi professore, scripto, et ex imagine, de qua infra.

a) *Hoc v. a C. ipsum additum est.* b) *Duo vv. sqq. a C. ipso addita sunt.* c) *Hoc v. a C. ipso additum est.* d) *Quae sequuntur, usque ad* inspirata *incl., a C. ipso addita sunt.*

[1] Aut Canisium aut Petrum Michael rectorem significari existimo.

[2] Anno 1593 Kalendae Ianuariae, quibus festum hoc Circumcisionis Domini agitur, futurae erant die Veneris.

Altare, quo Canisius utei [illegible] *Reliquiae sacrae.*

1. Friburgi Helvetiorum [illegible] archivo episcopali exstat charta vetus, in qua haec notata sunt:

† „In sigillo altaris portatilis P. Canisii continentur hae sanctorum reliquiae:

1. Reliquie de societate sancti Mauritii.
2. Reliquie de societate s. Ursulae etc.
3. Reliquie s. Hilariae matris S. Afrae.
4. Reliquie aliquot Martirum Treuirensium.

S. Mauritius et S. Ursula erunt patroni Altaris
12. Augusti Anno 1592."

Hoc igitur die reliquiae hae in „sigillo", sive parvo sepulcro sacris reliquiis servandis destinato et sigillo episcopali munito, parvi altaris lapidei Canisii usui destinati positae esse videntur a Petro Schnewly vicario generali episcopi lausannensis. Reliquias S. Hilariae Augustani, puto, Canisio dederunt, qui S. Afram eiusque socias singulariter colunt; v. supra p. 261 377. Quomodo treverenses reliquias impetraverit, v. *Can.* III 155. Reliquias ursulanas ex amicorum coloniensium vel cardinalis Ottonis Truchsess (cf. *Can.* VI 574) donatione habere poterat. Item et has et mauritianas ex monasterio Marsens, quod Societati datum erat, accipere poterat. In plurimarum enim reliquiarum ex monasterio Marsensi in collegium friburgense (per Canisium?) translatarum **Indiculo* qui est Friburgi in archivo episcopali, comparent reliquiae „de legione S. Mauritii Mart." et „de capite Virginis ex Societate D. Ursulae" (ex apographo a D. Speiser scripto, ut supra).

Fortasse Canisius iam circa a. 1592 — id quod eum postea fecisse certum est; v. supra p. 431 — nonnumquam in sacello privato vel cubiculo super altari portatili sacrum faciebat, utens aut privilegio sibi singulariter a summo pontifice concesso, aut illo, quo a Pio IV. 18. Maii 1565 Canonicis Regularibus lateranensibus concesso Societatis homines per communicationem privilegiorum quam vocant uti poterant; illorum enim infirmis, qui exire e cubiculis per medicum vel superiorem vetiti essent, pontifex „missam huiusmodi respective audiendi ac celebrandi" facultatem dederat (*I. B. Gatticus,* De oratoriis domesticis et de usu altaris portatilis. Ed. 2, Romae 1770, 444).

2. In cubiculo, iam in sacellum transmutato, ubi Canisius mortuus est, ex adverso altaris suspensa est imago picta Sancti Michaelis Archangeli cum hac inscriptione: „Haec tabella fuit pro altari domestico Venerabilis Patris Petri Canisii antequam saepe sacrum fecit. Anno Domini 1595. Frib. Helv." Ipsa autem mensa lapisque altaris num adhuc supersint, valde dubium est. Cf. supra p. 546.

1523. 1593.

Sommervogel ponit in versionibus „Summae" canisianae: „*Serbe.* — Soumma naouka Christianskoga. S. l., 1593, 4°. (Par le prêtre Simon.) (*Catal. La Ferté Senectère,* [1873,] n. 1809)" (II 633). Fuerit haec nova editio eaque romana Summae iussu Gregorii XIII. a Simone Budinic presbytero iaderensi illyrice sive slavonice redditae. Vide supra p. 613.

1524. 1593.

Canisii catechismus minor latine Antverpiae, germanice Salisburgi editur.

1. „Institutiones Christianæ Pietatis, seu Parvus Catechismus Catholicorum. Preces horariæ de æterna Dei sapientia. Antverpiae ex officina Plantiniana apud Viduam et Ioannem Moretum. MDXCIII, 16°, pp. 95, s. le Calendrier": Ita in indice seu catalogo librorum Canisii *De Backer* I 1060, et ex eo *Sommervogel* II 638.

2. *Wolfgangus Theodoricus a Raitenau,* archiepiscopus princepsque salisburgensis, componi et edicto Salisburgi 15. Februarii 1594 dato in omnibus terris imperio suo subiectis observari iussit institutionem sic inscriptam: „Underweisung für die Teutsche Schuelmaister der Stadt vnd des Erzstifts Salzburg die auferziehung

der Jugend anbetreffend." In ea haec, praeter alia, constituit: „Vor allen Dingen aber wöllen wir, daß die Jugend in den fürnembsten Hauptpunkten vnd Artickuln unsers Christl. Cathol. Glaubens fleißig vnderricht vnd auferzogen werde. Darumben befehlen wir den Schulmaistern, daß sie ihre anbefohlene Jugend den kleinen Chatechismum P. Petri Canisii, inmassen wir denselben neulich in vnserer Hauptstadt druckhen haben lassen, in den Schuelen fürtragen, vnd alle Wochen auf das wenigst zweymal mit den khindern üben vnd repetiren sollen." Integra institutio est in „Geschichte des Salzburg'schen Schulwesens von *Matthias Rumpler*, neu herausgeg. von *Joh. Jak. Hochmuth*, Salzburg 1832", 62—69. Catechismus igitur minor Canisii Salisburgi (Salzburg, in Austria) germanice editus est circa a. 1593. *Sommervogel* hanc editionem non novit.

1525. 1593.

„Svmma sacramentorvm ecclesiæ, ex doctrina R. P. F. Francisci à Victoria, Ordinis Prædicatorum, et olim Primarij Cathedratici apud Salmat. Cvm indice locupletissimo. Cui adjecimus Conclusiones in singulis quæstionibus: Et in calce Catechismum Petri Canisij abbreviatum, utilissimum Christianis omnibus. Venetiis, Apud Matthæum Zanettum et Cominum Presenium, MDXCIII, 12°, ff. 226, sldelt., et 38. Le Catéchisme a un titre à part, aussi est-il souvent détaché du premier ouvrage": Ita *Sommervogel* II 637—638. Ceterum vide, quae de hac „Summa" et de catechismo hoc „abbreviato" dicta sunt supra p. 772.

1526. 1593.

P. Antonius Possevinus catechismum Canisii commendat.

P. Antonius Possevinus S. J. in „Bibliotheca selecta de ratione studiorum", quae primum ab eo a. 1593 duobus tomis cum diplomate Clementis VIII. Romae in typographia apostolica vaticana edita est (*Sommervogel* VI 1076—1077), ubi de catechismo recte tradendo agit (T. I, l. 4, c. 8): „Primum", inquit, „deligendus est e pluribus Catechismus, siue libellus Christianae Doctrinae, qui magis quadret puerorum, rudium, Ciuitatum, siue Dioecesium captui. Deligendum dico, quod iam plures sunt euulgati, optime illi quidem, et pie conscripti. Et Petrus Canisius noster, cum initio Summam Doctrinae Christianae edidisset, minorem deinceps pro rudioribus edidit catechismum. Qui quidem Latine, Germanice, et plures alias in linguas conversus est, summo variarum prouinciarum emolumento." Post Canisii catechismum a Possevino tres tantum alii commendantur catechismi: Edmundi Augerii S. J., Achillis Galiardi S. J., cardinalis Roberti Bellarmini S. J. Deinde Possevinus, ubi quaerit, quinam libri „iis, qui Theologiam alte non degustarunt, percommodi ad Haereses iugulandas" sint (T. I, l. 7, c. 12): „Primo", inquit, „Doctrina Christiana, siue Catechismus Petri Canisij ab istis legatur, qui tamquam compendium est vniuersae Theologiae." Deinde legendum esse dicit catechismum Concilii Tridentini sive Romanum. Post hunc commendat S. Cyrilli Hierosolymitani Catecheses, S. Augustini libros de catechizandis rudibus etc. (*Antonii Possevini* S. J. Bibliotheca selecta. Recognita novissime ab eodem, et aucta, Coloniae Agrippinae 1607. Tom. I, p. 161 293—294).

1527. Circa m. Februarium a. 1593.

„*NOTÆ* | IN EVANGELICAS | LECTIONES, QVÆ PER TOTVM ANNVM FESTIS SANCTORVM | DIEBVS IN ECCLESIA CATHOLICA RECITANTVR. | *OPVS AD PIE MEDITANDVM | ac simul ad precandum Deum accommo-* | datum, & nunc primum in lu- | cem editum. | *AVTHORE* | R. P. PETRO CANISIO SOCIETATIS | IESV Doctore Theologo. | *Cum peculiari priuilegio Sac. Cæs. Maiest. ad decennium.* | FRIBVRGI HELVETIORVM. | Ex officina Typographica Abrahami Gemperlini. | *M. D. XCIII.*"

4°: pp. sign. 848; praeterea ff. non sign. in initio 12 addito titulari et in fine 4. In pagina aversa folii titularis „Summa Priuilegij Caesarei" eadem, quae in Notis dierum Dominicorum: v. supra p. 818. F. (:) 2ª—(:)(:) 2ª Canisii litterae dedicatoriae: quas vide supra p. 340—352. F. (:)(:) 2ᵇ *Antonii de Gorreuod*, episcopi lausannensis, „Imperijque Principis et Comitis" „Testimonium", Friburgo Helvetiorum ipsius iussu m. Februario a. 1593 datum. „Autor huius operis", inquit episcopus, „R. P. Petrus Canisius e Societate Iesu Theologus magno, vt cernimus, fructu conscripsit duos Tomos de Notis Euangelicis, sicut multi boni desiderabant. Nos vtrumque Tomum, vt vere Catholicum, lectuque dignum studiose amplectimur, et autoritate nostra Episcopali, vt in lucem exeat, libenter comprobamus. Praeterea omnibus et singulis Decanis, Parochis et Concionatoribus nostris, siue Saeculares illi siue Regulares fuerint, serio mandamus, vt hunc librum posteriorem, sicut et priorem, quamprimum emant et euoluant sedulo, nec sibi tantum, sed alijs etiam commendare conentur." Sequitur in eadem pagina brevis „Ad sacrarum literarum studium excitatio". F. (:)(:) 3 „In huius operis commendationem Carmen *Wilhelmi Techtermanni* Patricii Fryburg. eiusdem Vrbis, Reique publicae Archigrammatej". Ex eo paucos pono versus:

„Attulit hoc nobis optantibus arbiter aeui
Auxilium, aduentumque virûm quorum aethere fulget
Sancta fides pietasque et magnum sparsa per orbem
Fama, sacro IESV exortum[a] de nomine honorem
Qui celebrant, dignos et praestant nomine fructus.
Hos inter sacri non infima gloria coetus
Vt meritis sic et longo venerabilis aeuo
Insignes operas CANISIVS edidit orbi."

F. (:)(:) 4 „Ordo festorum dierum". Pg. 847—848 „De vita et officio Sacerdotum Sententiae Hieronymianae obiter adiunctae". Sequitur f. Hhhª—Hhh4ª „Index rerum" alphabeticus; f. Hhh 4 „Errata".

„Notas" hasce a Canisio proxime et primo loco Helvetiis destinatas esse intelegitur ex variis locis Notarum „in die festo Translationis Divi Nicolai Episcopi Miraensis, in multis Ecclesijs Patroni": v. g. „Quanto autem longius haec Respublica, et subiecta illi ditio sese porrigit, quantoque grauius domi et foris Friburgenses oppugnantur, quod velut in medio versentur hostium, tanto magis illi sane industrio, fido, potenti paratoque Patrono indigent" etc. (p. 305—306).

Paucissima ex hoc volumine excerpam. „Pessimum est, vt cum Propheta loquar, sedere in cathedra pestilentiae[1], impiaeque ac falsae doctrinae patronum agere, eamque ceu praesens venenum instar viperae, in alios transfundere, vt extinguas et perdas proximi animam. Nullum enim peruersorum hominum genus, et Deo magis exosum, et Ecclesiae pestilentius esse arbitrabor, quam haereticorum doctorum" (p. 59). „Iampridem dici coeptum est, omnem apostatam sui esse ordinis persecutorem" (p. 181). Sermonem a Christo Domino ad discipulos in ultima coena habitum explicans Canisius: „Non potest", inquit, „a suis veluti filijs auelli cor IESV vt amantissimum, ita et fidelissimum, nisi praeterea longo vereque dulci sermone moestos illos consoletur, rudes erudiat, ac imbecillos contra saeuam tempestatem statim secuturam prouide fulciat praemuniatque" (p. 236). „Opus demum et sacra communione, quam apud primos Christianos frequentem, immo et quotidianam fuisse legimus"[2] (p. 837). „Quamuis Paulus Apostolus Indulgentiae nomen non exprimat, tamen rem ipsam satis ostendit, quando scribit de Corinthio incestuoso ad tempus

a) exortem *typogr.*

---

[1] Ps 1, 1.

[2] In margine: „Actor. 2". Cf. Act 2, 46. Alias quoque *Canisius* de primis Christianis id notat; ut cum scribit, daß „sie auch täglich am Tisch deß Herren das ware Himmelsbrot besuchten vnd nossen": Zwo warhaffte . . . Historien · Die erste von S. Beato, die ander von S. Fridolino, Freyburg in Vchtland 1590, 97.

Satanae tradito et excommunicato, cui deinde ex animo poenitenti nomine et loco Christi poenam omnem patrato crimini debitam gratiose condonat"[1] (p. 825—826). Summi pontificis ex cathedra loquentis infallibilitas perspicuis verbis enunciatur et studiose defenditur p. 341—352. „Ridicula saepeque protrita istorum est calumnia, quod Orthodoxi Mariam pro Dea colamus et adoremus, ita vt ex creatura creatricem superstitiose faciamus" (p. 193). „Partim diuinae gloriae, partim bona publico id a Magnatibus tributum est, vt Sacerdotes, eorumque Antistites modis varijs ornarentur, magnisque priuilegijs afficerentur, immo etiam Principum ordini quidam adscriberentur. . . . Quod ab optimis ac Deum amantissimis Principibus per omnes fere aetates sancte donatum, et sponte oblatum fuit, quemadmodum et Caesareae leges, et publica diplomata comprobant, idipsum a Catholicis Episcopis absque vitio suscipi, ac legitime vsurpari certum est, communi totius orbis consensu suffragante, et magno quidem bono reipub. consequente. An vero obscuri sunt nominis Antistites, qui cum Pastorali munere amplitudinem Principatus egregie coniunxerunt, laudemque immortalem promeruerunt? Ex his fuere, vt e multis paucos recenseam, diuus Siluester Romae, D. Rubertus Salisburgi, D. Vdalricus Augustae, D. Vvilibaldus Eichstadij, D. Vvolfgangus Ratisbonae, D. Conradus Constantiae, qui profecto non minus Ecclesiae lumina quam patres patriae, Imperijque columnae a pijs et prudentibus merito existimantur" (p. 497—498). „His ego in Virgine salutanda me libenter adiungam, nec ab illorum quidem discedens vestigijs, quibus institutum sacri, vt vocant, Rosarij fuit et est perquam familiare, vt simul praecipua redemptionis humanae mysteria, quae vitam Christi et Matris continent, facili quodam compendio in animum reuocentur" (p. 532). „Ex quo dicto et facto quiuis intelligat, Martinum necessitate compulsum, non lucro vel stipendio pellectum, neque armis delectatum, in militia triennium absoluisse, et sub militari chlamyde Christianum texisse pectus, nihilque commune habuisse cum vulgari hoc genere militum, quod se bonis fere omnibus reddit inuisum, cum adeo regnet apud illos pecuniae sitis, ventris et otij studium, libido vaga, contemptus et oppressio pauperum, iniustitiae et rapacitatis consuetudo, vt iampridem bellum malorum omnium lerna esse dicatur. Atque vtinam modo non obtineat, quod vetus poëta ethnicus de sui saeculi militibus haud temere questus est:

> Nulla fides pietasque viris qui castra sequuntur,
> Venalesque manus: ibi fas, vbi maxima merces" (p. 618)[2].

Miram in bipartito hoc „Notarum" opere Canisius prae se fert scientiam Sacrae Scripturae. In paginarum marginibus longe plus quam 12000 locorum Scripturae commemorat. Similiter atque S. Bernardus saepissime Scripturae verbis loquitur. Multas Scripturae sententias ad verbum profert. Praeterea in marginibus plus quam 1900 commemorat locos Sanctorum Patrum, scriptorum ecclesiasticorum, conciliorum. Plurimum utitur libris S. Augustini. Interdum etiam testimonia ponit paganorum, velut Ciceronis, Lucani, Platonis, Plinii iunioris, Senecae, Taciti.

Ut aliquorum de duobus hisce „Notarum" voluminibus sententias addam, *Franciscus Sacchinus* S. J.: „Quoniam", inquit, „nihil est diuini verbi meditatione ad proprium cuiusque, et alienum profectum accommodatius, et cum meditatione, itemque cum praedicatione coniungendae sunt preces, vt et poscamus a Deo, et poscere populum doceamus, quae oportet, [Canisius] distinxit in capita ad meditandum peropportuna notas, et subiecit miro pietatis ingenio perappositas cuique meditationi, inprimisque notabiles preces" (Can. 312). De eodem opere scribit *Séguin*: „Il est d'une égale utilité pour la prière et pour la prédication" (308). Et *Éd. Boucher*: „Canisius y explique l'Évangile tout simplement, mais non sans une science profonde." L'Éloquence de la Chaire. Histoire littéraire de la Prédication. Lille 1894, 280. Et *Florianus Riess* S. J.: „So ist dieses Werk eigentlich eine practische Predigerschule, sowohl durch seinen Reichthum an Schrifttexten und patristischen Stellen, als durch die eingeflochtenen theologischen Erörterungen und die Bezugnahme

[1] In margine: „1 Cor. 5. et 2 Cor. 2." Cf. 1 Cor 5, 1—5; 2 Cor 2, 5—11.
[2] In margine: „Lucan. lib. 10" (*Marc. Ann. Lucanus*, Pharsalia lib. 10, v. 407—408).

auf die Controversen der Zeit" 487). Ac *Fridericus Supp*, episcopalis seminarii rottenburgensis regens: „Wie der ehrwürdige Petrus Canisius der Katechet für die halbe Welt, namentlich für Deutschland Jahrhunderte hindurch, so war und ist er durch vorliegendes Werk auch der Homilet für dasselbe geworden, und wie es allen Katecheten mit Fertigung von Katechismen und katechetischen Werken nicht recht gelingen will, wenn sie die Bahn verlassen, die er eingeschlagen, so dürfte man auf gleiche Weise die homiletischen Versuche als verfehlte bezeichnen, die von seiner Richtschnur ablassen. Wir meinen hier nicht die Form, sondern den Inhalt, der sich durchweg auf dem Gebiete der Offenbarung, im Centrum der Kirche, und im Geiste des Evangeliums bewegt. Was die Arbeit auch für unsre Zeit so werthvoll macht, ist die Aehnlichkeit der damaligen Zeit mit der unsrigen. . . . Was den Werth der Schrift weiter erhöht, ist der große Reichthum von Citaten aus der heil. Schrift A. und N. Testaments, der Väter und Gottesgelehrten. . . . Der Prediger, welcher nicht schon hergerichtete und zu seinem Gebrauch gefertigte Predigten sucht, sondern dem es um Ideen und Gedankenreichthum und um eine reichliche Fundgrube zu thun ist, aus welcher er Altes und Neues, wie ein Hausvater nach Bedarf schöpfen und für die Bedürfnisse seiner Gemeinde verwenden will und kann, der wird zur Genüge und in Fülle in diesem schätzbaren Werke finden": Theologische Quartalschrift, 27. Jahrg., Tübingen 1845, 610—614.

Librum vidi in collegio S. J. exatensi (Exaten). Item et hunc et priorem illum Notarum tomum vidi in bibliotheca monasterii cuiusdam tirolensis et in utriusque tomi folio titulari notatum vidi: „Anno 1602 27. Julii constat 1 fl. 12 kz" (i. e. 1 florino et 12 crucigeris). Liber exstat etiam Upsalae in bibliotheca universitatis, Matriti in bibliotheca S. Isidori, Wittemii (Wittem in Hollandia) in bibliotheca collegii Congregationis SS. Redemptoris, Oeniponte in bibliotheca PP. Capucinorum, Fuldae in bibliotheca provinciae, Salmanticae in bibliotheca universitatis. Commemoravit eum *Sommervogel* II 680.

1528. 1587—1597.

De P. Sigismundo Ilsung S. J., Canisii in scribendo adiutore.

Quia P. Sigismundus Ilsung per annos haud paucos Canisio in scribendo fidelem praestitit operam (cf. supra p. 821), operae pretium fuerit pauca de eo notare. Vocatur modo „Aerbingensis Austriacus", modo „Erblingensis Austriacus", modo „patria Aerburg jn Austria super Anasum" ortus. Vnde ex Arbing, vico archiducatus Austriae superioris (Österreich ob der Enns) ortus esse videtur. Eum aestate anni 1584 in collegio halensi (Hall, prope Oenipontem) fuisse cognoscitur ex huius collegii **Catalogo* circa m. Iulium a. 1584 scripto (G. Sup. 19 I f. 23[b]). In **Catalogo* collegii friburgensis circa m. Septembrem a. 1587 a P. *Petro Michael* collegii rectore scripto de eo haec notantur: „Annorum 33, uiribus non admodum firmis, in Societate fuit annis 11. Theologiae dedit operam annum cum dimidio, fuit Procurator, professor Grammaticae et operarius. Non caret iudicio et prudentia, in literis fecit progressum mediocrem, ob corporis tamen imbecillitatem ad perferendos magnos labores non aptus, uidetur tamen futurus Procurator uel Minister, non autem confessarius ob auditus defectum" (G. Sup. 19 II f. 30[b]—31[a]). In **Historia* collegii oenipontani narratur, eum primum sacrum 13. Maii 1582 Oeniponte in ecclesia collegii, astante Ferdinando II. Austriae archiduce et Tirolis principe, Deo obtulisse (Cod. „Hist. coll. Oen." p. 34). D. 3. Iunii 1590 Friburgi Helvetiorum in templo B. Mariae V. vota coadiutorum spiritualium formatorum emisit (Germ. 59 f. 70[a]). In collegii friburgensis **Catalogis* vocatur anno 1589 „Minister, Consultor, Catechista gallicus, Confessarius et infirmorum Praefectus", initio a. 1592 „Minister, Consultor, Confessarius", initio a. 1593 „consultor, minister, praefectus templi et confessarius", 1594 „Minister, Admonitor, Praefectus studiorum, Confessarius et Procurator domesticus", 1595 „consultor P. Rectoris, procuratur collegij, confessarius", 1596 „Minister, Procurator, Consultor, Confessarius studiosorum Germanorum, et extraordinarius Externoram Gallorum et Germanorum", 1597 „Consultor Rec., Pro-

curator, Confessarius Temp., Praeceptor Infimae Scholae". In **Commentario* anonymo, qui inter a. 1588 et 1595 Romam missus esse videtur, haec dicuntur: „P. Sigismundus Ilsung magnae nobilitatis, nescio ad quid aptus, agit quidem ministrum, sed exigua satisfactione, scribit P. Canisio, hoc potest, nec in scholis, confess. aliquid valet, minus in concionibus" (G. Sup. 44 f. 78^b^ 81^b^ 85^b^ 95^b^ 106^a^ 116^b^ 124^a^). Antiqua illa collegii **Historia* narrat, eum „nobili familia" fuisse et, cum 30 annos et amplius in collegio illo laborasset, Kalendis Ianuariis a. 1631 ibidem supremum diem obisse. „Scriptitando tam B. Canisio nostro, quam Rectoribus operam, quoties necesse fuit, suam sedulo impendit, alijs licet Domus muneribus occupatus" (Cod. friburg. „Hist. coll. Frib." p. 135).

1529. Circa initium m. Novembris 1593.

Ex „Can. 2" f. 114^a^—115^a^.

Canisius ad Socios exhortationem de Sanctis habet.

Exhortationis sacrae Friburgi ad Socios collegii habendae commentarium *Canisius* sua manu scripsit et sic inscripsit: „Exhortatio de Sanctis ad fratres 1593" Incipit: „Multa sanctorum festa seruamus Catholici, et praecipue festum omnium sanctorum". Ostendit: 1. „Quod fundamentum fidei ad sanctos celebrandos necessariae?" 2. „Notandi abusus in cultu sanctorum". 3. „Quomodo colendi sunt sancti nobis?"

In tertia parte haec, praeter alia, monet: „Proponam mihi saepe Patronos, sicut habuit Damascenus b. Virginem, Theodosius Ioannem Bapt., Chrysostomus Paulum, Leo Magnus Petrum et Paulum: ad illos confugiam mane et vesperi, ut gratiam mihi necessariam ad bene uiuendum et moriendum impetrent. Ita fecit P. N. Ignatius, P. Xauier[1] etc." Ex ipso huius exhortationis argumento et ex eius exordio colligi potest, eam circa diem sacrum Omnium Sanctorum sive circa initium m. Novembris habitam esse.

1530. 1593.

Ex apographo eiusdem fere temporis. Cod. „I 36" f. 59^a^—61^b^. Complura ex his litteris transcripta sunt in „*Annuas Litteras* Societatis Iesu Anni MDXCIII.", Florentiae 1601, 173—174.

Canisii valetudo. P. Michel O. M. Conv. de exercitiis. Episcopus lausannensis. Ministri protestantium bernenses humanissime excepti. Eorum unus cum Canisio disputare veretur.

Iacobus Keller S. J., unus ex collegii friburgensis praeceptoribus, qui postea scriptis suis ecclesiam egregie erat adiuturus et illustraturus (cf. supra p. 648), in eiusdem collegii „Litteris annuis" exeunte anno 1593 datis haec, praeter multa alia, narravit: Patri Canisio „senium uires fregit, sed corporis, quod fulcitur, non animi, qui uiget[2] . . . R. P. Prouincialis familiae olim Franciscanae, nunc, ut uocant, monasterij Guardianus et Theologiae Doctor, P. N. Jgnatij commentationibus informandum se tradidit, in quibus eo melioris processit doctrinae, ut plura se patri N. debere diceret, quam suis olim professoribus in Theologia[3]. . . . Quo tempore Reuerendissimus noster[4] Sacrosanctum

[1] S. Franciscus Xaverius.

[2] „P. Petrus Canisius, Consultor": *Catalogus* collegii initio anni 1593 Romam missus (G. Sup. 44 f. 91^a^).

[3] Praeclarus vir Ioannes Michel O. Min. Conv. Parisiis in Sorbonna theologiae studuerat (*Nic. Raedlé* O. M. Conv., in „Revue de la Suisse catholique" XIV, Fribourg 1883, 208).

[4] Antonius de Gorrevod episcopus lausannensis. In * „*Continuatione* Historiae Collegij Societatis Iesu Friburgi Helvetiorum" ibidem circa a. 1635, ut videtur, scripta

Chrisma impertiuit, circiter 1000 conscientiam emacularunt. . . . Curauimus etiam non ita pridem Ministrum[1] Bernensem. Venerat is Friburgum bene mane negotij caussa: dum uero plateas obit, persona audit canenti clero templa, ad propylaeum principis[2] accedit, sed abstinet ab ingressu metuens opinor piaculum. Aduertit id quidam ex ciuibus, iubet intrare. Hic ille caussam nectit, nescio quam: et alter, scio, inquit, qui sis, et cur facias: mecum sis ueni, et quando templum non uis, Jesuitarum inspice Gymnasium. Paret uolens an nolens? timore certe consternatus tremulo ore praefatur ueniam identidem repetens se in hara natum, lustrat omnia et probat omnia. Humanitatem nostram, ab auditu ferinam, a uisu plus quam humanam, in praesens dilaudat, Bernae spondet praeconium. Sed enim rumor anteuolat Bernam, citatur a suo regulo quem superintendentem appellant, iubetur caussam dicere, quid sibi cum Iesuitis rei sit. Hic ille confestim se expurgare, et audienti rationes probare, tollere nos laudibus, humanitatem celebrare, nec finem facere praedicandi. Ob tam benignum praeconem incessit duos alios experiundi cupido, qui classibus inspectis promiserunt reditum, quod tum incommodum erat plurib. loqui. Sed suasit aliud timor, quam dixerant. Egredientes ex Vrbe obuium forte habent unum e nostris, salutant et pro occasione nata disputant alacriter, ac ut sibi uidebantur, pugnant gnauiter, sed obtuso telo et hebeti cuspide. Vrgebat alter imagines ex DEi praecepto abolendas, sed ictus ab adamantino pariete resultans percussit authorem. Cherubim et Seraphim DEi quidem iussu sculptos annuit, sed solos[3]. Machabaeorum libris egregius Censor, cum ipsi de ijs non magis constet quam de Pauli epistolis, abrogauit authoritatem. Postremo grande uolumen e sacciperio promit, in quod quaestiones nobiscum decidendas coniecerat. Noster, quod locus disputationi idoneus non esset, domum inuitat ad Theologos, ac nominatim ad P. Canisium. Nolo inquit Canisium, nolo expertus in alijs. Quantus in clypeum assurgat, quo turbine torqueat hastam; tandem a trepido comite monitus aliquoties abijt et Lernam suam reuisit."

1531. Exeunte m. Decembri a. 1593.

Ex Can. 42 f. 16^b—17^a 21.

Canisius ad Socios exhortationem de votis renovandis habet. Eorum in recreatione defectus reprehendit.

Exstat exhortationis ad collegii friburgensis Socios de votis religiosis 1. Ianuarii 1594 renovandis a Canisio habitae commentarium maximam partem a P. Sigismundo Ilsung S. J. scriptum. *Canisius* postremam partem scripsit et totum commentarium recognovit. Commentarium ab Ilsungo inscriptum est: „Exhortatio ad Fratres: ad

---

de eo narratur: „Quo die Gymnasium subijt, oratione, uersibusque permultis est a Discipulis salutatus, in Collegio uero sumpto prandio, sacer illi Dialogus datus" (Germ. Sup. Hist. 1592 f. 2^b—3^a).

[1] Sacrorum ministrum, eumque zwinglianum vel calvinianum.

[2] Templi S. Nicolai.

[3] De Cherubim v. Ex 25, 18; 27, 7—9, et cf. 3 Rg 6, 23—28; 2 Par 2, 10—36. De Seraphim simulacris exprimendis sacra Scriptura, quod sciam, nihil habet.

initium annj 1594." Incipit: „Quoniam prudenti cuique competit, praesenti tempori se accommodare sich nach der zeit richten, statui mihi in hac exhortatione tractare 1º de praesenti tempore obseruando. 2. de utilitate futurae renouationis. et 3º de varijs impedimentis circa illam occurrentibus, et optato fructu nos fraudantibus. Certe non sine singulari gratia Dei contigit, quod ad finem huius annj peruenerimus incolumes, et breui nouum annum simus auspicaturj." In numero „defectuum" emendandorum haec recenset: „Plus amittimus in recreatione, quam toto die lucramur, falsa libertas decipit[a]. Defectus est in fraterna dilectione, quam saepe in gestibus, verbis et conuersatione offendimus, praesertim tempore recreationis. Pugnat cum hac charitate quod facile iudicamus praesentes et absentes[b], silentium seruamus de spiritualib., secure et libere definimus quae non intelligimus, in sermonem[c] aliorum irrumpimus, saepe et nonnullos pungimus, stechen, et sumus uindicatiui rachgirig. Accedit astutia listigh, ad quaerendum et expiscandum occulta[b] quaedam, quae scire cupimus, quodque sumus nimium curiosi et contentiosi sine ulla utilitate. Jta nobis consuetudinem facimus non minus quam saeculares leuiter magnis de reb. pronunciandi, et quicquid venit in buccam effundendi, ita ut saepe alij mirentur, et nos Angelos potius contristemus quam proximum aedificemus. Non fuit olim tanta libertas et audacia in ridendo, iudicando et confirmando. Patres nostrj maiorem simplicitatem, candorem et familiaritatem in conuersando tenuerunt."

1532. 1591–1596.

Ex congregationis tabulis archetypis, quae sunt Friburgi Helvetiorum in bibliotheca reipublicae, Cod. „L 193" f. 57[b]—109[b]. Complura ex iis protulerunt *A. Drive*, Marie et la Compagnie de Jésus, Éd. 3[me], Tournai-Paris 1913, 362, et *Genoud* 123.

Preces a sodalibus marianis ad Deum pro Canisio factae.

Adulescentum litteris studentium sodalitas mariana Friburgi Helvetiorum a. 1581 a Canisio instituta historiam rerum a se gestarum a. 1584, ut videtur, in libro scribere coepit eamque deinceps in eodem libro per singulos annos usque ad a. 1633 perduxit. Ex hac historia intellegitur, ab a. 1591 ad 1596 pro Canisio modo per universam sodalitatem, modo per unum pluresve sodales multas Deo oblatas esse preces: rosaria, litanias omnium Sanctorum, Salve Regina, psalmos poenitentiales et graduales, alia. Notata haec sunt anno 1591 m. Decembri, 1592 Ianuario, Februario, Maio, Iunio, Augusto, 1593 Ianuario, Februario, Decembri, 1594 Ianuario, Maio, Septembri, Octobri, Novembri, Decembri, 1595 singulis mensibus excepto Novembri, 1596 Februario et Martio. A m. Septembri 1596 ad Octobrem 1598 notatio bonorum operum sodalitatis omnino intermissa est.

Duo ponam exempla: In anno 1593 notatur: „Hoc mense decembri 237 Rosaria lecta fuere, pro defunctis, Gallia, Valesia, Tota Ecclesia, Germania, Heluetijs, pauperibus, confessarijs, Patre Canisio, Ecclesiasticis, Episcopo Sedunensi[1], Lausanensi[2], contra Turcam, alijsque necessitatibus" (f. 75[a]). Mense Maio a. 1594, praeter multas alias orationes pro Canisio factas, pro eo sodalis quidam septem rosaria Deo obtulit, alius septies litanias lauretanas recitavit (f. 78[b]).

a) *Haec verba Canisius sua manu scripsit.* b) *Quattuor vv. sqq. ab ipso C. addita sunt.* c) sermone *Hs.*

[1] Hildebrando a Riedmatten.

[2] Antonio a Gorrevod, episcopo lausannensi, tunc Friburgi moranti.

Neque vero solae orationes sodalium in libro illo recensentur, sed etiam plurima paenitentiae et misericordiae opera: Ieiunia, flagellationes, aegroti visitati, pauperes cibis et vestibus donati et hospitiis recepti, inimici ad pacem compositi, rudes doctrina christiana imbuti, peccatores ad sacramenta suscipienda inducti, pravae consuetudines sublatae. Quibus rebus Canisii fundatoris animus solatio et gaudio afficeretur necesse erat. Depinxit quoddamodo hunc animorum fervorem praeclarus ille *Iacobus Keller* S. J., qui tunc in collegio friburgensi praeceptoris munere fungebatur, in *Litteris annuis eiusdem collegii exeunte a. 1593 datis: „Quid", inquit, „nunc dicam de Sodalitate tum Scholasticorum tum externorum? . . . Mittam susceptas ultro peregrinationes Lauretum ac Romam, mittam crebras itiones ad pia loca religionis caussa, quas non modo diebus illis instituunt, qui nisi pie coli non possunt, sed etiam illis, quibus impunita licentia DEi immemor Bacchum sequitur, per inuias uias, alta niue obsitas, tibia perpetuo aperiundas, tactis niue cothurnis ac rigentibus. Mittam eo ipso tempore bis a quinta nascentis diei, usque ad quintam occidentis oratum; aliquot rosariorum millia Reuerendissimo oblata ad Episcopatus sui feliciter obeunda munia, legem latam, ut duo quot hebdomadis inuiserent Xenodochium, sopitos gladiorum furores, conciliatos coniuges, erogatam stipem, donatos ad frigus defendendum calceos et uestes, datum pauperibus epulum magno die Iouis magnae hebdomadae, humicubationes, subiectos dormientibus truncos" etc. (ex apogr. eiusdem fere temp. Cod. „I. 36" f. 61).

1533. 1590—1594.

Ex monumentorum „processus beatificationis" Canisii Frisingae instituti apographo saeculo XVIII., ut videtur, scripto, quod est in Cod. „Can. 63" f. 15^{b}—25^{a}. Eorum „Summarium additionale" positum est in libro, cuius paucissima exempla instar codicis manu scripti typis exscripta sunt: „Sacra Rituum Congregatione Eminentissimo, et Reuerendissimo Domino Card. De Gentilibus Lausannen. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Petri Canisii Sacerdotis Professi Societatis Iesu. *Positio* super Dubio, An, et quomodo sit signanda Commissio in casu etc.", Romae 1734, Summ. p. 113—125. Eorundem monumentorum partes sunt in libro, quod libro superiori simile et sic inscriptum est: „Sacra Rituum Congregatione Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Cardinali Pedicini Episcopo Praenestino Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto Relatore Lausannen. [etc., ut supra] Societatis Iesu. *Positio* super virtutibus", Romae 1833, Summ. p. 13 124 153 179 219 251 263 280.

P. Jacobus Keller S. J. testis interrogatus respondet de Canisii sollicitudine pro Germania, prudentia, temperantia, animi demissione, poenitentiae studio, animi moderatione, orandi ferrore, sanctitatis opinione.

Cum Frisingae (Freising, in Bavaria) Canisii in Beatorum album referendi causa iussu Viti Adami de Gebeck episcopi frisingensis quaestio sive „processus" institueretur, interrogatus est etiam praeclarus ille P. *Jacobus Keller* (de quo supra p. 648). Hic enim, ut ipse testatus est, Friburgi 3 annos et 7 menses cum Canisio vixerat. Videtur autem eo venisse aliquanto ante initium anni scholastici 1590/1591 ibique mansisse et praeceptorem in gymnasio Societatis egisse usque ad exeuntem fere a. 1593; nam in collegii friburgensis *Catalogo a. 1590 (aestate?) scripto nondum positus est; in *Catalogo autem collegii ingolstadiensis ad initium a. 1594 pertinenti „Auditor Logicae" vocatur (G. Sup. 19, III p. 69—71; G. Sup. 44 f. 94^{b}). Eius testimonium hoc loco ponitur, qui praecipue testatus est de rebus, quas his annis ipse Friburgi vidit et audivit. Die igitur 18. Iunii 1626 eum haec, praeter alia, iureiurando respondisse *Ioannes Feirenhamer* presbyter frisingensis

et notarius litteris consignavit: Canisium „audiuit Anno 1584 Lucernae concionantem. . . . Nouit illum etiam in Religione Anno 1591 Friburgi Heluetiorum, ubi cum eo habitauit tres annos et septem menses, estque ipso usus confessario per integrum annum. . . .

Ex sollicitudine [pro Germania] in publicis et priuatis colloquijs, et in omnibus omnino recreationibus rogabat alios, ut pro Germanis a Luthero seductis DEVM orarent. Quemadmodum et ipsum testem Confessionis filium in singulis Confessionibus semper admonuit, ut oraret pro Germania[1]. . . .

Ait testis Canisium fuisse . . . prudentem, ut neminem unquam in conuersationibus offenderit, sese omnibus quam optime accommodarit. . . .

Temperantiae autem plane magnum [?][a] virum fuisse constat ipsi testi, utpote oculato, qui dicit ipsum exiguo prorsus cibo, et unico praeter iusculum ferculo contentum, in potu aeque fuisse parcum, et quantum alij uino diluendo aquae, tantum hunc aquae tanquam temperandae, uini miscere solitum. Item ter aut quater sua testis memoria contigisse, ut minister mensae, per inaduertentiam, nullum potum Patri apposuerit, ipsum autem hunc sui neglectum, non solum non tulisse aegrius sed omnino dissimulasse, nec quicquam potus petijsse.

Humilitatis et suimet contemptus non obscurum argumentum in Canisio esse ait testis, quod scripta sua, antequam inprimerentur, etiam a iunioribus reuideri uoluerit, nulliusque censuram subterfugerit. Quemadmodum cum scriberet Not: in Euang[2]: nihil prius imprimi uoluit, nisi a teste tunc iuuene, Magistro, probaretur, ad quem aliquoties duas scalas, ea de causa, admodum senex, et baculo innixus ascendit. Cumque testis diceret, non optare [?][b] id fieri, se iuuenem facilius et magis ex decoro descensurum ad ipsum senem. Respondit Pater, se inutilem iam senem satis habere otij, iuuenes a suis studijs non esse abstrahendos.

De patientia in aduersis nihil potest dicere, quia ipse nullas habuisse aduersitates uidebatur, ut qui ita se omnibus accommodarit. In morbis fuisse patientissimum audiuit ab alijs, ipsemet a. non interfuit. . . .

Carnem suam uarijs modis macerasse, sibique procul dubio fuisse durum, conijcit testis ex inde, quod alios creberrime ad disciplinas[3] tam extra confessiones, quam in illis, et alias corporis austeritates cohortatus fuerit. . . .

De Patiendi et martyrij desiderio nihil etiam constat testi. Summam tamen in hoc P. moderationem habet compertissimam, quem etsi natura

a) *Corrigendumne* magnae? b) *Sic: corrigendum esse videtur:* oportere.

[1] In *libello quodam suo per P. Sigismundum Ilsung scribenda curavit nomina 10 „Pontificum Romanorum ortorum ex Germania", quorum singulis aliqua adnotata sunt ad eorum vitam spectantia (Can. 9 f. 2[a]).

[2] „Notas in Evangelicas Lectiones", quae diebus dominicis et festis Sanctorum recitantur; earum tomum primum a. 1591, alterum 1593 Friburgi edidit: v. supra p. 817 834. [3] I. e. Ad se ipsos flagellis caedendos.

cholericum, nunquam tamen uidit impatientem aut iratum: Denique in precibus, ait testis, fuisse Canisium assiduum, praesertim cum paululum a laboribus uacabat, et in omnibus colloquijs et recreationibus nihil nisi de Deo, Sanctis, et eorum imitatione locutum esse, scit testis ex propria experientia. . . .

Vocatum esse Germaniae Apostolum non audiuit, sed Bauariae quidem, utpote qui primus ex Societ: in Bauaricam messem missus fuerit. . . .

Scit testis P. Canisium . . . sacrificium missae quotidie DEo offerre solitum, cum tanta, ut ipsemet testis uidit, deuotione, ut saepe abstractus, ac propterea monendus fuerit, ut integram plenamque horam in sacro consumpserit. Eundem post missam a se dictam, aliam alterius audire solitum cum magna effusione lachrimarum. Eodem denique feruore horas Canonicas persoluisse.

Ait testis, ipsum P. Canisium ab omnibus semper passim pro sancto habitum, et plene sibi persuadet, si iste PATER non sit sanctus, se nullum unquam uidisse hominem sanctum. Morti eius non interfuit, audiuit tamen cum constanti Sanctitatis opinione obijsse. . . .

Ait testis, se audiuisse ex alijs, quod post mortem increbuerit magna opinio, famaque sanctitatis eius . . . Reliquias eius, aliasque res ab eo usurpatas haberi in ueneratione et multos se eius intercessioni commendare solitos, habet testis ex auditu."

1534. 1590—1594.

Ex apographo saeculo XVII., ut videtur, scripto. Can. 47 p. 31—34. Narrationis huius partes typis exscriptae sunt in „*Positione*" a. 1833 (cf. supra p. 841). Summ. p. 154 252.

P. Iacobus Keller S. J. in Canisii Vita manu scripta narrat a se visa et audita de Canisii temperantia, orandi studio, in loquendo pietate, in confessionibus fervore, animi demissione.

P. *Jacobus Keller* S. J. in Vita Canisii circa annum 1612 scripta neque unquam typis exscripta aliqua narrat, quae ipse viderat et audiverat, cum inter annos 1590 et 1594 Friburgi Helvetiorum, praeceptorem in Societatis collegio agens, cum Canisio habitaret. Haec utilia sunt ad ea, quae Keller de Canisio in actione illa frisingensi testatus est (v. supra p. 841), illustranda et amplificanda. Propterea hic ponuntur. Ita igitur ille de Canisio in libro secundo Vitae eius:

„Lactis adipe, seu butyro plurimum vescebatur: ius illi sorbile et olusculum hortense omnia: nonnunquam et carnium minuta adhibebat. Jn potu haud absimiles deliciae: fontanae vinum adfudit, uti nos aquam vino, modica stilla, quantumque alius vno ductu parce haurit, tantum ipse toto prandio libauit. Cum neglectu ministrj subinde cantharus illi hydriaque non apponeretur, impotatus mensa abijt, neque sitim suam, neque negligentiam alienam questus. . . .

Studijs alijsque laboribus subitas preculas interiunxit, immenso affectu detinebatur contemplatione fixus: quantumque alij nituntur ut

vagam mentem coerceant. tantus illi prope labor fuit animum seuocare. Jn genua fusus. saepe nec videbat. nec audiebat. . . . Atque haec sacra animj peregrinatio errore temporis subinde implicuit. Vidi illum non raro post solem vesperum. cubicula obeuntem. quaerentemque ad ministeria altaris socium, sacra ante quietem facturum[1]. Enimuero in augusta illa ad aram functione. admirabilis fuit : enunciatio verborum prope scenicae similis : mouebat haud mediocriter audientes. et in partem pietatis fuit. Canisium [sacrum] facientem audisse. Jn Memento[2], vti vocamus. nec suj nec morae meminit : saepe vulsus tractusque ad coepta redibat. Nemo vnquam illum, vt breuem. accusauit, nemo longum quoque : pio cultu. caeremoniaque fallebat . . . Vbi operari Mysterijs desijt. alium operantem audiuit. humentibus identidem oculis : neque enim aut affectum aut lacrumas celare poterat. quia gnarus non erat. et pium Canisium. soli alij sciebant. . . .

Loquebatur Canisius. cum aut necessitas, aut necessitatis vicina causa postulabat. cum nempe visebat. aut visebatur. Sermo comis ad omnes. ac nescio quo delibutus vnguine[a] influebat. penetrabat. inflammabat. Aut sacra erant. aut ad sacra trahebantur. quae dicebat. nec fatigabat : aberat quippe cruda et impolita[b] importunitas : expectabatur ab illo. quod proferebat. . . . Cum pro more Societatis remota mensa aliquantisper in coetum loquentium veniret. nihil tumidj[c]. nihil soluti. nihil profanj excidit. Gaudebat recte facta Diuorum narrare. et validissima memoria prompte poterat. . . .

Jn secreto illo sese accusantium ritu. cum conscientiarum sederet arbiter. non vnus semper fuit. Praecipitatos salutis fiducia. aut maerore oppletos mititate colloquij reducebat. ac firmabat. haud irritis verbis. Jbat contra in incuriosos scelerum ac poenitudinis ambiguos acriorj vultu et obiurgatione nequaquam mollj. Cessere indignanti Canisio obturatae mentes. eiurataque quam duxere vita. aliam ingressi. quamdiu Canisij praetorium adiere. perpetuarunt. . . .

Cum extremos sub annos Notas[3] ederet. meque typi causa vellet. in summa aede agentem. ipse baculo hastaque ad gradus nitens perrepsit. ne operj aut studijs intentum auelleret : cumque ego moleste ferrem. quod id aetatis visendus iuuenem validumque viseret. Mihj. aiebat. inutilj abundantia otij est. te negotia circumstant. Vox impigrj senis. et digna rubore meo. quem an habuerim nescio. caussam habui."

1535. 1594.

„Petri Canisii summa doctrinae christianae. Sclavonica. sive Serviana lingua. characteribus sancti Cyrilli conscripta. Romae. Dominicus Baza. 1594. 4°": Ita

a) *Pos. haud recte:* inguine. b) incondita *Pos.* c) *Pos haud recte:* humidi.

[1] Opinabatur igitur, mane esse; neque enim vesperi missae sacrificium offerre licet.

[2] Preces illas dicit. quae in missa paullo ante consecrationem pro fidelibus viventibus et paullo post eam pro fidelibus vita functis ad Deum a sacerdote fiunt.

[3] Cf. supra p. 842[1].

„*Catalogue* des livres imprimez, de la Bibliotheque du Roy. Theologie. 2de partie". Paris 1742, p. 303 n. D. 5141, atque ex eo *De Backer* I 1059. Haec igitur fuerit nova editio Summae iussu Gregorii XIII. a *Simone Budinic* sacerdote iaderensi illyrice sive slavonice redditae. Dominicum „Basa" a. 1593 typographiae apostolicae vaticanae praefuisse constat aliunde: v. *Sommervogel* VI 1076—1077. Fortasse tamen haec editio est eadem atque illa, quam anno 1593 assignatam esse dixi supra p. 833.

1536. 1594.

Canisii catechismus minor latine Antverpiae, gallice et latine Lemovici editus.

1. Canisii Institutiones christianae pietatis sive Parvum Catechismum Catholicorum „Antverpiae, 1594, 16°" in lucem prodisse indicant *De Backer* I 1060 et ex eo *Sommervogel* II 638. Ex iisdem colligi potest, hanc fuisse editionem novam catechismi a. 1593 ibidem ex officina plantiniana in lucem emissi, de quo dictum est supra p. 833. Librum hunc exstare Upsalae in bibliotheca universitatis et Matriti in bibliotheca nationali ex amicis accepi.

2. „*PETIT* | CATECHISME | POVR LES CATHO- | LIQVES. | Tresnecessaire au temps present, pour instruire | la ieunesse, composé en Latin par M. Pierre | Canisius, Docteur en Theologie, & depuis | mis en François, auec le Latin correspon- | dant l'vn à l'autre. | *Auec permission.* | A LYMOGES, | PAR HVGVES BAREOV. | 1594."

In pagina altera folii titularis figurae nominis Iesu radiis cincti et Christi cruci affixi ligno incisae apparent. Liber est in 16° et habet pp. signatas 95 (addito folio titulari) et in fine 16 ff. non signata. Pg. 3—4 Canisii praefatio, data Augustae Maio a. 1561 et gallice reddita. P. 5—8 „Preface de laqvues Froye", sine loco et anno; in qua parentes, magistri ludorum, pastores animarum ad doctrinam christianam diligenter tradendam admonentur. Sequuntur paginae bipartitae, in quarum partibus interioribus catechismus latinus positus est; in partibus sive columnis, quas vocant, exterioribus est catechismus gallicus. Huius quaestiones et illius responsiones typis cursivis descriptae sunt. Eodem modo posita sunt testimonia Sacrae Scripturae adversus haereticos. Sequitur breve compendium doctrinae christianae et capitum eius maxime necessariorum; dein institutiones ad conscientiam examinandam, coronam sive rosarium B. Mariae V. recitandum, ministerium sacerdoti sacrum facienti „secundum novum usum Romanum" exhibendum. In pagina ultima Guilielmus Malerbaud, theologiae doctor sorbonnicus canonicusque cathedralis ecclesiae lemovicensis (Limoges), et Martialis Lagorce, baccalaureus theologiae canonicusque collegiatae ecclesiae S. Martialis lemovicensis, Lemovici 21. Septembris 1584 affirmant: Vicariorum generalium mandatu catechismum et latine et gallice scriptum legimus; est is catholicus, ac valde necessarium fuerit eum typis exscribi. Eodem die dein episcopi vicarii generales, qui sunt Ioannes de Puzilhon ecclesiae cathedralis decanus et Petrus Benoist officialis episcopi catechismi typis vulgandi facultatem concedunt. Librum vidi Romae in bibliotheca barberiniana (V. XIV 127), quae postea in vaticanam translata est. Eum posuit *Sommervogel* II 650.

1537. 1594.

Catechismus Canisii minor aliquantum immutatus et auctus in monasterio Thierhaupten editur.

„Catholische | Fragstuck vber den gantz | en Klainen Catechismum deß | Hochgelerten Herren Petri Canisij | der H: geschrifft Doctorn. | Item außlegung der Ceremoni= | en der Hayligen Meß. Vnnd von dem | Psalter oder Rosenkrantz vnser | lieben Frawen. | Nachmals mancherley Frålgein, *[sic]* | von allen zeitten deß gantzen Jars, auß | H: Schrifft vnd Lehreren gezogen: Für | die Jugent | vnnd ainfaltigen Colligiert, | durch einen Catholischen Priester. | Jetzunder vom Authoor selbst an | vilen orten corrigiert, vnnd zum anderen | mal in Truck außgangen. | Non alta sapientes, sed humilibus con- | sentientes. Rom: 12. | Getruckt im Gottshaus zů Thierhaup | ten. | Im jar, 1594." Versus 1. 2. 6. 10. 15. 20 rubri sunt.

8° min.: ff. sign. 118, et in initio ff. non sign. 2 (addito titulari). Praefatio (f. 2 non sign.) data est 13. Maii, sine loco et anno. Iam, inquit praefationis auctor, multi catechismi insignes a multis viris doctis editi sunt. „Dieweil aber in denselbigen, etlich fragen werden begriffen, die etwas schwerlich zů verstehn, vnd von jrer lenge wegen hart inn gedechtnus zů behalten sein", pius quidam sacerdos catholicus aliqua quaestionum capita ex Sacra Scriptura et sanctis doctoribus excerpta brevius comprehendit, quae is modo, ut multorum desiderio satisfaciat, iterum edit multis rationibus emendata. Catechismus sic dividitur: Fides, sacramenta, praecepta, oratio, peccata, opera bona. Catechismus terminatur f. 34ª. Sequuntur variae doctrinae per quaestiones et responsiones propositae, inprimis explicationes accuratae caerimoniarum missae, aquae benedictae, rosarii mariani, variorum temporum anni (e. g. „Aduent fragen", „Weyennächt Fragen", „Fassnacht Fragen", „Mayen Fragen", „Dult Fragen"). In p. 118 index rerum. Liber habet 27 imagines variae magnitudinis ligno incisas, quarum pleraeque parum elegantes sunt. Quisnam in benedictino illo monasterio Thierhaupten[1] (a. 1803 suppresso, in Suebia bavarica) typographiam administraverit, in libro illo non dicitur. In eius tamen exemplo monacensi notatum vidi, nomen typographo fuisse Josiae [Isaiae?] Wörli. Librum vidi Monachii in bibliotheca nationali (Asc. $\frac{4103}{1}$). Idem exstat Friburgi Brisgoviae in bibliotheca universitatis (Nr. 35 333). Editionem posuit *Sommervogel* II 658—659.

1538. 1594.

„Kurtzer Bericht, von H. Sacramenten der Buss und Zarten Fronleichnams Christi, auss Petri Canisii Schriften gezogen. Ingolstatt, 1594, 32°": Ita *De Backer* I 1048 et ex eo *Sommervogel* II 672.

1539. 1594.

Psalmus „Miserere" a Canisio per modum precationis explicatus Ingolstadii et Monachii primum editur.

1.) „MISERERE Das ist, | Der 50. Psalm Dauids, Gebetts Weiß, allen | frommen Christen zu | Trost, Buß vnnd Besse= | rung, außgelegt: | Durch | H. Petrum Canisium der | Societet IESV. *Ecclesiast. 2.* | So wir nit | werden Buß thun, so gerathen wir inn die Handt | Gottes. | Getruckt zu | Ingolstatt, durch | Wolffgang Eder. | *ANNO* M. D. XCIV." Versus 2, 4, 5, 9, 11, 15, 17 rubri sunt.

16°: pp. signatae 57 et folium titulare et in fine 1 p. non sign. In pagina altera folii titularis figura regis David Deum precantis ligno incisa et dimidiam paginam occupans. Explicatio psalmi pertingit usque ad p. 52; sequuntur orationes aliae. Singularum paginarum margines variis figuris ligno eleganter incisis ornati sunt. Librum vidi Monachii in bibliotheca nationali (Asc. 945). Idem exstat in bibliotheca universitatis monacensis. Editionem posuit *Sommervogel* II 681.

2.) „MISERERE | Das ist: | Der 50. Psalm Dauids, | Gebettsweiß, allen | frommen Christen zu | Trost, Buß vnd Besse= | rung außgelegt: | Durch | H. Petrum Canisium der | Societet Jesu. | Ecclesiast. 2. | So wir nit werden | Buß thun, so gerahten wir in die Hand | Gottes. | Gedruckt zu München, | bey | Adam Berg. | Anno M. D. XCIIII."

[1] Anno 1580 „Calend. Iulij R. P. Dominus Abbas Thierhauptensis spiritualibus apud nos meditationibus se dedidit, non sine suo, et totius monasterij fructu (cuius exemplo et Prior, et eiusdem coenobij alij complures moti ijsdem meditationibus uacarunt": Ita collegii S. J. ingolstadiensis *Socius* aliquis horum temporum aequalis in *„Historia Collegij Ingolstad. S. J. Tom. I" (n. 7, p. 47—48), quae exstat Eystadii in archivo curiae episcopalis (cf. *Can.* II LI).

12°; pp. signatae 92; praeterea fol. titulare et in fine f. 1 non sign. In pagina altera folii titularis David regis genibus flexis Deum precantis figura ligno incisa, dimidiam paginam occupans et ab ingolstadiensi illa imaguncula diversa; ante regem positum est psalterium. Typi huius libelli magni sunt et pulchri. Singulae paginae cinguntur variis elegantibusque figuris ligno incisis. Psalmi explicatio pertingit usque ad p. 65; sequuntur orationes aliae. Librum vidi Monachii in bibliotheca nationali (Asc. 946). Idem memoratur a *Sommervogel* II 681.

Psalmi „Miserere" usus tam in publica oratione quam in privata et erat et est frequens. Ita v. g. in **Litteris* annuis collegii friburgensis Friburgo Helvetiorum a. 1592 datis de sodalitate mariana adulescentum litteris studentium narratur: „Psalmus Miserere per maioris ieiunij dies quotidie symphoniace decantatus" (ex apogr. eiusdem fere temp.; Cod. „I. 36" f. 57ᵇ).

1540. 1594.

Operis canisiani „Christenliche . . . Predig" etc. primum Dilingae a. 1570 vulgati (v. *Can.* VI 690—691) novam editionem in 4° a. 1594 Ingolstadii factam esse scribit *Sommervogel* VII 1980.

1541. 1594.

„Catholisch Handbüchlein zu Nuzen und Wolfart den frommen und andächtigen Christen erst zu Latein, jetzunder aber deutsch in Truck ausgangen, durch P. Canisius. Freyburg in Uchtland, Abraham Gemperlin, 1594, 24°." Ita *De Backer* I 1050 et ex eo *Sommervogel* II 677.

1542. 1594.

Sanctorum Mauritii et Ursi et sociorum martyrum historia a Canisio scripta et Friburgi Helvetiorum edita.

„Warhafte Christliche Histori in drei | Büecher abgetailet | Von Sanct Mori= | tzen des Kaisers Maximiani Ober= | stem Feldhauptmann, vnd seiner Thebai= | schen Legion, so im Wallißerland, wegen Christ= | liches Glaubens, ihr Marter bestendiglich vollendet. | Auch in sonderhait | Von Sanct VRSO, dem löbli= | chen Hauptmann, vnd von anderen The= | baischen Christi Bluetzeügen, die in der alten Statt | Soloturn gelitten, vnd noch daselbst | ruhen. | Durch PETRVM CANISIVM der So= | cietet IESV Theologum, zu wolfart des gemainen | Manns jetzt neulich beschriben. | Superiorum permissu. | 1594. | Getruckt zu Freiburg im Vchtland, durch | Abraham Gemperlin." Versus 1, 3, 4, 9, 14, 18, 19 et verbum Iesu rubra sunt.

4°; pp. signatae 286; praeterea ff. non sign. in initio 8 (addito titulari) et in fine 1. In 7 foliis, quae titulare sequuntur, sunt Canisii litterae dedicatoriae Kalendis Maiis 1594 ad consulem senatumque soloduranum datae; quae positae sunt supra p. 359—366. P. 281 „Gebet zu Gott von S. Moriz" eiusque sociis; p. 282 precatio de S. Urso aliisque martyribus thebaicis, qui Soloduri quiescunt. P. 283 carmen, quo *Ioannes Carpentarius* (de quo supra p. 301³) Soloduranos suos hortatur, ut sacras reliquias suas thebaicas in honore habeant. P. 284—286 legionis thebaicae martyrium ab eodem Carpentario poëtice descriptum. In folio ultimo errata.

Canisius hoc libro complexus est etiam historiam SS. Gereonis sociorumque eius ac SS. Gregorii sociorumque, quos omnes Coloniae martyrium subisse traditum est [1], item SS. Solutoris, Adventoris, Octavii martyrum taurinensium, quos et ipsos

---

[1] Mentionem facit Canisius „der vast köstlichen, schönen, kunstreichen vnd wunderbarlichen Kirchen", quae in honorem S. Gereonis aliorumque martyrum extructa sit „in der herrlichen Statt Cöllen am Rein" (p. 274).

de legione thebaica fuisse ferunt, item aliorum quorundam. Usus est Canisius (cf. p. 177—178 181 214) S. *Eucherii* episcopi lugdunensis „Historia de S. Mauritio et Sociis", non illa quidem, quae primum a *Petro Francisco Chifflet* S. J. a. 1662 et deinde a *Ruinarto, Bollandianis,* aliis auctoribus typis exscripta, vere ab Eucherio composita esse videtur et nunc quoque historiae huius thebaicae fons est praecipuus, sed historia interpolata et posteriore, quam a. 1474 *B. Mombritius* Mediolani et a. 1574 *L. Surius* Coloniae ediderant. Usus est praeterea (p. 271—278) S. *Gregorii Turonensis* opere „De Gloria Martyrum", item libro „De sacra historia Thebaea", a „*Guilielmo Baldesano*" canonico et theologo metropolitanae ecclesiae taurinensis italice „La sacra Historia Thebea" Taurini a. 1589 cum approbatione P. Bernardini Rosignolo rectoris collegii S. J. taurinensis edito (qui liber minus recte ab aliquibus ipsis Rosignolo attributus est; cf. *Sommervogel* VII. 163). Praeterea testimonium protulit (p. 215) ex vita SS. Felicis et Regulae a „*Floreïcino*", quem alii „Florenicum" vel „Florentium" vocarunt, auctore ceteroquin satis ignoto, scripta. Testes etiam produxit (p. 216) „*Eutropium*", qui saeculo IV. „Breviarium ab urbe condita scripsit", et (p. 228) „*Guilielmum*" episcopum taurinensem (ex Baldesano?). Atque etiam ait (p. 280), historiam mauritianam commemorari a S. Ambrosio quoque „in libro Praefatio", qui liber, si exstat, certe spurius est: nisi forte significetur liber aliquis non a S. Ambrosio mediolanensi, sed a S. Ambrosio abbate agaunensi (saec. VI.) scriptus.

Ceterum hic liber, ut ex ipso folio titulari intellegitur, plebis, non eruditorum usui destinatus est. Canisius potissimum fidem confirmare moresque bonos docere, non rerum gestarum cognitionem provehere ac promovere volebat. Propterea quam plurimas Sacrae Scripturae sententias libro intexuit, quibus etiam exempla et effata ex auctorum gentilium operibus excerpta intermiscuit. Imprimis autem et militum gregariorum et ducum utilitatem spectat. Demonstrat, Christianis bellum posse licitum esse (p. 55—69), et ostendit, quibus cum condicionibus bellum gerere liceat (p. 77—86). Affirmat, genus militare indigere reformatione et in capitibus et in membris eaque diligenti, seria, severa (p. 87). „Sie halten sich also wild, Barbarisch vnd Teufelisch, sam hetten sie alle vernunfft verloren, wären von Höllischen Gaisteren besessen, vnd hetten alles Christliche wesen verlaugnet" (p. 84). Militum vitia singillatim reprehendit et, quae remedia iis adhibenda sint, indicat (p. 47—51 54 77—91). Militibus, veterum Romanorum exemplo proposito, suadet, ut frequentibus exercitiis ad proelia se praeparent (p. 52—55); graviter eos monet, auctoritati civili oboedientiam praestari debere (p. 69—71); horatianum illud „Dulce et decorum est pro patria mori" (Carm. III, 2, 13) iis in animos revocat (p. 111). Cf. etiam *Riess* 491—492.

P. *Iacobus Keller* S. J., qui a. 1591—1593, cum nondum sacerdos esset, Friburgi Helvetiorum in collegio praeceptorem egerat, in *Vita Canisii circa a. 1612 scripta haec de Canisio narrat: „Scripseram ego in compositas abs se Thebaeorum legiones carmen Heroicum operi praefigendum; neque displicebat gnaro Poeseos: uerum cum Rector[1] uulgandi copiam non faceret, nihil ille obtendere contra habuit, neque porro urgere. Quia uero ignorabat, an paris ego quoque animi futurus essem, praemuniit obedientiae praeceptis, ne ad scribendum promptior essem, quam ad inducendum, quod scripseram. Ita mihi bono fuit, male scripsisse, nam si meliora lusissem, meliora non audissem. Quanquam persuasisset etiam nihil docendo: qui blattis tineisque nihil seponere potest, eius lector poterit": Vita Canisii, lib. 2, cap. „Obedientia Canisii" (Cod. Ms. 320 f. 33, in bibliotheca universitatis monacensis).

Librum vidi Friburgi Helvetiorum in bibliotheca dioecesana. Idem exstat ibidem in bibliotheca PP. Minorum Conventualium, Monachii in bibliotheca nationali, Guelpherbyti in bibliotheca publica, Vratislaviae in bibliotheca universitatis. Solodori in bibliotheca urbis asservatur huius libri exemplum, in cuius folio titulari praeclarus ille Ioannes Iacobus a Staal scripsit: „Donum ab ipso authore". Editionem posuit *Sommervogel* II 681.

[1] P. Petrus Michael.

1543. 1594.

Petrus Matthieu poëta historicusque gallus Canisium invisit et admiratur.

Petrus Matthieu (ca. 1563—1621) ex Burgundiae Comitatu (Franche Comté) ortus, Valentiae (Valence) iuris doctor creatus, Lugduni aliquamdiu causidicus fuit, Ligista studiosissimus et Guisiis valde deditus. Cum autem Lugdunenses Henrici IV. imperio se subiecissent, ipse quoque ei se addixit. Lugduno Parisios transgressus, ab Henrico IV. historiographus Galliae constitutus est. Tragoedias aliaque carmina composuit et varia conscripsit opera historica (*F. X. Feller*, Dictionnaire historique, éd. par *M. Ch. Weiss* et *Busson* V, Paris 1849, 558—559; *J. G. Th. Graesse*, Trésor de livres rares et précieux IV, Leipzig-Paris 1900, 443—444). Post eius mortem, curante filio eius, in lucem prodiit liber „Histoire de France sovbs les Regnes de François I., Henry II., François II., Charles IX., Henry III., Henry IV., Louys XIII. Et des choses plus memorables advenües aux autres Estats de la Chrestienté depuis cent ans. Par fev M. *Pierre Matthier* Conseiller du Roy, et Historiographe de France. | Tome premier | A Paris, M.DCXXXI." Ibi, p. 248—249, Matthieu narrat originem Societatis Iesu et primos eius socios recenset. Deinde scribit: „Le douziesme de ceste Compagnie fut Pierre Canisius, sçauant homme . . . ie le vis en l'an 1594. à Fribourg en Suisse, où je passois allant à vne diete pour les affaires qui entreront en leur temps dans ceste Histoire. Il estoit lors aagé de plus de quatre-vings ans [1], et neantmoins ie le trouué sur ses Liures, et le vis dans les actions communes aux plus ieunes Religieux [2], admiré le grand respect qu'il portoit à un ieune homme qui estoit Recteur du College [3], et m'estonnois comme vn homme de cet aage, qui auoit eu tant de pouuoir aupres de l'Empereur Charles et de l'Empereur Ferdinand, s'abbaissoit si fort."

1544. M. Novembri 1594.

Ex autographo. Can. 50 II f. 37ª. Ex eodem autogr. haec germanice versa posuit *Riess* 516, et ex hoc aliqua exscripsit *Kroess*, Can. 211. Autographo usus est etiam *Raderus*, Can. 213.

Canisius, quae sibi curanda et facienda, quae vitanda sint, praestituit.

Canisius sua manu haec in suum usum notavit:

De ordine seruando 94 mense Nouembri.

Hora 4 pomeridiana cessent studia et post deambulatiunculam preces et lectiones seu meditationes ad coenam usque instituantur.

Deambulatio sit frequentior ante prandium et coenam post recreationem et utriusque examinis tempore, ad somnum etiam excutiendum.

In coena potus parcior quam in prandio, tum sibi de tertio ferculo detrahere, uel de fructibus.

---

[1] Canisius tunc 73 annos natus erat.

[2] Huiusmodi actiones erant: cubicula et atria verrere, aquam portare, scutellas in culina lavare. Cf. infra, monum. 1580.

[3] P. Petro Michael, qui tunc fere 43 annos natus erat.

Coniungere Litaniam de b. Virgine et Sanctis uesperi ante somnum.

Jnterdiu recitare horas b. Virginis. mane scriptas preces absoluere. uesperj praelegere matutinam sequentis diei meditationem. et aliqua scripta relegere. sicut et Martyrologium.

Die festo Missam audire. De instituto[1] legere et spiritualia. Litaniam cantatam audire. Nonnunquam et horas aeternae sapientiae[2] recitare.

Hora quarta surgere. primam absoluere. meditarj. Missam legere. 3^{am} et 6^{am} [3]. Patrem Costerum uidere[4].

Meditationis materia certa sit. puncta praeparatoria praecedant.

Exercere se in psalmis gradualibus. septem psalmis[5]. officio S. Crucis. pro defunctis. Rosario.

Frequenter ad cor redire[6], ut te colligas[a] ante et post studia. subinde interquiescere. loqui tardius. a uerbis iudicatorijs et rebus alienis abstinere. omnes sibi superiores ducere[7]. non facile quicquam petere. particulare examen[8] adhibere. in superbia. gula et acedia se uincere. studendi appetitum effrenem refrenare. maiorem cum Deo familiaritatem habere, in seipso abnegando et zelo animarum proficere. nullum facile reprehendere. deuotioni quaerendae insistere[9]. circa puram charitatem proximi saepe uersarj. clausis uelut oculis defectus alienos praeterire. tuamque trabem inspicere[a] [10]. uirtutes peculiares a te postulare. atque in Christo suspicere.

Verisimile est. Canisium haec. cum „exercitiis spiritualibus" S. Ignatii vacaret. sibi proposuisse.

1545. 1594.

Ex apographo eodem fere tempore scripto. Cod. „I 36" f. 63^{a}–66^{b}. Complura ex his litteris transcripta sunt in „*Litteras* Societatis Iesu duorum annorum M.D.XCIIII. et M.D.XCV.", Neapoli 1604, 463–464.

Sociorum friburgensium valetudo et labores. Haereticus Canisii nomen ludens retunditur.

a) *Sequitur* et, *oblitt.*

[1] Institutum Societatis Iesu significat, quod eius constitutiones. bullas pontificias. regulas. privilegia etc. complectitur. [2] De his cf. *Can.* II 721[1].

[3] Horas illas canonicas dicit. quae „Prima". „Tertia". „Sexta" vocantur.

[4] I. e. legere P. Francisci Costeri (de quo *Can.* I 95[4]. hoc tempore in Belgio degentis (Germ. 173 f. 146^{a} 266^{a}), librum. Scripserat is „Libellum Sodalitatis" marianae. „Enchiridion Controuersiarum", Meditationes „de Vita et laudibus Deiparae Mariae virginis", „de Cantico Salve Regina". „de quatuor novissimis vitae humanae". „de universa Historia Dominicae Passionis", „in hymnum Ave Maris Stella" (*Sommervogel* II 1510–1521; IX 128–133).

[5] Septem psalmis poenitentialibus. [6] Is 46, 8.

[7] „Omnes diligentissime curent . . . se in pace et vera humilitate interna conservare . . . omnes in animo suo tamquam sibi Superiores ducendo": *Constitutiones* S. J. P. 3. c. 1, n. 4: *Summarium* Constitutionum. reg. 29.

[8] De hoc v. supra p. 776.

[9] „Omnes . . . devotioni quaerendae pro mensura gratiae Dei ipsis communicatae insistant": *Constitutiones* S. J. P. 3. c. 1. n. 20; *Summarium* Constitutionum, reg. 21.

[10] Cf. Mt 7, 3–5; Lc 6, 41–42.

In *Litteris* annuis collegii friburgensis, Friburgo 21. Novembris 1594 datis, haec, praeter alia, narrantur: „Fuimus hoc anno XV.[1] . . . Neque morbi neque mors, aut mortalitas quenquam e nostris, cum periculo praesertim, infestauit. . . . Ab Haereseos pedicis expediti sunt XVII. . . . Ad solennia paschalium MCCCXXX poenitentes numerauimus. . . . Ad consilium dandum in re magni momentj, ad Praetorem Vrbis nostri uocati: ab Ecclesiasticis Primoribus persaepe consultj et occupati sunt. . . ." [Congregationis marianae sodalis] quidam cum fratre, domum cognatosque haereticos reuisens, catholicam [fidem] apud illos non dissimulauit. Jmo uero disputatione oborta strenue defendit. Vt fit alio diuertunt. Cognatus haereticus tandem ambos ita aggreditur. Quid oro boni apud Jesuitas addiscitis? uultin' nosse qui sit uester Canisius? Respondet alter, nosse nolumus. Arripit haereticus cultrum et marmoreae mensae inscalpit, noua diastole, Canis, ius. Discipulus, nihil moratus, arrepto uicissim cultro eidem mensae inscalpit: Vestri praedicantes sunt meri falsique clamantes. Haereticus epigrammate lecto ringitur, quia oblique tangitur. Discipulus infert, se non litigandi sed suos uisendi gratia uenisse."

1546. 1590. 1593. 1597.

Ex „Actorum" apographis eodem tempore scriptis. Cod. „B 10" p. 64 76 89.

Canisius a. 1590 1593 1597 congregationibus provincialibus interesse nequit.

In „*Actis*" congregationum provincialium provinciae S. J. Germaniae superioris haec sunt notata:

1. Ad congregationem m. Iulio a. 1590 Augustae habendam „omnes, quos formula praescripta requirit, conuenerunt (P. Petro Canisio, ob affectam aetatem, et P. Gasparo Staudero Procuratore Collegij Jngolstadiensis febricitante exceptis, atque eo nomine, reliquorum Patrum iudicio legitime et sufficienter excusatis)."

2. „Anno 1593 .7. Julij, Augustae aperta est Congregatio. . . . Censuerunt omnes praesentem Congregationem legitimam esse: iustamque esse P. Petri Canisij, Professi antiquissimi, absentiam, ob senium, affectamque admodum ualetudinem."

3. „Anno Domini 1597 · die 9.[a] Julij datum est initium Congregationi Prouinciali . . . Monachij . . . P. Petrus Canisius . . . ob senium et distantiam loci uenire non potuit."

1547. 1593—1597.

Canisii proposita libros, virtutes, ritum missae spectantia.

In operis „Notae in Euangelicas Lectiones, quae Dominicis Diebus recitantur", Friburgi a. 1591 editi exemplo, quod Canisius ipse recognovit et amplificavit, ut ita emendatum iterum ederetur (nunc „Can. 44"), nunc inter p. 238 et 239 glutine insertum est, Canisii autem tempore casu, puto, sive oblivione remansit folium, in quo *Canisius* haec scripsit:

„Mauritiana Historia. Exhortationes. Notae a R.[2] relegendae. In 3 tomo[3] addita quaedam et a censore relegenda."

Deinde, aliquanto inferius:

„1 Per aduentum loqui rarius et circumspectius.

2 Sepius humiliare se coram Deo, et deplorare fragilitatem propriam et interiorem immunditiem.

3[a] Exactius uersari circa examen partic. et generale.

a) *Sequuntur vv.* Melius et, *oblitterata.*

[1] „P. Petrus Canisius, Consultor" [rectoris]: **Catalogus* collegii friburgensis ineunte a. 1594 Romam missus. „P. Petrus Canisius": *Catalogus* friburgensis ineuntis a. 1595 (G. Sup. 44 f. 95[b] 105[b]).

[2] Rectore (P. Petro Michael?) P. Richardo Eustathio? Cf. supra p. 456.

[3] De hoc „Notarum" tomo v. supra p. 381.

4 Recitare Cursum[1] b. Virginis, de s. Cruce, Litaniam Virginis et bis Litaniam communem[2]."

Postea, magno spatio interiecto:

„In fine collectae in unitate caput Cruci flectitur[3].

Palma manus respiciat alteram. Juncti sint digiti, non excedentes humerorum summitatem.

Dicendo Munda cor meum · profunda sit inclinatio, iungantur manus ante pectus, eleuentur oculi.

Euangelio recitato leuetur liber et osculetur. Ante Euangelium se signet in fronte, ore et pectore.

Suscipe sancte Pater, eleuatis oculis. Jtem dicendo, Offerimus tibi domine · et, Veni sanctificator. Jtem, Suscipe sancta Trinitas. Te igitur. Eleuatis oculis ad te Deum."

1548. Exeunte m. Decembri a. 1595 (1594?) et exeunte m. Decembri a. 1597.

Ex apographo (A) eodem fere tempore scripto, quod est Friburgi Helvetiorum in archivo reipublicae, Cod. „Missivenbuch 1595—1633 · 39" p. 18—20. Idem monumentum (B) positum est a *Radero* 254—258, affirmante, id a se „ex publicis Magistratus tabulis, quae in chartophylacio Collegij [friburgensis] custodiuntur, ad verbum, nullo mutato apice, adscribi". Tertium apographum (C) exstat in relatione, quae de processu 29. et 30. Decembris 1625 Friburgi Helvetiorum de Canisii vita et miraculis instituto ibidem 12. Februarii 1626 scripta et multorum gravium virorum subscriptionibus sigillisque confirmata exstat in Can. 63 f. 1ª—14ª. In ea affirmatur, Raderi verba „per omnia esse consona et conformia ipsi autographo, quod nobis exhibitum fuit ex Cancellaria huius inclytae Reip., si duo uel tria uerba excipiantur, quae tamen substantiae miraculorum nihil prorsus aduersantur".

Quae in hoc monumento continentur, vel saltem prodigium de Krummenstollio factum a plerisque Canisii biographis commemorata sunt: velut a *Sacchino*, Can. 372—373; *Riess* 518—541; *Michel* 411; *Genoud* 155—156.

Canisii apud Deum intercessione invocata, senator friburgensis magno vitae periculo liberatur, alius item senator gravi morbo mire levatur.

Sebastianus Werro[a] S. T. D. Venerabilis Capitulj S. Nicolaj in Rep. Frijburgensj Praepositus et uacante sede Episcopalj Lausanensi in eadem diocesj authoritate Apostolica Vicarius Generalis. Certum facimus cum Reuerendus in Christo Pater D. Petrus Canisius Societatis Jesv Theologus qui lucubratis operib. Catholicae fidej multum adiumentj attulit, et Vniuerso Christianismo notus, non tam priuata[b] uiuendj ratione commendabilis, quam quibusdam supra humanum naturae cursum dictis et factis admirabilis extiterit, et non sine certa quadam sanctitatis opinione ex hac vita discesserit. Cuius proinde memoria in benedictione est[4]. Vt posteritati testimonium sit eorum, quae hac in Vrbe Friburgensj ubj vitam clausit admirabilia et supernaturalia circa ipsum contigerunt, subscriptus Notarius Juratus eiusdem Vrbis Secre-

a) Vero *B C*. b) *Hoc v. deest in B C*.

[1] Horas sive officium parvum.

[2] Nescio, utrum significentur Litaniae omnium Sanctorum, an illae, de quibus *Sacchinus*, Can. 381, scribit: Canisius, ultimo vitae tempore „litanias recens editas pro felici Ecclesiae statu, quarum exemplum ab Apostolico Nuntio acceperat, nullo die non exequebatur summo studio".

[3] Hoc et ea, quae sequuntur, ad ritum romanum sive ad rubricas sacrificii missae pertinent.

[4] Eccli 45, 1; cf. 1 Mach 3, 7.

tarius, nostro[a] dictj Vicarij consensu et permissione, praesentib. testib. infra nominatis, relationem scripto excepit, et in hanc quae sequitur formulam redegit.

Primo[b] spectatae integritatis pietatis et prudentiae Vir D. Wilhelmus Krumenstol[c] inter primarios Senator[d] [1], aetatis annum septuagesimum primum agens. Qui[e] affirmauit, et per propriae futurae salutis spem, sancte testificatus est, dum circa biennium ante obitum eiusdem R. Patris Canisij[2] in celebre Monasterium Altaeripae[3] unius horae itinere ab urbe distans, R. D. Abbati coloni cuiusdam sui negotium commendaturus, sese contulisset eques et in reditu comitem a ponte Glanae riui[4] recta domum in uillam de onens tendere iussisset, ipse uero solus circa brumale solstitium[5] pergeret, ad Vrbem, et Sacellum S. Antonij prope hospitalis fundum[6], iam obscura nocte, et tenebris circumfusus, attigisset. Equum quo uehebatur non satis ualidum coeno immersum concidisse, et corruisse, ipsum uero crure sub[f] equo haerente diu luctasse[g] et frustra diuersa conatum fuisse quomodo sese inde extricaret. Tandem postquam diuinum implorasset auxilium, et patronorum suorum intercessionem, inter quos praenominatus R. Pater Canisius etiam uiuus in honore ipsi habitus ut omnipotens ipsius Patris Canisij intuitu et meritis se inde expedire et liberare dignaretur, factum esse ut ocreis cum calcaribus sub equo remanentibus, et luto immersis, ipse pede liber euaderet, et jllesus equum etiam extraheret, et reliquum itineris sine impedimento conficeret. Post quinque dies uero adiens eundem R. Patrem alias ob causas, cum neminj eorum quae ipsi contigerant mentionem fecisset, quod ad eiusdem Patris notitiam peruenire[h] potuisset, Patrem Canisium vltro et per se quaesiuisse, ab eodem D. Krumenstoll, quid ipsi ante triduum[i] uespere, Prope Capellam S. Anthonij accidisset. Tum ipsum quasi ingratitudinis conuictum pudore perfusum confessum esse, et[k] gratias eidem R. Patri egisse: quod suis meritis periculum euasisset. Ad quae Pater illum bono animo esse, et supra narrata secreta seruare iussit. Interfuere[l] praesentes huic narrationi[m] Dominus Pancratius Python olim Tercentenarius Dux in Belgio, et Vlricus Burgknecht, hospitalis Maioris D. Virginis scriba, vterque Ciuis Frijburgensis, die Mercurij quae erat vltima Martij Anno a salutifero partu M. D. XCIX.

a) nostri *B C*. b) *Hoc v. et quae sequuntur, usque ad* Wilhelmus *excl., non sunt in B C*. c) Krumenstoll *B C*. d) Senatus *B C*. e) *Hoc v. non est in C*. f) ab *B C*. g) luctatum *B C*. h) notionem peruenisse *B*. i) ante hos dies *B C*. k) confestim pudore perfusum esse, et *B C*. l) Interfuerunt *C*. m) relationi *B C*.

[1] Guilielmus Krummenstoll a. 1575 scholarcha factus, a. 1578 et 1579 tribunus plebis fuit; a. 1580 in senatum minorem, penes quem administratio reipublicae erat, lectus est, in quo etiam capituli S. Nicolai et Patrum Minorum Conventualium curatorem egit; mortuus est a. 1609 (*Fontaine*, Notice 59).

[2] Canisius mortuus est d. 21. Decembris 1597.

[3] Hauterive, Altenryff, ordinis cisterciensis. [4] La Glane.

[5] Circa d. 21. Decembris.

[6] Hoc S. Antonii abbatis sacellum a. 1799 destructum est (*Dellion* V 455).

Sequenti die prima[a] Aprilis eiusdem anni. Testib: expresse uocatis Petro Perret Notario et Joachimo Schnell[b] organista ueteri etiam ciuib. ibidem. Nobilis et honesta Matrona Barbara Misselo Domini Christoffori Reijff[c] Senatoris Friburgensis et Domini in Mides, Vilarsel, et Mesiere[1], uxor aetatis circiter quinquagesimum annum agens, sancte affirmauit, et bona fide. Cum[d] eius Maritus in Vico, cui Paruus Paradysus nomen[e] est[2], equo in terram prolapsus hoc casu ingentes dolores per sex menses perpessus esset, ut quandoque integros dies decumbere cogeretur[f], alias uero dum negotia curaret, difficulter respirare posset. Et quidquid hoc dimidiatj anni spatio tentasset diuersis medicamentis nihil perfecisset [?][g], et anxia esset ne propter offensas intrinsecas partes, ad alia extrema secationis remedia recurrendum esset, accidisse paucis dieb. post quam R. P. Canisius sepulturae mandaretur[h], vt ante ipsius fossam genib. prouoluta DEj opem pro Marito aegro efflagitaret[i]. Et dicti reuerendi Patris (de cuius uitae sanctimonia multa cognouerat) meritis et intercessione[k] incolumitatem eius commendaret. Postea[l] domum ex templo reuersa[m], Maritus hilaris et gratulabundus statim eam allocutus[n] omnes dolores sedatos seque integrae ualetudini restitutum, vt amplius difficultates priores nequaquam sentiret. Ex quo ipsam certo cognouisse, et credere. Siquidem Maritus ipso tempore imploratae opis Boni Patris sine vlla naturali apparente causa conualuisset: quod ope et suffragiis eiusdem R. Patris tantum hoc beneficium a Deo impetrasset. Jn quorum omnium fidem et robur, [nos][o] Praedictus Vicarius sigillj nostri[p] appositione haec praecedentia fide digna testimonia, iuxta Notarij Cheirographum confirmauimus.

[Antonius a Montenach][q].

In relatione, quam supra dixi, hoc quoque affirmatur: „Antonium a Montenach tunc quidem archigrammateum, at nunc Tribunum urbis Friburgensis iuramento interposito testificatum esse, se illa duo iam scripta miracula fidelibus literis consignasse“; item „Pancratium Python Senatorem hoc tempore et Generalem Commissarium huius Reip. adhibito iureiurando asseuerasse prius miraculum eodem plane modo tunc relatum fuisse, quo supra descriptum legitur“ (l. c. f. 4[a]).

Verronius quoque in suo de Canisii vita commentario utrumque prodigium descripsit; v. infra, mon. 1621.

Praeterea testimonii, quod in processu beatificationis Canisii a. 1627 Friburgi instituto *Michael Faber* civis friburgensis dixit, apographo a P. Petro Hugone S. J. († 1657) scripto manu ignota, sed certe antiqua (?) additum est: Faber „testatur etiam se scire miraculum factum prope sacellum B. Anthonij, de praeseruatione Domini Krumenstoll; id se scire ex relatione plurimorum fide dignorum, et praesertim ex domesticis praefati Domini Krumenstoll“ (Can. 63 f. 130[a]).

a) primo *BC*. b) *Ita BC; A:* Schel. c) Christophori Reiff *BC*. d) dum *BC*. e) *Hoc deest in B*. f) decumberet *BC*. g) *Vel* profecisset, *quod est in BC*. h) mandatus esset *BC*. i) *Quae sequuntur, usque ad* meritis *excl., in B desunt*. k) intercessioni *BC*. l) *In C sequitur* cum. m) *In C sequitur* esset. n) allocutam *A;* colloquutam *B;* maritum hilarem et gratulabundum statim eam allocutum fuisse *C*. o) *Hoc suppletum est ex BC*. p) sigilli nostrae Praepositurae *BC*. q) *Haec suppleta sunt ex BC*.

[1] *Raderus* de Reiffio „Sociorum amantissimo“ scripsit a. 1614: „Iam nunc etiam saluus sanusque ac gratus, memorque beneficio Canisij fruitur“ (p. 253).

[2] Etiamnunc via illa forumque urbis friburgensis „Petit Paradis“ vocantur.

Praesto est P. *Martini Licii* S. J., qui a. 1597—1607 collegii friburgensis rector fuit. "narratio usque adhuc, quod sciam, ignota. Hic Ingolstadio 17. Decembris 1609 P. Ferdinando Alber Aquavivae praepositi generalis assistenti scripsit: „Contigit quod referam D. Wilhelmo Krommenstoll Senatori Friburgensi septuagenario, sicut ipse mihi et 3bus alijs personis ad hoc uocatis retulit: contigit autem, cum ex vicina sua villa eques rediret domum · Ignorante Domino, equus caudam spinis intricauerat, cumque muscas abigendo, sibi ipsi semper molestus esset, eo tandem impatientiae venit, ut e sella sessorem vno impetu excusserit, et in praesens vitae periculum adduxerit. Trahebatur reliquum corpus a currente equo, cum interim pes alter inhaereret stapete, ex qua[a] se nullo modo liberare poterat. Quid miser praesente nemine? Memor D. Nicolaj, memor et P. Canisij in eius templo sepulti, implorat opem vtriusque, quam et statim sensit. Equus enim derepente substitit, et tam diu, dum diuina prouidentia uir quidam honestus adueniens bonum senem ab equo liberat. Miraculi instar, fractum nihil, laesum nihil" ex autogr.: Germ. 184 f. 168[a]. Hoc igitur secundum beneficium Krummenstollio a Canisio collatum est.

1549. Circa a. 1590—1597.

Ex processus a. 1625 Friburgi instituti monumento archetypo, de quo supra p. 852, f. 13., et ex relatione de processu friburgensi anni 1627: quae est in „*Positione*" a. 1734, Summ. p. 30—33. Factum hoc ex „Positione" descripsit *Michel* 411—412.

Canisius Friburgi virum graviter afflictum miro modo solatur eique rem quandam praedicit.

In processu beatificationis Canisii 29. et 30. Decembris 1625 Friburgi Helvetiorum instituto „sancte testatus est Reuerendus Dominus *Wilhelmus Lutenschlagerus*, Protonotarius Apostolicus etc. saepissime se audiuisse ex parente suo Domino Fridolino Lutenschlagero bonae memoriae, matrem ibidem suam nomine Margaretham, cum olim esset proxima partui et forte de quopiam delicto grauius obiurgasset ancillam, petulantiore impulsu deiectam fuisse ab eadem ancilla per scalas domesticas, ita ut humi uelut exanimis iaceret. Accurrisse proinde confestim eundem Dominum parentem suum ad R. P. Petrum Canisium tanquam ueterem amicum, et communem conscientiae moderatorem, siue ut apud illum quereretur de iniuria, siue potius ut ipsum adduceret opis spiritualis gratia ad moribundam coniugem. At P. Canisium uix pauca profatum imperasse uti secum aliquantisper Deum oraret, tum iussisse hominem bono esse animo, saluam enim et incolumem esse foeminam, iamque ei peperisse aut mox parituram masculam prolem. Et ueram fuisse denuntiationem, simul ac domum redijsset, laetum nec sine admiratione reipsa comperisse eundem Dominum suum parentem."

Idem iisdem verbis testatus est *Lautenschlager* Friburgi in processu anni 1627. In quo haec quoque de eo a notario, qui testimonia notavit, relata sunt: „Miraculo adscribit, quod Parenti suo, qui magna Reuerendi Patris Canisij consuetudine vtebatur, et multa ab eodem sibi dictata calamo, velut amanuensis exceperat, de se puero praedixerit, Sacerdotem, et Concionatorem futurum. Id eundem suum Deponentis Parentem, cum praedictio recens impleta esset, laetum testatum esse, dixisseque quae de filio vaticinatus sit Reuerendus Pater Canisius, nunc re ipsa

a) stapete *a Licio in margine additum est. Corrigendumne* stapede, ex quo?

se videre magno suo solatio euenisse." Lautenschlager Friburgi in aede S. Nicolai, quae urbis ecclesia praecipua est, aliquamdiu contionatoris officium administraverat.

1550. Circa initium a. 1595.

Canisio a Guilielmo V. Bavariae duce calix argenteus et alia ad sacram supellectilem pertinentia donantur.

Canisius in litteris Friburgo 8. Maii 1595 Monachium ad P. Ioannem Heidelberger S. J. missis: „Altaris ornamenta", inquit, „quae nobis gratiose donauit Sereniss. Princeps, Constantiae multo iam tempore asseruantur: nescio quando huc adferenda" (v. supra p. 394). Atque in * *Litteris* annuis collegii friburgensis, Friburgo 25. Novembris 1595 datis, de eodem Guilielmo V. Bavariae duce narratur: „Serenissimi Bauariae Ducis, Guilielmi beneficentia, ad nos usque penetrauit. Accepimus etenim supellectilem sacram, quam Reuerendo Patri Canisio, Pius Princeps dono misit, amplissimam" (ex apogr. eiusdem fere temporis. Cod. „I. 36" f. 67ᵃ). Accuratius etiam Guilielmi factum commemoravit *Ignatius Agricola S. J.*: „Cum rumor, quam res animorum prospere a Sociis ageretur Friburgi, usque in Bojariam pervagatus, ad Guilielmi Principis aures fuisset delatus; multum Nostris gratulatus, gavisusque ternas ornandis ad Aram litaturis Sacerdotibus vestes, terna contegendis Altaribus pallia, Calicemque argenteum pretio, quod Principem deceat, confectum misit": Historia Provinciae Societatis Jesu Germaniae Superioris, Pars secunda, Augustae Vindelicorum 1729. n. 453. Equidem tamen conicio, Guilielmum V. hoc dono inprimis gratiam referre voluisse pro vita SS. Mauritii et Ursi, quam a se editam Canisius a. 1594 ei miserat; v. supra p. 380.

Die 17. Augusti 1741, cum Friburgi processus apostolicus beatificationis Canisii ageretur, iudices ingressi sunt in archivum collegii, „ubi asseruantur memoriae, et res Venerabilis Serui Dei Petri Canisij", ibique, praeter alia, repertus est „Calix argenteus cum patena, sculpta est in ejus pede simplex Crux, et supra eam Annus numeralis" 1583: „utrimque sunt insignia Wilhelmi Ducis Bauariae, et Renatae Coniugis, a quibus donatus fuit eidem Venerabili Patri Canisio" (ex processus apographo, notarii testimonio munito: Cod. „S.R.C. Lausan. V.S.D. P. Canisii. P. II. Copia Proc. rem. et comp. apost. sup. virt. et mirac. in specie" f. 1644ᵇ—1646ᵃ). Possit quidem aliquis ex anno 1583, qui nunc quoque in calice illo inter insignia bavarica et lotharingica (Renatae, filiae ducis Lotharingiae) clare apparet, suspicari, calicem non a. 1595, sed 1583 Friburgensibus donatum esse; sed in * *Litteris* annuis collegii friburgensis sub exitum a. 1583 datis recensentur quidem res collegio eo anno donatae, velut „Casula una", „Antependium", „strophiola", „substratorium in usum altaris", alia, neque tamen calicis ulla fit mentio (Cod. „I. 36" f. 15ᵃ). Equidem conicio, Guilielmum et Renatam pro sua pietate hunc calicem faciendum curasse a. 1583 ad gratias Deo

referendas pro Alberto filio d. 18. Aprilis huius anni ex iis nato (*Aretin*, I 350).

Calix ille in collegio friburgensi integer servatus est usque ad annum 1847. Tunc vero in bello illo civili Helvetiorum („Sonderbundskrieg"), urbe friburgensi per adversarios catholicorum occupata, factum est — utrum furto an casu aliquo, incertum —, ut eius pars superior ex argento confecta amitteretur[1]. Postea vero calicis pes ille, qui penes Societatem remansit, ita completus et refectus est, ut iterum calix sit integer. Qui nunc in domo tertiae probationis Societatis Iesu exatensi (Exaten in Hollandia) asservatur. Margini inferiori pedis eius haec sunt insculpta: „† Hunc calicem B. Petro Canisio sacrum cuius pes — amissa anno 1847 cuppa — inter Beati reliquias feliciter servatus est, in honorem ejusdem venerandi Parentis a. 1885 restauravit exornavitque Provincia Germaniae Soc. Jesu."

In eadem domo exatensi servatur Christi cruci affixi simulacrum, cuius crux lignea est, corpus autem Christi videtur esse eburneum. In huius simulacri parte inferiore manu saeculi XIX. (P. Ioseph Esseivae?) haec scripta sunt: „Dieses Crucifix stammt angeblich vom sel. P. Canisius her." Eratne haec pars „sacrae supellectilis" a Guilielmo V. Canisio donatae?

1551. 1595.

Aroviae (Aarau) in Helvetia servatur in bibliotheca publica „Petri Canisii Summa doctrinae christianae. Venetiis 1595. 12°". Ita „Fach-Katalog der aargauischen Kantonsbibliothek. Von *Herm. Brunnhofer*. 2. Bd., Aarau 1887, p. 85. *Sommervogel* hanc editionem non posuit.

1552. 1595.

Canisii Catechismus minor editur flamice (cum opusculo B. Io. de Avila) Antverpiae, latine Duaci, graecolatine (per P. Georgium Mayr) Ingolstadii, germanice (cum additionibus) in monasterio Thierhaupten, „abbreviatus" Venetiis, in versus germanicos transfusus (per Betulanum) Constantiae.

1. „Christelijke Regeln eertyds ghemaeckt deur den eerweerdigen Heere M. Jan de Avila. Met eenen cleynen catechismus des eerw. V. Canisius S. J. Ende verscheyden Litanien tot behulp des Catholijcken Leghers. T' Antwerpen, in de Plantynsche Druckerye. 1595, in 18°": Ita ex „Catal. Kockx n. 285" *M. A. H. Willemsen*, De Werken van Wilhelmus Lindanus (. Roermond 1899. 72³ (Limburg's Jaarboek I II). *De Backer* III 2054 et ex eo *Sommervogel* II 650 hunc titulum minus accurate ponunt et librum in 32° editum esse ac pp. 35 habere dicunt. Avilae „regulae" illae cum inscriptione „Audi fili" sive „De los males lenguages del Mundo, Demonio, y Carne" hispanice Compluti 1577 et 1581 editae erant (*Nic. Antonius*, Bibliotheca hispana nova I, Matriti 1783, 641).

2. „INSTITVTIO- NES CHRI- STIANÆ PIE- TATIS, SEV PARVVS CA- TECHISMVS CATHOLI- corum. Auctore Petro Canisio Sicietatis *[sic]* Iesv Theologo. *Preces horariæ de æterna Dei sapientia.* | DVACI, Ex officina Baltasaris Belleri, sub Circino aureo. An. 1595."

16°; pp. signatae 192, et fol. titulare. Liber neque praefationem neque indicem rerum habet. P. 1—58 catechismus. Sequuntur testimonia Sacrae Scripturae contra haereticos, preces horariae, meditationes cotidianae de virtutibus Christi, S. Thomae

[1] *O. Pfülf* S. J., Die Anfänge der deutschen Provinz der neu erstandenen Gesellschaft Jesu und ihr Wirken in der Schweiz 1805—1847. Freiburg i. Br. 1922. 456.

Aquinatis orationes „Creator ineffabilis" et „Concede mihi quaeso omnipotens", preces matutinae et vespertinae, preces ante scholam dicendae. Librum vidi Vindobonae in bibliotheca palatina (8 M 147). Eum commemorat *Sommervogel* II 638.

3. „PETRI CANISII SOCIETATIS IESV THEOLOGI CATECHISMVS Græcolatinus. *NVNC PRIMVM IN GRATIAM STVDIOSÆ iuuentutis opera cuiusdem*[1] *ex ea- dem* SOCIETATE *editus*[2]. Cum gratia & priuilegio Cæs. Mai. *INGOLSTADII*, Ex Officina Dauidis Sartorij. *Anno M. D. XCV.*"

12°: paginae numeris signatae 117; accedit folium titulare et in extremo libro 1 fol. non sign. In pagina altera folii titularis comparet imago nominis Iesu nubibus cincta, cum duobus angelis in genua provolutis instrumentaque passionis Christi tenentibus. In p. 1 bina disticha graeca et latina „in sacrosanctum nomen Iesu". P. 2—3 praefatio, cui neque auctoris nomen, neque tempus ascriptum est. In ea affirmatur, versionem hanc graecam eo factam esse consilio, „vt adolescentum pietatem . . . iucundiorem, atque, si fieri posset, vtiliorem redderemus. Non solum enim vtriusque linguae quasi alterna varietate recreabuntur, sed ea etiam citius firmiusque discent Graece, quae iam ante Latine didicerunt". Ideo curatum esse, ut in versione, quantum fieri posset, verba verbis redderentur, ita ut paene unicuique verbo latino responderet graecum e regione eius positum. Unicuique igitur paginae graecae contraria est pagina latina, cuius verba latina illius verbis graecis respondent. Versus est autem catechismus Canisii medius, sive Parvus Catechismus Catholicorum.

Haec est prima ex plurimis editionibus catechismi canisiani graecolatini, quem edidit P. *Georgius Mayr* (Mayer, Mair) S. J., qui a. 1594 et 1595 Ingolstadii erat professor linguae hebraicae, praefectus studiorum gymnasii, contionator in aula scholarum (* *Catalogi* ingolstadienses a. 1594 et 1595, G. Sup. 44 f. 93[a] 101[a]).

Mayr, circa a. 1564 in oppido Rain Bavariae superioris natus, a. 1583 Societatem Iesu ingressus, a. 1623 Romae mortuus, multos libros pios edidit graecolatinos, velut Thomae a Kempis Imitationem Christi. Institutiones quoque linguae hebraicae composuit et Canisii catechismum minorem hebraice reddidit. Eundem catechismum plus quam 100 imaginibus ligno incisis expressit, quae deinde etiam catechismis Bellarmini italico, Ripaldae hispanico, Marci Jorges lusitanico illustrandis adhibitae sunt. De eius scriptis v. *Sommervogel* V 809—818. Librum vidi circa a. 1892 Lovanii in bibliotheca universitatis (Theol. Sup. 266 n. 2). Vidi eum Monachii quoque in bibliotheca universitatis (Theol. past. 979). Qui exstat etiam Matriti in bibliotheca nationali, item Parisiis in bibliotheca nationali (D. 27 764). *Sommervogel* eum posuit V 809—810.

4. „Petri Canisii Catholische Fragstück über den gantzen Kleinen Catechismum. Item Ausslegung der Ceremonien bey der H. Mess, von dem Psalter oder Rosenkrantz unser lieben Frauwen. Thierhaupten, 1595, 8°": Ita *De Backer* I 1061 et ex eo Sommervogel II 644. De typographia monasterii benedictini Thierhaupten v. supra p. 846.

5. „INSTITVTIONES CHRISTIANAE PIETATIS, Siue abbreuiatus Catechismus Petri Canisij Theolo- gi Societatis IESV. VENETIIS, Apud Dominicum de Farris. MDXCV."

12°: ff. signata 38, addito titulari; in fine libri 2 ff. non sign. Positus est Canisii „Parvus Catechismus Catholicorum", sed ita, ut non distinguatur per quaestiones et responsiones. In duobus foliis ultimis „Diffinitiones omnes quae in hac doctrina Christiana continentur". Ceterum cf. supra p. 771. Librum vidi Eystadii (Eichstätt) in bibliotheca studiorum (E II 264). Idem est Tubingae in bibliotheca universitatis. Eum posuit *Sommervogel* II 638.

[1] Ita perspicue exemplum lovaniense, de quo infra dicetur. In exemplo monacensi, de quo infra, ex „cuiusdem" atramento correctum est „cuiusdam".

[2] Haud recte scribit *Ch. Daniel* S. J., catechismi huius versionem graecam a Canisio ipso factam esse (Des études classiques dans la société chrétienne. Paris 1853, 115).

6. Magister *Wolfgangus Betulanus* parochus pfullendorfensis (Pfullendorf, tunc urbs libera imperii, nunc urbs badensis) a. 1595 Canisii Catechismum Parvum Catholicorum edidit in versus germanicos transfusum: „Der Catholische Catechismus, oder Kinder- lehr Reimweiß gestellet: | Durch, den Ehrwürdigen Herren M. Wolfigangum Betulanum Pfarr- herren zu Pfullendorff. Getruckt zu Constantz am Bo- | densee, bey Leonhart Straub. Im Jahr, 1595."

8° min: ff. 28 non signata (addito titulari). In pagina aversa folii titularis Betulani litterae dedicatoriae ad consulem et senatum pfullendorfensem; f. A 2 praefatio; in 3 paginis ultimis carmina precatoria. In praefatione haec dicuntur:

„Der Eylspiegel gfeldt manchem wol.
Darzu der Hörne Sewfrid toll.
Auch der Pfarherr am Kallenberg.
Vnd vil dergleichen Fabelwerck.
Kein Fabel bring ich auff den blan.
Sonder was Gott von vns will han.
Vnd was der Seelen heil betrifft.
Wie vns lehret die Heilig Schrifft.
Vnd die Christliche Kirch so fein.
Der wir sollen gehorsam sein."

En exemplum versuum Betulani:

„Was ist der Glaub?
Der Glaub der ist ein Liecht vnd Gab.
Die kompt von Gott oben herab.
Welcher erleucht das finster Hertz.
Das es annimpt ohn allen schertz.
Vnnd glaubt vest alles was fürhelt
Gott, durch die Kirchen außerwehlt.
Wanns schon nit in der Bibel gschriben.
Sonder sonst in der Kirch ist bliben" (f. A III[a]).

Librum vidi Friburgi Brisgoviae in bibliotheca universitatis (35, 305). Qui exstat etiam Dilingae in bibliotheca ruralis capituli dilingani. *Sommervogel* eum non posuit. *Fr. X. Thalhofer* de hoc libro scribit: „Eine vorzügliche Bearbeitung des kleinen Katechismus. . . . Die Verse sind gut, die Treue der Übersetzung vollständig gewahrt": Entwicklung des katholischen Katechismus in Deutschland von Canisius bis Deharbe. Freiburg i. Br. 1899. 64.

1553. 1595.

Canisii liber precum cum eius catechismo minimo Dilingae iterum editur.

„Bettbůch vnd Catechismus. Nach rechter Catholischer form vnd weyß, jetzt zum öfftern mahl im Truck außgangen. Durch Petrum Canisium der H. Schrifft Doctor r. Letzlich gemehrt vnd vast gebessert. Mit Röm. Kay. May. Freyheit. Getruckt zů Dilingen, durch Joannem Mayer. 1595". Versus 1. 3. 8. 12. 13 et verba „Doctor r" rubra sunt.

8° min.: ff. sign. 391. non sign. in initio 46 (addito titulari) et in fine 10. Catechismus, isque minimus, est f. C 2[b]—D 7[a]. Reliqua in hac editione eodem modo se habent atque in editione anni 1590 (v. supra p. 806), nisi quod nonnulla verba paullo aliter scripta sunt. Editionem vidi Oeniponte in monasterio Ordinis Servorum B. Mariae Virginis (XII 262). Eam commemorat *Sommervogel* II 628.

1554. 1595.

Meditationes precesque catechismo Canisii adiunctae in monasterio Thierhaupten separatim eduntur.

„KVrtze vnd andächtige Betrachtung auff alle Tag die gantze Wochen vber, sampt angehengten Gebetlin deß Herrn Canisij, etc. im Closter zu Thierhaupten (in

16. 1595": Ita „*Catalogus novus* Nundinarum vernalium, Francoforti ad Moenum, anno M. D. XCVI. celebratarum, eorum scilicet librorum, qui . . . his Nundinis venales fuerunt expositi; qui plerique apud Thobiam Lutz, Ciuem et Bibliopolam Augustanum venales habentur". Franckfort am Mayn [1596] f. T iij[a]. Dubitari vix potest, quin significentur „meditationes quotidianae de virtutibus Christi", quae una cum variis orationibus, ut precibus matutinis et vespertinis, precibus ante scholam recitandis etc., saepissime Canisii „Parvo Catechismo Catholicorum" addebantur: cf. supra p. 560. 659. De benedictino illo monasterio Thierhaupten cf. supra p. 805. 816.

Librum minus accurate posuit *Sommervogel* II 681.

1555. 1595.

„MANVALE CATHOLICORVM, IN VSVM PIE PRECANDI COLLECTVM A R. P. *Petro Canisio, Societatis Iesu Doctore Theologo.* ANTVERPIÆ, EX OFFICINA PLANTINIANA. Apud Viduam, & Ioannem Moretum. M. D. XCV."

16°: pp. sign. 320 addito fol. titul.; praeterea ff. non sign. in fine 6. P. 3—8 Canisii litterae dedicatoriae ad Philippum Bavariae principem a. 1587 datae; p. 9 imago Christi cruci affixi ligno incisa; p. 10—26 kalendarium. In fine libri f. X[a] ad [X 4[a]] Index precationum; f. [X 6] „Approbatio" Antverpiae 28. Ianuarii 1588 a D. Henrico Dunghen, Dr. theol. et canonico cathedralis ecclesiae, data, atque „Summa Privilegii" Bruxellis 16. Maii 1591 Ioanni Moreto pro hoc Manuali dati. Libellus 20 fere imagunculas ligno incisas habet, quae dimidias fere paginas occupant. Vidi libri exemplum, quod est Aroviae (Aarau in Helvetia) in bibliothesa cantonali (Mc 199). Librum brevissime memorat *Sommervogel* II 677.

1556. 1595.

„*NOTÆ* IN EVANGELI-CAS LECTIONES, QVAE PER TOTVM ANNVM DOMI-NICIS DIEBVS IN ECCLESIA CATHOLICA RECITANTVR. *OPVS AD PIE MEDITANDVM ac simul ad precandum* DEVM *accommo-datum, & nunc primum in lucem editum.* *AVTHORE* R. P. PETRO CANISIO SOCIETATIS IESV Doctore Theologo. *Cum peculiari Priuilegio Sac. Cæs. Maiest. ad decennium.* FRIBVRGI HELVETIORVM. Ex officina Typographica Abrahami Gemperlini. *Anno M. D. XCV.*" In extremo libro: „FRIBVRGI BRISGOIÆ, *Excudebat Martinus Böcklerus, impensis Abrahami Gemperlini, [sic] Anno M. D. XCV.*"

4°: pp. numeris signatae 1194; praeterea ff. non sign. in initio 8 addito titulari et in fine 10. In pagina aversa folii titularis privilegium Gemperlino a caesare datum 25. Martii 1589, ut in editione anni 1591. Sequuntur litterae dedicatoriae, approbatio et commendatio libri, index dierum dominicorum, præfatio; quae omnia sunt eadem atque illa, quae in editione anni 1591 leguntur, praeterquam quod litteris dedicatoriis ascriptum est tantum: „Datum Friburgi Heluetiorum". In extremo libro index rerum alphabeticus et errata. Haec non est editio illa recognita, quam Canisius a. 1594 praeparavit; v. supra p. 381. De Böcklero v. supra p. 382.

Friburgi Helvetiorum in bibliotheca Patrum Minorum Conventualium vidi huius libri exemplum, quod a Canisio Sebastiano Verronio decano capituli S. Nicolai friburgensis donatum esse Verronius ipse in folio titulari notavit. Liber exstat etiam Fuldae in bibliotheca provinciae, Argentorati in bibliotheca seminarii maioris (SLa), Holmiae (Stockholm) in bibliotheca regia. *Sommervogel* hanc editionem non posuit.

1557. 1595.

Canisius in Hasenmülleri „Iesuitico Ieiunio" conviciis afficitur.

Francofurti ad Moenum a. 1595 editus est liber: „Iesuiticum Ieiunium: sive Commemoratio historica de Iesuitarum ieiunio, et exercitiis, quibus Quadragesimae temporibus se suosque exercere, et corpora sua mortificare solent. Scripta a M. *Elia Hasenmullero* Araeflavino.

Edita a *Polycarpo Lysero* S. Theologiae D. et aulae Saxonicae Dresdae ecclesiaste primario, ad aucupandam gratiam et favorem Iesuitarum." In hoc opere, p. 83—84, haec dicuntur: „Canisius, ex idolomania pontificia factus Iesuita impurus, in suo Germanico Catechismo, Dilingae impresso Anno 82 nugatur: ‚Warumb wird neben dem Vatter vnser der Engelische Gruss gesprochen? Darumb damit vnser Gebett im Vatter vnser desto krefftiger sey, wenn wir Christum vnsern HERRN, vnnd seinen heylwertigen Namen darbey melden, auch Gott in seiner lieben wehrten Mutter loben, vnd durch sie die Göttliche Gnade begehren.' Quibus blasphemis et idololatricis verbis Caninus ille doctor, vel potius Cerberus infernalis, orationi dominicae omnem ἐνέργειαν adimit, et salutationi angelicae (quae tamen oratio non est, quid enim in illa homo petit aut deprecatur?)[1] ascribit. Quia autem Christus aperte dicit: ‚Ad hunc ergo modum orate vos, Pater noster', et iterum, ‚cum oratis, dicite Pater noster'[2], neque adjunxit ‚Ave Maria', nos Iesu, non Anti-Iesuitis credimus."

Elias Hasenmüller, a. 1582 Landsbergae in Societatem admissus, deinde per breve tempus Romae versatus, Landsberga, biennio tirocinii nondum expleto, Augustam ad Lutheranos aufugerat. Eo anno 1587 mortuo, a. 1593 et 1594 Polycarpus Leyser eius „Historiam Jesuitici ordinis" a se amplificatam edidit, quam brevi post et Petrus Stevartius universitatis ingolstadiensis procancellarius, et Iacobus Gretserus S. J. refutarunt, quamque fabulis et nugis plenam esse nunc acatholici quoque fatentur (*Agricola* II n. 217—221; *Duhr*, Jes. I 836—838). Similiter sordibus et calumniis abundat opus de „Iesuitico Ieiunio".

1558. 14. Septembris 1595.

Ex autographo. Can. 50. II f. 68[b]. Eius summam germanice posuit *Riess* 516—517. Eodem usus est *Raderus*, Can. 213.

Canisii proposita ad orandum, legendum, litteris studendum, loquendum etc. spectantia.

A festo exaltatae Crucis[3] 1595.

Post coenam[b] parce sumptam praelegere meditationem sequenti die habendam. 2 Martyrologium 3 caput ex Alberto[4] uel aliquid spirituale Latine aut Jtalice.

Surgere hora 4 uel 5 cum certa meditatione.

Reuocare in memoriam puncta praeparatoria etc.

Post meditationem prima[5] recitetur cum alijs precibus usque ad sacrum[6] et deinceps. Addi potest Litania de domina nostra, uel communis alia[7].

a) *Quattuor vv. sqq. in margine paginae posita sunt.* b) *Duo vv. sqq. a C. supra versum scripta sunt.*

[1] De antiqua illa et breviore „Salutationis angelicae" forma v. *Can.* II 853.

[2] In margine: „Matth. 6. Luc. 11."

[3] Die 14. Septembris.

[4] Ex Beato Alberto Magno O. Pr. A Canisio lectum esse „Paradisum Animae" sive „De Virtutibus" libellum, qui tunc Alberto attribuebatur, valde probabile est: v. infra, monum. 1564.

[5] Hora canonica, quae „Prima" vocatur et preces matutinas continet.

[6] Missae sacrificium.

[7] Litaniae vel lauretanae vel Omnium Sanctorum cf. *Can.* IV 1018; V 279—280.

Studium sit 2 horarum in scriptis antiquis repetendis post Catechismum [1].

A prandio alternatis diebus legantur psalmi Graduales et [a] Litania communis, quae fer. 2. 4 et 6 adiunctos habeat 7 psalmos poenitentiales.

Vna detur [b] tertio quoque die hora legendis Constitut. uel regulis. Diebus festis dicantur horae de aeterna sapientia. Rosarium christi [2], pro philippinis Salue regina et nouies Aue pro conuersione Jndiarum. Jtem pro felici statu Ecclesiae 5 Pater noster cum Gloria patri ad Jndulgentias stationum lucrifaciendas [3].

Sit maior ad loquendum et agendum praemeditatio, mentisque collectio tempore prandij et coene, ut de 4 nouissimis.

Psalmus De profundis uel Miserere, aut hymnum Aue maris stella [c] ad recitandas Jndulgentias Senibus concessas [4].

Probabile est, Canisium haec, cum „exercitiis spiritualibus" S. Ignatii vacaret, sibi proposuisse.

1559. 26. Octobris 1595.

Ex autographo; Germ. 175 f. 199[a]—202[a]. Complura ex eo germanice reddidit *Duhr*, Jes. I 230—231. Particulam posui germanice in „Petrus Canisius" 283.

Collegium friburgense a P. Hoffaeo visitatum: Habitatio insalubris. Aedificatio collegii magnifici. Senatus benevolentia. Rei familiaris angustiae. Spes fructus. Difficultas commercii. Disciplina damnum passa. Rector. Juventus ferox. Sodalitatum marianarum pietas. Desiderium scholae rhetoricae.

a) *Hoc v. a C. supra versum scriptum est.* b) *Tria vv. sqq.* a *C. supra versum scripta sunt.* c) *Sic C. correxit ex* aut Ant. Salue.

[1] Canisius ad mortem usque assiduus erat in catechismi sui editionibus perpoliendis (*Braunsberger*, Katechismen 111—112).

[2] Hoc rosarium ita se habet: Recitantur 33 orationes dominicae in memoriam et honorem 33 annorum, quos Christus in hac vita mortali peregit; adduntur 5 salutationes angelicae ad quinque vulnera eius honoranda et symbolum apostolicum in honorem Sanctorum Apostolorum. Haec omnia dum ore dicuntur, animus in vita et passione Christi considerandis versatur. Haec precandi ratio initio saeculi XVI. a Beato Michaele Pini, monacho camaldulensi, instituta et divulgata est (*Fr. Beringer* S. J. et *Jos. Hilgers* S. J., Die Ablässe I [14] 448).

[3] Indulgentias stationum primum quidem ii soli consequebantur, qui statis diebus ecclesias quasdam urbis romanae Sanctorum memoriis venerabiles pie adibant. Deinde pontifices eas illis quoque, qui id praestare non poterant, sodalibus maxime ordinum religiosorum, certis cum condicionibus concesserunt. „Stationum Indulgentias consequuntur Nostri visitando aliquam Societatis Ecclesiam, vel aliam in qua pro tempore ex Obedientia esse contigerit, si inibi ante illius altare maius quinquies orationem Dominicam, et toties salutationem Angelicam deuote dixerint, vt concessum est Minimis per Iul. II." etc. „Omnia priuilegia, etiam speciali nota digna . . . indulgentiae . . . concessa, seu concedenda quibusuis ordinibus Fratrum, et Sororum Mendicantium . . . conceduntur Praeposito, ac omnibus Societatis personis, Domibus, ac Collegijs non solum ad illorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter. Pius V.": *Breve Compendium Privilegiorum* et Gratiarum Societatis Iesu, Romae 1586, 18—19 43.

[4] „Infirmi, ac senes in decrepita aetate constituti eandem [indulgentiam plenariam] consequentur dicendo vnum psalmum, vel hymnum virginis, vel Domini nostri. Concessit Leo X. vt in Supp. Minor." etc.: *Breve Compendium* [ut supra, adnot. 3] 46.

P. *Paulus Hoffaeus* ab Aquaviva praeposito generali Societatis in provinciam Germaniae superioris visitator missus huic Friburgo Helvetiorum 26. Octobris 1595 scripsit: „Visitationem Collegij Friburgensis Christo adiuuante absoluj spacio quinque hebdomadarum minime ociosus, et intra quatriduum cogito Lucernam. Coepit superioribus diebus pestis nonnihil hic et in vicinis locis pullulare, at speratur nil magni periculi futurum: commendo tamen R. P. V. precibus Collegij huius salutem: cuius habitatio est angusta, obscura, humida et cuiusdam speluncae similis et alto monte ceruicibus nostris imminente, instar muri terminata; certe insalubris satis. Caeterum in ipso monte praeter lacum satis amplum, lapide quadrato inclusum (in quo etiam collegium pisces alit) surrexit insignis fabrica Collegij nostri et Scholarum magno Ciuitatis sumptu cui perficiendae ita insudatur, vt proximo vere certa spes sit eo cum Scholis commigrandj et commode inhabitandi. Jntra Collegium sacellum amplum satis aptatur pro nostris et populi vsibus donec Templum aedificetur, cuius fabricam tamen certas ob causas in sequentem annum differendam esse iudicatum est: interim comportabuntur materialia et amicorum opera de sumptibus prospicietur. Tota haec machina erit Ciuitatis huius spectabile ornamentum, simul etiam praeclarum argumentum insignis liberalitatis et beneuolentiae huius Magistratus erga nostram Societatem: quamquam etiam non desint non pauci parum nobis benigni: vicit tamen hactenus et vti confido imposterum vincet Patronorum charitas maleuolorum inuidiam.

Caeterum praeter iam dicta aedificia nihil fere aliud temporalis auxilij ab hac Ciuitate parum opulenta, nobis sperandum videtur: sed omnes nostros prouentus ex Monasterio Marcensi nobis vnito, colligimus, qui vniuerso suo valore annuo vix superabunt ordinarie 1700 aureos, vnde etiam varij sumptus culturae et administrationis deducendi sunt. Et cum rerum pretia hic cara sint, perpauci ali poterunt: vix etiam aliud, huic Collegio augendo, quam a R. P. V. spei suppetit, quae posita est in patrimonijs fratrum, si qui in posterum ex Ditione Friburgensi se Societati adiungent, quorum bona si forte Societati donare volent, ea vt benignitate Reuerendae P. V. huic Collegio applicentur, ac paterno testimonio confirmentur, humillime omnes supplicamus. Quodsi in hoc subsidio Collegij vires creuerint, ingens spiritualis fructus ex hoc Dei agro sperandus est.

Longe hoc Collegium a meditullio Prouintiae huius[1] distat, videlicet 8. vel 10. dierum spatio et quidem itinere difficili, minimeque regio et frequenti, quo etiam redditur litterarum communicatio rarissima aeque ac difficillima. Accedit aliud incommodum, quod etiam hoc collegium caruerit hactenus personis et operarijs et praesertim Superioribus idoneis, ac raris inspectionibus ijsque breuissimis Prouincialium, vt mirum non sit Religiosam disciplinam domi, forisque aedificationem, non leue damnum esse passam, quod etiamnum resarcire difficile futurum est. . . . Collegij huius Rector P. Petrus Michael vir certe bonus est et Justituti amans: sed corpore non optime valens, nec ad gubernandum satis idoneus, paucis gratus, fere omnibus molestus et grauis; video subditis nisi mutetur, qui mutari tamen vix potest, fore durum satis, et hoc ipso etiam visitationis meae fructum periclitaturum. At non habeo quem recte substituam, et a quo non etiam grauiora damna metuenda sint. . .

Praeter[a] Congregationem B. V. in Scholis, accessit[b] satis magnus numerus virorum[c] plus minus 60. qui collectus est partim ex Clero, partim ex Senatu et alijs honestis ciuibus, quorum[d] deuotio et satis frequens vsus sacramentorum hoc in loco admiratione dignus est. Est alia quoque congregatio foeminarum multo numerosior, quae etiam pietati vacat: cui tamen non nisi externi sacerdotes praesunt: sed nostris tamen omnes confitentur et a nostris in alieno templo saepe communicantur: praebet[e] harum pietas spectabile exemplum toti ciuitati.

a) *Sequitur* duplicem, *oblitt.* b) *Sequuntur vv.* ad Maiorem, *oblitt.* c) *Quae sequuntur, usque ad* 60. *incl., ab H. in margine addita sunt.* d) *Ab H. correctum ex* quod. e) *Ab H. correctum ex* praebent.

[1] Significatur, puto, Ingolstadium. Ibi enim praepositos provinciales sedem habuisse intellegitur ex * *Catalogis* annorum 1593–1597 (G. Sup. 44 f. 87[a] 93[a] 101[a] 111[a] 121[a] 127[a]).

Scholae frequentes non sunt, et vix vltra 250 discipuli numerantur, quorum fere media pars idiomate gallico vtuntur. Heluetica haec Juuentus difficulter regitur, alioquin non carens bono ingenio: armis potius quam literis delectatur: saepe nec a praeceptore, nec a parentibus ad officium compelli potest: sed speratur reperiri posse modum illam compescendi: Jn hac schola tantum 4. classes inferiores sunt: desideratur Rhetorica: Intellexi Reuerendam P. V. fecisse P. Ferdinando[1] potestatem illam hic instituendi, quod tamen factum nondum. Jtaque cum huc veni aggressus me est Reuerendus Dominus Vicarius[2] nomine Senatus, questus aliquoties huius instituendae Rhetoricae spem etsi saepe factam, semper tamen differri: darem igitur operam vt Cives voti sui compotes tandem fiant. Tantundem omnes quoque nostri a me postularunt allatis iustis causis necessitatis et utilitatis huius Scholae Friburgensis. Jtaque fretus concessione Reuerendae P. V. et motus tot rationibus ac precibus, curaui publicari[a], tametsi non hoc anno (erant enim varia impedimenta) futuro tamen certe Rhetoricae scholam aperiendam esse: quod spero Reuerendae P. V. minime ingratum fore". . . .

Aquaviva Hoffaeo Roma 2. Decembris 1595 haec, praeter alia, *rescripsit: „Circa illam foeminarum congregationem prohibendum erit in posterum ne in alieno templo ipsis communio porrigatur a nostris; otiosum enim uidetur, ac potest per quemlibet externum sacerdotem, ex iis qui ipsis praesunt, non minus commode praestari. De lectione rhetorica in proximum annum promissa, bene habet" (ex apogr. eiusdem temp.: G. Sup. 2 f. 119[a]).

1560. A m. Octobri ad Decembrem a. 1595.

Ex Hoffaei autographo, quod est in Germ. 175 f. 200[b]—201[a], et ex litterarum Aquavivae apographo eodem tempore scripto, quod est in G. Sup. 2 f. 119[a].

Moderatorum Societatis de Canisii viribus deficientis scriptione iudicia.

P. *Paulus Hoffaeus*, visitato Claudii Aquavivae praepositi generalis auctoritate collegio friburgensi, ad eum Friburgo Helvetiorum 26. Octobris 1595 haec, praeter alia, rettulit: „Non desunt in Collegio aliquot debiles: aliqui etiam parum vtiles, ad quos accedit etiam venerandus noster Senior R. P. Petrus Canisius, qui non desinit varias vtilitates Germanicae Ecclesiae meditari, qua in re etiam interdum seipsum supra vires impendit: duram tamen sibi vitam fore fatetur si in suo sancto studio scribendorum librorum praesertim germanicorum illi impedimenta poneremus: non igitur audemus bonum Patrem hac in re contristare: quamquam forte aliqui mallent vt ab eo labore abstineret cum judicium optimj Patris vna cum ipso sic satis consenescat[3]. . . . Libentissime hinc transportassem R. P. Canisium: hoc vero ausus non sum, ne abstracto dilecto P. Bredano[4], nouo vulnere sauciarem Magistratum,

a) *Sequuntur vv.* fore, vt, *obliti*

[1] Alber praeposito provinciali (1585—1594).

[2] Petrus Schnewly vicarius generalis episcopi lausannensis.

[3] In *Relatione quadam de provinciae Germaniae superioris Sociis circa a. 1593 Romam ad Aquavivam missa notatur: „P. Petrus Canisius emeritus sibi relinquitur" (G. Sup. 44 f. 85[b]).

[4] Hoffaeus, ut in hac ipsa *epistula scribit, P. Ioannem Bredanum, templi S. Nicolai contionatorem et congregationis maioris praesidem, „corpore male constitutum, toti ciuitati charum magis, quam domi forisque aedificatiuum", „omnium horum patrum iudicio" se accommodans, alio amandaverat (l. c. f. 199[b]).

qui etiam de mutando hoc Rectore[1], sibi charo, coepit cum tentatione aliquid metuere."

Ad haec *Aquaviva* Roma 2. Dec. 1595 ei respondit: „Non putamus priuandum bonum P. Petrum Canisium eo spirituali gustu, quem pro sancto suo zelo capit in scribendo. Sed quoniam et ipsius interest, et Societatis existimationi necessarium, vt nihil in lucem prodeat, quod expectationi non respondeat, ineunda erit ratio, qua istiusmodi operum editio suauiter suspendi ac protrahi possit, ne diuulgentur."

Canisius circa hoc tempus et „Trostbuchle fur die verlassene Catholische" scribere et „Paradisum animae" germanice edere in animum induxit. Item circa hoc tempus typis vulgare volebat „Commentariorum de Verbi Dei corruptelis" tomum sive librum tertium, de Petro Apostolo scriptum, de quo dictum est *Can.* VI 701—702. Quod autem ibi dictum est de huius libri praefatione „a. 1582 (1586? 1587?)" Canisii manu mutata, ita corrigi debet, ut dicatur, eam mutationem certe non esse factam ante a. 1586. Sic enim *Canisius* scripsit (Can. 60 f. 179ª): „Nec ignoro sane, Robertum Bellarminum nostrum de hoc ipso argumento tractasse, et aduersus Magdeburgenses Petri Apostoli causam probe defendisse in opere illo erudito, quod recens de Romano Pontifice conscriptum edidit. Nihil autem hoc impedit, quo minus laborem nostrum, quem ante complures annos confectum habebamus, in lucem quoque proferamus, pauloque uberius aduersarijs respondeamus pro instituti nostri ratione." Opus autem illud Bellarmini vix aliud esse potest atque „Controversia generalis" tertia sive „de summo pontifice", quae est pars tomi primi „Disputationum de Controversiis Christianae fidei" primum Ingolstadii a. 1586 editi (*Sommervogel* I 1156).

1561. 1595.

Ex apographo eiusdem fere temporis. Cod. „I. 36" f. 67ª—70ª. Litteris usus est *Riess* 480.

Sociorum friburgensium numerus. Sodalium B. Mariae V. pietas. Friburgensium oratio communis et professio fidei. Canisius consultus.

In *Litteris* annuis collegii friburgensis, Friburgo 25. Novembris 1595 datis, haec, praeter alia, narrantur: „Ad quatuordecim nostros, quorum nouem Sacerdotes, reliqui uel Humaniorum litterarum Magistri, uel domestici adiutores, accesserunt e Gallijs quinque[2], e quibus, Sacerdotes duo, tertius Doctrinam Christianam aliquamdiu Gallice docuit, uel excurrit: Superstites, domesticam rem adiutant. . . . Jpsis bacchanalibus, a Sodalitate D. Virginis minore[3], in Sacello nostro per uices, de die iugi supplicatione, pro Ecclesiae necessitatibus comprecatum, quod pietatis genus, maioris hebdomadae triduo, in aula Gymnasij fuit ab eisdem Sodalibus repetitum. Quadrageno porro, magno ieiunio, quinquagesimus psalmus[4], quali quali sonante musica, decantari: Sub extremas hebdomadas, pio flagellorum concordante sonitu, coeptus est celebrari. Maior uero pietas ipsa Parasceue, Sabbathoque sancto, Sodalitatis eluxit. Etenim Angelico choro musico, arma Christi agonis praeferente, facibus uocibusque praelucente, praeeunte, quatuor poenitentium pullatorum, in se flagellis animaduertentium supplicationes cum suo, adspectantiumque motu, et fructu sunt peractae. Omnino ad 86 numerus excreuit, quo in coetu non defuere maioris Sodalitatis[5] Socij, qui se his furtim permiscuere. . . . Cum uiderent Rempub. magnum pulueris tormentarij numerum contra Turcam, in Pannoniam submisisse, ipsi multa millia Rosariorum, quasi consertas catenas, uel pilas in hostem eiaculandas, in communi contulerunt. . . . Ab Haereseos

[1] P. Petro Michael. [2] De Sociis e Gallia eiectis v. supra p. 391—399.

[3] Haec erat adulescentium litteris operam dantium.

[4] Psalmus „Miserere". De eius interpretatione a Canisio a. 1594 edita v. supra p. 846. [5] Haec virorum honoratorum erat.

nexu soluti 31. . . . Sueuere Friburgenses tota ditione quouis decennio fidei professionem iureiurando, iussu Magistratus, confirmare[1]. . . . Ad vnum e Nostris[2] Thermopoli[3], honorifica facta legatio, vt de foemina energumena eundem consulerent, sanctimoina et authoritate illius commota [?][a]. A principibus cum Ecclesiastici, tum Senatorij Magistratus viris, nostri uocati, ut de legitimis contractibus inter se statuerent, ad vsurariam fraudem tota ditione submouendam: res successum, imo exitum habitura speratur."

Die 11. Ianuarii 1596 *Senatus maior* reipublicae praeceptum renovavit, quo maiores constituerant, ut, qui temere iurassent vel Deum blasphemassent, statim in terram se prosternerent, crucis formam in pulvere describerent, eandem oscularentur; ii autem, qui illos ita loquentes audivissent, praecepti illius eos commonefacerent. Quod si poenitentiam illam facere recusarent, eos alicui ex praetoribus denuntiandos et floreno multandos esse (Cod. „Mandatenbuch 2" f. 130[b]—132[b]: Friburgi in archivo reipublicae). Die autem 29. Mai 1596 *Senatus minor*, multa 10 librarum proposita, interdixit, ne quis diebus sacris tempore missae sollennis, contionis, vesperarum, completorii per urbem vagaretur, luderet, saltaret, caneret (l. c. f. 134[a]—135[b]).

1562. 1543—1597.

Canisius plurimas causas sive „intentiones" Deo singillatim commendare solitus.

Sebastianus Verronius friburgensis capituli S. Nicolai praepositus (v. supra p. 779) in Commentario de ultimis annis vitae Canisii paullo post huius mortem scripto haec de eo narrat: „Habebant suum locum in eius precibus Prouinciae Christianae omnes sigillatim: habebant et Antistites ac Principes quique pro cuiusque statu: adhaec illi qui quovis discrimine sive in vita sive in agone mortis periclitarentur: Orabat pro donis a Deo varijs impetrandis, pro Ecclesiae pace et incremento et similibus, quorum descriptum μναμοσυνον[4] supra quinquaginta varij generis sanctas solicitudines continebat" (ex apographo a. 1730 Friburgi Helvetiorum scripto et testimonio publico authenticitatis, quam vocant, munito, quod est Monachii in archivo maiore reip. bavaricae. Jesuitica in genere Fasc. 13 Nr. 214 f. 3[a]).

Deinde P. *Matthaeus Raderus* S. J. in vita Canisii a. 1614 edita (p. 213—214) ita (ex Verronio, puto, brevius tamen) de Canisio scripsit: „Non pro se tantum Deo supplicabat, sed preces pro omni fere genere hominum ad Deum allegabat. Singillatim commendabat Christo nominis Christiani antistites, prouinciarum rectores, et quicunque in periculis et vltimo vitae discrimine versabantur. Denique titulos ac nomina causarum, quas apud Deum sollicitus et sanctus orator agebat, legimus supra quinquaginta annotata."

Postea P. *Franciscus Sacchinus* S. J. in Canisii vita a. 1616 edita (p. 352—353) de eo scripsit: „Qui tam liberalis erat in corrogandis sibi precibus aliorum, nihilo erat parcior in suis vicissim hominum omni generi impertiendis. Quid ille gemituum, atque piorum clamorum

a) *Sic; corrigendumne* commoti?

[1] De hac consuetudine Canisii monitu instaurata v. supra p. 635.

[2] Canisium significari satis certum efficitur postremis huius sententiae verbis.

[3] Baden, nunc civitas cantonis argoviensis.

[4] Μνημόσυνον = libellus memorialis.

pro periclitante Germania, proque Ciuitatibus singulis nominatim, pro Haereticorum Antesignanis, pro vniuerso populo fundebat? Proprias item quotidie pro Romanis Pontificibus, et aliis Christianae Reipublicae sacris, ac laicis Potestatibus, proprias pro Societatis Generali Praeposito totaque societate, proprias pro iis, apud quos, et cum quibus ageret, pro periclitantibus, et morientibus, pro suis et societatis obtrectatoribus, et aliis quam plurimis faciebat: vsque eo, vt supra quinquaginta collegisset, et adnotasset diuersa genera causarum, quas apud Deum supplex patronus ageret: cuperetque iam senior indicem habere Germanorum omnium, qui nomina in societatem dedissent. Nam cupio, aiebat, et eorum et Germaniae nomine gratias vocanti Deo singulares agere, omnibusque precari sanctam in accepta gratia constantiam."

Corpus porro illud causarum Deo commendandarum, in quod illa Verronii et Raderi verba optime conveniunt, quodque a Canisio compositum esse etiam aliunde colligi potest, positum est iam supra p. 782. Addo haec: In Codice „Can. 42", in quod Canisius tum in suum, tum in aliorum usum varia monumenta, velut regulas, facultates sacras, indulgentias, exhortationes, collegit, huiusmodi causarum sive intentionum, quas vocant, indiculus exstat f. 124[a]–126[a], isque manu ignota scriptus circa annum, ut videtur, 1567. Complectitur is 70 fere causas, vel potius paullo plures quam 60; nam complures causae bis ponuntur. In causarum numero sunt: „Pro Jndia · Pro Brasilia · Pro Angolla · Pro Rege Domino Sebastiano · Pro Regina et Cardinali · Pro patre Francisco, ut deus conseruet eum incolumem · Pro Concilio" (plura de his vide infra). Ideo indiculus hic circa a. 1563 in Lusitania (in collegio S. J. conimbricensi?) compositus esse videtur. Quia tamen in harum causarum numero illae quoque fere omnes sunt, quas Verronius et Sacchinus recensent, dici potest, Canisium aut hoc ipso indiculo ad Deum orandum usum esse aut ex illo alterum quendam, quo ipse uteretur, extraxisse. Propterea illum hic pono.

„Materies petitionis orationis haec est. Septem petitiones orationis dominicae, ad quas omnes aliae reducuntur.

Petitiones omnium orationum missae et horarum Canonicarum. Pro Ecclesia Sancta Catholica. Pro summo Pontifice. Pro Cardinalium Collegio. Pro omnibus Episcopis et peculiariter pro eo, in cuius Episcopatu commoramur. Pro omnibus Curionibus. Pro omnibus Religionibus, et superioribus earundem. Pro Societate peculiariter, et pro Praeposito Generalj. Pro omnibus Prouincialibus, et superioribus, praecipue pro Prouinciali eius Prouinciae et superioribus eiusdem Collegij aut domus in qua tunc sumus. Pro ministerijs Societatis, proque ministris eiusdem et peculiariter pro domo aut Collegio in quo tunc est. Pro Conuersione Haereticorum. Pro Conuersione Jnfidelium. Pro his, qui sunt in peccato mortali. Pro animis Purgatorij. Pro salute et perfectione omnium animorum et praecipue eorum, quorum curam et administrationem Societas gerit. Pro uniuerso statu ecclesiastico, suisque ministerijs. Pro omnibus Regibus, et principibus Christianis, praecipue pro illis quorum prouincias incolimus. Pro illis qui sunt in extremis. Pro omnibus tentatis. Pro eis, qui in periculo peccandi sunt. Pro aegrotis. Pro eis qui persecutionem patiuntur iniuste. Pro pace inter Principes Christianos. Pro Pace uniuersa et peculiari. Pro sanitate et aeris temperie. Pro productione conuersioneque [?] [a] fructuum terrae. Pro eis, qui sunt in periculo maris. Pro eis, qui uersantur in bello aduersus infideles. Vnusquisque peculiariter orationem conficiet pro suismet necessitatibus, periculis, salute et perfectione, praecipue pro ea re, in qua maxime se deficere cognoscit. Pro quauis re, quam superiores commendarunt. Pro omnibus necessitatibus, quas norit peculiariter tam

a) *Sic; sed corrigendum esse videtur:* conservatione. *Ut in Litaniis Omnium Sanctorum dicitur: „Ut fructus terrae dare et conservare digneris, Te rogamus, audi nos!"*

fratrum quam etiam externorum. Pro Gallia. Pro aegrotis Collegij. Pro Anglia. Pro his, qui desiderant uitae statum mutare et Societatem ingredi. Pro Patre Generali. Pro his, qui bona desideria habent seruiendi Deo. Pro Patre Natali, ut Dominus conseruet eum incolumem [1]. Pro cognitione et utilitate Sanctissimi Sacramenti, et frequentatione eiusdem. Pro conuersione Judeorum. Pro deuotione, sanctitate et conseruatione castitatis totius Societatis. Pro omnibus Superioribus Societatis. Pro deuotione et defectibus Regularum. Pro Sacerdotum statu. Pro Reformatione Ecclesiae. Pro deuotione Sacratissimae Virginis, ut nobis impetret uirtutem humilitatis et perseuerantiae in sanctis propositis. Pro benefactoribus Societatis. Pro jncremento spiritus. Pro Conuersione Germaniae. Pro Captiuis. Pro Conuersione Haereticorum. Pro fundatione Collegiorum Societatis. Pro memoria passionis Christi. Pro Jndia. Pro Brasilia. Pro Angolla [2]. Pro Rege Domino Sebastiano [3]. Pro Regina et Cardinali [4]. Pro his qui sunt in peccato aliquo mortali. Pro his qui grauem aliquam tentationem patiuntur. Pro fratribus peregrinis. Pro Patribus, qui extra Collegium domumue concionantur. Pro Custodia Votorum. Pro his, qui aliqua in re Societatem persequuntur. Pro patre Francisco [5], ut deus conseruet eum incolumem. Pro Concilio [6]. Pro omnibus Religionibus. Pro illis, qui sunt in prima probatione et Nouitijs. Pro nimium scrupulosis Societatis."

Aliud causarum huiusmodi corpus positum est in pagina interiore involucri anterioris breviarii, quo Canisius usus esse traditur, quodque Friburgi Helvetiorum in familia Reynold asservatur (plura v. infra, monum. 1575). Dubium tamen est, num Canisius causas hasce collegerit; neque enim ulla earum Societatem Iesu recta, ut ita dicam, spectat; praeterea hae numero sunt plus quam 70, et scriptae sunt manu Sebastiani Verronii praepositi friburgensis, in cuius possessionem breviarium hoc canisianum transisse fertur. Verum Verronius Canisium pietatis magistrum sequebatur. Si ergo ipse indiculum illum composuit, ea in re Canisii exemplum imitatus est atque illius animum ac consilia quodammodo expressit. Ideo hic illum pono:

„ORATIO PRO alijs. 1 Pro Ecclesia Catholica. 2 Pro Helvetia Catholica. 3 Pro Episcopo, et dioecesj. 4 Pro Pastoribus et Concionatoribus. 5 Pro Presbyteris. 6 Pro Senatu. 7 Pro politia accurata. 8 Pro justitia cuivis recte administranda. 9 Pro Congregatione B. Mariae. 10 Pro Indifidelium novj orbis conversione. 11 Pro Episcopatus [7] recuperatione. 12 Pro Haereticorum conversione. 13 Pro pace et unitate Principum. 14 Pro perseverantia justorum. 15 Pro emendatione peccatorum. 16 Pro ordinibus Monasticis. 17 Pro Sanctimonialibus. 18 Pro Virginibus, et Viduis. 19 Pro Cognatis, et propinquis. 20 Pro Pietatis augmento in urbe [8]. 21 Pro Vitiorum extirpatione. 22 Contra luxum et superbiam. 23 Contra avaritiam et usuras. 24 Contra dolum, fallacias, vntrüw. 25 Contra ebrietatem, et voluptates. 26 Contra temeraria judicia de proximo. 27 Contra abusus et superstitiones. 28 Pro benefactoribus. 29 Pro afflictis. 30 Pro petentibus nostram intercessionem. 31 Pro fidelibus defunctis.

Petitiones in oratione pro seipso. 1 Cognitio Dej. 2 Cognitio suijpsius. 3 Cognitio voluntatis Dej. 4 Dona Spiritus sanctj. 5 Beatitudines octo. 6 Donum Fidej. 7 Spes, et Fiducia. 8 Amor Dei verus. 9 Amicitia humilis, familiaris, et intima D. Jesu Christj. 10 Gratiarum actio de beneficijs. 11 Pietas, et Spiritus Dej in oratione. 12 Timor Dej. 13 Poenitentia de anteacta vita. 14 Renovatio spiritus: nova vita. 15 Abnegatio suj. 16 Mortificatio corporis. 17 Diffidentia suijpsius. 18 Cautio, et propositum non peccandj. 19 Charitas in proximum. 20 Bonitas in probos. 21 Benignitas in malos. 22 Misericordia in miseros. 23 Reconciliatio cum

[1] Hieronymus Natalis magnam Societatis partem visitator obierat.
[2] Angola, colonia Lusitanorum, in ora occidentali Africae sita.
[3] Rege Lusitaniae (1557–1578).
[4] Catharina Sebastiani matre et Henrico filio Emmanuelis I. regis Lusitaniae.
[5] S. Francisco Borgia. [6] Tridentino (1545–1563).
[7] Lausannensis, a protestantibus occupati; v. supra p. 53[8]. [8] Friburgensi.

adversarijs. 24 Concordia, unitas cum conjunctis. 25 Veritas in verbis. 26 Sermo prudens, utilis. 27 Taciturnitas contra otiosos sermones. 28 Fuga mundj, solitudo. 29 Patientia in adversis ferendis. 30 Fortitudo in agendo bono. 31 Abstinentia. 32 Castitas. 33 Humilitas. 34 Liberalitas contra avaritiam. 35 Mansuetudo. 36 Obedientia. 37 Simplicitas. 38 Puritas cordis, Innocentia. 39 Iustitia, Probitas. 40 Perseverantia. 41 Desiderium consortij cum Christo. 42 Beata migratio ex hoc mundo."

Canisius orando singillatim pro plurimis causis sequebatur exemplum Beati *Petri Fabri* magistri sibi carissimi: qui, ut ipse in „Memoriali" ait, oravit pro „summo pontifice, imperatore, rege Franciae, rege Angliae, Luthero, Turca, Bucero, Philippo Melantone, Wittenberga, Gebenna, Constantinopoli, Antiochia, Hierusalem" etc. (*Fabri* Monumenta 502. 507). Similiter S. Franciscus Borgias agere solebat (*Pierre Suau* S. J., Saint François de Borgia - L'Homme de Dieu, Tournai 1905, 158 159).

1563. 1590—1597.

Ex commentario autographo. Can. 50 f. 69 70ᵃ.

Canisius libellum consolatorium pro catholicis scribere incipit.

Canisius postremis vitae annis libellum germanicum scribere voluisse videtur ad consolandos et instituendos catholicos, quos in Germania inferiore et alibi magistratus protestantes ad fidem catholicam deserendam cogere conabantur. Exstant enim haec ipsius scripta manu: „Trostbuchle fur die verlassene[a] Catholische im Niderland vnd[b] sunst an orteren[c] wonafftig, da sie von jhrer[d] Oberkeit gezwungen werden die newe Sectische Religion anzunehme.

Vorred zu einem lieben vnd langem bekanten Freund N. Dweil[e] die tagliche erfarung[f] erzeigt, das vil newerung, schaden[g] jamer vnnd ellend[h] in das Land einreisset vnd[i] darneben zu besorgen ist[k], es wirdt das newe wesen[l] ye lenger ye mehr vnradts[m] vnfrids[n] vnd zerstorung mit sich brengen. So hab ich[o] ewerem freuntlichen begeren nach hie et was antworten wollen domit ihr in solcher harten trubseligkeit euch selbs vnd ewere haussgesinn in dem herren trosten vnd stercken mogt. Dan ich mich schuldig erkenne[p] dem befelch des Apostels S. Pauli nach zu kommen, der also schreibet Consolamini"[1]

1564. 1590—1597.

Ex *Can.* 50 II f. 6ᵇ—7ᵃ; I f. 62ᵃ—63ᵃ.

Canisius „Paradisum animae" germanice reddere incipit. B. Albertum M. laudat librumque commendat.

Canisius postremis vitae annis in animum induxisse videtur, ut libellum latinum, qui, „Paradisus animae" vel „Libellus de virtutibus" inscriptus, cum nomine Beati Alberti Magni O. Pr. circumfertur, germanice redderet. Supersunt certe huius versionis exordia duo, quorum utrumque titulum libri et praefationem Canisii interpretis, alterum etiam initium praefationis ab auctore libri scriptae continet. Exordium prius idque minus politum Canisii ipsius manu scriptum est. Alterum idque magis limatum a P. Sigismundo Ilsung S. J., qui Friburgi Helvetiorum Canisium in scribendo multum iuvabat, scriptum et a Canisio recognitum atque emendatum est. Utrumque exordium ponam, ut appareat, quanta diligentia Canisius libros suos exarare et perficere studuerit.

a) *Hoc v. a C. postea additum est.* b) *Sequitur* anders wo, *oblitt.* c) orte orteren *autogr.* d) *A C. correctum ex* der. e) *Sequitur* es dan, *oblitt.* f) *Sequitur* je lenger ie mehr, *oblitt.* g) *Hoc v. supra versum scriptum est.* h) *A C. correctum ex* ellendig; *sequitur* erfolget, *oblitt.* i) *Sequitur* fast zu besorgen - vnd ist put *[?], oblitt.* k) *V. supra versum scriptum.* l) *Sequitur* noch mehr onra, *oblitt.* m) *Sequitur* vnd, *oblitt.* n) *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.* o) *Sequitur* auff, *oblitt.* p) *Sequitur* das, *oblitt.*

[1] Consolamini invicem . . . Consolamini pusillanimes: 1 Thess 5, 11 14.

I.

„Der Seelen Paradeiss[a] mit allerley Christlichen Tugenden gerust vor vierhundert Jaren[b] im Latein beschrieben. durch den Gotseligen weit berumbten hochgelehrten[c] Teutschen[d] Theologum Albertum Magnum Regenspergischen Bischoff nun aber verdolmetschet vnd in truck aussgangen durch P. C[e] [1]

vnsere Christliche und lobliche voralter haben disen authoren Albertum Magnum recht vnd billich alzeit[h] gerumbt und in grosser ehren gehalten. als der seinen Geistlichen stand mit ansehlicher frommiheit. tugendreiche wandel[f]. gar trefflicher weissheit vnd allerley grossen kunsten zu seiner zeit[g] herlich zierete. Er bluete zwar zu Lauingen[h] in Schwaben land da er geboren vnd lebte[h] in seinem angenommenen Bischoff[i] [?] zu Regensperg[k]. Do er seinen Christliche Schopffle trewlich[l] [?] weidete. vil lenger aber lebte er zu Collen am Rhein. do er S. Thomam von Aquin. vnd vil andere Junger in der h. Schrifft fleissig[m] und mit grossem rumb vnderweisete.

Das wir aber seine gelobte vnd treffliche vil geschriebene und nachgelassene Bücher itz fort lassen, so sag ich allem[n] [?] von disen[n] [?] seinem[o] Enchiridio vnd handbuchle so auch Paradisus animae[h] uon uillen genent wirt[2], das es mit wenigen worten einen[p] edlen teuren schatz[q] und hohe weißheit begreifft. auch uon iederman[r] mit grossem nutz[s] mag vnd sol uberlesen werden. Dan darinnen sicht man als in einen[t] durchscheinenden spiegel, was die waren christliche tugenden sein[u] so die[v] Prophetische. vnd Apostolische Schrifft so offt furhalten vnd befelhen. wellen [?] sie jmmer durch Christus gerecht vnd selig werden[w] vnd ein Gotseligs leben furen. Jst auch kein zweifel. Diser author. hab ich in den selben beschriebenen tugenden wol dapffer[x] vnd lang geubet. vnd[y] nit allein[y] grundlich erkent[z] was er schreibet sondern auch mit dem werck[aa] vor menniglich erzeigt und bewisen. dan er als ein gantz gnad vnd tugenreicher[bb] man Gottes fur vnd fur[cc] in der Kirchen Gottes[dd] und in Rom. Reich leuchtete. Jst[ee] aber zu mercken. das er von jm selbst so demutiglich bekent vnd klagte[ff] als ob er keiner[gg] hie beschriebenen tugend anfang je[hh] gereichet[ii] hette. Der ewig gutig[hh] Gott verlihe vns gnaden[kk] das wir so wenigste eine tugende auss disem Buchlen taglich[ll] lesen vnd[ll] behertzigen auch nach den selben ernstlich nach trachten. wie sie vns fein[mm] vernunfftlich vnd ordenlich hie furgebildet[nn] werden.

Vorred des Autoris.

Es seind ja etliche vntugenden welche offt[oo] vnd dark [durk?] ein schein haben der[pp] waren tugend. also dass sie fur rechte[hh] tuchen[qq] angesehen vnd gehalten

a) *Sequitur* von, *oblitt.* b) *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.* c) *Duo vv. sqq. in margine addita sunt.* d) Teuschen *autogr.* e) *Sequuntur vv.* Recht vnd billich haben die alten, *oblitt.* f) *Sequuntur vv.* vnd feste *vel similia, oblitt.* g) *Sic C. correxit ex* zu Gottes und. h) *Sequitur* lange ze, *oblitt.* i) *Sic; corrigendumne* Bistumb? k) *Sequitur* vil lenger aber, *oblitt.* l) *Vel* ruwich. m) *Quattuor vv. sqq. in margine addita sunt.* n) *C. scribere voluissse videtur* allen von disem *vel* allein. o) *V. supra versum scriptum.* p) *Sequitur* thewren, *oblitt.* q) *Tria vv. sqq in margine addita sunt.* r) *Ita correctum est ex* vnd. s) *Sequuntur vv.* von jedermann uberlesen vnd, *oblitterata, excepto* von. t) *Sequitur* klain, *oblitt.* u) *Sequitur* welche, *oblitt.* v) *Sequitur* Apost, *oblitt.* w) *Quinque vv. sqq. supra versum scripta sunt.* x) *Hoc v. in margine additum est* y) *Sequitur* sie, *oblitt.* z) *Tria vv. sqq. supra versum scripta sunt.*

aa) *Sequitur* erzeichet, *oblitt.* bb) *Sequuntur vv.* man baw *[?], oblitt.* cc) *Sequuntur vv* gelebet, sein leben lang, *vel similia, oblitt.* dd) *Quattuor vv. sqq. supra versum scripta sunt.* ee) *Sequitur* ja, *oblitt.* ff) *A C. correctum ex* hielte vnd schriben pluge *[?]*. das. gg) *Sequitur* tugenden, *oblitt.* hh) *V. supra versum scriptum.* ii) *Sequitur* habe, *oblitt.* kk) *Duo vv. sqq. supra versum scripta sunt.* ll) *Sequitur* zu, *oblitt.* mm) *Sequitur* vnd, *oblitt.* nn) *Correctum ex* angezeigt. oo) *Sequitur* ein sc, *oblitt.* pp) *Sequitur* tuche, *oblitt.* qq) *Sequitur* gehalten werden, *oblitt.*

[1] I. e. Petrum Canisium.

[2] *B. Alberti Magni* Opera omnia. edd. *Aug. et Aem. Borgnet* XXXVII. Parisiis 1898. 447–520. Librum ab Alberto scriptum non esse verisimile est *P. Mandonnet* in „Dictionnaire de Théologie catholique. par *A. Vacant* et *E. Mangenot*“ I. Paris 1903. 670.

werden, ob sie schon in grund vntuchen sein. Exempli gratia die strengigheit helt man fur gerechtigheit, hertzlich bitterigheit achtet man fur dapfferigheit, froliche schwetzung nennet man ein freundligheit, dissolutio einer personen außschabung laßt sich ansehen fur ein geistliche freud, fauligheit oder onordenliche trawrigheit wirt gehalten fur grauitate, lauichheit muss sein ein bescheidenheit, überfliesse der zier heisst ein munditia. Aber die warheit zu melden gleich wie man nichts gutes mit einer falschen muntz kauffet also lasst das[a] himmel reich sich nit erreichen durch ongereichten und[b] –

II.

„Der Seelen Paradeis oder Lustgarten voll edler Bluemen, das ist, allerlai Christlicher Tugenten[c], vor etlich hundert jaren durch den hoch beruembten Leerer Albertum Magnum Bischoffen z. Regenspurg in Latein[d] beschriben.

Vorred des Tolmetschen.

Vnsere Christliche vnd löbliche Voreltern haben disen Autoren Albertum Magnum[e] allzijt vast gerüemet vnd in grosser eer gehalten, als der seinen Gaistlichen stand mit ansehenlicher frombkait, tugentreichem wandel, fürtrefflicher weishait vnd kunstreichen Bucher[f] gezieret hat. Derselbe zu Laugingen im Schwabenland geborn, ward hernachher zu der Statt[d] Regenspurg Bischofe erwehlet, do er seine Christliche Schäfflein treulich waidete: hat[g] aber vil lenger zu Cölen am Rein gewohnet[h] da er den fürtrefflichen Thomam von Aquino vnd vil andere in dem Prediger Kloster[i] die heiligen Schrifft mit grossem ruem leerete[k]. Jch lass itz[l] faren das man von disem weitbekannten Teutschen[m] Theologo zu seinem lob möchte anzaigen: vnd alsvil gegenwertiges Büechlein belangt, ist es zwar[n] recht vnd billich[o] genennet worden, Der Seelen Paradeis oder Lustgarten, auch das[p] Handbüechlin der[q] Christlichen Tugenten, darumb das es mit wenig worten einen teueren schatz, nemlich hohe Christliche weischait begreifft, auch von jederman mit klainer arbait vnd grossem nutz mag allenthalben[r] gelesen werden. Darinnen sihet man als in einem durchscheinenden klaren spiegel, was die waren seligmachende Tugenten seien, welliche in Prophetischen vnd Apostolischen Schriften[s] ernstlich fürgehalten vnd bevelhen werden allen Christglaubigen, welliche immer durch Christum vnsern Herrn vnd Hailand gerecht vnd selig werden, vnd in disem iamertal ein Gottgefelliges Leben[t] mit guetem gewissen füeren wöllen[u]. Dann welcher nit durch die grosse lange Jacobs laitter[1], das ist, durch die staffel der Gottseligen Tugenten auffsteigt, der wirdt nit gehn himmel kommen. — Es bedarff rainer schöner hochzeitlicher klaidung diser Tugenten, so man tretten will zu dem himmelischen Abentmal[2]. Gottes Reich

a) *Sequitur* reich, *oblitt.* b) *Sequitur v., quod legi nequit, neque alia addita sunt.* c) *Sic I. correxit ex* Der Seelen Paradeis mit allerlai Christlichen Tugenten, als edlen Bluemen zuegerüstet. d) *Haec 2 vv. ab I. supra versum scripta sunt.* e) *C. ipse hic primum quidem ascripsit:* vnd seine kunstreichen Bucher; *deinde vero haec vv. oblitteravit.* f) *Sic C. sua manu correxit ex* vnd allerlei hohen kunsten ben *[?].* g) *Ab I. correctum ex* ist. h) *C. vv.* und gelehret *primum supra versum scripsit, dein oblitteravit.* i) *Ab I. correctum ex* andere Jüngere. k) *Ar I. correctum ex* mit allem fleiss vnterwise. l) *A C. correctum ex* aber. m) *Hoc v. ab I. supra versum scriptum est.* n) *C. ex* kan ich nit geschweigen, es seie *primum correxit* ist es war das selbes, *deinde autem* ist es zwar. o) *Sequitur* von etlichen, *ab I. primum quidem correctum ex* von den alten, *deinde autem oblitteratum.* p) *Sic C. sua manu corr. ex* wie auch wider von andern das. q) *Ab I. corr. ex* von. r) *Hoc v. a C. ipso supra versum scriptum est.* s) *Hoc v. ab I. supra versum scriptum est; sequuntur vv. aliquot oblitterata.* t) *Tria vv. sqq. ab I. in margine addita sunt.* u) *Sequuntur haec vv. ab I. scripta:* Der ewig güetig Gott verleihe dem Leser genad, das er zum wenigsten ain Tugent aus disem Büechlein täglich ihme selbs fürsetze vnd sie wol beherzige, eben wie sie vns hie vernünftiglich vnd ordenlich fürgebildet worden, domit derselbe als ain (*ab I. correctum ex* domit wir als recht) fruchtbarer vnd Euangelischer Baum seinen Christlichen berueff mit sollchen früchten des Gaistes bestättige vnd ziere Vorred des Autors. *Deinde horum vv. pars posterior, incipiendo ab* eben wie, *sic mutata est:* domit derselbe als ain frucht des Geistes, wie S. Paulus meldet ye lenger ye mehr uberkomme, vnd in den Tugenden mit sollchen früchten immer reicher vnd seliger werde; *quae vv., praeter vv.* mit sollchen früchten, *C. ipse scripsit. Tandem autem haec omnia, incipiendo ab* Der ewig güetig, *lineis transmissis oblitterata sunt.*

[1] Cf. Gn 28, 12 13. [2] Cf. Mt 22, 1–13.

steet nit in worten[1], sondern in den früchten des Gaistes[2] oder Tugenten. Den gueten Gott gefelligen baum erkennt man[a] nit an seinen bletter, sondern an seinen wolzeitigen früchten[b] [3]. Je meer nu[c] Christliche Tugenten[d] in vns wachsen vnd von vns[e] geüebet werden, ie angenemer vnd fuglicher[f] wirdt vns dises Büchlin sein. Derhalben[g] riete ich trewlich, das man alle tag ain Bluen dises Gartens[h] das ist ein Christliche Tugent lesete[i], betrachtet vnd beherzigte. Domit aber der innhalt dises Büechlins dem gemeinen Mann desto glaubwirdiger vnd annemblicher wurde, hab ich für guet angesehen[k], das die[l] gotliche Sprüch heiliger Biblischer Schrifften[m] dem Text des[n] Autoris am end iedes Capituls zugesetzet wurde[o].

Des Hochwirdigen Herres Alberti Magni Vorred in dises sein Buechlein[p]. –

1565. 1596.

Canisius apographum Confessionis Augustanae collegio ingolstadiensi dat.

Hunfeldiae (Hünfeld prope Fuldam) in bibliotheca RR. Patrum Oblatorum Mariae Immaculatae servatur Codex in 8°, conglutinatus, qui in pagina prima sic incipit: „Copia Confessionis Augustanae ut erat exhibita" etc. In eadem pagina quinque versus (lineae) manu *Canisii* scripti sunt. Qui sic incipiunt: „Autographum *[sic!]* a D. Viglio traditum primario uiro amico" [hoc verbum deinde a Canisio oblitteratum est]. Ait Canisius: Vir ille scriptum hoc postea „nostris Oeniponti tradidit"; modo autem, qui est annus „1596" Canisius illud dono dat „seminario Jngolstadiensi". Verbum tamen „Oeniponti" a Canisio postea additum est, atque omnino apparet, horum versuum partem unam Oeniponte, alteram Friburgi Helvetiorum scriptam esse. Lapsu vero calami vel memoriae Canisius senex scriptum hoc vocavit „autographum". Nam ex extrema codicis parte haec intelleguntur: „Confessio" protestantium, quae manu Philippi Melanchthonis scripta et a. 1530 Carolo V. imperatori Augustae Vindelicorum tradita erat, in imperiali deposita est archivo. Viglius autem van Zwichen, praeses consilii sanctioris Caroli V., cum archivi illius praefectum ageret, ex Melanchthonis autographo apographum faciendum eique a notario aliquo fidem faciendam curavit. Ex hoc dein apographo Viglii, ut videtur, iussu exscriptum est alterum apographum (nullo notarii testimonio munitum) et viro illi primario datum. „Seminarium" autem illud erat (ita loquendi usus illius temporis ferebat) ipsum collegium Societatis ingolstadiense, in quo 30 fere Societatis fratres scholastici philosophiae et theologiae studebant (G. Sup. 44 f. 111b–112a).

1566. 1595–1597.

Canisius catechismo suo quaestiones ab aliis admisceri queritur et editionem, quae sola sit verus catechismus suus, evulgandam curat.

Friburgi Helvetiorum in bibliotheca cantonali exstat minimi catechismi canisiani editio in 32°, germanica, quae folia numeris non signata habet 30; desunt vero ei folium titulare et in fine folium saltem unum. Praeposita est praefatio ad lectores eaque Friburgo a. 1597 a Canisio data. Quaestiones cum responsionibus sic dispositae sunt: Introductio habet quaestiones 5; fides 4; sacramenta 9; praecepta 3; oratio do-

a) *Quinque vv. sqq. a C. ipso supra versum scripta sunt.* b) *Sequitur* sonst, *oblitt.* c) *Sequitur* die, *oblitt.* d) *Quattuor vv. sqq. a C. ipso supra versum scripta sunt.* e) *Sequuntur vv.* geüebet vnd bekommen, vnd, *oblitt.* f) *A C. correctum ex* lieber. g) *Quinque vv. sqq. a C. ipso scripta sunt; I. antea sententiam quandam primum scripserat, deinde varie immutaverat.* h) *Haec 2 vv. ab I. supra versum scripta sunt.* i) *A C. correctum ex* recht. k) *I. primum scripserat:* hat der Autor für guet angesehen; *deinde:* hat mich *etc.*; *tum:* ist für guet angesehen worden. l) *V. supra versum scriptum.* m) *Sequitur* ausserhalb, *correctum ex* zu, *dein oblitteratum.* n) *Sequitur* Autors ausserhalb des Zuesatzte, *oblitt.* o) *Hoc v. a C. scriptum est. Sequitur* Des Autors Vorred, *oblitt.* p) *Correctum ex* disen seinen.

[1] Cf. Mt 7, 21. [2] Gal 5, 22. [3] Cf. Mt 7, 16–20; 12, 33; Lc 6, 44.

minica cum salutatione angelica 5; iustitia christiana 17. A f. 28 3ᵛ sequuntur preces mane, vesperi, ad mensam dicendae etc., examen conscientiae cotidianum, institutio ad peccatorum confessionem, precatio pro mortuis, tres sententiae S. Fulgentii. Hanc editionem a. 1597 Friburgi factam esse collegeris fortasse ex eius praefatione. Verum in catechismis canisianis haud raro accidit, ut editionibus posterioribus praefationes et litterae dedicatoriae editionum priorum praeponerentur: cf. e. g. *Can.* V 799 806 823—825; VI 677 694—695 703. Ac *C. Holder*, qui hanc editionem invenit et primus descripsit, haec monet: Si quis eam cum libris a. 1596 et 1597 Friburgi Helvetiorum a Gemperlino et Maesio (qui soli tunc ibi typographicam artem exercebant) typis exscriptis contulerit, eam Friburgi a. 1597 non esse factam videbit.

Holder censet editionem a. 1597 Dilingae ab Ioanne Mayer factam esse (*Theologische Revue*, 1. Jahrg., Münster i. W. 1902, 97—98). Rectene? Ponam primum editionis praefationem, ut in f. A 2 legitur: „Zu dem Christlichen Leser. OB schon diser kleine Catechismus etwan wird verändert, ist doch [darumb] der Catholische Glaub, so all[zeit] und allenthalben gleichlautend, und beständig bleibt, mitnichten geschwächt und geschmälert. Man muss aber auf allerley Weeg versuchen, damit den Schwachen und Kleinverständigen mit heilsamer Speiss und Artzney gedienet werde. Wolte GOT im Himmel, es käme noch ein anderer, der könt und wolte die Haubtstuck unsers wahren Catholischen Glaubens noch kůrtzer, deutlicher und besser fůrtragen, nur das die re[chte], gesunde und Christliche Lehr [GOT] dem HErren zu Ehr, und den [einf]ältigen Kinderen GOttes zu Nutz gelehrt und gefůrderet wurde. Dass aber etliche, zwar unter meinem Nahmen disen meinen Catechismum immerdar mehren, und allerley andere Fragen darein flicken, kan ich meines theilss viler Ursachen halben nicht gut heissen. Hab derohalben solches in disem meinem hohen Alter hiemit zu bezeugen, und mehreren Unrath zu vermeiden, dise Edition allein fůr mein wahren kleinen Catechismum erkennen wollen. Datum zu Freyburg in Uchtland, im Jahr Christi 1597. PETRUS CANISIUS Soc. Jes. der H. Schrifft Doct."

Iam vero notandum est, huic praefationi annum 1596, non 1597, ascribi non solum in *Philippi Heilbrunner*, Lutheranorum ministri laugingani, libello „Jesuider—Spiegel", Laugingen 1601, 65, sed etiam in minimi catechismi canisiani editionibus catholicis, quae a. 1613 Constantiae apud Iacobum Straub et a. 1630 Monachii apud Nicolaum Henricum factae sunt. Ac *Canisius* in litteris Friburgo 2. Ianuarii 1596 Dilingam ad Michaelem Eberlin S. J. missis: „Salutem ex me dicas", inquit, „P. Saluio qui nescio an Catechismum recudendum a me missum acceperit", et Friburgo 18. Augusti 1596 ipsum Salbium (Salvium) Dilingae habitantem sic de Ioanne Mayer monuit: „Scripsi nuper ad typographum Joannem, ut me illi gratum ostendam" (v. supra p. 415 432). Vnde sic conicio: Catechismus minimus a Canisio Friburgi anno 1595

postremum recognitus et ab Ioanne Mayer Dilingae a. 1596 typis exscriptus est, anno 1596 praefationi ascripto. Iterum deinde, anno 1597 praefationi ascripto, in lucem emissus est sive Dilingae, sive alibi a. 1597 vel 1598, vel utroque anno. *Heilbrunner* hanc ponit inscriptionem: „Kleiner Catechismus Petri Canisii jetzt von dem Authore inn seinem hohem Alter für die EINIGE WAHRE Edition erkennt und bestettiget. Getruckt zu Dilingen Anno 1598." Hac se editione in Canisii praefatione ex parte exscribenda usum esse affirmat (l. c.) Neque tamen hac in re certi quicquam definire velim.

Editionem, quam supra dixi, vidi Friburgi Helvetiorum in bibliotheca cantonali. *Sommervogel* eam non posuit.

1567. 1596.

„CATECHIS | MVS CATHOLICVS. IVVENTVTI FOR- | mandæ hoc seculo quam maximè necessarius. | AVTORE | D. PETRO CANISIO, | Doctore Theologo So- cietatis IESV. Accessêre Preces Horariæ de | æterna Dei sapientia IESV | CHRISTO Domino no- stro, cum pijs quibus- | dam & Christianis exer- | citationibus. NISSAE.[1] | Per Andream Reinheckel. | M. D. XCVI." Versus 1, 2, 7, 17, 18 et verba „Iesv" et „Iesv Christo" rubra sunt. 12°; ff. 98 non signata, addito titulari. Liber neque praefationem, neque indicem rerum habet. In pagina altera folii titularis versus illi „Frustra Christicolae" etc. Catechismus terminatur f. C 10[b]. Sequuntur testimonia Sacrae Scripturae adversus haereticos, preces horariae, meditationes de virtutibus Christi, preces vespertinae, oratio S. Thomae „Creator ineffabilis", preces ante scholam recitandae. In folio postremo sunt duae imagines ligno incisae et plus quam medias paginas occupantes: Christus Petri pedes lavans et Christus cruci affixus. Librum vidi Romae in bibliotheca cesiana („Biblioteca Chigiana", quae postea in bibl. vaticanam translata est), S. IX 9282. *Sommervogel* eum non posuit.

1568. 1596.

Ex archetypo. G. Sup. 65 f. 152[a]. Eadem fere sunt in libello „*Annuae* Litterae Societatis Iesu Anni M. D. XCVI", Neapoli 1605, 139.

Dilingae Catechismus Canisii figuris exprimitur.

In *Litteris* annuis collegii dilingani Dilinga 1. Decembris 1596 datis haec narrantur: „Jmpressa typis ratio deligendi in patronum e numero Apostolorum vnum aliquem; eamque ad rem curatum, vt eorundem Apostolorum imagines maiorj in Charta expressae habeantur · Totus item Catechismus non ediscendus iam, sed oculis spectandus propositus expressis in pictura omnibus fidei mysteriis: vt modo nemo, etiam tardissimus quod scire opus est discere non possit."

Clarius haec indicat *Agricola* (II p. 134): hic enim scribit in a. 1596: „Prodierunt ex Typographia quoque Dilingana libri complures . . . inter alios Catechismus haud modica expensa fuit editus, quo ad rudiorum tollendam ignorantiam, quod legere characteribus expressum non licebat, oculis dabatur spectandum, praecipua videlicet Orthodoxae Fidei capita, figuris cupro incisis repraesentata."

Haec aliqua ratione confirmantur per praefationem, quam P. *Georgius Mayr* S. J. (v. supra p. 858) posuit in libello „Catechismus Petri Canisij Soc. Iesu Th. Nach der Cölnischen Edition, Durch Figuren fürgestellet", Augspurg 1614. Ait enim, iam P. Ioannem Baptistam Romanum S. J. Catechismum figuris expressum composuisse, ac post eum alios idem praestitisse, „fürnehmlich, damit die Figuren nach dem

[1] Neisse, urbs Silesiae borussicae.

Catechismo R. P. Petri Canisii . . . gerichtet würden." Quia autem libelli illi haud ubique comparari possent vel pluris constarent, quam ut ab omnibus emi possent, iam Augustae Canisii Catechismum novis figuris ligno incisis expressum esse simulque piorum hominum beneficentia effectum, ut liber illo parvo pretio emi posset.

Figuris hisce augustanis verba minoris catechismi canisiani subiecta sunt. Ac verisimile est, dilinganis quoque figuris verba catechismi canisiani, sin minus minoris, saltem minimi subiecta esse in usum eorum, qui eas explicaturi erant. Certe catechismus canisianus earum fundamentum quoddam erat, vel, si ita dicere malis, ipsae ex eo procreatae erant.

1569. 1596.

„EVANGELIA | ET EPISTOLAE, | QVAE DOMINICIS ET FE- | stis diebus, de more Catholico | in templis recitantur, | Iuxta ritum Ecclesiæ Romanæ. | *AC-CEDIT PARVVS CA-* | *techismus D. Petri Canisij.* | POSNANLÆ[1] | Apud Viduam & Hæredes Io- | annis Wolrabi. | ANNO M. D. XCVI." Versus 1, 2, 3, 6, 9, 12 rubri sunt. 16°. Paginae signatae non sunt. Liber folia habet fere 300 (A—Z 8, a—b 8). In eo neque praefatio, neque approbatio ecclesiastica, neque index rerum comparent. Catechismus sic inscriptus est: „CAPITA | DOCTRINÆ CHRI- | STIANÆ COM- | PENDIO TRA- | dita, vt sit veluti par- | uus Catechismus | Catholicorum. | *AVTORE* | *D. Petro Canisio Societa-* | *tis Jesu Theologo.* | POSNANIÆ, | Anno CIↃ IↃ XCVI." Librum vidi Cracoviae in bibliotheca universitatis (VI a. 27). Eum brevissime commemoravit *Sommervogel* II 638.

1570. 1596.

Editio canisiana epistularum S. Hieronymi. S. Ioannes Berchmans ea ad vitam religiosam eligendam excitatur.

1. „D. | HIERONYMI | STRIDONIENSIS | EPISTOLAE SELECTAE, | & in libros tres distributæ, | opera D. Petri Cani- | sij Theologi. | *Nunc denuò ad exemplar Mariani Victorij* | *Reatini, Episcopi Amerini, emendatæ,* | *argumentísque illustratæ.* Epistolarum, atque aliorum opusculorum, | quæ tribus hisce libris continentur, | ordo & numerus adiectus est. | *Cum rerum & verborum Indice* | *locupletissimo.* | PARISIIS, Apud Dominicum Salis, via sancti | Ioannis Lateranensis. | 1596." Reliqua ut in editione parisina anni 1588; vide supra p. 773. Vidi libri exemplum, quod est Aroviae (Aarau in Helvetia) in bibliotheca cantonali (Ma 1617). Editionem brevius posuit *Sommervogel* II 670.

2. „DIVI | HIERONYMI | STRIDONIENSIS | EPISTOLAE SELEC- | tæ, & in libros tres distributæ, | opera D. Petri Canisij | Theologi. | *Nunc denuò ad exemplar Mariani Victorij* | *Reatini, Episcopi Amerini emendatæ,* | *argumentisque illustratæ.* Cum Epistolarum & rerum Indice | locupletissimo. | LOVANII, | Apud Philippum Zangrium bibliopolam | Iurat. sub Vnicornio. | Anno 1596." 24° (12° min.); ff. sign. 1—324; sed numeri 215, 216, 250, 261 bis positi sunt; praeterea ff. non sign. in initio 8 et in fine 8. F. *2ª—*8ª Canisii litterae dedicatoriae Augusta Vindelicorum a. 1565 ad universitatem dilinganam datae (Can. V 26—30). In extremo libro indices „epistularum (f. Ee 5ª—Ee 6ᵇ) et rerum memorabilium" (f. Ee 7ª—Ee 12ᵇ). In f. 8ᵇ cernitur figura S. Hieronymi ligno incisa. Embricae (Emmerich) in bibliotheca gymnasii exstat huius libri exemplar, quod in pagina interiore involucri anterioris hanc habet notationem: „Ioanni Dulman Cliuensi Catechismi praemium donatum Embricae in suprema Grammaticae schola, 3. Nonas Nou. | A.° 1604". *Sommervogel* hanc editionem brevissime commemoravit. Hanc editionem eandem esse existimo atque illam quam *De Backer* I 1047—1048 (cf. etiam *Sommervogel* II 670) scribit Lovanii a. 1596 in lucem prodisse cum eodem foliorum signatorum numero et eodem, ut videtur, titulo, praeterquam quod pro verbis „Apud Philippum . . . Vnicornio" posita sunt verba: „ex officina Ioannis Bogardi, Typog. Iurati, sub Bibliis aureis".

[1] Poznan, Posen, urbs Poloniae.

3. Liceat mihi hoc loco factum narrare, quod, etsi huius operis terminos egreditur, dignum tamen esse videtur, quod hic commemoretur, praesertim quia usque adhuc, quod sciam, omnium oculos fugit. Societas Iesu summo honori sibi ducit, quod tres iuvenes sui ab ecclesia in sanctorum Confessorum album relati sunt: Stanislaus Kostka († 1568), Aloysius Gonzaga († 1591), Ioannes Berchmans († 1621). Divina bonitas hosce tres Sanctos Societati donavit. Atque hoc iam constat: Stanislai et Aloysii in Societatem Iesu ingressui Canisii opera interposita est (v. *Can.* VI 4—6 45 63—64 534—536; *Friedr. Schröder* S. J., Das Leben des Hl. Aloysius Gonzaga, Einsiedeln 1891, 28 399).

Idem autem de Ioanne Berchmans dici potest. En quae de eo narrantur in antiquissima eius vita a P. Virgilio Cepario S. J. scripta, quae et propter auctoris, viri gravissimi, personam, et propter optimos, quibus ille usus est, fontes fide omnino digna est: „Sua diuina Maestà . . . l'accese in desiderio di consecrarsi a Dio nella Religione. Et egli . . . inclinò con prontezza l'orecchio a questa santa inspiratione, e procurò di fomentare nel suo cuore quel santo affetto, che il suo Creatore, e Signore s'era degnato d'accenderui. A questo l'aiutarono molto (come egli raccontaua) l'epistole di San Girolamo, e la vita del Beato Luigi Gonzaga: l'epistole di San Girolamo l'haueuano infiammato al desiderio di lasciare il mondo, e ritirarsi nella Religione: la vita del Beato Luigi l'haueua inclinato a eleggere la Compagnia": *Virgilio Cepari* S. J., Vita di Giovanni Berchmans Fiammingo Religioso della Compagnia di Giesv, In Roma 1627, Parte 1, p. 13. Lectione igitur epistularum S. Hieronymi in Ioannis animo incensum est desiderium ingrediendi in ordinem aliquem religiosum. Ioannes autem, natus a. 1599 Disthemii (Diest) in Belgio, antequam Mechliniae a. 1616 in Societatem ingrederetur, ibidem a. 1615 in Societatis collegio litteris operam dabat (*H. P. Vanderspeeten* S. J., Vie du B. Iean Berchmans, Louvain 1865, 31—32). Si tunc epistulas S. Hieronymi legebat, satis certum est, eum usum esse epistulis huius Sancti a Canisio in usum iuuentutis litterarum studiosae selectis, quae cum alibi, tum in Belgio compluries editae erant, veluti Lovanii 1573 et 1596 et Antverpiae 1604 (*Sommervogel* II 670—671). In Societatis collegiis tunc quotannis discipulis libri pro praemiis distribuebantur. In collegio embricensi, ut supra dictum est, epistularum S. Hieronymi editio canisiana pro praemio data est. Verisimile est, idem factum esse in collegio mechliniensi, et fortasse ipse Berchmans, quem primum praemium tulisse traditum est, hunc librum accepit.

1571. 1596.

Canisius „Speculum militum" sive vitam SS. Mauritii et sociorum Friburgi Helvetiorum edit.

„Kriegsleüt Spiegel, | Das ist | Warhaffte beschreibung ei-|nes Christlichen Kriegsmanns, Wie er in al-|lem seinem Thůn nachfolgen solle dem herrlichen Eben-|bild Sanct MORITZEN, so zur zeit des Kaisers Maximiani O-|berster Feldhauptmann gewesen, auch S. Gereons, S. Thyrsen, S. Vrsen, S. Viktors, | vnd anderer seiner Thebaischen Kriegsszleuthen, welliche im Walliser-land, zu Cölen, | zu Trier, zu Solothurn, vnnd anderswo, wegen jhrer Tapfferer Be-|stendigkeit im Christlichen Glauben, die selige | Martyrkron erlanget haben. | Allen frommen Christen, insonderheit aber | Feldöbersten, Hauptleüthen, Bevelchs-habern, vnd ge-|meinen Soldaten, zu auffmunderung wider alle Christ-|enfeind Ritterlich zu kempffen, nutzlich zule-|sen fürgestellt, | Durch | Herrn PETRVM CANISIVM, der Societet IE-|SV Theologum mit sonderem Fleiß beschrieben, | vnd in Truck verfertiget. | Getruckt zu Freyburg in Vchtland, durch Abra-|ham Gemperlin, vnd M. Wilhelm Mäs. | M. D. XCVI." Versus 1, 3, 4, 5, 12, 13, 18, 21, 23 et verba „Sanct MORITZEN", „S. Gereonis, S. Thyrsen, S. Vrsen, S. Viktoris" ac syllaba „SV" (v. 19) rubra sunt.

4° min.: pp. sign. 286: praeterea ff. non sign. in initio 8 et in fine 1. F. a 2ª ad [b 4ᵇ] litterae dedicatoriae Canisii Friburgo Helvetiorum ad Laurentium Arecker et Wolfgangum Dågescher praetores et ad reliquum senatum reipublicae solodoronae datae: de quibus vide supra p. 433. P. 1—6 „Vorred vnd Eingang in dises gantze Werck, an den Christenlichen Guethertzigen Leser". Opus tres complectitur libros in varia capita divisos. Singulis libris praepositus est index, quo quid in singulis capitibus dicatur, notatur. P. 281 „Ain Gebett zu Gott von S. Moritz vnd seiner hailigen Thebaischen Gesellschafft, inn vnd ausserhalb der Kirchen zusprechen": p. 282 „Ain anderes Gebett, von S. Vrsen, vnd anderen H. Thebaischen Martyrern, so zu Soloturn ruehen." P. 283 „Christliche ermanung *Johannis Carpentarij*[1] an seine Soloturner beschriben, das Thebaische Hailtum, welches bei jhnen behalten wirdt, anlangend". Hortatur is hoc carmine Solodoranos, ut sanctorum martyrum reliquias illas pie venerentur et eorum praecepta observantes virtutibus christianis operam dent; p. 284—286 carmen alterum idque inscriptum sic: „Kurtze Erzeelung der fürnemsten Thebaischen H. Marterern, von ietztgemeldtem Carpentario verzaichnet." In folio ultimo errata. Vidi exemplum huius libri, quod est Monachii in bibliotheca universitatis (Theol. 5525, S. N.o 901). Liber exstat etiam Tubingae in bibliotheca universitatis et Berolini in bibliotheca nationali. Editionem posuit *Sommervogel* II 681.

1572. 1596.

Vita S. Idae a Canisio edita Friburgi iterum typis exscribitur.

Amicus quidam mecum communicavit hunc titulum in catalogo bibliothecae cuiusdam a se inventum: „Historische kurtze Beschreibung von dem Leben und Wandel der Gottseligen Frawen S. Itta von Kirchberg, etc. So inn dem Würdigen Gottshaus Vischingen seliglich ruwet. Freyburg in Uchtland, 1596."

Haec sine dubio est nova editio vitae S. Idae a Canisio primum a. 1590 editae: v. supra p. 806. *Sommervogel* hanc editionem non posuit.

1573. 1596.

Friburgi Helvetiorum cantiones ecclesiasticae cum Canisii Catechismo minimo eduntur.

„Catholische KJrchengesäng | zum theil vor vnd | nach dem Catechismo, zum teil | sonst durchs Jahr zu vnterschid- | lichen Zeiten zu singen: | Samt dem Kleinen Ca- | techismo des E. H. Petri Cani- | sij Societatis IESV The- | ologi. Cum facultate Superiorum. | Getruckt zu Freiburg in Vcht- | länd, bey Abraham Gemperlin, | vnnd M. Wilhelmo Mäs. | M. D. XCVI." Versus 2, 3, 7, 11, 12, 15 et verba „Petri Canisij" et „Iesv" rubra sunt.

16°; pp. sign. 169, addito folio titulari. In pagina altera folii titularis: „S. Paulus der Apostel, inn der Epistel an die Colossern, im 3. Capitel: Leeret vnd ermanet euch selbst mit Psalmen vnnd Lobgesängen, vnd andern Geistlichen Gesängen, vnd mit dancksagung singet Gott in eweren Hertzen." P. 3—7 „Register oder Verzeichnus der Gesängen". P. 8—27 „Catholische Gesäng so vor vnd dem [*sic*] Catechismo ahn Sonn vnnd Feiertägen zu singen". P. 28—120 „Andere Gesäng, so zu vnterschidlichen Zeiten dess Jars zusingen". P. 121—124 „Gereimete Gebettlin". P. 125 „Der Cleine Catechismus des E. H. Petri Canisij, der heiligen Schrifft Doctors, inn Frag vnd Antworten gestellet." P. 126—152 Catechismus, quinque capitibus de fide, sacramentis, praeceptis, oratione, iustitia christiana 47 quaestiones cum suis responsionibus complectens. P. 153—169: „Volgen schöne Gebettlin, von einem Christen täglich zu gebrauchen." P. 125 imago ligno incisa: Salvator stans et globum terrae cum cruce manu tenens; circa quem varii Sancti in genua sunt provoluti. P. 153 imago ligno incisa David regis Patrem coelestem adorantis. Verisimillimum est,

[1] De hoc v. supra p. 301³—369.

hanc editionem ab ipso Canisio curatam esse. Nam reliqui Socii friburgenses institutione iuventutis, contionibus, aegrorum visitationibus, ministeriis similibus magnopere occupabantur. Canisius vero senectute et infirmitate ab his rebus omnibus impeditus totus in studia sacra et in scriptionem incumbebat. Accedit, quod iam a. 1590 eius maxime opera „catechisticae cantiones" Friburgi editae sunt: v. supra p. 811. Huius libri exemplum exstat in bibliotheca monasterii cisterciensis Reun in Stiria siti. Eius descriptionem humanissime mihi misit a. 1893 Reverendus Pater *Antonius Weis* O. Cist., monasterii bibliothecarius. *Sommervogel* hanc editionem non posuit.

1574. 1581–1597.

Ex Can. 47 p. 44.

Canisii scriba quidam pervicax miro modo punitur.

P. *Iacobus Keller* S. J., qui tres annos et septem menses cum Canisio Friburgi Helvetiorum vixit (v. supra p. 841), in eius Vita circa a. 1612 scripta necdum typis exscripta haec narrat (l. 2. cap. „Peruicacia" etc.): „Erat Canisio Friburgi ad manum librarius, probae famae, gnauusque; hunc aliquando, nescio ob quem stomachum, cepit scribendj satietas; et quia iam coelum caligauerat, indignabundus operam abiunxit, penso imperfecto domum iturus. Jnterpellat Canisius (intererat enim absoluisse) et moram aliquantulam orat. Obstinatus alter et decreti tenax ad malum abit. Nam simul ac pedem in platea ponit, claudique post tergum ostium inaudit, occulta ab vi tanto ictu depalmatur, ut excussas oculis scintillas spargeret. Pauefactus iuuenis, cum hostem nec videret nec audiret trepido cursu profugit, castigatae pertinaciae indice maxilla, quae quia ad S. uirj preces rubere non potuit, ad colaphum debuit."

Tradunt etiam Dionysio Cartusiano, viro ceteroquin et doctissimo et sanctissimo, cum a. 1469 Buscoduco Ruraemundam proficiscens in arce Horn prope Ruraemundam moraretur, daemonem colaphum vehementer impegisse *D. A. Mougel* O. Cart., Dionysius der Karthäuser, Mühlheim a. d. Ruhr 1898, 75[2].

1575. 1596.

Breviarium Canisii.

Anno 1891 vidi Friburgi Helvetiorum in domo praeclarae familiae Reynold Partem autumnalem Breviarii Romani in 4° editi, eamque folio titulari orbatam, in cuius folio ultimo haec scripta sunt: „Antoine de Reynoldt · 1740": deinde alia manu: „Ce breviaire a appartenu au R. P. Cannisius et lui a été donné en 1596 par une Princesse d' Augsburg[1]. J'ai trouvé cette indication à la première page de ce livre qui a été brûlée par les Vaudois lors qu' ils devastèrent l'oratoire de Nonan[2] le 12 Novembre 1847. P[re] de Reynold de Nonan Major." Traditio autem quaedam domestica familiae Reynold hoc, ut accepi, habet: Canisium librum hunc dedisse uni ex ipsorum familia, qui de Societate fuerit et illo tempore Friburgi versatus sit. Fateor equidem, me in Catalogis friburgensibus illius temporis, quos videre mihi contigit, Socium huius nominis non repperisse. In collegii autem * *Historia* notatum est, a. 1596 „Bartholomaeum Reinold Philosophiae Magistrum" in ipso collegio exercitiis spiritualibus esse exacultum (Cod. frib. „Hist. coll. Frib." p. 31–32). In marginibus Breviarii complura latino sermone breviter notata sunt manu Sebastiani

[1] Ab una ex uxoribus nobilium Fuggerorum?

[2] Nonan, praedium rusticum familiae reynoldianae.

Verronii praepositi friburgensis. Idem in pagina interiore involucri anterioris multas scripsit causas, quae Deo in oratione commendandae essent; v. supra p. 868. Verroniis Reynoldi propinquitate generis iuncti sunt. Unde complura, quae olim Sebastiani Verronii fuerant, ad familiam Reynold postea translata sunt et ex parte nunc quoque in ea asservantur. Impetravitne Verronius, eximius ille Canisii cultor et admirator, post eius mortem, ut liber ille memoriae causa sibi daretur? Friburgi mihi dictum est: Nunc quoque aegrotorum rogatu hic liber ad eos defertur, sperantes, se, si Canisium pie coluerint et cum fiducia invocaverint, singulariter a Deo adiutum iri.

1576. A d. 7. ad 14. Octobris 1596.

Ex codice cantonalis bibliothecae friburgensis, de quo dictum est supra p. 779. f. (non sign.) [2ª]—[16ᵇ].

Friburgi Helvetiorum Sebastianus Verronius, capituli S. Nicolai decanus, Canisio duce exercitiis S. Ignatii vacat.

In codicis friburgensis, quem supra p. 779 dixi, fasciculo primo *Sebastianus Verronius*, decanus ecclesiae collegialis S. Nicolai, quae est Friburgi Helvetiorum, lingua latina notavit „Exercitia spiritualia Friburgj in patria In collegio novo Patrum Societatis Iesu peracta, anno 1596 · VII. Octobris" ad „14. Oct. 1596" (qui dies ultimus ab eo in exercitiorum fine [f. 16ᵇ] positus est). Continet autem hic commentarius cum partem meditationum, regularum, adnotationum, quae in libello exercitiorum S. Ignatii exstant (ita tamen, ut nec cum „vulgata", nec cum „antiqua" illa exercitiorum versione omnino conveniant), tum alia sensa, consilia, proposita, quae aut ipse Verronius concepit, aut ille ei suggessit, qui exercitia ei tradebat.

Verisimile autem, immo vix non certum est, Verronii ducem in his exercitiis fuisse ipsum Canisium, qui etiam anno 1588 ei Friburgi exercitia tradiderat (v. supra p. 779). Nam in meditatione „de regno Christj procurando" (f. 6ª) *Verronius* scripsit: „Ad augendum regnum Christi, suos ministros ad opus evocantis: necessaria est et fructuosa. 1. abnegatio suijpsius: II. imitatio Christj: quae deinceps in omni vita accuratius animo infigenda est (ut interim monuit quoque R. P. Canisius, paulo ante eam meditationem me invisens). III. Contentum esse victu, amictu" etc. Deinde sub finem exercitiorum *Verronius* proposita sua sive „Paraeneses", ut ipse ait, sic notat: „Renovaminj spiritus mentis vestrae[1]. Attendentibus ipsi. In victu vitandum scandalum. In 1 habitu, 2 sermone, 3 incessu, 4 voce, modestia servetur. Scrupulis, qui plerumque solent culpae gravitatem excedere, non facile credendum[a]. In oratione spiritus vehemens et ardens, attentus · In conversatione humana spiritus mitis, blandus, remissior, non nimium exactus: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Mat. 10[2] imaginandus unus aut alter vir mansuete et lente agere solitus: imo Christus ipse cum sua mouendj et docendj ratione. Beatj mites quoniam ipsi possidebunt terram[3]: Verba dicta lente, etiam

a) *Verr. haec vv., incipiendo a* Scrupulis, *postea commentario inseruit.*

[1] Eph 4, 23. [2] Mt 10, 16. [3] Mt 5, 4.

suam efficaciam et emphasim habent" His verbis *Verronius* in margine haec ascripsit: „P. Canisius. Imitare Christum. Discite a me quia mitis sum et humilis corde[1]. Colendus est etiam cum amore S. Nicolaus." Addam reliqua Verronii proposita, quia ex his quoque Canisii animus, ut ita dicam, elucet. „In dictis, factisque cavenda obrepens superbia. Verba otiosa penitus cavenda. Dura et importuna lente perferenda non initio tantum, sed ad finem perseverando. Meditationes instaurandae. Irascendum nunquam[a]. Adeundi confratres etiam domesticis conventibus familiariter. Quid prodest, unj vitio extirpando attendere, neglectis caeteris? Cur se dedunt vitae religiosae alij, nisj ut strictius parendo legibus particularibus, vitijs extirpandis, et vitae bene instituendae incumbant · quantum igitur inter religiosos hisce diligentiae adhiberes, eam adhibe etiam domj : nam nec inter pios, et religiosos vita emendatur, nisj cura et labore adhibitis. Dicit Deus: Intellectum tibj dabo in via hac qua ambulabis, firmabo super te oculos meos[2]. Psal. 31. Idem quoque dicit · Nolite fierj sicut equus et mulus[3] etc. Omnia fac secundum exemplar quod tibj in monte ostensum est[4]."

1577. 1596.

Ex archetypo. G. Sup. 65 f. 139[a]-140[a]. Litteris usi sunt *Raderus* 182-184; *Sacchinus*, Can. 371.

Socii friburgenses in collegium novum immigrant. Canisii contio. Orationes in convivio. Res scholasticae. Ministeria sacra.

In *Litteris* annuis collegii friburgensis, Friburgo Helvetiorum Kalendis Decembribus a. 1596 datis, haec narrantur: „Degere hic Nostrum vndeuiginti : Sacerdotes duodeni: fratres septeni. . . . Collegium multis annis abhinc aedificari coeptum, hoc tandem numeris suis absolutum, habitare sumus ingressi[5]. Sedes sane nostris usibus peraccommodata, Reipub. impensis paene perfecta, templi fabricam, inexhaustae ciuium in Societatem liberalitatis sociam, testem desiderat, progrediente item tempore sub lucis auras erigendam. Interea Sacello circumscribimur, amplo satis, si cum locorum prioribus, quas incoluimus, angustiis conferatur, verum litterarum potius quam religionis exercitationibus destinato[6]. Quod dum celebri ritu adhibito, Cleri antistes[7] sacrarum rerum usui addiceret, adfuere tum Episcopi Vicarius[8], aliique Canonici com-

a *Ser vv. sqq. a Verr. postea addita sunt.*

1 Mt 11, 29. 2 Ps 31, 8. 3 Ps 31, 9. 4 Ex 25, 40; Hebr 8, 5.

5 In * *Historia* collegii friburgensis affirmatur, id factum esse 5. Augusti: quo die ecclesia „Dedicationem B. Mariae ad Nives" colit (Cod. friburg. „Hist. coll. Frib." p. 31).

6 Sacellum populi quoque usibus destinatum a. 1597 ineunte apud collegium conditum est; in quo sanctissimum sacramentum asservari coeptum est d. 2. Februarii (Cod. frib. „Hist. coll. frib." p. 44).

7 „Praepositus", ait * *Historia* collegii. Is erat Erhardus Thorinus † 5. Octobris 1596; *Fontaine*, Notice sur la chambre etc. 73.

8 Petrus Schnewly, vicarius generalis episcopi lausannensis.

plures, tum uterque Reip: praeses[1], cum multis Senatus plebisque viris spectatissimis. Sacro symphonica hilaritate rite confecto, prodiit, nonnulla hominum admiratione, Reuerendus P. Petrus Canisius, senex cygneo more canorus, et circumfusae concioni explicuit tum Societatis nostrae instituta consuetaque munia, tum Reip. causas, quibus ad hanc magnificam aedificij molem inchoandam perficiendamque commota fuisset. Concione missa, praecipuae autoritatis viri, ad tenue, verum a virtute religiosa, et tantorum hominum de Societate opinione concepta minime diuersum, prandium accessere; ubi triplici perorandi genere, partim uniuersae ciuitatis erga nos beneficentiam, tot iam annis ex multis quidem argumentis, praecipue vero ex hac Collegij noui, eiusdemque amplissimi structura cognitam exploratamque depraedicauimus, partim etiam mutuae voluntatis studium ac officium pro exigua facultate nostra summum promisimus. Quae res quantopere utriusque dignitatis summatibus placuerit, ex honorifica non minus quam facunda gratiarum actione, post solutum convivium, ab altero Reip: moderatore habita, clare patuit; qua, quam grata Societatis munia, et communi emolumento salutaria hactenus cecidissent, diserte significauit, et ad incoeptis insistendum, nos omnes egregie animauit, iussitque omnis beneuolentiae praesidia multo ampliora, quam hucusque simus experti, exspectare. . . . Nouas Scholas non multis hebdomadis, post immigrationem occupauimus. . . . Auximus Scholas Rhetorica, diu iam multumque exoptata. . . . Sacris commentationibus operam nauarunt duo domi nostrae, alter magnae autoritatis vir, non multo post in Praepositum Ecclesiae Collegiatae cooptatus[2]. Enunciarunt apud nos delicta sua uniuersim 5920. . . . Duodecim ex haereticis agris ad Catholicos, tanquam meliorem coloniam traducti."

Canisii orationem, quae in his litteris commemoratur, *Matthaeus Raderus*, edoctus fortasse ab uno ex iis, qui eam audierant, copiosius enarravit p. 182—183: „In perfectum Collegium Sociis immigrantibus, Canisius frequenti populo primam in sacello tumultuarie ad Musei aditum excitato concionem habuit: quae simul illi vltima fuit, anno, ante quam de statione vitae decederet, dumtaxat vno. Lemma concionis erat institutae Societatis ratio, viuendi modus, finisque, studia docendae iuuentutis, erudiendi pro concione populi, eiusdemque per confessionem expiandi, subleuandi in valetudine, firmandi in morte, solandi in aegrimoniis, reducendi ab haereseos erroribus in viam, aliaque hoc genus plura. Fecit postea gradum ad Magistratus, quo consilio ad excitandam tam nobilem, amplam et sumptuosam molem aedificii fuerint impulsi: promissi demum conatus nostri ad vniuersam Reipub. et singulorum salutem procurandam." [3]

[1] Ioannes Meier et Ludovicus ab Affry (*F. Kuenlin*, Dictionnaire du Canton de Fribourg I, Fribourg 1832, 268).

[2] Sebastianus Verronius; Canisio iuvante hic spiritualibus hisce exercitiis operam navavit; v. supra p. 879.

[3] Miror, Dr. *Richardum Mayr* affirmare: „Die alte Jesuitenschule ruhte auf der später mehrfach abgeänderten ‚Ratio Studiorum' (Rom 1586) des Ordensgenerals Claudio Aquaviva (1543—1615); neuere Forscher halten die Verfasserschaft des Peter de Hondt gen. Canisius (1524—97) für wahrscheinlicher": Weltgeschichte, herausgeg. von *Hans F. Helmolt*, VIII, Leipzig u. Wien 1903, 399. Ut nihil dicam de Aquaviva, nulla ratione probari potest, Canisium auctorem esse „Rationis Studiorum".

Dr. *Carolus Dändliker*, historicus helvetius, de scholis helveticis exeuntis saeculi XVI. scribens, haec notat: „Das Schulwesen der Jesuiten stand höher, als gleichzeitig dasjenige der Protestanten; es kam nicht selten vor, daß Protestanten Jesuitenschulen besuchten. Denn hier herrschte mehr pädagogisch vernünftige Methode, mehr Rücksicht auf weltliche Brauchbarkeit, Anständigkeit und auf Gesundheitspflege": Geschichte der Schweiz mit besonderer Rücksicht auf die Entwicklung des Verfassungs- und Kulturlebens. II, Zürich 1885, 633.

1578. Exeunte m. Decembri a. 1596 (vel aestate a. 1597).

Ex Can. 43, fol. separato nec signato.

Canisius Friburgi exhortationem domesticam habet.

Exstat exhortationis sacrae ad Socios collegii friburgensis habendae commentarium, quod totum manu Canisii scriptum et sic ab eo inscriptum est: „Circa renouationem uotorum 1597". Incipit: „Ernewert euch im geist ewers gemuts vnd zichet an den newen menschen. Ephes. 4[1]. Renouatio nostra, sicut charitas uestra iam intellexit, breui a nobis fiet, et si Deus uolet, cum optato fructu[a]. Quid autem est et dicitur ista renouatio? ad quid prodest collegijs [?][b]. Quomodo circa illam nos geremus. In his tribus stat summa praesentis exhortationis[c].

Renovatio votorum Friburgi de more fiebat quotannis primum Kalendis Ianuariis (cf. supra p. 575 656 692 734 770), deinde die aliquo aestatis. Neque tamen ex huius commentarii verbis cognosci potest, utro die Canisius exhortationem habuerit. Equidem existimo, eum uno ex ultimis diebus m. Decembris anni 1596 dixisse. Nam aestate a. 1597 iam admodum infirmus erat: v. supra p. 474 482.

1579. 1580—1648.

Ex Cod. friburg. „Hist. coll. Frib." p. 194.

Petrus Python friburgensis, Canisii cultor eximius, eo benedicente mira suavitate perfusus.

Antiqua *Historia* manu scripta collegii Societatis Friburgi Helvetiorum constituti haec habet in a. 1648: P. Petri Canisii „singularis Cliens Clarissimus Dominus Pancratius Python Senator, et reip. ut uocant Commissarius generalis hoc anno inter Nostrorum preces et adhortationes pie obijt, qui aduentantes primum in hanc urbem nostros latina oratione a triuiali Magistro accepta puer olim salutauerat, primus eidem a Sacris minister, peragratis deinde exteris prouincijs[2] post aliquot domi nostrae dierum collectionem apud eundem depositis totius uitae noxis inuitatus antequam ad suos rediret ad sacrum illius Patris sub eius finem ad sacra bene precantis uerba tanta se suauitate repente delibutum postea Senator iuratus asseruit in processu Canisiano, ut sex hebdomadibus mire exultauerit, nihil simile deinceps expertus, unde

a) *Supra hoc v. Can. scripsit* wolfart. b) *Vel* collegio *vel* collegij fratribus. *C. scripsit* collegij. *Primum scripserat:* Quam utilitatem ex ea sperare et consequi possumus. c) *Sic C. correxit, quae primum scripserat:* Haec summa est in praesenti exhortatione tractandorum.

[1] Eph 4, 23 24.

[2] Senatus friburgensis ei 18. Septembris 1587 litteras commendaticias dedit, quibus affirmabatur, eum, iam magistrum philosophiae Friburgi Brisgoviae factum, iuris civilis et canonici discendi gratia clarissimas Italiae universitates, imprimis patavinam, obire velle (ex apogr. eiusdem temp., quod est Friburgi in archivo reipublicae, Cod. „Latinische Missifen 1579—1591" f. 37[b]—38[a]). Cf. etiam *Berthier*, Bonh. XXXVII.

tantus deinceps P. Canisij Encomiastes, tantus Collegij et Societatis Patronus[a], ut a nonnullis Jesuitarum Angelus diceretur, saepe nos utili patrocinio tutatus, quam curam moriens quatuor filijs Magistratu iam in republica fungentibus, commendauit."

Unus ex Pancratii filiis erat Beatus Iacobus, cuius filius Franciscus Petrus a. 1656 Societatem ingressus est et a. 1710 Monachii edidit Vitam Canisii, quam a P. Ioanne Dorigny S. J. gallice scriptam latine reddiderat et variis rebus auxerat „Grosses Bürgerbuch" I f. 161ª [Friburgi in archivo reipublicae]; „Diarium Collegij Frib. Helu. 1653—1661" f. 75ᵇ [Friburgi in bibliotheca cantonali]; *Agricola* I 214.

1580. 1582—1596.

Canisius in collegio friburgensi pavimentum verrit, scutellas abluit etc.

Sebastianus Werronius praepositus friburgensis in *Commentario illo de extrema parte vitae Canisii scripto (v. supra p. 797), ubi de vita domestica, quam ille Friburgi Helvetiorum agebat, narrat: „Canisius", inquit, „hebdomadarias vices inter socios subire, stato die pavimentum verrere, scutellas a prandio eluere, aliaque pro more vilissima non minus quam qui infimi essent, officia praestare solebat" (l. c. f. 5ᵇ). *Matthaeus Raderus* S. J. in vitae canisianae prima adumbratione Augustae Vindelicorum a. 1611 absoluta de Canisio sene Friburgi degente scripsit: „Nec domesticas interim operas negligebat, cum et hebdomadatim ipse suas obiret uices, et tironum ritu, et mediastinorum sociorum, nunc puluerem scopis abstergeret, nunc pauimentum uerreret, nunc culinarias a patinis sordes ablueret, nunc alia pro more domi curaret, tam simplici habitu et gestu, ut nihil in eo quaesitum aut affectatum deprehendi posset." (MSS Gesuitt. Cod. 1355 p. 52, Romae in bibliotheca nationali.) Eadem fere *Raderus* protulit in vita Canisii a. 1614 Monachii typis expressa (p. 218—219). Haec Friburgensibus valde placuerunt. Testatur enim P. *Petrus Canisius Boret*, monasterii Minorum Conventualium friburgensis sodalis: „La tradition des gens pieux, qui s'est transmise de famille en famille atteste qu'on le vit parfois balayer les corridors du collège de Fribourg. Se regardant comme inutile dans son grand âge, il voulait au moins remplir les modestes fonctions d'aide de cuisine et laver la vaisselle" (Vie et Apostolat du Bienheureux Pierre Canisius, Paris-Fribourg 1881, 193).

„Regulae communes" Societatis haec praescribunt (n. 18): „Singuli, etiam si Sacerdotes sint, cum primum surgunt, lectum operiant, eumque, et reliqua componant hora consueta, et scopis cubiculum verrant tertio saltem quoque die, exceptis ijs, qui ob occupationes maioris momenti, aut valetudinis causa, iudicio Superioris subleuandi sunt" (*Regulae* Societatis Iesu, Romae 1582, 19—20). „Instructiones" autem a P. *Hieronymo Natali* Societatis visitatore conscriptae et ab eodem a. 1566—1577 recognitae, quas a. 1565 secunda Congregatio generalis Societatis provincialibus tradi iussit, „ut illis pro sola directione, nulla interim obligatione obstricti, uterentur", in „Ordine culinae" haec habent: „Post prandium et coenam, transacta media hora prioris quietis, vnus vel duo vel plures fratres, prout opus fuerit et frequentia collegii patietur, vestiti saccis ex lino crasso ab anteriori parte cum manicis, destinentur ad scutellas abluendas et discos, etc. atque hi mutentur suis diebus. Comprehendantur

a) *Supplendum esse videtur* fuit *vel simile v.*

autem in his per vices suas, non solum sacerdotes, sed omnes etiam superiores, neque vllus excludatur, nisi cui notabile damnum afferet illud exercitium, ex praescripto medici: hoc vero facient dimidia hora" Epistolae P. Hieronymi *Nadal* IV, Matriti 1905, IX 604.

1581. 1580–1597.

Ex codice inscripto „Rationes Accepti et Expensi Collegij S. J. Friburgi Nuithonum ab anno 1580", qui est Friburgi Helvetiorum in bibliotheca cantonali, p. 1 2 3 6 11 38.

Data et accepta in collegio friburgensi, inprimis pro libris. Aes alienum.

In codice collegii friburgensis, in quo ex Societatis praescripto rationes dati et accepti notabantur, ut eas praepositus provincialis in collegii visitatione ipse vel per socium inspiceret et nominis subscriptione confirmaret, haec, praeter alia, notata sunt:

„Anno 1580 den 10 decembris seindt R. P. Petrus Canisius, vnnd P. Robertus Ardrenus der Societet IESV allhie zu Fryburg ankhommen. . . . Anfenckhlich hatt ermellter P. Canisius in gelt mit sich gebracht nach Fryburger müntz gerechnet 15 Cronen 3 lb.[1]

1581 Vber solches haben die Vnnseren von dato auff den 6 May Anno 82 von dess Closters[2] einckhommen empfangen 1719 Cronen
Summa 1734 Cr. 3 lb.

Hingegen nach lauth der register aussgeben 1652 Cr.

Hetten also in der khisten bleiben sollen 82 Cr. 3 lb.

Seyen aber in praesentia R. P. Oliuerij Visitatoris gefunden worden
120 Cr. 3 lb. 2 gr. 16 dl.

1582 Rationes von 6 Maj auf den 11 Iunij 83[3]

Jn vorgeender rechnung seyen in der khisten bliben	120 Cr.	3 lb.	2 gr.	16 dl.
Vber welches auf dato empfangen	985 „	2 „	9 „	7 „
Jtem vom khirchen gelt entlehnet	191 „	„	9 „	15 „
Summa	1297 „	1 „	9 „	18 „

Außgab

	Cr.	lb.	gr.	dl.
Erstlich für klaydung, leinwacht, bedtgewant, wösch .	184			2
Für allerlay khlaine Ding	19	4	11	16
Haußraht, vnnd arbaijter	288	3	11	19
Costgelt	63	1	6	4
Brott	57		9	6
Fleisch	35	1	3	1
Visch, Ayr	48		3	11
Schmaltz, müllich, käss, vnd gemueß .	25		11	3
Fur gewürtz, vnd Fastenspeiß	16	2	11	10
Für Öl	4	2	11	10
Vmb buecher Papir				
Almusen	33		4	10

[1] Cr. = Coronae sive Coronati Kronen; lb. = librae Franc. Lira; gr. = grossi Groschen; dl. = nummi Pfennige. P. *Sigismundus Ilsung*, qui diu collegii procuratorem egit, in a. 1595 l. c. p. 34 notavit: „Viginti solidi libram. Quinque librae Coronatum Monetarium constituunt."

[2] Monasterium marsense significatur: v. supra p. 4–5.

[3] Canisius officio superioris, quo ab initiis domus friburgensis functus erat, levatus est sub medium m. Septembrem a. 1582, quo P. Petrus Michael, primus collegii rector futurus, advenit: v. supra p. 102.

	Cr.	lb.	gr.	dl.
Junckher Peter Feijtag an seinem Hauß bezalet	142	1	6	
Für die Capellen	23	2	11	8
Dem Schüchmacher	11	1	9	15
Apodecker vnd Barbierer	8		6	
Fur Vnsletkertzen	9	2	6	
Holtz	29	2	9	
Schlosholtz, das ist, das Zimmer vom schloß herain zufieren	32	2	9	
Zerung vnd Bottenlohn	45	4	10	2
Für den Wein einzubringen	30	1	6	
Waß uff den Weinberg, vnnd Closter gangen	17	3	4	10
Für den baur zu Marcens	38	4		
Den Religiosis Monasterij [1]	105			
Summa alles	1284	2	2	13
Solches vom empfangnen abgezogen bleibt im rest	12	4	7	5."

Sequitur ratio dati et accepti ab 11. Iunii 1583 ad 1. Maii 1584. Ex qua haec tantum noto:

	Cr.	lb.	gr.	dl.
„Bücher papir, vnnd Rosenkhräntz	48		5	5
Was das Collegium schuldig				
Erstlich der Prouintz	37		30	
Dem Collegio zu Lucern	38	21	5	
Den Herren von Friburg est debitum, quod olim Abbas [2] fecit	500			
Herren Capitani Rötze [3]	240			
Willero vmb büecher [4] vnd dem Buechbinder	98			
Frawen Mischelo	35			
Der kirchen	102			
Religiosis Monasterij	50			
Summa	1200	4	7	

Daß Collegium noch schuldig 153 Cron. 4 lb. 6 gr. 1 dl.

Ex commissione R. P. Prouincialis [5]
Simon Hiendl manu propria."

1584–1585: „Weyter haben die Heren von Fryburg P. Rectorj et Canisio auf die raus pro congregatione vereheret 20 Cr." [6] Collegium debet „Monacho nostro 50 Cr., Willero Augustae pro libris 90 Cr."

1585–1586: Collegium debebat reliquis provinciae collegiis 160 coronatos, domui probationis landsbergensi 150 coronatos; universum aes alienum erat 794 cor. Anno 1587–1588 debebant „Willer gen Augspurg vmb Buecher 24 cor., Vnserm Einzieher Georg Corbj besoldung vom Januario 16 cor., Dem Niclausen R. P. Canisij schreiblohn 6 cor. 78 lb." Inter 1. Iunii 1588 et 1. Iulii 1589 acceptum est praeter alia „Honorarium ab Abbatissa Sekingensi [7] Patrj Canisio factum 24 cor. 4 lb. 16 dl." Empta sunt: Oleum olivarum, uvae passae, saccarum, amygdala, ficus, mel, sinapi, aromata, sal, poma, nuces, cerasa. Constiterunt „libri, compactio, vectura 28 cor., varij generis, vt papyrus, scopae, scriba P. Canisij 25 cor." 1589–1590: „Libri, compactio, vectio 11 cor." 1590–1591: „Pro libris, compactione, vectione 79 cor." Inter 1. Iunii 1591 et 1. Maii 1592 „Patri Canisio Lucerna donati 13 cor." [8] Inter 1. Maii 1592 et 1. Mai 1593: „Dono dati sunt a Domino Praetore ab Afri Patrj Canisio propter dedicationem libri Notarum 7 cor. 68 lb." [9] Soluti „pro libris, com-

[1] Marsens: cf. *Can.* VII 869. [2] Marsensis. [3] Ratze.
[4] Georgio Willero bibliopolae augustano. [5] Georgii Bader.
[6] Cf. supra p. 644. [7] Iacoba a Sulzbach: v. supra p. 276.
[8] Cf. supra p. 284. [9] Vide supra p. 340.

pactione, vectura 63 cor. 2 lb. 12 gr.", pro „seuo, lychno, oleo lini, sulfuratis 12 cor." Collegium debebat „Willero pro libris 24 cor." Inter 1. Maii 1593 et 1. Maii 1594 „pro libris comp., vect. 34 cor.": aes alienum erat 1012 cor. 1594—1595 „pro melle, succo pyrorum, prunorum et sinapi 13 cor., libris, vect., compactione 48 cor." 1595—1596 pro libris et compactione 20 cor. Inter 1. Septembris 1596 et 1. Septembris 1597 „Testamento legauit Collegio Dn. Praepositus Torinus 10 cor.": soluti „pro libris et compactura 114 cor."

1582. 1581—1597.

Ex Canisii autographo. Can. 50, II f. 74[b].

Canisius orationes componit a Valesianis pro patria erroribus et vitiis purganda ad Deum fundendas.

Praefatiuncula editoris: *Iacobus Keller* S. J., unus ex collegii friburgensis praeceptoribus, in eiusdem collegii *Litteris annuis exeunte a. 1593 datis haec narrat: „Valesia regio est Jtaliae vicina loco, Geneuae doctrina, Heluetijsque contermina et confoederata. Multi male haeretici, pauci bene catholici, indiscriminatim Basileam, Tigurumue liberos mittunt ad certa studia, ad quamuis religionem. Nunc sensim loca mutare, Friburgum uenire magno numero, a Caluino abire, caeteros pietate uincere. Coire multi (erant omnes Parthenici coetus) in foedus Sacramento conceptis uerbis firmatum de Catholica religione retinenda, nobis non modo non authoribus, sed plane inscijs scripserunt leges, scriptas sanxerunt iureiurando nominibus subiectis, sigillis appositis" (ex apogr. eiusdem fere temporis, Cod. „I. 36" f. 61[a]). Fortasse horum iuvenum pietate flagrantium rogatu, certe in Valesianorum usum Canisius orationes composuit, quae hic ponentur. In earum autographo plurimae emendationes cernuntur a Canisio factae. Quibus hic notandis supersedeo, quia lectu valde difficiles sunt.

Ad Deum Patrem.

Omnipotens Deus, ex cuius nutu temporalia spiritualia et aeterna cuncta gubernantur, Maiestatem tuam supplex rogo, vt iram tuam peccatis meis ac totius Valesiae debitam clementer auertas. Conuerte nos Deus salutaris noster[1], ut uerae penitentiae fructus[2] edamus ac necessariam gratiam vtrique statui, Ecclesiastico atque politico reformando impetremus. Extirpa falsae doctrinae zizania, per quae Catholicae fidei triticum in populo suffocatur[3]; custodi ac tuere olim sancti Theoduli uineam[4] quae nunc a lupis grassantibus deuastatur: atque totam ditionem potenti et paterna benedictione conseruare et reformare digneris. Amen. Pater noster.

Ad Deum filium.

Domine Jesu Christe fili Dei et Virginis, redemptor mundi et saluator Ecclesie, commendo tibi nostrum Episcopum[5], Clerum, Senatum et populum Valesianum, vt duce gratia tua rectius habeamus. In hac ditione deleantur haereses, corrigantur abusus, tollantur crimina: pax et concordia restituantur. Dona huic patriae nostrae idoneos pastores, doctores atque magistratus, qui uerbo et exemplo praesint ac prosint subditis, et a quibus populus ad sancti nominis tui gloriam pascatur atque gubernetur.

[1] Ps 84, 5. [2] Mt 3, 8; Lc 3, 8. [3] Cf. Mt 13, 25 26.

[4] De S. Theodulo v. supra p. 312.

[5] Episcopus Sedunensis (Sion, Sitten) erat 1565—1604 Hildebrandus I. de Riedmatten.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi[1] per s. crucem et mortem tuam miserere Valesiae, et oues in illa errantes[2] adiuua, ut ad te conuersi omnes unj pastorj et uni ouili[3] restituantur. Pater noster.

Ad Deum Spiritum sanctum.

Veni sanctiss. Spiritus et uisita domum tuam Valesiam, cui multa munera benigne tribuisti. Ne sinas in hoc agro pro rosis spinas crescere, et pro Euangelica luce tenebras errorum inualescere. Mitte operarios ad messem[4] tuam quae corrupta est repurgandam, nouisque et necessariis gratiae tuae ac misericordiae fructibus excolendam. Reformetur abs te magistratus tum Ecclesiasticus tum politicus, redeant errantes ad Ecclesiae catholicae unitatem, malae cupiditates et carnis opera[5] profligentur. Conserua in illis ac renoua spiritum pietatis[6], modestiae, castitatis ac fraternae charitatis. Auge in omnibus ordinibus dona tuae gratiae, ut ex haereticis Catholici, et ex Catholicis Dei filij simplices ac obedientes efficiantur. Amen. Pater noster.

1583. 1597.

Catechismus Canisii minor editur latine Antverpiae, Duaci, Paderbornae, graeco-latine Ingolstadii, germanice (immutatus) Coloniae.

1. Institutiones christianae pietatis seu parvus Catechismus Catholicorum auctore Petro Canisio „Antverpiae. M. D. XCVII. apud Ioannem van Soeft. 16°, pp. 240": *Sommervogel* II 638.

2. „Kleiner Catechismus auß dem großen gezogen durch *Melch. Braun* Pastorn · Cölln. 1597. 16°": *De Backer* I 1061. *Sommervogel* hanc editionem non posuit. De Summae canisianae compendiis a Melchiore Braun parocho coloniensi factis v. *Can.* VII. 733.

3. „Institutiones christianae pietatis seu Parvus Catechismus Catholicorum. Duaci. Baltazarus Bellerus. 1597. 24°": *De Backer* I 1060 et ex eo *Sommervogel* II 638.

4. „Petri Canisii Societatis Jesu Theologi Catechismus Graeco-latinus. Nunc iterum in gratiam studiosae juventutis, opera cujusdam ex eadem Societate editus. Cum gratia et privilegio Caes. Mai. Ingolstadii, ex Typographia Adami Sartorii. Anno M D XCVII. 16°. pp. 115": *De Backer* II 1180—1181, et ex eo *Sommervogel* V 810. Plura de hoc libro a P. *Georgio Mayr* S. J. edito vide supra p. 858.

5. „INSTITVTIONES CHRISTIANAE PIETATIS. *SEV PARVVS CATECHISMVS CATHOLICO- RVM. Auctore Petro Canisio Societ.* IESV *Theologo.* PADERBORNAE. *Ex officina Matthaei Pontani* M. D. XCVII." 16°: pp. sign. 58. In pagina altera folii titularis imago ligno incisa Christi cruci affixi et medii inter duos latrones e crucibus pendentes: cui haec ascripta sunt: „In cruce, confixus clauis, dum pendet Iesus, Humanae peragit dulce salutis opus · Ioh. 3. Et sicut Moses exaltauit" etc. Catechismum sequuntur testimonia Sacrae Scripturae contra haereticos. Distinctus ac separatus ab hoc libello est alter libellus eiusdem magnitudinis et sic inscriptus: „Preces horariae de aeterna Dei sapientia, verae sapientiae studiosis sedulo frequentandae. His accesserunt orationes, matutinae, diurnae, vespertinae, etc. Breuis ratio peccata sua Sacerdoti confitendi. Modus item ministrandi et respondendi Sacerdoti celebranti Missam secundum nouum vsum Romanum. Paderbornae · Ex officina Matthaei Pontani. M. D. XCVII." In eadem illa pagina cernitur etiam imago ligno incisa Cordis Iesu corona spinea cincti; ipsam imaginem ambit rosarium

[1] Io 1, 29. [2] 1 Petr 2, 25; cf. Ps 118, 176; Is 53, 6; Mt 18, 12.
[3] Io 10, 16. [4] Mt 9, 38; Lc 10, 2. [5] Gal 5, 19. [6] Is 11, 2.

sive granorum corona, cuius quinque decades rosis distinguuntur: in quatuor rosis Christi manus et pedes cernuntur: supra coronam facies Christi ex sudario comparet. PP. sign. 128. Liber continet, praeter alia, „Meditationes quotidianas juxta ordinem dierum hebdomadae", et „S. Augustini Orationem cum a barbaris, Haereticisque inuaderetur ipsius urbs episcopalis" etc. Societatis homines Paderbornae iam inde ab a. 1583 scholas habebant. Quare dubitari non potest, quin ipsorum cura haec editio facta sit. Haec posui ex descriptione ab amicis mihi missa Hafnia (Köbenhavn, in Dania), ubi liber exstat in bibliotheca regia. *Sommervogel* hanc editionem non commemorat.

1584. 1597.

Catechismus minimus Canisii Moguntiae iussu archiepiscopi editur, eiusque usus praescribitur.

Wolfgangus a Dalberg archiepiscopus et princeps elector moguntinus 30. Septembris 1597 ad ecclesiasticos viros animarum curam gerentes litteras dedit, in quibus haec dicuntur: „Demnach uns fürkommen, daß zeithero ein zimlicher Mangel und Abgang an recht katholischen kleinen Catechismis, nit ohne merklichen Nachtheil und Versaumnus der unschuldigen Jugent, hin und wider bey den Pfarrherren und Schulen, in unserm Ertzstift und Gebiet, erschienen sei . . . so haben wir auß angelegener vätterlicher und wolmeynender Sorgfältigkeit nicht underlassen wollen, solchem gespürtem Mangel, so viel an uns, zu stewern und vorzubawen, und darauff die gnädige Verfügung gethan, daß der kleine Catechismus D. Petri Canisii, wie derselb hievor in kurtze Fragstück und Antwort gestellt, und jetzo von newem mit Fleiß ubersehen, in unserer Stadt Meintz in nothwendiger Anzahl getruckt werde." Commissariis igitur episcopalibus et parochis curandum esse, „daß solche von newem in Truck verfertigte Catholische Catechismi, zu Christlicher Heylsamer Underweisung und Aufferbawung deß gemeynen Völckleins und angehender zarten Jugent, nicht allein von unsern angehörigen Underthanen . . . erkauft . . ., sonder auch zum wenigsten alle Sonn- und Feyertäg, in angestellten Predigten und Kinderlehren fleißig abgelesen, erklärt und außgelegt werden": [*Christ. Moufang*,] Die Mainzer Katechismen von Erfindung der Buchdruckerkunst bis zum Ende des achtzehnten Jahrhunderts, in „Der Katholik" 57. Jahrg. II (N. F. 38. Bd), Mainz 1877, 257—260. Cf. etiam *Chr. Moufang*, Katholische Katechismen des sechzehnten Jahrhunderts in deutscher Sprache, Mainz 1881, 613—614. Editus igitur est Moguntiae a. 1597 Canisii Catechismus isque minimus. Cuius editionis exemplum usque adhuc, quod sciam, repertum non est. *Sommervogel* editionis mentionem fecit II 644.

Liceat mihi hoc loco addere, quae de Canisii catechismis maiore et minore scripsit P. *Anselmus Ricker* O. S. B., qui Vindobonae in universitate theologiam pastoralem tradidit: „Große Verdienste erwarb sich um den catechetischen Unterricht Petrus Canisius aus dem Orden der Jesuiten, der 1551 von Kaiser Ferdinand I. nach Wien als Professor und Hofprediger berufen — hier auf Ansuchen des Kaisers seinen berühmten . . . Katechismus verfaßte, der nach Inhalt und Form ausgezeichnet ist. Groß war der Nutzen, den dieser Katechismus stiftete. Geistliche und Laien begrüßten ihn dankbar als ein willkommenes Mittel, die Glaubens- und Sittenlehre mehr und mehr unter dem Volke zu verbreiten, und als einen bisher fehlenden gründlichen Leitfaden beim Unterrichte, der dem Lutherischen Catechismus entgegengesetzt werden konnte": Leitfaden der Pastoral-Theologie, 2. Aufl., Wien 1878, 149.

1585. Circa a. 1597.

Canisii Catechismus distribuitur et praescribitur in dioecesibus bambergensi, basileensi, coloniensi.

1. De Neithardo a Thüngen episcopo principeque bambergensi 1591—1598 catholicae religionis in episcopatu suo instaurandae studiosissimo *Fridericus Fornerus* episcopus eius auxiliaris in libro „Duo specula principis ecclesiastici" Ingolstadii

a. 1623 edito haec narrat: „Ad excitandum et promovendum in juventute ardorem addiscendae doctrinae Christianae, in sola munuscula catechetica, scilicet catechismum Canisii, et ejusdem libellos de praeparatione ad confessionem et communionem, precationum formulas, rosaria, imagines, et alia ejusmodi coëmenda ingentem pecuniae vim ex proprio peculio profudit": *Acta Sanctorum*, Iulii Tomus tertius, Parisiis et Romae 1867, 743—744.

2. In libro „Instructio Basiliensis in usum Decanorum et Presbyterorum per Capitula ruralia tam curam animarum habentium quam non habentium *Jacobi Christophori*[1] Episcopi Basiliensis iussu edita", Bruntruti 1597, iubentur omnes, qui in sacris ordinibus sint, „Summam" Canisii, et ii, qui animarum curam gerant populumque docere debeant, etiam eius „Opus catechisticum" habere (p. 15—17), ac praecipitur, ut in omnibus pagis diebus dominicis et festis certa post prandium hora pueris minor catechismus Canisii explicetur, atque ut in urbibus et pagis interdum contiones catecheticae habeantur, quibus parandis maior catechismus Canisii utilis esse possit (p. 20—23).

3. In „Directorio ecclesiasticae disciplinae, Coloniensi praesertim Ecclesiae accommodato", quod Coloniae a. 1597 ab *Octavio Frangipanio* episcopo tricaricensi et apostolico per Germaniam inferiorem et Belgarum provincias nuntio compositum est, haec dicuntur (p. 591): „De scholis . . . 9. Ante omnia Christianam juventutem optime institui volumus in orthodoxa fide et fundamentis Christianae religionis, quae parvus Catechismus Petri Canisii ad puerorum captum brevissime complectitur."

1586. 1597.

Canisii „Manuale Catholicorum" a. 1597 Antverpiae in officina plantiniana vlamice editum esse dictum iam est supra p. 795. *Sommervogel* hanc editionem posuit IX 1981.

1587. 1597.

Constantiae editur liber precum ex Canisii aliorumque libris excerptarum.

„1597. Ein schön new Bettbuch genant der Geistliche Rosengarten auß D. Petri Canisii, Granatensis, Verrepaei, vñ andern Bettbůchern zusamen gezogen. Costantz, bey Nicol. Kalt. 16.": Ita „*Catalogus novus* Nundinarum vernalium, Francofurti ad Moenum, Anno M. D. XCVIII celebratarum, qui . . . his Nundinis venales fuerunt expositi: qui plerique apud Tobiam Lutz, Ciuem et Bibliopolam Augustanum venales habentur. Franckfort am Mayn" [1598] f. D[v].

1588. 1597.

Friburgi Helvetiorum a Canisio editur Memoriale Catholicum („Catholisches Denckbüchlin") ad „patronorum menstruorum" cultum apud Sodales marianos fovendum.

„Catholisches Denckbüchlin: Das ist, Außerlesene vnd Nutzliche Sprüch, Altes vnnd Newes Testaments, jedem Catholischem Christen, zu rechter gegenwehr gemeines Anligens, sonders diser be- trübten vnd gefährlichen lauffen zugebrauchen. Allen Fromen vnd Andächtigen Christen, gantzer würdiger Brü- derschafft, der Glorwůrdigen Mutter Got- tes MARIAE, Hoch vnd Nider Teutschlandes, zů mehrerer befürderung jrer Andacht in Truck verfertiget. Getruckt zu Freiburg in Vchtland durch Abraham Gemperlin. 1597." In extremo libro: „Getruckt zu Freiburg inn Vchtland, durch M. Wilhelm Mäß. 1598."

12°; nec folia, nec pp. numeris sunt signatae; ff. 103, addito titulari. In f. 2[r] haec dicuntur: „Was hierbei zu mercken. Es ist in der Andächtigen vnnd Löblichen Brůderschafft, vnserer lieben Frawen dise gewonheit vnd Christliche ůbung, daß

[1] Blarer a Wartensee.

Monatlich für alle derenselbigen Glieder, besondere Patronen, zu befürderung der Andacht vnd allerhand Tugeten, außgetheilt werden: Darumb wolgemeldter Brůderschafft zu lieb dise mit vleiß außerleßne Sprůch deß Alten vnd newen Testaments, in Druck verfertiget. Es soll aber nach abschneidung jedes Zettels vor derer außtheilung, ein benannter Patron oder Heiligen oben vber geschriben werden, sampt dem Tag, daran sein Fäst oder Gedächtnuß selbiges Monats in der Catholischen Kirchen gehalten wird." In singulorum foliorum una tantum pagina sententiae positae sunt; altera autem pagina vacua est. In singulis foliis quatuor sententiae Sacrae Scripturae positae sunt, et post singulas sententias indicatur, quid a Deo petendum sit; v. g. „DEm Obersten in Deinem Volck, soltu nit fluchen. Exod. 22. Bitt Gott, vmb gehorsamkeit des Volcks gegen seiner Oberkeit." — „GOtt strafft vns vmb vnsere Missethat, vnd vmb seiner erbårmen willen wirdt er vns wider heil machen. Tobie 13. Bitt Gott das er die Teutsche Nation nit straffe nach jrem verschulden." — „ES ist ein wenig mit der forcht deß Herren besser, dann grosse Schätz die vnersetlich sind. Prou. 15. Beger gnad mit deiner Haab vergnůgt zu sein." — „WEr einfaltig wandelt, der wandelt sicher: wer aber Verkehrt ist auff seinen Wegen, der wirt Offenbar werden. Prouerb. 10. Bitt Gott die verkehrte Lehr der Lutherischen außzureutten."

In congregationibus igitur marianis vigebat cultus „patronorum menstruorum" sive mos ille, quo singulis mensibus singulis sodalibus unus ex Sanctis, quorum nomina illo mense in kalendario occurrebant, assignabatur singulariter colendus atque invocandus. Huius rei gratia huius libri (ut ex eius praefatione cognoscitur) singula folia, praeter prima, in quattuor partes dividenda erant, in quarum singulis sententia aliqua Sacrae Scripturae legebatur et, quid singulariter a Deo petendum esset, indicabatur. Super sententia autem Scripturae calamo scribi oportebat nomen unius ex Sanctis illius mensis simulque notari, qui dies eius memoriae sacer esset. Porro satis certum est, Friburgi librum hunc a Societatis hominibus editum esse. Congregationes enim marianae ubique vel paene ubique institutae erant a Societatis sodalibus; iidem patronorum menstruorum cultum et ipsi, S. Francisco Borgia auctore, exercebant, et ad alios propagabant. Et P. *Hieronymus Natalis* visitator in collegio ingolstadiensi monuerat: „In eligendis sanctis scribantur sententiae notabiles et pro qua re sit orandum" (*Can.* IV 804 806; VI 103). Quaerentibus autem nobis, quisnam ex Sociis friburgensibus librum vel conscripserit, vel saltem ediderit, vix alius quis occurrit nisi Canisius. Reliqui enim et scholas habendo, et contionando, et confessiones excipiendo, et alia misericordiae opera exercendo occupatissimi erant; unus Canisius, quia propter infirmitatem haec praestare iam non poterat, scriptioni vacabat. Accedit, quod ipse congregationes friburgenses instituerat, ipse in Scripturae sententiis versatissimus erat, ipse Sanctorum cultum quam maxime fovebat.

Librum vidi Friburgi Helvetiorum in bibliotheca cantonali. *Sommervogel* eum non commemoravit.

Fortasse Canisio auctore vulgatus est etiam „Ein gar | schönes, andechtiges vn kräfftiges Gebett, | zu der H. Jungfrawen vn Mut- | ter Gottes Maria, inn allerlei | Trübsal, angsten vnd Nöthen, | vmb getrewe fürbitt bei Christo | dem Herren, gantz tröstlich | vnd nutzlich zusprechen." Qui libellus 16°; pp. 15, etsi neque loco neque anno neque typographo neque auctore indicatis vulgatus est, ex typis tamen et ex ornamentis in marginibus foliorum positis cognoscitur, eum Friburgi Helvetiorum a Guilielmo Mäß, qui a. 1598 Canisii „Handbüchlein" typis exscripsit, esse exscriptum. Libellum vidi Friburgi Helvetiorum in bibliotheca cantonali.

1589. 1597.

Epistolae et Evangelia cum Canisii summariis italice eduntur.

„EPISTOLE, ET EVANGELI, che si leggono tutto l' Anno alle Messe, secondo l' vso della S. Rom. Chiesa, & ordine del Missale riformato *tradotto in Lingua Toscana* DAL R. P. M. REMIGIO FIORENTINO D. O. D. P., con alcuni Annotationi

Morali del Medesimo. *Aggiuntoui alcuni Sommari, fatti Latini dal R. P. Pietro Canisio, d. C. d. G.; & tradotti in Volgari da* CAMILLO CAMILLI, con alcuni Sermoni &c cauati dall' opere del R. P. F. Luigi di Granata. CON PRIVILEGIO. Con il calendario de' Santi: & con Due Tauole: Vna de' Giorni, che si leggono l' Epistole, & Euangeli: L' altra delle cose più notabili. In Venetia, Appresso Giorgio Angelieri M. D. XCVII. Con Licentia de' Signori Superiori." 4º Fol. a 2 litterae dedicatoriae a Georgio Angelieri 4. Aprilis 1591 ad Laurentium Massa reipublicae venetae secretarium datae: f. a 7ª typographi praefatio ad lectorem: ex qua intellegitur, hanc esse secundam editionem huius operis ab ipso factam, eique iam primum addi summaria Canisii: haec tamen satis parce adduntur, et in postrema parte „Commune De' Santi" omnino desunt. Liber multis imaginibus ligno incisis ornatus est. Haec intellexi ex R. P. *Ioanne Hungerford Pollen* S. J., qui librum vidit Londini in museo Britannico. Idem breviter commemoratur in opere „British Museum Catalogue of printed books. Campe-Caoutchouc", London 1886, col. 133. *Sommervogel* eum non posuit.

1590. 1597–1598.

Canisius ante mortem „Manuale Catholicorum" suum recognoscit et amplificat. Quod a. 1598 editur.

„Catholisch Handbůch= lin, deß Ehrwürdi= gen, Hochgelerten Herrn Petri Canisij, weilad der Socie- tet Iesu Theologi, dem gemeinen Mann zu Christlicher Andacht vormals In Lateinischer vnnd Teutscher sprach auß gangen. Jetzund aber von dē Autore, vor seinem seligē abscheiden, auff ein newes, mit sonderm fleiß vbersehen, gemehrt vnd gebessert. Mit Röm. Kays. Mai. Gnad vnd Freyheit. Getruckt zu Freiburg inn Vchtland, durch M. Wil- helmum Mæss. ANNO M. D. XCVIII." Versus 2. 3. 10. 11. 16. 19 et verba „Petri Canisij" rubra sunt.

12º: pp. sign. 744 addito folio titulari: praeterea in fine ff. 9 non sign.: p. 3–12 litterae dedicatoriae Friburgo Helvetiorum 9. Martii 1598 a *Guilielmo Mäß* cive et typographo friburgensi ad Ludovicum ab Affry consulem „Schulheissen" et reliquos de senatu cotidiano urbis friburgensis datae. Maeß in iis, cur libellum hunc denuo ediderit, indicat. Praeter alia ait, multos petisse, ut libellus idem in eorum, qui „blöde Gesichter haben", usum maioribus, quam antea factum esset, typis exscriberetur. Ideo quoque id factum esse, „weil der Author selig, bei zeiten seines Lebens . . . dises sein Werck . . . in seinem hohen vnd beschwerlichen Alter, vor seinem seligen Abscheiden, nit one sondere arbeit vnd fleiß, auff ein newes vberlesen, hin vnd wider gebessert, vnd mit vilen schönen Gebetten gemehret hat". Praeterea imperatorem interdixisse, ne, incipiendo ab hac editione, quisquam Manuale illud in imperio romano vel latine vel germanice sine Maeßii facultate typis exprimeret. P. 13–16 „An den Christlichen Leser". In ultimis 9 foliis index rerum per capitula libri dispositus. Typi huius editionis magni et pulchri sunt. Singularum paginarum verba cinguntur figuris foliorum ligno incisis. Liber habet multas imagunculas ligno incisas, parum tamen elegantes.

Librum vidi Friburgi Helvetiorum in bibliotheca cantonali. Editionem commemoravit *Sommervogel* II 677–678.

1591. 10. Martii 1597.

Ex autographo. Germ. 177 f. 128ᵇ. Germanice apud *B. Duhr* S. J., Die Jesuiten an den deutschen Fürstenhöfen des 16. Jahrhunderts, Freiburg i. Br. 1901, 41.

Canisium suavi modo Socios revisse.

P. *Bartholomaeus Villerius* Villers S. J., Ferdinandi Carinthiae ducis confessarius, Graecio 10. Martii 1597 Claudio Aquavivae praeposito generali de P. Ferdinando Alber, qui Villerio ipsi in officio provincialis Austriae successerat, scripsit: „Vult

quemadmodum P. Baderus, P. Reinelius et P. Scherer quotidie esse poenitentias publicas in refectorio, vult continuam seueritatem, ego contra suauitatem volo pro re data, ut didici a P. Magio longo tempore, a P. Eurardo, P. Goudano, P. Canisio, P. Lanoio, quibus olim iuuenis ministrauj."

1592. Ineunte vel medio m. Augusto 1597.

Ex Can. 47 p. 27.

Turrianus nuntius apostolicus Friburgi Canisium convenit.

P. *Iacobus Keller* S. J. in Canisii vita (lib. 1. Mors Canisij) haec narrat de Ioanne comite della Torre, apostolico per Helvetiam nuntio (cf. supra p. 110[5]), mense Augusto a. 1597 Friburgi Helvetiorum versato: „Turrianus Veglianorum pontifex Friburgum iter habens clarissimum fama senem et mox ad superos iturum interuisit, ac solatium quod adferre parabat, ex colloquio aegri ipse abstulit."

Turrianum cum Canisio „familiariter de multis egisse" testatus est etiam *Sebastianus Verronius*; v. infra, monum. 1621. In **Historia* collegii notatum est, Turrianum ter in collegium venisse ac semel ibidem cibum sumpsisse, prandentibus cum eo duobus reipublicae praetoribus et aliis (Cod. frib. „Hist. coll. Frib." p. 43).

Turrianus circa initium m. Augusti Friburgum venit et paullo post medium Augustum reipublicae visitationem canonicam absolvit. Senatores ei affirmaverunt, velle se semper Sanctae Sedi coniunctissimos („unitissimi") et adeo obedientes esse, „ch' erano pronti di spender uita, et robba per questa loro testificatione quando, che l'occasione l'hauesse ricercata". Turrianus expertus est „il Clero et Chiese benissimo instrutte" (ex eius litteris archetypis Friburgo et Suitio m. Augusto 1597 Romam missis, quae sunt in archivo vaticano, Nunz. di Svizz. 5, nn. 119 120 121 124).

1593. M. Octobri 1597.

Ex exemplo totius epistulae, quod ex archetypo exscriptum et a. 1730 publico authenticitatis quae vocatur testimonio munitum exstat Monachii in archivo maiore reip. bavaricae, Jesuitica in genere Fasc. 13, No. 214.

Canisii morbus et orandi assiduitas. Marmor pro eius sepulcro donandum.

Friburgo Helvetiorum 12. Octobris 1597 *Sebastianus Verronius* praepositus capituli S. Nicolai Sedunum (Sion, Sitten) ad Hildebrandum I a Riedmatten episcopum sedunensem et Vallesiae comitem litteras misit, in quibus haec dicebat: Praecipuam scribendi causam sibi hanc esse: „Decumbit, et sensim aetatem vitamque claudit Venerandus noster Pater, et Ecclesiarum Helveticarum Patriarcha Petrus Canisius, qui ut in omni vita in actione, et laboribus perpetuus fuit, ita ne extremos quidem hos dies, quibus decumbit, transigere potest, quin jacturam tanti temporis lamentetur, licet, dum preces ordinarias sua imbecillitate cogitur intermittere[1], assidua meditatione, et animi cum Deo conjunctione, eos dies optime locet. Eum vero ut vivum supra sedecim annos, ita mortuum quoad mundus steterit possessuri sumus Deo favente: Huic tanto viro, dum de sepulchro soliciti sumus, deest lapis sepultura dignus: ac quoniam et ipse pro Sanctis Valesiae patronis celebrandis feliciter laboravit[2], et Valesiana ecclesia ei in suis aliquot membris

[1] Horas canonicas sive breviarium; v. infra, monum. 1595.

[2] Scripsit vitam SS. Mauritii et Sociorum eius; v. supra p. 847 876.

primarijs favet, precamur, si quae vobis sunt nobilia marmora, ut intelligimus; et per vehicula terra, aut fluvio Viviacum[1] usque advehi commode queant, Hominem Dei extremo hoc munere exornare dignemini, et marmor insigne ipsius tumulo dedicare. Sic enim fiet, ut ad ejus monumentum et Helveticae et Valesianae Ecclesiae collaborent, mutuoque certent."

1594. Circa medium m. Decembrem 1597.

Ex Licii autographo, quod est in Germ. 184 f. 167[a], et ex monumentorum „processus beatificationis" Canisii Frisingae instituti et a Ioanne Feirenhammer (cf. supra p. 841) conscriptorum apographo saeculo XVII., ut videtur, scripto (A), quod est in Can. 63 f. 24. Eorundem apographum paullo ante medium saeculum XVIII. scriptum (B) exstat in Cod. „Lausann. P. Can. Copia Proc. Ap. Rom. super fama sanctitatis in specie" f. 738. Hoc usus est *Michel* 429. Idem Strangii testimonium (C) typis exscriptum est in „Positione" a. 1833. Summ. p. 271.

Canisius graviter aegrotans avicula mire pascitur.

P. *Martinus Licius* S. J. Ingolstadio 17. Decembris 1609 Romam ad P. Ferdinandum Alberum S. J. haec, praeter alia, de Canisio rettulit: „Integro fere ante mortem anno tenuissimo cibo potuque usus est. Anxius quodam die Infirmarius[2] ab eo petijt, Pro coenula sua quidnam parari cuperet. Respondit, Ego solicitus non sum, Dominus prouidebit. Paulo post auicula fenestram ingressa facile se apprehendi passa, lautam illi coenam praebuit · miratus et ipse, et infirmarius diuinam prouidentiam." Licius hoc tempore collegii friburgensis rector erat (*Duhr*, Jes. I 230[5]).

Planius et distinctius haec narrantur a *Sebastiano Strang* Societatis fratre laico, qui Canisio aegroto ultimis novem vitae eius mensibus famulatus est (plura de eo v. infra, monum. 1595). Hic, a. 1626 in processu beatificationis Canisii frisingensi accersitus testis (v. supra p. 841), hoc dixit testimonium: „Paucis ante mortem diebus, cum Pater Canisius a Teste ministro suo diutius solito fatigatus, ediceret, si quod[a] ipsum rari cibi desiderium teneret. Auiculam, inquit, cuperem. Ille igitur continuo ad forum auiculam quaesiturus properat, sed nullibi reperta, tristis in Collegium reuertitur, quod appetitui aegri[b] senis, suis praesertim[c] quaestionibus irritato satis facere non posset. Interea subit animum eius memoria cuiusdam alterius[d] Sancti, cui in aegritudine piscem appetenti, miraculose satisfactum fuisse[e] sibi legisse uidebatur in Surio. Adit ergo refectorium, locum illum, et Sanctum[f] in Surio[3] relecturus: tunc ex improuiso pulcherrima[g] Fringilla, per

a) *Sic rectius B C*; quid *A*. b) languidi *B C*. c) *A minus recte*; senis sui, praesertim d) alterius cujuspiam *B C*. e) *Hoc v. deest in B C*. f) locum, et Sanctum illum *B C*. g) *Hoc v. deest in B C*.

[1] Vevey.

[2] Hunc fuisse Sebastianum Strang intellegitur ex eius testimonio proxime ponendo.

[3] Laurentii Surii O. Cart. opus „De probatis Sanctorum historiis" inter epulas legebatur. Obversabatur, puto, Strangii animo, obscurius tamen, miraculum a S. *Bernardo* commemoratum in vita S. Malachiae archiepiscopi armachani (Armagh), quam

fenestram casu apertam aduolat. et non multum difficilem captu se praebet. Cuius solo pectore comesto, satur Pater, multas Deo pro tam opipara coena[a] laudes dixit."

Iacobus Bidermann, unus ex clarissimis Societatis poëtis, factum hoc carmine eleganti celebravit Epigrammatum Libri tres. Dilingae 1620. lib. 1. epigr. 133, p. 65. Cf. etiam *Sacchinum*, Can. 386.

Similiter *Guilielmus de Tocco* O. Pr. † post a. 1323 in vita S. Thomae Aquinatis postremum huius morbum enarrans: „A Magistro", inquit. „Ioanne de Guidone de Piperno medico requisjtus. si aliquem cibum appeteret, et de nullo cibo, nisi de halecibus, quos comederat in Francia, se diceret posse gustare: anxiatus est medicus quod tanto Doctori infirmo non posset remedium adhibere, quia talis piscis non poterat inueniri. Qui egressus ad plateam castri, inuenit vnum, qui vnam sarcinam sardarum recentium de Terracena portabat. Quam cum ad terram deponi fecisset, vt, si aliqui pisces admixti essent sardis, perquireret, reperit vnam cistam de halecibus recentibus: de quo admirans medicus, quia numquam tales pisces fuerant in partibus illis visi, et quia portator piscium sardas se emisse saepius asserebat, praedictos pisces Magistro deferri mandauit cum gaudio" etc. (*Acta Sanctorum* Martii. Tom. I. Antverpiae 1668, 676). Eadem fere narrantur in processu canonizationis S. Thomae a. 1319 facto, cap. 6 (l. c. 702—703).

1595. 1597—1626.

Ex „processus beatificationis" Frisingae instituti monumentorum a I. Feirenhammer presbytero frisingensi notarioque publico conscriptorum apographo saeculo XVII., ut videtur, scripto, quod est in Cod. Can. 63 f. 19^b^—25^a^. Eorum „Summarium" a. 1734 typis exscriptum est in „*Positione*, an et quomodo sit signanda commissio", de qua dictum est supra p. 841. Summ. addit. p. 113—125. Ex eo complura protulit *Riess* 519 524 525. Eorundem monumentorum partes exstant in „*Positione*" a. 1833, Summ. p. 13 70 125 154 223 238—239 263—264 269 305.

Canisii diligentia in orando; caritas; animi demissio; cognitio rerum abditarum; patientia; modestia; oboedientia; poenitentiae studium; laudes in auditorio ingolstadiensi; pietas in Sanctos; breviarium; fama sanctitatis; mors; reliquiae; prodigia.

In actione sive processu Canisii in album Beatorum referendi gratia iussu Adami de Gebeck episcopi frisingensis Frisingae instituto (v. supra p. 841) vocatus et interrogatus est testis 18. Iunii 1626 „Religiosus Frater *Sebastianus Strang* Societatis IESV Coadiutor temporalis formatus, patria Constantiensis, annorum 58." Qui cum multa de Canisio testatus sit, operae pretium fuerit pauca de eius vita notari. In matriculam universitatis dilinganae inscriptus est 10. Ianuarii 1587 (*Specht*, Matrikel I 167). In **Historia* collegii dilingani notatum est, eum a. 1591, cum Dilingae „alumnus" et „studiosus humanitatis" esset, Societati nomen dedisse, „susceptum" tamen esse „in Coadiutorem" sive fratrem laicum (Cod. frib. „Hist. coll. Dil." f. 21^a^). Anno 1594

a) Coena tam opifera *B C*: tam opipera coena *A*.

Surius in d. 5. Novembris posuit: „Venerunt aliquando tres Episcopi in villam Fochart . . . et quartus erat Malachias. Ad quem presbyter, qui hospitio susceperat eos: Quid faciam, inquit, quod pisces non habeo? Quo respondente, vt quaereret a piscatoribus: biennium est, ait, quod non inueniuntur pisces in flumine, vnde et piscatores prorsus diffisi, etiam arti suae renunciauerunt. Et ille: Praecipe, inquit, laxari retia in nomine Domini. Factum est, et capti sunt sulmones duodecim": Tomus sextus, Coloniae 1575, 106.

Ingolstadii „Praefectus triclinij et socius infirmarij", a. 1595 ibidem „Aedituus", a. 1596 Lucernae „Custos vestium, Excitator, Socius Sacristani", a. 1597 Friburgi „Sacristanus, Infirmarius" fuit (ex **Catalogis*, G. Sup. 44 f. 93ᵇ 102ᵃ 117ᵃ 124ᵃ). Friburgum autem primum advenerat 26. Februarii 1597 (v. supra p. 468). Petro Canisio mortuo Theodoricum illius fratrem in postremo morbo curavit et morienti adfuit. Horum „non monitis tantum", ait *Kropf* (V n. 586), „sed exemplis vel maxime institutus . . . multo magis posthac, longeque flagrantius ad virtutum studium, quam ad literarum quondam, se contulit; coelestibus interim largiter beneficiis cumulatus; quae ipse et adnotare diligenter, et memori, gratoque animo prosequi est solitus." Halae a. 1637 religiosissime obiit mortem.

Sebastianus igitur Strang haec, praeter alia, de Canisio testatus est:

„Homini aetate graui, Superiorum iussu, per nouemestre inseruiuit, eique animam agenti Friburgi Heluet: adfuit.

Respondit Testis, se certo scire, ipsum P. Canisium in uita ornatum fuisse a Deo multis uirtutibus Christianis, et quidem in gradu perfecto, et excellenti, quia earum uirtutum quotidianus spectator fuit, et quidem quod ad Fidem in Deum attinet, frequenter in uita, et in suprema etiam mortis lucta, hisce uerbis inuocasse SS. Trinitatem ad Fidei gratiam conseruandam, quae testis in libro precatorio ipsius originaliter exhibito et quotidiano usu pene detrito ostendit: Aeterne Pater luminum, a quo bonum omne descendit[1] commendo omnipotentiae tuae fidem ueram, et integram in fine uitae meae sic exercendam, ut uirtute diuinitatis tuae, nunquam mortis tempore ab orthodoxae et rectae fidei sinceritate declinem. Domine IESV Christe Fili Dei uiui[2] inscrutabili Sapientiae tuae commendo fidei donum, quod a me postulatur, ut diuinae cognitionis luce illustratus, erroris spiritu[3] nunquam in ullo seducar. Sanctissime Spiritus Fons bonorum omnium ineffabili beneuolentiae tuae commendo et resigno meam fidem, quae per dilectionem in omnibus efficaciter operetur[4], meque in hora mortis perfectum faciat inueniri[5]. . . .

Charitatem Canisij erga Deum et homines probare dixit testis . . crebras preces, utpote, quod ipso teste, per nouem menses spectatore et admiratore, septenas quotidie horas precando traduceret, quibus non pro se tantum supplicabat Deo, sed preces pro omni fere hominum genere ad Deum allegabat, nec ultimo uitae die statas illas preces omittebat.

---

[1] Iac 1, 17. [2] Mt 16, 16. [3] 1 Io 4, 6; cf. 1 Tim 4, 1.

[4] Cf. Iac 2, 17—26.

[5] Hic „liber precatorius" perisse videtur. Superest quidem libellus in 12°, usu detritus, in quo Canisius et sua manu, et aliorum manibus praeter regulas, facultates, privilegia, indulgentias etc. varias precationes scripsit („Can. 10"; antea „Scripta B. P. Canisii X. K"; cf. *Can.* I 58; neque tamen precationes a Strang prolatae in eo reperiuntur.

Humilitatem Eiusdem summam fuisse perhibuit Testis, ut qui se plerumque, imo semper minimum ex fratribus sentiret et praedicaret ille: Eandem etiam humilitatem, uel hinc colligi posse, legebat adiunctus minister aegrotanti Canisio, quotidie aliquid de uitis SS. ex Surio[1], aliquando inter mediam lectionem subrepsit ipsi legenti indignabunda erga semetipsum cogitatio, quod imprudenter sibi elegerit officium Coadiutoris in Societate, cum studia instar aliorum, prosequi posset. Cognouit Pater diuinitus fluctuantis fratris internos motus, etsi nullo externo signo proditos: et subito: Mi frater, inquit, omitte cogitationes istas, et maneamus in humilitate: cumque ego confusus Ecquasnam cogitationes? rogassem, de studijs, dixit. Ego ueritus deprehendi [?][a], cum pernegarem, non est ita, inquit, haec cogitabas. Ego, si per superiores licuisset, tuum Coadiutoris statum ambabus ulnis amplexus fuissem. Tunc mire uerecundatus, flexis genibus, ueniam postulaui, simulque, ut quoniam nunc ad fruendum Deo abituriret, ab eodem mihi in hoc meo statu perseuerantiam, et ueram animi demissionem impetraret. Placet, ait Pater, Ecce in me recipio, ut autem magis de eo certus redderer, petij, ut si ita placeret, extremum mihi benediceret, quod Pater hilari uultu, uerbis conceptis, et manibus capiti meo, lachrimis interea ex oculis affatim mihi manantibus, impositis, fecit.

Patientiam Canisij non solum quotidiano exemplo expertus fuit, sed etiam aliquando, studio testis tentauit. Cupiuerat aeger Pater, extra consuetam diei horam calefieri sibi hypocaustum, minister simulato obsequio maiore impetu, ut Pater intus audiret, sibique satisfieri crederet, ligna fornaci iniecit, nec tamen accendit; Pater itaque aliquamdiu frustra exspectato prope fornacem calore, tantum abest ut indignatus sit, ut etiam Deum benedicendo et gratias fratri agendo, placide se in lectum receperit. Alia etiam quae sibi necessaria fuerant, nunquam iubendo exigebat, sed semper per Deum rogando obtinebat. Commotus est aliquando Testis tam celebri eius Sanctitate, et Patientiae fama, studio idque [?][b] experiri constituit, cumque nescio quid ab illo expoposcisset, in faciem pertinacius paulo, impudentius restitit: Pater collecto mox animo, ita serenis et patientibus uerbis animum eius sauciauit, ut interno quasi dolore agitatus abscederet: Testatur idem frater: et ausim in uniuersum affirmare, me nihil unquam, uel leuissimi momenti de eius famulatu exequendo omisisse, de quo non acute a conscientia reprehenderer: et e contra mira consolatione perfusum, quoties sedulo ei famulabar. Abstinentia, laboribus, corporis afflictationibus, et ipsa etiam senectute ac morbo emaciatus, ita lecto urebatur, ut decorticato ad spinam corpore, pannos ibi ueteres ad mitigandum dolorem supponi petierit, quos mox allatos illico mutato consilio, Patientiae exercendae

a [illegible] reprehendi? b *Corrigendum esse videtur:* idque studio

1 Laurentii Surii O. Cart. opus „De probatis Sanctorum historiis" Coloniae 6 voluminibus 1570 1575 et 7 voluminibus 1575 1581 in lucem emissum et Monachii 6 voluminibus 1573 1580 a Ioanne a Via germanice editum erat.

ergo, admittere detrectauit. Intumescentibus ipsi pedibus, gratias agebat Deo, quod ita pinguesceret, cumque frater potius conquerendam esse Deo hanc miseriam diceret, nequaquam, inquit, sed et in aduersis laudare Deum consueui. Mense ante obitum, Teste alijs negotijs occupato, Pater solus derelictus e sella excidit, cumque non haberet subleuantem, nec semetipsum erigere posset, diu ita pronus iacuit, nec tamen redeunti fratri uel minimum indignatus est, quin potius gratijs Deo actis, bono animo esse iussit, nihilominus futuros bonos amicos. Ita in summis et acutissimis morbis continuo Deum benedixit.

Contra religiosa Castitatis, Paupertatis, et Obedientiae vota, nec minimum quidem tunc Patrem admisisse, Testi constat. Obedientiae eius inter alia[a] etiam haec specimina dedit: 1° cum per aetatem et imbecillitatem, usque ad prandium ieiunus permanere non posset[1], plerumque ipsi duo oua mane pro ientaculo sunt praebita, quibus (uti erat parcissimi cibi) ita saturabatur, ut nullus ad prandium ei appetitus esset. Itaque iussu Rectoris unicum ei ouum allatum est, quod cum rogatus causam frater, superioris uoluntatem uere praetenderet, bene est, inquit ille, obediamus superioribus; Caue igitur frater, ne quicquam mihi afferas, quam quod illi iubent. Secundo concesserat Lucerna Friburgum P. Theodoricus[b] Canisius, itidem Societ: IESV Presbyter, Petri ex eodem Patre, alia uero matre frater, ut aegrum inuiseret. Dato igitur sacris potius colloquijs quam carnali amicitiae biduo, abiturienti non reluctatus est P. Petrus, mirantique et causam cur tam cito Pater dimitteretur quaerenti testi : uellem equidem, inquit, diutius mecum maneret, sed nolo ipsum mei gratia obedientiae limites transgredi.

Corpus suum in perpetuam redegit seruitutem omnesque sensus probe continuit, et carnem abstinentijs, poenitentijs, uigilijs, et alijs austeritatibus egregie mactauit. Sublegerat aliquando Testis seni disciplinam suam[2], ut notaret utrum ea uteretur. At illo altero statim die ad fratrem, Numquid ait mihi aliquid surripuisti? quaeso te redde loco suo, et intactum relinque. Parcissimus in cibo et potu fuit. A singularibus et specialibus cibis, etiam aeger abhorruit, dicens non esse coquo creandas molestias. Vltimo praesertim mense, ualde parum comedit.

Circa alias uirtutes hanc sibi legem statuisse P. Canisium ex manu scripto precationum eius libro demonstrauit Testis, ut singulis diebus singula, et meditanda et uero etiam exercenda uenirent: Videlicet die Lunae timor Dei etc. Dei amor etc.[c] [3]

a) alios *apogr.* b) Theodorus *apogr.* c) *Vide infra, adnot. 3.*

[1] In „Regulis praefecti refectorii" cautum erat reg. 8, ne is sine superioris arbitrio ientaculum cuiquam praeberet *Regulae* Societatis Iesu, Romae 1582, 213. Cf. *Can.* III 218[2]. [2] Flagellum; v. *Can.* VI 137[2].

[3] Hic librarius aliqua omisit, quae Strang protulerat. Ex „Summario", quo *Riess* usus est, cognoscitur, Canisium sibi „meditanda et exercenda" proposuisse: Die Lunae timorem Dei, die Martis contemptum rerum terrestrium, die Mercurii

Orationi autem tantopere deditum fuisse, ut quotidie in ea 7 horas consumpserit, et nihilominus testi ministro suo, singulis diebus peculiares exhortationes fecerit. . . .

De Doctrina et fructu in Ecclesia facto, produxit 1° Testis Epigraphen Friburgi eius sepulchro inscriptam[1]. . . . Secundo produxit Elogium eius in Schola Theologiae Ingolstadij parieti inscriptum: Petrus Canisius Neomagensis e Geldria S. Theologiae Doctor, primus e Germanis Societatis IESV religiosis uere germanus, ac deinde Eidem Societati in Germania primus Prouincialis praepositus ab ipso B. P. Ignatio datus: ob insignem animi moderationem, constantiam, prudentiam a Summis ad Summa non raro missus, uocatus, postulatus: a Guilielmo IV. vtriusque Bauariae Duce ad hanc Academiam, in qua Professoris Theologiae et Rectoris munere functus, ab Othone Cardinali Episcopo Augustano, ad SS. Concilium Tridentinum, a Carolo V. Imperatore in causa religionis Wormatiam[2]; ab Imperatore Ferdinando Augustam, atque ad Episcopatum Vienensem, quem recusauit; a Pio IV. Pontif. Max. ad fidem in Germania ac Polonia propugnandam propagandam[3] etc. Cum et sacris contionibus etiam apud Imperatores et duces assidue habitis, et uarijs libris, pro fide, pro pietate editis, rem Catholicam mirifice iuuisset, promouisset, ob perpetuam uitae innocentiam, et summam in omni uirtute praestantiam, admirabilem sanctitatis opinionem consecutus, tandem Friburgi Heluetiorum sanctam animam Deo reddidit in die festo S. Thomae Apostoli Anno MDXCVII aetatis suae LXXVII. 3° Produxit hanc litterarum inscriptionem a Solodorensibus missarum P. Petro Canisio: Canitie et eruditione Admodum venerando in Christo Patri ac Domino, Domino Petro Canisio, Doctissimae ac honorandae Societatis IESV Sacerdoti, ac Theologo profundissimo, Catholicae fidei Pruenici [?][a] vnico, nec non fautori et amico nostro cordialiter charo"[4]. . . .

Dicit se scire testis ex continua praesentia Patrem Canisium peculiari semper deuotione erga Beatissimam Virginem DEI Matrem affectum fuisse, quia quotidie eam tam rosario, quam alia oratione, in manu scripto precatorio libello eius contenta, quae incipit Saluto te etc. [honorabat] . . . Scit etiam testis, ipsum P. Canisium, alios quoque Sanctos pie coluisse, maxime eos, qui praesunt locis haereti-

a) Proenici? Pronici? *Corrigendum esse puto aut* Praeconi *aut* Phoenici. *In *litteris a Staalio patricio solodorano 9. Martii 1590 ad episcopum basileensem datis (Cod. solod. „Stal" f. 109ª) Canisius „Societatis Iesu Phoenix" appellatur.*

contemptum sui ipsius, die Iovis silentium, die Veneris patientiam, sabbato demissionem animi, die Dominico amorem Dei (*Riess* 524).

[1] Hanc vide infra, monum. 1623.

[2] Potius scribendum fuit: a Ferdinando I. Romanorum rege: hic enim tunc Caroli V. nomine Germaniam administrabat.

[3] In Poloniam Canisius missus est a Paulo IV.: v. *Can.* II 826–832.

[4] Fortasse sic inscriptae erant litterae, quas senatus solodoranus 6. Ianuarii 1597 ad Canisium dedit: v. supra p. 450.

eorum, ut subtractum illis honorem, aliqua saltem ex parte reponeret. Quin et Testi ipsi saepius suasit, duplicare huiusmodi uenerationem Sanctis, praesertim in festis ipsorum, ut neglectus seu contemptus potius haereticorum a Catholicis resarciatur.

Scit Testis P. Canisium . . . magna cum deuotione Deo, quotidie, quoad per ualetudinem licuit, sacrificasse, horasque Canonicas, dum illi praesens aderat, deuote semper persoluisse, donec ipsi usum Breuiarij S. Obedientia interdiceret.

Certo etiam scit Testis P. Petrum Canisium . . . in uita habitum et reputatum uirum Sanctum, et mortuum esse cum magna opinione sanctitatis, quod probauit magnus ad eius funus concursus populi Friburgi, quo summa cum reuerentia et pietate singulariter accedebant, ut corpus rosarijs attingerent. Percepisse etiam illum S. Ecclesiae Sacramenta ante obitum, et in fide Catholica perseuerasse scit testis, quia praesens fuit, et uidit eum crucifixum osculantem, indulgentiam plenariam accipientem, astantibus benedicentem, Sebastiano Veronio praeposito Friburgi Ecclesiam commendantem: Beatissimae Virginis imaginem placide fixis oculis intuentem, et ita pijssime ad Christum et Coelites migrantem.

Certus est etiam Testis, Populum Friburgensem erga P. Canisium post mortem quoque eius, semper sine ulla intermissione, pie admodum affectum fuisse, et eius reliquias, imagines et res quibus usus est, haberi in ueneratione. Mortuo Patri, rosaria, ut dictum, admota, crines et ungues abscissos, casulam pene discerptam, ut singuli modicum quid in eius uenerabundam memoriam haberent, multosque se eius intercessioni commendare solitos, atque ita opinionem et famam Sanctitatis eius in dies creuisse. Scit haec testis, quae [?][a] et ipse uidit, et populum de his loquentem audiuit. . . .

Scit Testis, DEVM in vita P. Canisij, et post mortem eius, et ad manifestandam Sanctitatem ipsius, ad inuocationem et intercessionem eius uaria operatum esse miracula. Et quod interdum abstrusa cordis, et futura uiderit et praeuiderit. Haec testi exempla constant. . . .

R. P. Theodorico secundum carnem suo Fratri P. Petrus ultimum uale dicens, praedixit, nuntium mortis suae ipsi Theodorico peculiare quidpiam secum allaturum: nec fefellit praesagium. Nuntio enim [mortis][b] P. Petri Lucernam delato, P. Theodoricus illico apoplexia tactus est[1]. . . .

Ipso die qui fuit profestus S. Thomae Apostoli[2] . . . circa quartam pomeridianam, a teste ministro, propter alia negotia paululum digresso, ijsque confectis redeunte, P. Canisius in genua et ardentes preces perfusus reperitur, quem a precibus surgentem mox undique insolitus

a) *Corrigendum esse videtur:* quia. b) *Hoc v. in ap. supplendum esse et ex vv. praecedentibus cognoscitur, et ex Radero (p. 228) constat.*

[1] Cf. *Raderum* l. c. 286—287, et *Ioan. Drews* S. J., Fasti Societatis Iesu, Brunsbergae 1723, 377. [2] 20. Decembris.

tremor occupat: Vocato itaque Confessario Conscientiam exonerat, et accersitis Rectore et quibusdam fratribus, pro se preces fieri postulat, quibus finitis, cessauit quidem tremor artuum, sed testis eius curam gerens, de periculo Patris sollicitus, nihilominus noctu uigilare et lampadem accendere uolebat. Ille autem quiesce, inquit, nec enim hac nocte moriar, sed crastinum diem per Dei gratiam attingam. Paruit quidem inuitus Testis, mandato aegri senis, attamen propter ingrauescentem morbum de periculo anxius, ad medium noctis ex ipso quaesiuit, an S. Synaxin cuperet? tunc Pater iterum quieto animo esse iussit, daturum DEVM uires, donec illucesceret. Mane autem facto, ipsemet Sacramentum Eucharistiae petijt, et deuotissime accepit. . . .

Defuncti uultum spongia detersurus testis, splendidiorem et uiuidiorem reperit, quam fuerit totis septendecim annis, quibus Friburgi vixit. Id quod omnes eius spectatores simul uno ore contestati sunt. Quin et suauissimum ex eo odorem spirare, tum ipse testis, tum etiam D. Sebastianus Veronius, Theologiae Doctor, Praepositus Friburgensis, aliique multi senserunt.

Rosarium quo utebatur, in partu periclitantibus foeminis saepe opitulari constantem Friburgi famam esse testis asseuerat. Vnde aliquando contigisse ait, ut Faber quidam Friburgensis, uxore sua, praesenti abortus periculo, eiusdem rosarij beneficio erepta, puerum, quem enixa fuerat, in baptismo, ex simplici in Canisium affectu, et concepto ut aiebat uoto, non aliter, quam Petrum Canisium uocari uoluerit.

Vtrisque et Petro et Theodorico, Canisijs ex hac miseriarum ualle ad montem Domini receptis, eorum in aegritudine administer testis, Ingolstadium ad infirmariam destinatus est, ubi contigit, ut aliqua [?][a] multos ex Socijs angina affligeret, quod malum ipsum quoque testem ita corripuit, ut liquores quidem aegerrime demitteret, solidiores cibos prorsus omnino non potuerit deglutire. Tentauit Excell. Medicus Philippus Menzelius multa et inter alia uenae sectionem suasit. Sed pridie constitutae sectionis, Testis, antequam quieti se daret, precatus est Diuinam Clementiam, ut Canisiorum meritis (ambo enim in extremis constituti Testi pro praestitis seruitijs sua apud Deum suffragia promiserunt) hac molestia liberaretur, quo reliquis aegris expeditius inseruire posset. Audijt et exaudijt Deus preces istas, eodemque prope momento Testem integrae sanitati restituit, quod cum sequenti die medicus ab eo intelligeret, si tales, inquit, Medicos tibi deuinctos habes, mea aut alterius opera non indiges."

Radero paranti vitam Canisii, quae primum a. 1614 in lucem prodiit, Strang, ab ipso Radero rogatus, Augustae aliqua tradidit, quae de Canisio notaverat. Id patet ex * litteris a *Strangio* Friburgo Helv. inter a. 1614 et 1618 ad Raderum datis (annus ascriptus non est), in quibus ea, quae modo dicta sunt, repetit. In iisdem testatur, cotidie homines ad Canisii sepulchrum concurrere et auxilium ab illo petere. „Etlichen würdt gleich weil sij noch beijm grab bettend geholfen, andere kumend so offt dahin biß sij erlangt was sij begerdt. . . . Ich hab seinen hut oder Galerum

[a] *In apogr. ex* aliqua *perperam factum est* aliquam; *legendum esse videtur* aliquando

welchen der haillige pater Petrus mit im in die prouinz gebracht widervm funden vnd solchen zu seinem steckhen gethain, vnd würdt also zu Friburg bej ain anderen verbleiben". Simul Radero aliquos ex Canisii crinibus mittit (ex autographo, quod est Monachii in bibliotheca nationali, Cod. lat. 1611, nr. 139).

1596. 1597.

Ex Can. 63 f. 29^a—32^b.

Canisius ieiunii observantissimus. Colligit pro se preces aliaque pia opera. In patria. Scutellas lavat etc. „Culpa". In „mensa parva". Socios aliosque adhortatur. Ad confessionem excipiendam paratissimus. Congregationem mulierum instituit. Capucinis consilia dat.

Exstat commentarius circa medium saeculum XVII. ignota manu scriptus et a P. *Claudio Sudano* S. J. († 1655) in ultima pagina sic inscriptus: „Quaedam quae charissimus Strang abs se omissa fuisse ait in Depositione sua Frisingensi de R. P. Petro Canisio". Quamquam autem *Sebastianus Strang* Societatis frater laicus latinae linguae omnino ignarus non erat (v. supra p. 894), existimo, ea, quae sequuntur, aut ab eo germanice scripta et ab alio latine reddita, aut ex eius ore accepta et ab alio latine conscripta esse. Ita igitur ille:

„Visum est mihi consulto me facturum, si sequentia, in examine Frisingae[1] ex obliuione omissa, adiungam, cum omnino, ut alia ibi enunciata ueritati sint consentanea.

Vltima hebdomade, quae angaria erat, et P. Petro fatalis[2], strictum sibi praefinierat ieiunium pro illa sua antiqua et solemni qua Ecclesiam nostram prosequebatur reuerentia, Quare cum cubicularius mane solitum ientaculum attulisset[3], negauit Pater fas esse quidquam eo die extra consueta tempora delibare, ne in abstinentiae leges peccaret. Obtendit minister aetatem, exaggerat uirium impotentiam, et sexcenta alia quae Patrem nil permouerunt. Tandem cum pie animum obstinasse uideret, Rectoris[4] nutum exponit, quo subito in alteram ita deflexit, ut ientaret. Ventum est ad commune prandium; hic tum Pater haerere, tergiuersari, cum cubicularius ad alacrius comedendum exhortaretur, ah, sine, inquit, quid ultra est opus, praeterijmus ieiunium. Et quod magis in tam graui senecta commendaueris, pridie quam ad superos iret[5], nihil omnino gustasset (erat autem dies duplici ieiunio sacer, et Angariae, et profesti D. Thomae) nisi pro imperio iussus fuisset.

Quanti Coelites faceret et quantum expeteret ut sola Dei Ecclesia concordi et uniformi spiritu ubique foueretur, uel ex hoc solo eius manu scripto constare potest, quod exhibeo[6].

Quaestores quasi Prouinciales quosdam et Collegiales sibi constituerat, qui certis in locis, pro se spirituales precum aliorumque piorum

[1] Vide supra p. 841.

[2] Erat haec tertia hebdomas Adventus; in qua a. 1597 ex ecclesiae more feriis IV. et VI. et sabbato, sive diebus 17., 19., 20. Decembris „angariae" sive ieiunia quattuor temporum erant.

[3] Hoc videtur unum ovum fuisse; v. supra p. 897.

[4] P. Martini Licii. [5] Die 20. Decembris. [6] Hoc iam non videtur exstare.

operum eleemosynas collectas scripto transmitterent[1]. Contigit nescio quo Zephyro fauente ut annus fertilior Patri largiores segetes suppeditaret, quas cum secum silenter perlegisset, exultauit spiritus eius tanto impetu, ut bonum senem uerba deficerent. Tandem, o, inquit, quibus hodie quantisque gazis beatus sum! Aduertit cubicularium (Sebastianum Strang) tam insolens laetitia, cumque causam quaesiturus Patrem curiosius intuitus esset ecce uidet faciem eius ultra humanum modum collucentem, adeoque serenam, ut quemdam iam non hominem sed Angelum contueri se arbitraretur. Postero die, qui D. Nicolao sacer erat[2], cubicularium suum affatur, eique indicat scrupulose iure[a] uexandum fuisse si tantas opes auare solus reposuisset: itaque, ait, omnes in S. Nicolai saccum conieci, rogauique ut egenti quam maxime in nostro Collegio imponeret.

In Patriam uenerat charus ciuis P. Petrus Canisius suisque familiaribus expectatissimus, qui humanitatis et consanguinitatis officio satisfacturi, domos suas satis opulentas hilariter et beneuole offerebant, gratijs humaniter actis Pater, in domum suam diuersurum se hodie affirmauit, simulque mirantibus et pie collacrymantibus omnibus in publicum Xenodochium abijt · gratus pauperibus aduena, quibus panem sanae doctrinae liberaliter dispersit. Haec ab ipsius consanguineis testibus habeo[3].

Memorabile est *[etc., ut supra p. 468]*.

Quid de illa uiri modestia dicam, quam iam grandaeuus, baculoque suffultus, etiam dum culinam intraret, scutellas trementibus manibus perpurgaret, cubiculum scopis euerreret, et Verronius, homo doctus et grauis Canisium in eiusmodi officijs distentum non semel obrueret, talique exemplo uehementer commotus abiret[4]. Virum est mihi me consulto facturum si tanti uiri[5] testimonium ipsum ipsius propria manu scriptum adiungerem, quod sic habet: Humilitas eius (loquitur de P. Canisio) in multis rebus enituit, cum partim splendida ad speciem officia constanter abnueret: partim quod in communi cum alijs sui ordinis conuictu iam scopis cubile uerreret, iam culinarius elueret scutellas, iam in alijs etiam abiectissimis munijs distineretur[6]. Vidi, cum nobis ad mensam sedentibus ipse summo labore superiorem locum conscenderet, ueniamque

a) *Supplendum esse uidetur* se.

[1] Huius rei exempla v. supra p. 303 411 414 438 444 466 7 472 etc.

[2] Dies 6. Decembris.

[3] Hac in re Strang aut Canisii consanguineos haud recte intellexit, aut memoria lapsus est. Certe Canisius, cum postremum Noviomagum venit — venit autem exeunte a. 1565 — apud Godefridum vom Triest Wendelinae sororis maritum devertit; rediturus autem in Germaniam, in valetudinario contionem habuit, propinquis sacram eucharistiam praebuit, cum iis pransus est, pauperibus copiosa vitae subsidia a propinquis collecta reliquit (*Can.* V 662—666).

[4] Cf. supra p. 849.

[5] Sebastiani Verronii, qui primum parochus templi S. Nicolai, dein capituli S. Nicolai decanus et praepositus, postea etiam episcopi lausannensis vicarius generalis fuit.

[6] Cf. supra p. 838.

erratorum publice postularet [1], interlacrymantibus oculis illud identidem iterando, quia homo peccator sum [2]. Et accidit ut in Baronij annalibus ad eum locum deueniendum esset in lectione ad mensam, quo Canisius illis S. Scripturae uerbis commendatur, cuius laus est in Euangelio [3]: praesensit, et praeuidit telum Pater, utque minus feriretur, humilem triclinij mensulam eo die elegit quam poenitentibus accumbere alias mos est [4].

Moriens singulos nostrorum sigillatim ad uirtutem, et alacrem in uia Domini progressum exhortatus est: deinde utriusque ordinis, clericalis et Senatorij graues homines grauiter admonuit, ut suis quique officijs inuigilarent, Verronium praecipue et Dominum Wildium [5], tunc Fennerum seu Tribunum plebis, postea Praetorem Friburgensem, virum nominatissimum, charissimumque suis, priorem quidem, ut suae et Lausanensi Ecclesiae uigilans pastor prouideret; posteriorem, ut rite uiueret, quem etiam sua benedictione est prosecutus.

Cum nostri Friburgi nondum extructa tam ampli magnificique templi mole, in angusto et perantiquo sacello sacris operarentur, egoque sacristae munere adhuc nouus incola et morum linguaeque regionis ignarissimus fungerer, mulier ruralis gallice seu Friburgensi idiomate me affatur, quae cum uoculam Roman usurpasset, ego solerter, ut putabam, foeminam Jtalice loqui conijciebam et quantum ex affinio [?] [a] linguae latinae poteram putare, confessarium suae nationis expetebat. Re itaque cum superiore communicata, cum praeter P. Canisium illa hora nemo domi esset, qui Italice calleret, offerre ei iussit hanc prouinciam. Vix petitionem absolueram, cum ille exiliens, arrepto comite suo scipione gradus celerius solito molitur, et sacellum hominibus, quibus hoc spectaculum debebatur, refertum, tribunalque sacerdotale ingreditur. Vix consederat, et mulier fari coeperat, cum repente errore notato, et dissimulato surgit, et qua uenerat uia, eodem prorsus uultu, mirante turba, et conijciente quod erat reuertitur, mihique obuio, mi frater, inquit, mulier illa gallice loquitur, ego certe eam iuuare non poteram: uide quaeso ut ei omnino per alium satisfiat. Haec tam sereno ore, ut me erubescentem in admirationem raperet.

Congregationem mulierum erexit, quibus, adiuuante D. Verronio, leges condidit utilissimas [6]. Haec postea a Romano Pontifice confirmata

a) *Sic; corrigendumne:* affinitate? *Vel:* affini lingua latina?

[1] „Culpae dicantur ex suggestu": P. *Hieronymi Natalis* visitatoris instructio „De mortificatione et poenitentiis" Epp. *Nadal* IV 544—545. [2] Lc 5, 8.

[3] „Interim his fruere, lector, quae venerandus Pater Petrus Canisius, cuius laus est in Evangelio per omnes Ecclesias [2 Cor 8, 18], non minus pie quam ornate atque erudite, suo more, conscripsit": *Caesar Baronius*, Annales ecclesiastici. Tom. I. ad a. 9. n. 1. [4] De hac „mensa parva" v. *Can.* II 575[4], V 455[3].

[5] Ioannem Wildt.

[6] Congregatio haec a Canisio incohata est 16 fere annis antequam Strang Friburgum venit. Quare hac in re eius testimonium haud ita multum valet. Antiquissimus certe ille *Codex „Maria Fruchtgarten zū Wolfarth irer Bruderschafft" in

et stabilita est [1], adeoque profecit, ut hodie et magna sit tam numero, quam fructu.

Quatriduo quasi ante felicem obitum duo ex Ordine Seraphico Capucinorum, quorum alter nobili stemmate, et ditionis Friburgensium natus, eum consilij petendi gratia accesserunt, qua ratione quam perfectissime, Deoque gratissime memoratus nobilis de bonis suis posset disponere, quibus omnino persuasit, ut Ecclesiae Rotundimontanae [2] (patriae praedicti nobilis) omnia delegarent, quo splendidius decentiusque diuina peragerentur. Ita factum. Cumque expedito negotio Friburgum redijssent, Patremque eo ipso die [3] in extremis constitutum audissent, benedictionis petendae gratia accesserunt, quibus benedicendo illud extremum commendauit, ut curarent diligentissime externa austeritate, et aedificatione internum animum confirmare."

Keller in Canisii *Vita illa manu scripta de duobus hisce Capucinis scribit: Canisius eorum „usu haud mediocriter delectabatur. Ad hos inter alia, afficior sane magno gaudio quod uideam uos ea in religione agere, quae spretis mortalium fortunis, inania mundi triumphat. Et agitis uos praeclare exemplo uestro. Sunt qui hoc sequuntur; sunt qui sequerentur, nisi altius iretis. Durate obtestor uos et pergite uirtutum callem, haudquaquam longitudine metuendum: emetirj poteritis, si non ante finem absoluatis" Cod. ms. 320 bibliothecae universitatis monacensis, f. 37; cf. *Can.* I LVI—LVII. Neque dubitari potest, quin a Strangio et Kellero significentur duo illi Capucini, qui in *„*Protocollo* Majore Provinciae Helveticae" Ordinis Capucinorum his verbis commemorantur: „F. Leander Rotondimontanus, Cler., vocatus: Antonius Renaud, aetatis 27 Religionem ingressus 6. jan. 1597. Novitius Lucernae sub R. P. Antonio Canobiensi. Obiit Badae Helv. die 10. Aug. Anno 1599. Vixit in Religione annos 2, menses 7, dies 5. In toto vero ann. 29. Vivat Deo." Antonius a Canobbio † 1624 a. 1597 Lucernae et guardianus et noviciorum magister erat. Vir is erat praeclarus et unus ex primis Capucinis, qui morati sunt in Helvetia, eo missus ex ordinis provincia mediolanensi. Provinciam helveticam rexit minister provincialis annis 1589—1592, 1602—1605, 1608—1611, et a. 1609 Friburgi Helvetiorum monasterium Capucinorum incohavit loco, quem ipse delegerat. Haec omnia benignissime mecum communicavit Reverendissimus D. *Justinus Gumy*, ordinis Capucinorum, qui nunc episcopus est Portus Victoriae (Port Victoria) in insulis sechellensibus.

1597. **A m. Martio ad m. Decembrem 1597.**

Ex „*Analectis* Bollandianis" Tom. XVI, Bruxelles 1897, 80—82.

Canisii ultimum vitae annum agentis virtutes: Perfectionis studium, circumspectio et pietas in loquendo, orandi studium, labores, modestia, patientia, temperantia, poenitentia, animi demissio, oboedientia, mors sancta, cognitio rei abditae.

P. *J.-F. Kieckens* S. J. Bruxellis in archivo generali regni belgici (Varia de S. J., Cart. 30) enarrationem, quae hic ponetur, invenit. Quam a fratre laico *Sebastiano Strang*, qui exeunte m. Februario a. 1597 Friburgum Helvetiorum venit et a. m. Martio ad Decembrem eiusdem anni Canisio famulatus est, factam esse, ex rebus, quae in ea dicuntur,

scriptus et congregationis leges continens, qui hodie quoque penes illam est, paene totus a Verronio scriptus est. Potius igitur dicendum esse videtur, Verronium Canisio iuvante leges illas condidisse. Cf. supra p. 544.

[1] A Paulo V. 20. Martii 1608 approbata et indulgentiis ditata est *Genoud* 117.

[2] Romont. [3] Die 21. Decembris 1597.

et imprimis ex eius parte postrema facile patet. Quia in hac enarratione complura dicuntur, quae neque in Strangii testimonio a. 1626 dicto neque in commentario illi ab eo postea addito (v. supra p. 894 901) inveniuntur, eam utraque relatione posteriorem esse dixerim. Et quamquam Strang linguae latinae omnino ignarus non erat (v. supra p. 894), hanc tamen enarrationem ab alio Societatis homine latine scriptam esse existimo; qui eam vel ore prolatam vel germanice scriptam a Strangio acceperit.

Virtutes nonnullae memorabiles in R. P. Petro Canisio observatae ab eius socio, dum se ad mortem praepararet.

1. Anno aetatis 76° vehementer cupiebat dissolvi et esse cum Christo[1], longusque illi annus 1597us visus est.

2. Dolere se dicebat, quod nulli amplius prodesse posset, et ideo omnem in sui perfectionem curam ponebat.

3. In loquendo parcus erat, modestus, consideratus, et omnino spiritualis: malebatque alios audire, quam loqui. In risu nunquam effundebat se.

4. Si ingerebatur ab aliquo sermo de novis profanis aut principum christianorum dissentionibus, mox abrumpebat. Inquirebat utrum multi sacramenta frequentarent, et conciones, et aliqua puncta de concione vel exhortatione sibi referri cupiebat, vel ex lectione mensae. De fervore primorum patrum nostrorum et de mediis ad perfectionem acquirendam libentissime agebat vel audiebat.

5. Pro ecclesia, summo pontifice, principibus christianis ac praelatis Deum crebro orabat.

6. Erga sanctos magno affectu ferebatur et saepius invocabat, et potissimum patronos civitatum quae a fide defecerant, dolens debito cultu privari.

7. Nunquam otiabatur, nec interdiu somno indulgebat, sed vel orabat, vel pios libros, maxime Vitas sanctorum, legebat aut sibi legi curabat, vel adstantes et visitantes se ad perfectionem exhortabatur.

8. Rosarium saepius per diem recitabat et officium Beatae Virginis: consuetas Societatis orationes non omittebat, et meditationem usque ad mortem, et tanto affectu ut lacrymas copiose funderet, et subinde veluti a sensibus alienatus videbatur. Sacrum aliquot diebus ante mortem omittere coactus magno animi sensu.

9. Precibus aliorum humiliter et crebro se commendabat, et pro gratissimo dono habebat, quando ei certae aliquae preces a nonnullis offerebantur.

10. Valde cavebat offensionis ullam causam dare iis qui eius curam habebant: illis acquiescebat in omnibus, et se regi sinebat.

[1] Phil 1, 23. Canisius, 8. Maii 1521 Noviomagi natus, 21. Decembris 1597 mortuus est.

11. Patientiae exempla magna dabat: semper contentus, quidquid de illo statueretur, et si a socio subinde negligeretur, nullum impatientiae verbum vel signum ostendebat, seque ipsum vincebat et Deo gratias agebat, quod aliquam patiendi occasionem habuisset; et ingravescente morbo, Deum laudabat, et gaudebat quia appropinquabat redemptio eius[1].

12. Nihil per se petebat pro solatio morbi, contentus iis quae illi dabantur, dicens non facile aliquid petendum, ad quod privato affectu et propria voluntate trahimur, sed superioribus omnia relinquenda.

13. Cibo parcissimo utebatur et vino valde diluto, ita ut una integra septimana vix tantum sumeret, quantum aliquis alius unica refectione.

Parum subinde carnis concisae, sed ordinarie offa[a] cum pyro vel pomo cocto, vel simili aliqua re leviori et communi aliorum cibo usus est fere usque ad mortem; rarissime aliquid singulare admittebat, et verebatur coquo molestiam adferre.

Ad singulos fere bolos mentem in Deum elevabat, vel sanctum aliquem invocabat et Deum benedicebat, et magnas gratias agebat etiam pro tenui et vulgari refectione.

Tempore morbi ieiunia Ecclesiae et abstinentias Societatis servabat, nisi per superiorum obedientiam impediretur.

14. Corpore licet exhausto, et vix [?][b] praeter pellem et ossa haberet, ita ut vix iacere aut diu sedere eodem situ posset, quin subinde cutis affliceretur, tamen adhuc disciplinam faciebat.

15. Humilis valde, nihil de rebus suis dicere vel audire volebat; humiliter gratias agebat fratribus qui eius curam habebant; compatiebatur labori eorum et, si qua in re illis gravis fuisset, humiliter veniam precabatur, et pro illis Deum orabat peculiariter, ac religiosis verbis aedificabat ac instruebat.

16. Superiorum et sanctissimae obedientiae observantissimus fuit, et si quid iussus, vel compellente necessitate, faceret [?][c], cum omni resignatione, sine replica, sed simpliciter id faciebat, et proponebat tantum.

17. Curatoribus suis aut socio nihil imperabat, sed per amorem Dei petebat, et se instar infantis tractari permittebat.

18. De morte instante *[etc., ut supra p. 486]*.

19. Cum Patre praefecto sanitatis[2] conferebat de bona dispositione ad mortem, ad reddendam rationem Deo in iudicio totius vitae, et commendabat se, ut eum iuvaret in ultimo illo transitu, ad illum bene peragendum.

a) offam *ms.* b) *Sic; corrigendumne:* et cum *[vel:* licet*]* vix quicquam? c) *Corrigendum* [illegible]: opponeret *vel* deprecaretur *vel simile v.*

[1] Lc 21, 28.
[2] Othmaro Schönauer; v. supra p. 486[1].

20. Septem psalmos poenitentiales paulo ante mortem sibi legi curavit et horas Beatissimae Virginis, cum timore aliquo corriperetur: qui postea cessavit [1].

21. Fratris coadiutoris, qui haec retulit, tentati ut fieret sacerdos, occultam tentationem se scivisse dixit, licet negaret, et exhortatus eum est ad perseverantiam, et benedictionem ei dedit; se oraturum pro eo promisit, et ab eo tempore nunquam tentatus fuit [2].

Complures ex rebus hic narratis positae sunt etiam a *Sacchino*, Can. 379—391. Qui fortasse usus est relatione, quam Strang iam ante a. 1614 P. Radero miserat: v. supra p. 900.

1598. 1597.

Ex archetypo. G. Sup. 65 f. 202^a—203^a. Aliqua ex eo transcripta sunt in „*Annuas Litteras* Societatis Iesu anni M. D. XCVII.", Neapoli 1607, 183—186.

Numerus Sociorum friburgensium. Canisii valetudo. Confessiones. Viri graues ad pietatem instituti.

In *Litteris annuis* collegii friburgensis, Friburgo Helvetiorum 2. Decembris 1597 datis, haec, praeter multa alia, narrantur: „Sedecim e Nostris toto fere anno numerati sunt: Sacerdotes octo, octo fratres, e quibus quatuor Praeceptores, totidem Coadiutores, cum quibus etiam duo Societatis candidati domi nostrae domestica curarunt. Admissi in Societatem duo alij Rhetorices studiosi [3]. Mortui sunt tres . . . Qui in Collegio nouo manserunt . . . optime ualuerunt semper, exceptis duobus Patribus valetudinarijs, quorum alter est Reuerendus P. Petrus Canisius. . . . Vir quidam domi militiaeque clarus, maioris Sodalitatis B. Virginis Praefectus renunciatus, sese parietibus nostris inclusit, meditationibus ad aliquot dies excolendum. . . . Exceptae sunt hoc anno circiter 6000 confessiones, pauciores quidem quam annis superioribus, quibus in peramplo et commodissimo diuae Virginis templo auditae: hec uero primum in sacello nostro, quod perangustum est et ad illud arduus et perquam difficilis accessus. . . . Vallesianus nobilis iuuenis noster olim discipulus, nunc oppidi sui signifer, ad nos Confessionis solius gratia, itinere satis difficili et longo uenit. . . . Alius uir nobilis, Eques Hierosolymitanus [4] non prius se matrimonij vinculo cum Baronis filia adstrinxit, quam peccatis, quae nostro Sacerdoti rite exposuit, solueretur. . . . Vir quidam authoritate excellens, omnes rationes suas cum alijs contrahendj, litteris comprehensas Patri nostro [5] obtulit, ut si qua in re peccatum esset, aperiret. Modum iuste contrahendi ei exposuit, quem ad restituendum paratissimum dimisit, si se iniustae acceptionis reum, subductis rationibus, deprehenderit."

Duos illos „Rhetorices studiosos" qui a. 1597 Friburgi in Societatem admissi sunt, fuisse Michaelem Richetum et Claudium Sudanum intellegitur ex antiqua *Historia* collegii friburgensis. Singulari autem memoria dignus est Claudius Sudanus. Hic, ut in eadem Historia affirmatur, ex vico Broc reipublicae friburgensis ortus „absolutis inter primos nostri huius Gymnasii alumnos humanioribus studiis anno aetatis decimo octauo, cum ei prius Reuerendus P. Petrus Canisius adhuc superstes bene precatus, et ad constantiam adhortatus fuisset, societatem ingressus est". Collegii bruntrutensis semel, friburgensis bis rector fuit. „Pietati et uenerationi erga R. P. Canisium addictissimus . . . duos in eam rem solemnes processus magnis impensis confecit", et, ut eius corpus ex templo S. Nicolai in aedem Societatis transferretur, magnis difficultatibus superatis effecit. Mortuus est Friburgi a. 1655 (Cod. frib. „Hist. coll. Frib." p. 227—228).

[1] Vide supra p. 900. [2] Cf. supra p. 896.
[3] Vide quae sub ipsas has litteras dicentur.
[4] Significari videtur ordo ille pontificius Equitum sancti Sepulchri.
[5] Canisio?

Die 24. Martii 1597 Senatus reipublicae friburgensis, a clero monitus, mandatum edidit adversus eos, qui morbos remediis superstitiosis curarent, vaticinarentur, artes magicas colerent (Cod. „Mandatenbuch 2" f. 147ᵇ—148ᵇ, in archivo reipublicae).

1599. 1596—1597.

Ex autographo, quod est Monachii in bibliotheca nationali, Cod. lat. 1611 n. 38.

Canisii pietas in S. Wolfgangum. Accusatio defectuum. Moriens orat et Verronium hortatur.

P. *Andreas „Gomoetius"* [1] S. J. Bruntruto 22. Februarii 1615 Augustam Vindelicorum ad P. Matthaeum Raderum litteras dedit, in quibus haec leguntur: „Est quod Reuerentiae V. gratias agam ob uitam Reuerendi P. Canisij, uel potius RR. PP. Canisiorum in lucem datam [2]: nam cum utrumque nouerim familiarissime, et plurimum cum utroque (licet indignus) negotij habuerim, facile R. V. existimare potest", quam mihi gratum fuerit eorum vitas legere. Iam se aliqua mittere, quae novae libri editioni, si Radero ita visum esset, addi possent. „Inprimis ergo occurrit, solitum fuisse R. P. Petrum me Grammaticam uel syntaxin Friburgi docentem ultimo ante mortem anno [3] rogare (quae humilitas eius erat) ut diebus recreationis ex discipulis meis aliquos mitterem ad S. Wolfgangum Sanctiue Wolfgangi templum a Friburgo horae uel sesqui itinere dissitum, qui nomine suo uel Sanctum honorarent uel pro se illi supplicarent, promissis etiam datisue imaginibus ad pietatis incitamentum etc. . . . 3. accedit, quod more Societatis cum pro se culpam ex cathedra (pridie V. G. S. Michaelis [4]) dicere non posset [5], socium rogabat, ut suo loco eius negligentiam defectusue accusaret, dicendo, RR. PP. etc. P. Canisius dicit uobis etc. quod non etc. . . . Illud uero non praetereundum, quod eo die quo pie obdormijt [6], accidit. Postquam bene mane sacrum Christi Domini corpus sumpsisset, coepit secum ipso [a] clara tamen uoce, identidem dicere · Benedictus Deus, Deus, Deus, et iterum, Benedictus Deus etc., adscendendo semper uoce, clariorique sono maiorique affectu nomen, Deus, pronunciando : cumque tunc [b] e libro a se scripto precaretur, et ego librum tenens citius quam ille uellet, folium uertissem, non quieuit bonus Pater, donec reuerterim, ut quod inchoarat, perficeret. Tandem paulo ante mortem siue a Domino Verronio rogatus (ut arbitror : non enim certus sum, quod aliquo missus non adessem) uel sponte exhortationem ad illum non breuissimam habuit,

a) *Vel* ipse; *autogr. habet* ipsi. b) *Hoc v. supra versum scriptum est.*

[1] Andreas „Goumoit" sive „Gomoët" delomontanus (Delémont, Delsberg, urbs cantonis bernensis), cum Friburgi litteris operam dedisset, a. 1594 in Societatem admissus est. Annis 1596—1598 Friburgi Helvetiorum in collegio Societatis docuit (ex horum annorum *Catalogis, G. Sup. 44 f. 99ᵇ 116ᵇ 124ᵃ 140ᵃ). Mortuus est a. 1617 in collegio bruntrutano, ubi, ut scribit *Kropf* (IV 170—171), adulescentum litteris studentium cura, precandi studio, morum innocentia floruerat.

[2] Raderus vitae Petri Canisii a. 1614 Monachii editae brevem summam vitae Theodorici fratris eius addiderat. [3] Anno 1596.

[4] Die 28. Septembris. [5] Cf. supra p. 903. [6] Die 21. Decembris 1597.

ut postea certa relatione intellexi, quamuis non fuerit satis intellectus, perinde tamen, acsi bene intelligeretur, agens etc."

1600. Exeunte m. Decembri 1597.

Ex autographo. Germ. 184 f. 167ᵃ—168ᵃ.

Canisii patientia. Postremi dies vitae eius. Visum. Sacramenta. Verronius. Testes mortis. Mira in corpore mortui. Funus. Monumentum. Prodigia.

P. *Martinus Licius* S. J., qui a. 1597—1607 Friburgi Helvetiorum rector collegii fuerat, Ingolstadio 17. Decembris 1609 P. Ferdinando Alber, Claudii Aquavivae praepositi generalis assistenti, de Canisii morbo postremo et morte sic scripsit:

„Cum semel iterumque intumuisset toto corpore[1], sciscitanti mihi ut valeret, vbi doleret etc. subridendo respondit, Ecce mi Pater, quam sum pinguis, DEO gratias, aliud nihil. Patientia plane fuit admirabilj.

Pridie D. Thomae Apostolj[2] cum horis pomeridianis notassem insolitam quandam in ipso mutationem, sic illum allocutus sum, Mi Pater, Quid si Extremam R. Vestra acciperet vnctionem, Tum ille, Nondum tempus est, sed intra .3. et 4ᵃᵐ confiteri uolo, quod et factum. Et quia post Confessionem sibi gratum fore insinuauerat, si aliqui 7. psalmos Poenitentiales pro, et coram ipso recitarent, factum est hoc ipsum cum magna dicentis et audientis consolatione.

Cum post collationem vespertinam tres uel quatuor essemus illi praesentes, erecta et extenta manu, laeta uoce et fronte, Videtisne, inquit, videtis (· angulum uersus ianuam designans ·) Angelos Eum uidisse, uel S. Thomam[3] probabile est[4], nos nihil vidimus. Cum post nonam horam felicem illi noctem precatus fuissem, et Sacrosanctum Viaticum summo mane me allaturum promisissem, iunctis manibus egit gratias.

Altero die sub Meditationis initium[5] uerba illa Domine non dignus etc.[6] cum ipsemet protulisset, et Sacram Communionem pie sumpsisset, per integram horam nobis uel meditari, uel, sine sono tamen vocis, legere uisus est ex libello manuscripto, cuius autor ipse, quique iacebat supra pectus.

Post Concionem apud D. Ioannem habitam, cum paulo ante decimam redirem domum, et in itinere Magnificus D. Ioannes Wildius nunc Vrbis Praetor, et qui post suis sumptibus curauit Epitaphium[7], occur-

---

[1] Aquae intercutis morbo laborabat. [2] 20. Decembris 1597.

[3] Apostolum, cuius dies festus postridie agendus erat.

[4] Alii censuerunt, B. Mariam Virginem ei visam esse.

[5] Eo tempore Socii provinciae Germaniae superioris et hieme et aestate hora quarta surgebant et quadrante vel dimidia hora post per horam res divinas meditari incipiebant (*Duhr*, Jes. I 568).

[6] Ex more et praescripto ecclesiae ante sacram communionem ter dicuntur verba: „Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea." [7] De hoc v. infra, monum. 1623.

reret, huic soli dixi, Vereri me, ut[a] nos hodie R. P. Canisius deserat, valde debilem esse · sicut et illum reperi, ratione tamen et sensibus integris. Finito nostro prandio, cum praedicto Doctore Werronio[1] ad ipsum ingressus sum, excepit vtrumque Pater hilari vultu, sed difficulter et pauca locutus est. Abiturus Doctor, flexis humi coram lectica genibus, ab eo petijt et obtinuit benedictionem duplicem tam pro se, quam pro honestissima quadam et pia vidua, quae prima ex Friburgensibus Matronis, votum perpetuae continentiae, ipso tum illius Confessario permittente et approbante, ediderat[2].

Circa 3. pomeridianam cum externorum nullus adesset, Patres et fratres omnes, duobus exceptis, qui in vicino pago infirmum visitarunt, inunctus est[3], mouitque respondentis instar labia. Dum Lytanias oramus ingrediuntur Capuzini duo, Senatores duo[4], alij quotquot angustiae loci capere poterant. Habebat vna manu crucem, altera cereum benedictum, quem et Ego, vna cum ipsius manu, tenebam. Quando mortuus ignoramus, putauimus quod in illis uerbis, Vt nobis indulgeas Te rogamus[5] etc. Signum mortis nullum, motus nullus, saliua ex ore nulla. Post horae spatium visa ipsius facies pulchrior quam dum viueret. Altero die reuersus Dominus Wildius, et solus ingressus locum, in quo cadauer iam ad sepulturam dispositum, sensisse se aiebat inter orandum, gratissimi odoris e corpore spirantem fragrantiam. Eadem die tertiam circiter pomeridianam Sacerdotum nostrorum humeris deportatum funus ad D. Nicolaj, Clero, Senatu, et omni fere populo comitante. Dictis ibidem defunctorum vigilijs, post Concionem funebrem, quam habuit Doctor Werronius, in tenebris primum sepultus est ibidem ante Aram maximam. Sepulchro tres Germani, Nobiles a Diesbach marmor album imposuerunt cum hac inscriptione infra IESV nomen. Monumentum Venerandi Patris Nostri Petri Canisij Societatis JESV Theologi[6]. Epitaphium[7] uero cum ipsius effigie habetur ad columnam cui adhaerent cancelli quibus Chorus a reliquo templo separatur, ut ibi commodius et ab omnibus templum ingredientibus legi possit.

Quod ab eo tempore, ex quo mortuus Pater, ciuitas illa peste nunquam laborauerit, id nimirum eius meritis tribuunt · antea enim quouis fere triennio uel quadriennio nunc remissius, nunc uehementius grassabatur. . . .

a) *Sic; scribendum fuit:* ne.

[1] Sebastiano Verronio, praeposito capituli S. Nicolai.

[2] Significari Elisabetham Odet intellegitur ex Verronii commentario, qui ponetur infra, monum. 1621. [3] Sacramento unctionis extremae munitus est.

[4] Hos fuisse Christophorum Reiff et Antonium a Montenach narrat Verronius in commentario, quem dixi.

[5] Haec verba in Litaniis Omnium Sanctorum, non in Litaniis agonizantium, quae vocantur, dicuntur.

[6] Monumentum posuerunt Nicolaus, Rochus, Georgius, Petrus a Diesbach (*Raderus* 206). Integram eius inscriptionem v. infra, monum. 1622.

[7] Vide infra, monum. 1623.

Pia quaedam Matrona nostris confiteri solita, cum alterum iam diem in partu laborasset, deque prolis uita desparasset, ut primum Rosarium, quo usus olim b. m. Pater, exosculata est, et ex collo suspendit, in haec prorupit uerba, Benedictus DEVS. Prolem uiuere sentio, quem etiam paulo post felici partu enixa est. Res haec ita nota per vrbem, ut quando in simili casu periculum, Rosarium istud a pluribus expetatur."

1601. A m. Septembri ad Decembrem 1597.

Ex archetypo, cuius pars extrema, una cum auctoris nomine subscripto, abscissa est. Manu P. Ferdinandi Alberi epistulae adnotatum est: „P. Rector Friburgensis 6. Maij 1610." Germ. 184 f. 169ᵃ—170ᵃ.

Canisii morbus. Precandi studium. Patientia. Viaticum. Visio. Amici. Unctio extrema. Exsequiae. Prodigia. Monumentum. Pestilentia sublata.

P. *Ioachim Meglin* S. J., collegii friburgensis rector (*Duhr*, Ies. II[1] 292[1]). Friburgo Helvetiorum 6. Maii 1610 Romam ad P. Ferdinandum Alber, Claudii Aquavivae praepositi generalis „assistentem", litteras misit, in quibus haec dicuntur:

„Quo diligentius super morte B. P. Petrj Canisij indagauj, hoc minus fere reperi. Vnde factum, ut etiam R. Vestrae petitis tardius (quod doleo) responderim. Fere non amplius hic sunt, qui cum B. Patre crebrius uersati fuerunt. Adest P. Martinus et P. Jlsung[1]. Sed neuter quicquam meminit. Confugi ad externos. D. Sebastianus Werronius qui tunc Praepositus erat[2], sequentia in scripto mecum communicauit.

Decumbebat non sine dolore, sedebat uero ut poterat toto die, diutius quam ferrent uires · uictitabat cibo tenuissimo, dolebat admodum se tantum temporis sine fructu amittere; cum nihil minus amitteret, quod, praeter patientiae exercitia, plerumque deditus esset assuetarum meditationum ruminationj: mane ac uesperi statas precationes faceret, loco septem horarum Canonicarum, quibus P. Rector Collegij[3], sublato Breuiario, ei interdixerat, solabatur sese plurimum diuinae prouidentiae auspicijs, qua cuique praestitutum ab aeterno esset, aiebat, quibus initijs uitam ordirj, quibus medijs percurrere, quo fine, morbique genere claudere deberet: ac se proinde gratias DEo agere, quod patrum et sanctorum more, uitam hanc non sine dolore transmitteret. Quo in statu menses quatuor egit. Desiderabat interea quandoque medicum peritum, quod superiore anno in Domino obijsset Petrus Quentius Medicus, uir ut doctissimus ita et pientissimus[4]; qui eius curam diligentissime semper habuerat : quandoque si medendi mentio fieret, objiciebat non opus esse silicernio medicamentis, quod migrandum ad patres esset. Pridie itaque festi S. Thomae Apostoli[5] cum

[1] P. Martinus Conradi et P. Sigismundus Ilsung (G. Sup. 44 f. 95ᵃ 106ᵃ 116ᵃ 124ᵃ).

[2] Praepositus capituli S. Nicolai friburgensis; a. 1610 canonicus eiusdem capituli et contionator erat (*Werro* 23—24).

[3] Martinus Licius. [4] De hoc v. supra p. 20 210 481.

[5] Die 20. Decembris, quod eo anno erat sabbatum.

animaduerteret P. Rector uires corporis penitus defecisse et linguam ex catharro blaesam[a] factam, ut iam uix pauca uerba intelligerentur, monitus ab ipso est de animo ad emigrationem parando. Quanquam uero ad dissolutionem ut esset cum Christo[1], paratus per se quotidie esset, annuit tamen ad monita ista : ac postridie quod semper in morbo dominica die consueuerat, sacrosanctum Dominici corporis uiaticum, ut coelestis patriae itineri se dederet, sancte accepit. Dilata uero extrema unctio est, quoad Patres Collegij, qui ad praedicandum mane exierant, redijssent. Diem illum ut iacebat supinus, in oratione ad meridiem usque posuit, adiuncto extremum rosario ad Beatam Virginem undecima hora, quo tempore diuina uisione confirmatus, totus in eam serenis oculis, uultuque collaetante intentus ad preces et uota se recepit, aduentantique ciui amicissimo, uiro praeclaro Joanni Wildio benedictionem dedit : mox a meridie mihi immerito, et a me monitus, uiduae religiosissimae eius in spiritu filiae Elizabethae Odetinae absentj. Cum hora prima lectulo ipsius assiderem, puto non tam quod meis precibus multum tribueret, quam ut liberius cum DEo ageret, rogauit me ut pro se uiuo et mortuo orarem; quae eius uerba fuere extrema: secedente enim me resumpsit in manus librum manu scriptum peranti-quum ac detritum, quo selectiores ipse preces congesserat, quem quod eo die plerumque illo esset usus, apud se super lectulum habebat : coepit itaque totus attentus, raptusque perlegere precationem de felici obitu. Verum negantibus ultra officium manibus, ac collabescentibus una sensibus, cum a P. Rectore rogaretur, num sacra unctione cuperet inungi, signo tantum annuit. Circumfusis itaque Patribus Collegij omnibus ad lectulum se ad Sacramentum olej sancti composuit, quibus in oratione persistentibus, cum forte una conuenissent Patres duo Cappucinj externj et simul ornatissimj uirj Christopherus Reiffius et Antonius a Montenach archigrammataeus, spiritum placide DEo reddidit quadrante ante quartam pomeridianam, mense octauo annj aetatis septuagesimi septimj Anno christi 1597 postquam Friburgi egisset annos septemdecim, dies decem. Feria secunda quae ferijs S. Thomae successerat, aperto feretro in sacellum Collegij expositus est, magno utriusque sexus hominum concursu facto : uespere delatus in summum templum S. Nicolai, solemnj ciuium comitatu, habita per me oratione ad ciues funebrj, hora octaua noctu illatus est sepulchro media regione in choro ante summum altare, epitaphio e regione ad perpetuam ipsius memoriam constructo. Postridie eius diej quo exspirauerat, in sacello a quibusuis conspiciebatur uultu non solum non horrido, ut solent cadauera, sed etiam adeo eleganti, ut licet macie confectus esset, tamen facies manusque nudatae, non solum uiuo, sed etiam roseo ac splendente colore et claritate ita niterent, ut ex longinquo ad sui contemplationem quosuis

[a] blesam *archet*

[1] Phil 1, 23.

pellicerent: quae caussa etiam fuit, ut postea in Ecclesia maiori a uesperis plurimi accurrerent contemplatum. Dum feretrum arca querna in monumento clauderetur, obseruatum a nonnullis est, odorem insuetum, a thure differentem, sed fragrantem, suauemque exhalasse. Haec Doctor Verronius in scripto mihi dedit. Quod sequitur ex historia Collegij nostri desumpsi.

R. P. Petrus Canisius primus huius Collegij Superior die D. Thomae Apostoli intra tertiam et quartam pomeridianam, aetatis suae 76[1], lento trium mensium hydrope absumptus est. Fuit is ex primis 60 Patribus, primus in Germania Superiore Prouincialis[a], legationibus Principum, concionibus Caesaris in aula ordinarie habitis[2], multisque [?] scriptis libris praeclarus, atque ab indefesso labore, uictus tenuitate, obedientia, morum grauitate et patientia commendabilis. Morienti adfuit R. D. Verronius Praepositus[3], D. Christ. Reiffius, D. Ant. a Montenach Archigramm. et duo Capucini[4]. Paulo ante mortem, R. D. Praeposito multis uerbis conatus est salutem Reip. commendare, cui etiam, et duobus alijs benedixit; quin et circa illud tempus, circumstantibus duobus Patribus, uelut angelos aut Sanctum aliquem protensa manu monstrans, hilari uultu dixit, Videtisne ibi? Sepultus est postridie in templo D. Nicolaj et quidem ante summum altare, petentibus id canonicis, et funus magna pompa deducentibus. In eius laudem, antequam terrae mandaretur corpus, R. D. Praepositus Verronius, post preces uespertinas praeclaram habuit concionem. Tumulo nobiles tres[5] germani fratres a Diesbach marmoreum lapidem cum hac inscriptione posuerunt, Monumentum venerandi Patris N. Petri Canisij Societatis JESV Theologi. Haec ex historia Collegij.

Ex alijs intellexi bonum Patrem a quibusdam rogatum fuisse ut per suas apud DEum preces hanc ciuitatem a peste tutam deinceps reddere vellet, et promisisse. Qua in re multum Friburgenses confidunt. Nec a morte B. P. Canisij pestis hic grassata est. Haec de B. Patre habere potui, quem ut in coelis assiduum pro nobis intercessorem habere mereamur, precor." . . .

„De „diuina uisione", qua Verronius scribit Canisium die mortis, cum rosarium B. Mariae V. recitaret, „confirmatum" et delectatum esse, P. *Iacobus Keller* S. J. in Canisii *Vita manu scripta (l. 1 cap. „Mors Canisii") narrat: „Altera ante meridiem

a) *Quae sequuntur, usque ad* praeclarus *incl., in autogr. ita evanuerunt, ut vix iam legi possint.*

[1] Scribendum fuit „77"": Canisius enim 8. Maii 1521 natus erat.

[2] Ferdinandus I., cum Canisius Vindobonae eius contionatorem agebat, rex Romanorum erat; postea electus est imperator.

[3] Verronium paullo ante Canisii mortem ab eo discessisse intellegitur ex ipsius scripto modo posito.

[4] Fatendum est, Meglinum ea, quae in **Historia* collegii dicuntur (si ea, quae nunc superest, historia est usus), haud ita accurate exscripsisse. Ibi e. g. Antonii a Montenach nomen non ponitur (Cod. friburg. „Hist. coll. Frib." p. 45).

[5] In **Historia* collegii primum scriptum erat „tres"; deinde correctum est: „quatuor" (l. c.), idque recte; v. supra p. 910[b].

luce, haustis coelestibus epulis, fixisque in aeterna cogitatis, immotus iacuit, coelo ante coelum fruens; nam Dej Mater clienti suo, et aduersus hostes militj prope lectum conspicua, eo gaudio perfudit, ut inter horrorem mortis, mortis obliuisceretur, uocisque impotens, loqueretur tamen Aue Maria" (Can. 47 p. 27—28). Minus certe loquitur *Raderus* (200—201): „Postridie, qui Dominicus erat caelesti Synaxeos epulo pastus iacuit supinus in rerum diuinarum meditatione vsque ad meridiem assidue defixus. An caelesti aliquo Virginis ac Matris Dei (cuius laudes ingenti volumine celebrarat) viso exhilaratus, incertum: oculis certe in eam gratulantibus intentus, renidente vultu, coepit illam Angeli verbis salutare, et coronam legere." *Sacchinus* (Can. 392): Die mortis „oculos in conclauis ianuam defixit, hilariorque iucundo, et amabili vultu, eodem digitum intendens: Non videtis, inquit, non videtis? Nihil circumstantes viderunt. Nulli tamen dubium fuit, quin diuina ei species aliqua oblata esset." Similiter *Fuligatti* (166) scribit, circumstantes non dubitasse, quin caelestis visitatio („celeste visita") ei facta esset, „la quale perchè egli non potè riferire, à noi non è lecito d'indouinare". Deinde *Dorigny* (397) scribit: Circumstantes existimabant Mariam ei visam esse. Postea *Python* (331): „Pie creditum est Beatissimam Dei Matrem . . . spectabilem se ei praebuisse." Post hunc *Degli Oddi* (292): Mariam vidisse omnino videtur, quamquam id certum non est. Ex posterioribus vero complures id circumstantibus persuasum fuisse affirmant: ita *Boero*, Can. 434, *Garcia* 339, *Séguin-Allard* 289, *Raemy de Bertigny* 130—131. *Riess* autem (527): „Man vermuthete, daß er eine himmlische Erscheinung gehabt habe." Et *Genoud* (171): „Plusieurs supposent que la Mère de Dieu se montre comme pour lui indiquer le chemin du ciel."

Friburgi in collegio S. Michaelis, in cubiculo, iam in sacellum transmutato, in quo Canisius diem supremum obiit, e pariete pendet imago eius picta atque sic inscripta: „Venerab. P. Petrus Canisius, primus Friburgi Sociorum Superior, trimestri confectus hydrope, in angulo huius sacelli, olim cubiculi, ante quartam pomeridianam sancte obiit, festa Divi Thomae Apostoli luce, anno Christi 1597, aetatis 76°, commorationis friburgensis decimo septimo." [1]

1602. M. Decembri 1597.

Ex autographo, quod P. *J. F. Kieckens* S. J. invenit, Bruxellis in bibliotheca PP. Hagiographorum Bollandianorum deposuit, in „*Analectis* Bollandianis" XIII, Bruxelles 1894, 379—382, integrum edidit.

De Canisii morbo ultimo, morte sancta, populi veneratione, solennitate exsequiarum, monumento.

P. *Jacobus „Ryswich"* S. J. (de quo supra p. 422) Monasterio Westphalorum 25. Maii 1598 Bruxellas ad „Reinerium Riswichium" iuris utriusque licentiatum, „patruelem et consobrinum" suum, litteras misit, in quibus haec, praeter alia, dicuntur: „De R. P. Petri Canisij auunculi nostri, aeternae per Europam memoriae viri obitu adscripseram nuper. Sed post illa historiam sanctissimae mortis misere nostri e Collegio Friburgensi, vnde emigravit in caelos, quam si libet audire atque intueri tanquam speculum, id quod nos praecipue movere debet, quia caro videlicet sanguisque optimi Patris, paucis accipe. Sic igitur nostri de P. Petro. Ad hydropis morbum accessit lethalis catharrus, qui bonum senem fessum annis exstinxit. Jn pervigilio S. Thomae [2] confessus de peccatis, cum vox fatisceret, rogavit vti quispiam pie recitaret apud se 7 psalmos poenitentiales: postridieque cum circa quintam matutinam Sacrum D. Corpus pie admodum percepisset, intentis nunc in Crucifixi nunc in B. Virg: imagines oculis, per horam ferme ex libello ab se conscripto valde tranquillo animo est precatus, post, petentibus diversis, impertijt extremam benedictionem, et circa horam tertiam, ad quam differri voluerat sacram vnctionem, cum iam postremum hoc accepisset praesidium, inter orationem psalmorum poenitentialium,

[1] Scribendum fuit: „77°" et: „decimo octavo."
[2] Die 20. Decembris 1597.

ipse verus amator doctorque poenitentiae, sanctissime, pijssime placidissimeque animam DEo reddidit, cinctus nostrorum corona pro moribundo supplicantium, praesentibusque Vrbis Praeposito Episcopi Vicario[1], duobus Senatoribus cum Reip. Archigrammateo[2], itemque Capuccinorum Guardiano cum suo sodali. Post mortem, vultus et reliqua omnia Patris visa adhuc spirare nescio quam sanctitatem. Adeo, vt essent homines P. Rectori[3] molestissimi, in resculis petendis, quibus Pater viuus fuisset vsus. Nec potuit ante septimam noctis sepeliri ob concursum maximum populi et studia applicantium Rosaria sua ad funus et cadaver, quod in domestico sacello situm, tres horas, et in Vrbana Parochia[4] quatuor exponi in ornatu sacerdotali videndum debuit. Cum autem nostri nihil minus futurum crederent, Praepositus vrbis S. Theologiae Doctor[5] repente conscenso suggestu concionem de virtutibus P. Petri ad multitudinem vtriusque sexus pene incredibilem admirabili prorsus applausu habuit. Sepultus porro est ante summum altare summi templi quam honorificentissime · et tres germani nobiles, patritij Friburgenses, marmor 10 pedum in longitudinem cum hac inscriptione sepulcro imposuerunt. Monumentum Venerandi Patris nostri Petri Canisij societatis JESU Theologi[6]. Fitque praeterea a magnatibus Patris Epitaphium quod suffigetur apud sepulcrum, in quo apparebit vera ipsius et genuina imago · nec ista nos quia fiunt ab externis primarijsque viris impedire iam possumus". . . .

1603. Exeunte m. Decembri 1597.

Canisii, „Germaniae apostoli", morbus, visum, mors, exsequiae.

Dubitari vix potest, quin Socii collegii friburgensis a. 1598 pro more suo (cf. supra p. 617 644 etc.) de rebus ab exeunte a. 1597 ad exeuntem a. 1598 a se gestis longiores scripserint „Litteras Annuas". Neque tamen has repperi. Praesto autem erant *litterae breviores, quae una cum similibus *litteris collegii bruntrutani insertae sunt „*Annuis litteris* Prouinciae superioris Germaniae, anni M. D. XCVIII." manu scriptis (Cod. „G. Sup. 65" f. 222 227[a]). Illarum partem ponam eam, quae Canisium spectat. Eadem pars typis exscripta est in libro „*Annuae Litterae* Societatis Iesu, Anni M. D. XCVIII", Lugduni 1607, 331—332, mutatis tamen vel omissis verbis illis, quae in Codice modo memorato mutata vel lineis notata esse infra dicetur. Ita igitur litterae friburgenses anni 1598:

„Abeunte Decembri[a] anteeuntis anni, quando iam annuae litterae ad P. Prouincialem missae, concessit e uita P. Petrus Canisius[b]: propterea his litteris defuncti exequenda est memoria, ne parenti[c] huius prouinciae, primoque[d] e Germanis cui Societas placuerit ut in eam adlegeretur[e] non parentasse ingrati habeamur. Pater ergo Canisius septem supra septuaginta senex[f] [?] annorum, defectus aetate, hiberna, eaque diuturniori affectus grauedine, morte confectus est XII° Kalendas Januarij, die qui S. Thomae apostolo festus fuit[g]. Noster Germaniae apostolus paruo ante mortem momento quasi diuinum quid intuens fronte, uultuque in hilaritatem composito, manu certum in locum protenta, Videtisne, inquit, uidetisne eo in loco[7]. Mortui corpus in principe ciuitatis aede[8] summa Collegij canonicorum uoluntate

a) *Quae sequuntur, usque ad* concessit e uita *excl., lineis transmissis et subductis notata sunt.* b) *Octo vv. sqq. lineis notata sunt, ut supra dictum est.* c) *Manu posteriore hoc v. mutatum est in* parens. d) *Manu posteriore mutatum in* primusque. e) *Septem vv. sqq. lineis notata sunt.* f) *Vel:* erat. *Sic enim (primane manu an posteriore, incertum) correctum est ex* senex. g) *Tria vv. sqq. lineis notata sunt.*

[1] Sebastiano Verronio: cf. supra p. 910 913. Verronius eo tempore nondum constitutus erat vicarius generalis episcopi lausannensis.

[2] Ex Verronii et Licii rectoris narrationibus collegeris, adfuisse tantum Christophorum Reiffium senatorem et Antonium de Montenach archigram̄mateum. Licius tamen scribit, praeter Socios, „duos senatores", duos Capucinos cubiculum ingressos esse alios, quotquot angustiae loci capiebant; v. supra p. 910 912.

[3] Martino Licio. [4] In templo S. Nicolai. [5] Sebastianus Verronius.

[6] Vide supra p. 910.

[7] Cf. supra p. 909 912. [8] In ecclesia collegiata quae vocatur S. Nicolai.

humatum est: ubi spectabilis D. praepositus [1] (cui pater, aliquotque alijs emorientibus uocibus bene precatus Societatem et Remp. Friburgensem commendarat) post preces uesperas e loco superiore, confluente concione de tumulati laudibus dixit. Diceremet ego de mortui uita, ni [a] illa longiorem deposceret narrationem [b], separatimque scriptionem, quae breui has subsequetur litteras [2]".

1604. **21. Decembris 1597.**

Ex monumento archetypo processus anni 1625, Jacobi Kämerling vicarii generalis episcopi lausannensis, Pancratii Gerwer, aliorum procerum subscriptionibus et sigillis munito, quod est in Can. 63 f. 6[a], et ex processus anni 1627 apographo circa a. 1743 scripto, quod est in Cod. „Proc. Ap. I" f. 650[b]—651[a]. Eadem fere sunt in „*Positione*" a. 1734, Summ. p. 16, et in „*Positione*" a. 1833, Summ. p. 304—305.

Friburgi supra cubiculum Canisii vita functi mira lux splendet.

In processu beatificationis Canisii d. 29. et 30. Decembris a. 1625 Friburgi Helvetiorum instituto „Spectabilis, strenuus, ac generosus Dominus Pancratius Gerwer, eques Palatinus Senator ac generalis Commissarius Reip. Friburgensis sancte asseuerauit se auditione accepisse saepius a socero suo Domino Nicolao Wild, et a Domina Elisabetha eiusdem filia, quam primis nuptijs sibi iunxerat idem Dominus eques, quod eo temporis articulo, quo R. P. Petrus Canisius excessit e uita, cum in collegio Reuerendorum PP. Iesuitarum pro more Societatis aere campano signum daretur, dictum Dominum Nicolaum e fenestra sua prospexisse, ut exploraret quidnam sibi istud signum uellet: tum repente uidisse in aëre supra illud cubiculum, in quo idem P. Canisius supremum uitae tempus exegit, et pie animam exhalauit, eximium et ingentem splendorem effulgere. Mox filiam uocatam, ut et ipsa tanta luce pasceret oculos accurrisse e uestigio, atque eandem insignem, uisendamque claritatem mirifica cum uoluptate spectauisse. Atque hoc insolitum ac iucundum spectaculum, quod uterque uiderat, ut dictum est, crebro deinde ab ijs, tam praedicto Domino Equiti, quam alijs compluribus, uti rem ueram et certam, asseueranter narratam fuisse". Omnino eadem a Gerwero affirmata sunt 13. Octobris 1627 in secundo processu friburgensi.

1605. **30. Decembris 1597.**

Ex archetypo, quod est Romae in archivo vaticano, „Nunz. di Svizz. 5" nr. 155.

De Canisii morte et meritis.

Ioannes comes Turrianus, episcopus veglensis et apostolicus in Helvetia nuntius, Lucerna 30. Decembris 1597 Romam ad Cynthium Passerum sive Aldobrandinum, „cardinalem S. Georgii" et Clementis VIII. nepotem, litteras misit, in quibus haec leguntur: „Passó otto giorni sono á miglior, uita il celebre P. Canisio in Friburgh, hauendo lasciato infiamato tutto quel popolo del merito suo, che perció lo custodiscono essattamente come cosa molto cara a loro."

1606. **Exeunte m. Decembri 1597.**

Ex commentariolo, quem *K. Th. Rückert* posuit in „Literarische Rundschau für das katholische Deutschland" 24. Jahrg., Freiburg i. Br. 1898, 148—150.

Canisii virtutes laboresque. Color corporis mortui mire clarus.

Friburgi Brisgoviae in bibliotheca universitatis (22, 015) servatur exemplum „Commentariorum de Verbi Dei corruptelis" Ingolstadii

a [illegible] ne; *id enim ipsa res exigere videtur; litterae quoque typis exscriptae habent* ni
b *Quae sequuntur, lineis [illegible] sunt.*

[1] Sebastianus Verronius. [2] Haec perisse videtur.

a. 1583 a Canisio editorum, in cuius folio primo *Jodocus Lorichius* (ca. 1540—1613), theologiae in ea universitate professor, vir et pietate insignis (senex ordinem cartusianum ingressus est), et operibus theologicis conscriptis de ecclesia bene meritus, haec scripsit:

„De Morte R. Pat. Dn. Petri Canisii, autore" horum librorum.

Ex literis R[di] Dn. Sebastiani Verronii Praepositi Ecclesiae S. Nicolai Friburgi Heluetiorum. 28. April. añ. 1598 ad me scriptis.

E nostro conspectu in coelum vocatus, nobisque sublatus est Venerandus P. Petrus Canisius, quem ego parentem in Christo unicè venerabar: quem tamen non tam amisisse, quàm intercessorem ad Deum praemisisse nos arbitramur; cùm propter vitam sanctissimè actam, laboresque egregios pro Ecclesia susceptos, tùm quod adeptae apud Deum gloriae, claritas vultus, manuumque vita functi praeclarum testimonium dederit. Cum enim vitae, sanguinis et caloris vigor, colorem plerumque viuidum, roseumque gignere soleat: iisque corruptis atque amissis, color pariter marcescat necesse sit; in Patris Canisii tamen corpore, postquam spiritus excessisset: praeter cadauerum consuetam rationem contráque naturae vim, color reuiguit planè viuidus, clarus, roseusque: et quidem florentior, quàm unquam in vita perfuncta: quantumuis corpus exesum, longáque quatuor mensium infirmitate penitus confectum esset. Obdormiuit verò in Domino, festo S. Thomae Apost. superioris anni, postquam apud nos egisset annos septendecim, dies decem: aetatis anno septimo supra septuagesimum.

Haec ille.

Ego Jod. Lorichius s. Theologiae Doct. et Pfessor manuscripsi."

1607. 1597. 1599.

Canisii labores et virtutes. Mortui species formosior.

Sebastianus Verronius in opere suo, quod inscribitur „Chronica Ecclesiae et Monarchiarum a condito mundo · *Sebastiani Verronii*, Praepositi Friburgensis in Heluetia, S. Theologiae Doctoris. Friburgi Heluetiorum M. D. XCIX", haec de Canisio testatur (lib. 8 c. 45: p. 472): „Petrus Canisius theologus societatis Iesu, toto Christiano orbe notissimus, cuius opera principes, imperatores, et pontifices saepe vsi sunt, aetatem quasi quidam homo Dei [1], ecclesiae per Heluetiam patriarcha, fidei catholicae per Germaniam columna, indefesso labore, ac singulari sanctitate exegit: obiit Friburgi in Heluetia anno 1598 [2] · aetatis septuagesimo septimo, mortuus viuaciore colore conspicuus, quam viuus: vt licet exeso per abstinentiam corpore esset, color tamen defuncti floridus, roseusque plane fuerit: lucis, ac vitae beatae ab eius spiritu apud Deum consecutae, euidens testimonium."

a) *Scribendum fuit:* autoris

[1] Dt 33, 1; Ios 14, 6; 1 Rg 9, 7 8; 2 Par 8, 14; 1 Tim 6, 11; 2 Petr 1, 21 etc.
[2] Scribendum fuit: „1597."

1608. Exeunte m. Decembri 1597.

Ex apographo, circa a. 1730 ex litteris archetypis exscripto et Friburgi Helvetiorum publico authenticitatis, quam vocant, testimonio munito, quod est Monachii in archivo maiore reip. bavaricae, Jesuitica in genere Fasc. 13, No. 214.

Canisii oculi acres. Mortui corpus risu iucundum. Monumentum.

Friburgo Helvetiorum 28. Ianuarii 1598 *Sebastianus Verronius* praepositus capituli S. Nicolai Hildebrando I a Riedmatten episcopo sedunensi scripsit: „Reverendissime in Christo Praesul: gratissimum fuit, quod V. Reverendissima Dignitas tantam erga nos benevolentiam demonstravit, vicesque nostrae Ecclesiae propemodum orbae condoluit[1]: faxit Deus, ut juniorum spiritus in Domino adolescat, ac pro Patribus nostrae ecclesiae nascantur filij principes terrae viventium[2]; quod ipsum quoque vestrae ecclesiae ex animo comprecor. Excessit e vivis, vel potius migravit ad vitam beatiorem Ven. Pater Petrus Canisius festo S. Thomae superioris anni[3]; anno aetatis septuagesimo septimo: canitie vix ulla apparente, oculis integerrimis, ut duabus horis ante obdormitionem preces e scripto pro felici transitu sine perspicilijs fecerit: tantum in eo potuit temperantia perennis; quanquam labores et abstinentiam saepe justo duriorem adhibuerit · illud singulare in eo animadvertimus, quod defuncti facies, et manus speciosiores, et nitidiores, quam in vivis essent, colorque vivus, qui, cum tandem sepulturae conderetur, in albicantem versus est, horrore cadaverum solito nullo penitus, ne levi quidem in eo deprehenso. Marmor ad sepulchrum elegans donarunt Nobilissimi Nicolaus, ejusque fratres a Diessbach". . . .

1609. 1570—1626.

Ex autographis (2°; pp. 1 et 2), quae sunt in foliis separatis.

P. Velseri testimonium de Canisio. Huius virtutes, doctrina, merita. „Apostolus". „Sanctus". Eius imago.

P. *Antonius Velserus* (Welser) S. J. ex patricia Velserorum familia augustana ortus (de quo v. supra p. 830) Neoburgo ad Danubium 2. Maii 1639 P. Gualtero Mundbrot S. J., Mutii Vitellesci praepositi generalis assistenti pro Germania, scripsit: „Ante plures annos Reuerendissimus et Jllustrissimus Episcopus Augustanus me Dilingam uocauit et propositis certis Articulis Jnformationem a me petijt de Vita moribus Sanctitate et Miraculis Serui Dei Patris Petri Canisij · dixi coram Episcopo, Notario et testibus quae mihi constabant, et responsum quoque scripto tradidi cuius Exemplum mitto Reuerentiae Vestrae."

In actione hac sive processu beatificationis 1. Septembris 1626 coram Henrico a Knöringen episcopo augustano instituto (v. supra

[1] Die 20. Ianuarii 1598 mortuus erat P. Ioannes Michel O. Min. Conv., qui paullo ante constitutus erat vicarius generalis episcopi lausannensis. Ita Verronius in ipsis hisce litteris, addens, modo se a Ioanne Turriano nuntio apostolico administratorem rerum episcopatus constitutum esse.

[2] Ps 26, 13; 41, 17; 141, 6. [3] 21. Decembris.

p. 830) Velserus haec, praeter alia iam supra (p. 830) posita, testatus est:

„R. P. Petrum Canisium noui et uidi Dilingae circa annum 1577 · et deinde Friburgi Heluetiorum anno 1592 · et cum eodem familiariter ego coram et per litteras. . . .

Noui illum in uita ornatum fuisse a DEO multis uirtutibus Christianis: magno zelo honoris ac gloriae DEI et salutis animarum flagrasse, prudentem, fortem, temperantem, humilem, contemptorem sui, patientem, obedientem, mortificatum, alijsque Christianis uirtutibus in gradu excellenti praeditum fuisse. Haec autem noui partim experientia ipsa cum ipso familiariter conuersando, partim ex communi fama et fide dignorum attestatione.

Noui illum fuisse uirum doctum et sua doctrina multum profuisse fidei Catholicae; conuersatione sua aedificationis plena, scriptis, disputationibus et concionibus plurimos haereticos ad fidem reduxisse nutantes, Catholicos confirmasse, peccatores conuertisse et multos ad uiam Perfectionis et salutis adduxisse, ita ut merito Apostolus Germaniae fuerit reputatus et nominatus. Haec scio ex conuersatione, quam habui cum ipso Patre, tum ex ipsius scriptis quae legi, tum ex attestatione fide dignorum, qui ex illius concionibus, conuersatione, scriptis uel ad fidem conuersos, uel in eadem confirmatos, uel etiam in moribus correctos se fuisse attestati sunt; in quibus Primarij quidam Reipub. Augustanae uirj, qui eum Ciuitatis suae Apostolum nominarunt [1]. . . .

Scio ipsum Augustae a uiris Primarijs (etiam ab ijs apud quos 1º in illam vrbem aduentu hospitatus est [2] et conciones suas Quadragesimales parauit) habitum fuisse tanquam uirum Apostolicum et Sanctum, et apud omnes ob doctrinam, uitae morumque sanctitatem in summa ueneratione fuisse: et post illius discessum memoriam illius Augustae semper in benedictione fuisse, ob quam ipsa quoque loca quae ille aliquando inhabitauerat, a quibusdam religiose obseruata.

Opinionem istam de virtutibus et sanctitate uiri partem a Parentibus [3] hausi, a quibus illum frequenter tanquam uirum sanctum audiui commendari adhuc puer; partim etiam ab alijs, et ipsa experientia et consuetudine cum Patre ipso; cui post eius obitum tanquam beato me commendare consueui; et effigiem illius ad uiuum depictam in cubiculo et consueto precationis loco deuotionis gratia expositam habui; quam cum ob generale mandatum cum reliquis Nostrorum non beatificatorum

[1] E primariis reipublicae augustanae viris Canisium imprimis suspiciebant id quod ex superioribus huius operis voluminibus intellegitur Marcus, Georgius, Ioannes Fuggeri, Matthaeus Velserus, Marci Velseri senior et iunior, Achilles, Georgius, Maximilianus, Melchior Ilsungi.

[2] Ex his erat Marcus Velserus senior *Raderus* 87 112; *Can.* II 625 655.

[3] Antonii pater erat Ioannes Velserus consul augustanus: v. supra p. 830. Uxorem ei fuisse Catharinam Remboltin scribit *Bucelinus* l. c. v. supra p. 437² II f. [Aa 4ª].

imaginibus seposuissem [1], reperi cum admiratione aliquo temporis elapso spatio, suo loco repositam, nec mihi constare potuit qua ratione aut a quo id factum fuerit."

1610. 1593–1597.

Ex monumento archetypo processus anni 1625, de quo supra p. 916. Can. 63 f. 6ᵃ—7ᵃ. Testimonium, quod ex hoc processu hic ponitur, additum est etiam processui anni 1627, ante cuius initium testis ille mortuus erat; exstat igitur in Cod. „Proc. Ap. I" f. 707ᵇ—710ᵃ. Testimonii partes sunt in „*Positione*" a. 1833, Summ. p. 153 250. Quae de viro illo aquis submerso narrantur, sunt etiam apud *Phytonem* 364—365.

Canisii modestia et temperantia. Rem abditam intellegit. Mortui corpus suave olet. Canisii cochlear. Sanitas per eum impertita.

In processu beatificationis Canisii Friburgi Helvetiorum 29. et 30. Decembris 1625 instituto „ornatissimus ac prudentissimus Dominus *Petrus Perret* iuratus Notarius et Gubernator olim Praefecturae Stauiacensis [2] exposuit, quod per quinque ultimos annos, quibus in uiuis fuit R. P. Petrus Canisius [3] sibi saepius obtigerit is honor, eaque felicitas, ut cum eodem R. Patre familiarissime colloqui et conuersari liceret, immo sat frequenter eadem cum illo mensa frui [4], nec tamen ullum unquam uerbum ei excidisse, quod saperet vel minimam uanitatem, sed sermones eius fuisse omnes prudentiae sale conditos et redolentes odorem boni exempli. Praeterea cum idem Reuerendus Pater uerba cum quopiam faceret, semper habuisse illum oculos uel in coelum sublatos, uel humi defixos. Denique illum sic sua colloquia, moresque suos ad omnem modestiam et sanctitatem composuisse, ut iam tum in coelis potius, quam in terris uersari uideretur.

Addidit idem Dominus Petrus Perret, eundem R. Patrem Canisium ea uictus ac potus temperantia fuisse, ut nunquam uiderit ipsum sumentem ultra quartam partem ordinariae portionis, unicum uero scyphum uini, et quidem ita dilutum ut media, uel tertia pars esset aquae, atque ut ad edendum et bibendum induceretur, saepius se rogatum fuisse a R. Patre Martino Licio Rectore tum Collegij [5], ut ipsum incitaret, quo uel in sui gratiam tanquam hospitis aliquid sumeret. Denique se ab

[1] Mundbrotio *Velserus* *scripsit: Habui eam „pluribus annis super Oratorio cubiculi mei deuotionis causa expositam". Urbanus VIII. decreto sacrae Inquisitionis 13. Martii 1625 lato prohibuit, ne imagines illorum, qui cum sanctitatis vel martyrii fama mortui essent, „in Oratoriis, aut locis publicis, seu priuatis vel Ecclesiis apponerentur", antequam declarati essent Beati (ex decreti apographo eodem tempore scripto. Can. 63 f. 39ᵃ).

[2] Estavayer-le-Lac. [3] Per annos 1593—1597.

[4] Perret, id quod ex postrema huius relationis parte intellegitur, Sociorum friburgensium „fautor" erat, nec dubitari potest, quin propter notarii officium, quo fungebatur, ei identidem in collegium ueniendum fuerit.

[5] Licius, P. Petro Michael rectore m. Novembri a. 1596 mortuo, vicerector factus est, et, ut in **Historia* collegii narratur, 12. Augusti 1597 ex congregatione provinciali Sociorum Germaniae superioris rector Friburgum rediit (Cod. frib. „Hist. coll. Frib." p. 45).

eodem Patre Licio intellexisse eundem R. Patrem Canisium non raro obedientiae ui ad esum, potumque adigendum fuisse.

Praeter memorata retulit idem Dominus Petrus Perret, cum socer eius aquis, subito lethi genere, extinctus esset in fluuio Sana[1], qui urbem alluit, se ingenti metu perculsum iacuisse, ueritum ne forsan anima soceri perijsset, eo quod per confessionem prius conscientiae labes non expiasset, quam e uiuis discederet, seque non paucos dies tantis animi perturbationibus agitatum fuisse, ut nihil cibi, potus, somniue capere posset, donec tandem uenit in mentem adire consilij causa R. Patrem Canisium, Dominum ac Patrem suum spiritualem, sibi perfamiliarem, quem etiam uitae sanctimonia praestantem Dei famulum omnino crederet. Nec multis de luctuoso illo interitu inter se disseruisse, cum R. Pater bono animo eum esse iussit, socerum nequaquam sempiternis inferorum supplicijs addictum esse, sed tantum expiatorijs in igne purgante flammis ad tempus cruciari. Recta igitur contenderet ad Sacellum Deiparae Virginis in colliculo urbi uicino situm[2], ubi ter rosarium eiusdem Magnae Matris pie percurreret, ac Sacrum pro eius liberatione fieri curaret, quod non ita multo post lubens praestitit. At uix se ab eodem Reuerendo Patre digressum fuisse affirmauit, cum miris solatijs se perfusum, omnique molestia perturbatae mentis liberatum fuisse sensit.

Adiunxit idem Dominus Petrus Perret natura se ita comparatum esse, ut semper magno cum horrore ac tremore ad aliorum hominum, qualescunque illi fuerint, uita functorum corpora accesserit. Contra tamen sibi usuuenisse, ut quo propius ac frequentius ad cadauer R. Patris Canisij accederet, eo plus uoluptatis inde hauriret, adeo ut ipsum saepius incesserit cupido totum se feretro illius applicandi, et quasi affigendi, si id ei licuisset, quod ex eo etiam afflaretur suauissimus odor, adeo ut ter quaterue adierit Collegij Sacellum, in quo seruabatur idem cadauer, antequam terrae mandaretur, ut penitus se expleret illis delicijs, quas inde percipiebat.

Postremo iuratus haec asseuerauit idem Dominus Petrus Perret, sibi illud cochlear, quo R. Pater Petrus Canisius sub ultimos uitae dies usus fuerat, per R. Patrem Martinum Licium Collegij Rectorem cum epistolio tanquam singulari amico ac eiusdem Collegij fautori dono missum fuisse (id etiam testatur ipsum epistolium, quod nobis Commissarijs et Examinatoribus ostensum fuit) · cumque idem cochlear omni cum reuerentia accepisset, et in gratiarum actionem una cum uxore, liberis, caeterisque domesticis semel Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam pronuntiasset, idemque munus pariter cum tota familia deosculatus fuisset, subito quandam filiolam suam, cui iam inde ab utero materno pollex dexterae ita mancus, incuruus, et ad palmam manus appressus fuerat, ut nec eum mouere, nec eo uti ulla ratione posset,

---

[1] Sarine, Saane. [2] Bourgillon, Bürglen.

deprehendisse illum pollicem, sibi restitutum, liberum, optimeque affectum. Atque hoc mirandum opus attribuit idem Dominus Perret meritis ac precibus R. P. Petri Canisij, quod pridem omnem spem abiecisset fore aliquando, ut siue naturae ui, siue artis ope illi pollici medicina fieri posset, praeterquam quod tunc omnia alia cogitaret, quam ut filia illam reciperet sanitatem."

1611. 1580—1596.

Ex monumentorum processus apographo, a P. Petro Hugone S. J. † 1657 scripto. Can. 63 f. 132ᵃ—133ᵃ. Eadem sunt in *„Positione"* a. 1734, Summ. p. 14—15, et in *„Positione"* a. 1833, Summ. p. 278.

Canisius a Friburgensibus magni aestimatus et amatus.

In processu episcopali beatificationis Canisii Friburgi Helvetiorum a. 1627 instituto *Pancratius Gerner* (Gerwer), eques palatinus et reipublicae senator, haec, praeter alia (supra p. 434 545 580 797 799), de Canisio testatus est: „P. Canisium, dum adhuc uiueret, ob opinionem, quam de sanctitate et doctrina eius habebant omnes, maximo in honore semper fuisse apud Summum Magistratum, ciues, et caeteros incolas ciuitatis Friburgensis, adeo ut omnes et singuli, si licuisset, quotidie eum libentissime, et cum gaudio uisitassent, frequentassent, hospitioque excepissent, idque scio, quia ipse uidi, et a uiris praecipuae dignitatis audiui."

1612. 1580—1597.

Ex apographo a P. Petro Hugone S. J. † 1657 facto. Can. 63 f. 130ᵃ. Eadem, paucis verbis mutatis, posita sunt in *„Positione"* a. 1734, Summ. p. 18—20, et in *„Positione"* a. 1833, Summ. p. 120 134 195 249 279 315. Iis usus est *Riess* 481[3] 511.

Canisius laborat, consulitur, vexatur; eius temperantia, animi demissio, oratio, sacrum; fama sanctitatis; funus; sepulcrum; reliquiae.

In processu episcopali beatificationis Canisii Friburgi Helvetiorum a. 1627 instituto *Michael Faber* civis friburgensis, 61 annos natus, haec, praeter alia (cf. supra p. 545 797 854), testatus est de illo: „Nouit eum de facie Friburgi Helu. ab anno 1580, quo primum uenit in hanc urbem usque ad 97.[a] quo obijt . . . [uidi] eum a grauibus uiris, et maxime illis, qui magis soliciti eo tempore uidebantur pro bono publico, atque adeo de Fide orthodoxa siue conseruanda siue propaganda in his partibus, frequenter ad consilia adhibitum fuisse. . . . Noui[a] ei aduersa hic contigisse, et a uiro Ciuitatis facile primario non mediocriter uexatum fuisse[1], et tamen fretum semper uicisse, ac meliora sperasse[b] . . . uidi eum saepius ad mensas Dominorum uocatum, uel alias cum Domos inuiseret, ad haustum inuitatum[c] fuisse, sed non nisi ualde modicum et bibisse et comedisse . . . uidi eius modestissimum incessum, et reliquos eius gestus Humilitate plenos. Caput aperiebat cuiuis obuio etiam minimo,

a) *Ab Hug. correctum ex* Nouit. *Similiter deinceps correctum est* uidi *ex* uidit *etc.* b) *Positio melius:* Deo tamen fretum semper meliora sperasse. c) incitatum *Pos*

[1] Ab Ioanne Fruyo quaestore reipublicae? Vide supra p. 721 747.

et oculos in terram demittebat, nihil circumspiciendo. . . . Testor eum Orationi ita sincere uacasse, ut saepius extra se positus, ac quodammodo raptus uideretur. . . . Sacrum eius saepissime audiui, quod ipsum testor ab ipso fieri solitum maxima cum deuotione, et quidem (prout ipse partim uidi, partim ab alijs intellexi) singulis diebus, quoad potuit per ualetudinem. . . . Testor, P. Canisium in uita habitum fuisse et reputatum uirum sanctum, quia ipse eum pro tali semper habui, et alios pariter mecum sentientes passim in ciuitate audiui, adeo ut eius Sacrum tanquam uiri sancti omnes audire maximopere cuperent, et maxime gloriarentur, si ei sacrificanti adfuissent. Et qui iam praecedens Sacrum audierant, si P. Canisium subsequi et ad aram accedere sacrificandi causa uidebant, non facile ante finem Sacri illius recedebant. Affirmo item illum mortuum esse cum magna opinione sanctitatis, quia uidi maximum accursum ad eius funus, multos contendentes feretrum contingere, rosaria applicare, defunctum sanctum nominare in suis colloquijs. Quin etiam ipse Summi templi [1] Praepositus R. D. Sebast: Verronius illum funebri oratione dilaudauit. Caeteri uero Canonici solenni ritu eidem iterato parentarunt [2]; nec alibi, quam ad primum gradum summi altaris in medio spatio, id est, in honoratissimo principis templi loco corpus illius condi uoluerunt. Testor item post mortem creuisse famam ipsius sanctitatis absque ulla interruptione. . . . Testor semper complures sepulcrum eius, quamdiu fuit in primario templo S. Nicolai uisitasse, praecipue diebus Sabbathinis, sed maxime in festo S. Thomae Apostoli [3], quo die obijt. Hoc enim die uidi saepius sepulcrum eius floribus conspersum et floreis sertis coronatum, tanto populi concursu, ut chorus in multam noctem apertus, uix fuerit capiendo. . . . Testor, quod hic populi affectus erga Canisium adhuc perduret, eo quod populus non cesset primum illud Canisij sepulcrum honorare in eodem loco, licet eius ossa iam alio [4] translata sint. Jtem pro thesauro habet, quisquis uel paucula [a] ueteris sarcophagi fragmenta, minutum sepulcri puluerem, exiguam uestis laciniam, uel unum capitis eius pilum acceperit."

1613. 1580—1597.

Ex monumentorum processus apographo a P. Petro Hugone S. J. † 1657 scripto, quod est in Can. 63 f. 136[a]—137[a]. Eorundem monumentorum apographum circa a. 1744 scriptum exstat in Cod. „Proc. Ap. I" f. 657[b]—669[a]. Eadem, alio tamen ordine disposita, exstant in „*Positione*" a. 1734, Summ. p. 20—27; sunt etiam in „*Positione*" a. 1833, Summ. p. 11—12 121—122 152—153 195—196 249—250.

Canisius sacrum faciens. Haereticis exosus. Commentarius Verronii. Canisii prudentia, temperantia, patientia, oratio, pietas in Sanctos. Bonhomius.

a) parvula *Pos.*

[1] S. Nicolai.

[2] Est antiquus ecclesiae mos, ut etiam tertio et septimo et trigesimo post sepulturam diebus missa de Requiem pro mortuo celebretur.

[3] 21. Decembris.

[4] Anno 1625 translata sunt in novum Societatis templum S. Michaeli dedicatum.

In processu beatificationis Canisii Friburgi Helvetiorum anno 1627 instituto vocatus erat testis *Simon Gurnel* [?][a] [1], ex maiore senatu reipublicae, qui olim praefectus fuerat Faverniaci (Farvagny), paene 80 annos natus. Sed quia paucis diebus ante diem testibus constitutum mortuus erat, PP. Philippus Reichwein S. J., contionator templi S. Nicolai, qui Simonis confessarius fuerat, et Jacobus Morellus S. J., theologiae moralis professor in collegio, iureiurando interposito protulerunt ea, quae iis Gurnel partim verbis, partim scripto ad quaestiones sibi propositas responderat [2]. Ait autem (praeter alia: cf. supra p. 545 822): Canisium „noui[b] ipsum Friburgi Heluetiorum . . . ab Anno 1580 · ad mortem usque, quae contigit anno 1597. Scio etiam ipsum Sacerdotem fuisse, eo quod eius Sacrum frequenter audiuerim, deque eo audito sibi gratulantes ac gloriantes plurimos alios meminerim. . . . Fide in DEVm theologica illum excelluisse . . . colligo . . . ex feruentibus de rebus fidei habitis concionibus, atque colloquijs, quibus ipse frequentissime interfui, ex haereticae prauitatis odio, de quo ex ijsdem concionibus, et colloquijs cognoui, ex haereticorum uicissim de eo iudicio, et in eundem odio, quo saepe audiui uiciniam potissimum haereticam, urbis nostrae Friburgensis in eum ferri. . . . Protulit ipse etiam D. Deponens breuem quendam Commentarium de uita R. P. Canisij, propria manu scriptum ab Admodum Reuer: et Magnif: D. Sebastiano Verronio S. T. D. Praeposito . . . uiro quondam doctrina et uirtute spectatissimo, quique maxima intimaque familiaritate R. P. Canisij pluribus annis usus est: quem Commentarium iurati duo Patres Societatis JESV inspexerunt, ac pro manu propria eiusdem D. Verronij agnouerunt. . . .

De Prudentia R. P. Petri testatus est D. Deponens, quod eam ex frequenti conuersatione ac consultatione de rebus suis notam habuerit, eandemque secum alij plurimi experti fuerint, in ijsque uiros Ecclesiasticae ac saecularis Reip: primarios, quos uiderit atque audierit eius consilijs usos esse saepe, et uehementer fuisse delectatos. . . . Testor eo quod et ipse saepe obseruauerim, et ex alijs etiam audiuerim eum cibi et uini quod multa semper aqua diluebat, parcissimum fuisse. . . Audisse me testor[c], eum somni fuisse perbreuis, et multo mane quotidie ad orationem surgere consueuisse. . . . Orationis studio et Contemplationis scit eum fuisse deditum, quia eum uidit in uarijs templis, maxime uero S. Nicolai Vrbis Patroni frequenter ac prolixe magno cum feruore orare, et quia aduertit, ita abstracta inter precandum mente esse solitum, ut uellicatione et uestis apprehensione ad se reuocari debuerit. . . . De

a) *Vel:* Purnel*; v. infra, adnot. 1.* b) *Ab Hug. correctum ex* Nouit. *Similiter deinceps correctum est saepe.* c) *Sequitur* Deponens.

[1] Hugo quidem habet: „Purnel“; sed „Gurnel“ est tum in „*Positione*“ a. 1734, Summ. p. 20, tum in „*Positione*“ a. 1833, Summ. p. 25 120 134.

[2] Audita est in eadem actione etiam Barbara Bucher, Simonis Gurnel vidua, „spectata virtute ac pietate foemina“: quae, praeter alia, dixit, Canisium sibi a sacris confessionibus fuisse (Cod. „Proc. Ap. I“ f. 696[b] 697[a]).

reuerentia autem et praeparatione ad Missam testatur D. Deponens deuotionem ab[a] eo singularem in Missa adhibitam fuisse, et a se animaduersam saepius, et ab alijs laudari frequentissime audiuisse. Semel inter preces ad S. Nicolai uisum esse a D. Praeposito Erhardo Torino, radiato et multa luce splendente uertice ex fideli eiusdem Praepositi relatione ipse testatur D. Deponens."

Haec ex Petri Hugonis apographo exscripta sunt. Ex altero autem illo apographo haec addo (f. 664[a] 668[a]): Testatus est *Gurnel*, Canisium „in ipsis conviviis morem habuisse . . . in Sanctorum [eo maxime die in Ecclesia celebratorum][b] honorem bibendi, et aliis poculum offerendi, eo[c] ferme modo quo ad sanitatem Principum, alij se mutuo solent ad haustum incitare. Id autem fecisse sine ulla sui, aut aliorum ad frequentiorem, aut immoderatiorem potum invitatione". Ex Verronii Commentario hoc quoque protulit: „Cum Reverendissimus Dominus Episcopus Vercellensis Ioannes Franciscus Bonhomius, illum Friburgum adduxisset, afferre se dixit talem virum, qui ceu gemma pretiosa dignus esset, qui in bombyce involutus servaretur." Addidit Gurnel, se id etiam ex ipsius Verronii ore accepisse.

Item — id quod ex Cod. diling. „Schmalzgr." n. 280 exscripsi — *Gurnel* testatus est de Canisio: „Rosarij Beatissimae Virginis orandi consuetudinem, prope destitutam[d] Friburgi et exoletam, reddidit exhortatione sua et informatione frequentissimam."

Item — id quod ex „*Positione*" a. 1734, Summ. p. 27, accepi — idem in eadem actione dixit: Canisii „Rosarium, Cingulum, Cochlear, manuale precum ab eo collectarum, et ad publicum vsum Typis excusarum, ab eodem frequenti vsu tritum, aliaque omnia, quibus ipse olim vtebatur, magna in veneratione esse, diligentissimeque asseruari ab omnibus, et mutuo quoque a multis eius deprecandi, et suam valetudinem, ac reliqua eiusdem apud Deum intercessioni commendandi studio peti solere". Eadem sunt in „*Positione*" a. 1833, Summ. p. 316.

1614. 1581—1597.

Ex monumentorum processus apographo, quod, paucis verbis exceptis, P. Petrus Hugo S. J. († 1657) scripsit. Can. 63 f. 131. Eorundem apographum circa a. 1744 scriptum exstat in Cod. „Proc. Ap. 1" f. 681[b]—685[b]. Eadem fere sunt in „*Positione*" a. 1734, Summ. p. 33—36, et in „*Positione*" a. 1833, Summ. p. 12 153 196 250 280.

Canisii temperantia et in loquendo pietas. Eius missa magni aestimata. Friburgensium „apostolus". „Sanctus". Mors.

In processu episcopali beatificationis Canisii Friburgi Helvetiorum a. 1627 instituto *Antonius de Montenach*, 69 annos natus, qui tunc reipublicae archigrammateus sive cancellarius erat, haec, praeter alia, quae iam dicta sunt, testatus est de Canisio: „Eum, cum anno D. 1581 ex Jtalia reuerterer, Friburgi magno meo[e] solatio inueni[f], una cum

a) *Ab Hug. perperam ex* ab *mutatum est in* in. b) *Haec addidi ex Pos. a. 1734.* c) et *apogr.* d) desitam *Pos. a. 1734.* e) *Sic Hugo correxit ex* suo. f) *Sic H. corr. ex* inuenit; *et similiter saepe deinceps.*

alio Patre Roberto[1] Anglo ex eadem Societate JESV; illoque Confessario pluribus annis, quibus scilicet in urbe morari licuit, usus fui . . . uidi illum in conuiuijs, ad quae salus quoque animarum eum non raro inuitabat, pertrahebatque, cibi et uini multa semper aqua diluti parcissimum, colloquijs serijs et pietatem spirantibus unice intentum; indecoros sermones, si qui conuiuis excidissent, auersantem, et mox supprimere alia illata materia, omni ope nitentem. . . . Orantem frequenter animaduerti[a]. Praecipue festis diebus ad vesperas in S. Ioannis Euangelistae sacello, maioris Ecclesiae[2], vbi chori pueri in aurora ad missam decantant. Noui ipsum quotidie Sacris operari solitum fuisse, cuius Sacrificio inter[fui] frequenter, et ob summam illius in Sacrificando deuotionem ac [de] uiri sanctitate opinionem et ego et alij plurimi auidissime mecum accesserunt, deque Sacro eius audito laetati sumus perinde, ac munere aliquo non leui fuissemus donati. . . . Scio etiam, Friburgensem urbem eius doctrina et ad uirtutem exhortatione plurimum i[n] religionis ac pietatis studio profecisse, ita ut Friburgenses non minore in illum affectu et existimatione ferantur, quam in unum aliquem ex suis et Apostolis, et Patronis. Scio eum in uita habitum fuisse uirum sanctum, quia et ego ipse eu[m] pro tali semper habui, et aliorum iudicia meo conformia complura frequenter audiui. Eandem de ipso opinionem in morte eius, cui ego praesens adfui, multo magis confirmatam auctamque fuisse assero, affirmoque oculatus testis, eum sine ulla commo[t]ione[b] magnaque oris suauitate, quae et in defuncto permansit, mortuum esse, omnibus prius consuetis Ecclesiae sacramentis, quod certo auditu intellexi, rite munitum."

Haec ex apographo Hugonis. Addo ex altero illo apographo (f. 685[b]): Montenach affirmavit, possidere se „Testamentum novum frequenti Reverendi Patris Canisij usu consecratum", idque a se pluris aestimari quam aurum. Eadem sunt in „*Positione*" a. 1833, Summ. p. 317.

1615. 1581–1597.

Ex apographo monumentorum processus beatificationis anni 1627, a P. Petro Hugone († 1657) scripto. Can. 63 f. 130. Eadem fere sunt in „*Positione*" a. 1734, Summ. p. 17–18, et in „*Positione*" a. 1833, Summ. p. 11 68 119–120 315. Usus est iis *Riess* 515.

Canisii pietas, temperantia, virtutes aliae. Eius missa, labores, fama sanctitatis, imagines, reliquiae.

In processu Friburgi a. 1627 „de fama sanctitatis Canisii etc. in specie" instituto prolatum est testimonium *Iacobi Stutz*, viri de senatu maiore reipublicae friburgensis, qui tribunus eiusdem reipublicae et praefectus fuerat. Hic haec, praeter alia (cf. supra p. 545 799), de Canisio dixit: „Noui ipsum, utpote cui sub initium eius in hanc Vrbem ad-

[a] [illegible] sqq., *usque ad* decantant *incl., alia manu, antiqua tamen, addita sunt. In Pos. a. 1734 haec non sunt.* [b] *Sequitur* animi, *oblitt. Pos. a. 1734 perperam:* commemoratione.

[1] Ardreno. [2] S. Nicolai.

uentus (qui fuit anno 1580) in domo, in qua iam triuiales scholae habentur, per annum circiter famulatus fui, cum deesset illi alius de Societate Coadiutor [1]. . . . Vidi eius probatissimos mores, ipsumque rebus spiritualibus maxime deditum fuisse expertus sum, utpote cui corpus reficienti ad mensam legere e pio libello ipse solitus sum . . . uidi eum fuisse modici cibi potusque quem nunquam nisi aqua bene dilutum sumebat. Diebus uero ieiunij noctu nec comedere, nec bibere eum unquam uidi. Testor eum Humilitate, Sui contemptu, et sensuum custodia egregie praeditum fuisse, tum quia ipse uidi, tum etiam quia ab his omnibus eum semper ab omnibus commendari audiui. Testor eum Orationi et Contemplationi usque adeo institisse, ut mane semper hora 4.[a] genibus nixum uultu pleno calentibus lacrimis orantem repererim, ignarus qua hora ad orandum surrexisset. Scio eum Sacrum magna deuotione fecisse, quia sacrificanti saepissime ministraui, uidique homines uehementer motos ad pietatem per eius Sacrum, de cuius auditione, cum id contingebat, sibi ualde gratulabantur. Scio eum plurimum profuisse religioni catholicae in hisce partibus, ita ut merito causa Religionis conseruatae Friburgi, adeoque in tota hac regione habeatur. Scio magnam fuisse de eius sanctitate opinionem adhuc in uita, et in eius morte, quia uidi ad eius funus turmatim homines accurrere, et tanta fuit in aede D. Nicolai, ubi primo sepultus fuit, compressio, ut eum, etsi maxime cuperem, uidere non potuerim. . . . Opinionem illam de eius sanctitate hucusque perdurare testor, ita ut imagines eius in magna sint ueneratione, et quisque sibi passim plurimum gratuletur, si quas eius reliquias nactus fuerit."

1616. 1581—1597.

Ex monumentorem processus apographo, a P. Petro Hugone S. J. † 1657 scripto. Can. 63 f. 134[a]—135[a]. Eorundem monumentorum apographum circa a. 1744 scriptum exstat in Cod. „Proc. Ap. I" f. 671[b]—681[a]. Eadem fere sunt in „*Positione*" a. 1734, Summ. p. 28—30, et in „*Positione*" a. 1833, Summ. p. 12 69—70 122—123 316. Usi sunt iis *Riess* 495 et *Michel* 416—417.

Canisii temperantia, colloquia pia, animi demissio, fervor in sacro faciendo, fama sanctitatis, reliquiae, pietas in B. Mariam, prodigia raria.

In processu episcopali beatificationis Canisii Friburgi Helvetiorum anno 1627 instituto *Guilielmus Lautenschlager*, qui ibidem protonotarius apostolicus et canonicus capituli S. Nicolai erat et antea eiusdem templi contionator fuerat, haec, praeter alia, quae iam posita sunt, 15. Octobris de Canisio testatus est: „Eum uidi[a] et noui Friburgi et funeri eius interfui Anno D. 1597 mense Decembri[b], quamuis ei alias non fuerim familiaris. . . . Temperantiam testor in Canisio eluxisse, cum enim ad publica conuiuia subinde, non sua sponte, sed more patriae[c], et inuitantium authoritate coactus, adiret, in ijs cibi perparum, uinum non

a) *Sic correctum est ex* uidit; *similiter deinceps saepius correctum est.* b) *Sex vv. sqq. manu alia, antiqua tamen, addita sunt. In Positione a. 1734 haec non sunt.* c) *Pos. perperam:* Gratiae

[1] Frater laicus.

nisi multa aqua dilutum, imo non raro meram aquam loco uini sumpsisse, in ijsdem sua conuersatione plus spiritualis profectus fecisse, quam plurimi alij ex suggestibus soleant; idque ait seipsum audiuisse. . . . De Humilitate etiam testor, eo quod tam parum fideret suis meritis, tantumque se peccatorem reputaret, ut paulo ante mortem magnam pisorum copiam afferri sibi oculisque subijci suis curarit, dixeritque, orare se DEvm, ne maiori annorum spatio post hanc uitam purgatorij poenas luere debeat, quam pisorum grana uase illo contineantur. Atque haec a Parente suo, quo perfamiliariter utebatur Canisius accepisse se testatur Deponens[1]. . . . Testor insuper, a parente uiro fide dignissimo me accepisse, P. Canisium a R. D. Erhardo Torino Ecclesiae Collegiatae Friburgensis Praeposito[2] repertum fuisse [orantem][a] in aede S. Nicolai globo igneo capiti eius imminente. . . . Testor, eum Sacrum fecisse tanta cum deuotione, ut ciues magnopere studerent diuinae eius Liturgiae interesse, quia singulare animi oblectamentum et consolationem inde hauriebant, domumque laeti et gratulabundi redibant. . . . Testatur magnam fuisse totius Ciuitatis opinionem de sanctitate P. Canisij ab ipso eius ingressu in hanc urbem. . . . Eandem opinionem de eo Vrbs etiam post eius mortem retinuit, ut patebit ex punctis sequentibus: Jn funere eius testatur uniuersam paene ciuitatem accurrisse tanto defuncti uidendi studio accensam, ut tribus horis palam spectandus in aede S. Nicolai relinqui debuerit adhibitis custodijs, ne quid ex magno in Patrem affectu turbarum accideret; Frustra[b] obstantibus custodijs multos eius ungues obseruantiae et religionis ergo, alios capillos decerpsisse, eos qui non admittebantur, ad Patres Collegij supplices accessisse, ut sibi uel tantillum de rebus eius, quibus usus fuerat Canisius, daretur. Audiuit etiam ex Parente suo, ex cadauere Canisij miram odoris fragrantiam dimanasse. . . . Testatur magnam esse Canisij miraculorum Friburgi famam. . . . Item testor, . . . quod multum incubuerit in frequentem usum Rosarij B. Virginis inducendum". . . .

Haec ex apographo Hugonis. Quae sequuntur, ex altero illo apographo, quod supra dictum est, ponuntur, quia apud Hugonem aliquantulum contracta sunt. *Lautenschlager* de Canisio narravit: „Noctu in Beatissimae Virginis laudem multa componere solito[3], lumen extinxit

a) *Hoc v. suppletum est ex Pos. a. 1734.* b) non *Pos. 1734.*

[1] Fridolinus Lautenschlager Friburgi scholae germanicae magister erat. Eum, Seccinga (Seckingen, in Badenia) ortum, 26. Octobris 1581 in civitatis friburgensis clientelam („als Hintersasse") receptum esse intellegitur ex * *Libro* manuali senatus friburgensis a m. Iunio ad Decembrem anni 1581 perducto, qui est ibidem in archivo reipublicae.

[2] Eduardus Thorinus iam a. 1579 decanus capituli erat (*Berthier*, Bonh. 211). Eiusdem autem praepositus factus est a. 1589. Vita cessit 5. Octobris 1596 (*Fontaine* 73).

[3] Canisius Friburgi parabat editionem novam eamque amplificatam Operis sui Marialis. Item in „Notis in Evangelicas Lectiones", quas Friburgi scripsit, multa de laudibus B. Mariae V. dixit; cf. supra p. 208.

Cacodaemon, sed iterum eius precibus ad Diuinum Numen, Numinisque matrem fusis, accendere coactus est, quod ipsum, Deponens asserit, Parentem suum piae memoriae bona fide a reverendo Patre Canisio, cuius subinde amanuensis erat, et multa familiaritate cum eo coniunctus, seque deinde ab eodem parente suo relatione accepisse." [1]

Praeterea — id quod ex Cod. diling. „Schmalzgr." nr. 281 exscripsi — *Lautenschlager* testatus est de Canisio: „Teneros pueros, passim ipsi in plateis obvios [et][a], ut ei dexteram porrigerent, a parentibus venerationis causa submissos, interrogare solitus [est], an rosarium haberent, et ad ejus recitationem adhortari, ac non habentes increpare, antequam ipsos consueta Benedictione impertitos dimitteret." Eadem sunt in *Positione* a. 1734, Summ. p. 29, et in *Positione* a. 1833, Summ. p. 122 ad 123.

1617. 1580—1597.

Ex litteris archetypis (2°; $1\frac{1}{2}$ pp.; in p. 2 reliquiae sigilli). Can. 63 f. 14[2]. Litteras ex eodem archetypo typis exscripsit *Riess* 537—538. Earum pars exstat in „*Positione*" a. 1734, Summ. p. 12—13. Integrae autem positae sunt in „*Positione*" a. 1833, Summ. p. 312—313.

Capitulum S. Nicolai friburgense testimonium dicit de populi ad sepulchrum Canisii concursu gratiisque ibidem acceptis, de fama sanctitatis Canisii, utilitate ab eo ecclesiae allata, virtutibus eius.

Nos Praepositus et Capitulum Ecclesiae Collegiatae Sancti Nicolai Friburgi in Heluetia debite et Canonice in sacristia eiusdem Ecclesiae hodierna die undecima Februarij, anno Domini millesimo sexcentesimo uigesimo sexto congregati, praesentium tenore ad petitionem Reuerendi Patris Claudij Sudani Rectoris Collegij Societatis ibidem, unanimiter fidem facimus et attestamur, In primis Reuerendi Patris Petri Canisij felicis recordationis cadauer (cum ante viginti octo annos circiter diem ille obijsset postremum[2]) in choro nostrae Ecclesiae ante altare maius reconditum fuisse, ibidemque mansisse usque ad annum Domini millesimum sexcentesimum uigesimum quintum[3]. Quo quidem temporis spatio difficile dictu est quanta frequentia singulis ferme diebus, sed praesertim circa diem festum S. Thomae Apostolj, qui idem anniuersarius est obitus eiusdem R. P. Petri Canisij, quotannis ad eius sepulchrum populus conuolare, quantaue consolatione non paucae utriusque sexus personae postmodum inde recedere solitae fuerint uotis potitae. Has porro personas iudicauimus superuacaneum hic peculiariter inserere, cum sciamus plerasque earum super miraculis et gratijs, cum alibi ab eodem Reuerendo P. Canisio, tum potissimum ad eius tumbam acceptis, iam alias veritatis testimonium iuridice deposuisse. Atque ex fama huiusmodi gratiarum, quas a diuersis hominibus, et praesertim ad eius tumbam acceptas fuisse diximus, in tantum postea creuit apud omnes huius tractus fideles de eodem Reuerendo Patre sanctitatis opinio, locine praefati veneratio, ut ad illum etiam hodie quantumuis absente sacro cadauere, continuet singularj cum deuotione accursus populi. Attestamur praeterea ob certam et infallibilem, quam nos omnes ac singuli conceperamus de eius insigni sanctitate fiduciam (plerique enim eundem Reuerendum Patrem dum inter uiuos adhuc ageret noueramus, retinemusque etiamnum impressam animis vel maxime gratam, et piam illius memoriam) nos molestissime

a) *Hoc suppleri ex Pos. 1734.*

[1] Legitur etiam in vita S. Colettae, ordinis S. Clarae, a. 1447 Gandavi (Gent, Gand) mortuae, daemonem noctu, cum Coletta psalterium legere vellet, „saepius exstinxisse candelam" (*Acta* Sanctorum Martii. Tom. I. Antverpiae 1668, 607).

[2] Mortuus est 21. Decembris 1597.

[3] Hoc anno in novum Societatis Iesu templum, S. Michaeli sacrum, translatum est.

tulisse eiusdem Sacrj corporis de Ecclesia nostra translationem, nec unquam in eam consensuros fuisse, nisj rationabiles et graues causae ad id nos permouissent. Quae quidem nostra fiducia in eo potissimum fundabatur, quod plerique nostrum, ut dictum est, noueramus illum uirtutum omnium matre, hoc est flagrantissima in DEVM et proximum charitate insigniter fuisse praeditum. Elucebat ea cum in caeteris uitae eius actionibus, tum singulariter in docendo populum pro cathedra summo cum ardore fidej nostrae mysteria, in excipiendis sacramentalibus confessionibus, peccatoribusque qua priuatim, qua publice per efficaces exhortationes a malo reuocandis, adeo ut coniuncta haec eadem uiri DEI charitas cum eximia, eaque sancta eruditione et doctrina, qua in primis pollebat, Catholicae Religioni, ac bono publico mirum in modum profuerit, cum alibj passim, et maxime per Germaniam, ut notum est, tum uero in his nostris Helueticis partibus, ut non immerito alter haereticorum malleus, et orthodoxae Ecclesiae suj temporis columna dicj potuerit. Fidem denique facimus, nullum nostrum tam eo uiuente, quam post felicem eius ex hac uita discessum, quicquam unquam ab eo uel de eo ab alijs quocunque modo audiuisse, percepisse, aut uidisse, quod non excellentem prudentiam, obedientiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam, pietatem, fiduciam in DEVM, uitae innocentiam, et sigillatim humilitatem, ipsamque adeo summam sanctitatem redoleret. Jn quorum omnium confirmationem et robur hoc instrumentum sub manus propriae admodum Reuerendi Domini Praepositi, nec non Domini Decani, nostrique Secretarij, et sigilli Capitularis fide, fierj curauimus. Friburgi Heluetiorum praedicto loco, et eadem die undecima Februarij, anno millesimo sexcentesimo uigesimo sexto.

Jacob. Kämerling Praepositus ad S. Nicolaum Frib. manu propria.
Franciscus Odetus Decanus manu propria.
L. S. Rhodolphus Guey Capituli Secretarius manu propria.

1618. 1580—1597.

Ex apographo A eiusdem temporis, quod est Friburgi Helvetiorum in archivo reipublicae, Missivenbuch 39, p. 221—222. Alterum apographum B eiusdem fere temporis est in Can. 63 f. 14[a]. Particulam posuit *Riess* 539—540. Pars maior exstat in „*Positione*" a. 1734, Summ. p. 13.

Senatus friburgensis testatur, populum Canisii doctrina et virtutibus magnopere profecisse et ad eius sepulchrum accurrentem multa impetrare.

Consul et Senatus Vrbis et Reipublicae Friburgensis apud Heluetios. Notum palamque facimus, Consilio et instinctu Reuerendissimi et Jllustrissimi D. Joannis Francisci Bonhomij Episcopi Vercellensis, et, Sanctissimi Patris nostri Gregorij XIII Summi Pontificis, Nuntij in Heluetia, piae et sanctae memoriae, Reuerendum admodum P. Petrum Canisium Societatis IESV, abhinc circiter quadraginta quinque annis in vrbem nostram commigrasse: A cuius aduentu non solum salutifera, et diligenti eius eruditione, et doctrina in lucem editorum librorum, etiam accuratis concionibus: Sed et Sanctae jncorruptaeque uitae exemplo quod adhuc ob oculos tum nobis tum nostris magno versatur fructu humili et facili colloquio nulli unquam, si per uires corporis licuit, denegato, Crebro uisente eo aegrotos, consolante afflictos, in S. Confessione poenitentes audiente, accurataque eius SS. Sacramentorum administratione, Populus noster mirum in modum ad pietatem motus et imbutus est, vt perspicue videamus notemusque nostros Ciues et Subditos inde meliora secutos et diligentius uirtuti studuisse. Proindeque praedictus Reuerendus admodum P. Petrus Canisius ab omnibus homo magnae et indubitatae sanctitatis existimatus fuit, quod postmodum magis innotuit. Siquidem a sacro eius decessu ex hac miseriarum valle, populus ad tumulum eius ante magnum altare Ecclesiae Collegiatae S. Nicolai, vbi corpus eius terrae redditum fuerat, Et nunc in S. Archangelo Michaëli dicato templo Collegij Reuerendorum Patrum Societatis JESV, quo translatum fuit, quotidie accurrat, et se prementis necessitatis remedium et solamen precibus expetat: quas jntelleximus multis nec irritas nec inanes fuisse, sed petitum a Deo ter opt. Max.

sine dubio jntercedente Reuerendo Patre Canisio, eiusdemque meritis, impetrasse. Quemadmodum ijdem serio et juramento interrogati juridice notum fecerunt, quorum testimonio fidem dandam censemus. Adhucque patefacimus apud nos praefatum ad modum Reuerendum P. Petrum Canisium magni fieri, et opinionem eius sanctitatis ingere.

Quapropter cum Reuerendus P. Claudius Sudan[a] Rector dicti Collegij huius rei testimonium a nobis petierit, denegare justae eius petitioni nihil voluimus multo magis gratis et beneuolis animis, hoc diploma Secretiore Sigillo nostro munitum expedire, et ei tradere jussimus. Die 12 Mart. Anno a partu virgineo · 1626.

L. S. [Petrus a Montenach manu propria]

L. Vulliemin, protestantismi sectator ardens, fatetur: Canisio Friburgum accessito „Fribourg devint un foyer de saintes lettres et de dévotion. . . . Canisius était l'auteur . . . d'un catéchisme, qui fut celui de la Suisse catholique": Histoire de la Confédération Suisse II. Lausanne 1876, 125.

1619. 1581 1597.

Ex monumento archetypo processus beatificationis Canisii, quod est in Can. 63, f. 8ᵇ—9ᵃ.

Rosarium a Canisio datum. Is Friburgum a pestilentia liberat.

In processu beatificationis Canisii 29. et 30. Decembris 1625 Friburgi Heluetiorum instituto „*Elisabetha Odet* virtute ac religione insignis Matrona testatur, cum magno in moerore uersaretur, quod cum se conferret ad aedem sacram in uia publica iacturam fecisset cuiusdam rosarij, quondam sibi a R. Patre Petro Canisio donati, se conceptis ad eundem R. Patrem precibus obnixe petijse, ut idem rosarium recuperandi potestas daretur. Et ecce postridie illud eo loco repertum fuisse, ubi prorsus uersata non fuerat, ex quo id amiserat. . . .

Affirmauit praeterea eadem Domina Elisabetha Odet Reuerendum Dominum Sebastianum Verronium Vicarium Generalem bonae memoriae dixisse sibi eundem R. P. Petrum Canisium postremis illis diebus, quibus[c] [?] in terris exegit, pollicitum esse deprecaturum se Deum, ut sua Clementia urbem Friburgensem pestilenti lue liberaret, ac proinde urbem multis annis post ab eo malo immunem perstitisse, cum tamen aliquot annis ante nunquam integre illo caruisset."

1620. 14. Februarii 1598.

Ex apographis manu P. *Iacobi Sirmondi* S. J., qui Aquavivae ab epistulis erat, scriptis. G. Sup. 2 f. 158ᵇ 157ᵇ.

Laudes Canisio mortuo ab Aquaviva praeposito generali tributae.

Claudius Aquaviva Societatis praepositus generalis Roma 14. Februarii 1598 scripsit P. Ottoni Eysenreich praeposito provinciali Germaniae superioris: „De obitu p. m. P. Petri Canisij accepi, quas ad me dederat P. Martinus Rector Friburgensis, atque in illo doloris sensu, quem nobis tanti viri iactura attulisset, non paruam cepi consolationem, quod minime nobis dubitandum videtur, quin illuc emigrarit, vbi laborum suorum fructum capiet, et pro Societate orabit, cui, dum viveret, ornamento fuit et exemplo." Et eodem die P. Martino Licio rectori collegii friburgensis: „Post literas 12.ᵐⁱ Decembris, aut cum illis ipsis accepi, quas [R. V.] paucis post diebus scripserat de obitu p. m. P. Petri Canisij; in quo non Collegium hoc solum, sed Prouinciam, ac Societatem ipsam ornamento priuatam non paruo dolendum esset: nisi gratulandum ipsi potius esset, quod annis plenus et meritis, ad melioris vitae praemia

a) Sudanus *B*. b) *Haec suppleta sunt ex B*. c) *Sic; corrigendumne* quos?

vocatus sit, et in eum gloriae locum receptus, vnde vobis speramus, nobisque omnibus auxilio futurum. Gratum porro fuit, quod de communi erga defunctum vrbis studio et amore cognouimus."

1621. 1580—1598.

Ex apographo (4°; ff. 14), quod exstat Monachii in archivo maiore reip. bavaricae, Jesuitica in genere, Fasc. 13, No. 214. In extremo libello est testimonium publicum tribus sigillis munitum et Friburgi Helvetiorum anno 1730 scriptum, ex quo intellegitur, exemplum hoc ex archetypo accurate exscriptum esse. Commentario Verronii usi sunt *Raderus* 186—253, *Sacchinus*, Can. 373, *Riess* V 483—507. Particulam germanice posuit *N. Paulus* in „Literarische Beilage der Kölnischen Volkszeitung" 45. Jahrg., Köln 1904, 90.

Praefatio editoris: Friburgi Helvetiorum anno 1627 in processu beatificationis Canisii propositum est commentarii huius exemplum ipsius Verronii manu scriptum, et complura ex eo prolata sunt testimonia de Canisii virtutibus et meritis, ita tamen, ut non tam verba commentarii, quam res in eodem narratae proferrentur. Quando autem commentarius scriptus sit, intellegitur ex * litteris Friburgo 25. Aprilis 1611 a *Verronio* Augustam Vindelicorum ad P. Matthaeum Raderum S. J. missis; in quibus ille de Canisio scribit: „Mirifice laetatus sum cum primum intellexi, te . . . ejus perscribere historiam. Conscripsi ego statim ab obitu, ejus vitae partem posteriorem, quam dum apud nos egit, in ipso observaveram; quam tibi traditam non dubito. . . . Illud majorem in modum a te peto, corrigas in historia mea quae hac scheda emendavi" (ex autographo. Cod. „I 29" n. 19). In ipso commentario res helveticas distingui oportet a reliquis. Illas Verronius maximam partem paucis annis ante ipse viderat et audiverat; caetera, quae Helvetiam spectant, ex iis, qui ea viderant vel audiverant, facillime accipere poterat. In his ergo rebus fide dignissimus est. Aliter dicendum est de rebus a Canisio compluribus vel etiam multis annis ante in Germania gestis, quas Verronius narrat. Has ei non semper ita bene perspectas fuisse ex commentario cognoscetur.

De Verronii ingenio, indole, rebus gestis iam multa dicta sunt supra. Juverit tamen haec addi: Friburgo Helvetiorum 11. Decembris 1614 P. *Adam Straub* S. J. collegii rector P. Matthaeo Radero S. J. scripsit: „Mortuus est 27 Nouemb. Dominus Weronius, a quo expectabamus locupletationem vitae nostrj Canisij. Mortuus inquam est — et sepultus cum insigni pompa et luctu ingenti pauperum in quos fuit tota vita liberalissimus. Patrimonium opulentum, cum hic ante 20 annos et amplius parochum ageret, erogauit totum in egenos · ipse postea Romae studia Theologica recolens in magna vixit inopia. Roma reuersus huc in patriam neque domum, neque supellectilem, neque quicquam inuenit, sed familiam tanquam pauperrimus instituit. Quicquid e Praepositura et Vicariatu lucratus est [1], totum in pauperes solebat impendere, sibi vix ijs seruatis, quae erant ad vitam tolerandam maxime necessaria. Si quos audierat aegrotare aliorum ope destitutos, ijs mittebat vinum et alia quandiu habebat, ita ut praebendae suae vinum annuum, quod ad plures annos ipsi soli satis esse potuisset, absumpserit in pauperes longe ante vindemiam, reliquo igitur tempore ipse aquam bibebat, aut quando prae stomachi debilitate non poterat, modicum aliquid vini ab alijs emendicabat. Multa alia et mira quidem in hoc genere de eo narrantur. Erat sibi ipsj durissimus, Ecclesiasticae libertatis defensor acerrimus, singulare clericorum speculum et exemplum" (ex autographo, quod est Monachii in bibliotheca nationali, Cod. lat. 1611; n. 91). Item manu *Socii alicuius friburgensis* Vitae Canisii a P. *Iacobo Keller* scriptae, quae est in Cod. monac. „Keller, Can. 3", haec inter a. 1610 et 1630 (ut videtur) ascripta sunt (f. 34ᵇ): „Fuit Petri Canisij in-

[1] Anno 1600 ab Ioanne d' Orot episcopo lausannensi constitutus est vicarius generalis. Anno tamen 1601 et hoc munere et praepositi officio cessit; deinceps usque ad mortem canonicus templi S. Nicolai et eiusdem contionator fuit (*Werro* 23—24).

signis amator laudator imitator. Sebastianus Verronius celeberrimus Theologus, qui nisi in eximias praedicti Canisij dotes fuisset intentissimus, quas Societati IESV deinde consignaret,, earum pleraeque ac insignes quidem omnem posterorum notitiam fugissent. Magnam Sebastianus ille sanctitatis opinionem — manifestam nempe Canisianae sanctitatis imitatae mercedem — de se viuus concitauit, demortuus maiorem quoque reliquit, vt populus cadaueri venerabundus accideret, atque ad rapiendas ex eo reliquias se certatim compararet. . . . Diutissime vixerat in amplissimis honoribus cuius tamen mortui ex lauto quondam peculio ad egentes praeter meras lacrymas nihil peruenit. Viuus scilicet omnia benigne contribuerat".

Canisius Friburgum adductus. Contumeliae bernenses. Eius pietas in Deum. Collegii exstructio. Canisii occupationes ultimorum vitae annorum. Cultus S. Nicolai. Missa. Conversatio cum hominibus. Studia litterarum. Libri ab eo scripti. Animi demissio. Simplicitas. Temperantia. Poenitentia. Pietas in propinquos, Socios, filios spirituales. Contiones. Gloria. Dotes animi. Habitus corporis. Miracula.

De vita Ven: P. nostri Petri Canisij Theologi e Societate Iesv extrema parte per Sebastianum Verronium S. Thl. D. Ecclesiae Friburgensis in Helvetia Praepositum.

Cum sanctae memoriae Ioan. Franc. Bonhomius Gregorij XIII P. M. primum ad Rhetos, deinde ad Helvetios, tum ad Rodolphum II Imp. et tandem ad Belgas Nuncius Apostolicus perspiceret utilissimum fore, si Collegium insigne laudatissimae Societatis Iesv Friburgi in Helvetia excitaretur, impetrata tum a Summo Pontifice facultate, tum eius urbis consensu, Abbatiam Marsensem Praemonstratensis instituti futuro Collegio adiudicauit; ac paulo post ut Collegij fundamenta viro celebri poneret, Petrum Canisium eius societatis sapientissimum et primarium Theologum Augusta Vindelicorum adduxit Friburgum[1]: cuius quidem quanta commoda in eam ac vicinam regionem profectura essent, perpetuus cum praesentiret hostis Ecclesiae Sathan, Bernae, qua transibant, turbas statim excitavit, quibus detenti viri Dei, Senatus acrem, licet immeritam reprehensionem, et vulgi ludibria ac petulantiam sustinuerunt, magno uterque animo: Episcopus enim consuli ac senatoribus oratione non minus eleganti, quam gravi tanta prudentia, constantiaque respondit, vt facti illos e vestigio poeniteret. Canisius vero conscensis iterum equis, cum alij Episcopum rapis, et nivium compactis globis per summum scelus impeterent, alij congestum manibus lutum ipsi in ocreas infarcirent, tanquam non haberet in ore suo redargutionem[2], cum manus sibi, linguamque sanctae patientiae legibus colligasset, hominum proterviam placide inspectabat. Quanquam impune non abierit ille, qui tragoediae initium dederat civis Bernensis Albertus Stahel sutor; is enim cum adueniente in urbem Episcopo conclamat, ac paulo post eum repellendum, dignioremque supplicio esse quam latronem, qui tum forte ad supplicium educebatur: abeuntis Episcopi mulum cauda apprehensum evertere, humique decutere conatus fuerat, vertente anno ipsemet ob commissum incestum capitis poenam luit. Episcopus vero cum XI[3] Decembris anni 1580 cum Canisio appulisset

[1] Vide *Can.* VII 851. [2] Ps 37, 15.
[3] Scribendum fuit, nisi fallor: „X“: v. *Can.* VII 858.

Friburgum, literis Bernenses de violato per ipsos iure gentium, quo Legati Principum libere quovis transeunt, graviter corripuit, quod responso senatus ille excusauit. Canisius itaque iam Sexagenarius Friburgi et Ecclesiam erudire pro concione, et Collegio paulo post initium dare coepit: ac cum structurae Collegij amplissimi primum lapidem posuisset Petrus Michael Silesius primus Rector ex parte qua scholae sunt aedificatae: Canisius altera ex parte, quae domicilio Patrum aptata est, primario in fundamentis lapidi locando primam operam navavit: absolutum tandem Collegium conceptis de more precibus benedixit, et in sacello ad tempus e classis loco destinato, in Collegio primam, suam vero extremam concionem habuit[1]: ubi inter alia docebat, Collegium arduo quidem, et editissimo urbis loco, Deo tamen volente ita constructum esse: A Domino, inquiens, factum est istud, licet sit mirabile in oculis nostris[2]. Extremum vitae tempus, quo per virium inclinationem a praedicando abstinebat, lucubrationibus, meditationibusque insumpsit, paratus tamen quamdiu per valetudinem posset, vacare vel confessionibus audiendis, vel catechisandis haereticis exteris, qui eius doctrinam expetebant. Cibos ac vinum Friburgi reperit naturae suae admodum consentanea: licet parcissime ijs uteretur: B. Nicolaum maioris Ecclesiae Patronum maximo semper studio coluit: ac discedens aliquando[3] Augustam ad statam Societatis Congregationem, cum post bidui iter vires fractae essent, redijssetque Friburgum, in haec verba professus est: video B. Nicolaum nolle me hinc dimittere, ut statuam hic finiendos esse dies meos.

Pietatem a primis annis in omni vita summa cum animi constantia sectatus est; quod ut commodius praestaret, sensus continere, cogigationes emergentes comprimere, animum in Deum erigere domi, forisque studebat. In itinere enim aeque ac in cubiculo rerum altissimarum speculationi[a] intentus, si quando a socijs monitus esset, regionum amoenitatem contemplaretur, oculos ne momento quidem evagari permisisset: quod maiora oblectamenta ex spiritu, quam alij ex rebus mundanis conciperet: quemadmodum ipse in Notis Euang. quae sunt in Dominicam Laetare fuse et eleganter demonstrat[4]. Cespitabat tamen equo saepe, et in discrimen se uenire nec animadvertebat, neque magnopere curabat, ut a socijs in itinere subinde obseruandus esset, et monendus. Quaternas horas mane, vesperi ternas, cum domi esset, orationi et diuino cultui dabat quotidie. Tanto vero spiritus acumine, et suavitate in rerum divinarum contemplationem penetrabat, ut interea lacrymas largissime emitteret, ut saepe sive ob cruciatuum Christi Salvatoris cogitationem, sive ob beneficiorum divinorum recordationem, sive ex futurae cum Christo praesentiae desiderio, in crebros singultus

[a] [illegible] correctum est ex contemplationi

[1] Vide supra p. 881. [2] Ps 117, 23. [3] M. Augusto a. 1587.

[4] Notae in Evangelicas Lectiones, quae Dominicis diebus recitantur. Friburgi Helvetiorum 1591, 369—372.

solveretur. Habebant *[etc., ut supra p. 866]*. Ad altaris sacrificium accessurus, quod quidem fiebat [?][a] quotidie, nisi vel itineris incommodis, vel aegritudine arceretur, animam penitus sacris medit. liquefactam, Christi Domini corporis sumendi desiderio inflammatam afferebat: et a sacrificio saepe dum in gratiarum actione versaretur, in tam arctam spiritus cum Deo unionem se intromittebat, ut, cum modum non servaret, excitandus, et ad studia abducendus esset. Solennioribus festis vesperi veniebat ad Ecclesiam S. Nicolai primariam, ubi in B. Ioannis Sacello[1] vespertinas laudes profunde meditando transmittebat, ut aliquando ijs finitis a me excitatus difficilius se colligeret, quam qui ex gravi somno expergiscitur.

Labores ab ineunte aetate graves per Ecclesiam [?][b] Dei subijt, peragravitque provincias amplissimas non quod per levitatem nusquam posset consistere, nec quod rerum externarum visendarum curiositate duceretur, cum ne obvia quidem, quantumvis amoena, aspiceret, sed quod superiorum iussu ad Ecclesiae exaedificationem sese paratum exhiberet. Cum ad Christi doctrinam praedicandam esset celeberrimam nactus laudem, praedicandi labore minime contentus, privatim quoque tam Principes, quam inferioris status quosque viros officij monere, pie in Christo instituere, ex haeresi abducere, probos confirmare solebat, et peccatores corripere.

Studio sacrarum literarum, quam primum vacaret, deditus erat labore indefesso, animoque tam ardente, ut nunquam otiari sit visus, ac saepe, nisi vocatus, a studio ad cibum non venisset. In sacris ijs exercitijs indagabat Sapientiae Diuinae oeconomiam, ponderabat Apostolorum ac Prophetarum sublimem Philosophiam, veterum Doctorum rimabatur in erudienda ac defendenda Ecclesia industriam, in tradenda et explananda fide Catholica concordiam.

Nec minus evolvebat recentium Autorum lucubrationes, etiam haereticorum, quippe qui, cum summi iudicij esset, fraudes eorum detegere posset et convellere. Ac vix extabat ullus autor, quem non percurrisset: et quanquam tantum temporis in longinquis et frequentibus peregrinationibus insumpsisset, ut nihil ei fere temporis reliquum ad legendum fuisse existimari posset, tamen tot autores perlegerat, ut tota uita nil aliud fecisse videretur[2].

Solent nonnulli plurimum interioribus animi viribus pollere in spiritu: parum v.[3] proficere, si quid ad proximi institutionem tentent: econtra alij excellere externis dotibus, cum intra se sint spiritu aridi

a) *Sic; corrigendumne* faciebat? b) *Sic; corrigendum esse dixeris:* pro Ecclesia

[1] Hoc postea sacello sive altari S. Barbarae, quod recentioris est fundationis, coniunctum est (*Dellion* V 394).

[2] P. *Iacobus Keller* S. J. in *Vita Canisii l. 2, cap. „Qui et quales libri Canisii“: „Aiunt ipsum antequam aetas ingrauesceret, quot annis omnem Ciceronem legendo euoluisse, quod arbitraretur operae vix pretium esse, scire quae dicas, si dicenda, dicere vix scias“ (Can. 47 p. 34–35). [3] I. e.: vero.

atque ieiuni: utraque vero dote praestabat Canisius, ut incertum esset, meliorane essent ubera eius uino[1], utrumne sibi utilior esset vino contemplationis, quo eius anima facile in amoris diuini suavitatem liquefiebat[2]; an lacte doctrinae[3] alijs, quos in Christo vel parturiebat[4], vel ad incrementa viri perfecti, in mensuram aetatis plenitudinis Christi[5] alebat? Ac cum in utroque genere modum, tempusque ordine adhiberet, factum est, ut neutrum alteri impedimento in ipso esset. Hanc spiritus foecunditatem ac felicitatem in medium provehebat, ac propellebat aura quaedam, amorque et zelus perennis, quo in Ecclesiae Christianae aedificationem[6] attendebat. Quae causa erat quoque, cur non sibi uni studeret, sed animum etiam ad scribendum appelleret, non ea quidem, quae eruditionem singularem ac uberrimam ostentarent, sed quae Ecclesiae maxime usui essent: hinc Catechismus pro Christiana juventute descriptus: hinc quoque alia in vsum grauiorem edita. Atque per Catechismum eo maiorem est assecutus laudem, quo neminem, eo in genere priorem, quem imitaretur, habuit[7]; primusque hoc nostro aevo apud Catholicos Christianam doctrinam in succinctam et commodissimam formam redegit: qui propterea etiam a quibuscunque magno desiderio arreptus in omnes Occidentis Ecclesiae provincias, varijs linguis expressus, penetravit: accedentibus porro Imperatorum et Principum edictis, unum eum in scholis proponendum ac terendum cuique esse[8]. Perscripsit dein B. Iohann. Bapt. vitam, quam sectarij admodum depravaverant: adhaec Marianum illud opus illustre, quo B. Dei Genitricis vitam copiosissime est prosecutus: et quicquid unquam superiorum aetatum Patres de Ea scripserant, in lucem revocauit eo quidem animo, ut haereticorum simul impietatem convelleret, et piorum animis, quid de ea cum mirarentur, tum imitarentur, abunde proponeret: cuius rei gratia haud dubie ab ea ipsa coelesti Regina lauream in sempiternum virentem est adeptus, et inter felices ipsius paranymphos est divino cum praemio adoptatus. Ne vero, cum postremam aetatis partem in Helvetia excolenda poneret, in usum duntaxat unius loci eam impendisse videretur, ut preces communes fundebat ac sollicitudinem omnium eius Ecclesiarum[9] in se susceperat, ita scriptione iuvit, illustrauitque Lucernenses et Arolae

[1] Ct 1, 1. [2] Ct 5, 6.
[3] Cf. 1 Cor 3, 2; Hebr 5, 12; 1 Petr 2, 2. [4] Cf. Gal 4, 19; 1 Cor 4, 15.
[5] Eph 4, 13. [6] 1 Cor 14, 5 12.
[7] At, ut nil dicatur de plurimis scriptis antiquitatis christianae et medii aevi, quae, quod ad res ipsas attinet, catechetica erant, Canisium antecesserunt, etiam si formam catechismi nunc usitatam spectemus, catholici complures, velut Georgius Vicelius, Ioannes Dietenberger O. Pr., Ioannes Gropper, Petrus a Soto O. Pr. etc. Hos tamen omnes Canisius superavit.
[8] De usu catechismi canisiani a Ferdinando I. imperatore, Philippo II. Hispaniae rege, Alberto V. Bavariae duce, Emmanuele Philiberto Sabaudiae duce, senatu reipublicae friburgensis praescripto v. *Can.* I 752 754; III 790; VI 683 706; VII 765.
[9] 2 Cor 11, 28.

accolas[1] Sancti Beati primi Helvetiorum Apostoli historia; Solodorenses Sancti Vrsi Martyris historia: Claronenses et Seccingenses Sancti Fridolini historia: adhaec Valesios S. Mauritij ac Sociorum historia fuse et ornate descripta: ac denuo Christi Fideles universos libello precationum: cum enim in precum Christianarum mentionem aliquando incidissemus, ac, mirari me dicerem, quandoquidem Apostolus iuberet orationem fieri pro Magistratu et alijs[2], nullum extare libellum, quo in promptu essent preces cuivis Christiano idoneae: non multo post Manuale Catholicorum edidit, incertum permotusne verbis meis, an consilio id per se iam meditante. Porro inter plurimas virtutes, quae in eo praeclare elucebant, cernere in eo erat humilitatis studium singulare, quo nec vultu supercilium pharisaicum praeseferret, nec animo primatum ambiret. Ac licet superiore aetate de majorum voluntate cum Collegiorum tum Provinciarum curam administrasset[3], tamen Friburgi, postquam se per aetatem iure excusare posset, ut priuatus, curisque vacuus Christo Domino liberius vacaret, nihil horum nec expetijt, neque illatum in se admisit: quamprimum enim residentiae annum Friburgi primum cum Roberto Andreno socio perfecisset, iamque iusto Patrum numero Collegium stipatum esset, ipsius rogatu Collegio primus Rector datus est Petrus Michaël Silesius, vir religione et sapientia egregie excultus, cuius studio et auspicijs Collegium quoque extructum est, qui postquam Patres in eius usum ac possessionem induxisset, tertio mense in terram viuentium[4] excessit, corpore eius in summo templo ad tabernaculum Dominicum sepulto. Interea Canisius hebdomadarias vices *[etc., et supra p. 883]*.

Nec minor in eo simplicitatis non tam affectata cura, quam naturae indoles erat: ac cum esset rerum gravissimarum inter viros principes exercitarum experientia illustris, et animo ad res arduas partim cogitandas, partim perferendas generoso atque perspicaci: mirum tamen erat, quam essent mores ad simplicitatem omnem compositi, et quanta felicitate Dominicum illud in se praeceptum exprimeret, iubentis esse prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbas[5]: ita inter alia amicos salutabat, ad Magnatum occursum demittebat se et inclinabat, adventantesque ad sese familiari, et ingenio cuiusvis attemperato colloquio detinebat. Jn convivijs quoque, si quando Optimatum invitantium precibus acquiesceret, praebebat se facetum nunquam, affabilem vero, gratum, iucundum, aliorumque amicis colloquijs admodum gaudentem, licet nunquam sui dissimilem, ac ne minimum quidem a temperantiae et modestiae consuetae legibus deflectentem.

[1] Arovienses = Aarau. [2] Cf. 1 Tim 2, 1 2.

[3] Praepositus primus fuerat provinciae Germaniae superioris, a qua sub ipso provincia Austriae separata est: atque ab hac, ipso in vivis agente, seiuncta est provincia Poloniae. Praeterea diu superior domus augustanae et aliquamdiu superior collegii oenipontani fuerat.

[4] Ps 26, 13; 141, 6. [5] Mt 10, 16.

Vt vero nihil dicamus nunc de abstinentia, qua aetatem universam transegit, consuetudinem sane verterat in naturam; ac in convivijs non tam carnium apparatum, quam obsonia ex fructibus decocta, et quae levioris essent decoctionis sectabatur. Vinum ita ei potus erat, ut aquam magis vino mixtam, quam vinum aqua dilutum diceres: ac cum omnino cura animi maior, quam corporis esset, sic victitabat, ut nunquam non aliquid sibi de necessario victu videretur demere; saepe cibum, ut libris et precibus vacaret, intermissurus, nisi alienus eum oculus abstraxisset. Vt vero melius mortificationem Christi in corpore suo circumferret[1], abstinentia non contentus, adhibebat quoque cilicij et flagellorum rigorem, eratque eius flagellum admodum detritum. Cum aliquando esset ab Episc. Vicario generali[2], alijsque amicis ad monasteria Carthusiensium illus ditionis, quae septenis ab urbe horis distant, deductus, clam petijt ab altero Priore cilicium novum[3]: scilicet dum nos rigorem vitae in alijs miramur, imitari, quam mirari ipse malebat. Ac consuetum vitae rigorem ne tum quidem remisit, cum in morbo extremo quatuor circiter menses tenuissimo cibo contentus, incurvus, ac scipione suffultus toto die sederet, nec exeso morbisque praegravato corpori quietem in lectulo ante concederet, quam esset sexta hora a meridie audita.

Cum carni et sanguini a iuventute non acquiesceret[4], et paterna domo, ut Christo viveret[5], sese penitus abdicasset, noverat nihilominus suorum praesentia, si quando ita res ferret, ea ratione uti, ut et gratam sibi eam esse intelligerent, nec sine fructu ab eius monitis accepto abirent. Fratrem germanum Theodoricum vitae innocentia, prudentia, ac suavissimis moribus praeditum in eandem Societatem frequenti cohortatione induxit; a quo invisi extremo morbo noluit[a], quanquam id Theodoricus aegre ferret, quod diceret, spiritu se in Christo semper posse esse praesentes, monita in morbo non alia a se dari, quam ab alijs qui illi aderant; ac discessum, mutuamque divulsionem molestia non carere; qui ob id quoque nunquam eodem in Collegio, neque dum Petrus Provincialem ageret, eadem in provincia agere voluit, ne qua in re cognationis et naturae legibus quicquam tribuerent[6]: cum

a *Correxi ex* voluit, *quod est in apogr.*

[1] 2 Cor 4, 10.

[2] Petro Schnewly, vicario generali episcopi lausannensis.

[3] Priores cartusiae Vallis Sanctae (La Valsainte) hi comparent: 1563–1584 Albertus Favre (Faure, Fabre), 1584–1601 Iacobus Antonius de Furno (Fracheboud du Four). Priores cartusiae Partis Dei (Part-Dieu): 1578–1583 Mermet Pernet (Perneti), 1583–1584 Antonius Lauvergne, 1584–1587 Stephanus Deffayes (de Faye), 1587–1588 Oliverius Roussel, 1589–1590 Ioannes des Essarts, 1590–1600 Petrus Bernard: ita quidem „*Zeitschrift* für schweizerische Kirchengeschichte", 7. Jahrg., Stans 1914, 200–202.

[4] Gal 1, 16. [5] 2 Cor 5, 15.

[6] Erravit hac in re Verronius. Nam P. Theodoricus Canisius, id quod ex plurimis locis voluminum superiorum huius operis patet, diu in provincia Germaniae superioris sub Petro Canisio provinciali vixit, Petro plerumque Augustae Vindelicorum, Theodorico Dilingae, haud procul ab Augusta, degentibus. Praeterea Petro munere

interim nihilominus profiteretur, se Petrum decem annis maiorem, ut fratrem Charissimum, ut v.[1] autorem conversionis, qua in novitate vitae ambulabat[2], tanquam Patrem optimum colere. Venit tamen ille invisendi fratris sui causa Friburgum: ac cum quarta die Charissimo, et grandaevo extremum valedixisset, Lucernam redijt[3]. Venerat quoque ad Petrum aliquando Theodoricus Canisius [*etc., ut supra p. 785*]. Verum haec momentanea erat hominis Dei cura: maior, et ea quidem continua incumbebat non solum de Ecclesia Christi universa, sed etiam de ijs, qui spiritu ei erant deuincti, sive in Societate illi agerent, sive alias in ipsius se insinuassent clientelam, quosve ipse in spiritu adoptasset[4]: quorum cum singulari cura afficeretur, nihil non tentabat, quod ad illorum cum salutem, tum corporis incolumitatem spectaret: si afflicti essent, eos consolatione recrearet: si peccati remorsu territi, eos Deo reconciliaret: si morbo decumberent, medicum ipse adiret, rogaretque ne qua in re eis deesset. Eius documentis delectata ornatissimae familiae Virgo Margaretha Missilonia[5] cum corporis impotentia laboraret, Deo virginitatem ita conservavit [?][a], ut licet ad valetudinem pristinam rediret, viro tamen nunquam iungeretur: ob idque vita accuratissimo ordine secundum pietatem instituta, cum sapientiae laude, et coelestibus illuminationibus praestaret, sancte ad Christum Sponsum migravit ante Canisium. Nec minore castitatis amore incensa altera, vidua quidem, sed primo aetatis flore, et ipsa patritij ordinis perstat in orationis, et sanctimoniae curriculo, victu pertenui contenta.

Atque huiusmodi quidem venerandi Patris nostri in senectute fructus fuere, quibus velut coronidem adderet ijs, quos in omni vita haud dubie passim produxerat.

Expetant vero alij famam gloriae aucupio extendere: Canisius non tam gloriae quam solitudinis cupidus, ac iuvandi magis quam innotescendi studio captus, dum universae Ecclesiae, quantum in ipso erat, instaurationem cogitat, nomen quoque celebre consecutus est quacunque se Christi fides diffundit, praesertim in veteri orbe Christiano. Eum viri in Ecclesia clarissimi coluerunt semper, ac magni fecerunt: existimaruntque felices se, si in eius notitiam, aut amicitiam venissent: aiebat vero bonae memoriae Bonomius Episcopus cum Friburgum adveheret Canisium, virum se adduxisse dignum, qui in bombyce ut monilia servaretur[6]; et clarissimus Ecclesiae polyhistor Baronius Cardinalis de

a) *Sic; sed corrigendum videtur* consecrauit.

provincialis levato duo illi fratres Dilingae et a. 1569–1571 et a. 1580 una habitarunt (*Can.* VI 322 542–543 VII 577).

[1] I. e.: verum. [2] Rom 6, 4.

[3] *Iacobus Werli* reipublicae friburgensis quaestor in *Codice dati et accepti ab 1. Ianuarii ad 24. Iunii 1597 „Anndere Rechnung", Friburgi in archivo reipublicae notavit: „Schenckwijn: Deß Herrn Canisij Brudern den wijn verehrt 9 librae 16 schilling."

[4] Ex horum numero erat ipse Verronius; v. supra p. 270 314 459 779.

[5] Misselo. [6] Vide *Can.* VII 806.

eo referebat, quod S. Paulus dixit, eius laudem esse in Evangelio in omni Ecclesia[1]: erat enim inter Summos in Ecclesia suae aetatis viros clarissimum locum consecutus: erat velut quidam Friburgensium patronus, Ecclesiae per Helvetiam patriarcha, et per Germaniam Religionis Catholicae columna. Ac plane mirum est, quanta cum veneratione nomen eius celebrarent, si qui viri tam docti quam pij, dum Romae superioribus annis agerem, eum adhuc superstitem, et scriptioni deditum esse ex me intelligerent. Tantam autem laudem nactus erat non quidem ex vi portentorum et miraculorum, quanquam ea ipsi minime defuerit: multoque minus quod nova et inaudita Religionis dogmata mundo obtruderet, quod solent haeresiarchae: verum, quod quisque in ipso suspiceret eruditionis reconditae immensum thesaurum, rerum divinarum et humanarum scientiam absolutissimam, Sapientiae divinae flosculos ac sententias eas, quas non tam ex libris, quam ex spiritus unctione[2] hausisset. Nec minor in eo gratia verbi erat, qua tot per Germaniam urbes, tot per Jtaliam et Siciliam auditoria repleverat: comitabatur facundiam raram rerum et argumentorum pondus, dabat operam ipse perpetuo, ut simul partes catholicas illustraret, haereticorum perversitatem et stultitiam convelleret, atque abusus, si qui essent, perpurgaret. Cum autem pro concione in rerum abdita penetrasset, tum vero incalescente animo, prae spiritus exuberantia gestiebat, iucundabatur, exiliebat: ita quo maior vis spiritus erat, eo quoque animi motus maiores cieret, non gesticulatione levi et vulgari, sed quae virum plane generosum, magnum et Apostolicum demonstraret: quamvis posterioribus annis latera, roburque corporis vim animi non amplius expromerent. Accedebat in eo vitae innocentia, morum gravitas, et quae altissimas in eius anima radices egerat, sanctimonia singularis, quae cum perfectionem Christianam quam optime exprimeret, simul etiam per externam speciem, quantus esset, contuentium oculis facile denunciaret: quod sapiens Hebraeus ait: Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus, et ingressus hominis enunciat de illo[3]: quibus quidem indicijs si quid tribuendum est, ut haud dubie est, non facile dixerim occurrisse mihi e viris doctrina, gravitate, sanctitate et canicie celebribus unquam quemquam, qui vultus, oris corporisque habitu tantam dignitatem praeseferret.

Corpore fuit procero ac viribus firmis, ut diutius multo laboribus et concionibus perferendis abunde satisfecisset, nisi perpetua se abstinentia et mortificatione attenuasset. Exhaustis itaque viribus annos natus circiter sexaginta septem a munere concionandi abstinuit: incurritque graviter in morbum, ex quo cerebrum quoque laesum existimaretur: verum valetudine recuperata integre, ad studia redijt solita: corpore tamen penitus debilitato, ut plerumque nonnisi scipione fultus

[1] 2 Cor 8, 18. Baronii verba v. supra p. 792. [2] Cf. 1 Io 2, 20. [3] Eccli 19, 26 27.

et incurvus incederet. Quo ex tempore quoque in morbum bis, terve est relapsus; ac decubuit porro saepius ex virium imbecillitate, studijs iterum deditus quamprimum convaluisset. Nec refert, quod nonnulli putant, eum diutius Ecclesiae prodesse potuisse, si liberalius vixisset; quum mallet ipse breviore aetate stabilem fructum ferre per mortificationem, quam dum longiore vita cuticulam curat, in incertum laborare, quod a Magistro suo dictum sciret: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert[1]: quanquam esset interim pro variante senio valetudinis, et vitae conservandae perquam studiosus. Memoria viguit felici, et admodum tenaci, vt non facile eum vel autorum copia, vel rerum, de quibus legerat, varietas ab expedito usu moraretur: atque inter alia rogatus a me, dum primis mensibus, postquam ad nos venerat, apud me victitaret[2], ubinam locus quispiam apud S. Basilium esset, quem me legisse memineram, nec inueniebam; ipse e vestigio citra aliud memoriae adminiculum indicauit librum et caput, ubi ille de re rogata ageret. Oculorum quoque acie pari utebatur, ut licet sinister oculus esset macula laesus, visus tamen per indefessam lectionem citra perspiciliorum usum constans, et sanus ad extremam vitae horam perstiterit. Idem evenit cum caesarie, quam primo colore perseverantem gestavit senex Canisius minime canus, nisi quatenus rari capilli nonnihil albicarent[a]. Facie fuit oblonga, animo a natura, studio et aetate sedato; sermone lento, benigno, in delinquentes vehemente, erga amicos leni: vultu semper eodem, gravitatem insignem praeseferente, quae tamen ad placiditatem praecipue vergeret: cui mores quoque respondebant constantes, simul et suaves. Curriculo tandem vitae huius peracto, postquam Reverendissimus Nuncius Apostolicus Joannes Comes Turrianus Episcopus Veglianus cum eo familiariter de multis egisset, in morbum incidit letalem, quo se prodebat quoque hydropisis in ventre et pedibus; ac obmurmurabat identidem stomachus creberrimis motibus, ut gutturis etiam meatus exulceraret[b]; decumbebat *[etc., sicut supra p. 911—912].*

Hic Epitaphium ad longum[c] [3].

a) allicarent *apogr.* b) *Quae sequuntur* (decumbebat non sine dolore *etc., usque ad* e regione ad perpetuam eius memoriam constructo *incl.), hic omittuntur, quia iam posita sunt in epistula P. Meglini 6. Maii 1610 data, in quam transcripta erant ex scripto, quod Verronius cum Meglino communicaverat; v. supra p. 911—912. His tantum verbis duo haec exempla inter se differunt: In commentario hoc Quenzius Medicus vocatur* uir ut doctissimus, ita pientissimus; *in epistula* uir ut doctissimus ita et pientissimus. *Paullo infra comm.:* Cum animadverteret Martinus Lycius Coll: Friburgensis secundus Rector; *epist.:* cum animaduerteret P. Rector. *Deinde in comment. Canisius dicitur* divina ut apparet visione confirmatus; *in epist. verba* ut apparet *omissa sunt. Paullo post comment.:* librum manu scriptum perantiquum, ut detritum; *epist. loco v.* ut *habet* ac. *Tandem comment.:* Reifius Senator *epist. tantum:* Reifiius. c) *Vide infra, adnot. 3*

[1] Io 12 24 25.

[2] Verronius tunc a. 1581 erat parochus templi S. Nicolai, et Canisius in eius domo cibum capiebat: v. supra p. 539.

[3] Sic apographum monacense. In exemplo igitur autographo hoc ~~loco~~ legebatur longissimum illud epitaphium, quo Verronius in templo S. Nicolai Canisii monumen-

Miraculorum gratia ut magna, ita rara quoque est: et plerumque ut est Deus in gratiarum et charismatum dispensatione admirabilis, minor in illis qui eruditione floruerunt: maior vero in ijs, qui populis convertendis dediti fuere vel quorum vita cum simplicitate plerumque coniuncta fuit: ut proinde miraculorum edendorum virtus in sanctis et iustis impar semper, et diversa fuerit. Quanquam v. Canisius singulari, summaque eruditione praestaret, atque in lucem emittendis libris continuum studium insumpsisset, tamen signorum et virtutum facultate non caruit, cum quod animum suum divinis captandis Charismatibus quam optime parare nosset, tum quod haud dubie Deus Societatis Iesu institutum per eum, ceu illius primarium virum, gratum sibi commonstrare voluerit, tum denique quod cum signa sint propter infideles, ait Apostolus[1], fides vero hac infelici aetate per haeresim sit passim vitiata, signis hoc tempore magis opus sit, quam superiore. Ac daemones eum eiecisse apud templum B. Mariae Oetinganum notum est ijs, quibus aetatis ipsius superioris res gestae compertae sunt[2]; ut illud quoque quod dum iter secundum mare faceret[3] more suo, animo et cogitationibus ad sublimiora abreptus, equo praeceps in undas dilapsus, divino praesidio fultus, redierit ad comites salvus et incolumis. Apud nos vir magnificus et pietate conspicuus Wilhelmus Krummenstol Senatorij Ordinis, annos nunc supra septuaginta natus, cum ex Abbatia Altaripensi rediens dimisso ad praedium suum famulo, prope urbem apud sacellum S. Antonij luto compluvij labente equo, ita concidisset, ut nullo conatu nec equus se movere, neque pedem ipse ab equo compressum eximere posset; cum forte nemo, quod iam nox esset, transiret, frustraque per dimidiam horam multa, etiam precibus ad Deum factis, esset molitus, recurrit tandem animo ad Canisium, versaque ad Deum mente orat, propter eum virum qui ei tanta cum sanctimonia serviret, dignetur sibi succurrere: nec mora, pedem citra ullam difficultatem liberat, ita quidem, ut ocrea simul cum calcaribus luto, et equi onere continerentur, defixaque permanerent: mox equum etiam extrahit: venit vero post quinque dies ob aliam causam in Collegium: adit Canisium, qui datis ad rem petitam responsis, ecquid, ait, superiore die apud S. Antonium actum est? habes quod Deo acceptum referas, de me vero velim omnino taceas: qui comperta in Canisio rerum absentium cognitione, quae nonnisi coelesti revelatione facta esset, ac cernens conscium eum esse, gratiae ipsius nomine adeptae, quam celandam pro tempore putabat, non sine pudore, quod praeventus a viro Dei esset, narravit ordine omnia, ac constanter professus est, se quantae

tum in columna prope sepulchrum eius positum ornaverat. Epitaphium hoc vide infra, monum. 1623.   [1] Cf. 1 Cor 14, 22.

[2] Canisius ibi unum daemonem, eumque tam crudelem et pervicacem, ut multorum instar esset, expulit: v. *Can.* VI 641—654.

[3] Iter faciebat secundum Loisam (Loisach) fluvium, qui aquis ita erat auctus, ut velut lacus vel mare quoddam esset: v. *Can.* VI 727.

apud Deum dignitatis ipse esset, facile agnoscere: ac proinde gratiam habere pro multis quam maximam. Addam quod ipsius quoque precibus debere me lubens profiteor: cum in emergente controversia vix pauca de multis assequerer, ac cernerem aut renunciandum ijs, quae mihi debebantur, aut excitandas maiores difficultates esse[1]: commendo negotium Canisio, cui sciebam me curae esse: suscipit ille causam in se, preces condicit: et ecce postridie pars adversa duplum eius, quod petebam ad me mittit. Verum quid illustrius de eo dici potest, quam quod inter tot sanctorum hominum myriadas hactenus in Coelum sublatas rarum admodum est: eum, cum postridie eius diei, quo expiraverat, in sacello a quibusvis conspiceretur, vultu non solum non horrido, ut solent cadavera, sed etiam eleganti fuisse adeo, ut licet macie confectus esset, tamen facies, manusque nudatae non solum vivo, sed etiam roseo ac splendente colore et claritate ita niterent, ut ex longinquo ad sui contemplationem quosvis pellicerent: quae causa etiam fuit, ut postea in Ecclesia maiore a Vesperis plurimi porro accurrerent contemplatum, inter quos honestissimae duae matronae ei adfuerunt, donec sepulchro clauderetur: quarum tum altera Anna Wildia capiti ipsius pulvillum substravit: quo tempore etiam dum feretrum arca querna in monumento clauderetur, observatum a nonnullis est, odorem insuetum, a thure differentem, sed fragrantem, suavemque exhalasse: ac cum templo omnes exirent, mulier comitiali morbo saepe pressa, quae ad feretrum preces toto animo fecerat, seque Deo meritis hominis Dei commendaverat sublatis in Coelum manibus, palam professa est, se sensu cognoscere, salvatam se esse: et quod praecipuum est, ab eo tempore per sesquiannum, quo adhuc vixit, non est porro per epilepsiam unquam vexata. Quibus rebus profecto ostensum divinitus est, magnam esse gloriam Canisij in salutari Coelorum, ac gloriam, magnumque decorem[2] ei a Domino collatum in Ecclesia triumphante, ubi laborum, certaminum fidei, charitatis, temperantiae, virtutumque aliarum proemia, et coronam immarcescibilem[3] capiat ab eo, qui ipse merces est justorum[4].

Ab eius obitu cum ornatissimus vir Christophorus Reiffius Senator ex equo forte dilapsus, totos sex menses curari non potuisset, et iam ad sectiones veniendum a Chirurgo esset: eius uxor Nobilis Barbara Messelonia ad sepulchrum Canisij provoluta pristinam ipsi valetudinem impetravit, ac cum regressa domum intrasset, maritum ignorantem, quid ipsa tentasset, obvium habuit, magna animi laetitia narrantem, se discussis doloribus optime valere, qua in valetudine constanter perseverat. Ac cive quodam nuper triduo in agone agente, cum ad id monumentum vicini oratum venissent, statim in Domino expiravit: ita Deus ob vitae Canisij merita, per Canisium impertit gratiam ijs, qui eum in veritate implorant.

Laus Deo.

---

[1] Quam non fuerit Verronius avarus, quam fuerit in miseros prodigus, v. supra p. 932. [2] Ps 20, 6. [3] 1 Petr 5, 4. [4] Cf. Gn 15, 1.

1622. 1597.

Ex ipso monumento, de quo infra dicetur. Inscriptionem haud prorsus accurate posuerunt *Raderus* 206 et (ex eo, puto) complures alii, velut *Sacchinus*, Can. 396, *Fuligatti* 170, *Riess* 528, *Michel*, Can. 435.

Titulus Canisii sepulchro inscriptus.

Friburgi Helvetiorum in sacello Beati Petri Canisii templo S. Michaëlis Archangeli contiguo ante altare, in quo Canisii corpus conditum est, in pavimento positum nunc est marmor candidum idque valde grande cum hac inscriptione, quam 4. Novembris 1919 ex ipso marmore (quod modo, ne inscriptio evanescat, panno spisso sive tapeto coopertum est) exscripsi:

[In parte superiore]. „IHS | MONVMENTVM | VENERANDI · PATRIS NOSTRI PETRI CANISII SOCIETAT.[a] IESV THEOLOGI.

[In parte inferiore] NN.[1] NICOL[b]: ROCH· GEOR·[c] PET· FRATRES À DIESBACH POSS. 1597[d]."

Marmor hoc in sacellum illud translatum est ex templo S. Nicolai, ubi ipsi Canisii corpori ante altare maius humi condito erat impositum; v. supra p. 910 912.

Verronius praepositus templi sua manu *notavit se a. 1598 dedisse „Dem Sigristen[2] vmb versaumnuß[3] bij Patris Canisij grab 1 libram 11 br. Für P. Canisij grabstein dem M. N. Gruber cij coronatos sol." Cod. „Rechenbuch 1578", f. 52[a]. Friburgi Helvetiorum in bibliotheca cantonali.

1623. 1597 1598.

Ex *Radero* 203 205. Ex Radero, ut videtur, hic titulus plus minusve accurate exscriptus est a compluribus aliis velut *Sacchino*, Can. 397—399, *Fuligatti* 171 172, *Dorigny* 479 480, *L. degli Oddi* 295 296, *Python* 396 397, *Raemy de Bertigny* 134 135, *Riess* 528—529, *Michel* 436 437, *Petro Ribadeneira* S. J., Illustrium Scriptorum Religionis Societatis Iesu Catalogus, Antverpiae 1608, 154 156. Idem exstat in „*Positione*" a. 1833, Summ. p. 71.

Monumenti Canisio in templo S. Nicolai positi elogium Canisii copiosum a Verronio praeposito compositum.

Raderus affirmat, monumentum „a Ioanne Wildio viro illustri" Canisio Friburgi Helvetiorum in templo S. Nicolai ad latus chori positum, „hac Epigraphe" a Sebastiano Verronio inscriptum esse:

„D. O. M. VENERANDVS IN CHRISTO PATER PETRVS CANISIVS THEOLOGVS NOVIOMAGI NATVS SOCIETATEM IESV TERTIO A CONFIRMATIONE ILLIVS ANNO INGRESSVS AC SACERDOTIO INSIGNITVS OB MAGNI SIMVL ET PLACIDI ANIMI PRÆSTANTIAM A COLONIENSI ECCLESIA AD CAROLVM V. IMP. AB OTHONE CARDINALI AVGVSTANO AD SACRVM CONCILIVM TRIDENT. A CAROLO V. IMPERAT.[1] VORMATIAM CONTRA MELANCHTHONEM HÆRETICVM: A PIO IV. PON. MAX. AD PRINCIPES GERMANIÆ IN FIDE CONFIRMANDOS

a) SOC. *Rad.* b) NIC. *Rad.* c) GEORG. *Rad.* d) M. D. XC. VII. *Rad.*

[1] I. e.: Nobiles. [2] Sacristano. [3] Umzäunung septio ?

[1] Scribendum fuit: „Ferdinando I. Romanorum rege". Huic enim Carolus V. imperator suam in hanc causam potestatem commiserat; cf. *Can.* I 49; II 55 80 120.

MISSVS. | POSTQVAM ROMAE IN SICILIAE ET GERMANIAE ACADEMIIS DOCVISSET[1] DIV APVD FERDINANDVM IMP. ET PASSIM SVMMA CVM LAVDE VERBVM DEI PRAEDICASSET[2] PRIMVS PROVINCIALIS SOC. EIVSD. IN GERMANIA, AB IPSO SOC. AVCTORE P. IGNATIO DATVS FVISSET SCRIPTISQVE FIDEM CATHOLICAM EGREGIE ILLVSTRASSET AVSPICIIS REVERENDI D. IOANNIS FRANCISCI EPISCOPI VERCELLENSIS NVNCII APOSTOLICI FRIBVRGVM SEXAGENARIVS VENIT, COLLEGII SOCIETATIS FVNDAMENTA IECIT. MVLTA PRAECLARA DOCVMENTA DEDIT. ET QVASI QVIDAM FRIBVRGENSIVM PATRONVS, ECCLESIAE PER HELVETIAM PATRIARCHA RELIGIONIS CATHOLICÆ SVI TEMPORIS COLVMNA, TOTO CHRISTIANO ORBE NOTISSIMVS FIDE PRVDENTIA INDEFESSO SCRIBENDI LABORE | ABSTINENTIA PERENNI GRAVITATE ANIMI PVRITATE, | FRAGRANTISSIMO DEI AMORE MVLTAQVE SANCTITATE CLARISSIMVS | MIGRAVIT AD CHRISTVM FESTO S. THOMÆ APOSTOLI. | CIↃ. IↃ. XCVII. ANNO ÆTATIS LXXVII."

Sacchinus (l. c. 397) anno 1616 affirmavit, titulum hunc in templo S. Nicolai „conspicuo in columna exornato loco ad legendi opportunitatem" positum esse. Nunc vero tabula illa lignea, Canisii effigie ornata, in chori introitu loco adeo edito suspensa est, ut titulus vix legi possit. Id quod fortasse factum est, cum a. 1627 chorus templi renovaretur.

[1] Romae Canisius nunquam docuit.

[2] Contiones annis 1553—1556, easque a. 1553 et 1554 multas, coram Ferdinando I., qui tunc rex Romanorum, Hungariae, Bohemiae etc. erat, habuit (*Can.* I 48 49 438 467 747 768).

IX.

INDEX ALPHABETICUS EORUM,

quibus Canisius scripsit.

Numeri sunt epistularum, non paginarum.

X.

INDEX ALPHABETICUS EORUM,

qui Canisio scripserunt.

Numeri sunt epistularum, non paginarum.

XI.

INDEX ALPHABETICUS NOMINUM ET RERUM HUIUS VOLUMINIS.

Numeris maioribus paginae, minoribus adnotationes significantur.

C. = Canisius, Canisii etc.; bibl. = bibliotheca.

496 7 = 496–497, et ita semper.

Corrigenda.

Pag. 3 adnot. 1 legendum: „Societatis collegio friburgensi: cf. infra p. 16."
Pag. 155 adnot. 1 pro „Eduardus" *legendum* „Erhardus".
Pag. 255 linea 27 pro „4 5" *legendum* „45".
Pag. 305 linea 34 pro „archetypum. Editum" *legendum* „archetypum, edita".
Pag. 324 adnot. 3 legendum „εἰχε" *pro* „εἰχε".
Pag. 456 loco adnotationis 2 ponenda est adnot. 3, et loco adnot. 3 ponenda 2.
Pag. 902 adnot. 6 pro 838 *legendum* 883.
Pag. 915 adnot. 1 pro 910 *legendum* 9 10.

Iudicia aliqua de opere »Concilium Tridentinum« quod edit Societas Goerresiana.

»Vollständigkeit des Aktenmaterials, textkritische Wiedergabe desselben, stetiges Streben nach Verbesserung des bisher Gebotenen, ausführlicher, historisch-theologischer Kommentar in den Fußnoten sind die Vorzüge, die im Verein mit einem genauen Personen- und Sachregister das Werk und jeden Band zu einer wissenschaftlichen Leistung und Fundgrube ersten Ranges machen.« (Literarischer Handweiser, Münster i. W.)

». . . L'édition nouvelle des actes du concile de Trente, entreprise vaillamment par la *Goerres-Gesellschaft* et exécutée avec une rare perfection par la maison Herder, constitue vraiment **une œuvre glorieuse et le plus précieux service que puisse rendre de longtemps la critique à la théologie.**« (Études, Paris.)

». . . Il ne faut pas même songer à entrer dans quelque détail, car ces immenses volumes bourrés de faits défient entièrement l'analyse. C'est **une mine de documents d'une richesse extraordinaire,** mise à la disposition des érudits avec une compétence remarquable **et un labeur véritablement gigantesque.** Bien des questions sont résolues par les auteurs au cours de leur édition: telles, par exemple, les recherches de M. Merkle sur Laurent de la Prée et les formes inattendues que peut revêtir un manuscrit, telle sa reconstitution patiente des œuvres de Seripando, telles encore ses trouvailles au sujet des manuscrits de Pseaulme. . . .«
(Revue bénédictine, Maredsous.)

». . . Quanto al testo de' diarii qui pubblicati, non fa bisogno di spendere molte parole, poichè l' edizione è fatta da persona tanto egregia ed esperta. Nulla manca di ciò che si può desiderare per l' immediato riscontro de' passi. A piè di pagina si raccolgono le varianti de' manoscritti ed anche delle edizioni a stampa, che meritano menzione. Copiose note illustrative accompagnano di continuo il testo, e in fine un indice generale de' nomi e delle cose più importanti contenute nel volume agevolano le ricerche. Rimane che ad una opera di sì gran mole e di tanto merito, vero **monumentum aere perennius,** si faccia buon viso in ogni parte della Cattolicità e si stimi doveroso il sacrificio della spesa, a fine di arricchirne le biblioteche ecclesiastiche, specie de' seminarii ed istituti teologici.« (La Civiltà Cattolica, Roma.)

». . . A todos interesa la publicación de esta obra, que constituye **un monumento grandioso de la historia de la Iglesia:** pero de un modo singularísimo interesa a los españoles. Bien conocida es la parte muy principal que tuvieron en el Concilio de Trento nuestros Reyes, Obispos y Teólogos. El siglo XVI fué también para España la edad de oro de la Teología. En ella han de encontrar abundantes y escogidos materiales para nuestra historia eclesiástica particular. Se la recomendamos muy encarecidamente a todos, y de nuevo felicitamos a la Sociedad Goerresiana y al incansable editor pontificio Sr. Herder por su benemérita labor en bien de la Iglesia y de las letras.« (La Ciudad de Dios, Madrid.)

»There are some works of such monumental learning and labour that even a reviewer is overawed by them. And there are some works, such as these before us, which not only embody learning and labour, but are also a land-mark of research. We would class these volumes with the **best products of German industry and the historical spirit.** The care expended on the collation of authorities, the accuracy in editing and the minuteness in investigation are beyond all praise. Frankly, we have nothing, but admiration for the work and the workmen. The future historian of Trent will find a mass of material, made ready to his hand in these books. They form one of those quarries from which magazine writers may draw very many articles. The theologian also, perhaps even more than the historian, will benefit by these documents, for they will enable him to attend the debates of the Council and to trace the very shaping of the decrees . . .

»We cannot conclude without paying a tribute of deep respect to those whose great labours have p[illegible]ork worthy of their great subject.«
(The Dublin Review, London.)